RR. PP. BARTHOLOMÆI

MASTRII

DE MELDVLA

ET

BONAVENTVRÆ BELLVTI

De Catana Ord. Min. Conuent. Magistr.

Tomus Secundus

CONTINENS DISPVTATIONES

AD MENTEM SCOTI

In ARISTOTELIS Stagiritæ Libros

PHYSICORVM.

EDITIO NOVISSIMA A MENDIS innumeris, quibus priores scatebant, repurgata.



VENETIIS, MDCLXXXVIII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

RR. PP. BARTHOLOMÆI

MASTRII DE MELDVLA

ET

BONAVENTVRÆ BELLVTI

De Catana Ord. Min. Conuent. Magiſtr.

Tomus Secundus

CONTINENS DISPVTATIONES AD MENTEM SCOTI

In ARISTOTELIS Stagiritæ Libros

PHYSICORVM.

EDITIO NOVISSIMA A MENDIS innumeris, quibus priores ſcatebant, repurgata.



VENETIIS, MDCLXXXVIII.

Apud Nicolaum Pezzana.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

AD LECTOREM TYPOGRAPHVS.

QVemadmodum in prima huius Philoſophici Operis editione, Tomus Phyſicus alios præceſſit, ita in hac Secunda meis ſumptibus facta ab eiuſdem recuſione exordior cęteros deinceps paulatim recuſurus. Et vbi in prima plurimi irrepſere errores, nunc prodit, qua potui diligentia, emendatior & ab eiſdem Auctoribus vbique recognitus, nouis additionibus, copioſiorique indice locupletatus. Quoniam verò in priori editione Romana diſp. 5. q. 3. art. 1. iterum Natura Materiæ, & Formæ examinabatur ad occurrendum Complutenſibus, quorum Curſum Auctores ab initio Operis non habuerant; nunc articulus ille indè ex integro translatus eſt ad 2. diſp. de Principio materiali, & formali, qui eſt eius locus proprius, ac in ea diſtributus in proprias quæſtiones. Cum autem ad finem huius Tomi poſtera properaret editio, in lucem venit Curius Philoſophicus cuiuſdam recentioris Scotiſtæ, cui Auctores mei plurimum ſe debere fatentur, eo quia licèt interdum in quibuſdam parui momenti difficultatibus ab eo impugnentur, in grauioribus tamen, & principalioribus quæſitis comiter ipſum comitem habent in omnibus; deſideraſſent ſolùm, vt magis deuincerentur. Quod ſicut eos memorat, vbi impugnat, ita feciſſet, vbi ſequitur, & quidem quod in multis ſequatur, experimentum fieri poteſt in pluribus, & præcipuis quæſtionibus illius Curſus vtrorumque collatione facta v.g. diſp. 11. Log. q. de diuiſione entis in decem prædicamenta, & diſp. 14. Log. q. 2. de ratione formali quantitatis, & eadem diſp. 14. q. 4. de diuiſione quantitatis in continuam, & diſcretam, & diſp. 15. q. 1. de diſcrimine relationis prædicamentalis à tranſcendentali, & eadem diſp. q. 3. de diſtinctione relationis prædicamentalis à fundamento, & eadem diſp. 15. nu. 64. declarando ſecundum modum relatiuorum, vbi vt ex proprio penu docet paternitatem, & filiationem in creaturis non eſſe relationes reales, cum tamen anteà id docuerunt Auctores mei diſp. 8. Log. quæſt. 10. ar. 2. duabus illis rationibus, quibus ipſe vtitur; item in Phyſica quæſt. de toto, & partibus, de dependentia eiuſdem effectus à pluribus cauſis totalibus coniunctim, vel diuiſim, & alijs multis, quas recenſere longum eſſet. Hac igitur de cauſa quibuſdam eius obiectionibus in recuſione huius Tomi ſatisfieri ex inſtituto non potuit, quod tamen certiſſimè fiet in Metaphyſica, quam modò parat P. Maſtrius ab ipſo nominatim in Palæſtram vocatus, velut præcipuus Operis Auctor, vt ipſe proteſtatur ab initio Logicæ num. 14. & ab initio Phyſicæ n. 2. facile tamen erit ſolerti Lectori ex eiſdem aſſertis impugnatis, & alijs conſequentibus, ſolutionem colligere, quod experiri poterit (vt mihi Auctores ſignificarunt) in prima impugnatione, quam facit in Logica parua num. 14. vbi impugnat explicationem ab eis affignatam termini abſoluti, & connotatiui, & contendit terminum connotatiuum cum relatiuo prorſus conicidere; huius obiectionis ſolutionem accipies ex his, quæ habent de terminis relatiuis diſputat. 8. Log. quæſt. 3. artic. 1. in fine. §. *Pro complemento huius artis*. vbi diſertè docent diſcrimen inter terminum relatiuum, & connotatiuum. Rurſus experimentum fieri poterit in alia prima impugnatione, quam facit diſput. proœm. Phyſic. quæſt 1. concluſ. 1. contra famoſam Scotiſtarum diſtinctionem Philoſophiæ in ſe, & in nobis; eius ſiquidem perfecta ſolutio habetur ex ipſa quæſt. proœm. Auctorum artic. 2. & ex diſputat. 11. de loco ab initio num. 1. vbi ſtatuitur Angelorum quoque morum ad Philoſophiam in ſe pertinere; Quod ſi pertinaciter quis contendat ſola entia corporea, & materialia cadere ſub Phyſica conſideratione abſolutè loquendo, videat reſponſionem, quam meretur, apud Canonicum inſignem Scotiſtam 1. Phyſic. quæſt. 1. in fine, §. *ad quartam concedo*.

Quod autem ego ipſe Typographus ægrè tuli, eſt, quod in epiſtola nuncupatoria Auctor ille ſibi applaudit primum fuiſſe, qui Curſum Philoſophicum, ex integro in via Scoti in lucem dederit; Quod quantum à veritate diſtet, ex impreſſione ipſorum voluminum deprehendi poteſt, nam Curſus illius Recentioris ſub anno 1641. impreſſus eſt, at meorum Auctorum Diſputationes Phyſicæ ſub anno 1637. Logicæ ſub anno 1639. de Cœlo, & Metheoris, de Gener. & Corrupt. 1640. Animaſticę demum paulò pòſt, adeò vt integrum ferè opus inuulgatum erat, cum ille Typis dedit, quod etiam ex eo maximè conſtat, quod ille diſp. 1. de Gen. n. 35. citat Maſtrium in illo dubio, *quomodo generans concurrat ad generationem viuentium*, de quo ipſe agit in lib. de Generat. & Corrupt. diſp. 8. q. 2. artic. 2. ita quod ex eius confeſſione ante ſui Curſu editionem (præter Tomum Animaſticum, quem non citat quod viderim, etiamſi ex quibuſdam quæſtionibus coniectari poſſit hunc quoque vidiſſe, vt v.g. ex diſp. 7. de ſubſtantia Animæ q. 7.) omnia vidit volumina meorum Auctorum. Cum autem Curſus ille ſit verè ad mentem Scoti ex integro, vt titulus præfert, lectoribus incumbit iudicium, non Typographis; non potui tamen non admirari, quod à nonnullis (mea ſiquidem eſt Scotiſtarum Typographia) eiuſdem Scholæ Sectatoribus audiui; cum Auctor ille Curſum ad mentem Scoti ex integro tradere polliceatur, minus tamen frequenter in ſuarum aſſertionum teſtimonium Scotum adducere, imo potius in oppoſitum, quem tamen explicare conatur, vt oſtendat aſſerta ſua, ſi non iuxtà Scoti mentem, ſaltim contra non eſſe; Scotiſtas ferè nunquam citare, cum tamen citet D. Thomam cum ſuis nominatim, quaſi Doctor ſubtilis non habuerit Sectatores memoratu dignos, ac D. Thomas; & quod mirabilius eſt, interdum quoque rationes ipſas, quibus firmat Scotus aſſerta ſua, vt inſufficientes reijcere, quod quidem

supernaturali ex vi præcedentis miraculi 11. 151. *non potest per se primò agere in corpus Christi in Eucharistia* 11. 152.
Agens aliud est intellectuale, & liberum aliud naturale 7. 200. *agens intellectuale creatum verè agit propter finem* 7. 204. *quo pacto agentia quoque naturalia agant propter finem* 7. 205. *quo pacto bruta* 7. 206. *agentia contraria eidem passo applicata simul in vno, vel pluribus locis quomodo agerent* 11. 155.
ALTERATIO præuia ad generationem dupliciter considerari potest 5. 91. *fit successiuè* 15. 60. *licet etiam aliqua fiat in instanti* 15. 61. *potest quæcunque fieri in instanti per potentiam Dei* 15. 67. *quo pacto possit aliqua alteratio fieri simul, & non in instanti* 14. 27.
AMOR amicitiæ, & concupiscentiæ 7. 160. *habet pro obiecto bonum* 7. 169.
ANGELVS vt mobilis spectat ad Philosophiam in se, & eius motus dici potest physicus quæst. proœm. num. 22. *dici etiam debet naturalis, non neuter ibid.* 23. *quomodo coextendatur loco diuisibili* 9. 66. *est in loco per suam substantiam, non per operationem* 11. 72. *si non operaretur adhuc esset in loco* 11. 74. *potest eius substantia fundare immediatè præsentiam localem* 11. 75. *potest ab alio Angelo distare secluso omni corpore* 11. 77. *substantia eius est ratio fundamentalis essendi in loco, præsentia est ratio formalis* 11. 78. *& 81. quare substantia materialis sit necessariò in tanto, vel tanto loco, non angelus ibid. quomodo vbi angelicum sit diuisibile* 11. 81. *nequit esse in loco quantumuis magno, sed in quantumuis paruo, etiam in puncto* 11. 84. *potest Angelus naturaliter esse in linea à Cœlo vsque ad Terram protracta* 11. 88. *neque hoc arguit in ipso infinitam virtutem* 11. 89. *plures Angeli possunt naturaliter esse in eodem loco* 11. 101. *ac etiam in pluribus locis inadæquatis intra propriam sphæram.* 11. 114. *non tamen in pluribus adæquatis, aut etiam inadæquatis extra propriam sphæram* 11. 115. *nec fortè intra propriam sphæram, si sint discontinui, quamuis oppositum quoque possit sustineri* 11. 117. *potest tamen supernaturaliter esse in pluribus locis adæquatis simul & semel* 11. 118. *quomodo Angelus possit moueri ab extremo ad extremum in instanti* 15. 69.
ANIMA requirit corpus continuum, vt animare possit 9. 43. *non potest animare corpus sub quacunque magnitudine, vel paruitate* 9. 109. *requirit corpus perfectè organizatum ibid.*
Anima rationalis in statu separationis, & extrà corpus potius ad Metaphysicum spectat, quam ad Physicum quæst. proœm. n. 17. *&* 20. *potest tamen vt mobilis in eo statu ad Philosophiam in se pertinere ibid. num.* 22. *&* 26. *nequit informare quod corpus est* 2. 77. *nequit dare esse corporeum* 2. 73. *nec etiam sensitiua, & vegetatiua* 2. 74. *istæ non sunt eterogeneæ, sed homogeneæ ibid. rationalis virtualiter continet eas, non formam corporeitatis* 2. 78. *anima rationalis cur non dicatur educi de potentia materiæ sed creari* 2. 145. *&* 3. 74. *quomodo producatur ad mentem Aristot.* 2. 146. *non prius existit in se in aliquo signo naturæ, quam in corpore ibid. quo sensu prius in se produci dicatur, quam vniri* 2. 155. *non est effectus causæ materialis* 5. 19. *propria virtute nequit vniri materiæ pro ea dispositæ* 5. 27. *illi subordinatur forma embrionis* 5. 58. *quomodo sit corpori vnita, & eius partibus an vna, vel multiplici vnione* 11. 82. *est forma informans* 6. 35. *quam habeat subsistentiam* 3. 38. *est intelligens vt quo, & vt quod* 11. 24. *non eadem ratione vnitur cum capite, & pede* 11. 156. *informat partes corporis sine sui replicatione ibid.*
ANIMAL quo pacto dicatur aliud generare 9. 98. *in viuiparis mater attingit immediatè formationem corporis, & animationem* 9. *ibid.*
APPETITVS duplex naturalis, & elicitus 2. 129. *item alter desiderij, complacentiæ alter* 2. 125. *appetitus quoque naturalis maior est in maius bonum* 2. 130. *quomodo priuatio sit eius causa* 2. 127.
APTITVDO semper consequitur rem, cuius est aptitudo 2. 113.
ARS multipliciter sumitur 6. 49. *quid sit ars, vt habitus ibid. quibus à natura differat* 6. 50. *ars non est principium motus, sed modificationis motus* 6. 24. *& si quo sensu ars naturam perficiat* 6. 50. *in quibus cum natura conueniat ibid. artefacta quomodo à naturalibus differat* 6. 51. *artificialis forma à naturali distinguitur solum penes connotata* 6. 49. *forma artificialis aliquid addit supra partes naturales, ac earum vbi cationes* 6. 51. *non addit entitatem absolutam, sed solum respectiuam* 6. 13.
ASTRA quomodo agant in hæc inferiora 7. 63.
ÆTERNITAS multiplex 13. 11. *formaliter dicit existentiam diuinam connotando respectum aptitudinalem coexistendi temporis differentijs* 13. 12. *declaratur eius definitio* 13. 13. *est solius Dei duratio ibid. formaliter est indiuisibilis, virtualiter diuisibilis* 13. 15. *quo pacto coexistentiam dicat ad omnes temporis differentias* 13. 16. *ens permanens ab æterno esse non implicat* 14. 3. *implicat esse successiuum* 14. 12. *& successio implicat in æternitate* 14. 13.
ÆVVM idem sonat ac sæculum 13. 17. *per quid ab æternitate differat* 13. 19. *non est successiuum ibid. non est infinitum* 13. 21. *per quid differat à tempore nostro* 13. 24. *est duratio communis omnibus permanentibus* 13. 26. *non est athoma durationis species* 13. 27. *an sit vnum æuum omnium æuiternorum.* 13. 28.

B

BEATI quo pacto se penetrent per dotem subtilitatis 11. 107.
BONVM triplex honestum, vtile, & delectabile 7. 166. *& hoc rursus duplex bonum, & apparens ibid. bonum vtile nequit habere rationem finis* 7. 167. *solum bonum potest esse obiectum prosecutionis, non malum, vel indifferens* 7. 168. *bonum quod est motiuum voluntatis non est duntaxat verum, sed etiam apparens* 7. 170. *bonum præfixum quoque potest habere rationem finis ibid.*

C

CASVS quid sit, & in quo à fortuna differat 7. 212.
CAVSA definitur 5. 7. *conditio causæ in quo ab ea differat ibid. quid dicat essentialis conceptus causæ in actu primo* 5. 7. *causalitas quid superaddat entitatibus causæ, & effectus* 5. 8. *non est quid medium inter causam, & effectum, illumque natura præcedens ibid. potest sumi formaliter, & fundamentaliter* 5. 14. *formaliter sumpta in relatione consistit* 5. 12. *quo sensu causalitas sit via in effectum* 5. 14. *quænam sit proxima ratio causandi in causis intrinsecis* 5. 29. *discrimen in causando inter extrinsecas, & intrinsecas* 5. 45. *discrimen inter conditionem causantis, & conditionem causandi* 5. 50. *causa num respiciat effectum in communi, an etiam singulos in particulari* 5. 8. *qua ratione causæ intrinsecæ differant ab extrinsecis* 5. 136. *causarum genera quatuor* 8. 1. *quo pacto quæcunque habent rationem causæ ad illa reducantur ibid. in conceptu communi causæ non conueniunt vniuocè* 8. 2. *materialiter coincidere possunt, non formaliter* 8. 3. *quædam etiam respectu eiusdem effectus* 8. 3. *quem ordinem prioritatis in causando seruent* 8. 4. *est prioritas naturæ intelligendi ibid. causæ extrinsecæ sunt digniores intrinsecis* 8. 4. *causæ nequeunt esse sibi inuicem causæ secundum eandem rationem* 8. 6. *benè tamen secundum diuersas rationes* 8. 8.
Causa à suo effectu realiter distinguitur, & nihil potest causare seipsum 8. 21. *est simul natura cum ipso si formaliter consideretur, est verò prior materialiter inspecta* 8. 29. *opus non est hanc prioritatem esse durationis, sed sufficit prioritas naturæ* 8. 30. *causa vt sic semper est perfectior effectu* 8. 35. *intelligitur præsertim de causa totali* 8. 38. *in causis essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum* 8. 11. *quomodo causa naturalis determinetur ad hunc effectum in specie* 8. 39. *causa libera quo pacto à naturali secernatur* 8. 40. *à quo determinetur ad hunc effectum in indiuiduo* 8. 42. *causa totalis quænam sit* 8. 59. *plures causæ totales eiusdem effectus esse non possunt* 8. 61.
Causa per se, & per accidens quæ 7. 3. *quæ physica, & moralis ibid. quæ principalis, & instrumentalis proxima & remota, totalis, & partialis* 7. 4. *quæ causa prima, & vniuersalis, quæ secunda, & particularis* 6. 5. *causa totalis debet esse perfectior, vel saltim æquè perfecta cum effectu* 7. 90.
Causa secunda est verè actiua 7. 80. *causa prima prius agit, quam secunda prioritate à quo, non in quo ib. secunda nequit omnino agere sine prima* 7. 81. *& oppositum implicat nedum de facto, sed etiam de possibili* 7. 83. *causæ secundæ subordinatio ad primam qualis sit secundum Philosophos, & Theologos* 8. 13.
CAVSÆ materialis effectus qui sint, & quot 5. 18. *quæ eius ratio causandi* 5. 29. *quo sensu materia dicatur causare formam, & compositum, vt per se potentia* 5. 32. *Causalitas materiæ erga formam consistit in concursu eductiuo, seu in habitudine ex quo aliud educitur, vt ex subiecto* 5. 35. *& 38. non rectè explicatur per receptionem, & vnionem ibid. neque per generationem* 5. 37. *neque per receptionem actionis agentis ibid. causalitas eius erga compositum consistit in vnione cum forma, sed in habitudine principij potentialis ex quod aliud componitur* 5. 42. *esique eadem in fieri, & facto esse* 5. 47. *causalitas erga formam non est eadem cum causalitate erga compositum* 5. 48. *causæ materialis definitio* 5. 49. *quæ reducantur ad causam materialem ibid. quæ sit eius vera conditio causandi* 5. 52. *eius causalitas est intrinseca respectu compositi, extrinseca respectu formæ* 5. 53.
CAVSÆ formalis effectus qui sint, & quot. 5. 22. *materiam informare dicitur effectus eius primarius, aliam formam expellere secundarius ibid. causalitas formæ erga materiam consistit in eius vnione ad illam, seu actiua informatione* 5. 35. *non est tamen vera causalitas* 5. 39. *causalitas eius erga compositum consistit non in vnione cum materia, sed in habitudine principij actualis ex quo aliud componitur* 5. 42. *esique eadem in fieri, & facto esse* 5. 46. *causalitas eius erga formam non est eadem cum causalitate erga compositum* 5. 48. *causæ formalis definitio* 5. 49. *quæ reducantur ad causam formalem ibid. quæ sit eius conditio causandi* 5. 52. *erga compositum causalitas eius est intrinseca, erga materiam extrinseca* 5. 53. *nequit causa formalis ab effectu suo primario separari* 5. 54.
CAVSÆ efficientis definitio, & explicatio 7. 1. *correlatiua ipsius sunt terminus productus & subiectum transmutatum* 7. 2. *variæ eius diuisiones* 7. 3. *& seq. diuiditur præsertim in primam, & secundam, vniuocam, & æquiuocam* 7. 5. *definitio efficientis causæ non omnibus vniuocè conuenit* 7. 6. *passiones non sunt effectus causæ efficientis immediatè, sed solum mediatè* 7. 8. *nec relatio causalitatis ibid. &* 9. *cæteræ relationes sunt veri effectus* 7. 10. *quæ resultant separabiliter, & fiunt per simplicem efficientiam sunt veri effectus* 7. 12. *causa conseruans duplex* 7. 13. *quinam sint effectus conseruantis causæ ibid. causa efficiens comparari potest ad effectum, respectu cuius dicitur producens, & ad subiectum, quod patitur, respectu cuius dicitur transmutans* 7. 41. *plures causæ efficientis conditiones* 7. 48. *indiget existentia ad causandum, nec oppositum etiam de potentia Dei absoluta contingere potest* 7. 49. *non est propriè conditio eius, sed potius spectans ad complementum causæ* 7. 51. *disiunctio à passo non requiritur necessario saltim in æquiuoca actione* 7. 53. *nec necessario requiritur indistantia* 7. 64.
Causa instrumentalis, vide Instrumentum. Causa prima vide Deus. Causa exemplaris vide Idea. Causa finalis vide finis.
CAVSALITAS quæ dicat perfectionem, & quę imperfectionem 8. 5. *eius prioritas semper est realis* 8. 7 *quomodo in Deo omnium causarum causalitas contineatur* 8. 12.
COELVM est corpus naturale quæst. progm. n. 5. *&* 6. 30. *per se & directè consideratur à Philosopho ibid. quo sensu habeat principia in fieri, & facto esse ibid. num.* 11. *cęlorum formę propriè sunt eductæ de potentia materię* 2. 150. *vltimum Cęlum non est in loco actualiter, sed tantum potentialiter* 11. 53. *non est in loco quoad locare* 11. 54. *neque ratione partium quasi vna contineatur in alia, velut in loco* 11. *ibid. &* 55. *neque per propriam superficiem connexam* 11. *ibid. mouetur localiter quoad locare, non quoad locari* 11. 57. *non acquirit vbi locale passiuum, sed actiuum ibid. acquirit tamen vbi pręsentiale passiuum ibidem. Cęli motus non est simpliciter necessarius ad motus sublunares* 12. 20. *motus eius circularis est naturalis* 6. 30. *est de se indeterminatum ad motum, & quietem* 6. 31.
COMPOSITVM naturale propriè creari nequit, sed generatur 2. 149. *nequit cum suis partibus vna, & eadem actione produci* 2. 153. *compositio dupliciter sumi potest* 5. 45. *&* 147. *&* 167. *est ens per se vnum* 5. 127. *manent in ipso materia, & forma secundum proprias entitates* 5. 132. *compositum dupliciter sumi potest* 5. 147. *distinguitur realiter à suis partibus etiam vnitis* 5. 154. *per se primò terminat generationem* 5. 157. *distinctio realis inter partes, & totum est positiua, & mutua* 5. 162. *quo modo operationes conueniant composito* 5. 173. *proprie non dicitur vnitum, sed vnum* 5. 147. *&* 167. *compositum integrale à partibus vnitis non distinguitur* 5. 176. *neque compositum per accidens* 5. 182. *compositum est perfectius materia, & forma etiam vnitis* 8. 36. *nequit propriè esse terminus creationis* 2. 149.
CONCEPTVS duplex formalis, & obiectiuus 7. 143.
CONCVRSVS Dei cum causis secundis qualis sit optimè declaratur 8. 74. *quo pacto sit virtualiter multiplex ibid. eius attemperatio, & insufficientia quomodo explicanda* 8. 75.
CONSERVATIO non est distincta actio à productione 7. 44. *conueniunt in principali significato, & solum penes connotata differunt* 7. 46.
CONTACTVS sit indiuisibili 9. 77. *quomodo fiat inter diuisibile, & indiuisibile ibid. contactus triplex* 11. 76. *duplex* 7. 58.
Continentia virtualis duplex 2. 135. *qualis esse debeat vt arguat infinitam perfectionem in continente* 10. 32.
CONTINVVM quo pacto reperiatur etiam in substantia materiali circa quantitatem 9. 2. *&* 11. *&* 22. *&* 29. *quo sensu in sola quantitate reperiatur* 9. 22. *quo pacto sit per se vnum* 5. 177. *&* 130. *non constat ex indiuisibilibus* 9. 30. *quo pacto distinguatur à contiguo* 9. 42. *definitur ibid. continui partes aliæ proportionales aliæ æquales, & istarum aliæ sunt determinatæ, aliæ indeterminatæ, aliæ communicantes, aliæ non communicantes* 9. 50. *æquales, determinatæ, & non communicantes sunt finitæ, proportionales, indeterminatæ, & non communicantes minime* 9. 51. *habet æquales, & proportionales actu abinuicem realiter distinctas* 9. 52. *quo modo proportionales sint infinitæ* 9. 55. *quomodo indiuisibilia* 9. 60. *continui mirabilis compositio ibid. ad continuum extensio, & continuatio requiritur ibid. non est in continuo vna diuisio alteri immediata ibid. non potest simul diuidi in omnes suas partes* 9. 61. *plures partes, & indiuisibilia sunt in continuo maiori, quam in minori* 9. 81. *&* 92. *continuitas duplex* 9. 85. *non datur in continuo pars infinitè minor alia* 9. 59. *nec minima, nec vltima* 10. 35. *cur ex singulis continui diuisionibus possibilibus non rectè inferatur tota eius diuisio* 10. 54. *&* 56. *continuum inanime non habet terminum magnitudinis, & paruitatis* 9. 100. *Continua, contigua, simul, & consequenter se habentia explicantur* 15. 81. *quo pacto etiam quæ specie differunt continuari possint. ibid.*
CONTRARIA principia non sunt materia & forma p. 31. *sed forma, & priuatio* 132. *talis contrarietas per se est priuatiua, per accidens positiua p.* 34. *quo sensu dicantur prima contraria, & qualis sit ista primitas p.* 38. *qualis contrarietas requiratur ad motum* 15. 40.
CONTRADICTORIA semper inferunt distinctionem 2. 108. *&* 5. 153. *in nullo instanti temporis verificari possunt simul, & semel* 4. 31. *imo interdum nec per diuersa signa naturæ ibid. non datur transitus à contradictorio in contradictorium sine mutatione reali in aliqua re.* 9. 18. *contradictio quando cadit in propositione modali* 14. 6.
CONVERSIO quid dicat, & quid ad conuersionem requiratur 141. *conuersio eucharistica est substantialis, non tamen actio conuersiua ibid.*
CORPVS naturale an sit adæquatum philosophiæ obiectum, Vide Obiectum. Corporis naturalis principia. Vide Principium. Est adæquatum subiectum mobilitatis. quæ est prima passio physica q. proœm. nu. 14. *corpus naturale esse nusquam in Physica demonstratur ibid. nu.* 20. *dupliciter considerari potest, & in quo sensu sit obiectum adæquatum totius Philosophiæ, ac etiam in octo lib. Phys. quæst. proœm. ad* 8. *lib. Physic. num. p. & seq. Corpus naturale vbi definiatur ibid. num.* 3. *corpus quod manet post animæ discessum non ponitur in prædicamento* 2. 79. *corpus viuum, & mortuum quomodo differant ibid. corpus organicum dupliciter considerari potest* 2. 81. *corpus naturale est adæquatum, & proximum subiectum accidentium materialium* 3. 4. *recipit accidentia media potentia ex natura rei distincta* 3. 17. *corpus organicum in definitione animæ positiu quid dicat* 9. 44. *corpus naturale nedum habet principia cogno-*

scendi, sed etiam essendi, & tale principium est natura 5. 2. *potest dari corpus completum simplex* 5. 3. *corpus dum mouetur maius spatium occupat quam dum quiescit* 9. 63. *omnia corpora sunt in loco excepto vltimo Cœlo* 11. 53. *corporeitas non est ratio essendi in loco actualis* 11. 58. *potest corpus expoliari quocumque Vbi locali non præsentiali* 11. 58. *modus eius essendi in loco est circumscriptiuus* 11. 65. *quo sensu corporeitas sit ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptiuè* 11. 66. *corpora loco circumscriptiua sunt etiam situata* 11. 71. *Corpus Christi qualiter in Hostia existat* 11. 82. *naturaliter plura corpora eodem loco esse non possunt* 11. 102. *benè tamen supernaturaliter* 11. 106. *& hoc potest dupliciter fieri* 11. 107. *aptitudo duplex in corporibus replendi, & expellendi; cui duplex correspondet actus ibid. quomodo faciat distare latera continentis* 12. 10.

Corpus sphæricum tangit planum in puncto 9. 44. *non implicat dari tale corpus* 9. 45. *quomodo super planum moueatur* 9. 63. *nequit idem corpus naturaliter esse simul in pluribus locis adæquatis* 11. 115. *potest supernaturaliter esse in pluribus locis definitiuè* 11. 118. *quomodo corpus possit indiuisibiliter in loco constitui ibid. & 122. quid agere posset constitutiuum in pluribus locis* 11. 131. *quomodo corpus Christi sit præsens Hostiæ, & eius partibus* 11. 124. *potest etiam circumscriptiuè idem corpus poni in pluribus locis supernaturaliter* 11. 115. *poneretur in pluribus locis non per reproductionem substantialem sed per replicationem accidentalem ipsius vbi* 11. 139. *affectiones quæ dependenter à loco essent in eo diuersæ pro diuersitate locorum non autem aliæ independentes à loco* 11. 144. *quare diuersitas loci non tollat contradictionem in formis absolutis* 11. 145. *quomodo corpus hic ab igne calefactum, Romæ quoque diceretur calidum* 11. 151. *quædam formæ absolutæ, quarum informatio pendet continuò à præsentia extrinseci agentis non videntur necessario replicandæ in corpore replicato* 11. 154. *an corpus expoliari possit quocunque Vbi tam locali, quam præsentiali* 11. 58.

CORRVPTIO, & annihilatio quomodo differant 2. 56. *dupliciter sumi potest* 2. 162. *corruptionis compositi adæquata, ac integra causa sunt materia, & forma* 2. 168. *præcipua causa est forma ibid. originaria, & radicalis est materia* 2. 169. *extrinseca causa est contrarietas ibid.*

CREATVRA infinita in perfectione essentiali dari nequit 10. 25. *neque suprema est possibilis, qua perfectior dari nequeat* 10. 34. *eadem actione creatur, & conseruatur à Deo* 7. 44. *creatio connotatiuè solum à conseruatione differt* 7. 46. *ad rationem creaturæ non sufficit mediata dependentia à Deo* 7. 81. *an sub tali ratione possit ab æterno produci* 14. 4. *quam operationem habere possit creatura ab æterno producta* 14. 10. *quomodo sit præsens Deo an æternitate* 14. 20.

D

DEFINITIO quomodo explicet essentiam definiti 7. 165. *definitio duplex* 11. 21. *concretorum definitiones quo pacto exponendæ* 11. 19. *definitio propriè est concretorum* 6. 24.

DENOMINATIO duplex formalis vna, materialis altera 3. 37. *denominatio subiecti à forma est effectus eius primarius* 5. 22. *denominatio intrinseca sumitur à forma intrinseca* 7. 116. *denominatiua prædicatio duplex* 5. 141.

DEVS concurrit cum causis secundis concursu sufficienti secundum rem, & solum insufficienti secundum modum 2. 52. *&* 3. 61. *eius concursus non suscipit intensionem, & remissionem ibi potest supplere omnem causalitatem extrinsecam in absolutis, non in respectiuis* 3. 51. *eodem concursu conseruat rem cum causis secundis, ac sine illis* 3. 61. *non eodem concursu conseruat accidens absolutum, & inhærentiam eius* 3. 62. *&* 67. *concursus eductiuus, & creatiuus non differunt nisi penes connotata ibid. concursus Dei non est indeterminatus, & indifferens* 3. 63. *licet sit semper formaliter vnus, & idem, est tamen virtualiter multiplex* 3. 64. *&* 8. 47. *qui concursus dicatur naturalis, & supernaturalis* 3. 65. *&* 66. *dicitur causa per extrinsecam tantum denominationem* 5. 13. *nequit supplere causalitates intrinsecas materiæ, & formæ* 5. 53. *quo sensu se solo facere possit, quod agit mediante causa secunda* 5. 53. *nec supplere potest causalitatem extrinsecam formæ in materiam* 5. 54. *potest supplere causalitatem materiæ erga formam in genere causæ efficientis* 5. 55. *efficienter solum concurrit cum causis secundis cuiuscunque sint generis* 8. 11. *in sententia Arist. necessario concurrit cum causis secundis* 8. 13. *& per hoc concessit contradictiones latentes* 8. 16. *Deus modo non auferret libertatem causarum secundarum per suum concursum* 8. 17. *si ageret necessario, & naturaliter auferret libertatem* 8. 19. *determinat causas ad effectus in indiuiduo* 8. 42. *cur non dicatur causa peccati* 8. 47. *&* 7. 86. *quomodo dicatur cognoscere simul omnes diuisiones continui* 9. 70. *non potest continuum diuidere simul in omnes suas partes* 9. 96. *Deus potius est cum loco, quam in loco* 11. 59. *ratione suæ immensitatis est in hoc vniuerso, & quoque entia in spatio imaginario* 11. 93. *non tamen tanquam in loco* 11. 94. *si non esset in spatio imaginario posset moueri per illud* 11. 96. *quo sensu Deus possit dici natura* 6. 12. *Deus influit in omnes effectus causarum secundarum immediatè* 7. 81. *quare Deus dicatur naturaliter concurrere ad infusionem animæ* 7. 133. *&* 135. *vndè Deus dicatur agens naturale, & supernaturale* 7. 139. *quo pacto dicatur agere propter finem* 7. 291.

DEPENDENTIA causati à causa qualis sit 5. 7. *dependentia creaturæ ad Deum est illi realiter identificata* 5. 9. *Dependentia relationis ab extremis qualis, & quanta.* 3. 47. *&* 50. *quale sit discrimen inter dependentiam essentialem, & accidentalem* 5. 82. *Dependentia effectus à causa quo pacto sit essentialis* 8. 55. *&* 61. *qualis sit dependentia totalis* 8. 64.

DISTINCTIO semper infertur à contradictione, & talis, qualis est ipsa contradictio 2. 108. *realis est duplex* 4. 9. *distinctio Modalis Recentiorum potius debet dici realis* 5. 109. *distinctio rationis duplex ratiocinantis, & ratiocinatæ* 5. 152. *distinctionis realis regula & inditium.* 5. 154. *distinctio realis totius, & partium est positiua & mutua.* 5. 162. *ad mutuam distinctionem opus non est extrema posse ab inuicem separari, & separata existere* 5. 163. *distinctio; & identitas essentialis tripliciter sumi solet* 5. 164. *distinctio inter includens, & inclusum declaratur* 5. 169. *realis distinctio duorum non infert exclusionem vnius ab alio* 5. 171. *distinctio inter causam, & effectum semper est realis* 8. 21.

DISPOSITIO alia de genere causæ materialis, alia de genere causæ efficientis 5. 38. *&* 5. 94. *non est necesse, quod semper recipiatur immediatè in subiecto, quod disponit* 5. 87. *dispositiones præuiæ recipiuntur in composito præcedente, non in materia prima* 5. 88. *aliquæ dispositiones comitantur formam, non antecedunt.* 5. *ibid. ad quid sint necessariæ dispositiones in materia* 5. 89. *in quo genere concurrant ad introductionem substantialis formæ disp.* 2. 109. *& disp.* 5. 90. *&* 99. *duo genera dispositionum* 5. 94. *concursus earum ad generationem formæ est instrumentalis* 5. 99.

DVRATIO quid formaliter dicat 13. 4. *non dicit quid ab existentia ex natura rei distinctum, nec vt rem à re, nec vt modum* 13. 5. *non dicit formaliter negationem desitionis, vt quid ab existentia distinctum* 13. 6. *neque respectum permanentiæ ibid. sed existentiam rei connotando respectum coexistentiæ ad durationem aliquam imaginariam.* 13. 7. *res per instans existens quomodo durare dicatur* 13. 8. *duratio ab existentia differt solum pœnes connotata* 13. 8. *quomodo duratio spectet ad prædicamentum Quando* 13. 9. *nullum ens permanens tempore durat* 13. 24. *nec tempore discreto* 13. 25. *quæ habent eundem permanendi modum eodem modo durant* 13. *quomodo distinguatur à re durante* 13. 36. *tres tantum sunt durationis species non plures.* 13. 41. *cur duratio non dicat respectum coexistentiæ ad diuinam æternitatem, vt virtualiter diuisibilem, sicut coexistentia localis dicit respectum ad diuinam immensitatem virtualiter diuisibilem* 14. 18. *&* 19. *respectus coexistentiæ, quem connotat ad tempus imaginarium, quo pacto dicatur rationis, & non realis* 13. 10.

E

EFFECTVS à causa creata non dependet essentialiter simpliciter 3. 63. *effectus causæ materialis* 5. 18. *effectus causæ formalis* 5. 22. *effectus quilibet in quocunque genere causæ realiter à sua causa distinguitur* 5. 155. *&* 8. 21. *supponit existentiam suæ causæ* 8. 7. *supponit suam causam natura priorem, non tempore* 8. 30. *indiuiduatio eius vndè proueniat* 8. 43. *quare nequeat à causa secunda reproduci* 7. 45. *nullus effectus in indiuiduo de se petit hanc potius causam, quam illam.* 8. 50. *in quo consistat dependentia effectus à sua causa.* 8. 55. *idem à pluribus causis totalibus esse nequit.* 8. 61. *quinam effectus fiant per risultantiam.* 7. 7. *& seq. quinam per simplicem efficientiam* 7. 12. *quinam à sua causa dependeant non solum in fieri, sed etiam in conseruari* 7. 13. *qui sint effectus efficientis causæ* 7. 7. *& seq. effectus omnes creati pendent essentialiter à Deo in suo fieri* 7. 81. *nec sufficit dependentia mediata.* 7. 83. *effectus supernaturalis vnde dicatur* 7. 134. *&* 136. *effectus causæ finalis qui sint* 7. 208. *& seq. quinam sit effectus fortuitus* 7. 213. *qui causalis ibid. effectus ad vtrumlibet non sunt fortuiti ib. quo pacto in effectu per accidens reperiatur quoque causa per se* 7. 214. *respectu Dei nullus datur effectus fortuitus* 7. 215.

ELEMENTVM quomodo differat à principio, & causa in exposit. text. num. 1. *quomodo vnum elementum conseruetur ab alio* 11. 37. *quomodo in elementis symbolis dicatur facilior transitus* 3. 6.

ENS reale dicitur tale per ordinem ad realem existentiam possibilem 10. 68.

ENS quomodo teneatur in definitione principiorum p. 4. *ex quolibet non fieri quodlibet ipso sensu intelligitur* 1. 37.

EXEMPLAR internum, & externum 7. 143. *ratio exemplaris interni, quod est Idæa ab externo debet deduci* 7. 146.

EXISTENTIA non distinguitur realiter ab essentia 2. 28. *duplex est partialis, & completa ib. quo sensu dicatur perfectissimus effectus, & vltima actualitas rei* 2. 32. *re vera est imperfectior ipsa essentia* 2. 46. *non est actus secundus formæ substantialis, sed potius ipsius essentiæ* 2. 47. *est simpliciter necessaria ad causandum* 8. 7. *non mensuratur per instans naturæ* 8. 32. *correspondet productioni, sicut duratio conseruationi* 13. 3.

F

FATVM in quo sensu non sit admittendum 7. 223. *in quo sensu admitti debeat, & eius definitio* 7. 224. *quomodo sit vnum, & multiplex ib. spectat ad varia causarum genera ibid. quo pacto à casu, & fortuna differat ibid.*

FIGVRA duplex intrinseca, & extrinseca 9. 15. *&* 3. 60. *&* 11. 122. *dupliciter accipi potest* 3. 44. *non importat propriè quid absolutum ibid. &* 6. 53. *est modus connaturalis quantitati* 3. 60. *quomodo distinguatur à re figurata* 6. 53.

FINIS cur dicatur prima causa, & causa causarum 8. 4. *eius definitio* 7. 160. *multipliciter diuiditur ibid. finis cuius & cui sunt verè fines ita tamen vt ex vtroque vnus integer fiat* 7. 161. *finis non vltimus est quoque verè finis* 7. 164. *ordinatio ad vlteriorem finem non tollit ab eo propriam finis rationem ibid. finis triplex verus, apparens, & præfixus ibid. solum bonum potest esse finis voluntatis, non malum, vel indifferens* 7. 168. *nedum verum, sed etiam apparens, & præfixum* 7. 170. *causalitas finis consistit in motione efficientis ad agendum* 7. 176. *finis non mouet actu antequam agens agat* 7. 178. *eius motio non est realis sed metaphorica* 7. 179. *& eius causalitas non est realis, & physica, sed moralis* 7. 181. *vt causet debet habere esse cognitum* 7. 189. *non tamen causat secundum esse cognitum, sed secundum esse reale.* 7. 191. *præcipua finis munera ibid. futuritio consecutionis finis est conditio sine qua non similiter & cognitio finis* 7. 193. *non est causa physica, & realis, sed moralis* 7. 197. *finalis causa quo pacto detur in Deo* 7. 201. *verè datur in intellectuali agente creato* 7. 204. *quo pacto detur in agentibus naturalibus* 7. 205. *ac etiam in brutis* 7. 206.

FORMA est principium in fieri rerum naturalium 1. 17. *est principium per modum termini ad quem* 1. 23. *quo pacto possit esse finis, & principium generationis* 1. 25. *&* 28. *forma substantialis datur in rerum natura* 2. 2. *dat esse specificum, & completum, sed non quocunque entitatiuum* 2. 18. *definitur, & à forma accidentali secernitur* 2. 24. *materialis nequit naturaliter sine materia existere* 2. 41. *benè tamen supernaturaliter* 2. 43. *non indiget nouo perfeitatis modo, neque concursu maiori, vt sic separata conseruetur* 2. 50. *&* 51. *Forma materiam informat nedum secundum gradum genericum formæ, sed etiam specificum, & indiuidualem* 2. 85. *&* 98. *nulla quantumcunque perfecta satiat adæquate appetitum materiæ* 2. 134. *forma suo modo dici potest appetere materiam* 2. 136. *non continetur actu secundum aliquid sui in materia ante generationem* 2. 138. *non fit sola virtute alicuius agentis separati neque à Cœlo* 2. 241. *cur non dicatur creari, & ex nihilo fieri* 2. 139. *omnis forma materialis educitur de potentia materiæ* 2. 143. *quo sensu forma per se fiat, & propria producatur productione* 2. 145. *ad eductionem formæ opus non est materiam duratione præcedere formam* 2. 147. *nec requiritur, quod sit in potentia naturali, vel neutra subiecti* 2. *ibid. quid propriè sit formam educi de potentia materiæ* 2. 148. *omnes formæ materiales etiam Cœlorum, & elementorum educuntur de potentia materiæ* 2. 150. *forma non satians materiæ appetitum est causa præcipua corruptionis* 2. 168. *forma non est ita ratio agendi, vt non etiam sit ratio patiendi* 2. 180. *est effectus materiæ* 5. 21. *formæ nouæ introductio absolutè prior est expulsione antiquæ* 5. 25. *forma noua expellit antiquam ingenere causæ formalis ibid. non potest forma propria virtute vniri materiæ pro ea dispositione* 5. 27.

Forma duplex subordinata, & disparata 5. 57. *plures subordinatæ substantiales possunt esse in eadem materia* 5. 58. *formarum pluralitas non obstat vnitati compositi* 5. 59. *subordinata constituit rem in specie incompleta* 5. 60. *est dispositio ad formam perfectiorem* 5. 61. *disparatæ naturaliter nequeunt in eadem materia simul esse, sed supernaturaliter possunt* 5. 64. *& tunc constituerent duo composita essentialiter distincta, & secundum quid eadem* 5. 66. *& vnum compositum de altero non diceretur* 5. 67. *quo pacto se haberent in agendo* 5. 68. *qualis sit potentia materiæ ad formas disparatas* 5. 70. *nequit eadem forma naturaliter informare plures materias adæquatas ab inuicem diuisas* 5. 73. *potest supernaturaliter plures materias partiales diuisas informare, non tamen plures totales siue vnitas, siue diuisas* 5. 76. *virtus informatiua formæ num possit augeri* 5. 80. *forma substantialis immediatè materiam informat nulla mediante quantitate, aut qualitate.* 5. 87. *est principalior pars quidditatis* 5. 139. *forma partis, & forma totius* 5. 140. *forma est perfectior materia quoad entitatem* 8. 36. *est etiam magis natura* 6. 36.

Forma substantialis est actiua, sed eius actiuitas à priori demonstrari non potest, sed tantum à posteriori 7. 87. *nam formæ imperfectiores interdum sunt similium productiuæ, non perfectiores ibid. non omnes producuntur à Cœlo, vel à Deo, sed vna potest alteram producere* 7. 88. *formæ permanentes, & successiuæ, & forma creata in subiecto certo quomodò incipiant, & desinant* 14. 31. *&* 32.

Forma corporeitatis necessaria est in viuentibus 2. 67. *præsertim vt det esse corporeum, & extensum* 2. 33. *quid importet corporeitatis forma in viuentibus* 2. 74. *&* 81. *in cœteris corporibus talis forma non est necessaria* 2. 75. *non continetur virtualiter in anima* 2. 78. *est ipsa forma mixtionis* 2. 79. *quo sensu dicatur dare esse genericum absque specifico & forma generica ibid. quælibet pars organica habet suam formam partialem corporeitatis* 2. 81. *non facit cum materia ens completum* 5. 62. *qualis sit vnitas corporis pro altera parte* 5. 181.

Forma accidentalis est actus secundum quid, & secundarius 3. 1. *eius differentia à forma substantiali* 2. 24. *&* 5. 129. *cur cum subiecto non faciat ens per se vnum* 5. 129. *quo sensu dici possit perfectior substantiali* 5. 131. *Forma artificialis quid sit* 6. 53. *quomodo distinguatur à naturali* 6. 149.

FORTVNA quid hoc nomine intelligatur 7. 211. *quid sit propriè* 7. 212. *in quo differat à causa ibid. propriè spectat ad causam efficientem* 7. 214. *cur in sapientibus, & prudentibus modica sit fortuna* 7. 215. *fortunæ bona, vel mala ibid.*

G

GENERATIO sumi potest sub ratione mutationis, vel productionis 1. 11. *eius principia sunt tria sub ratione mutationis* 1. 17. *vide Principium generatio vnius quo sensu sit corruptio alterius* 1. 34. *quo sensu dicatur mutatio totius in totum* 2. 3. *&* 5. 63. *generatio, & eductio etiam sine mutatione propriè dicta possunt exerceri* 2. 151. *generatio sumitur dupliciter* 2. 162. *generatio & creatio differunt ratione connotati* 3. 62. *non est causalitas materiæ erga formam* 5. 37. *generatio vnius est corruptio alterius quomodo intelligatur* 5. 63. *generationum impuritas vndè proueniat* 5. 94. *generatio vniuoca, & æquiuoca quo pacto specie differant.* 15. 78.

GENVS quomodo eius natura sit vna in omnibus speciebus per solam indifferentiam, non per inexistentem 10. 42. *an eius potentia ad differentias sit vna, vel multiplex ibid.*

GRATIA in anima an producatur per creationem, vel eductionem 3. 74. *gratia Christi fuit physicè finita* 10. 77.

GRAVE cur velocius moueatur in fine, quam in principio 11. 37. *graue infinitum an moueretur in instanti* 10. 72. *an moueretur in vacuo* 18. 12.

H

HABITVS supernaturalis non est tota ratio agendi intellectiui, & voluntatis 7. 127. *an necessariò requiratur ad agendum supernaturaliter* 7. 134.

HOMO si creatus esset ab æterno quas operationes habuisset, 14. 10.

I

IDEA, eius ethimologia, ac definitio 7. 143. *solùm in agente intellectuali reperitur ibid. potest applicari conceptui formali, sed propriè est conceptus obiectiuus* 7. 145. *quo pacto conceptui formali possit adaptari* 7. 147. *quæ sint eius munera* 7. 149. *discrimen idææ creatæ, & diuinæ quod illa est practica, non ista ibid. non est de ratione idææ, quod differat ab idæato, vel sit eadem cum ipso* 7. 151. *est causa moralis idæati, non realis, dirigens nempè, ac regulans in intellectu creato.* 7. 153. *non autem in intellectu diuino* 7. 154. *constituit genus causæ distinctum ab alijs* 7. 155. *vt respicit effectum spectat ad genus causæ efficientis* 7. 156. *vt respicit agens potest habere rationem formalis causæ ibid. finis, & idæa possunt materialiter coincidere, non formaliter* 7. 158.

IDEM potest mouere seipsum, vt agens æquiuocum, non vniuocum 15. 98.

IDENTITAS duorum est sufficiens, non præcisa causa inseparabilitatis eorum 3. 53. *&* 5. 168. *idem potest agere in seipsum actione æquiuoca* 7. 54.

INCEPTIO modi incipiendi quot, & qui sint 14. 22. *incæptio, & desitio est intrinseca, vel extrinseca ibid. præter istos duos modos incipieudi, & detinendi non datur alius* 14. 23. *incæptio, vel desitio indeterminata non datur ibid. successiua incipiunt, ac desinunt extrinsecè* 14. 25. *& eodem modo incipit, ac desinit quies priuatiua ibid. permanentia quæ simul accipiunt esse intrinsecè incipiunt, & extrinsecè desinunt* 14. 30. *sic etiam composita, quæ successiue accipiunt esse, si considerentur, vt entia perfecta, & completa ibid. formæ contrariæ, ac etiam forma, & priuatio nequeunt incipere, & desinere intrinsecè, altera extrinsecè, aut è contra* 14. 31. *quomodo forma certa desinat per aduentum formæ habentis primum, mutatum esse* 14. 32. *differentia inter desitionem entis per se successiui, vt est motus, & successiui per accidens ibid. breuius explicantur modi incipiendi, & desinendi, & res illis incipientes, vel desinentes* 14. 44.

INDIVISIBILE triplex physicum, metaphysicum, & mathematicum 9. 29. *indiuisibile additum indiuisibili non facit maius* 9. 30. *indiuisibile corporeum nec formaliter, nec virtualiter est diuisibile* 9. 32. *nec partes habet, nec latera* 9. 34. *&* 35. *dantur in continuo tam continuatiua indiuisibilia, quam terminatiua* 9. 40. *quomodo continuatiua sint infinita* 9. 60. *cur indiuisibili corporeo repugnet spiritualis extensio* 9. 66. *cur indiuisibile spirituale additum indiuisibili faciat maius ibid. indiuisibile corporeum additum indiuisibili facit plus, non maius* 9. 66. *indiuisibile physicum potest successiuè pertransiri* 9. 67. *indiuisibilia quomodo ingrediuntur definitionem continui* 9. 68. *quo pacto indiuisibilia dicantur vniones partium* 9. 74. *indiuisibilia substantialia dantur* 9. 75. *quomodo indiuisibile tangat partem* 9. 77. *non est extra partem ibid. quomodo sit immediatum diuisibili ibid.*

Indiuisibile rursus multiplex 14. 33. *instans, & instantanea mutatio incipiunt, & desinunt intrinsecè ibid. quomodo incipiant, ac desinant indiuisibilia permansiua* 14. 34. *nec per potentiam Dei absolutam possunt extrinsecè incipere* 14. 35. *res indiuisibiliter producta potest durare per solum instans* 14. 79. *indiuisibile duplex spirituale, & materiale* 15. 88. *indiuisibile tam coniunctum, quam separatum potest successiuè moueri* 15. 90. *indiuisibile spirituale potest esse in loco diuisibili* 11. 63.

INDIVISIBILIA à sensu non percipiuntur 9. 72. *propriè nec generantur, nec corrumpuntur ibid. omnia collectiuè non sunt à partibus separabilia.* 9. 73. *ad quid inseruiant* 9. 76.

INFINITVM categorematicum, & sincategorematicum declaratur 9. 95. *&* 10. 2. *hoc mediat quodammodo inter simpliciter finitum & infinitum ibid. quid sit infinitum* 10. 1. *infinitum multiplex ibid. definito infiniti tradita ab Arist.* 3. *Physic.* 62. *conuenit infinito sincategorematico tantùm* 10. 2. *quo sensu etiam categorematico competere possit* 10. 3. *definitio infiniti in actu, seu categorematici. ibid. discrimen inter hæc duo infinita* 10. 4. *&* 5. *qualis sit infinitas necessaria ad infinitum sincategorematicum* 10. 7. *vnde dicatur infinitum categorematicum, vel sincategorematicum ibid. infinito categorematico nequit fieri additio, benè tamen sincategorema ico ibid. &* 22. *nullum infinitum potest mensurari, vel pertransiri* 10. 10. *quomodo dicatur ignotum* 10. 11. *an vnum infinitum sit maius alio* 10. 12. *non datur maius, & minus in infinito categorematico* 10. 14. *datur in sincategorematico* 10. 16. *infinitas non est vna forma indiuisibilis* 10. 15. *categorematicum intrinsecè infinitatem attingit, non sincategorematicum* 10. 16. *num infinito possit addi, vel detrahi* 10. 18. *categorematicum additionem, vel detractionem non patitur* 10. 19. *infinitum sincategorematicum duplex* 10. 22. *quo pacto fieret ei additio* 10. 23. *infinitas essentialis duplex* 10. 24. *nequit dari species categorematicè infinita in perfectione* 10. 25. *aliud est infinitum simpliciter, aliud in genere, & ex hoc nequit illud argui ibid. quo pacto possit deduci* 10. 27. *in perfectione essentiali specierum datur processus in infinitum* 10. 34. *infinitum sincategorematicum in multitudine negari non potest* 10. 44. *categorematicum verò repugnat omninò,* 10. 45. *nequit dari infinitum infinities infinitum* 10. 47. *infinitas adæquata, & inadæquata seipsam destruit* 10. 50. *infinitum sincategorematicum est totum quoddam indeterminatum, & confusum, quod nequit vnica productione produci* 10. 54. *categorematicum in magnitudine prorsus repugnat* 10. 60. *non vero sincategorematicum* 10. 65. *item repugnat categorematicum in qualitate* 10. 71. *non tamen sincategorematicum* 10. 79. *& quod hoc eadem ratio est de quantitate, & qualitate* 10. 80. *infinitum in actu, & categorematicum neque datur in mente diuina in esse obiectiuo* 10. 95. *qualis sit potentialitas infiniti sincategorematici* 10. 100. *infinitas peccati qualis sit* 10. 77.

INHÆRENTIA actualis distinguitur reipsa ab accidente absoluto 3. 48. *non tamen alia inhærentia inhæret, sed seipsa ibid.*

INSTRVMENTVM multiplicitèr sumitur 7. 69. *instrumentum propriè sumptum triplex est, supernaturale, naturale, & artificiale ibid. artificiale ad tria inseruit* 7. 70. *aliud coniunctum, aliud separatum vel secundum esse, vel secundum causalitatem* 7. 71. *non omne instrumentum actiuum est* 7. 72. *& actio nullo modo attingit terminum principalis agentis* 7. 73. *nec subordinatio, neque improportio præcisè cum effectu constituit causam instrumentalem* 7. 74. *nec etiam eleuatio* 7. 76. *propria definitio instrumenti, atque verum discrimen a causa principali* 7. 77. *reducitur ad genus causæ efficientis, etiamsi ad alia quoque causarum genera possit aliquo modo spectare* 7. 78.

INTELLECTVS ad hanc vel illam intellectionem limitatur ab obiecto 8. 39. *creatus non est infinitæ virtutis, esto plures producat intellectiones* 10. 31. *habet virtutem actiuam in suo ordine producendi actus supernaturales* 7. 116.

LIBERTAS est essentialis voluntati, non vsus libertatis 8. 19. *cum qua necessitate persistat* 8. 14. *quam Dei libertatem agnouerit Arist. ibid. libertas primæ causæ est radix libertas secundarum, & contingentiæ effectuum* 8. 17. *libertas creata aufertur si Deus ad extra agere necessario* 8. 19. *libertas voluntatis in qua indeterminatione consistat* 8. 40. *libertas specificationis, & exercitij* 8. 46. *&* 7. 172.

LINEA non fit ex punctis 9. 64. *à centro ad circumferentiam duci possunt lineæ ad omnia eius puncta* 9. 80. *linea giratiua columnæ an sit infinita* 10. 66. *& seq.*

LOCVS varius habet acceptiones 11. 1. *in qua formaliter consistat* 11. 2. *quid sit pro materiali* 11. 3. *nec spatio, nec positioni, quam habent corpora in vniuerso, conuenit ratio loci* 11. 4. *& 7. qua ratione dicantur res in hoc, vel illo loco per comparationem ad centrum, & polos* 11. 12. *locus verè & proprie est sola superficies* 11. 13. *quomodo conueniat loco conseruare locatum* 11. 19. *loci definito* 11. 20. *eius attributa ib. definitur per superficiem, ve uti per subiectum, non per genus.* 11. 21. *est ens connotatiuum, non absolutum ibid. eius definitio non est quidditatiua ibid. per se primò non dicit superficiem, sed respectum continentiæ* 11. 22. *immobilitas non est ratio formalis constitutiua loci ibid. definitur locus proprius non communis* 11. 23. *quomodo sit continens locatum* 11. 24. *&* 25. *quomodo sit immobilis* 11. 26. *qualis immobilitas requiratur ad locum ibid. &* 27. *licet sit immobilis localiter, est tamen mobilis motu corruptionis* 11. 27. *& adhuc etiam est incorruptibilis per æquiualentiam ibid. locus duplex communis, & propriut* 11. 28. *vas & locus quo pacto differant* 11. 29. *loci attributa conueniunt superficiei* 11. 30. *quomodo sit æqualis locato ibid. immobilitas est cuiuslibet loci proprietas ibid. loci vnitas vel multiplicitas non desumitur ex respectu ad centrum, & poli* 11. 32. *neque loci immobilitas absolutè loquendo inde sumi potest ibid. neque ex respectu continentiæ qui sit immobilis* 11. 33. *neque ex immobilitate spatij fixi* 11. 34. *penes quid proprie sit attendenda loci immobilitas* 11. 35. *seorsum, & deorsum non sunt differentiæ essentiales loci* 11. 36. *conseruare locatum conuenit loco naturali* 11. 37. *quo sensu dicatur locus locatum attrahere ibid. est terminus extrinsecus localis motus* 11. 40. *penes quid attendi debeat loci vnitas, vel diuersitas* 11. 49. *omnes substantiæ spirituales sunt in loco excepto Deo* 11. 59. *& omnia corpora excepta vltima sphæra* 11. 53. *spiritus sunt in loco definitiuè, nan circumscriptiuè* 11. 60. *locus est terminus extrinsecus rei locatæ* 11. 63. *vide Angelus.*

Locus, & esse in loco an vniuocè conueniat rebus omnibus 11. 64. *varij modi essendi in loco declarantur ibid. inter locum, & locatum qualis sit adæquatio* 11. 113. *localis comprehensio qualis sit* 11. 128. *quomodo locus dicatur terminus rei locatæ* 11. 129. *nequit idem corpus esse naturaliter in pluribus locis, neque plura corpora in eodem loco* 11. *nu.* 102. *&* 115. *vide Corpus.*

LVMEN quomodo recipiatur in corpore opaco, & diaphano 9. 41. *est latum, non profundum in corpore ibid. quomodo transeat per præuium corpus ibid. lumen gloriæ non est tota ratio agendi intellectui ad visionem beatificam* 7. 127.

M

MALVM vt sic nequit esse obiectum volitionis 7. 169. *nec amoris siue amicitiæ siue concupiscentiæ ibid.*

MATERIA est principium in fieri rerum naturalium 1. 17. *est principium mutationis per modum subiecti aliter se habentis nunc quam prius* 1. 23. *est principium cuiuscunque mutationis physicæ* 1. 24. *eius potentia, & dispositiones diuersum modum principiandi ab ea noa exercent* 1. 20. *non est contraria formæ* 1. 31. *materia prima datur in rerum natura* 2. 2. *est distincta à quatuor elementis* 2. 1. *quæstio de eius actu entitatiuo est de nomine* 2. 6. *est entitas substantialis actu existens à forma realiter distincta, & actum habet entitatiuum* 2. 8. *quid per actum entitatiuum intelligi debeat* 2. 10. *& 17. est substantia eorporea* 2. 13. *quare dicatur ens in potentia* 2. 15. *quo sensu à forma dicatur primò diuersa* 2. 20. *eius definitio assignatur, & explicatur* 2. 23. *cur dicatur genus physicum* 2. 26. *habet propriam existentiam partialem independenter à forma* 2. 28. *& cum ea permanet sub vtroque termino mutationis* 2. 29. *est terminus creationis* 2. 31. *est indiuiduum incompletum* 2. 33. *quo sensu propriam habeat subsistentiam* 2. 38. *naturaliter nequit esse sine forma* 2. 41. *talis necessaria coexigentia ex conditione naturæ vniuersalis potius, quam particularis ipsius materiæ auspicanda est ibid. est magis independens, quam forma ibid. supernaturaliter potest sine forma conseruari* 2. 43. *à forma habet esse specificum extrinsecum, & aduentitium* 2. 45. *separata à forma esset in specie determinata entis, & substantiæ incompletæ ibid. est capax existentiæ citrà formam* 2. 46. *magis pendet à quibusdam formis accidentalibus ipsam naturaliter consequentibus quam ab ipsa forma substantiali* 2. 41. *non indiget nouo perfeitatis modo, neque nouo concursu maiori, vt separata conseruetur à forma.* 2. 49. *est vna specie athoma etiamsi in Cœlis admittatur* 2. 59. *est numero multiplicata sub diuersis formis* 2. 60. *si daretur in Angelis esset vna vnitate generica* 2. 61. *specifica vnitas materia positiua est, non negatiua* 2. 65. *de facto est vna specie materia omnium corporalium, at de possibili posset esse diuersa* 2. 64. *quiescit naturaliter sub quacunque forma* 2. 86. *considerari potest in prima, & secunda notione* 2. 112. *appetit formam* 2. 124. *materia semper est prior natura ipsa forma* 2. 152. *quomodo cognoscibilis sine ordine ad formam* 2. 158. *quomodo cum ordine ad formam* 2. 150. *quomodo ingenerabilis & incorruptibilis* 2. 163 *est causa corruptionis non adæquata, & præcipua, sed originaria, & radicalis* 2. 169. *quare dicatur potentia contradictionis ibid. non habet quantitatem interminatam coæuam* 2. 173. *non ita patitur, vt nullo modo agat* 2. 179. *quorum accidentium possit esse subiectum* 3. 3. *prius respicit actum substantialem, quam accidentalem* 5. 87. *materiæ indifferentia determinatur ab agente* 5. 91. *materia prima, & secunda* 5. 92. *est pars quidditatis compositi substantialis* 5. 138. *materia totius, & partis* 5. 140.

Materiæ potentia erga formam, & compositum distincta est ex natura rei 2. 82. *ad singulas formas est naturaliter indeterminata* 2. 83. *habet simultaneam potentiam ad omnes, sed non prosimul* 2. 88. *&* 94. *potentiam materiæ respicit formam vel proximè, vel remotè, vel remotissimè* 2. 90. *materia quomodo sit in potentia naturali etiam ad formas corruptas* 2. 91. *alia proxima, alia remota ad formas* 2. 95. *remota est vna, proxima multiplicatur ad multiplicationem formarum ibid. capacitas materiæ ad infinitas formas non concludit in ea infinitam virtutem receptum* 2. 98. *potentia materiæ alia receptiua formarum; alia sustentatiua* 2. 99. *& distinguuntur ab inuicem ex natura rei* 2. 100. *in materia potentia receptiua formæ substantialis distinguitur ex natura rei formaliter à potentia receptiua forma accidentalis* 2. 107. *potentia materiæ tripliciter sumi potest* 2. 111. *&* 125. *non est de essentia materiæ in primo modo* 2. 112. *nec accidens superadditum, sed eius connaturalis proprietas* 2. 119. *aduenienie actu cessat potentia quoad priuationem connotatam* 2. 112. *nec eius potentia ad formas accidentales est accidens* 2. 120.

Materiæ appetitus quid 2. 124. *in recto non differt ab eius naturali potentia* 2. 125. *est ad formas etiam in particulari* 2. 126. *est vnus ad omnes, & singulas* 2. 125. *tripliciter sumi potest ibid. quo sensu priuatio sit eius causa* 2. 127. *non est æqualis ad omnes, sed maior ad perfectiores formas* 2. 129. *dum est materia sub perfectiori forma appetit adhuc minus perfect m* 2. 134.

Materiæ priuatio, materia secundum se nec est priuata, nec non non priuata forma formaliter loquendo 4. 87. *Vide verbum Priuatio, est priuata forma subsequenti, cum est sub antecedenti* 1. 22.

MENSVRA duplex actiua, & passiua 13. 2. *actiua duplex* 13. 42. *quatuor requiruntur ad mensuram ibid. dupliciter sumitur* 13. 43.

MIXTA cur aliqua sint impura 5. 93.

MODVS perfeitatis non est necessarius in accidente separato 3. 55. *an modi educantur de potentia materiæ* 2. 153. *&* 3. 70. *mo-*

70. modus nequit existere sine re, cuius est modus 11. 45. vnius rei modificatæ seipso, non alio modo 11. 46. omnis modus accidentalis est entitas respectiua 11. 45. modus non habet distinctam præsentiam à re modificata 11. 146.

MOBILITAS qualis sit prima, & communissima passio in philosophia considerata quæst. proæm. num. 9. eius primum, & adæquatum subiectum est corpus naturale, ibid. 14.

MONSTRVM quid sit. 7. 219. propriè datur in animalibus, ibid. respectu causæ particularis est effectus per accidens, & casualis 7. 220. in quo deficiat à casuali effectu, 7. 221.

MOTVS proximum, & adæquatum eius subiectum est corpus de genere substantiæ 3. 5. dupliciter sumi potest 6. 17. motus in definitione naturæ positus stat pro accidentali ibid. & pro motu materialiter sumpto, vt coincidit cum actione 6. 21. motus naturalis quinam dicatur 6. 42. quinam violentus 6. 43. motus dicitur simpliciter naturalis à forma, secundum quid à materia 6. 37. præter naturalem, & violentum datur neuter 6. 44. alius est acquisitiuus alius deperditiuus 15. 3. motus incommuni ad mutationem substantialem, & accidentalem non est passio corporis naturalis adæquata 15. 48. motus vt est passio corporis naturalis non distinguitur a mutatione essentialiter, quia habeat terminos positiuos ibid. nec per successiuum & instantaneum 15. 50. sed quia terminus ad quem motus est esse accidentale, mutationis verò substantiale ibid. motus qui est passio physica esse potest etiam instantaneus 15. 54. quinam successiuè fiant 15. 60. omnes motus successiui fieri possunt in instanti per Dei potentiam excepto locali totam realitatem motus includente 15. 67. ad motum quinque concurrunt 15. 73.

MOTVS accipitur vt communis ad motum propriè dictum, & ad mutationem proprie dictam 15. 1. multa in motu consideranda veniunt. ibid. dupliciter spectari potest secundum essentiam suam, & prout modo naturali exercetur 15. 3. motus naturalis, & physicus dicit successionem termini ad quem posterioris post terminum à quo priorem immediatè præcedentem in subiecto 15. 3. non potest motus formaliter quod absoluum præferre ibid. non potest dicere quantitatem successiuam de genere absoluti 15. 4. nec relationem formæ ad agens 15. 5. nec actionem solam, aut actionem, & passionem simul 15. 6. nec respectum informationis de principali significato 15. 7. sed successionem informationis in subiecto ad non informationem immediatè præcedentem ibid. vt abstrahit à naturali, & supernaturali dicit præfatam successionem præscindendo à subiecto 15. 8. motus secundum essentiam suam potest extrà subiectum exercere ibid. materialiter sumptus est in tot prædicamentis, quot sunt formæ per motum acquisibiles 15. 10. sumptus pro informatione passiua subiecti est in prædicamento motus ibid. formaliter sumptus reducitur ad prædicamentum sui termini ibid. motus est respectus secundum quid realis, non simpliciter ibid. non est forma fluens 15. 3. & 12. distinguitur realiter à subiecto, termino, actione, & passione 15. 21. eius definitio fusè explicatur 15. 24. per actum intelligitur receptio formæ, qua subiectum actuatur 15. 25. per quatenus in potentia nequit intelligi agens ibid. neque terminus 15. 27. sed subiectum commune ad mutationem substantialem, & accidentalem 15. 28. per ly quatenus in potentia, significatur ordo ad non esse immediatè præcedens 15. 31. aliæ motus definitiones concidunt cum ista 15. 32. hæc defini.io competit tantum motui physico, & naturali 15. 34. conuenit etiam mutationi instantaneæ ibid. motui quoque deperditiuo, violento, & neutro 15. 37. quomodo intelligatur motum inter contraria fieri 15. 41. motus est ad quatuor prædicamenta substantiam, quantitatem, qualitatem, & Vbi 15. 56. in cæteris non reperitur 15. 57.

Motus localis fit inter terminos specie diuersos 11. 15. & per translationem localem mobilis 11. 16. debet habere terminum realem 11. 39. factus in vacuo non propriè dicitur localis 11. 49. motus lationis secundum totam realitatem suam ita fieri potest in vacuo, sicut in pleno 11. 57. motus lationis qua ratione differat à locali ibid. fieri potest in vacuo 2. 17. quinam esset terminus eius 12. 20. esset successiuus 12. 21. in quo æquarentur motus factus in pleno, & in vacuo 12. 23. vndè successio in motu proueniret 12. 24. motus progressiuus est simpliciter animalis naturalis 6. 38. motus localis totam realitatem includens est essentialiter successiuus 15. 47. explicatur quomodo successiuè fiat 15. 62. cur illuminatio fieri possit naturaliter in instanti, non motus localis 15. 66. motus localis species accidentales assignantur. 15. 70. omnes motus locales sunt eiusdem speciei essentialis, & solum accidentaliter differuntur 15. 79.

Motus species quæ, & quot 15. 39. variæ motus diuisiones ibid. diuisio motus in successiuum, & instantaneum declaratur 15. 40. diuisio motus penes terminos sumpta est essentialis, non autem penes subiecta 15. 45. diuisio motus in naturalem, violentum, & neutrum est accidentalis ibid. diuisio per instantaneum, & successiuum quando sit motui essentialis 15. 46. motus accidentalis, seu propriè dictus diuidi potest in instantaneum, & successiuum, tanquam in species 15. 51. species accidentales motus & earum diuisiones assignantur 15. 70.

Motus vnitas generica vel specifica à tempore non desumitur 15. 73. neque ab agente, aut à termino à quo 15. 74. generica potest à subiecto desumi, non tamen specifica 15. 76. vtraque per se sumitur à termino ad quem 15. 77. non tamen ex distinctione specifica motuum semper inferri potest distinctio specifica terminorum ibid. motus vnitas numerica duplex identitatis, & continuitatis 15. 81. prima sumitur ab vnitate numerica mobilis, & termini ad quem, non verò temporis, vel motoris. 15. 82. altera requirit etiam vnitatem continuatiuam temporis saltim à posteriori licet non motoris 15. 83. motus, & immobilitas contradictoriè, sed motus, & quies priuatiuè opponuntur 15. 85. motuum oppositio sumitur ex contrarietate terminorum sed præcipuè ad quos 15. 86.

Motus quomodo incipit, & desinit 14. 25. non datur prima pars motus incipiens, vel vltima desinens 14. 28. datur tamen vltimum mutatum esse motus ibid. quo modo dari possit primum etiam mutatum esse 14. 29.

MOVENS seipsum quomodo intelligatur debere diuidi in partem per se mouentem, & partem per se motam 15. 100. quo sensu dicat Aristot. inanimata à seipsis non moueri 15. 103.

MOTOR primus duplici medio, scilicet physico, & metaphysico demonstrari potest existere 15. 104. non sufficienter demonstratur eius existentia per motum 15. 105. fortius demonstratur per medium metaphysicum, scilicet per rerum causalitatem, & efficientiam 15. 106.

MVNDVS potuit esse ab æterno quoad entia permanentia 14. 3. non quoad successiua 14. 12.

MVTATIO alia substantialis. alia accidentalis 1. 14. vtriusque principia assignantur 1. Phys. ibid. sub mutatione accidentali Aristot. localem quoque comprehendit 1. 16. tria sunt vtriusque principia 1. 17. non potest dari mut.tio physica & realis rebus absque aliqua re, vel modo denuò in re mutata producto 9. 18. & 5. 101. non datur mutatio physica, nisi priuatio in susceptiuo præcedat duratione formam 4. 24. mutatio est respectus subiecti ad formam, vt nouus 2. 31. in omni mutatione datur vnum subiectum commune respectu contrariorum in expos. tex. num. 9. ad mutationem realem, & physicam non sufficit, quod priuatio præcedat formam in subiecto natura, sed debet præcedere duratione 15. 19. res non dicitur verè mutari per solam denominationem extrinsecam 11. 39.

N

NATVRA variè sumitur 6. 1. est principium in facto esse, & constitutiuum corporis naturalis 5. 2. duplex munus naturæ constituendi corpus, & principiandi operationes eius 5. 2. & 6. 1. dicitur de materia, forma, & quidditate 5. 3. vt diuiditur in materiam, & formam corpus sublunare constituit, vt dicit essentiam corpus cœleste 5. 4. secundum veritatem natura est principium in facto esse per modum causæ physicæ in omnibus corporibus, secundum Arist. in sublunaribus solum 5. 16. naturam esse à posteriori potest demonstrari, non à priori 6. 1. eius definitio 6. 2. de natura agit physicus, vt est principium motus immanens, metaphysicus vt transiens 6. 4. natura dicitur absolutè de principio tam passiuo, quam actiuo, tam immanentis, quam transeuntis, at secundum physicam considerationem primò, & principaliter dicitur de passiuo, & de actiuo immantinenti dependenter à passiuo 6. 5. natura sumitur formaliter, & fundamentaliter 6. 10. naturæ definitio essentialis est, & principium in ea positum sumitur fundamentaliter ibid. non est principium motus nec in genere causæ formalis, nec finalis 6. 15. natura est principium motus naturalis tantum 3. 25. & 6. 18. præcipuè autem motus accidentalis 6. 17. & sumitur pro principio motus in actu 6. 20. & non tantum pro motu propriè dicto, sed etiam pro emanatione, & resultantia passionum, & qualitatum naturaliter consequentium res ipsas ibid.

Naturæ definitio explicatur per singulas particulas 6. à n. 17. & seq. non conuenit priuationi 6. 25. nec propriè accidentalibus esto eis accommodari possit ibid. potest etiam accommodari naturis angelicis, licet non secundum mentem Arist. 6. 26. conuenit quidditati cuiusque substantiæ tam partialis, quàm totalis 6. 28. ac iuxta Aristot. mentem conuenit quidditati totalis 6. 29. quomodo corpori cœlesti, & terrestri conueniat ibid. & 30. conuenit materiæ, & cuicumque formæ informanti etiam animæ rationali vniuocè analogicè 6. 35. principalis conuenit formæ 6. 36.

Natura quomodo à metaphysico consideretur q. prohem. 32. & 6. 4. natura agit propter finem 7. 204.

NATVRALE sumi potest vt opponitur supernaturali, & libero, & vt opponitur violento, & neutro 6. 3. potest etiam sumi vel essentialiter, vel denominatiuè 6. 42.

NATVRALITAS est propria ratio formalis obiecti philosophiæ quæst. prohæm. n. 28. & est radicale principium omnium affectionum naturalium ibid. nu. 29. res naturales quomodo sint scibiles, quamuis sint generabiles, & corruptibiles ibid. num. 34. potest naturalitas attendi penes principium actiuum, & passiuum. 6. 5. verè saluatur ratio naturalitatis, si subiectum recipiens formam perficiatur per ipsam, quamuis nullam habeat potentiam actiuam producendi illam 6. 42. naturalitas motus sumitur simpliciter à forma secundum quid à materia 6. 37. naturalitatis gradus varij. 6. 45.

NECESSITAS obiecti scibilis qualis, & quanta esse debeat, vt scientiam constituat quæst. prohæm. 34. non requiritur necessitas inhærentis, sed inhærentiæ, non terminorum sed propositionum ibid.

NEGATIO duplex 4. 80. & 82. realis datur à parte rei ibid. non est de essentia rei positiuæ 4. 82.

NVMERVS numerans, & numeratus 13. 51. an possit tendere in infinitum 10. 37. si posset dari multitudo actu infinita, etiam numerus infinitus dari deberet 10. 47. totus simul producibilis non est 10. 34.

O

OBIECTVM alicuius potentiæ adæquatum constituitur, vt supponit absolutè, non simpliciter aut personaliter. 2. 85.

OBIECTI scientiæ conditiones quæ & quot quæst. proæm. n. 1. duplex est in qualibet scientia materiale, & formale ibid. quo pacto constitutio obiecti scientiæ pendeat ex scribentis arbitrio ibid. num. 4. obiectum materiale philosophiæ peripateticæ est corpus naturale substantiale in tota sua latitudine ad corpora mixta, & simplicia caduca, & æterna ibid. n. 5. non autem corpus corruptibile, & mixtum n. 6. nec ens mobile, vel materiale prout commune substantiæ, & accidenti n. 7. neque vt commune composito substantiali, & accidentali n. 8. neque vt commune composito substantiali, ac eius partibus numer. 9. obiectum adæquatum philosophiæ in se, & in tota sua latitudine est substantia finita naturalis ibid. num. 21. ratio formalis obiecti philosophiæ est sola naturalitas ibid. numer. 28. obiectum adæquatum libr. de physico auditu est corpus naturale simpliciter, & in genere sumptum quæst. prohem. ad octo libr. physic. num. 1.

OPERATIO immanens abstrahit à loco 11. 73.

P

PARS alia essentialis, alia integralis, & vtriusque discrimen 2. 23. partes sunt priores natura toto etiam vnitæ, sed non ideò esse possunt sine toto. 5. 135. realiter distinguuntur ab ipso 5. 154. quo sensu sint idem essentialiter cum ipso 5. 164. pars prima motus, vel temporis nequit assignari 9. 87. partes continui quæ, & quot 9. 50. & 51. vide continuum, quo sensu partes continui dicantur in potentia 9. 88. partes spatij, & temporis quomodo percurrantur ibid. & n. 89. ex partibus infinitis indeterminatis moles finita consurgit 9. 90. partes continui proportionales infinitæ sincategorematice tantum 9. 94. quo sensu partes moueri, & locari dicantur ratione totius 11. 70. quæ partes continui sint per se existentes, & quæ inexistentes 9. 97.

PASSIO propria non fluit ab essentia physicè, sed metaphysicè 7. 7. multipliciter sumitur 7. 18. passio prædicamentum quid formaliter dicat 7. 27. eius subiectum est passum 7. 37.

PHILOSOPHIA quomodo diuidatur quæst. prohæm. numer. 1. potest considerari in se, & prout est tradita ab Arist. ibid. & hæc distinctio non est inutilis, sed necessaria disp. 11. n. 1. Naturalis quomodo à Metaphysica secernatur ibid. n. 4. & disp. 11. n. 1. per se, & directè Cœlum quoque & elementa considerat n. 6. contemplatur quodcunque ens materiale, & mobile licet non omnia eodem modo ibid. n. 9. & 10. quo sensu dicatur considerare res materiæ immersas ibid. 11. & 24. non considerat materiam, & formam vt species sui obiecti adequati, sed vt partes, & principia compositi substantialis ibid. 13. pariter & accidentia materialia in ordine ad corpus contemplatur non per se, & directè ibid. 17. & 26. considerat motum in communi in gratiam motus accidentalis, & ens mobile in gratiam corporis naturalis ibid. n. 10. & 17. est verè scientia, quamuis versetur circa generabilia, & corruptibilia ibid. 34. est etiam scientia vna vnitate tamen generica, non specifica n. 35. est scientia speculatiua, non practica n. 36. non est subalternata metaphysicæ propriè loquendo n. 37.

POTENTIA duplex obiectiua, & subiectiua 2. 11. triplex potentia, cui triplex correspondet actus 2. 12. potentiæ, & actus distinctio apud Arist. 2. 17. potentia passiua in ordine ad agens est naturalis, vel supernaturalis, in ordine ad formam est naturalis, violenta, vel neutra 2. 83. potentia naturalis sicut & neutra est duplex ibid. quo sensu potentiæ passiuæ naturali correspondeat actiua naturalis 2. 92. potentia passiua à totogenere nullam importat perfectionem 2. 34. & 98. potentia receptiua accidentium in composito non est accidens ei superadditum 3. 17. potentia naturalis actiua, vel passiua non ponitur in prædicamento qualitatis, sed earum facilitates 3. 21. præter potentiam naturalem, & violentam datur neutra non actiua, sed passiua 6. 44. quando potentia neutra stet cum naturalitate ibid.

Potentia obedientialis non infert infinitatem in rebus 11. 119. non differt à naturali entitatiuè 11. 130. quæ rebus conueniunt per potentiam obedientialem dicuntur suprà naturam rei non contrà naturam ibid. dicit ordinem ad agens potens de illa facere quidquid vult, dummodò non implicet 7. 121. ad exercitium istius potentiæ requiritur concursus specialis Dei ibid. quid sit potentia obedientialis passiua 7. 122. quid actiua 7. 124. datur in rebus creatis non solum passiua, sed etiam actiua 7. 125. est remota, & inchoata, non proxima, & completa ib. non tamen datur in quolibet ad quodlibet 7. 129. regula ad dignoscendum in quibus reperiatur potentia obedientialis 7. 132. quo pacto eleuetur creatura per potentiam obedientialem ad producendos effectus supernaturales 7. 133. & 134. potentia obedientialis intrinsecè est naturalis, & extrinsecè solum supernaturalis 7. 137.

PRÆSENTIA localis quid sit 11. 39. est modus rei locatæ superadditus ibid. quo sensu vnica præsentia sufficiat pro toto corpore, eius partibus, & accidentibus 11. 67. quo sensu non sufficiat, sed multiplicari debeat 11. 68. præsentia duplex intrinseca, & extrinseca 11. 67. iterum positiua, & negatiua 11. 99. vide Vbi.

PRINCIPIVM ad rationem principij in fieri duo requiruntur disp. 1. n. 1. Arist. 1. Physic. agit de principijs rerum naturalium in fieri ibid. principia rectè definiuntur ab Arist. text. 42. 1. 3. non fiunt ex alterutris in eodem genere principiandi 1. 4. contraria speciali etiam ratione non fiunt ex alterutris ibid. nec ex alijs in eodem sensu 1. 5. sed omnia ex his, in quo consistit ratio essentialis principiorum ibid. particula ex in ea definitione

tione semper eodem modo tenetur ibid. definiuntur principia in communi 1.7. *definito illa vniuocè analogicè conuenit materiæ, formæ & priuationi* 1.8. *definiuntur ibi principia generationis sub ratione mutationis, non productionis* 1.11. *principia in fieri, non in facto esse* 1.13. *& mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem* 1.14. *sunt tria materia, forma, & priuatio* 1.17. *ratio principiandi singulorum* 1.23. *quo sensu dicantur intrinseca mutationi* 1.17. *quæ, & qualis sit eorum primitas* 1.22. *non omnia sunt contraria positiuè, vel priuatiuè* 1.31. *sed solum per se primò, & directè forma, & priuatio seu terminus à quo, & ad quem partiales* 1.32. *talis contrarietas per se est priuatiua, per accidens positiua* 34. *quo sensu dicantur prima contraria* 1.38. *principia semper manere quo sensu intelligendum* 4.26. *principium generationis, vt sic non necessariò dicit positiuum influxum* 4.27. & 5.7.

Principium constitutiuum, & in facto esse corporis naturalis est natura 5.2. *vt dicit materiam & formam est principium corporis sublunaris, vt dicit quidditatem corporis cælestis* 5.4. *principium, causa & elementum quomodo distinguantur in expos. text.n.*1.

PRIORITAS naturæ positiua & priuatiua 4.10. & 14.4. *prioritas naturæ quomodo exponenda* 4.32. *prioritas naturæ secundum causalitatem, & secundum consequentiam* 8.31. *prioritas naturæ à quo, & in quo* 8.16.

PRIVATIO est principium in fieri rerum naturalium 1.17. *principiat per modum termini à quo* 1.23. *non quod principiet per suum non esse, sed per suum esse quatenus tollitur, & abijcitur* 1.26. & 4.26. *in mutatione deperditiua principiat per modum termini ad quem* 1.29. *priuatio proxima, & remota* 1.35. *propriè & communiter sumpta* 4.1. *non est ens rationis, quâ verè datur à parte rei nullo cogitante intellectu* 4.28. *non idcircò benè dicitur ens reale priuatiuum* 4.2. *quo pacto dicatur malefica formæ* 4.5. & 29. *est negatio formæ in subiecto adeout præseferat negationem, & connotet aptitudinem* 4.6. *differt à simplici negatione per aptitudinem in subiecto connotatam* 4.7. *quo sensu dicatur generare appetitum in materia* 4.8. *distinguitur realiter à subiecto distinctione reali priuatiua* 4.9. *præcedit natura formam in materia* 4.10. *non datur priuatio priuationis, sed priuatio in subiecto apto immediatè opponitur formæ* 4.11. & 14. *tollitur à subiecto per formam oppositam, vel continentem eam virtualiter* 4.16. *in eodem subiecto tot sunt priuationes præcisè, ac adæquatè, quot formæ possibiles haberi in illo subiecto* 4.17. *distinguuntur, & multiplicantur, vt habitus, & formæ, quibus opponuntur ibid. non datur in materia vna priuatio omnium formarum* 4.18. *priuatio formæ substantialis non suscipit magis, & minus, benè tamen priuatio formæ accidentalis* 4.20. *vt dicatur principium generationis non sufficit prioritas naturæ ad formam* 4.22. & *prioritas naturæ non inducit priuationem in materia* 4.24. *concurrit ad generationem ratione negationis importatæ, non aptitudinis connotatæ* 4.26. *principiat quando non est* 1.31. *priuatio formæ subsequentis reperitur in materia, cum est sub forma, antecedenti* 1.22. *priuatio non est natura* 6.35.

PRODVCTIO alia per se, alia per accidens 2.145. *idem nequit seipsum producere* 8.21. & *seq.*

Q

QVALITAS esto in ordine ad agentia naturalia habeat determinatum gradum, tamen in ordine ad supernaturale potest intendi in infinitum 10.79. *est talis intensionis capax per potentiam obedientialem.* 10.83. & 92. *infinita intensio in qualitate vndè repugnet.* 10.73. *Soli qualitati propriè conuenit agere* 7.117. *in qualitate non datur minimum naturale* 9.102. *gradus intensionis distinguuntur abinuicem in qualitate* 9.6. *non est physicè diuisibilis sine quantitate* 9.21.

QVANDO prædicamentum non dicit respectum realem, sed denominationem extrinsecam 13.9.

QVANTITAS non consistit eius essentia in ratione mensuræ, vel diuisibilitatis 9.3. *nec in extreitate partium vt dicit pluralitatem, & distinctionem earum* 9.5. *nec in extreitate partium, vt dicit ordinem, & dispositionem earum in toto* 9.6. *neque in actuali extensione locali* 9.7. *neque in extensione aptitudinali ad locum* 9.8. *sed in principio exigitiuo extensionis impenetrabilis in loco* 9.9. *quæ diuisibilitas sit passio quantitatis* 9.10. *quomodo Arist. explicuerit essentiam quantitatis per ordinem partium in toto* 9.11. *qualis sit impenetrabilitas quam afferi quantitas* 9.13. *quinam effectus primarius quantitatis* 9.15. *quomodo sit ratio essendi in loco circumscriptibile* 9.16. *vndè in corporibus proueniat impenetrabilitas* 9.17. *distinguitur realiter à substantia materiali* 9.18. *vnica quantitas extendit substantiam materialem cum suis accidentibus* 9.22. *sola quantitas facit molem in corporibus ibid. quantitas interminata non est coæua materiæ* 2.173. *est generabilis, & corruptibilis* 2.174. *cur dicatur se tenere ex parte materiæ, & qualitas ex parte formæ* 2.176. *est subiectum immediatum aliorum accidentium* 3.33. *ex eius potentia educuntur* 3.31. *non ob id tamen dici debet per se mobilis* 3.32. *nequit esse sine superficie terminante* 9.78. *quanti definitio explicatur* 9.84. *quantitatis indeterminatio duplex* 9.84. *quantitas infinita, vide Infinitam. quantitas est ratio remota essendi in loco* 11.58. *quo pacto sit ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptiuè* 11.66. *qualis sit repugnantia vnius quanti ad aliud in eodem loco.* 11.104. *quantitas in ordine ad formas artificiales est in potentia neutra* 6.46. *quomodo sit suarum passionum effectiua etiamsi propriè non sit de genere actiuorum* 7.117. *in quantitate non datur minimum naturale* 9.102.

QVIES quomodo sumatur in definitione naturæ 2.22. *motu percipitur* 9.36. *tempore mensuratur negatiuè* 13.40. *incipit & desinit extrinsecè* 14.25. *priuatiuè motui opponitur* 15.86.

R

RAREFACTIO est vera mutatio, & realis 9.20. *per ipsam non acquiritur noua quantitas* 9.82.

RATIO formalis quæcumque se ipsa est talis 5.13. & *est ita quo, vt non possit esse quod* 5.103.

RELATIO multiplicatur ad multiplicationem terminorum adæquatorum, non inadæquatorum 2.96. *non ingreditur conceptum absoluti* 2.112. & 5.108. *quo pacto extrema sint illi intrinseca* 4.28. *in quo genere causæ pendeat ab extremis* 3.50. *qualis & quanta sit eius ab extremis dependentia* 3.47. *sequitur extrema non antecedit* 5.11. *non est de genere actiuorum* 5.12. & 7.117. *petit extrema realiter distincta* 8.22. *eius vnitas numeralis pendet ex vnitate numerali extremorum* 8.57. *non omnis relatio requirit quid nouum in fundamento, vt insurgat, sed tantum intrinsecus adueniens* 11.80. *relatio distantię, & propinquitatis est intrinsecus adueniens* 12.19. *relatio quęlibet creata necessariò debet esse in aliquo subiecto* 7.35. *relatio triplicis generis* 7.56. *relatio est inter extrema realiter distincta quomodo intelligatur ibidem quæ relationes sint veri effectus causæ efficientis* 7.8. & *seq. relatio intrinsecus adueniens non habet propriam nouitatem, & ideò nequit terminare motum, benè tamen extrinsecus adueniens* 15.57. *relationis extensio explicatur* 15.63

RESVLTANTIA quid sit, & quotuplex 6.7.

RESVRRECTIO mortuorum quo sensu dici possit naturalis 2.93. *quomodo fiet cum eisdem corporibus* 5.145.

S

SEMEN quomodo agat in generatione viuentium, vt instrumentum generantis 7.98. *non est homogeneum, sed eterogeneum ibid.*

*SCIENTIA quare non sit omnium vna, & vndè multiplicetur quæst. prohem. n.*4. *in scientia cognitio rationis communis ad cognitionem inferiorum ordinatur ibid. n.*10. *vndè suam sumat necessitatem ibid. n.*34. *vndè vnitatem n.*35. *vndè dicatur practica, vel speculatiua n.* 36. *conditiones ad subalternationem scientiæ requisitæ n.*37.

SIDVS duplex 9.16. *situs in ordine ad centrum, & polos non habet rationem loci* 11.7. *sine situ circumscriptio localis nequit intelligi ideò circumscriptiuè locatum est quoque situatum* 11.71. *sicut duplex est Vbi circumscriptiuum ita quoque duplex situs. ibid.*

SOL quando est in æquinoctio 11.7. *si creatus fuisset ab æterno fuisset in determinata parte sui orbis* 14.13.

SPATIVM quid sit 11.5. *dupliciter sumi potest* 11.3. *quomodo differat à vacuo* 11.5. & 6. *non stat simul cum corporibus* 11.9. *qua ratione dicatur imaginarium ibid. datur extrà Cælum* 11.9. *non potest proprie exercere munera loci* 11.11. *non est vbicationes ipsæ possibiles* 11.47. *neque quid omninò fictum per intellectum* 11.5. *sed realis negatio corporis quatenus locabilis* 11.6. & 100. *nequit terminare realem præsentiam* 11.76.

SPECIES infinitè perfecta dari non potest 10.25. *species distinctè repræsentans diuinam essentiam est possibilis, quæ tamen non est infinitæ perfectionis* 10.31. *species superior quomodo excedat inferiorem* 10.33. *in speciebus non datur status* 10.34.

SPHERA vltima non est in loco 11.53. *mouetur localiter quoad locare, non quoad locari* 11.57. *acquirit tamen Vbi præsentiale passiuum, ibid.*

SVBIECTVM denominationis, & inhesionis 3.3. *subiectum accidentis duplex esse potest* 27. *subiectum omnium accidentium materialium est corpus de genere substantiæ* 3.4.

SVBSISTENTIA tripliciter sumi potest 2.37. *propriè sumpta sola conuenit suppositis, & primæ substantię ibid.*

SVBSTANTIA spiritualis creata non est alterius substantię productiua 7.88. *quomodo sit in loco* 11.72. *vide Angelus.*

SVBSTANTIA materialis ante quantitatem est diuisibilis, & habet partes extrà partes substantiæ non sunt per quantitatem distinctæ 9.5. *sine quantitate adhuc retinet præsentiam diuisibilem in loco, non tamen impenetrabilem* 9.16. *habet à quantitate impenetrabilitatem* 9.13. & 16. *potest per miraculum quantitatem expoliari* 9.18. & 23. *habet à quantitate diuisibilitate physicam* 9.21. *vnica quantitas extendit substantiam cum suis accidentibus* 9.22. *substantia materialis citrà quantitatem habet suam continuitatem, & indiuisibilia* 9. *ibid. sine quantitate adhuc esset in loco* 9.24. *expoliata quantitate non flueret in punctum* 9.25. *præsentia eius in loco distincta est à præsentia quantitatis* 9. *ibid. sine quantitate remanet in eodem situ, & loco, quem prius habebat cum quantitate, licet non eodem modo* 9.27. *naturaliter non potest separari à quocunque accidente, supernaturaliter potest à quocunque absoluto, licet non à quocunque respectiuo* 3.40. *quo sensu substantia dicatur prior natura accidente* 3.45. *substantia materialis est immediatè alterius productiuæ* 7.90. *immediatè efficit aliqua accidentia* 7.107. *quænam sint huiusmodi accidentia* 7.108. *non solum immanenter, sed etiam actione transeunti* 7.110. *quomodo in seipsa accidentia conseruet* 7.113. *nullum accidentis gradum sibi determinat, quem nequeat corrumpere accidens contrarium* 7.116.

SVCCESSIO in motu vndè proueniat 12.21. *alia essentialis, alia accidentalis ibid. quid propriè sit, & quot requirat* 15.40. *successionis origo est resistentia medij ad motorem, & mobile* 15.41. *non dicit formaliter quantitatem* 15.42. *nec simplicem negationem simultatis partium* 15.43. *sed relationem ordinis partium prioris, & posterioris ibid. successio soli motui totali totam realitatem includenti est essentialis* 15.47. *successio in motu vel ex diuisibilitate mobilis, vel spatij prouenire potest* 15.88. *successio, & instantaneitas quando accidunt formæ, & quando non* 15.46.

SVPERFICIES sola corporis continentis est verè & propriè locus 11.13. *quo pacto variata superficie ambiente res dicatur manere in eodem loco* 11.15. *quomodo conseruet locatum* 11.19. *est continens, & ratio continendi locatum* 11.24. *superficiei omnia attributa conueniunt* 11.30. *quo pacto sit etiam locus substantiæ spiritualis* 11.59.

T

TEMPVS variè accipitur 13.29. *propriè accipitur pro duratione rei successiua per partes continuò fluentis ibidem. tempus duplex intrinsecum, & extrinsecum ibid. & hoc est duplex reale, & imaginarium ibid. datur tempus intrinsecum & quodnam sit* 13.30. *non existit per existentiam instantium ibid. sed per existentiam successiuam suarum partium* 13.31. *non generatur, neque corrumpitur* 13.32. *tempus intrinsecum potest dupliciter sumi* 13.34. *explicatur in vtroque sensu* 13.35. *non distinguitur realiter à motu ibid. passio ipsius motus quodammodo dicitur* 13.36. *intrinsecum tempus est quid reale existens independenter ab anima ibid. multiplicatur ad multicationem motuum ibid. tempus discretum non datur, vt species à continuò condistincta ibidem quomodo sit idem nunc in tempore* 13.40. *tempore mensurari non est tantùm tempori coexistere* 13.43.

Tempus extrinsecum est mensura motus quoad cognoscendam eius durationem 13.43. *tale tempus propriè est motus primi Cęli* 13.44. *est vnum numero omnium tempus in hoc sensu ibid. quo pacto tempus in hoc sensu sit ens reale, & quomodo non* 13.45. *quomodo distinguatur à subiecto, in quo est, & à suo mensurato* 13.48. *soli tempori reali, vel imaginario ratio mensuræ conuenire potest non alicui durationi permanenti* 13.47. *omnia successiua tam materialia, quàm spiritualia tempore mensurantur* 13.48. *etiam motus ipsius primi Cæli ibid. etiam motus spirituales Angelorum* 13.49. *quin etiam motuum priuationes* 13.50. *potest etiam esse mensura rerum permanentium, vt habent existentiam virtualiter diuisibilem* 13.50. *explicatur definitio temporis* 13.51.

TERMINVS à quo, & ad quem in generatione sunt forma, & priuatio 1.17. *quo pacto terminus à quo sit generationi intrinsecus* 4.28. *terminus motus debet esse realis* 11.39. *quinam termini motus sint incompossibiles* 11.120. *terminus lationis in vacuo qualis esset* 12.20.

Terminus magnitudinis, & paruitatis duplex 9.98. *inanimata nullum habent terminum magnitudinis, & paruitatis* 9.100. *nec in generatione, nec in conseruatione* 9.105. *quo sensu dici possint habere terminos extrinsecos magnitudinis & paruitatis* 9.106.

TOTVM substantiale dependet essentialiter à suis partibus 5.135. *totum multiplex* 5.150. *essentiale distinguitur à suis partibus virtutis ratione, & plusquam ratione* 5.152. *immo & realiter vt res à re* 5.154. & *hæc distinctio est realis, & mutua* 5.162. *num etiam distinguatur essentialiter* 5.164. *totum sumi potest categorematicè, & sincategorematicè* 2.3. & 5.63. & 169. *totum integrale a partibus vnitis non distinguitur* 5.176. *nec etiam totum per accidens* 5.182. *quid requiratur ad vnitatem totius essentialis, & integralis* 9.85. *incudit vt partes quidditatis materiam, & formam* 5.138. *non tamen vnionem* 5.146. *est tamen conditio simpliciter necessaria ad eius constitutionem, & conseruationem ib. vide Compositum.*

TRANSVBSTANTIATIO quid sit 11.141. *magis denominatur à termino à quo. ibid.*

V

VACVVM quid sit 12.1. *eius definitio explicatur ibid. solum corpus quantum replet vacuum ibid. non datur in rerum natura* 12.2. *ratio cur natura vacuum abhorreat non est assignabilis à priori, sed tantum à posteriori* 12.3. *dari posset vacuum naturaliter, si vniuersum secundum naturæ vires spectetur, non verò vt subest diuinæ determinationi* 12.7. *dari potest supernaturaliter* 12.8. *quo sensu miraculosa foret vacui existentia* 12.9. *quot modis natura cònetur vacuum deuitare* 12.11. *à quo moueantur corpora ad replendum vacuum* 12.14. *motus ad replendum vacuum respectu corporis particularis est violentus, respectu vniuersi est particularis* 12.15. *motus in vacuo fieri potest* 12.17. *etiam localis* 12.18. *quid dicendum de motu grauium, & leuium, & progressiuo animalium ibid. talis motus in vacuo factus non esset propriè localis, sed lationis* 12.20. *terminus eius foret Vbi præsentiale, non locale ibid. foret successiuus* 12.21. *qua proportio sit vacui ad plenum* 12.23. *vnde proueniret successio motus* 12.24.

VBI vel vbicatio est modus ex natura rei superadditus rei locatæ, & loco 11.39. *est terminus motu localis ibid. est cæteris formis accidentaliter* 11.40. *est locato ratio formalis essendi in loco* 11.42. *vbi duplex, actiuum, & passiuum ibid.* & 48. *passiuum producitur in re locata per motum ibid. & hoc non est*

forma absoluta, sed merè respectiua, per se, & directè respiciens superficiem corporis continentis, non autem spatium imaginarium 11.45.& 47. *Vbi duplex locale, & præsentiale* 15. 51.& *hoc est per se terminus motus lationis ibid.*& 57.*est modus,*& *non res* 11.46. *nedum Vbi passiuum,sed etiam actiuum potest terminare motum localem* 11.57. *Vbi circumscriptiuum est ratio formalis essendi in loco circumscriptiuè* 11. 67. *an hoc in vno corpore sit vnicum,vel multiplicari debeat pro multiplicitate partium,*& *accidentium* 11.67.& 68. *Vbi circumscriptiuum non datur sine situ* 11.71. *diuisibilitas Vbi prouenit ex diuisibilitate absoluti* 14.62.*non tamen successio* 15.63. *omnia Vbi sunt eiusdem speciei essentialis,* & *solum accidentaliter differunt* 15.79. *Vbi definituum, quo Angelus constituitur in loco,non est vnum, & indiuisibile ad totum locum, & partes eius,sed multiplex* 11.81.

VELOX & tardum quid dicant in motu 15.71.

VIOLENTVM duplex priuatiuum,& *positiuum* 6. 3. *quid sit vtrumque ibid. violentum in naturalibus idem est, quod inuoluntarium in cognoscentibus* 6. 6. *violentia datur in rebus etiam contra principium actiuum ibid.ac etiam respectu agentis supernaturalis* 6.14. *attenditur principaliter contra passiuum* 6.7.*violenti definitio explicatur* 6.43.

VISIO beata non est intrinsecè infinita in essentia 10.30.

VITALITAS debet esse à principio vitali,& *viuo* 7.126.

VIVENS præter animam habet corporeitatis formam. 2.67. *ex sua natura terminos habet magnitudinis,* & *paruitatis intrinsecos* 9.108. *non tamen in ordine ad potentiam Dei absolutam homine excepto* 9.110. *discrimen augmenti viuentium,*& *non viuentium* 9.11.

VNIO cur non sit principium distinctum in fieri à materia,forma & priuatione 1. 20. *cur neque principium distinctum in facto esse* 5. 5. *est diuersus respectus ab eductione* 2. 154. *non consistit in vnione causalitas materiæ erga formam* 5. 35. *nec vnio est causalitas materiæ,*& *formæ erga compositum* 5. 24. *vnio materiæ,*& *formæ, quo sensu substantialis dicatur* 5.47. *est conditio sine qua non in causis intrinsecis* 5. 52. *vnio partium materiæ est necessaria dispositio pro eius informatione* 5. 74.& 75. *aliquid superaddit partibus indistantibus* 5. 100. *mediat inter extrema,vt ratio viuendi* 5. 103. *non est modus absolutus substantialis, vel essentialiter relatiuus, sed mera relatio extrinsecus adueniens deprædicamento actionis, vel passionis,aut habitus* 5.106.& 109. *quo sensu dicatur substantialis* 5. 107. *probabilius ponitur in prædicamento habitus* 5. 109. *quomodo distinguatur ab extremis* 5.109. *est duplex vnio inter materiam,*& *formam* 5.114.*si esset vna, potius in forma poni deberet,quàm in materia.* 5.120. *diuersa est vnio essentialis ab integrali* 5. 122. *est medium formale,*& *relatiuum, non materiale,*& *absolutum ibid. differt ab vnitate* 5.123. *non est vna vnio in anima rationali ad corpus,sed tot quot illius partes proportionales* 5.125.& 11.82.*vnio per se tres habet conditiones* 5.129.*non est de essentia compositi,sed conditio necessaria* 5.146.*vnio excludit separationem,non distinctionem* 9.54. *vnio duplex informationis,*& *continuationis* 9.74.

*VNITAS scientiæ vnde sumatur q.prohæm.*35.*vnitas specifica alia completa alia incompleta* 2.59.*numerica triplex ib.vnum numero dupliciter* 4.12.*vnitatis plures gradus* 5.5.& 127.*cur ex materia,*& *forma fiat per se vnum* 5.129.*tres requiruntur conditiones,vt aliqua constituant ens per se vnum,ibid.non requiritur ad hoc similitudo in natura inter constituentia, sed sola proportio* 5. 130. *diuersa est vnitas essentialis ab integrali* 5.130.*vnum,*& *vnitum non sunt idem* 5.147. *vnitas,*& *vnio quomodo distinguantur* 5.167. *aliud est vnitas,aliud identitas* 9.54.*vnitas transcendentalis,*& *prædicamentalis* 9.84. *vnitas triplex* 15.73.

VOLVNTAS in eodem instanti,quo operatur,est libera 8. 30. *nequit velle malum sub ratione mali* 7. 169. *potest efficere suo modo ens rationis* 7.172.

Voluntarium,& *inuoluntarium quid* 6.6.

IN-

INDEX DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM

In hoc Opere contentorum.

Quæstio Proœmialis ad vniuersam Philosophiam naturalem.

De adæquato Philosophiæ naturalis obiecto.

Artic.1. IN quo resoluitur quæstio de obiecto materiali Philosophiæ peripateticæ. 2
Artic.2. In quo resoluitur quæstio de obiecto materiali Philosophiæ in se. 5
Artic.3. In quo resoluitur quæstio de obiecto formali Philosophiæ. 7
Resoluuntur quæsita quædam de natura Philosophiæ. 8

Quæstio Proœmialis ad octo Libros Physicorum, Quodnam sit obiectum horum Librorum.

DISPVTATIO PRIMA.

De principijs rerum naturalium in fieri.

Quæst.1. AN principia rectè definiantur ab Aristotele, & quomodo illa definitio eis conueniat. 28
Quæst.2. Quænam principia hic definiantur. 30
Quæst.3. Quot sint huiusmodi principia. 32
Quæst.4. Quænam sit ratio principiandi singulorum. 34
Quæst.5. An principia rerum naturalium sint contraria, & quomodo. 35

DISPVTATIO II.

De principio materiali, & formali mutationis substantialis.

Quæst.1. AN sint, & quid sint materia, & forma substantialis. 38
Artic.1. Ostenditur existentia vtriusque principij in rerum natura. 38
Artic.2. Explicatur natura,& quidditas materiæ primæ, Vbi de actu eius entitatiuo. 32
Artic.3. De quidditate, & essentia Formæ. 44
Quæst.2. Num tam materia, quam forma per se habeant propriam existentiam, & subsistentiam partialem. 45
Artic.1. Ostenditur tam materiam, quàm formam propriam existentiam partialem possidere. 45
Artic.2. Ostenditur, quomodo materia, & forma propriam habeant subsistentiam partialem. 47
Quæst.3. Num materia, & forma naturaliter, vel saltim supernaturaliter possint separari, & separata conseruari,& quo pacto id fieret. 48
Artic.1. Insinuatur ratio, cur materia, & forma nequeant naturaliter separata existere. 49
Artic.2. Ostenditur materiam, & formam posse supernaturaliter separari, & separata conseruari. 50
Artic.3. Quo pacto materia, & forma conseruarentur à Deo ab inuicem separatæ. 51
Quæst.4. An sit vna omnium rerum materia, & vna communis forma corporeitatis pro omnibus, vel saltim in quibusdam corporibus præter distinctas formas specificas. 54
Artic.1. Declaratur vnitas materiæ corporalium substantiarum, & etiam spiritualium, si in ipsis daretur. 54
Artic.2. Ostenditur, in quibus necessaria sit corporeitatis forma, præter peculiares formas specificas. 56
Quæst.5. De potentia materiæ erga formas. 59
Artic.1. An potentia materiæ ad formas sit naturalis, vel neutra. 60
Artic.2. An potentia naturalis materiæ extendatur ad omnes prorsus formas etiam corruptas. 61
Artic.3. An potentia materiæ sit vna ad omnes formas, vel potius multiplex. 63
Artic.4. An potentia receptiua formarum distinguatur à sustentatiua earumdem, & num receptiua substantialium distinguatur à receptiua accidentalium. 64
Artic.5. An potentia sit de essentia materiæ, vel saltim eius proprietas, vel potius accidens superadditum. 66
Quæst.6. De appetitu materiæ erga formas. 69
Artic.1. An appetitus materiæ sit solum ad formam in communi, vel potius ad singulas in particulari. 70
Artic.2. An materia æqualiter appetat omnes formas in particulari, vel nobiliores magis, & dum est sub nobiliori, an minus nobilem appetat. 71
Quæst.7. Quomodo formæ substantiales fiant ex materia, & an omnes ex eius potentia sint eductæ. 73
Artic.1. Ostenditur formas non fieri in materia per inchoationes actuales præcedentes, nec sola virtute intelligentiæ cuiusdam separatæ in eam induci. 73
Artic.2. Ostenditur formas materiales fieri per eductionem ex potentia materiæ, & quid sit eductio declaratur. 74
Artic.3. Ostenditur formas omnes materiales eductas esse de potentia materiæ etiam formas Cælorum, & elementorum. 76
Quæst.8. De cæteris proprietatibus, & attributis materiæ, & formæ. 78
Artic.1. An materia sit per se cognoscibilis sine ordine ad formam. ibid.
Artic.2. An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis. 79
Artic.3. An materia sit causa corruptionis, vel potius forma. 80
Artic.4. An quantitas saltim interminata sit materiæ proprietas. 81
Artic.5. An materiæ ita sit proprium pati, vt nullo modo sit actiua, & formæ ita agere, vt nullo modo sit passiua. 82

DISPVTATIO III.

De principio materiali, & formali mutationis accidentalis.

Quæst.1. QVondam sit proprium, & adæquatum subiectum accidentium, vt inde cognoscamus proprium, & adæquatum subiectum motus. 83
Quæst.2. An potentia substantiæ corporeæ ad formas accidentales sit de eius essentia, vel passio, an po-

Mian potius accidens ei realiter superadditum. 86
Quæst.3. An corpori omnia accidentia proximè inhæreant, vel quædam nonnisi medijs alijs. 88
Artic.1. Ostenditur vnum accidens posse esse subiectum alterius, quo mediante insit substantiæ. 88
Artic.2. Quantitatem esse subiectum immediatum aliorum accidentium, per quod substantiæ inhærent, demonstratur. 90
Quæst.4. An substantia possit à quolibet accidente communi separari, & è contra, & quid necesse foret, vt ita separata conseruaretur. 91
Artic.1. Ostenditur à quo accidente substantia queat, & nequeat separari. 92
Artic.2. Quomodo accidens separatum conseruaretur. 95
Quæst.5. An omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti. 98
Artic.1. Resolutio quæsiti de formis naturalibus, & artificialibus. 99
Artic.2. Resolutio quæsiti de formis supernaturalibus. 100

DISPVTATIO IV.

De Priuatione.

Quæst.1. DE natura priuationis. 101
Artic.1. Ostenditur priuationem dari à parte rei. 101
Artic.2. Formalitas priuationis declaratur. 103
Artic.3. Realis distinctio priuationis à subiecto declaratur. 103
Quæst.2. De oppositione priuationis cum forma. 104
Quæst.3. Quo sensu priuatio dicatur principium generationis. 106
Quæst.4. Quando priuatio mutationem principiare dicatur 109

DISPVTATIO V.

De Principijs intrinsecis in facto esse.

Quæst.1. QVænam sint principia in facto esse corporis naturalis in communi, & duarum specierum eius cœlestis, & sublunaris. 111
Quæst.2. Vbinam principia in facto esse habeant rationem causæ; occasione cuius declaratur, quid sit causa in communi, & quid causalitas eius. 112
Quæst.3. Quid causent materia, & forma, & per quid: 114
Artic.1. Recensentur effectus causæ materialis. 115
Artic.2. Recensentur effectus causæ formalis. 117
Artic.3. Declaratur ratio proxima, & immediata causandi materialis, & formalis causæ. 118
Quæst.4. De causalitatibus materiæ, & formæ, & conditionibus causandi. 119
Artic.1. Declarantur causalitates materiæ, & formæ in ordine ad se inuicem. 120
Artic.2. Explicantur causalitates materiæ, & formæ erga compositum. 121
Artic.3. Explicantur conditiones vtriusque causæ, tam in ordine ad se inuicem, quam ad compositum. 123
Quæst.5. An Deus supplere possit causalitatem materialem, & in quo genere causæ. 124
Quæst.6. An possit eadem materia simul informari pluribus formis substantialibus. 125
Artic.1. Resolutio quæsiti de formis subordinatis. 126
Artic.2. Resolutio quæsiti de formis disparatis. 127
Quæst.7. An vna, & eadem forma substantialis possit informare simul plures materias. 130
Artic.1. Resolutio quæsiti quo ad potentiam naturalem. ibid.
Artic.2. Resolutio quæsiti quoad potentiam supernaturalem 161
Quæst.8. An materia, & forma substantialis immediatè vniantur an verò mediatè. 133
Artic.1. Ostenditur formam non vniri materiæ medio accidente absoluto. 133
Artic.2. Vnionem aliquid superaddere partibus indistantibus, quo inuicem nectantur, demonstratur. 136
Quæst.9. Quid sit vnio substantialis, & quomodo à partibus distincta. 137
Quæst.10. An sufficiat vnica vnio inter materiam, & formam ad constituendum compositum. 140
Quæst.11. An materia, & forma vnitæ constituant ens per se vnum, in quo maneant secundum proprias entitates. 143
Artic.1. Ex materia, & forma fieri per se vnum ostenditur, & quare. 144
Artic.2. Ostenditur materiam, & formam manere in composito secundum proprias entitates. 145
Quæst.12. An compositum physicum materiam, formam, & vnionem includat in sua essentia, & quidditate. 146
Artic.1. Ostenditur materiam esse in partem quidditatis compositi. 147
Artic.2. Vnionem non esse de essentia compositi demonstratur. 148
Quæst.13. An compositum consistat in partibus vnitis, vel potius sit quid realiter diuersum ab ipsis. 150
Artic.1. Resolutio quæsiti de toto essentiali. 150
Artic.2. Resoluitur quæstio de toto integrali, & per accidens. 157

DISPVTATIO VI.

De Natura.

Quæst.1. AN natura rectè ab Arist. definiatur. 160
Artic.1. Explicatur quomodo principium sumatur in definitione naturæ. ibid.
Artic.2. Declarantur reliquæ particulæ definitionis naturæ. 164
Quæst.2. Quibus rebus, & quomodo conueniat definitio naturæ. 165
Artic.1. Ostenditur quomodo definitio naturæ quidditati, & formæ totius conueniat etiam secundum Arist. 166
Artic.2. Ostenditur definitionem naturæ materiæ, & cuicumque formæ vniuocè analogicè conuenire. 168
Quæst.3. An detur motus indifferens inter naturalem, & violentum, seu an detur potentia neutra. 169
Quæst.4. Quomodo natura differat ab arte. 171

DISPVTATIO VII.

De Causis extrinsecis, efficienti, & finali.

Quæst.1. QVid, & quotuplex sit causa efficiens. 173
Quæst.2. Quinam sint effectus efficientis causæ vt producentis, & transmutantis. 174
Quæst.3. Quænam sit causalitas agentis in ratione producentis, & transmutantis, vbi de actione, & passione. 176
Artic.1. Quid formaliter sint actio, & passio declaratur. 176
Artic.2. Assignantur actionis, & passionis subiecta. 179
Artic.3. Explicatur causalitas agentis, vt producentis, & transmutantis, ac etiam conseruantis. 182
Quæst.4. De conditionibus causæ effectiuæ. 184

Artic.1.

Artic.1. Ostenditur necessitas existentiæ ad causandum. 184
Artic.2. Idem posse agere in seipsum declaratur. 185
Artic.3. Ostenditur agens creatum, & sublunare posse agere immediatè in distans. 187
Quæst.5. De causa instrumentali. 190
Quæst.6. Quibus conueniat ratio efficientis causæ. 192
Artic.1. An tàm secunda, quàm prima causa actu efficientes dicantur. 192
Artic.2. An substantia creata sit immediatè actiua alterius substantiæ. 194
Artic.3. An substantia sit immediatè actiua accidentium. 199
Artic.4. Quomodo accidentibus actiuitas conueniat, explicatur. 202
Artic.5. An causæ secundæ vim habeant producendi effectus supra naturam, vbi de potentia obedientiali. 202
Quæst.7. De causa ideali, seu exemplari. 208
Artic.1. Ostenditur ideam esse propriè conceptum obiectiuum. 208
Artic.2. Resoluitur quæsitum quò ad causalitatem ideæ. 210
Quæst.8. De causa finali. 111
Artic.1. An quilibet finis dicatur causa. 112
Artic.2. An bonitas sit ratio constitutiua finis in esse finis. 213
Artic.3. Explicatur causalitas finis. 215
Artic.4. An finis moueat secundùm esse reale, vel cognitum. 217
Artic.5. An finis sit vera causa realis. 219
Artic.6. Quænam agentia propter finem dicantur agere. 220
Artic.7. Enumerantur effectus finalis causæ. 221
Quæst.9. De causis per accidens. 222
Artic.1. De casu, & fortuna. ibid.
Artic.2. An monstra intendantur à natura. 224
Artic.3. De fato. 225

DISPVTATIO VIII.

De Collatione Causarum inter se cum suis effectibus, & è contra.

Quæst.1. VBi conferuntur ad inuicem quatuor causarum genera, & causa prima cum secunda. 225
Artic.1. Quatuor causarum genera ad inuicem variè conferuntur. 225
Artic.2. Confertur prima causa cum secundis, præsertim in sententia Aristotelis. 228
Quæst.2. Vbi causæ comparantur cum suis effectibus. 230
Artic.1. Conferuntur causæ cum suis effectibus quoad distinctionem. 230
Artic.2. Conferuntur causæ cum suis effectibus quoad prioritatem, & perfectionem. 272
Artic.3. Conferuntur causæ cum effectibus quoad determinationem eorum tam in specie, quàm in indiuiduo. 234
Quæst.3. Vbi comparantur effectus cum suis causis. 236
Artic.1. An idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis diuisim. 236
Artic.2. An idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis coniunctim. 239

DISPVTATIO IX.

De Continuo.

Quæst.1. IN quo consistat ratio quantitatis continuæ, & an à substantia corporea, alijsque eius accidentibus distinguatur. 243
Artic.1. Explicatur essentia quantitatis continuæ. 244
Artic.2. Ostenditur distinctio realis quantitatis à substantia corporea, & ceteris eius accidentibus. 248
Quæst.2. An continuum ex solis indiuisibilibus, vel solis diuisibilibus, vel ex vtrisque simul constituatur. 249
Artic.1. Physice, & mathematicè ostenditur repugnare compositionem continui ex indiuisibilibus. 251
Artic.2. Ostenditur implicare compositionem continui ex solis partibus diuisibilibus. 254
Artic.3. Astruitur compositio continui ex partibus, & indiuisibilibus. 256
Artic.4. Soluuntur rationes Zenonistarum pro compositione continui ex solis indiuisibilibus. 259
Artic.5. Diluuntur rationes Nominalium pro compositione continui ex solis diuisibilibus. 262
Artic.6. Enodantur difficultates contra existentiam actualem, & multitudinem assignatam partium in continuo. 266
Quæst.3. An quodlibet continuum terminos habeat suæ magnitudinis, & paruitatis. 269
Artic.1. Deciditur quæstio quo ad continua inanimata. 270
Artic.2. Ostenditur quomodo termini viuentibus competant. 271

DISPVTATIO X.

De Infinito.

Quæst.1. DE natura Infiniti, & eius affectionibus. 273
Artic.1. Quid sit infinitum categorematicum, & syncategorematicum. 273
Artic.2. De affectionibus, & attributis infiniti. 275
Quæst.2. An creari possit infinitum in essentia categorematicum, vel saltim syncategorematicum. 278
Artic.1. Resoluitur quæstio quo ad infinitum categorematicum. 278
Artic.2. Resoluitur quæstio quoad infinitum syncategorematicum. 280
Quæst.3. An possit dari infinitum categorematicum in multitudine, vel saltim syncategorematicum. 283
Quæst.4. An dari possit infinitum in magnitudine categorematicum, vel saltim syncategorematicum. 286
Quæst.5. An possit dari infinitum in intensione categorematicum, vel saltim syncategorematicum. 289
Artic.1. Non posse dari in qualitate infinitum categorematicum. 289
Artic.2. Posse dari in qualitatibus infinitum syncategorematicum. 291
Quæst.6. An saltim in mente Dei admittendum sit infinitum in actu, & categorematicum. 294

DISPVTATIO XI.

De Loco.

Quæst.1. QVid sit illud, quod dici solet locus, & cui conueniant munera loci. 196
Artic.1. Nec spatium, nec situs, quem habent corpora in vniuerso possunt habere rationem loci. 297
Artic.2. Ostenditur solum superficiem corporis continentis esse verè, & propriè locum. 299
Quæst.2. De loci definitione, & attributis eius. 301
Artic.1. Loci definitio ab Aristotele tradita explicatur. 301

Artic.2.

Artic.2. Attributa loci conuenire superficiei demonstratur. 303
Quæst.3. An præter locum extrinsecum debeat admitti Vbi in re locata, & quid sit. 305
Artic.1. Ostenditur, Vbi esse modum ex natura rei superadditum rei locatæ, & loco. 306
Artic.2. Qualis forma sit Vbi, declaratur. 307
Quæst.4. Quibus rebus esse in loco competat, & an omnibus vniuocè conueniat. 309
Artic.1. Corpora omnia esse in loco, excepta vltima sphæra, demonstratur. 309
Artic.2. Omnes substantias spirituales esse in loco, solo Deo excepto, probatur. 310
Quæst.5. De peculiari modo essendi in loco rerum corporalium, & spiritualium. 312
Artic.1. Explicatur modus essendi in loco rerum corporearum. 312
Artic.2. Explicatur modus essendi in loco rerum spiritualium. 313
Quæst.6. An Deus sit in spatijs quoque imaginarijs extra Cœlum. 317
Quæst.7. An plura entia siue corporea, siue incorporea possint esse in eodem loco. 319
Quæst.8. An eadem res siue corporea, siue incorporea possit simul esse in pluribus locis. 322
Quæst.9. Qua actione poneretur res eadem in pluribus locis, & num in omnibus easdem formas haberet, & affectiones. 327

DISPVTATIO XII.

De Vacuo.

Quæst.1. AN detur, vel possit dari vacuum in natura. 332
Quæst.2. A quo moueantur corpora ad replendum vacuum, & an talis motus naturalis. 334
Quæst.3. De motu in vacuo. 336
Artic.1. Possibilitas motus in vacuo comprobatur. ibid.
Artic.2. Successio motus in vacuo demonstratur. 337

DISPVTATIO XIII.

De Duratione rerum.

Quæst.1. QVid formaliter dicat Duratio. 339
Quæst.2. Explicatur prima durationis species, quæ est æternitas. 341
Quæst.3. Declaratur secunda durationis species, quæ est æuum. 342
Artic.1. Ostenditur differentia æui ab æternitate. 343
Artic.2. Explicatur æui differentia à cæteris durationibus. 344
Quæst.4. Explanatur tertia Durationis species, quæ est tempus. 345
Artic.1. De tempore intrinseco. 345
Artic.2. De tempore extrinseco. 348

DISPVTATIO XIV.

De Inceptione, & Definitione creaturarum.

Quæst.1. AN implicet dari creaturam aliquam, sine principio & fine. 351
Artic.1. Deciditur quæstio quoad entia permanentia. 351
Artic.2. Deciditur quæstio quoad entia successiua. 354
Quæst.2. De temporali incæptione, & definitione creaturarum. 356
Artic.1. Qui, & quot sint modi incipiendi, & desinendi rerum creaturarum. 356
Artic.2. De incæptione, & desitione successiuorum. 356
Artic.3. De Incæptione, & desitione permanentium rerum, & diuisibilium. 358
Artic.4. De Incæptione, & definitione rerum indiuisibilium. 358

DISPVTATIO XV.

De Motu.

Quæst.1. IN quo consistat formalitas Motus. 361
Quæst.2. An in motu terminus à quo debeat tempore precedere terminum ad quem, an verò natura. 365
Quæst.3. Explicatur distinctio motus à subiecto, & termino, actione, & passione. 366
Quæst.4. An motus rectè definiatur ab Aristotele. 367
Quæst.5. Quibus motibus allata definitio conueniat. 369
Quæst.6. De speciebus motus. 371
Artic.1. Explicatur diuisio motus in instantaneum, & successiuum. 371
Artic.2. Quæ motus diuisio sit essentialis, & quæ accidentalis declaratur. 372
Artic.3. Per quid motus propriè dictus à mutatione strictè sumpta distinguatur. 373
Artic.4. Ad quæ prædicamenta sit motus. 374
Artic.5. An quilibet horum motuum possit fieri in instanti. 376
Artic.6. De speciebus accidentalibus motus. 377
Quæst.7. De proprietatibus Motus. 378
Artic.1. Ostenditur, à quo vnitas motus generica, & specifica sumatur. 378
Artic.2. Explicatur, vnde vnitas numerica, & contrarietas motus desumantur. 380
Quæst.8. De causis Motus. 381
Artic.1. An Indiuisibile possit moueri, seu esse causa subiectiua Motus. ibid.
Artic.2. Vtrum idem possit mouere seipsum, an necesse sit ab alio moueri. 383
Artic.3. An sufficienter per motum ostendatur existentia primi Motoris. 384

DISPV-

DISPVTATIONES IN ARISTOTELIS PHYSICAM, Quibus ab Aduersantibus Veterum, & Recentiorum iaculis. SCOTI PHILOSOPHIA VINDICATVR.

QVÆSTIO PROOEMIALIS

Ad vniuersam Philosophiam Naturalem.

De adæquato Philosophiæ naturalis obiecto.

1 NATVRALIS Philosophia, quam modò explicandam suscipimus, est membrum Philosophiæ vt sic, quam in ipso Logicæ vestibulo cum D. August. lib. 8. de Ciuit. Dei cap. 4. diuisimus in Naturalem, Moralem, & Rationalem; eius autem naturam contemplaturi, meritò ab illius subiecto exordimur, cum enim sit habitus quidam intellectus; habitus autem, & actus ab obiectis specificentur, ad hoc negotium obiecti inquisitio valdè conferet; & nomine obiecti hìc non intelligimus quidquid in scientia quomodocumque consideratur, sed quod habet conditiones ab Arist. insinuatas 1. Post. tex. 25. vt scilicet sit id, cuius principia, partes, & passiones in scientia inquirunt, & à Scoto magis explicatas quæst. 3. Vniuersalium, quòd nimirum in scientia de eo præsupponatur quid est, & quod est; quòd per eius quod quid est affectiones de ipso demonstrentur in ea scientia; & quòd tandem omnia in scientia considerata ad ipsum habeant attributionem adæquatè, in eius gratiam considerentur, & ad ipsum aliquo modo reducantur, aut veluti partes subiectiuæ, aut veluti partes ad integritatem, & naturam spectantes, aut veluti passiones eius, aut veluti principia, & partes partium subiectiuarum eius, aut veluti alia consimili ratione; quæ obiecti scientiæ conditiones in Logica fusè explicatæ sunt disputat. 12. q. 2. atque ideò ibi relegendæ. Et quia obiectum adæquatum scientiæ, vt ibidem dicebamus, parte materiali, & formali constat, re scilicet considerata, & modo considerandi, de vtraque parte erit hìc nobis differendum. Demum quia quæstio hæc moueri potest tam de Philos. in se, prout adæquate institui potest secundùm totam suam latitudinem, quàm de Philos. prout est ab Arist. tradita, qui non omnia entia mobilia agnouit, cùm tamen Physicam à Metaph. separauerit per ordinem ad motum, vndè substantias separatas posuit penitus immobiles, & immutabiles, ac proinde 12. Met. agit de substantijs separatis sub titulo de substantia immobili, & pariter omnes patuit esse necessarias in essendo, vt notat Scot. Quol. 15. C. hinc seiunctim de obiecto Philosophiæ hoc, vel illo modo consideratæ disseremus, quò eò, vel maximè nobis præstandum est, quia licèt Arist. Philosophiam sumpserimus, & commentarijs illustrandam, & disputationibus enucleandam, tamen quia eam conscribere Philosophiam intendimus, quæ nostræ Theologiæ famulari, possit, & debeat, cum Philosophus in multis errauerit, variaq; principijs fidei nostræ repugnantia asseruerit, ideò postquam sensum Philosophi breuiter explicuerimus, si principijs fidei non erit consentaneus, limites Aristotelicæ Philosophiæ egrediemur, & Philosophiam secundùm se trademus, ipsi naturæ lumini, ac naturali rationi, quantum fieri potest, innixi, quæ apud nos semper, & vbique magis valebit, quam nuda Aristotelis auctoritas.

2 De obiecto igitur naturalis Philosophiæ quamplures extant opiniones, dixerunt aliqui, eius adæquatum obiectum esse corpus generabile, & corruptibile, includentes tanquam species elementa, & excludentes cælestia corpora, quæ opinio tribui solet Galeno lib. 1. de elementis, & Simpl. initio Phys. & defenditur à Georgio Rag. disp. 1. Peripat. immò quidam addiderunt, tantum corpus mixtum à Philosopho considerari directè, Cælos autem, & elementa tantum reductiuè, veluti principia, & causas obiecti directi: Verùm quia ingenuè negari nequit, Cælum etiam, & elementa directè spectare ad physicam considerationem, ampliauerunt alij obiectum Philos. naturalis, ponentes, id esse corpus naturale, aut mobile, vt commune quoddam est ad corpora caduca, & æterna, & est omnium receptissima opinio, totque habet asseclas, vt eos enumerare pigeat. At alij ex Thomist. scola, vt refert Manca q. procem. Phys. dub. 4. videntes, mobilitatem, in ordine ad quam Philosophia naturalis constituitur, & à Metaph. secernitur, non solùm composito substantiali, sed etiam partibus eius, & præsertim materiæ primæ conuenire (ipsa enim est subiectum cuiuscumque transmutationis substantialis) ampliauerunt adhuc Philosophiæ obiectum, ponentes, id esse substantiam materialem, & corpoream, seu ens mobile substantiale vt complectitur composita, eorumq; partes. Immo Auersa q. 2. de obiecto Philosophiæ sect. 2. constituens etiam in accidentibus intrinsecum principium mutabilitatis, si physica sit scientia distincta à Metaph: statuit obiectum eius adæquatum ens mobile materiale in tota latitudine, vt etiam accidentia complectitur. At ex alio c. obiectum Philosophiæ Caiet. tract. de subiecto naturalis Philosophiæ dilatat; cum enim nedum compositum substantiale, verum etiam accidentale sit mobile (ait ipse) si non subiectiuè, terminatiuè saltim, debet obiectum Philosophiæ ita ampliari, vt vtrumque directè, & per se comprehendat poteritque vocari ens mobile. Rursus alij considerantes: mobilitatem entia materialia transcendere, & substantijs spiritualibus etiam re vera conuenire, dixerunt non sufficere substantiam materialem pro obiecto adæquato naturalis Philosophiæ, neque ens mobile, vt composita materialia complectitur, siue substantialia, siue accidentalia, sed poni debere substantiam finitam directè complectentem tam Angelos; quàm substantias corporeas, ita Scotistæ omnes antiquiores, Ant. And. de tribus principijs p. 1. Canonicus 1. Phys. q. 1. Tromb. 6. q. 1. & Regentes Parisienses q. 4. procem. Physicæ; Immo Tatar. q. præambula Physicæ, & Nicol. Bonet. 1. Phys. c. 1. statuunt pro obiecto Philosophiæ ens finitum directè complectens tam accidentia, quàm substantias eò quia nedum substantiæ, sed accidentia etiam sunt essentialiter mutabilia, & habent principium radicale talis passionis. Hi tamen Scotistæ omnes, dum Philosophie subiectum ita dilatant, protestantur, se loqui de obiecto Philosophiæ secundùm se, & in nota sua latitudine, non autem prout conscripta fuit ab Arist. in quo Recentiores Scotistæ ab antiquis discrepant, quia corpus naturale statuunt obiectum Philosophiæ absolutè absque vlla limitatione, ac declaratione, Faber Theor. 20. Roccus in Phys. procem. q. vn. diff. 1. Sghemma 1. Phys. digress. 1. q. 7. & alij passim.

3 Sed non solùm de materiali obiecto, verùm etiam, & de formali variæ sunt opiniones Auctorum, qui varijs modis rationem formalem obiecti in Philosophia constituunt. Aliqui enim assignant generabilitatem, & corruptibilitatem. Alij sensibilitatem; Quamplures mobilitatem sumptam, vel pro passione, vel pro principio eius; Alij substantialem corporeitatem, vt Aureol. q. de obiecto Theologiæ art. 5. Alij frequenter naturalitatem. Demum Auersa negat, necessariam esse aliquam rationem peculiarem obiectiuam loc. cit. sect. 4.

ARTICVLVS I.

In quo resoluitur quæstio de obiecto materiali Philosophiæ Peripatetica.

4 PRo resolutione quæsiti quoad hanc partem, Notandum est id, quod Scotus docuit 5. Met. q. 1. in fine additionis non dari rationem aliquam necessitatem ad ponendam vnam, aut plures scientias, sed ex beneplacito hominum diuisas esse scientias, sicut de numero Prædicamentorum dicebamus in Log. cum fundamento in re, quare, non sine magna ratione dubitari solet, an Metaph. sit à Philosophia condistincta veluti quædam scientia totalis, & per se vna, num potius sint scientiæ partiales vnam totalem integrantes, cuius obiectum sit ens in sua communitate, vt tenuit Ant. Mirand. lib. 13. de euersione singularis certaminis sect. 67. & sequitur Auersa in sua Philos. q. 1. sect. 6. & pro vtraque parte adsunt rationes probabiles intantùm, vt Scot. in hac re videatur dubius, quia multoties ait, Metaphysicum res tantùm in vniuersali considerare quandoque ad particularia descendere teneri, vndè, & Scotistæ diuisi sunt; & de facto sub titulo vnius scientiæ antiqui Philosophi ante Arist. tempora Physicam, & Metaph. tradiderunt. Sed quia hic docendi modus res physicas, & metaph. promiscuè confusionem parere videbatur, Arist. ipse Philosophiam à Metaph. discreuit, & quia omnia materialia, vt subsunt motui, magnam habent affinitatem inter se, vnam scientiam de his omnib. contexit, quam, & Philosophiam naturalem appellauit, ac etiam in alias partiales scientias iuxta obiectorum diuisionem fecuit; & pariter quia omnia immaterialia in abstractione à motu magnam habebant affinitatem, aliam scientiam totalem de illis confecit, & Metaphysicam nuncupauit; itaque has duas scientias veluti totales discreuit ab inuicem per ordinem ad motum, vnde 2. Phys. tex. 71. ait, quæ mota mouent, considerari à Physico, non verò mouentia immota, & 5. Met. c. 1. ait, Philosophiam esse circa tale genus entis in quo est principium motus, & status, idem habet 11. Met. n. 3. cap. 1. & alibi sæpè: poterat etiam, & alio modo distingui, & distribui in plures scientias hæc vna scientia totalis de ente in tota sua communitate, vt nimirum Philosophia esset de ente finito, Metaphysica de infinito, vel alio consimili modo; itaut obiecta adæquata, & (vt aiunt) attributionis, scientijs assignare, pendeat ex docentis, & scribentis arbitrio: cùm enim obiectum scientiæ sit illud, in cuius gratiam omnia tractat Author tanquam propter finem obiectiuum, ita quod intentio, & scopus Auctoris eo totaliter collimat, vt, eius natura, partes, principia, & passiones in illa scientia explicentur, iuxta variam eorum tractationem, quam inducit, hoc, vel illo modo, de obiecto illius scientiæ ferendum est iudicium: hoc autem non ita intelligendum est, vt quisque possit pro libito cuicumq; scientiæ quodcunq; assignare obiectum, quia ex natura rei scientia specificatur ab obiecto, & ab eo sumit vnitatem, non verò ex scribentis arbitrio, sed in eo sensu intelligendum est, vt quemadmodum pendet ex arbitrio Auctoris de hac, vel illa re tractare, & naturam huius, vel illius obiecti sumere explicandam, & de hoc agere in gratiam illius, vel è contra, ita quantum est ex hac parte in scribentis arbitrio erit obiectum adæquatum in scientia constituere, ad quod cætera omnia attributionem habeant in esse scibili, etiam si ex alio capite in esse rei illud ad aliquod istorũ reduceretur, vt fusius in Log. dictum est disput. 12. q. 2. Hoc prænotato.

5 Dicimus Obiectum materiale adæquatum Philosophiæ peripateticæ esse corpus substantiale, & naturale in tota sua latitudine. Ita Scot. 6. Met. q. 1. & est communis Græcorum, & Latinorum, & probatur. Primo auctoritatibus expressis ipsius Philosophi; nam 6. Met. cap. 1. ait, Philosophiam naturalem esse circa quoddam entis genus, in quo est principium motus & status, & ne quis occasionem sumeret extendendi nomen hoc entis etiam ad accidens subdit se declarans, *etenim circa talem substantiam, in qua principium est motus, & status*, & ne quis hunc substantiæ naturalis conceptum extenderet ad substantias spirituales, aut saltim ad partes essentiales compositi materialis, 11. Met. n. 3. c. 1. ait, naturalem scientiam esse circa ea, quæ in se principium motus habent, & subdit, esse corpora natura constantia, quod etiam apertis docuerat verbis primo de Cælo ab initio; per hoc autem excluduntur Angeli, qui non sunt corporei, & etiam partes essentiales compositi physici; quæ licèt materiales, & corporeæ nuncupari possint, corpus tamen natura constans nequaquam dici possunt, nec debent.

2 Probatur ratione. Illud iudicari debet subiectum adæquatum in aliqua scientia, quod est ibi primò consideratum, & cætera in gratiam illius, cuiusque natura partes, principia, & passiones explicantur & in hoc tota Artificis cura est posita, vt ex Philosopho habetur 1. Post. tex. 25. at in Philosophia naturali ab Arist. tradita corpus naturale est huiusmodi, nam in 2. Phys. c. 1. essentiam eius explicat, dum ait, esse id ens naturale, in quo est internum principium motus, & quietis; eius principia in fieri, seu vt transmutationi subijcitur, assignauit in 1. Phys. & principia in facto esse, seu essendi in 2. Phys. dum naturam definiuit, & per naturam docet, corpus naturale essentialiter constitui, quæ posteà in sublunaribus diuiditur in materiam, & formam: tradidit etiam principia cognoscendi, propositiones nimirum illas vniuersales, quæ ad eius notitiam maximè conducunt, quales sunt definitio ipsius, definitio naturæ motus, & aliæ eiusdem proprietates, & affectiones in cæteris libris Phys. demonstrat, esse mobile, esse locabile, esse diuisibile &c. partes subiectiuæ illius sunt Cælum, elementa, mixta imperfecta, & animata, de quibus ex professo agitur in alijs libris de Cælo, & Mundo, de Gen. & Corrup. de Anima &c. qua ratione cernitur manifestè, omnia in Philosophia considerata in gratiam corporis naturalis considerari, ac proindè obiectum attributionis, & adæquatum debere constitui.

6 Deindè probatur ex aliarum opinionum confutatione; in primis enim obiectum naturalis Philosophiæ adæquatum esse nequit corpus corruptibile, aut mixtum; Tum quia Cælum, & elementa naturalia esse corpora, ac per se mobilia docuit Philosophus 1. Metheor. cap. 1. vbi epilogat, se dixisse de causis naturæ, & omni motu naturali, & de astris, & elementis, & 7. Met. text. 5. inter corpora naturalia enumerat animalia, elementa, Cælum &c. idem repetit 8. Met. tex. 1. & 2. Phys. tex. 71. ait, negotium Physicum esse circa mobile corruptibile, & incorruptibile, & 12. Met. c. 2. diuidit substantiam sensibilem in sempiternam, & corruptibilem, & vtramque docet à scientia naturali tractari, & certè, si Cælum tantùm, ac elementa manerent, cæteris corporibus destructis, adhuc permaneret scientia physica. Nec respondere valet, Cælum, & elementa tractari quidem in physicis, non directè, & per se, veluti species sub eius adæquato obiecto contentas, sed tantùm reductiuè, vt principia obiecti physicæ scientiæ, nam elementa sunt principia materialia mixtorum, & Cæli sunt principia effectiua; Non valet, quia Cælum, & elementa sunt excellentia quædam obiecta, ac proindè per se, & directè à Philosopho naturali considerabilia, veluti species principales corporis naturalis in communi, & de facto in hoc sensu sermonem de ipsis instituit Philosophus in lib. de Cælo, & Gener. & Metheor. considerans eorum quidditates, & passiones, vnde lib. de Mundo ad Alexand. c. 1. ait præcipuam partem Philosophiæ esse, quæ contemplatur cœlestia corpora.

7 Nec Philosophiæ obiectum esse potest ens mobile, vel materiale, vt commune per prædicationem compositis substantialibus, partibus eius, & accidentibus vt putauit Auersa loc. cit. sect. 2. Tum quia hoc est confundere subiectum communitatis cum subiecto attributionis; Tum quia ita loquendo non contradistinguuntur in Philosophia principia, passiones, & subiectum contra documentum Philosophi 1. Post. tex. 25. quia hæc omnia considerarentur, vt species; cum intrinsecè imbibant conceptum entis materialis vt sic; Tum tandem quia etiam in aliquo sensu his omnibus mobilitas conueniret, non proindè dicendum est à Philosopho considerari per se, & directè, veluti species obiecti totalis, sed indirectè, & reductiuè; agit enim de materia, & forma, quatenus sunt principia essendi compositi substantialis; de motu, loco, & tempore, quatenus sunt affectiones corporis naturalis in communi, ac proindè 6. Met. cap. 1. dixit, Philosophiam naturalem versari circa substantiam, in qua est principium motus, vt accidentia excluderet à consideratione directa, & per se physicæ, & alibi sæpè repetit, scientiam naturalem esse circa corpora natura constantia, vt excluderet materiam, & formam, quæ non sunt corpora, nec natura constant in sensu Philosophi, sed potius sunt naturæ, vt ipse docet 2. Phys. cap. 1.

8 Nec Philosophiæ obiectum poni potest ens mobile, vel materiale, vt est commune per prædicationem ad compositum substantiale, & accidentale, vt putauit Caiet. loco supra citato, nam concesso etiam quod ens per accidens possit in aliquo sensu constitui obiectum scientiæ, adhuc non licebit assumere hoc accidentale compositum Caiet. veluti per se obiectum, ac directè consideratum in Arist. Philosophia, & hoc totum ex ipsius doctrina facilè demonstratur; ait enim ipse, in rebus physicis dari compositum substantiale ex materia, & forma, & accidentale ex subiecto & accidente; ait deindè, transmutationem, vel transmutabilitatem, quam ponit primam passionem physicam, non solùm accipi debere subiectiuè, sed etiam terminatiuè, quo sensu conuenit etiam composito, quod fit, vel substantialiter, vel accidentaliter: hoc enim propriè est quod fit ex Aristot. 7. Met. tex. 28. & ideò præcipuè hoc dicitur ens mobile, quia est mobile vt Quod, id est, vt totum quoddam, & hoc tandem compositum in communi ab vtroq; abstrahens asserit directè, & adæquatè obiectum physicæ. At in primis falsum est transmutationem vel transmutabilitatem, in ordine ad quam constituit Philosophus scientiam physicam, & à Metaph. secreuit, per se, & directè terminatiuam quoque includere debere; Tum quia dum 2. Phys. explicat, naturam esse principium huius mobilitatis, dum 3. Phys. motum definit, dum 2. Phys. tex. 71. & alibi sæpe ait, mobilia esse de consideratione physica, loquitur semper de mobilitate subiectiua; mobile igitur subiectiuè & vt Quod solum directè spectat ad physicum, mobile vero terminatiuè indirectè solùm, quatenus scilicet eius productio, vel desitio annexam habet mutationem subiectiuam; productio enim rei sine vlla prorsus mutatione potius spectat ad Metaphysicum, vt productio Intelligentiarum, vel etiam ad Theologum, vt productio Filij in diuinis. Immò propriè loquendo, nec etiam terminatiua transmutabilitas composito accidentali potest conuenire, quia eius natura non est per se vna, ac proindè terminare non potest vnam, & per se productionem, quare in communi etiam modo loquendi dicemus aquam calefieri, non verò produci compositum ex aqua, & calore, aquam esse calefactibilem, non autem compositum ex aqua, & calore esse producibile, vndè mobile vt Quod ad quantitatem, qualitatem, & vbi, est ipsum compositum substantiale.

9 Postremò refelli potest opinio Auersæ, Caiet. aliorumq; Thomist. destruendo eorum commune fundamentum, quod est, primam passionem physicam esse mobilitatem in communi ad substantialem, & accidentalem, atq; ideò ens mobile, quod materiam quoque comprehendat, esse adæquatum Philosophiæ obiectum; Quod eo vel maximè dicendum est (ait Auersa cit.) quia iuxta distinctionem scientiarum ab Arist. factam ad Physicum pertinet considerare omne ens materiale, & mobile, & eadem Physica considerare debebit conceptum ipsum communem entis materialis, & mobilis, nam hoc vtique est obiectum considerabile, & scibile per se pertinens ad ipsam Physicam, neque in ipsi considerari potest per reductionem ad aliquam suam speciem, non enim in scientijs genera reducuntur ad species, sed species ad genera.

At totum hoc fundamentum ruinosum est; potuit quidem Arist. ita suam Physi. instituere, vt pro obiecto haberet substantiam materialem adæquatè sumptam, & de illa per eius quod quid est transmutabilitatem in communi demonstrare; immò potuit assumere etiam pro adæquato obiecto Philosophiæ suæ ens materiale in communi, complectens etiam accidentia, at non ita fecit, siquidem in 1. & 2. Phys. agit de materia, & forma, vt principijs rerum naturalium, non autem vt de speciebus obiecti adæquati; & in cæteris libris agit de Motu, Loco, & Tempore, vt de affectionibus corporum naturalium vndè corpora ipsa per se, & directè consideranit vt species adæquati obiecti, cætera verò, partes scilicet, & accidentia indirectè, & in ordine ad ea. Ex quo etiam sequitur solam mobilitatem accidentalem esse primam passionem physicam, quia mobilitas illa est prima passio physica, cuius principium est natura secundo Phys. definita, at natura est principium mobilitatis accidentalis tantum, vt ab Arist. ibidem definitur, inquit enim 2. Phys. 1. omnia quæ natura constant *habere in seipsis principium motus, & status* & explicans qualis sit iste motus, ait, *hac quidem secundùm locum, illa verò secundùm augmentum, & decrementum, quædam autem secundum alterationem*, hos autem omnes constat esse motus accidentales; & hinc est, quod cum in primo Physicorum egisset de principijs mutationis in communi & in tertio assignasset definitionem eiusdem, postea in alijs libr. Phys. de Cœlo, de Gen. &c. semper specialiter agit de motu accidentali, & non nisi obiter de substantiali mutatione. Accedit, inter tot physicas affectiones ideò præcipuum locum motui tribui, quia per ipsum vt magis sensibus obuium rerum naturalium gradus, & species innotuerunt, vt insinuat Arist. 8. Phys. 22. hic autem est motus accidentalis, non autem mutatio substantialis, seu in communi.

10 Verum est etiam, quod iuxta distinctionem scientiarum ab Arist. factam ad Physicum spectat contemplatio cuiuscunque entis materialis, & mobilis, sed non eodem modo; non enim omnia per se, & directè considerare tenetur, sed quædam vt species, quædam vt principia, quædam vt passiones; conceptum etiam ipsum entis mobilis in communi considerare debet, sicut & mobilitatem in communi considerat; sed falsum est hunc ipsum in Physica considerari non posse in gratiam corporis naturalis, sicut falsum est in scientia genus ad speciem saltim in esse scibili reduci non posse, immò omninò necessaria est cognitio generis ad scientificam speciei notitiam, ac proindè ex natura rei potius genus ad speciem, quam species ad genus reduci debet in scientia, quare sicut in logica argumentatio, secunda intentio, ens rationis, &c. reduci habet ad Syllogismum, cuius exacta cognitio intenditur per se & directè ab Arist. in sua Log. ita etiam in sua Philosophia ens materiale, ens mobile, &c. ad corpus naturale reduci debet, vtpotè eius exprimere naturam, per se, & directè intendit Arist. & eadem ratione mutabilitas in communi considerabitur à Philosopho in gratiam mobilitatis accidentalis; cùm hæc sit prima passio physica, & scientifica cognitio speciei sine generis notitia haberi nequeat; & sicut materia ad corpus naturale reducitur, tanquam pars essentialis partis subiectiuæ eius scilicet corporis caduci, ita mutabilitas substantialis, vt passio materiæ, ad accidentalem reducetur, vt ad passionem adæquatam corporis naturalis. Ex quo deducitur tantum abesse, quod mobile duntaxat substantialiter per se tractetur à Physico, mobile verò accidentaliter solùm reductiuè, vt quidam Thomistæ dicebant, quod potius res omninò è contra se habeat. Ampliùs autem hanc veterum Thomistarum opinionem refellere opus non est, iam enim ab omni schola ablegata est, etiam ab ipsa Thomistica, vndè Recentiores Thomistæ, passim eam reijciunt, vt est videre apud Complut. Manca, & alios, & in nostram apertè descendunt, à qua nonnisi vocibus discrepant (vt ipsemet fatentur) corporis naturalis, ac entis mobilis.

Soluuntur Obiectiones.

11 IN oppositum obijciunt Primò Auctores primæ opinionis. Illud est subiectum in tota Philoso. cuius principia, & passiones traduntur in octo lib. Phys. vbi Aristot. tradit principia communia Physicæ, idest quæ conueniunt omnibus speciebus obiecti adæquari, vt pollicitus erat primo Phys. tex. 4. at principia, & passiones in octo lib. considerata competunt tantùm corruptibilibus corporibus, ergo &c. probatur minor in primo Phys. tradit principia in fieri, inter quæ est priuatio, quæ non reperitur in Cælis, in secundo agit de principijs in facto esse scilicet de natura, quam diuidit in materiam, & formam, quæ in Cælo non sunt apud Arist. denique locus & tempus, de quibus agitur 4. Phys. Cælo non conueniunt, quod sempiternum est, nullumque extrà se corpus habet, à quo ambiatur. Confirmatur quia Philosophus primo Phys. tex. 68. & 83. clarè significat se velle agere de principijs rerum corruptibilium in lib. Phys. sed in eis agitur de principijs communissimi, & adæquati obiecti, ergo &c. Demum subiectum debet esse vniuocum, sed Cælo & sublunaribus nihil est commune vniuocum, æternum enim, & corruptibile differunt plusquam genere 10. Met. tex. 20. ergo.

Resp. negando minorem, cùm enim in 1. Phys. tradantur principia in fieri, idest transmutationis in communi, vt infrà dicemus, cùm cælestia corpora mutationi accidentali subiecta sint, hac ratione tria illa principia participabunt. Nec valet, quod contra hoc objicit Auersa sec. 3. ex hoc sequi, cœlestia corpora solùm secundùm rationem mutationis accidentalis, & non secundùm substantiam suam, quatenus scilicet substantialiter incorruptibilia ad Physicum pertinere; Quia Arist. adhuc considerat naturam cœli, quatenus est principium affectionum illius, & præsertim motus circularis, quem ait esse æternum, eo quia nullum habet motum contrarium, & ex eius æternitate colligit etiam substantialem Cœli incorruptibilitatem. Conueniunt etiam Cœlo principia in facto esse, scilicet Natura non quatenus dicitur de materia, & forma, sed quatenus accipitur pro essentia, & quidditate, ex qua res ipsa habet, vt possit moueri, Natura enim adæquatè diuiditur in materiam, formam, & quidditatem vt dicemus 2. Phys. c. 1. & disp. 5. qu. 1. Affectionesitandem etiam in cæteris, lib. Phys. explicatæ Cœlo competunt, scilicet motus circularis, ratione cuius tribuit ei Arist. tempus æternum, & locus, quatenus semper inferior sphæra à superficie concaua superioris ambitur, & quomodo etiam vltima ipsa sphæra sit in loco dicetur Disp. de Loco. Ad primam confirmationem negatur eam esse intentionem Arist. in illis tex. vt dicemus disp. 1. q. 2.

Ad aliam confirm. negatur minor, ad cuius probationem ait Scot. 4. dist. 6. quæst. 10. Met. Philosophum loqui de genere physico, scilicet materia, non autem logico, & verum est in sententia Arist. corpora æterna non conuenire in materia cum sublunaribus, sunt enim materiæ expertia secundùm ipsum, vt ait Doct. 2. dist. 14. qu. 1. Sed Vrges, ergo non pertinent ad physicum, qui res immersas materiæ considerat, & in hoc à Metaphysico differt. resp. ex Arist. 8. Met. & tex. 12. quòd etsi careant materiam transmutabili secundùm substantiam, eam tamen habent, quæ secundùm locum mobilis est, & de hac præsertim materia Philosophus loquitur, cum ait, physicum considerare res materiæ immersas, & Metaphysicum abstractas.

12 Secundò objicitur ex Auersa, & alijs statuentibus substantiam materialem subiectum, vt etiam partes physicas complectitur, quia accipi potest substantia materialis vt comprehendit materiam, formam, & compositum, vt fecit Arist. 2. de Anim. tex. 2. & substantia sic sumpta est obiectum scibile, de quo demonstrari possunt passiones physicæ, immò Aristot. ipse 4. Met. tex. 4. dum dixit, tot esse partes Philosophiæ, quot substantiæ, assignare volens substantiam corpoream ipsi Physicæ videtur locutus absolutè de tota substantia, & 2. Phys. in principio enumerans substantias naturales, quas erat consideraturus, recenset animalia, & partes eorum, & præsertim in lib. de Anima directè, & adæquatè agit de ipsa anima, vnde & ibi statuitur obiectum. Nec respondere valet (inquit Auersa) non posse materiam, & formam directè includi in obiecto physicæ, quia considerantur, vt principia, & partes eius, non vt species. Quia id non impedit; quin adhuc possint in se ipsis considerari, tanquam species substantiæ materialis in tota latitudine inspectæ, sicut elementa sunt quidem principia respectu mixti, sed in se sunt quædam species corporis, & vtroque modo considerantur à Philosopho, nec vnam contemplatio aliam impedit.

Confirmatur, quia passiones physicæ non adæquatè competunt corpori, sed etiam partibus, quantitas enim est in materia prima, vt in subiecto, & etiam transmutabilitas substantialis. Nec respondere iuuat, primam passionem physicam esse mutabilitatem tantùm accidentalem; Quia mobilitas illa est prima passio physica, cuius principium est natura, sed natura est principium, non solum mutationis accidentalis, sed etiam substantialis; cum quia mutabilitas materiæ est à principio passiuo sibi intrinseco, quo nata est moueri primò, per se, & non secundùm accidens ad hanc, & illam formam; tum quia argumentum adhuc magis vrget de corpore pro altera parte compositi, quod vtique est habens naturam, scilicet materiam, & formam, & est substantialiter transmutabile ad Animam, cuius transmutationis principium esse naturam dubitari nequit.

Demum, quando etiam natura foret principium tantum accidentalis mobilitatis, adhuc ista excedit corpus de prædicamento substantiæ, tum quia de facto corpus pro altera parte compositi Anima destitutum mouetur: tum quia Anima rationalis in corpore per suas operationes immediatè subijcitur alterationibus, ergò aliquid corpore latius poni debebit subiectum in Philosophia, immò, & ipsamet substantia materiali.

13 Respondetur gratis concedendo potuisse ita à Philosopho instituí

ſtitui Phyſicam vt pro obiecto haberet ſubſtantiam materialem adæquatè ſumptam, & de illa per eius quodquid eſt tranſmutabilitatem in communi demonſtrare, at non ita fecit; ſiquidem in 1. & 2. Phyſ. agit de materia, & forma, vt principijs rerum naturalium, non autem vt de ſpeciebus obiecti adæquati, & in hoc ſenſu 2. Phyſ. ab initio ſubijcit etiam partes animalium Phyſicæ conſiderationi, indirectè nimirum, & reductiuè per ordinem ad totum, quod conſtituunt, & conſultò ita agit de materia, & forma, quamuis enim præſcindi queant ab ordine ad compoſitum, & ſecundùm ſe conſiderari, vt ſpecies materialis ſubſtantiæ; hæc tamen cognitio non ſatis exacta eſt, quantum exigitur ad cognitionem ſcientificam, quarè vt de eis habeatur cognitio omnibus numeris abſoluta, conſiderari debent per ordinem ad compoſitum. Nec valet aſſumpta paritas ab Auerſa de materia, & forma in ordine ad compoſitum, & elementis in ordine ad mixtum, quia elementa poſſunt quidem conſiderari vt ſpecies obiecti, quia ſunt ſpecies quædam integræ, & completæ, de quibus in recto corpus prædicatur, & ablato corpore mixto adhuc extarent in vniuerſo, & ſine ordine ad mixtum poſſunt ſcientifica, & exacta cognitione attingi, quod de materia, & forma dici nequit. Et falſum eſt Ariſt. in lib. de An. agere de illa per ſe, & directè, quia de illa agit in ordine ad corpus, & vt eſt pars animalis; Neque ex hoc quod in illis libris ſtatuatur obiectum, ſequitur quòd cadat ſub directa conſideratione totius Philoſophiæ, ſicut neque ex hoc, quòd principia ponantur obiectum primi, & ſecundi Phyſ. affectiones verò cæterorum, ſequitur, principia, & affectiones cadere ſub directa conſideratione totius Philoſophiæ, veluti ſpecies obiecti adæquati.

14 Ad confirm. negatur aſſumptum, quantitas enim corpori inhæret, & non materiæ primæ, vt infrà patebit diſp. 2. q. 8. ar. 4. ſimiliter, & mobilitas, quæ eſt prima paſſio phyſica, corpori naturali ſolum adæquatè conuenit. Ad quod tuendum P. Faber theor. 20. c. 2. abſolutè negauit materiam vlla ſpecie motus per ſe moueri poſſe, quod planè minus philoſophicè dictum cenſemus; Ariſt. namque 1. Phyſ. per totum ex profeſſio demonſtrat materiam eſſe ſubiectum primum cuiuſcunque mutationis ſubſtantialis, quod & nos infra fusè probabimus, præſertim diſp. 2. qu. 8. art. 2. Alij videntes rationabiliter negari non poſſe materiam eſſe per ſe ſubiectum mutationis, vt adhuc defenderent materiam non poſſe propriè dici phyſicè mobilem, dixerunt, quòd per mobile mutatione phyſica intelligitur omne id, quod ita mutatur, quòd non ſolum eſt ſubiectum mutationis, verùm etiam terminus eius, quo pacto non eſt materia, quia licèt materia ſit generationis, & corruptionis ſubiectum, non tamen eſt terminus, mobile verò phyſicè non ſolùm debet eſſe ſubiectum, verùm etiam terminus, & vtrumque aiunt, ad mutationem phyſicam per ſe requiri; atque ideò materiam non eſſe mobilem aliqua phyſica mutatione. Verùm vel iſti intelligunt, quòd mobile mutatione phyſica debeat eſſe ſubiectum, & terminus reſpectu eiuſdem mutationis, vel reſpectu diuerſarum, vnius nempe ſubiectum, alterius verò terminus; primum planè omninò implicat, quia ſubiectum præſupponitur motui, & terminus acquiritur per eum; alterum verò eſt prorſus voluntariè dictum, nam omninò per accidens ſe habet, quòd ſubiectum vnius mutationis fuerit antea terminus alterius, & præſertim in ſententia Philoſophi patet cœlum eſſe mobile phyſicè, & tamen nullius mutationis huiuſmodi fuiſſe terminum. Præſtat igitur ex dictis reſpondere, quòd neque mobilitas ſubſtantialis, quæ materiæ conuenit, neque mobilitas in communi eſt prima paſſio phyſica, ſed tantum accidentalis; & cum id impugnatur, concedimus abſolutè loquendo mobilitatem materiæ, & corporis pro altera parte ad formam ſubſtantialem poſſe dici naturalem, quatenus principium eius eſt natura, ſi natura in ampliori ſignificato ſumatur, quam ſumpſerit Ariſt. 2. Phyſ. imò concedendum eſt nedum corpus pro altera parte, ſed etiam materiam dici poſſe habens naturam, ſed non in ſenſu, quo Philoſophus eſt ibi loquutus de natura, & habente naturam, nam per habens naturam intelligit ibi ens completum, & per naturam principium conſtitutiuum alterius eſſentialiter, vt fuſiùs diſp. 6. dicemus; & ideò tex. 14. explicat generationem eſſe naturalem, non quia ſit à natura, ſed quia eſt via in naturam, quatenus eſt via ad conſtituendas rerum eſſentias ex materia, & forma.

15 Sed dices, ſi mobilitas accidentalis habet pro ſubiecto adæquato corpus naturale, & mobilitas in communi ad ſubſtantialem, & accidentalem ens mobile, ſeu ſubſtantiam materialem, vt etiam partes phyſicas complectitur; cuius conſideratio ad phyſicum ſpectat, ergo præſtabit mobilitatem in communi ſtatuere primam paſſionem phyſicam, & ens ita mobile ſubiectum adæquatum Philoſophiæ naturalis, non verò corpus naturale, Conſeq. probatur, quia ſubiectum in ſcientia, vt Scot. ipſe docet q. 3. prol. & in report. debet habere conceptum quidditatiuum non incluſum virtualiter in aliquo priori ad ſcientiam illam pertinente. Reſp. negando ſequelam, & ratio negationis ſæpiùs eſt inculcata ſuperiùs, ad cuius probationem gratis concedimus, quod docuit Scotus cit. ſubiectum in ſcientia non debere habere conceptum quidditatiuum virtualiter incluſum in aliquo priori ad ſcientiam pertinente, quia quod quid eſt de ſubiecto indemonſtrabile eſt; at falſum eſt in hoc ſenſu conceptum corporis naturalis virtualiter contineri in conceptu priori ſubſtantiæ materialis, vel entis mobilis, quia conceptus ſpecificus addit ſemper rationem differentialem ſupra genericum; quia de cauſa conceptus quidditatiuus de ſpecie demonſtrari nunquam poteſt per rationem generis, quantumcunque ſit nota, genus enim continet differentias continentia tantum potentiali, non vlturiali.

Ad alteram Conf. etiam negatur aſſumptum, ad primam probationem dicimus, quod motus accidentalis non competit corpori pro altera parte abſolutè, & directè, quatenus ſpecies corporis, ſed indirectè, quatenus pars corporis animati, vnde nec dici poteſt ens per ſe mobile abſolutè loquendo; mobile enim per ſe apud Philoſophum dicitur, quod eſt mobile, vt quod, ideſt tanquam totum quoddam; quod enim ſe habet, vt pars reſpectu totius compoſiti, dicitur mobile, vt quo, etiam ſi moueatur extra compoſitum, quia adhuc manet cum eſſentiali ordinatione ad illud. Ad 2. pariter dicimus, animam quâdiu manet in corpore per ſuas operationes dici alterari, & moueri, vt quo, vnde primo de Anima tex. 64. habet Ariſt. hæc verba *non tamquam motu in ipſa exiſtente, &c.*

16 Tertiò arguit Auerſa cit. probans, Phyſ. obiectum eſſe ens mobile materiale in communi complectens directè non ſolum partes eſſentiales, ſed etiam accidentia materialia, nam 3. Phyſ. 6. & 9. pro ſubiecto adæquato motus, qui ponitur prima paſſio, aſſignauit Ariſt. ens mobile in tota ſua latitudine, & hic conceptus entis mobilis in Phyſica non conſideratur in ordine ad aliquam ſpeciem; & 1. Cæli tex. 1. æquè directè ait ſcientiam de natura de corporibus, & magnitudinibus, motibus, & paſſionibus ideſt alijs accidentibus, & præſertim 4. Met. tex. 1. ait ſcientias particulares abſcindere ſibi partem entis, eamque conſiderare; ſi ergo Phyſica dicitur adæquate conſiderare ens materiale, per quod determinatur in ſua abſtractione, & à Metaph. ſecernitur, eius adæquatum obiectum debebit aſſignari ens materiale, vt etiam accidentia comprehendit.

Confirmatur à pari, quia obiectum adæquatum Metaph. eſt ens in communi, neque aſſignatur per ſe, & directè ſola ſubſtantia, itaut accidens conſideretur per reductionem ad ſubſtantiam; ſed ita ſe habet accidens materiale ad ſubſtantiam materialem, ſicut accidens in communi ad ſubſtantiam in communi, ergo pariter illa ſcientia, quæ conſiderat omne ens materiale, quæ dicitur Phyſica, debet potius habere directè pro obiecto ſuo adæquato ens materiale, & non ſolam ſubſtantiam materialem, & corpoream.

Denique verè etiam accidentia ſunt eſſentialiter mutabilia, & habent naturam, vt radicale principium talis paſſionis ſumendo naturam pro tali eſſentia rei, ex qua ipſa res habet, vt poſſit moueri, & mutari, quantitas per ſe alterari poteſt, cum ſit immediatum ſubiectum qualitatis, & accidentia ſeparata in Euchariſtia deorſum tendunt naturaliter, quia adeſt grauitas, immò, & coniuncta propriè, & per ſe localiter mouentur, quia non ſolum compoſitum, ſed etiam eius partes, & accidentia peculiarem habent præſentiam diſtinctam à præſentia totius, vt dicemus diſput. de loco, vnde illam in ſe immediatè acquirendo verè, & propriè, ac per ſe localiter mouentur, & non tantum per accidens ad motum totius.

17 Reſp. potuiſſe vtique Ariſt. aſſumere pro adæquato obiecto Phyſicæ ens materiale in communi complectens etiam accidentia, at non ita fecit, ſed directè, & per ſe conſiderauit corpora naturalia, & in ordine ad illa conſiderauit accidentia Phyſica, & quidem res ipſa ſic poſtulabat; in ſcientijs enim intenditur cognitio veritatis non quæcunque, ſed perfecta, & ordinata iuxta exigentiam rerum, modus vero magis congruus, & ſcientificus cognoſcendi accidentia phyſica eſt, vt per ſuas cauſas demonſtrentur de ſubiecto, in quo ſunt, & hoc modo ad Phyſicum ſpectat conſiderare omne ens materiale, ſcilicet per ſe, & directè, quod in hunc modum conſiderandum venit, indirectè verò, & reductiuè, quod ex natura ſua ordinatur ad aliud, & in hoc ſenſu 1. Cœli tex. 1. dixit Ariſt. ſcientiam de natura eſſe circa corpora &c. in ſenſu ſcilicet illis accommodo, vt de corporibus ageret, veluti ſpeciebus obiecti, de cæteris autem, vt de principijs, vel paſſionibus eius; & in hoc ſenſu dixit 4. Met. tex. 1. Phyſicam abſcindere ſibi partem entis materialem; in 3. autem Phyſ. ſicut definiuit motum in communi in gratiam motus accidentalis, cuius principium eſt natura, ita conſiderauit ens mobile in communi in gratiam entis mobilis accidentaliter, quod eſt corpus naturale, quia cognitio ſpeciei diſtinctam præexigit notitiam generis, & ita in ſcientijs poteſt genus reduci ad aliquam ſuam ſpeciem in eſſe ſcibili.

Ad Conf. negatur paritas aſſumptam, quia Metaph. præſertim circa tranſcendentia verſatur, nec illæ paſſiones tranſcendentes poterant congruè, & adæquatè de ſubſtantia demonſtrari; tum quia non conſiderat accidens, vt affectionem ſubſtantiæ, ſed vt ens æquè participans paſſiones tranſcendentes, ac ſubſtantiam; at Phyſica conſiderat accidentia, quatenus affectiones corporum, quare poteſt recta ratione de accidentibus mobilitatem, & alias Phyſicas paſſiones demonſtrare, non per ſe, & abſolutè, ſed in ordine ad corpora.

Ad aliam Conf. accidentia etiam ſi concedantur naturaliter mutabilia, non tamen in eo ſenſu, quo Ariſt. dixit naturam eſſe principium motus 2. Phyſ. & entia naturalia eſſe per ſe mobilia, qua ratione accidentia ibidem non entia naturalia directè appellauit, ſed entia ſecundùm naturam, quatenus etiam ſi ſint mutationis capacia, hoc eis ſolum conuenit in ordine ad corpus eorum ſubiectum, vnde quamuis vnum accidens poſſit immediatè in ſe aliud ſuſcipere, & ſuſtentare, quia tamen hoc totum facit dependenter à ſubſtantia, quæ eſt ſubiectum primum, & vltimatè terminans dependentiam omnium accidentium, vt docet Scot. 4. diſt. 12. q. 2. & nos infra diſp. 3. q. 2. art. p. nu. 32. ideò quod per ſe mouetur ad quantitatem, & Vbi eſt ſubſtantia, & accidens ad ſummum dici poterit mobile, vt quò, & ad motum alterius, quia ſi non eſſet in ſubſtantia, nullum aliud poſterius accidens in ſe ſuſcipere poſſet, ratione cuius diceretur moueri, vt fuſius infra diſput. 3. q. 3. art. 1. motus verò accidentium in Euchariſtia ad phyſicum non ſpectat, quia quòd accidens moueatur extra ſubiectum, procedit ex vi antecedentis miraculi.

Inſtabis difficultatem vrgere ſaltim de anima rationali, nam ſi in ſcientia Philoſophi ponatur immortalis, etiam & mobilis extra corpus poni debebit, & quidem ex natura ſua, & non ex vi alicuius antecedentis miraculi. Reſp. quod ſicut ſtatus accidentis extra ſubiectum ad phyſicum non ſpectat, ita neque ſtatus animæ rationalis extra corpus, nec Ariſt. de immortal. animæ fuit vndequaque ſecurus, imò nec pro ſtatu iſto abſolutè loquendo poteſt rigoroſa demonſtratione probari, vt ſuo loco dicemus, & quando etiam hæc omnia concederemus, dicendum foret de illo motu animæ idem omninò, quod de motu corporis pro altera parte paulò ſupra dictum eſt.

18 Quartò arguit Caiet. probans adæquatum obiectum eſſe ens mobile, prædicabile de compoſito ſubſtantiali, & accidentali, adæquatum obiectum primæ paſſionis Phyſicæ eſt etiam adæquatum ſubiectum Philoſophiæ, ſed hoc eſt ens mobile commune compoſito ſubſtantiali, & accidentali, ergo, &c. Probatur minor, quia ſi loquamur de mobilitate ſubiectiua, hæc non tantum conuenit compoſito ſubſtantiali, ſed etiam accidentali, id enim, quod mouetur ad qualitatem, & Vbi circumſcriptiuum, eſt corpus ſubſtantiale quantum, nam mediante quantitate eſt qualitatis corporeæ ſuſceptiuum, & Vbi circumſcriptiui, ergo &c. Si verò loquamur de transmutabilitate terminatiua hæc etiam conuenit compoſito accidentali, namque principia iſtius docuit Ariſt. 12. Met. 22. vagari etiam per accidentium prædicamenta, vt enim compoſitum ſubſtantiale fit ex priuatione formæ ſubſtantialis, ſic compoſitum accidentale fit ex priuatione formæ accidentalis, & hæc ratione 1. Phyſ. 17. dixit ſe tractare in vniuerſum principia omnis generationis; & inter res tractatas è Philoſophia ſunt res metheorologicæ, quæ non ſunt, niſi compoſita quædam accidentalia, ergo, &c.

Confirm. quia Philoſophia conſiderare tenetur principia naturalia in communi ad omne compoſitum tam ſubſtantiale, quam accidentale, & id, quod ſit tanquam terminus per mutationem, eſt conceptus ſcibilis in Phyſica, cum habeat principia, & paſſiones de ipſo demonſtrabiles, nempe tranſmutabilitatem ſubiectiuam, & terminatiuam, hæc enim adæquatè competit compoſito tam ſubſtantiali, quam accidentali, vt modò probatum eſt. Nec benè diceretur hunc conceptum ſuperiorem in Phyſica conſiderari in ordine ad aliquem inferiorem, tum quia in ſcientijs, non genera ad ſpecies, ſed ſpecies ad genera reducuntur, tum quia ſi phyſica adæquate reſpiceret aliquem conceptum inferiorem v. g. corpus ſubſtantiale, non poſſet conſiderare conceptum illum ſuperiorem, quia excederet limites eius, ſicut ſi obiectum oculi eſſet viſibile, non poſſet oculus ferri in conceptum qualitatis.

19 Reſp. neg. min. ad probationem dicimus, de quacuque transmutabilitate ſit ſermo, falſum eſſe aſſumptum à Caiet. nam ſi loquamur de ſubiectiua falſum eſt ens mobile in communi ad compoſitum ſubſtantiale, & accidentale eſſe ſubiectum adæquatum eius, quia nec compoſitum ſubſtantiale eſt ſubiectum transmutationis ſubſtantialis, cum omne tale apud Thom. ſit ens complementum; nec compoſitum accidentale eſt ſubiectum mutationis accidentalis, quod enim mouetur ad quantitatem, qualitatem, & Vbi, eſt corpus ipſum ſubſtantiale, quamuis non intelligatur moueri ad qualitatem, & Vbi, niſi ſit quantum vt ex profeſſo dicemus infra diſput. 3. q. 3. art. p. Si verò loquamur de transmutabilitate terminatiua, falſum eſt, hanc eſſe primam paſſionem Phyſicam, & propriè conuenire compoſito accidentali, vt ſupra n. 8. diximus contra Caiet. & quando id Ariſt. dixit 12. Met. tex. 22. intelligendum id eſt per quamdam analogiam, vt ipſemet ibi ſe explicuit, alioqui enim fieri, propriè loquendo, conuenit compoſito ſubſtantiali, ſicut ei ſolùm propriè competit eſſe, & exiſtere, vt diſertis verbis docuit idem Philoſophus 7. Met. tex. 22. & 23. falſum eſt inſuper, trasmutabilitati terminatiuæ conuenire tria illa principia, materiam, formam, & priuationem, quia cum ſic inſpecta rationem habeat productionis, & à ratione mutationis præſcindat, reſpicit agens pro principio, & à ſubiecto præſcindit; concedimus tamen, illa tria principia conuenire transmutationi ſubiectiuæ in communi ad ſubſtantialem, & accidentalem, & de illis in hac communitate 1. Phyſ. tractari, at hinc non ſequitur, compoſitum accidentale eſſe per ſe obiectum à Philoſopho directè conſideratum, ſed tantum corpus ſubſtantiale, vt mutationi accidentale ſubijcibile, compoſitum verò accidentale indirectè, quatenus ſcienda de tali compoſito optimè dignoſcuntur loquendo directè de corpore ſubſtantiali recipiente accidentia: res verò metheorologicæ, ſi ſunt entia per accidens, non conſiderantur, vt per ſe obiecta, ſed veluti quaſi paſſiones elementorum, vel mixtorum.

Ad confirm. dicimus, vtique Philoſophum conſiderare 1. Phyſ. principia in fieri cuiuſcunq; compoſiti, quatenus tractat de principijs cuiuſcunque mutationis, ſed cum ſubiectum mutationis accidentalis ſit corpus ſubſtantiale, & hoc ſit propriè quod dicitur fieri tale per hanc mutationem; non enim dicimus, fieri hominem muſicum, aquam calidam, ſed aquam fieri calidam, hominem muſicum, ſequitur hinc, non compoſitum accidentale eſſe per ſe obiectum à Philoſopho directè conſideratum, ſed tantum indirectè per conſiderationem corporis ſubſtantialis accidentia recipientis, & in hoc ſenſu eſt obiectum ſcibile in Phyſica, & rationabiliter; quamuis enim vtcumque poſſet dari ſcientia de illo, modus tamen magis congruus dignoſcendi naturam eius eſt, ipſum dignoſcere agendo de ſubiecto per ſe accidentia recipiente, & falſum eſt, in ſcientia conſiderari non poſſe conceptum communiorem neceſſarium ad exactam cognitionem obiecti adæquati, ad quod proinde reducatur in eſſe ſcibili, vt num. 17. dicebamus contra Auerſam; nec talis eſt adæquatio obiecti in ſcientia, vt excludatur cognitio conceptus communioris, quem eſſentialiter includit; immò dicitur adæquatum, quia nil ſcientiæ debet eſſe, quod non ſit ſub obiecto contentu, & nil ſubiecti, quod non explicetur in ſcientia, & ſi conceptus communis qualitatis foret neceſſarius ad conſtitutionem qualitatis in eſſe viſibili vt ſic, poſſet adhuc oculus ferri in illum abſque exceſſu limitum ſuæ ſphæræ.

20 Quintò tandem arguitur, corpus naturale ſubſtantiale non poſſe eſſe ſubiectum adæquatum Philoſophiæ, ſed debere poni quid latius; Tum quia agit de anima rationali, quæ ſpiritualis eſt; Tum quia ſi nullæ eſſent ſubſtantiæ abſtractæ, Phyſica eſſet prima Philoſophia 6. Met. tex. 3. ergo circa ens verſatur, vt Metaphyſica, à qua non differt, niſi quia ſubſtantias abſtractas non conſiderat. Confirm. quia nulla ſcientia probat, ſuum ſubiectum eſſe, at Philoſophus 6. Phyſ. tex. 32. probat, omne corpus eſſe mobile ſiue habere principium motus, quod in re idem eſt, ac ſi probaret eſſe naturale.

Reſp. animam poſſe conſiderari tripliciter, vel ſecundùm ſe, vel vt eſt in corpore, vel vt extra corpus, primo, & ſecundo modò ſpectat ad Phyſicum, quia vt ſic dicit ordinem ad actualem materiam; vel aptitudinalem, & reducitur ad corpus, veluti pars eius, ſed tertio modo pertinet ad Metaphyſicum. Et ſi non darentur ſubſtantiæ abſtractæ, vtique tunc Phyſica eſſet prima Philoſophia, quia tunc nulla daretur abſtractio prædicatorum tranſcendentium, circa quæ verſatur Metaphyſica, & ſunt communia rebus corporeis; & in corporeis ſed tantum darentur ſubſtantiæ materiales, & corporeæ, quas cum Phyſica conſideret cum his accidentibus vtique data hypotheſi, totam entis amplitudinem exhauriret, & ita foret prima Philoſophia, hinc tamen non ſequitur, modò debere contemplari aliquid communius corpore, vt per ſe obiectum. Confirmatio illa, in qua vim tantam ſolent Thomiſtæ facere, ita friuola eſt, vt mille habeat ſolutiones, quarum ſingulæ ſufficiunt; falſum eſt, vllibi in Philoſophia probari, corpus naturale eſſe, cum potius vbicumque ſupponatur, vt patet ex 1. Phyſ. tex. 11. *ſupponendum eſt, omnia, aut quædam moueri*, & 2. Phyſ. tex. 6. non magis ridiculum ait, eſſe demonſtrare naturam, quam corpus eſſe, in quo eſt natura, cum manifeſtius ſit, eſſe corpora naturalia, quam naturam; loco verò citato 6. Phyſ. tex. 32. nec probat, corpus eſſe, nec mobile eſſe, ſed tantum omne mobile eſſe quantum, & diuiſibile, diuiſibile autem non eſt idem ac corpus ſubſtantiale; immò neque ibi Philoſophus nominat corpus ſubſtantialiter ſumptum, ſed tantum pro accidente de genere quantitatis, nec ſumit mobile pro ratione formali, & principio radicali, ſed loquitur expreſsè de motu, quod eſt accidens, vt recte notat Auerſa cit. ſect. 3. Ariſt. igitur, nec probat, corpus eſſe, nec naturale eſſe, nec mobile eſſe, ſed tantum probare conatur, ſubſtantiam ad hoc, vt ſit capax motus, debere eſſe quantam, quod an bene probet, ſuo loco videbimus. Quod ſi etiam diuiſibile ibi accipere velimus pro corpore ſubſtantiali, adhuc non probatur corpus de mobili, ſed ſuppoſita exiſtentia corporis ſubſtantialis, probatur mobilitas ineſſe ſoli, & omni, vt aduertit Amicus in ſua Philoſ. tract. 1. diſput. 1. q. 1. artic. 10. quod eſt dicere, omne mobile eſſe corpus, neque eſt abſurdum probare, coniunctionem paſſionis cum ſubiecto conuenire ſoli ſubiecto, imò hoc eſt neceſſarium in ſcientia. Et quando etiam Philoſophus probaret, corpus naturale, ſeu mobile eſſe, adhuc non ſequitur, hac de cauſa non poſſe poni ſubiectum, quia in ſcientia poteſt de ſubiecto demonſtrari quod ſit à poſteriori, vt ex Scot. colligitur q. 3. Prol. & nos probauimus in Log. diſp. de ſcientia, & Caiet. ipſe fatetur 1. p. q. 2. art. 3. oſtendens, Theologiam poſſe probare. Deum eſſe, etiam ſi habeat illum pro obiecto.

Sed Vrges, probari etiam à priori exiſtentiam corporis naturalis in Philoſophia, dum 1. Phyſ. oſtendit, dari materiam, & formam. Reſp. ab omnibus, id facere Ariſt. indutum habitu metaph. vt ipſe proteſtatur tex. 8. ſed etiam addere poſſumus, Philoſophum iſta principia probare ex medio phyſico, ex continua nimirum rerum mutatione, quod eſt oſtendere principia, & ſubiectum à poſteriori, hoc autem non repugnat rationi ſubiecti ſcientiæ, vt diximus loc. cit.

ARTICVLVS II.

In quo reſoluitur quæſtio de obiecto materiali Philoſophiæ in ſe.

21 Dicendum eſt, in Philoſophia naturali ſecundùm ſe conſiderata & in tota ſua latitudine obiectum adæquatum eſſe ſubſtantiam finitam naturalem, vt etiam ſubſtantias immateriales cõplectitur,

ctitur, siue per se subsistentes, vt sunt Angeli, siue habentes modum subsistentis, vt est anima separata, Conclusio est ferè omnium veterum Scotist. quam manifestè docuit Doct. 6. Met. q. 1. vbi ait, rationem, quare substantia separata ad Metaphysicum pertineat, esse, quia & si habeat proprias passiones sibi primò inhærentes, non tamen nobis scibiles via sensus, sed sic sunt solæ passiones entis de ipsa notæ, *vnde verum est* (subdit Doctor) *quod ipsa est subiectum secundæ scientiæ speculatiuæ possibilis intellectui cognoscenti ipsam sub propria ratione, sed non nobis*, hæc Doctor, ex quo patet, in sententia Doctoris substantiam separatam pertinere ad Physicam, quæ est ipsa secunda scientia speculatiua, si consideretur secundum se; & in intellectu cognoscente illam substantiam sub propria ratione, atque ita in sententia Scoti assignari debet pro adæquato obiecto Philosophiæ in tota sua latitudine aliquod commune substantijs corporeis & incorporeis, quod erit substantia finita naturalis, quam conclusionem ex Recentioribus tenet Auersa loc. cit. q. 2. sect. 1. Probatur autem conclusio euidenti ratione: Prima, & communissima passio, quæ in Philos. consideratur, & per quam in esse naturalis scientiæ constituitur, & à Metaph. distinguitur, est mobilitas, ergo subiectum adæquatum huius passionis erit etiam adæquatum obiectum scientiæ naturalis, at tale adæquatum subiectum nequit esse corpus, sed tantum substantia finita, ergo hæc erit adæquatum Philosophiæ naturalis obiectum in tota sua latitudine, probat minorem subillam Canoni, loc. sup. cit. aliqua enim, etiam non corporea sunt per se mobilia, quod ipse probat de Angelis ex Doct. in 2. d. 2. q. 9. quia omne receptiuum formarum alicuius generis, quod non est determinatum ad aliquam vnam illarum, potest mutari de vna in alteram, si non est illimitatum ad omnes, at Angelus est receptiuus vbi definitiui, nec est illimitatus, ad omnia vbi, quia non est immensus, ergo potest de vno in aliud mutari.

Confirm. ex Trombeta 6. Met. q. 2. quia si quid obstaret, ne substantia immaterialis finita ad Physicum pertineret, vt ens per se mobile, vel esset, quia omne per se mobile esse debet in loco 5. Phys. tex. 8. huiusmodi autem substantiæ non sunt in loco 4. Phys. & 1. Cæli tex. 100. & hoc non obstat, quia licet huiusmodi substantiæ non sint in loco circumscriptiuè, sicut corpora, vt docet Philosophus loc. cit. sunt tamen in loco definitiuè per actualem exhibitionem, & præsentiam suæ substantiæ hic, vel ibi. Vel esset, quia indiuisibile moueri non potest, vt ostendit Philosophus 6. Phys. tex. 32. & hoc non impedit, quia, indiuisibile, re vera moueri potest, vt suo loco dicemus, & Arist. ibi loquitur de indiuisibili spirituali, & de genere substantiæ, quod est virtualiter diuisibile, qualis est Angelus, sed de indiuisibili de genere quantitatis. Vel esset denique, quia cum Angeli non reperiant resistentiam in medio, motus fieret in instanti, & hoc non obstat, quia licet non adsit resistentia ex parte medij positiui, adest tamen ex parte medij negatiui, scilicet ex distantia extremorum, quam non potest totam simul Angelus pertransire, ob limitationem virtutis, nec toti spatio interiecto simul coexistere, & quando etiam in instanti moueretur, non propterea ab obiecto Physicæ debere excludi, quia etiam mutationes instantaneæ ad Physicum spectant, vt ex 12. Met. c. 2. & lib. 3. & 5. Phys. liquet.

22 Denique cum substantia angelica sit mobilis, vel localiter, vel saltim motu alterationis, recipit enim in se varias mutationes per suas operationes, & qualitates sibi proportionatas, vt sic est obiectum scibile, & ad aliquam scientiam pertinet, & non ad Metaphysicam, quia hæc agit de rebus immobilius, 6. Met. tex. 3. ergo ad Physicam, quæ agit de rebus mobilibus, & quidem in tantùm Arist. substantias separatas à Physica remouit, inquantum posuit eas penitus immobiles, & immutabiles, quod vtique non fecisset, si eas mutabiles cognouisset. Sub hoc autem obiecto Philosophiæ in se comprehendimus etiam animam separatam; Tum quia quantum ad motum eandem est ratio de ipsa, & Angelo; Tum quia etsi non sit per se subsistens, habet tamen non modum subsistentis, quantum sufficit, vt dicatur mobilis vt quod extrà corpus, atque ita directè cadat sub physica consideratione, & non reductiuè tantum per ordinem ad corpus.

Responderi solet, quòd quamuis Angeli sint entia mobilia, non tamen sunt phys. considerationis, quia motus eorum non est physicus, quod variè varij explicant; Aliqui appellant motum physicum, qui fit cum mole corporea, & sensibili, locum occupando, & ideò cum motus Angeli non sit huiusmodi, ad Physicum non spectat. At isti vel ita intelligunt, quòd motus physicus debeat esse in se formaliter extensus, & diuisibilis, vel etiam talis esse debeat subiectiuè, quod nimirum exerceatur in subiecto extenso, & diuisibili: Si primum, iam motus localis Angeli erit verè physicus; licet enim non sit extensus subiectiuè, est tamen in seipso formaliter extensus, & diuisibilis, quia est quantitas successiua, quam extensionem, habet ex parte spatij super quod fit, vt eruditè Tromb. docet loc. cit. in responsione ad primum, sed falsum est, motum omnem ad Physicum spectantem ita extensum esse, ac diuisibilem, nam etiam mutationes instantaneæ, & in diuisibiles ad ipsum pertinent; Si secundum, iam non per rationem motus amplius, seu naturalitatis, quæ est principium motus, determinabitur obiectum Physicæ, sed per rationem corporeitatis, & sensibilitatis, & per hanc rationem Physica à Metaph. distinguetur; præterquamquod falsum est de ratione mutationis physicæ esse, quòd habeat subiectum diuisibile, & corporeum, vt patet de alterationibus animæ, quas patitur in corpore, quæ tamen omnes ad Physicum spectant, & motus partialis, qui recipitur in anima rationali, dum mouetur in corpore, ad Physicum spectat.

Alij ideò negant, Angelicum motum esse physicum, quia Physicus non habet medium ad illum dignoscendum, nequit enim id probari medio physico, idest ex sensibilibus deducto, sed vel medio metaphysico ex natura Angelorum, vel tantum theologico; ad Physicum autem spectat solum illud ens mobile, cuius motus medio naturali, & sensibili potest dignosci. Sed neque hi satisfaciunt; Tum quia, si ideò negant, motum Angelorum dignosci posse medio physico, quia motus eorum non est sensibilis, & materialis, & solùm talis motus attingi potest à Physico, recidunt in præfatam explicationem iam reiectam quia sic dicendo, non amplius per rationem motus absolutè, aut naturalitatis, sed per rationem motus corporei, & sensibilis, atque ideò per rationem corporeitatis, & sensibilitatis constitueretur obiectum Physicæ, & à Metaphysica secerneretur; Tum quia, & si Philosophia, quam modò nos habemus, per talia media ex sensibilibus deducta procedat ad inuestigandas rerum naturalium affectiones, tamen Philosophia in se via sensus non indigeret, sed ex ipsa rerum natura, & rationibus naturali lumine notis affectiones de rebus ipsis demonstraret, vt colligitur ex Scot. 6. Met. q. 1. vbi suprà; Tum tandem quia, vt notat Auersa cit. sect. 1. potest aliquo modò ex effectibus sensibilibus inquiri motus Angelicus, ex eo nimirum, quòd sint finitæ virtutis, & finiti loci, ex eo, quod mouent Cælos, ex operibus etiam Magorum, & ex his, quæ in arreptitijs fieri videmus, & ex antiquis oraculis Idolorum, & quando etiam medio metaphysico probaretur motus de Angelo, non sequitur, conclusionem hanc intrinsecè ad Physicam non spectare, sed tantum, in tali conclusione Physicam subalternari Metaphysicæ, inquantum ab ea principia probandæ conclusionis desumpsit.

23 Quidam ex nostratibus explicant, motum Angeli non esse physicum, quia non est naturalis, sed neuter, vt docet Doctor in 2. dist. 2. q. 6. O. Sed neque isti satisfaciunt; Tum quia motus Angeli verè naturalis est, quia est à principio intrinseco existente in Angelo, sicut definitur natura 2. Phys. esse principium motus eius, in quo est, sumendo naturam, non quidem pro materia, & forma, quibus Angeli carent, sed pro essentia rei, ex qua res ipsa habet, vt possit moueri, & colligitur ex Scot. in 2. dist. 2. q. 9. B. dicente, Vbi esse aliquam Angeli perfectionem, sicut intellectio est perfectio potentiæ intellectiuæ; perfectibile autem naturaliter mouetur ad suam perfectionem, & quando Doctor vocat illum neutrum, neutralitatem accipit, non vt excludit naturalitate absolutè sumptam, idest inclinationem ad motum, & vbi, sed vt excludit naturalitatem rigorosè sumptam: idest inclinationem determinatam ad hoc, vel illud vbi, hæc enim facit, vt si aliquid sit, hic naturaliter, sit alibi violenter (quæ est ratio à Scot. adducta pro neutralitate motus Angelici) vt ipse declarat in 1. d. 1. q. 1. in calce; Tum etiam quia motus Cœli à multis ponitur neuter, & tamen ad Physicam spectat, quia ad eum attinet de omni motu disserere, etiam de violento ipso, ergo etiam si motus Angeli neuter esset, non idcircò à consideratione physica excludendus est.

Alij demum aiunt, Angeli motum non esse Physicum, quia multum distat à vera mutatione secundùm Vbi, vt Scotus docet in 4. dist. 10. q. 1. H., sed sanè Doct. ibi non intendit excludere rationem veræ mutationis à motu Angeli, sed tantum conditiones quasdam accidentales, quæ conueniunt motui corporis, vt ibi est videre.

24 Contra hanc conclusionem obijcit Primò Amicus suprà citat. art. 7. Si Angeli, vt entia mobilia ad Physicum pertinerent, iam tolleretur sufficiens ratio distinguendi Metaphysicam à Physica, eò quia Physica abstraheret re, & ratione à materia, sicut Metaphysica; consideraret enim Angeli naturam, quæ re, & ratione abstrahit à materia.

Conf. quia si motus Angeli ad Physicum spectat, cur non etiam intellectus, & voluntas angelica? nam quæ habent æqualem abstractionem à materia, videntur pertinere ad eundem Artificem, sed equè abstractus est à materia motus Angeli, ac eius potentiæ, ergò si Philosophus considerat motum eius, etiam potentias eius intellectuales considerare poterit, ac debebit.

Denique conceptus proprij ex proprijs substantiarum separatarum videntur pertinere ad Metaphysicum in se, sed talis foret conceptus mobilitatis angelicæ, ergò &c.

Respondetur, negando sequelam, nam, vt Trombeta docet loc. cit. ad 1. motus angelicus dicit ordinem ad materiam, scilicet ad magnitudinem, & spatium, super quod fit motus, vnde, & in se ipso est formaliter extensus, licet non subiectiuè, quare hinc non sequitur, substantiam angelicam, quatenus mobilem, abstrahere à materia, re, & ratione, quia vt sic dicit ordinem ad motum spatium materiale necessariò respicientem, & abstrahere à materia in sensu Aristotelis, quo Physica distinguitur à Metaphysica non est, esse sine materia partis, sed est non habere materiam, quæ secundùm locum mobilis est, seu non esse subiectum præditum intrinseco principio motus, vnde in hoc sensu Angelus non est à materia abstractus, quia est subiectum tali principio præditum, & denique necesse non est, quidquid ad Physicam spectant, intrinsecè materiam includere, sed satis est, si dicat ordinem ad materiam, & aliquod extensum, vt patet de anima rationali, quæ etsi spiritualis, ad Physicum spectat ob ordinem, quem dicit ad corpus.

25 Ad confirmationem Respondet idem Trombeta ad 4. negando motum Angeli esse ita abstractum à materia, veluti eius potentias, quia motus eius nequit esse successiuus, & continuus, nisi per habitudinem ad materiam sensibilem, scilicet ad spatium, & magnitudinem, intellectus autem angelicus, vt intellectus, & voluntas similiter nullam habent habitudinem ad materiam sensibilem; & maximè quoad primam earum operationem, quæ est intelligere, & velle.

Ad aliam confirmationem dicendum pariter est, quod etsi assumptum sit verum vniuersaliter de conceptibus à motu præscindentibus, & ordine ad illum, non tamen de illis, qui dicunt ordinem ad motum, quia Metaphysica omninò abstrahit à motu, itaut Aristoteles substantias separatas ideò Metaphysico totaliter considerandas tradiderit, quia ipsas putauit penitus immobiles, & immutabiles, vt liquet ex 8. Phys. & 12. Met.

At responsiones istas Trombetæ Amicus loc. cit. conatur euertere ea præsertim ratione, quia si huiusmodi ordo ad materiam sufficeret ad collocandas substantias spirituales sub obiecto Physicæ, sequeretur, intellectum, & voluntatem angelicam, saltim vt sunt principia operationum circa aliquod quantum, & materiale, pertinere ad Physicum, quia in tali casu ita intellectio, & volitio diceret ordinem ad aliquod quantum, & materiale, sicut motus. Respondetur adhuc, negando paritatem, nam motus localis necessariò in se extenditur per extensionem spatij, super quod fit, at potentiæ, & operationes intellectuales, quamuis circa obiecta materialia versentur, non ita in se ipsis extensionem recipiunt, sed obiectiuè tantùm, & terminatiuè operationes illæ in tali casu poterunt dici extensæ, & materiales.

26 Secundò argui potest pro Tat. & Boneto. Non solùm substantia quæcunque finita mobilis est, sed etiam accidentia ipsa, secluso quocunq; ordine ad subiectum, habent in seipsis intrinsecum principium motus, & sunt naturaliter mutabilia, vt n. 16. dicebatur, ergo non sufficit substantia finita pro adæquato obiecto Philosophiæ in tota latitudine, vt omnia per se mobilia comprehendit, sed potius poni debet ens finitum, quatenus naturale.

Respondetur, concesso etiam, accidentia habere intrinsecum principium motus sumendo naturam pro essentia rei, vndè habet res ipsa, quòd sit intrinsecè mutabilis, attamen censeri non debent per se mobilia, ac veluti per se obiecta Philosophiæ in se, quia sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci, ac proindè cum accidentia non sint, nisi propter subitantiam, vndè, & à Philosopho appellantur non absolutè entia, sed entis entia, ita in scientia considerari non debent, nisi per ordinem ad substantiam, cui inhærent, atque ita indirectè, & reductiuè.

Sed vrgebis, eadem ratione animam separatam, vt mobilem, veluti per se obiectum Philosophiæ in se considerari non debere, sed tantùm reductiuè in ordine ad corpus, ad quod est essentialiter ordinata.

Respondetur, vtiquè ita etiam constitui posse obiectum Philosophiæ in se scilicet substantiam finitam naturalem, vt completur substantias omnes completas, & indirectè tantum incompletas, sed quia attingere potest existentiam animæ separatæ, & eius mobilitatem, in quo statu modum habet subsistentis, ideò eam contemplari potest, veluti per se obiectum, & directa consideratione dignum, quod de accidentibus asseri nequit, quæ, si corpus auferatur, suaptè natura absque miraculo nequaquam in vniuerso remanerent.

28 Tertiò substantias immateriales existere in vniuerso, naturaliter demonstrari non potest, vt colligitur ex Scoto quol. 7. in principio, & tenet communior, & rationes ex Cœlorum motu, & circumuolutione deductæ, quibus 12. Met. sibi persuasit Arist. eas extare in rerum natura, nec sunt necessariæ, immò nec satis probabile, ergo frustra assignatur Philosophiæ in se substantia finita pro subiecto, vt etiam ad immateriales extenditur.

Respondetur, licèt pro statu isto naturalis ratio non suppetat, qua necessariò probemus existentiam substantiarum immaterialium, hoc non obstat, quin intellectus ex natura potentiæ eas attingere queat, loquuntur ergo Doctores de naturali lumine nobis pro statu isto illucente, dum inquiunt, naturaliter demonstrari non posse Angelorum existentiam; sed concesso etiam antecedente de quocunque naturali lumine, neganda est adhuc consequentia, quamuis enim actualis eorum existentia naturaliter probari non possit, potest tamen probari possibilitas, & earum non repugnantia, quatenus prædicata illa; quibus essentia angelicæ naturæ solet explicari, ad inuicem non repugnat, nec integrant rationem in se faltam, & hoc sufficit, vt directè cadant sub obiecto naturalis Philosophiæ, inquantum sunt naturæ mutabiles, ad constituendum enim obiectum scientiæ realis, non exigitur actualis eius existentia, sed sufficit non repugnantia, & possibilitas in rerum natura.

ARTICVLVS III.

In quo resoluitur quæstio de obiecto formali Philosophiæ.

28 Dicendum est, naturalitatem dictam à natura, quæ definitur principium motus, &c. meliùs cœteris adiungi obiecto *Mastrij, & Belluti Tom. II. Physicæ*, materiali Philosophiæ, tam in se, quàm in nobis veluti rationem formalem adæquatam, secundùm quam obiectum materiale in Philosophia considerari debeat, ita vt corpus naturale, quatenus naturale subiectum adæquatum dicatur Philosophiæ peripateticæ, substantia verò finita naturalis, quatenus naturalis Philosophiæ in tota sua latitudine. Conclusio colligitur ex Scoto luc. cit. & quantùm attinet ad rationem formalem, videtur communiter recepta, paucis quibusdam exceptis, & probatur ex aliarum rationum formalium, quæ ab alijs assignari solent, refutatione. Non in primis assignari potest pro ratione formali adæquata generabilitas, & corruptibilitas, quia non solum Philosophia in se, sed etiam ipsamet peripatetica est maioris ambitus, & ad corpora incorruptibilia extenditur, & res ipsas corruptibiles sub alijs etiam rationibus contemplatur, & denique generabilitas, & corruptibilitas corpori caduco, velut ratio formalis obiecto materiali adiungi nequit, quia de ipso demonstrabilis est à priori, cũ tamen scientia suum obiectum præsupponere debeat, tam quoad partem materialem, quàm formalem. Non potest assignari mobilitas, quia quando sic assignatur aut sumitur pro passione ipsa mobilitatis, aut pro principio essentiali istius passionis; primo modo inspecta statui nequit, quia tunc scientia naturalis non consideraret quidditatem, & essentiam rerum naturalium, sed tantùm accidens sicuti Mathematica, quæ in corpore substantiali solam quantitatem considerat, cum tamen Philosoph-a agat de principijs, causis, & elementis rerum naturalium, ex quibus oriuntur earum affectiones, ac proprietates, & in hoc à Mathematica secernatur, vt docet Scotus 6. Met. q. 1. Consequẽtia probatur, quia scientia non potest exceedere rationem adæquatam obiecti, quare si mobilitas consideratur, vt ratio formalis obiectiua, ab ea tantùm licebit descendere ad varias species motus & mobilitatis, quod tamen nec Aristoteles fecit, nec alij Philosophi, qui de rebus physicis agentes, non solum de motu, ac eius speciebus sermonem instituerunt, sed de principijs, & causis rerum naturalium, alijsque proprietatibus, inter quas licèt motus seu mobilitas sit notior, non tamen dignior. Et tandem si mobilitas ita sumatur, scilicet pro passione, vtique non erit prima ratio in re ipsa naturali, sed aliam necessariò supponit, ad quam consequitur, & per qoam à priori de re naturali demonstratur, quod est contrà rationem obiecti scientiæ. Quòd si sumatur pro principio essentiali mobilitatis, neque benè adhuc statuitur pro formali obiecto, & ratione considerandi, quia Philosophus considerat essentiam rerum naturalium adæquatè, vt est principium omnium affectionum ipsas naturaliter consequentium, & non tantum quatenus est principium radicale motus; considerat enim, & quantitatem, & qualitatem, & locum, & tempus, & alia accidentia res naturales consequentia, quæ vtique non sunt affectiones minus præstantes motu. Nec potest rationabiliter assignari sensibilitas; Tum quia, & hæc non est prima ratio in corpore naturali, sed aliam supponit, ad quam consequitur, & per quam de ipso demonstratur; Tum quia tunc Philosophia esset per se de accidentibus, & de substantia per accidens, quemadmodum illa tantum sunt per se sensibilia, substantia verò solùm per accidens, cum tamen per se, & directè de substantia agat, vt docet Philosophus 6. Met. c. 1. & de accidentibus solùm veluti de passionibus vt ait 4. Met. sum. 3. c. 1. Tum tandem quia in ipsis rebus sensibilibus non solam rationem sensibilitatis, sed alias physicas affectiones scrutatur, ergo non benè assignatur pro obiecto formali in Philosophia Arist. & tantò minus in Philosophia secundùm se, cum hæc insensibilia etiam attingat, substantias nimirum spirituales. Nec poni potest cum Aureolo substantialis corporeitas, vel, vt loquitur Caietanus, quodquid rerum corporearum, quod præuenit naturalitatem, & passionem; non in Philosophia secundùm se, quia sic res corporeas transcendit; non in Philosophia, quam modò habemus; Tum quia substantia corporea vt sic, etiam ad Mathematicam spectat, vt notat Doct. l. 6. Met. q. 1. §. *Sed hac ratio, &c.* n. 11. quamuis enim Mathematicè dicatur de quanto, vel quantitate, quia non multum comparat quantitatem ad substantiam corpoream, tamen subiectum primum virtute continens omnia est substantia corporea, & per hoc Physica secernitur ab ea, quia eandem corpoream substantiam alio modo considerat, inquantùm scilicet habet formam, quæ est principium motus, & quietis aliarumque passionum physicarum; Tum quia, si vt loquitur Caiet. res corporeæ habent suum quodquid est præcedens naturalitatem, iam naturalitas esset conceptus accidentalis, & natura non foret substantia, sed accidens contrà Philosophum in 2. Phys.

29 Remanet igitur, vt sola naturalitas assignetur pro formali ratione considerandi obiectum materiale Philosophiæ, tam in se, quàm in nobis; Tum quia sic faciendo, non assignamus obiectum formale in ordine ad vnam tantùm affectionem physicam, v.g. ad motum vt Thomiste, ad sensibilitatem, aut generabilitatem, vt alij, sed adæquatè in ordine ad omnes omninò affectiones naturales; dum enim Philosophia proponit sibi corpus naturale, vt naturale considerandum est, ac si illud sibi proponat contemplandum, vt principium omnium naturalium affectionum, inter quas quantitas, & qualitas sunt motu nobiliores; Tum quia ratio formalis est illa, qua posita ponitur res, & qua ablata aufertur, quocunque alio remanente, at posita naturalitate in rebus, quocunque alio ablato, remanet scientia physica, ipsa ablata, & alio quocunque posito, aufertur scientia physica, nam si maneret mobilitas, sensibilitas, & quęuis alia passio, non esset eadem scientia, quæ nunc est, quia non esset de substantia, sed de accidente; Tum tandem, quia Philosophia dicitur scientia naturalis

à corpore naturali, vnde ex hac ratione formali nomen sibi vendicat.

30 Contra positam conclusionem primò objicitur ex Auersa loc. cit. sect. 4. Naturalitas dicta à natura 2. Phys. definita, propriè, & per se significat principium radicale, & essentiale mobilitatis, & motus, quoniam natura definitur principium motus, ergo sicuti malè assignant obiectum formale, qui statuunt mobilitatem sumptam pro principio radicalis talis passionis, quia physica non considerat res naturales tantùm secundum rationem motus, & mobilitatis, sed etiam secundum alias affectiones, & prædicata, & ipsam essentiam rerum naturalium, vt adæquatè principium omnium physicarum affectionum, ita malè loquuntur, qui assignant naturalitatem eadem ratione.

Respondetur, negando assumptum; naturalitas enim adæquatè significat, non tantùm principium motus, sed aliarum insuper passionum res naturales consequentium; natura enim definitur 2. Phys. principium motus, & quietis, & sub nomine quietis intelliguntur omnes aliæ physicæ passiones, vt disp. de natura dicemus explicando præfatam definitionem.

Sed contra arguit Auersa. Per quietem, cuius principium ponitur natura ad summum, intelligi possunt aliæ formæ, & accidentia, quæ consequuntur, & fiunt per motum ipsum, & in quas definit ipse motus, at non omnes formæ, & affectiones rerum naturalium fiunt per motum, seu mutationem physicam; plurimæ enim sunt innatæ; & congenitæ ipsis rebus, v.g. quantitas cum substantia, potentiæ cum anima; aut profluunt per naturalem emanationem, & resultantiam ex rerum essentia, nec dicuntur fieri per motum, & mutationem, & hæc omnia per se considerantur in physica, ergo naturalitas illa non est ratio adæquatè.

Respondetur, negando maiorem; quamuis enim per quietem in definitione naturæ positam præsertim intelligantur formæ, & accidentia, quæ consequuntur, & fiunt per motum, non tamen excluduntur aliæ, quæ fiunt per dimanationem, & naturalem resultantiam ex rebus ipsis, siquidem non minus istæ, quam illæ habent rerum essentias pro principio essentiali, & radicali, vnde dimanant.

Sed iterum objicit Auersa; Concedamus, naturalitatem insinuare etiam principium quarumcunque passionum, quæ ex corporis essentia consequuntur, non idcirco rectè assignatur pro ratione formali adæquata in Philosophia, quia scientia totalis, & perfecta, non solùm quantùm ad passiones consequentes, sed etiam absolutè quantum ad principia etiam, & causas, ex quibus suum obiectum dependet, illud considerare debet, & de facto secundum hæc omnia Physica considerat suum obiectum.

Respondetur negando consequentiam; Philosophia enim considerando rerum naturalitatem, considerat etiam prædicata essentialia earum, ex quibus tales, vel tales affectiones emanant; & ita in compositis materialibus considerat materiam, & formam velut causas intrinsecas; considerat etiam consequenter causas extrinsecas; Tum quia omne, quod mouetur, ab alio mouetur ex 7. & 8. Phys. vnde causam efficientem inuestigari necesse est; Tum quia natura agit propter finem 2. Phys. & ideò de causa finali est quoque in Philosophia disquirendum.

31 Secundò arguit Auersa, probans, non oportere assignari aliquam rationem peculiarem quasi determinantem, & restringentem obiectum materiale Physicæ; in tantum enim determinari debet peculiaris aliqua ratio formalis circa obiectum materiale scientiæ, inquantùm tale obiectum potest considerari secundùm plures rationes, & non secundùm eas omnes consideratur in vna certa scientia, quod si secundùm omnes consideratur in ea, iam non admittit rationem aliquam, determinantem, sed ita se haberet res in proposito; Philosophia enim in suo obiecto materiali, v. g., substantia corporea non considerat tantùm vnam certam rationem, scilicet mobilitatis, sensibilitatis, aut aliam, sed adæquatè omnes, ergo addi non debet ratio formalis determinans, sed ipsummet materiale obiectum in tota sua amplitudine erit ratio formalis considerandi.

Respondetur, negando minorem, quia substantia corporea considerari potest secundùm rationes transcendentes, quomodo non consideratur à Physico, & est commune obiectum materiale Mathematicæ, & Physicæ, quæ inter se non distinguuntur, nisi per diuersas rationes formales obiectiuas considerandi hoc idem obiectum, quia Mathematica eam considerat, vt habet in se quantitatem alteri quantitati commensurabilem, Physica verò vt habet naturalitatem; verum igitur est, Physicam considerare suum obiectum materiale secundùm omnes rationes Physicas, etiam secundum quantitatem, quatenus est accidens naturaliter consequens corpus ipsum, at non absolutè secundùm omnes prorsus de ipso speculabiles, & ideò necessarium est, illi opponere rationem formalem determinantem, & eius considerationem restringentem, & quidem talem, quæ sit fons, & origo omnium affectionum physicarum, & talis est naturalitas.

Tertiò, per rationem naturalitatis Physica ab alijs scientijs non distinguitur; ergo non est ratio formalis obiectiua, cuius præcipuum munus est, vnam scientiam ab alia distinguere, probatur assumptum; Tum quia natura, vt est principium, motus consideratur à Metaphysico, vnde eam enim definit Philosophus 5. Met. text. 5. Tum quia Astrologus etiam agit de corpore naturali, quatenus habet in se principium motus ex 10. Met. text. 4. vnde Astrologus considerat Cælestium corporum figuram, situm, ordinem, & motum. Ex alio capite per ordinem ad motum distinxit vbique Aristot. Philosophiam à Metaphysica, ergo potius mobilitas erit ratio formalis obiectiua.

Respondetur negando assumptum, ad primam probationem dico, Metaphysicam considerare naturam, non vt rationem formalem obiectiuam, sed potius, vt eam probet, cùm ad Metaphysicum spectet probare principia omnium scientiarum contra negantes ea, considerat etiam quasi indirecte, & per accidens, nam considerando causas entis vt sic, necessariò explicat naturam, quæ habet rationem causæ; demum natura, absolutè loquendo, non tantum est principium passiuum, sed etiam actiuum, vt disput. de Natura fusè dicemus, & quamuis vt principium passiuum ad Physicum solùm spectet, cuius est considerare mouentia motu, tamen quatenus actiuum spectat etiam ad Metaphysicum, sub ratione autem principij præcipuè passiua apponitur obiecto materiali Philosophiæ. Ad alteram probationem dicimus, alia ratione agere Physicum de corpore naturali, v. g. cælesti, alia ratione Astrologum; hic enim contemplatur situm, & figuram eius, ille verò essentiam, & naturam, & accidentia sensibilia, quæ ab ea originantur; & quamuis vterque cælestem motum consideret, alia tamen, & alia ratione id faciunt. Physicus enim cum considerat, quatenus est actus entis in potentia, & eius sunt tria principia, materia, forma, & priuatio quæ etiam suo modo reperiuntur in Cælo; at Astrologus secundùm rationes mathematicas, scilicet numerum, æqualitatem, mensuram, propinquitatem, & alia attributa. Demum distinxit Physicam Arist. à Metaph. per mobilitatem à posteriori, vt notat Canon. cit. q. 1. in fine, & à priori distinguitur per naturalitatem.

33 Quartò arguit Piccolomineus; quòd statuendo substantiam finitam obiectum materiale Philosophiæ in se, malè postea determinetur per naturalitatem, tanquam per rationem considerandi, quia ratio formalis obiectiua non restringit subiectum quoad species, sed quoad modum considerandi dumtaxat, vt diximus in Logica, assignando conditiones obiecti scientiæ, at naturalitas addita substantiæ finitæ, non tantùm eam contrahit quoad modum considerandi, sed etiam quod rem ipsam ad pauciora restringit, ergo non benè determinatur per naturalitatem.

Respondetur, negando minorem, nam sicut in sententia Philosophi naturalitas erat adæquata ratio substantiæ corporeæ; ita secundùm rem ipsam est adæquata substantiæ finitæ, quia nulla substantia finita reperitur; substantia nimirum completa, & subsistens, vel saltim habens modum subsistentis, siue corporea sit, siue incorporea, quæ non habeat in se principium motus, atque ita non secundum rem ipsam, sed tantum quoad modum considerandi naturalitas addita substantiæ finitæ eam coarctat.

Resoluuntur quæsita quædam de natura Philosophiæ.

34 EX dictis in Logica disputatione de scientia, breuiter expediuntur quæsita quædam de natura Philosophiæ, quæ in hoc exordio disputari solent; Num scilicet sit scientia; Num vna; Num speculatiua. Supponendo namque quæ ibi diffusè dicta sunt de natura scientiæ, vnde sumat vnitatem, & quodnam sit discrimen inter speculatiuam, & practicam, tribus propositis quæsitis affirmatiuè respondendum est, esse scientiam, vnam, & speculatiuam.

Est igitur scientia, quia in ea demonstrantur affectione de proprio subiecto per causam proximam, & necessariam, mobilitas per naturalitatem, corruptibilitas per compositionem ex materia, & forma; diuisibilitas per continuitatem, & sic de singulis, qua de causa Philos. primo Cæli dicitur scientia de natura, & 2. Met. scientia veritatis, & 6. Met. inter scientias enumeratur. Nec obstat, quod versetur circa res naturales, vt mobiles, quia lyt *vt* non reduplicat medium demonstrationis, sed tantum passionem demonstrabilem; vt enim docet Scot. in 1. d. 3. q. 4. I. mutabilitas, seu contingentia in obiecto non est ratio, qua notitia scientialis producitur, sed ipsa natura obiecti, quod est mutabile, & contingens, quatenus cum ipsa aliqua passio necessariam habet connexionem. Nec minus obstat, quòd versetur circa generabilia, & corruptibilia, quia vt monet Doct. loc. cit. ad hoc, vt de aliquo obiecto habeatur scientia, non requiritur necessitas, & incorruptibilitas eius, sic enim solus Deus foret obiectum scibile; sed necessitas inhæsionis alicuius prædicati cum ipso intellectu de illo componente enunciationem, & quidem rationabiliter, quia scientia est de complexis non in complexis, & ideò ad ipsam exigitur necessitas propositionum, quotiescunque ab intellectu formantur, non autem terminorum in se ipsis; & non est de rebus æternis, & necessarijs quoad existentiam, & exercitium, sed quoad connexionem prædicati cum subiecto, & ita loquitur Philosophus dum 1. Post. c. 6. inquit, scientiam esse æternorum, & incorruptibilium; non igitur motus, transumatio, & corruptio tollunt Philosophiæ necessitatem, quæ ad scientiam requiritur, quia scire corruptibilitatem, & mobilitatem per causas necessarias, verè est scire per causam, & propter quid, & tantæ necessitatis est quæ constant ex materia, & forma esse corruptibilia, quantæ necessitatis est esse incorruptibilia quæ illis carent.

35 Est scientia vna, quia eius obiectum est vnum, siue loquamur de Philosophia in se, siue in nobis; scientiæ enim vnitas (extrinseca nimirum, & obiectum) ex vnitate obiecti desumitur, in quo continetur ex Scoto in 1. d. 3. q. 6. & in 3. d. 26. q. 2. in calce; sicut autem obiectum eius, scilicet corpus naturale in Philos. peripatetica, & substantia finita naturalis in Philos. secundùm se, vnum est, vnitate tantùm generica, & potentiali, non autem specifica, & virtuali, quia quæ considerantur in Philos., vt partes subiectiuæ specie differunt, vt Cælum ab elementis, hæc à mixtis, & animatis, ita Philos. naturalis eadem duntaxat vnitate vna erit, non maiori, vt intendunt recentiores. Rationem huius tangit Doctor in 3. loc. cit. quia quando considerata in scientia specie differunt, vt in proposito assignari non potest, nisi commune prædicatum habens rationem generis in quo conueniant, & ita à tali communi ea scientia ex pluribus specie habitus integrata, habitus vnus secundùm genus tantùm dicetur; illud enim commune contineret potentialiter solùm eos habitus in scientia contentos, sicut potentialiter contineret obiecta eorum, à quibus abstrahitur, non autem virtualiter; & talem vnitatem non maiorem, assignat quoque Zabar. Philos. lib. de naturalis scientiæ constitut.

36 Est tandem simpliciter speculatiua, quia omnes, præcipuique habitus eius in sola speculatione obiecti fidunt, neque regulas, ac præcepta operandi tradendo, in praxim dirigunt, & ipsa tota est de corpore, aut substantia naturali sub ratione merè speculabili, qualis est naturalitas, qua de causa ab Arist. 6. Met. inter scientias speculatiuas recenseturr. Pendet totum id ex discrimine loc. cit. in Logica inter speculatiuam, & practicam assignato ex Arist. 2. Met. tex. 3. vbi docet, finem scientiæ speculatiuæ esse veritatem, & contemplationem, practicæ verò opus, & praxim, vndè factum est, vt practica scientia idem sit, quod operatiua, quatenus actus eius ex natura sua non sunt propter solam cognitionem, sed vt veluti regulæ quædam dirigant in opus, talis est Ethica quæ docet, operationem virtutis huius, aut illius esse naturæ, vt talis ab homine fiat, sic v.g. cognitio illius propositionis, Deus est super omnia diligendus, proximus est amandus, est cognitio practica, quia non tantùm explicat, naturam Dei vel proximi esse talem, sed suadet etiam, & præcipit actualem Dei, & proximi dilectionem, hominemque in opus impellit. Sientia verò speculatiua dicitur illa, quæ rem contemplatur, eiusque naturam considerat, atque ita sistit in tali contemplatione, vt hæc ex natura sua non referatur ad aliud, siue ad alios actus dirigendos, vt benè fiant in genere moris; sic in proposito nostro, cognitio huius propositionis, v.g. Corpus naturale est mobile, Ignis est calefactiuus, est speculatiua; quia sistit in simplici speculatione naturæ ignis, & corporis naturalis, nec vlterius progreditur, dicimus *ex natura sua*, quia per accidens ex intentione speculantis potest illo referri ad lucrum, honores aliosque fines operabiles, de hoc videatur Scotus q. 4. Prolog. Nec obstat communis obiectio de Medicina, quæ est pars Philosophiæ naturalis, & colligitur ex Arist. libello de Sanitate, & Morbo, & tamen est practica; falsum enim est, esse partem Philosophiæ (licèt sit ei subalternata) neque id Arist. dixit loc. cit. sed solùm, confines, vel terminos vtriusque proximos esse docuit, quia nimirum vbi definit Physicus, ibi incipit Medicus.

37 An verò Philosophia Metaphysicæ subalternetur, est ferè quæst. de nomine iuxta enim varios subalternationis modos potest affirmari, & negari, vt patet ex dictis loc. cit. in Logica de natura scientiæ subalternatæ, propriè tamen subalternata dici non potest; tres siquidem ibi numerabamus conditiones ad perfectam subalternationem acquisitas, vt scientia subalternata habeat pro obiecto speciem aliquam, siue partem subiecti scientiæ subalternantis, vt addat conditionem aliquam accidentalem sibi propriam, & vt assumat præmissas probatas, & demonstratas in scientia subalternante, illiusq; principijs vtatur, quatenus notis, & demonstratis in superiori scientia, quamuis igitur ratione primæ conditionis possit Physica dici subalternata Metaphysicæ, quia corpus naturale, vel substantia finita naturalis sub ente continetur, secunda tamen conditio non adest, quia naturalitas addita corpori, vel substantiæ finitæ non est differentia accidentalis, sed essentialis; nec etiam tertia conditio propriè interuenit; etsi enim Metaphysica proponat, & probet principia omnibus scientijs communia per deductionem ad impossibile, qua ratione ceteras scientias sibi subalternat, vt docet Ari. 4. Met. tex. 7. & 1. Phys. tex. 8. Physica tamen non vtitur principijs ad suas conclusiones probandas, quatenus notis, & demonstratis in Metaphysica, sed habet sua propria principia, quibus intellectus statim assentitur, veluti per se notis, & euidentibus in ipsa Physica absque recursu ad Metaphysica.

FINIS.

BREVIS EXPLICATIO TEXTVS

Octo librorum de Physico auditu.

LIBER PRIMVS.

In quo de principijs in fieri rerum naturalium agitur.

CAPVT I.

A Textu 1. vsque ad 6.

DVO principaliter facit Arist. in hoc 1. cap. quod veluti proœmium est totius Philosophiæ; primò enim ponit in primo textu suum institutum, & scopum, secundò docet viam, & methodum attingendi suam intentionem, & hoc in alijs text. Ait ergo, quòd suum intentum est agere de principijs, causis, & elementis rerum naturalium, quod probat. Omnis scientia, cuius sunt principia, causæ, & elementa, procedit ex cognitione ipsorum ad cognitione ipsorum ad cognitionem principiatorum, sed in scientia naturali res naturales habent principia, causas, & elementa, ergo, &c. probat maiorem ex communi omnium æstimatione; omnes enim tunc arbitrantur cognoscere vnumquodque, cum principia, causas vsque ad elementa inclusiuè cognoscunt. Principia, causæ, & elementa, vel sunt synonima, intelligendo omne id, quod potest esse medium in demonstratione à priori, vel se habent, vt superius, & inferius: principium enim in plus se habet, quàm causa, nam hæc solùm illi rei, quæ realiter in effectum influit, tribuitur, non sic principium, vndè priuatio principium dicitur; non causa; causa quo que communior est, quam elementum, quod propriè intrinsecis causis competit, at causa dicitur etiam de extrinsecis. In 2. parte docet methodum, qua vult vti in inuestigandis principijs, & est methodus resolutiua, siue per demonstrationem à poster. quia procedit à compositis, & principiatis ad principia componentia, & resoluendo, quod probat: In quacunque inquisitione procedere debemus ex notis nobis, natura autem ignotis, ad manifestiora natura, quia talis via est nobis insita à natura, sed confusa magis, idest composita, quæ dicuntur magis confusa, quia plura essentialiter, & actualiter continent, sunt nobis notiora, deindè diuidentibus nobis composita nota fiunt elementa, & principia, ex quibus ipsa constituuntur, quapropter concludit in tex. 4. ex vniuersalibus ad singularia procedere oportet; ità vt in istis tribus textibus vnicus syllogismus contineatur, in 2. maior, in 3. minor, & in 4. conclusio, per ly *vniuersalibus* Philosophus intelligit, vt notat Scotus in 1. d. 3. q. 2. O. compositum, & totum essentiale; per ly *singularia* intelligit principia, vbi sciendum, quòd sicut duplex est totum, aliud potentiale, vt superius, aliud essentiale, vt inferius, ita duplex est magis confusum, aliud potentiale, quod plura continet potentialiter, aliud essentiale, quod plura actualiter habet, quale est compositum, duplex quoque est vniuersale, aliud in prædicando, vt totum vniuersale, aliud in continendo, vt totum essentiale, quod actualiter plura continet, & de isto loquitur Philosophus, vt patet ex rationibus, quibus probat minorem tex. 5. & quamuis 2. Post. c. 21. dicat, à singularibus ad vniuersalia procedere oportet, intelligitur tamen in ordine distinctè cognoscendi, non confusè, vt hic loquitur, & hoc sumendo vtrobique singulare, & vniuersale in eodem sensu, minorem verò huius rationis tripliciter probat in tex. 5. primò, quia totum integrale sensibile notius est suis partibus, compositum etiam est quoddam totum in continendo. 2. Definitum, vt per nomen confusè est importatum, notius nobis est quam definitio, ita se habet compositum ad suas partes. 3. Ea sunt nobis primò nota, quæ pueri instinctu naturæ prius apprehendunt, tale autem est compositum, quia primò appellant omnes viros patres, & omnes fœminas matres, quòd ideò euenit, quia apprehendunt primò illud singulare hominis confuse, quam eius cartes, quæ sunt tales conditiones indiuiduantes, vt talis facies, talis color, &c. quòd si primò apprehenderent istas partes, certè cognoscerent, illud singulare hominis quod est pater, esse distinctum à quocunque alio.

CAPVT II.

A textu 6. vsque ad 23.

2 INcipit hic agere de principijs rerum naturalium, & primò numerum inuestigat, adducendo, & refutando antiquorum opiniones, posteà propriam aperiendo sententiam; in præsenti verò capite, postquam retulit quasdam Antiquorum opiniones peculiariter tamen contra Parmenidem, & Melissum inuehitur qui vnum tantùm principium ponebant rerum naturalium, & immobile, sed Parmenides dicebat, esse finitum, Melissus verò infinitum; hos Philosophos non naturales vocat Arist. quia motum negabant, & consequenter naturam, quæ est motus principium, vndè non esset hic contra ipsos diputandum, quia contrà negantes principia alicuius scientiæ, non est in illa scientia disputandum, in qua principia supponuntur, non probantur attamen (inquit Arist.) quia de principijs erit agendum. vtile quoq; erit contrà ipsos arguere rationibus desumptis ex altiori scientia, scilicet Metaphysica. Arguit ergo primò, quia si omnia sunt vnum ens, iam non erit principium, quia principium ad principiatum refertur tanquam ad suum correlatiuum realiter distinctum. 2. Arguit rationibus desumptis ex ente, & vno. Prima est; Ens multipliciter dicitur de essentia, scilicet substantia, de quantitate, qualitate, &c. ergo si omnia sunt vnum aut substantia sine accidente, & sic nec finitum, nec infinitum esset, quia hæc quantitatem sequuntur, loquendo de molis magnitudine; vel quantitas, aut aliud accidens, & hoc est falsum, quia accidentia sunt in alio entia, & substantiam, vt subiectum supponunt; Si vtrumque substantia cum accidente, iam non vnum omnia erunt, sed plura, quia hæc, siue coniuncta, siue separata, diuersa sunt. Secunda est ista: Vnum, aliud continuitate, aliud indiuisibilitate, aliud definitione; omnia non sunt vnum continuitate, quia multa disiuncta sunt, vt patet; Tum quia essent plura potestate scilicet illa, in quæ continuum potest diuidi; non secundo modo, quia nec finitum, nec infinitum; neque tertio modo, quia contraria, & contradictoria eadem definitionem, & essentiam haberent, quod implicat. Deindè Philosophus paruipendit quosdam, qui, ne vnum plura esse dicerent, tollebant copulam à propositione; non enim dicebant, homo est albus, sed albatur, quasi quod (inquit Arist.) idem non possit simul esse vnum actu, & plura in potentia. Tandem proponit soluere rationes Parmenidis, & Melissi, tanquam sophysticas.

CAPVT III.

A textu 23. vsque ad 32.

3 SOluit in hoc capite rationes horum Philosophorum, quæ, vt deducitur ex ipsis solutionibus erant istæ. Argumentum Melissi erat tale: Omne, quod genitum est, habet principium, ergo omne, quod non est gentium, non habet principium, sed ens non est genitum; ergo caret principio; quod caret principio caret etiam fine, quod est huiusmodi, est infinitum, & consequenter immobile, & vnum; nam si esset mobile, non occuparet totum spatium, & sic finitum esset, & si essent plura, alterum illorum esset finitum, ergo ens est vnum, infinitum, & immobile; minor subillata probatur. Si ens est genitum, vel ex ente, vel ex nihilo, non secundùm, quia ex nihilo nihil fit, non primum, quia alioquin esset antequam fieret.

Respondet Arist, argumentum continere fallaciam, quia arguit ab inferiori ad superius negatiuè; genitum esse est inferius ad habere principium magnitudinis, de quo procedit ratio Melissi, aliter non inferret ex carentia principij, & finis infinitatem in magnitudine; datur enim Cælum ingenitum secundùm Philosophos, & tamen est finitum in magnitudine. Nec insuper sequitur: est vnum, ergo immobile, quia potest moueri secundùm partem, & motu alterationis.

4 Ratio Parmenidis est hæc: Quicquid est præter ens, est non ens, sed non ens est nihil, ergo quicquid est præter ens, est nihil, sed ens, & vnum conuertuntur, ergo quicquid est præter vnum, est nihil; ergo omnia sunt vnum ens; si vnum, ergo immobile, quia non habet à quo moueatur.

Respondet, rationem hanc etiam peccare, nam sumit ens communissimè in primo argumento, sed in subillata minori, vt sit vera, accipit pro aliquo ente in particulari, aliter si communissimè illud acciperet, esset falsa, ens enim in sua communitate non dicit vnum, sed plura, scilicet substantiam, & accidens.

CAPVT IV.

A textu 32. vsque ad 41.

5 DIsputat in præsenti cap. contrà Philosophos naturaliter loquentes, idest iuxta principia Philosophiæ, & præcipuè contrà Anaxagoram, ponentem infinita principia rerum naturalium; alij enim dicebant, vel vnum esse principium, scilicet ignem, vel aquam, aut aerem, vel aliquod medium corpus inter aerem, & aquam, & præter hoc principium alia duo contraria ponebant, scilicet raritatem, & densitatem, vel magnum, & paruum, &c. At Anaxagoras, à quo parum distat Empedocles, infinita posuit principia inclusa in quodam chao, quæ nil aliud erant, quam infinitæ particulæ indiuisibiles, & propterea athomi vocatæ, cuiuslibet rei, vt infinitæ particulæ carnis, ossis, aquæ, &c. quam partium confusionem, dicebat, ab initio fuisse, sed mentem, idest Deum, distinxisse, & separasse in varias species, sed modò agens creatum ex istis corporibus segregat multas portiones alterius rei in ipsis latentes, & quia vna res ex alia gignitur, inferebat, quodlibet ex quolibet fieri, & omnia in omnibus esse, sed denominationem habere ab eo, quod in illa re magis eniteret, v.g. aliquid dici aquam, quia plures aquæ particulæ in eo essent, quam alterius rei. Empedocles autem voluit, ex isto chao primò quatuor elementa extracta fuisse, ex quibus posteà omnia alia genita fuere. Fundamentum autem istorum fuit, quia ex nihilo nihil fit.

6 Istam Anaxagoræ opinionem impugnat Arist. 1. quia non daretur scientia de rebus naturalibus, nam non potest haberi scientia de re aliqua, nisi cognitis principijs, ergo si principia rerum naturalium essent infinita, & infinitum, vt infinitum, est ignotum, non possent cognosci res naturales. 2. Quia res naturales non essent determinatæ quantitatis, sub qua petunt existere, sed in infinitum possent esse maiores, vel minores, quod est falsum. 3. Quia finitum per ablationem finiti tandem consumitur, ergo à qualibet parte carnis non potest fieri segregatio in infinitum aliarum partium, quia daretur minima caro, à qua nihil posset extrahi. 4. In quolibet corpore essent infinities infinita corpora, vt in qualibet parte cerebri infinitus sanguis, in qualibet parte sanguinis infinita caro, infinitus ignis, infinitum cerebrum, &c. & sic quælibet res esset infinitæ magnitudinis. Rationes verò horum Philosophorum adæquatè soluit in c. 8.

CAPVT V.

A textu 41. vsque ad 50.

7 NVnc ex propria sententia incipit de principijs agere, & vt certum numerum assignet, præmittit in præsenti capite vnam principiorum conditionem, ab omnibus Philosophis concessam, videlicet, principia esse contraria, quam probat auctoritate omnium Philosophorum. Secundò ratione, quæ talis est. Prima principia sunt, quæ non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, sed omnia ex ipsis, sed talia sunt prima contraria, ergo prima contraria sunt prima principia, maior patet, quia si ex alijs fierent, non essent prima principia; neque ex alterutris, quia vnum esset principiatum, non principium; quòd verò omnia ex ipsis fiant, patet, quia sunt principia omnium rerum, & prima; minor probatur, quia prima contraria ex eo, quòd sunt prima, non fiunt ex alijs, neque ex alterutris; nam calidum ex frigido licet fiat, vt ex subiecto, non tamen ex frigore, vel ex non calore; & omnia ex ipsis, quia quod agit, in suum contrarium agit, & quod patitur, à suo contrario patitur, sed res naturales fiunt per actionem, & passionem, ergo omnia fiunt ex contrarijs, seu, in omni generatione rerum prima contraria inrerueniunt.

CAPVT VI.

A text. 50. vsque ad 57.

8 INfert in hoc cap. numerum ternarium principiorum sic. Principia sunt contraria, ergo non vnum, quia non potest idem sibi ipsi contrariari, ergo plura sed non infinita, quia ex dictis contrà Anaxagoram, non essent res naturales scibiles; neque duo tantùm, quia vnum contrarium non transmutat, nec conuertit aliud, sed à communi subiecto illud expellit, ergo debet dari tertium amborum susceptiuum: Tum quia aliqua principia constituunt substantiam intrinsecè, substantiæ autem nihil est contrarium, ergo præter contraria debet dari tertium commune illis. Neque tantum sunt plura tribus, quia pro vna contrarietate sufficit vnicum principium, circà quod, vt commune subiectum, contraria illa versentur, & pro vna contrarietate duo tantùm ponuntur extrema, neque in quolibet genere est nisi vna contrarietas, ex communi axiomate; sunt autem hæc priuatio, & forma in genere, priuationes autem, & formæ in specie, quæ plurimæ sunt, non multiplicant principia in communi, ergo tria principia, non plura nec pauciora.

CAP. VII.

A textu 57. vsque ad 71.

9 DEclarat, & probat amplius numerum principiorum assignatũ hoc modo. in omni mutatione datur vnum subiectum commune respectu contrariorum, & duo termini contrarij, scilicet terminus à quo, & ad quem, qui sunt priuatio, & forma, ergo tria principia; antecedens probat inductione, tam in substantiali generatione, vt cùm producitur homo, vel equus, quàm in accidentali, vt cùm homo fit musicus, ad quod explicandum varios supponit modos loquendi, quibus vtimur ad significandas trasmutationes istas, nam duobus modis vtimur ipsa priuatione, videlicet, ex non albo fit album, & non album fit album, sed subiecto vnicò tantummodò vtimur, scilicet, hominem fieri album, non verò ex homine fieri album, nisi in artificialibus, nam dicimus, ex ligno fit statua. Supponit etiam, materiam, & priuationem, licet sint vnum numero subiectiuè, differre tamen ratione, idest conceptu, quia manet materia in composito, recedente priuatione. Ex quo deducit, principia posse tria dici, & duo; tria, si secundùm rationes formales accipiantur; alia enim est ratio subiecti, alia termini à quo, & alia termini ad quem; duo verò secundùm rem, & simpliciter, quia priuatio, cùm sit non ens, non ponit in numerum, sed vnum cum materia principium posset poni. Ait etiam, principia posse dici contraria, & non contraria; contraria, si termini à quo, & ad quem iter se comparentur, non contraria, si subiectum cum altero illorum terminorum sumatur, nam cum quolibet illorum est compossibile. Tandem ait, materiam cognoscibilem esse per analogiam, nam sicut in artificialibus æs se habet ad statuam, & lignum ad lectum, & similia, quæ formam artificialem recipiunt, & ante ipsam formam dicuntur informia, sic se habet materia ad formam substantialem; est igitur ipsa materia vnum principium, non sic actualiter existens, sicut substantia completa, nec eodem modo ens, cum sit pars substantiæ.

CAPVT VIII.

A textu 71. vsque ad 82.

10 NVnc ex dictis soluit Achillem aduersariorum, quo freti ponebant, materiam esse totam quidditatem rei, nec dari generationem substantialem, sed tantùm accidentalem; ratio erat ista. Ex nihilo nihil fit, si ex aliquo, ergo esset antequam fieret, quod est falsum, ergo nihil de nouo secundùm substantiam oritur vel interit. Respondet Arist. quod oritur non fieri ex non ente simpliciter, neque ex ente in actu simpliciter, sed ex non ente per accidens, & secundum quid, nam fit ex materia, quę ratione priuationis annexæ potest dici non ens secundùm quid: fit etiam ex simpliciter non ente, scilicet ex priuatione, non per se, sed per accidens quatenus priuatio in materia præsupponitur. Similiter non fit per se ex ente in actu simpliciter, & completo, sed per accidens, quia aqua verbi gratia non fit per se ex materia, vt informata forma ignis, accidit enim hoc sibi, sed per se fit ex ente in potentia.

11 Deinde ex dictis confutat opinionem Platonis, qui priuationem non distinguebat à materia, eò quia vnum sint subiecto, & numero, & consequenter fit non ens, quia quicquid est præter ens, est non ens, materia est præter ens, quia est ens in potentia, ergo absolutè est non ens, & eadem cum priuatione. Hoc dictum dupliciter impugnat Aristot. primò, quia materia, estò vnum subiecto sit cum priuatione, diuersa tamen munera ambo exercent; materia enim est quodammodo substantia, suscipit formam; & cum ea concurrit ad constituendum compositum; nullum horum habet priuatio, quæ est non ens & potius ad maleficum tendit. Neque per hoc, subiungit Aristot. excludenda erit priuatio à principiorum numero, quia priuatio est causa appetitus, quem habet materia respectu formæ; etenim materia appetit formam, non quam habet, quia appetitus est ob indigentiam non habiti, & respectu absentis, ergo quam non habet, non ratione formæ habitæ, aliter hæc esset ratio appetendi propriam destructionem, nam ex aduentu nouæ formæ prouenit destructio antiquæ, ergo appetit materia formam, sicut fœmina marem, & turpe pulchrum, ratione carentiæ, & priuationis illius formæ.

CAPVT IX.

A textu 82. vsque ad finem.

12 OStendit Arist. in hoc capite, materiam per accidens generabilem esse, & corruptibilem, per se verò ingenerabilem, & incorruptibilem. Primum probat, quia priuatio aduenit materiæ recedente forma, & perit illa aduenientę, ergo per accidens potest dici generari, & corrumpi, ad generationem, & corruptionem scilicet priuationis, vel formæ. Secundum probat, supponendo prius definitionem ipsius materiæ primæ, dicens, materia est subiectum primum vniuscuiusque ex quo fit aliquid, cùm insit, & si aliquid corrumpitur, in hoc abibit vltimum, ergo si ipsa per se generare-

tur, & corrumperetur, per se haberet subiectum generationis, & corruptionis, sed ipsa est primum, & vltimum subiectum cuiuscunque generationis, & corruptionis, ergo esset antequam generaretur, & remaneret post sui ipsius corruptionem, quod implicat. Tandem ait, non esse physicæ considerationis agere de forma, vt abstracta à materia, sed solum de formis in materia. Et sic finis huius primi libri.

LIBER SECVNDVS

PHYSICORVM.

In quo de principijs in facto esse naturalium, scilicet de natura; & causis agitur.

CAPVT I.

A textu 1. vsque ad 16.

INtendit Philosophus in hoc primo capite declarare naturam, & ens naturale, & primò dat diuisionem generalem entium, quòd alia sunt à natura, & sunt illa, quæ internum habent principium motus, & quietis, vt Cœlum, & elementa, & corpora mixta, nam simplicia ab intrinseco mouentur localiter, mixta alterantur, &c. Alia sunt ab alijs causis extrinsecis, vt artificialia, videlicet domus, statua, &c. quæ vt sic nullum habent principium internum motus, nisi quatenus ex aliquo ente naturali constant, vt statua deorsum mouetur, non vt statua, sed vt lignea est. 2. Ex ista diuisione infert definitionem naturæ, dicens esse principium, & causam motus, & quietis eius, in quo est primò, per se, & non secundum accidens; dicitur autem principium per se, & non secundum accidens ad differentiam artis, quæ potest aliquando esse principium alicuius motus in artifice, sed per accidens, vt patet in Medico se ipsum sanante; accidit enim illi, vt ægrotus est, quod polleat medicina, quæ definitio fusiùs in quæstionibus explicabitur. 3. Definit rem naturalem, & secundùm naturam; res naturalis est, quæ naturam habet, idest tale principium motus, & quietis, hinc arte facta non sunt naturalia, vt diximus; quæ naturalis res substantia est (inquit Arist. in text. 4.) quod probat, quia *subiectum quoddam, & in subiecto est natura semper*, ex quibus multi deducunt, Arist. hic naturam diuidere in materiam, & formam, ita vt vis rationis sit hæc; natura est materia, & forma, istæ sunt substantiæ, ergo habens naturam erit substantia, quia non substantia nequit ex substantijs constitui, sed fallunctur, nam Aristot. incipit agere de natura in particulari, ipsam diuidendo à text. 7. & in text. 10. ipsam totaliter, & adæquatè diuidit; non ergo in text. 4. assignauit diuisionem naturæ, neque probauit, habentia naturam esse substantias ex hoc cap. quia natura constant, quæ est materia, & forma, aliter Cœlum non haberet naturam, cum in sententia ipsius, materia, & partiali forma careat, sed ex alio cap. vt notauit Vicomercatus ibi, quia scilicet naturę subijciuntur, quam in subiecto esse semper est necesse; subijci autem, substantię est proprium, cap. de substantia, in cuius expositionis signum Argyropoli versio omnium germanissima, apud omnes habita, ita manet. *Subiectum enim quoddam sunt; & in subiecto est natura semper*. Ens autem secundùm naturam, ait, esse, vel ens habens naturam vels ens consequens rem habentem naturam, vt sunt omnes proprietates, quę habentibus naturam insunt, vt igni ferri sursum, terrę deorsum 14. quartò ostendit à text. 7. quibus rebus ratio naturæ conueniat, & primò ait, conuenire materię ex communi omnium Philosophorum consensu, à quibus discrepat solum Aristot. quòd illi materiam posuerunt totalem naturam, Arist. verò partialem, ratio est, quia licet materia, ex quo est principium motus, & operationum naturalium, saltim passiuum in rebus inexistens sit natura, non tamen est totale principium constituens rem in esse, sed partiale, ideò in text. 10. diuidit naturam, in materiam, & formam sed per formam, si benè perpendatur, non intelligit solum formam partis, sed etiam totius, quæ est quidditas, & essentia in eo, cuius est; ita enim habet: *Vno igitur modo natura sic dicitur prima vnicuique subiecta materia habentium in se ipsis motus principium, & mutationis, alio autem modo, forma, & species, quæ secundùm rationem*, & statim text. 11. explicans, quid intelligat per *speciem secundùm rationem*, subiungit. *Quam definientes dicimus, quid est caro, aut os*. Quid autem sonat nomen speciei, quam quidditatem, & essentiam rei? quapropter adæquata naturæ diuisio erit in materiam, & formam, & quidditatem, vel in materiam, & formam, intelligendo per formam, tam partialem, quam totalem, nam tota quidditas est immediatum principium omnium passionum, & sic sub ista diuisione Cœli natura comprehenditur. Tandem ostendit, formam esse magis naturam, quam materiam, ex hoc, quod artificialia dicuntur talia à forma artificiali, ergo naturalia à forma naturali potissimum dicentur; Tum quia ens naturale magis per formam, quàm per materiam est ens actu; Tum quia generatio dicitur naturalis, quia tendit ad naturam, sed tendit ad formam, ergo, &c. ex quibus infert, naturam aliquo modo, & impropriè posse dici de priuatione, quæ materiam tanquam forma, denominat.

CAPVT II.

A textu 16. vsque ad 27.

15 OStendit in hoc c. 1. Physicum à Mathematico differre; verum enim est, vtrumque circa quantitatem, & corpora cœlestia versari, atque adeò, cùm ex vnitate obiecti vnitas scientiæ desumatur, Physicam, Mathem, & Astrologiam vnam scientiam videri, attamen, inquit Arist. aliter Physicum considerare res istas, aliter Mathem. nam Physicus illas considerat, vt immersas in sensibili materia, vt accidentia corporis naturalis per materiam, & formam definit, vbi Mathematicus abstrahit a materia sensibili, definit per formam, non per materiam, & à corpore naturali, cuius sunt accidentia, abstrahit (quomodò autem propriè sint distinguendæ scientiæ, tactum est in quæst. de subiecto Philosophiæ.) Secundò probat, Physicum debere materiam, & formam considerare, quia eiusdem artis est cognoscere materiam, & formam, ergo quia ars imitatur naturam, eiusdem scientiæ erit materiam, & formam considerare, antecedens patet inductione; Medicus enim non solùm debet cognoscere sanitatem, sed etiam humores, quæ materia sunt sanitatis, ædificator domum, ligna, lapides, &c. debet etiam cognoscere. Tum quia eiusdem scientiæ est cognitio finis, & eorum, quæ ad finem sunt ordinata, & contemplatio relatiuorum; materia ordinatur ad formam, quæ est finis generationis, & se habent, vt relatiua, quia sunt per se actus, & per se potentia, ergo, &c.

CAPVT III.

A textu 27. vsque ad 39.

16 HIc incipit agere de causis, quia scientia est cognitio per causam, ergo ad Physicum, etiam spectat de causis rerum naturalium agere, & primò assignat definitiones quatuor generum causarum: primum est genus materialis causæ, & definitur, esse id, ex quo fit aliquid, cùm insit; secundum est genus formalis causæ, & est species, exemplar, & ratio eius, quod quid erat esse, hoc est, esse rationem principalem definitionis, & essentiæ rei; tertium est efficientis causæ, & dicitur id, vnde primò incipit motus & quies; dicitur *primò*, vt excludatur instrumentalis causa, quæ licèt sit quodammodò efficiens, non tamen est prima; quartum est genus causæ finalis, & definitur, esse id, cuius gratia aliquid fit, vt sanitas est finis deambulationis, quæ fit propter sanitatem, & possunt respectu eiusdem effectus plures fines intermedij concurrere, vt sumptio medicinæ est propter purgationem, & ista propter sanitatem.

Deindè tres ponit causarum proprietates 1. Quòd eiusdem effectus possunt esse plures causæ per se, in diuerso tamen genere, & si in eodem genere, erunt partiales causæ, non totales. 2. Causæ sunt sibi inuicem causæ in diuerso genere, vt purgatio est causa efficiens sanitatis, sanitas causa finalis purgationis. 3. Idem potest esse causa contrariorum effectuum, diuerso tamen modo, quod exemplificat Aristot. de natura, qui sua præsentia est causa salutis nauis, at sua absentia est causa submersionis; potest autem intelligi de eadem causa per se agente, si adsit contraria dispositio ex parte materiæ; Sol enim lutum deficcat, ceram mollificat; finis etiam potest contraria causare, vt sanitas modò est causa comestionis, modò dietæ; tranquillitas Reipublicæ est causa punitionis malorum, & præmiationis bonorum; materia quoque successiuè potest effectus contrarios causare, at forma non potest per se causare effectus contrarios, nisi quia sua absentia corrumpitur compositum.

17 Tertiò assignat plures causandi modos, qui in omnibus generibus possunt reperiri. 1. Est, quòd vna causa est prior, idest vniuersalis, altera posterior, idest particularis. 2. Est, quòd vna causa est per se, à qua, vt tali prouenit effectus, vt statua à statuario; altera per accidens, quæ accidentaliter est per se causæ vnita, vt accidit statuario album esse. 3. Est, quòd quælibet causa, alia est in actu, quæ actu operatur, alia in potentia, quæ licet non agat; potest tamen causare, qui modus omnibus conuenit, & eodem modo effectus possent distingui. Ex quo deducitur, causam in actu esse simul cum effectu in actu, non sic causam in potentia. 4. Modus est, quòd alia causa est simplex, seu incomplexa, vt Policletus vel statuarius, alia complexa, & coniuncta, vt Policletus statuarius. Tandem concludit, quòd si scientificè velimus cognoscere aliquem effectum, debemus causam summam, idest proximiorem illius quærere, & si effectus est vniuersalis, causa quoque vniuersalis assignari debet; si particularis, causa particularis; si effectus est in potentia, etiam causa in potentia, & si in actu, causa quoque in actu.

CAPVT IV.

A textu 38. vsque ad 68.

18 IN præsenti cap. agit Arist. de causis per accidens, scilicet, de casu, & fortuna; tria facit, primum inuestigat, an sint casus, & fortuna, secundum quid sint, tertium quomodò differant, & conueniant. Quo ad primum adducit opinionem Antiquorum, negantium, dari casum, & fortunam, quia omnes effectus determinatas habent causas, vt patet præcipuè de thesauri inuentione, de qua maximè solet dubitari, cuius determinata causa est fossio; vnde antiqui Sapientes nihil de casu & fortuna dixerunt. Hos impugnat Aristot. ex communi omnium consensu, multos effectus casui, & fortunæ attribui, eo quia non habent certam, determinatam, & necessariam causam, vt videbimus; quare negat minorem, & ait Sapientes diminutos fuisse, non assignantes causas per accidens inter alias causas. Alij ex opposito dixerunt, dari casum, & fortunam respectu Cœli, vt vniuersi, quo ad partes principales, eo quia dicebant, casu euenit, quòd athomi ita se coniunxerunt, vt istum mundum cum tali ordine constituissent. Contrà (inquit Arist.) si plantæ, & alia inferiora corpora non habent causam per accidens, sed per se, multò magis corpora nobiliora. Tum quia nihil in Cœlis casu euenit, sed omnia ordine quodam mirabili fiunt, at in his inferioribus totum oppositum videtur, ergo potius casus, & fortuna poni deberent in his sublunaribus quam in cœlestibus.

20 Quo ad 2. refert opinionem aliquorum, ponentium fortunam, causam diuinam esse nobis occultam, à qua omnes effectus fortuiti, & casuales prouenirent. Vt autem patefaciat, quid propriè sit fortuna, primò adducit multas diuisiones: prima est. Eorum, quæ fiunt, alia semper eueniunt, vt ignem comburere, si esset applicatus, alia frequenter, vt pluuia in hyeme, senem canescere, alia rarò, vt quòd fodiens, thesaurum inueniat. 2. Quod aliqua sunt propter finem, vt deambulatio propter sanitatem, alia non propter finem, quia sine aduertentia rationis fiunt, vt fricatio barbæ. 3. Quæ sunt propter finem, alia fiunt ex electione, & iudicio, vt effectus à causa cognoscente prouenientes; alia absque electione, sed ex naturali instinctu, vt actiones causarum naturalium, 4. Causa per accidens, alia est causa per se coniuncta; vt album respectu statuarij; alia est effectui per se coniuncta, vt ruina domus est effectus coniunctus combustioni lignorum, quibus domus innitebatur, combustio est effectus per se ignis, at ruina domus est effectus per accidens ipsius ignis. 5. Causa per accidens ex parte effectus tripliciter potest effectui per se coniungi, vel semper, vel frequenter, vel rarò; istas duas vltimas diuisiones causæ per accidens applicans in proposito, ait, fortunam non esse causam per accidens ex parte causæ, quia non est fortuitò, quòd ædificator sit musicus, sed ex parte effectus rarò euenientis, vt quod fodiens terram, thesaurum inueniat; vt quia fortuna est eorum effectuum, qui proueniunt in agente à consilio, casus verò in agentibus propter finem quidem, sed non ex electione, colligit definitionem fortunæ, dicens, Fortuna est causa per accidens in his, quæ operantur propter finem, rarò, & præter intentum euenientibus. Quæ diuidi potest in bonam, & malam fortunam, iuxtà qualitates effectuum, reduciturque ad causam efficientem, quia casus est in agentibus à natura, fortuna in agentibus per intellectum.

20 Quo ad 3. ait, casum vniuersaliorem esse, quàm fortunam, quia casus, si latè sumatur, se extendit ad quamcunque causam per accidens, & sic effectus fortuiti casuales possent dici, at strictè loquendo, casus solummodo in agentibus sine proposito reperitur, sic, quòd lapis decidat è turri, & aliquem lædat, læsio est effectus casualis respectu lapidis: quòd aliquis inueniat, fodiendo terram thesaurum, est effectus fortuitus, quia est in agente à proposito, & hoc, quia fortuna accidit illis agentibus, quibus conuenit benè, vel malè agere, qualia sunt agentia à proposito, hinc infantes, bruta, & inanimata non operantur ex fortuna, nisi similitudinariè. Ex quibus tandem concludit contrà Democritum, mundum non fuisse casu productum, quia si effectus per accidens, debuisset præcidere effectus per se, cui per accidens coniungeretur, quod est falsum, quia ante mundum nihil fuit productum.

CAPVT V.

A textu 68. vsque ad 75.

21 DVo facit Aristot. in hoc cap. Primò probat quatuor esse causarum genera tali ratione. De aliqua re quatuor interrogationes solent fieri, quibus per quatuor genera causari satisfit; nam primò possumus inquirere de aliqua re, ex quo sit facta, & respondetur per causam materialem. 2. Per quid sit talis, & respondetur per formalem causam. 3. A quo sit producta, & est efficiens. 4. Cuius gratia, & propter quid sit producta, & respondetur per finalem causam. Quamuis autem (subiungit Aristot.) quatuor sint ista genera, sæpè tamen tria illorum coincidunt in eadem re, putà forma, finis, & efficiens, nam idem numero in generatione est forma, & finis, efficiens quoque est idem cum forma, & fine, non quidem numero sed specie, & hoc solum in generationibus vniuocis, non æquiuocis.

Secundò ostendit, omnia ista genera ad Physicum pertinere, quia causa efficiens est triplex, vel est mouens immota, vt Deus, vel mouens mota, sed incorruptibilis, vt Cœlum, vel mouens mota, sed corruptibilis, vt sublunaria; Prima ad Metaphysicum pertinet secundùm essentiam, secunda, & tertia ad lib. de Cœlo, & de Gen. Quo supposito probat, Philosophum omnia causarum genera considerare, quia si considerat generationes rerum, debet quoque causas earum inuestigare, hinc in suis demonstrationibus vtitur omnibus istis generibus, & modò per efficientem, modò per finalem, modò per materialem vel formalem demonstrat.

CAPVT VI.

A text. 75. vsque ad 87.

22 INtendit hic Aristot. ostendere, naturam propter finem agere, non temerè, & casu, vt dicebant antiqui, ponentes omnia post mundi fabricam casu euenire ex parte agentis, & solum causam esse determinationem materiæ, vt quod in hyeme pluat esse propter ascensum vaporum ad mediam aeris regionem, non verò ad terram fœcundandam, quod probabant, quia per solam materiæ determinationem, & necessitatem redditur sufficiens ratio effectuum naturalium, ergo non debet alia per se causa assignari: Tum quia multa in his, quæ à natura prę ueniunt per accidens, vt monstruosa, & hoc propter defectum materiæ, ergo si monstra non fiunt, erit ex proportione debita materiæ: Tum quia agere propter finem prærequirit cognitionem finis, & mediorum, quæ in naturalibus non reperitur; Arist. tamen affirmatiuè respondet, & probat, quia quæ fiunt à natura, vt plurimum euenium, quæ fiunt à casu, rarò contingunt; Tum quia ars imitatur naturam, & propter finem agit, ergo, & natura; Bruta, quæ carent electione, agunt propter finem, vt aranea telas texunt, vt muscas capiant, aues nidos fabricant generationis causa, plantæ producunt folia ad tegendos fructus, radices in imum deprimuntur nutritionis causa, &c. hinc ad primum respondet, non adæquatè responderi propter materiæ determinationem, nam videmus, dari operationem propter finem in naturalibus, vt patet. Ad. 2. Ait, potius oppositum probare, nam sicut in arte, quia non semper agens assequitur fine, ideò datur operatio propter finem, ita in naturalibus dicendum; quapropter monstrum est erratio naturæ ab eo finem quem sibi in agendo proposuerat. Ad 3. tandem, falsum est, quòd necessaria sit libertas, & deliberatio ad agendum propter finem, vt patet etiam in artibus, nam artifex sæpè non deliberat de modo productionis effectus, sed quasi naturaliter iuxtà regulas artis, ad opus se mouet.

CAP. VII.

A textu 87. vsque ad finem.

23 VLtimò declarat, vndè proueniat necessitas in rebus naturalibus, duplex enim necessitas potest reperiri in ipsis, vna ex parte materiæ, quòd talis, vel talis sit, altera ex parte finis, quatenus isti, & non alteri fini inseruire debet. Antiqui primam tantum necessitatem agnoscebant, negabant secundam. Contrà (inquit Arist.) ars imitatur naturam, & necessitatem sumit ex fine, vt patet in structura serræ, quæ duros, & acutos dentes habet, vt ligno resistat, ipsumque scindat, & similibus, ergo, & natura: Tum quia sicut se habet principium ad conclusionem in speculabilibus, ità finis in naturalibus ad ea, quæ sunt ad finem, sed necessitas conclusionis sumitur à principio, ergo, &c. Tum quia materia est propter finem, scilicet propter formam quæ potissima est in definitione, ergo potius necessitas à fine quam à materia, debet desumi.

LIBER TERTIVS.

PHYSICORVM.

Vbi de motu, & de infinito est sermo.

CAPVT I.

A textu 1. vsque ad 6.

24 PRimi duo textus huius cap. inseruiunt, veluti procemium sequentium librorum; rationem enim reddit omnium dicendorum in illis; ait namque, post tractationem de natura agi debere de motu, quia cum se habeant, vt principium, & principiatum, & consequenter sint relatiua, erunt simul cognitione, quare ignorari naturam est necesse; & quia motus est de numero continuorum, quibus conuenit finitum, vel infinitum, hinc de infinito postmodum erit agendum; ad hæc autem motus, saltim localis, nequit sine loco, & tempore fieri, & secundùm antiquos, nec sine vacuo, ideò in seq. lib. de loco, & tempore, tanquam corporis naturalis

affectionibus tractabitur: de vacuo autem ad euitandum ipsum, & cauedos antiquorum errores. In hoc igitur lib. de motu, & de infinito disputat Arist. & Primò de motu, tanquam de principali passione. Vt autem exactam definitionem assignet, premittit aliquas diuisiones. Prima est. Eorum, quæ sunt, quædam sunt in actu tantùm, vt quæ formam in summo gradu naturaliter possibili habent, vt ignis summum calorem: alia sunt in potentia tantùm, quæ scilicet nihil caloris habent; alia partim in actu, partim in potentia, quæ calorem habent in esse remisso. Secunda est. Eorum, quæ sunt in actu, aliud est hoc aliquid, seu substantia, aliud quantitas, aliud relatio, & sic de cæteris prædicamentis dicatur. Tertia est diuisio relatiuorum, nam aliqua referuntur secundum, super abundantiam, & defectum, alia secundum actiuum, & passiuum, vt calefaciens, & calefactum, & est relatio secundi modi, fundata super potentiam actiuam, & passiuam: prima verò est primi modi, super vnum, & multa fundata: relationem tertij modi non adducit Arist. quia ad præsens non spectat. Tandem subiungit, motum non esse præter res ipsas, circà quas versatur idest non pertinere ad prædicamentum distinctum à suo termino, sed in eodem esse prædicamento, in quo terminus motus reperitur; & quia quatuor sunt genera entis per motum acquisibilia, videlicet substantia, quantitas, qualitas, & vbi, ideò ad ista quatuor prædicamenta motus pertinet.

CAPVT II.

A textu 6. vsque ad 18.

25 ASsignat hic Arist. definitionem motus, ipsamque probat: dicit ergo, motus est actus eius, quod potentia existit quatenus huiusmodi, idest, quatenus in potentia, vbi ly *quatenus*, vt notat Scot. quol. 3. k se tenet specificatiuè, quia cùm in mobili sint duæ rationes: est enim in actu, & in potentia, motus est actus eius, vt considerátur in potentia. Itam definitionem explicat, & probat Arist. esse bonam, & primò quòd motus sit actus, quia id, per quod aliquid constituitur in actu cùm prius esset in potentia, est actus ipsius, mobile per motum fit in actu, vbi prius erat in potentia, nam lignum frigidum, dum calefit, actuatur per calefactionem, ergo, &c. quod verò sit existentis in potentia, probat, quia duo sunt in mobili, & ratio actus, & ratio potentiæ, motus non actuat mobile, vt iam est in actu; non enim æs fit statua, vt æs actu est, sed vt in potentia ad formam statuæ, & per hoc patet alia particula *quatenus in potentia*. Specificat enim rationem, qua mobile per motum actuatur, vt scilicet, respicit formam non habitam, sed quæ per motum acquiritur; & hoc totum, multis exemplis confirmat, vt est videre in textu.

Ex dictis colligitur primò, motum non esse actum perfectum, sed imperfectum, quia perfectio alicuius imperfecti quatenus imperfectum est, est actus imperfectus, motus est huiusmodi, quia est actus entis in potentia, quatenus in potentia, ergo, &c. Secundò quòd licet aliquando contingat, idem simul mouere, & moueri motus tamen non est actus mobilis, vt mouens est, sed vt mobile: Tum quia accidit, vt id, quod mouet, simul moueatur: Tum quia id, quod mouet, semper actu continet formam aliquam, per quam mouet; id autem, quod mouetur, in continua acquisitione formæ versatur; quare cùm actus non sit nisi formæ acquisitio; motus erit actus mobilis, vt mobile est.

CAPVT III.

A textu 18. vsque ad 24.

26 EXplicat Arist. in hoc cap. an idem sit actus mouentis, & mobilis, & idem motus in vtroque, an vero diuersus, rationabiliter tamen de hoc dubitatur, quia motus procedit à mouente, & recipitur in mobili; & vt à mouente, & agente progreditur, dicitur actio; vt in mobili, & in passo recipitur, dicitur passio; nam primò videntur actus actiui, & passiui duo actus, quia actus actiui est actio, & passiui est passio; actio verò, & passio non sunt vnum, & idem; Tum quia finis, & opus actiui est factum ipsum, idest res acta, & operata, finis verò, & opus passim est effectus, idest res recepta; differunt autem operatio, & receptio; Tum quia duorum specie diuersorum, vt sunt agens, & patiens vnum esse actum, est impossibile. Tum quia si idem esset discendi, & docendi actus, & vniuersaliter actio, & passio, sequitur, quod docere, & discere, & vniuersaliter agere, & pati eadem essent, tenet consequentia ab abstractis ad concreta in prædicationibus per se, & tunc vltrà sequitur, omnem docentem, vt docentem, discere, & omne agens, vt agens, pati. Ex alio cap. videtur, non posse esse duos actus; nam vel esset vterque vt in subiecto, in patiente, aut actio in agente, & passio in patiente; non secundum, quia cùm actio sit motus, tunc motus esset in mouente, & propterea vel omne mouens moueretur, vel motus esset in aliquo, quod tamen non moueretur, quæ sunt absurda; nec primum, quia hoc pacto actus non esset in eo, cuius est actus, sed in alio; Tum quia idem mobile duobus motibus simul moueretur, scilicet actione & passione ad formam eandem, quod est absurdum, & hoc modo potest probari, non esse in agente.

27 Respondet tamen quæstioni in text. 20. affirmatiuè, quòd idem realiter sit actus mouentis, & mobilis, non enim est absurdum, actum vnius esse in altero, dummodò actus ille non sit decisus ab illo, sed ab eo procedat, & dependeat; neque inconueniens est, vnum, & eundem actum esse duorum, non quidem ratione vnum, vt sunt vestis, & indumentum, sed vnum re, ratione verò diuersum, scilicet formalitate, & conceptibilitate, sicut id, quod est in potentia, simul potest esse in actu secundùm aliam, & aliam rationem. Ex quo non sequitur, ait in text. 21. docere, & discere, agere, & pati esse idem, quia illa non accipiuntur, vt sunt vnum ratione, seu definitione, sicut sunt indumentum, & tunica, sed vt sunt tantùm vnum re, & subiecto, ratione verò diuersa, sicut est via Thebis ad Athenas, & è contrà. Vbi notat. ex Scot. in 4. dist. 13. L. quòd via non accipitur pro ipso spatio, seu magnitudine super quam fit motus, sed pro ipso motu hinc, illinc, & è contrà, qui motus sunt idem materialiter, propter identitatem spatij; sed alij, & alij formaliter, ità docere, & discere, agere, & pati sunt respectus materialiter idem propter identitatem formæ, ratione cuius resultat in passo relatio passionis, & in agente relatio actionis, sed formaliter alij, & alij sunt, & in alijs subiectis; vndè hic pro docere, & discere, pro agere, & pati intelliguntur respectus actionis; & passionis, & relatio docentis ad discentem, & discentis ad docentem; at doctio, & disciplina, actio, & passio sumuntur materialiter, scilicet pro re acta, & forma inducta. Hinc non valet inferre (inquit Aristot.) doctio est disciplina, ergo docere, & discere sunt idem; sicut neque sequitur; idem est spatium aliquorum distantium, ergo eadem distantia, seu idem est distare hinc illuc, & illinc huc; vbi patet, quòd spatium sumitur pro ipsa magnitudine, distare verò, pro motu hinc illuc, & illinc huc, vt notat Scotus cit. qui motus licèt materialiter sint idem propter identitatem spatij, non tamen formaliter.

28 Sequitur insuper Arist. in text. 22. demonstrare, doctionem, & disciplinam; actionem, & passionem, si pro formali accipiantur, non esse idem formaliter, quia sunt alij, & alij respectus, in alijs, & alijs subiectis fundati; ait enim *omninò verò dicere est, quòd neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem propriè est, sed cui insunt hæc motus; nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse ratione diuersum*, idest, vt explicat Scot. loc. cit. actio, & passio, quamuis pro re acta sint idem, vt dictum est, attamen si formaliter accipiantur, sunt respectus huius in hoc, idest respectus agentis in passum, & huius ab hoc, idest patientis ab agente, & solùm materialiter conueniunt in motu, sumendo motum etiam materialiter, scilicet pro forma fluente, non quòd ista forma sit subiectum, vel fundamentum istarum relationum, sed actio dicitur esse eadem cum forma fluente terminatiuè, passio verò subiectiuè, & hoc non formaliter, sed concomitanter, nam respectus passionis est subiectiuè in eo, in quo est forma fluens, & respectus actionis terminatiuè in eo, in quo est eadem forma, ita explicat Scot. supr. cit. lit. M.

Tandem Aristot. in text. 23. concludit, motum esse actum, actiui, & passiui, quatenus huiusmodi; non quod formaliter ly *quatenus* specificet potentiam actiuam, & passiuam, sed hanc solùm, addidit tamen potentiam actiuam, vt ostendat. Idem posse esse mouens, & mobile, & motum ipsius actum esse posse, non tamen quatenus mouens est, sed quatenus mobile, vt supra ipsemet Arist. dixerat tex. 16. & 17.

CAPVT IV.

A textu 24. vsque ad 35.

29 HIc incipit agere de infinito, cuius tractatio ad Physicum spectat, qui de quantitate, & continuo agit, motu, & tempore, quorum passiones sunt finitas, & infinitas; hinc omnes Philosophi agentes de rebus naturalibus, de infinito quoque mentionem fecerunt, illudque dixerunt, omnium rerum esse principium, & aliqui, vt Pythagorici, & Plato dixerunt esse substantiam, alij, vt Anaxagoras, & Democritus dixerunt, rebus accidere infinitum, eò quia pro principio rerum omnium infinitum numerum athomorum ponebàt. Quod verò detur infinitum in rerum natura, posset suaderi, quia tempus non habet principium, & finem, ergo infinitum; Tum quia Mathematici definientes continuum, dicunt, esse diuisibile in infinitum; Tum quia generatio in infinitum multiplicatur, ergo ex aliquo infinito principio ortum ducit, aliter consumpto principio, generatio finiretur; Tum quia omne corpus terminatur ab alio, puta terra ab aqua, aqua ab aere, &c. ergo vel in magnitudine erit processus in infinitum, vel deuenietur ad vnum corpus, quod ab alio non contineatur; ex 1. sequitur, dari infinitam multitudinem; ex 2. infinitam magnitudinem. Tandem nostra cognitio non sistit in aliquo finito, quia dato quouis numero, & magnitudine, adhuc maiorem intelligit, ergo dabitur numerus infinitus, & magnitudo infinita, & alioquin cognitio mathematica esset ficta. Quod potest confirmari, quia extrà Cælum est spatium infinitum, ergo etiam corpus infinitum. Probatur consequentia, spatium illud, vel est repletum, & habetur intentum, vel non, & tunc cur magis hic, quàm ibi natura abhoret vacuum? ergo est locus, qui repleri potest, sed in sempiternis idem est esse, ac posse, ergo &c. ex quibus patet, maximam difficultatem continere quæst. istam de infiniti existentia,

30 Vt autem possit quæst. determinare in seq. cap. præmittit hic varias infiniti acceptiones, nam primò sumitur pro eo, quod non est pertransibile; eò quod non habet spatium, vt sit transiri transitu propriè, & successiuè, & dicitur infinitum negatiuè, vt est punctum, & quomodo vox dicitur inuisibilis. 2. Pro eo, cuius transitus est inconsummabilis: quia terminis caret, & dicitur infinitum positiuè; vt quantitas infinita, si daretur. 3. Pro eo, quod pertransiri potest, sed difficulter, vt ambitus terræ. 4. Pro eo, quod natura sua potest pertransiri, sed adest impedimentum, qua ratione profundum pelagus infinitum dicitur. 5. Pro eo, cuius quantitas non terminatur, nec in appositione, vt in numeris, nec in diuisione, vt in continuo: De secunda, & quinta acceptione loquitur Philosophus; illud est infinitum in actu, seu categorematicum, hoc infinitum in potentia, seu syncategorematicum.

CAPVT V.

A textu 35. vsque ad 56.

32 REsoluit Arist. quæst. propositam negatiuè, & multis rationibus probat, non dari infinitum actu, & categorematicum, & duo facit, Primò probat, non dari infinitum in infinitum in substantia; 2. Neque dari in quantitate.

Primò ergo tribus rationibus ostendit non dari substantiam infinitam; Nullum indiuisibile est infinitum, sed omnis substantia est indiuisibilis, ergo &c.

Neque dicas, infinitum accidere substantiæ, quia tunc infinitum, vt infinitum, non esset principium, vt asserebant antiqui, sed illud potius, cui infinitum accidit. 2. Non potest esse infinitum sine quantitate, quia finitas, & infinitas sunt eius passiones, ergo non potest dari infinitum in substantia. 3. Aut esset substantia indiuisibilis, & hoc non, vt patet, aut diuisibilis, & tunc sequitur, quamlibet partem infiniti infinitam esse; sicut quælibet pars aquæ est aqua, quod est falsum, quia infinita nequeunt multiplicari; sed disputare, an detur in substantia intelligibili infinitum, propriè est Metaphysici, non Physici, cuius est considerare substantiam sensibilem.

32 Secundò multis rationibus probat, non dari corpus quantum infinitum, & primò rationibus topicis, seu ex probabilibus desumptis; Corpus est, quod superficie est terminatum, & numerus, aut habens numerum, numerati potest, ergo non datur corpus, vel numerus infinitus, quia infinito repugnat terminari, aut numerari. 2. Rationibus physicis, quarum prima est; Vel istud corpus esset simplex, vel mixtum, non secundum, quia omne mixtum constat ex elementis numero finitis, aut ergo omnia illa elementa secundum magnitudinem finita sunt, aut vnum, aut omnia infinita; non primum, quia ex finitis nonnisi finitum sequitur; non secundum, quia mixtum componitur ex partibus, æquali proportione se habentibus, ita vt vna pars non conuertat in se aliam, non tertium, quia cum illa quatuor elementa sint corpora, essent infinita secundum omnes dimensiones; & tunc vnum solùm illorum omnem locum repleret; qua ratione probatur etiam non esse corpus simplex, siue sit vnum ex quatuor elementis siue sit corpus medium, quia omnem locum repleret, nec alijs locum relinqueret; Tum quia vel esset expoliatum contrarijs qualitatibus, vel illis præditum; non primum, quia nulla generatio ex illo fieret, quæ est ex contrario in contrarium; non secundum, quia omnia alia in se conuerteret, qnod experientia patet esse, falsum. 2. Ratio; Aut tale corpus esset ex partibus eiusdem rationis, aut alterius; non primum, quia sequitur, quod quælibet eius pars separata, aut esset immobilis, aut semper moueretur, quæ sunt absurda, Probatur consequentia, idem est locus totius, & partis, ergo pars corporis infiniti versus omnem differentiam obtinet capacitatem. sicut, & ipsum totum omnem occupat locum, ideoque non esset maior ratio, cur in vna parte potius quam in alia quiescat, vel cur in vnam moueatur potius, quam in aliam, ergo cum non possit in omnes partes simul moueri, necessariò quiescet, & quia non posset in omnibus simul quiescere, necessariò mouebitur, neque sunt alterius rationis, quia vel essent numero finitæ, vel infinitæ, vel vna tantum, nullum istorum ex dictis superius; & quod non possint esse plura infinita, & quod vnum infinitum alia in se conuerteret finita, & omnem locum repleret, ergo &c. 3. Ratio. Nullum infinitum determinat sibi certum locum, quia omnem replet locum, omne corpus sensibile habet determinarum locum, si in orbem non moueatur cum sit graue, vel leue, ergo &c. Tum quia omne corpus est in loco, sed locus est determinatus; cùm habeat determinatas species, & differentias, scilicet ante, retro, sursum, deorsum, ergo &c. Tandem omne est quantum, & est in loco, ergo non est infinitum, quia omne quantum, vel est bicubitum, vel tricubitum, & locatum est determinatum ad sursum, vel deorsum, quæ omnia infinito repugnant.

CAPVT VI.

A text. 56. vsque ad 62.

33 PRobauit in præcedenti cap. Arist. non dari infinitum in actu, attamen quia ex communi consensu Mathematicorum, infinitum datur à parte rei, ideò per multas diuisiones colligit, quod nam infinitum sit illud, quod in rerum natura debet admitti, vt possit posteà in seq. cap. illud definire. Infinitum igitur est duplex; vnum actu, & cathegorematicum, aliud potentia, & syncathegorematicum; primum est illud cuius magnitudo, vel multitudo nullis terminis clauditur. 2. Est, cuius aliquid existens est finitum, sed quod potest esse, est infinitum, quæ potentia non est ad actum perfectum, itaut aliquando futurum sit in actu perfecto, sed ad actum imperfectum, idest ad fieri, ita vt non actu futurum sit totum simul, sed successiuè, & in fieri hoc infinitum est duplex, vel permanens, quod partes habet permanentes, vt caro, lignum &c. vel successiuum, cuius partes in successione consistunt, vt motus, & tempus, & vtrumque est duplex, vel continuum, vt linea, si est permanens, & tempus, si est successiuum, vel discretum, vt numerus hominum possibilis est infinitum discretum permanens, numerus generationem possibilis est infinitum successiuum discretum. Insuper infinitum in potentia, aliud est infinitum diuisione, & est continuum illud, in quo non est dabilis vltima diuisio, aliud appositione, vel additione, cui semper aliquid superaddi potest; inter quæ infinita est talis proportio, quod si quid remouetur per diuisionem ab vno continuo, & infinito, & addatur alteri, sicut diuisio procedit in infinitum, ità alteri potest fieri additio in infinitum; vt autem diuisio fiat in infinitum, non debet fieri per partes æquales non communicantes, quarum vna est extrà aliam, vt octo palmi in vlna; nam istæ sunt finitæ; sed per partes proportionales, & communicantes, quarum vna includitur in alia, vt duæ medietates, & medietates alterius medietatis, & sic in infinitum; ex quo patet, infinitum in potentia, vt sic non se habere ad modum substantiarum permanentium, quæ totæ simul sunt, sed sicut esse rerum successiuarum, quæ existere dicuntur, quantum, sunt in continuo fluxu, & acquisitione alterius, & alterius partis.

Ex dictis tandem colligit, non dari infinitum in actu, sed bene in potentia, siue continuum, siue discretum, siue permanens, siue successiuum, siue diuisione, siue additione, quod in actu dici potest, non perfecto, sed imperfecto, vt diximus.

CAP. VII.

A textu 62. vsque ad 71.

34 PLura facit Arist. in hoc cap. vt declaret exactè naturam infiniti in potentia, & primò reijcit definitionem infiniti traditam ab antiquis, quæ talis erat, infinitum est id, cuius nihil est extra, idest continet omnia, quæ ad propriam rationem pertinent, vt nihil ipsi deficiat, & extrà ipsum reperiatur, quam definitionem Arist. confutat, eò quia toti, & perfecto conuenit; totum enim est id, cuius nulla pars deest, perfectum verò parum differt à toto, immo re idem sunt, & solùm ratione differunt, quia totum dicit ordinem ad partes, quas includit, perfectum verò dicitur ratione finis, quem res consequuta est, ergo non potest illa definitio conuenire infinito, quia infinitum, & perfectum sunt incompossibilia, perfectum enim est, quod habet finem, & est consummatum, quod infinito repugnat; Tum quia infinitum in potentia est partim in actu, & partim in potentia: quod est in actu est finitum, & acceptum, sed quod est in potentia, qua ratione dicitur infinitum, non est acceptum, sed accipiendum, ergo potius est extrà, quam intrà.

Quapropter rectius definietur contrario modo, vt facit Arist. infinitum est id cuius semper est aliquid extrà accipere, idest, cuius semper aliquid diuidendum, vel apponendum restat, quocunque diuiso, vel apposito. Cuius attributa sunt quatuor. Primum, quod dicitur totum, & finitum, idest perfectum, non secundum se, scilicet in actu puro, sed secundum aliam & aliam partem successiuè ac. ceptam. 2. Quod quatenus infinitum non continet, sed continetur, quia non habet esse, nisi secundum aliam, & aliam partem, quæ in toto continetur. 3. Quod quatenus infinitum est ignotum, quod est intelligendum respectu intellectus cognoscentis illud secundum modum suæ infinitatis, qui modus consistit in accipiendo alterum post alterum, & intellectus, qui hoc modo cognosceret, semper cognosceret aliquod finitum; potest tamen intellectus cognoscere totum illud simul, non per partem post partem, ita docet Scot. 1. d. 3. qu. 2. H. 4. Quod potius habet rationem partis, quam totius, quia se habet veluti materia, quę aliquo modo infinita est, materia verò est pars.

35 Deindè ponit quasdam differentias inter species infiniti in potentia, nam infinitum diuisione differt ab infinito additione, quod in isto non semper datur maior quantitas, quacunque maiori data, quia, inquit Aristot. quantum contingit esse in potentia ad fieri maius, tantum contingit esse in actu, quæ propositio est vera secundum Aristot. vt notat Scot. 3. d. 13. q. 13. D. qui putauit, quantum non crescere, nisi quia partes ablatæ ab vno quanto apponuntur alteri quanto, cùm non sit possibilis alia materia secundum ipsum; & ideò nunquam in appositione potest fieri magnitudo actu infinita, nam non posset excedere, & non contineri a concaua superficie lunaris sphæræ, at in infiniti diuisione non habet terminum, sed quacunque diuisione data, potest dari maior. Ex quo sequitur alia differentia inter infinitum magnitudine, & numero, quod illud nullum habet terminum versus minimum, & par-

& paruitatem,quælibet enim pars est adhuc diuisibilis, at versus maximum habet terminum, vt diximus, istud verò versus minimum habet terminum,quia ad vnitatem peuenietur, sed versus maximum est interminatum.

Tandem docet,infinitum, quamuis de magnitudine, motu, & tempore dicatur,prius tamen de magnitudine, & propter magnitudinem de motu,& propter motum de tempore dicitur.

C A P V T VIII.

A textu 71. vsque ad finem.

36 VT rationibus,in contrarium respondeat,præmittit,non concludi, dari infinitum in actu, eò quòd Mathematici aliquando lineas infinitas in suis demonstrationibus assumunt; ratio est quia non assumunt tales lineas,quasi quòd illis indigeant, nam quicquid de lineis maximis demonstrant,possunt etiam de minimis demõstrare,& si aliquando illas accipiunt, ne linea finita, qua indigent, ipsis deficiat. Secundò ait, infinitum potiùs ad materialem causam reduci, quàm ad formalem, quia infinito conuenit priuatio, & potentia ad vltrà accipiendum, vndè ipsius esse est priuatio; cuius subiectum est continuum, seu quantum sensibile, at cui conuenit priuatio,& potentia,ad materiam debet reduci, cùm priuatio, & potentia sint in materia.

His præmissis respondet ad primam, tempus, & motum esse infinitum in esse successiuo, & in potentia. Ad 2. continuum esse diuisibile secundum partes proportionales, vel secundum rem, vel secundum rationem, non verò secundum partes æquales non communicantes, ideò solùm est in potentia infinitum. Ad 3. negatur consequentia, quia cùm generatio vnius concomitanter fit corruptio alterius, potest ex principio actu finito perpetuari, & sufficit finita materia. Ad 4. deueniri ad corpus, quod ab alio non contineatur, non tamen hoc infinitum esse, quia corpus, quod finitur, non ab alio finitur, sed propria superficie. Ad 5. non valet arguere, ab imaginatione ad veritatem rei. Ad id de spatijs imaginarijs, ait propriè, non esse vacuum illud, sed inane, nec datur aptitudo ad replendum, quia secundum Aristot. nec fuit possibilis alius mundus, neque datur subiectum aliquod, in quo propriè reperiatur priuatio, sed est negatio extrà genus.

LIBER QVARTVS

PHYSICORVM.

In quo de loco, vacuo, & tempore disputatur.

C A P V T I.

A textu 4. vsque ad 14.

37 POstquam Arist.demonstrauit, agere de loco ad Physicum pertinere, Tum quia est communis affectio corporum naturalium, quæ quamdiù sunt,alicubi sunt; Tum quia tenetur de motu locali tractare,qui primus est, & principalis,ac cœteris motibus communior. Quærit primò de loco,an sit, & rationes adducit pro vtraque parte; quòd locus sit probat primò ex successione corporum in eundem locum, quasi in quodam communi continente, distincto à corporibus succedentibus; Tum quia grauia, & leuia ad propria loca mouentur,vt in illis conseruentur,ergo euidens est, locum esse, virtutemque habere attrahendi locata; immo proprias partes, & species habere, quæ sunt sex, videlicet, sursum & deorsum, ante, & retrò, dextrum, & sinistrum; quæ non tantum,quoad nos reperiuntur,nam sic mutarentur, secundùm quòd nos conuerteremur, sed etiam, ex natura rei, & determinatè; Sursum enim est, quo leuia feruntur, & deorsum, quo grauia; & tandem patet, locum esse, ex communi Philosophorum consensu: etiam illorum, qui vacuum admittebant: asserebant enim, vacuum locum esse.

Ex altera parte probat, locum non esse; tum quia maximè esset corpus trinè dimensionatum, & sic locus penetraret locatum, & corporum penetratio daretur; Tum quia maximè esset corporum receptaculum, sed hoc non, quia daretur locus puncti, & superficierum; nam istæ etiam sibi inuicem succedunt, sicut corpora, sed non datur locus puncti, ergo neque lineæ, superficiei, & corporis, per locum à destructione consequentis; Tum quia,vel esset elementum,vel ex ipsis constans, & tunc vel ex elementis corporeis, vel incorporeis, idest principijs intellectualibus, sed non potest esse elementum corporeum, vel ex corporeis compositum, quia esset corpus, & daretur penetratio corporum, neque quicquam intellectuale, quia magnitudinem habet; Tum quia virtus ipsius ad nullum genus causę reduci potest, non ad intrinsecas, quia nihil ex loco constat, neque ad extrinsecas,quia hæ causæ cum forma coincidunt,ex dictis in 2.Phys. Tum quia esset in loco, & daretur locus loci, & processus in infinitum. Tandem quia augeretur ad auctionem locati, quia æqualis debet esse locato, at quod augetur est corpus, ergo locus esset corpus, quod est falsum.

C A P V T II.

A textu 14. vsque ad 23.

30 NOn minùs difficile est resoluere,quid sit locus: adsunt enim rationes probantes, esse materiam,vel formam, & vtrumque negantes; sed primò præmittit, locum duplicem esse, communem,qui plura ambit corpora, vt templum & proprium, qui immediatè vnum tantùm continet corpus, vt vas continens solùm aquam. Quo supposito arguit pro vtraque parte. Primò probat, locum formam esse, locus est continens, ergo est terminus, quo magnitudinis materia terminatur, ergo est forma, quia de ratione formæ est terminare. Secundò,quod sit materia,quia locus est interuallum illud occupatum à locato,sub quo tanquam sub forma continetur,& ab illo definitur,& terminatur,ergo est materia, quia materia est quoddam indefinitum contentum sub forma, & ab ea determinatur; hinc Plato dixit,idem esse materiam,& receptaculum.

At oppositum his rationibus suadetur; Tum quia locus à locato separatur ipso manente, & continet locatum, non sic materia; & forma à composito possunt separari, ipso manente, & materia non continet, sed continetur; Tum quia corpus esse in loco, est esse in aliquo, quod sit extrà illud, materia, & forma non sunt extrà compositum; Tum quia corpus ad locum, quem non habet, mouetur, at semper habet materiam, & formam; Tum quia sequeretur, quòd loci esset locus, dum mouetur locatum, etenim locus, scilicet materia, & forma, quæ ad motum compositi mouentur, acquirerent locum. Tandem, quòd non sit materia, probatur, quia cùm ex aere fit aqua,locus aeris corrumpitur,materia manet in genito, & corrupto, ergo,&c.

C A P V T III.

A textu 23. vsque ad 30.

39 INcipit nunc Arist. determinare loci naturam, sed prius aliqua præmittit in hoc,& sequenti capite; Notat enim hic, quot modis aliquid dicitur esse in alio,& an possit idem esse in seipso. Quoad primum,ait,octo esse modos essendi in 1. Est sicut pars in toto, vt corpus in homine,& digitus in manu, 2. Sicut totum in partibus simul sumptis,vt homo in corpore, & anima, 3. Sicut species in genere, & inferius in suo superiori, 4. Sicut genus in specie, & superius in inferiori. 5. Sicut forma in materia,& accidens in subiecto. 6. Sicut effectus in causa efficiente,siue physica,vt calor in Sole,siue morali,vt Regnum,in Rege, 7. Sicut effectus in sua causa finali,sic omnia sunt in Deo,medicamenta in sanitate,& amans dicitur esse in amato, vt in fine,8. Et est maximè proprius,sicut locatum in loco,vel in vase, cœteri verò modi per quandam similitudinem ad istum modum dicuntur modi essendi in.

40 Deinde dubitat,an aliquid posset esse in se ipso:ad cuius solutionem præmittit, tripliciter aliquid posse dici tale, per se primò, si secundùm se tale sit,& non secundùm aliquam partem, aut secundùm aliquod accidens,vt homo est animal; vel per aliud, si scilicet est tale per aliquam partem, vt homo est sciens per animam, vel tertiò per accidens,si videlicet tale dicitur per aliquod accidens,quòd est immediatum subiectum illius denominationis, vt homo est albus propter superficiem quantitatis,quæ est immediatè alba. Hoc stante, tripliciter respondet ad quæsitum. Primò aliquid potest dici esse in se ipso per aliud,scilicet secundùm partem. Probatur,quia sæpè solemus totum denominare à dispositione suæ partis, sed aliquando alicuius totus pars verè est in alia parte, vt huius totus, scilicet amphoræ vini, pars vna, scilicet vinum, verè est in amphora; ergo licet amphora non sit in seipsa; neque vinum in se, tamen totum aggregatum ex amphora,& vino erit in se ratione vnius partis. Secundò ait,non posse idem per se primò,idest secundùm totum,esse in se ipso. Probatur, discurrendo per omnes modos essendi in; Tum quia sequeretur, ambo vtrumque esse, scilicet, amphoram esse vinum,& vinum esse amphoram; Probatur sequela, sit amphora vini illud totum, quod in se ipso est,tunc idem continet,& continetur, at continere est amphoræ, contineri est vini; ergo amphora, prout continetur, habebit rationem contenti, quod est vinum; & vinum, prout continens,habebit rationem amphoræ,& sic amphora esset vinum, si vtrumque indifferenter contineat,& contineatur; hoc autem est impossibile; Tum quia secundùm esse differunt continens, & contentum; ergo idem à se ipso differret. Tertiò,non potest aliquid secundùm accidens esse in seipso quia duo corpora essent simul, quod est absurdum, Sequela probatur; id dicitur tale per accidens, quando est in eo,vel habet id, quod secundum se tale est,si amphora vini est in se ipsa,vt in loco per aliud corpus,tunc illud corpus esset in amphora vini,& in eodem erit ipsamet amphora,& sic penetratio corporum, nam esse in loco proprium est corporum,& aliquid est per accidens in loco, erit per corpus à se distinctum.

Ex

Ex his soluit Aristot. quasdam dubitationes propositas; & primò argumentum Zenonis,quo probabat, si locus aliquid esset,esse in alio loco,& sic processus in infinitum. Respondet Aristot.locum esse in alio,non vt in loco,sed vt accidens in subiecto,nam vt videbimus, locus est superficies continentis. Secundò, ex hoc,quod locus continet, non sequi esse materiam vel formam, quia contineri in loco, est esse, veluti in vase,itaut continens sit à contento distinctum, at materia, & forma sunt partes essentiales locati,ergo non potest locus esse materia, vel forma.

C A P V T IV.

A textu 30. vsque ad 43.

41 PRosequitur Aristot. aliqua præmittere,vt tandem in fine huius capitis exactam definitionem loci assignet. Primò adducit quinque loci proprietates, quarum 1.est, quod locus non est aliquid locati,sed solum ambit ipsum. 2. Quòd sit locato æqualis,quæ tantùm locum proprio in text.33. docet conuenire,non communi. 3. Quòd licèt possit à quolibet locato separari distributiuè, non tamen ab omni collectiuè, aliter daretur naturaliter vacuum. 4. Quòd locus omnis sublunaris sursum est,aut deorsum. 5 Quòd corpus omne naturaliter fertur ad proprium locum, in quo naturaliter posteà quiescit. Secundò aliqua præsupponit, tanquam vera; quorum Primum est, quòd motuum inquisitionis loci fuit localis motus, qui sunt latio, augmentatio, & diminutio, sed primus tantùm est propriè localis motus, reliqui verò concomitanter. Secundum, quòd mobilia sunt duplicia, alia per se, quæ proprio motu mouentur, alia per accidens, quæ ad motum alterius mouentur, & hoc dupliciter, nam vel possunt per se moueri, vt partes integrales, quæ dum sunt in toto, per accidens mouentur, at si separantur, mouentur per se; vel nullo modo per se moueri possunt,vt albedo,scientia &c.Tertium,quòd cùm pars est in toto,non dicitur in illo esse,vt in loco,sed potiùs,vt pars in toto.Ratio est,quia tunc aliquid est in alio, vt in loco, cùm extrema eorum se tangunt, & non continua sunt: & cum ad locum mouetur, non cum loco, sed pars est continua toti, & cum toto, non ad totum mouetur, ergo &c. Quartum, quòd locus non est forma, quia hæc est quid locato intrinsecum, locus verò est extrinsecus, quamuis similitudinem aliquam habeat cum forma,quatenus terminat locatum,neque est spatium,seu interuallum illud interceptum inter latera continentis trinè dimensionatum,vt dicebant antiqui, quia non datur: nam inter latera vasis, aliud corpus non reperitur, verbi gratia, nisi aqua, quæ sufficit ad distantiam laterum continentis, & ipsa ablata, remanet vacuum; Tum quia daretur corporum penetratio, vel scissio in omnes partes locati, quia si duo corpora non se penetrant, & vnum est in alio, vt cum aqua, & vinum miscentur, iam ad inuicem scinduntur in partes; & quoniam quælibet pars est in loco, ideò darentur infinita loca, infinitis partibus diuisis correspondentia; neque est materia, quia non est materia,vt locus separabilis à re; quamuis cum materia, similitudinem habeat,eò quia sicut materia in generatione, modò est sub vna forma,modò sub alia, ita locus modò habet vnum corpus, modò aliud.

42 Ex istis tandem infert Aristot. definitionem loci, quòd locus est terminus, seu superficies corporis continentis corpus illud,quod localiter mouetur; pro cuius notitia adnotat,hanc esse differentiam loci, & vasis, quòd vas continet, vt locus, sed est mobile, ità, vt feratur cum re contenta,vt patet de naui in flumine, quæ vtitur aqua, vt vase, quia cum naui fertur,at locus continet, vt vas, sed est immobilis, vt non feratur cum locato, vt aluei superficies habet rationem loci respectu nauis, quamuis communis. Quapropter completa loci definitio erit ista: Locus est primus terminus, seu vltima superficies continentis immobilis; quam definitionem sic probat: & primò, quòd sit immobilis, ex communi consensu veterum, qui mundi medium, ideò putauerunt locum deorsum, & vltimum Cœli Lunæ versus nos locum sursum, quia immobilia sunt,cum seruent eandem distantiam; quòd sit superficies,probat ex hoc,quòd contineat locum, & simul sit cum locato.

C A P. V.

A textu 43. vsque ad 50.

43 TRia facit; Primum, quomodo omnia corpora sint in loco, quod, vt ostendat, ait, quòd cùm esse in loco sit habere superficiem ambientem, hinc quatuor modis contingere esse in loco, secundùm potentiam, vt partes in continuo, secundùm actum, quæ actualiter habent superficiem ambientem, tertiò per se, quæ scilicet per se localiter moueri possunt, & tandem per accidens, quæ ratione alterius continentur in loco, & hoc dupliciter, vel omninò per accidens, vt quæ sunt in eo, quod est in loco per se, vt anima in corpore, vel per accidens, quia per partem, quæ ex partibus constant, quarum altera est in loco per se. Ex his sequitur, omne corpus esse in loco per se, quod habet superficiem ambientem, hinc vltimum cœlum potest dici quodammodò locus omnium, quia omnia alia continet, vniuersum verò secundùm totum non est in loco per se,quia non habet continens, sed est in loco per partes,quæ per se sunt corpora cœlestia,elemẽtalia &c. Secundum, quomodò soluantur rationes in contrarium; nam locus noncrescit,quod proprium est corporis, non superficiei, nam crescere est fieri maius secundùm omnem dimensionem. Nec datur locus puncti, quia solùm corpus per se mouetur, ideòque solùm corpus per se est in loco; nec sequitur, duo corpora esse simul, quia locus continens non est corpus, sed superficies; vndè nec est corpus medium, vel elementare; neque tandem locus erit in loco, quia licet superficies sit in corpore, non tamen, vt in loco, sed vt terminus in terminato, vndè falsum est, omne, quod est, esse in loco. Tertium tandem, quomodò intelligatur quinta loci proprietas, quòd omne corpus naturaliter ad proprium locum feratur, & ait,locata ideò naturaliter ad propria loca moueri, & in ipsis quiescere, quia naturalem habet conuenientiam cum corporibus continentibus, sicut pars auulsa cum suo toto; locatum enim se habet, vt pars ad locum, quia se habet, vt materia, quæ rationem partis habet; locus verò, vt forma, quæ habet rationem totius, quia totum perficit; attamen est aduertendum, corpus naturale dupliciter considerari posse, vel vt substantiale tantum, vel vt præditum determinatis qualitatibus; similiter locus,vel sumitur,vt dicit superficiem vt sic, vel vt est in corpore continente simul cum qualitatibus actiuis, & passiuis; si corpus, & locus primo modo considerentur, sic graue naturaliter tendit,& quiescit deorsum,& leue sursum, à quocunque ibi contineantur; est enim per accidens, quòd cum continentibus habeant naturalem conuenientiam; si verò secundo modo considerentur, sic est verum, illud euenire propter naturalem conuenientiam.

C A P V T VI.

A textu 50. vsque ad 57.

44 POst tractationem de loco subiungit disputationem Aristot. de vacuo, tanquam Philosopho dignam, quia omnes dubitationes, quæ possunt fieri de loco, possent etiam de vacuo moueri propter maximam affinitatem, quam habet cum loco; & postquam refutauit rationem Anaxagoræ, probantis, non dari vacuum, eò quia vbi nullum sensibile corpus reperitur, adest aer; quæ ratio (inquit Arist.) solùm probat, non dari vacuum,iuxtà vulgi existimationem, non verò iuxta placita Philosophorum, ponentium vacuum, siue intrà vniuersum inter vnum, & aliud corpus contiguum, vt Leucippus, & Democritus: siue extrà vniuersum, vt alij. Adducit deindè rationes probantes, dari vacuum in rerum natura, Prima est. Mobile localiter moueri nequit in pleno, aliter daretur penetratio corporum, ergo in vacuo, qua ratione Melissus, ne vacuum admitteret, motum negabat, Tum quia, quando duo corpora condensantur,minorem molem acquirunt, quando viuens augetur, alimentum per totum corpus diffunditur, vas plenum cinere tantum aquæ recipit, quantum sine cinere, quæ non essent vera, nisi intus darentur vacui quidam meatus,Tum quia corpora confunderentur inter se,& continua essent,& consequenter vnum,quod est falsum,ergo inter illa est vacuum.

C A P V T VII.

A textu 57. vsque ad 64.

45 REijcit primò definitiones veterum de vacuo. Prima erat. Vacuum est locus, in quo nullum est corpus graue, vel leue,eò quia putabant,omne corpus tangibile esse,& consequenter graue, vel leue; sed falsum est fundamentum, aliter locus, vbi Cœlum modò reperitur,esset vacuus,ideò falsa quoque definitio; 2. Vacuum est locus,in quo nulla est singularis substantia, qua ratione,materiam vacuum appellabant: sed contrà,inquit Arist.quia vacuum isti ponebant,vt quid à corpore separabile, materia est inseparabilis. Hinc ex propria mente subiungit definitionem vacui,dicens, esse locum non repletum corpore,aptum tamen repeleri. Deindè soluit rationes propositas pro vacuo; ad 1. ait non esse necessarium vacuum propter motum localem,quia corpus, in quo fit motus, cedit mobili. Ad illa exempla respondet,condensationem fieri per expulsionem aliquorum corporum subtilium intra poros existentium,vel possumus dicere,fieri per solam mutationem situs partium in ordine ad locum,non in ordine ad se,quod tangit Philosophus infrà text.83.& sequentibus,vt in libris de Generatione dicemus, auctio etiam fit per appositionem alimenti intrà corporis poros, in quibus aer, vel subtiliores humores erant inclusi,& per aduentum alimenti expelluntur, Per idem ad illud de cineribus,imò si hæc valerent probarent,viuens esse totum vacuum, quia quælibet pars augetur, & vas cinere plenum totum esse vacuum, vel quòd duo corpora penetrarentur. Ad 3. non respondet, eò quia patet, corpora, licèt non sint continua, esse tamen contigua.

CAPVT VIII.

A textu 75. vsque ad 86.

46 PRobat Philosophus, non dari vacuum in rerum natura propter motum localem, ex ipso locali motu quia posito vacuo, non posset fieri motus localis in eo, quod probat multipliciter; Tum quia in vacuo nulla est positionum differentia, sursum scilicet, aut deorsum, est etiam vniforme, ergo non esset ratio cur mobile huc potius, quam illuc pergat, cum omne mobile naturaliter sit ad locum determinatum, sicut terra dicitur immobilis à Platone, eò quia æqualiter distat à circumferentia (hæc ratio probat tantùm, non dari motum naturalem à principio determinato prouenientem.) Tum quia proiecta secundùm veteres, præcipuè Platonem, à medio occurrente, vel percusso, à proijciente mouentur, cum sint separata à proijciente, in vacuo nullum est medium, ergo, &c.) hæc ratio probat tantùm, non fieri motum violentum factum à causa tangente mobile solùm in principio motus, vt sunt proiecta, non verò motus vectionis, vertiginis &c. prouenientes à causa semper tangente; ità explicat Aristot. text. 68. *in vacuo nihil horum potest esse, neque enim ferri erit, nisi vt quod vehitur*. Tum quia quæ proportio est medij ad medium in subtilitate, & densitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate, & tarditate, sed vacui ad plenum nulla est proportio in raritate, & densitate, ergo neque motus facti in vacuo ad motum factum in pleno in velocitate, ergo motus in vacuo factus, esset istantaneus, aliter posset mobile in vacuo, & in pleno æquali tempore moueri, quia si esset aliqua proportio, posset excogitari medium in tanta proportione subtilius, quanta tempus vacui minus est tempore, quo pertransitur plenum. Item quia æqualiter mouerentur mobilia in vacuo, siue vnum sit altero grauius, siue eandem habeat vel diuersam figuram aut magnitudinem, quod est falsum. Sequela probatur, quia in vacuo nulla potest assignari ratio maioris, vel minoris velocitatis, vt in pleno, in quo dicere possumus, grauius fortius scindere medium quàm leuius. Quæ rationes, quantum valeant, videbitur in disputationibus.

CAPVT IX.

A textu 76. vsque ad 87.

47 IMpugnat Arist. in hoc cap. adhuc existentiam vacui iuxtà alios modos antiquorum; nam quidam ponebant vacuum interuallum illud trinè dimensionatum, quod locum esse dicebant, quando corporibus erat plenum, vacuum verò, si corpus nullum haberet, sed posset habere; quem modum reijcit Arist. ea potissimum ratione, quòd daretur penetratio corporum, vt dixit de loco. Neque valet dicere; corpora sensibilia, verbi gratia, elementa non se penetrare, sed vnum alterum expellere, quia sensibilibus sunt prædita qualitatibus, at interuallum illud soùm est trinè dimensio natum, non qualitatibus affectum, idcircò non implicare penetrationem. Contrà inquit Aristot. quòd corpora sensibilia habeant qualitates illas, per accidens se habet ad rationem occupandi locum, & ratio impenetrationis est trina dimensio, non sensibilis qualitas, ergo si in corporibus sensibilibus non datur penetratio, vt patet, quia vnum alteri cedit, neque poterit dari in corpore, & interuallo trinè dimensionato. Deindè reijcit alterum modum, quo veteres vacuum admittebant, scilicet per modum priuationis intra corporum poros, & hoc propter raritatem, & densationem eorundem. Contra quos sic arguit. Vel intra poros reperiuntur partes vacui accepti pro illa trina dimensione, & hoc est falsum, quia non datur tale spatium dimensionatum extrà corpora, vt probatum est, ergo nec intrà corpora, vel datur vacuum pro priuatione, & neque hoc, quia ipsi ponunt vacuum propter motum localem, & rarefactionem, & tamen motui locali vacuum nequit inseruire; Tum quia esset causa raritatis, & consequenter leuitatis, vnde solum sursum moueret, quænam ergo esset causa motus deorsum? Tum quia vacuum esset causa actiua motus, imò ferret mobile, & simul ferretur; ergo moueretur, & locum haberet, quod est falsum. Motuum autem de rarefactione friuolum esse ostendit Arist. eò quia rarefactio, & condensatio non est motus ad quantitatem, vt inuitmus cap. 7. sed fusius dicemus in libris de Gener. Cui accedit pro nunc, quod datur corpus rarius, vt plumbum, quod tamen velocius deorsum mouetur, quam crystallum, quod est densius, ergo vacuum non est causa motus sursum.

CAPVT X.

A textu 87. vsque ad 97.

48 INcipit Philosophus ab hoc cap. tractare de tempore, & primò ostendit difficultatem inuestigandi temporis existentiam, & naturam. Quòd sit difficile cognoscere temporas existentiam, probatur his rationibus. Partes temporis non sunt, ergo nec tempus ipsum; antecedens probatur; quia partes sunt præteritum, & futurum, quæ non existunt. Neque dicas, dari nunc, seu instans temporis, quia nunc non est pars temporis, nam pars sæpius repetita potest totum mensurare, ipsumque componere, nunc, cùm sit indiuisibile, non potest mensurare, nec componere tempus, aliter ex indiuisibilibus constaret, ergo &c. Tum, quia dato, quòd sit pars, nihil sequitur, quia non existit, ergo &c. Antecedens probatur, vel est vnum nunc in toto tempore, vel plura, non secundum, quia vnum corrumperetur, & tunc vel cum alio nunc, & sic duo nunc simul & corrumperetur in se, & quando esset, quæ omnia sunt falsa; vel in alio nunc sequenti, quod etiam nequit fieri, quia vel duo nunc immediata, & sic tempus ex indiuisibilibus constaret, vel si esset mediatum, iam per tempus duraret, & simul cum infinitis nunc existeret. Neque primum, quia nullum continuum finitum vnico clauditur termino, sed pluribus, vt patet in linea, tempus est huiusmodi, ergo non habet vnicum nunc. Tum quia omnia essent simul, etiam quæ in principio temporis fuissent facta, quia omnia essent in eodem nunc. Nec minus difficilis est natura ipsius; nam Plato dicebat, tempus esse totam primi Cœli circulationem, quod impugnat Aristot. eò quia quælibet pars temporis est tempus, non tamen quælibet pars circulationis est circulatio. Pythagoras dixit, substantiam ipsius Cœli tempus esse, quod improbat, quia omnia in sphæra continentur, vt in loco, non vt in tempore; Tum quia Cœlum est totum simul, non sic tempus. Alij, quemuis motum esse tempus. Contrà, inquit Aristot. quia motus est tantùm in eo, quod mouetur, tempus est vbique, & apud omnia; motus diuiditur per velocem, & tardum, in quorum definitionibus tempus ingreditur, nam velox est, quod in paruo tempore multum spatij pertransit, tardum quod in multo tempore paucum spatium percurrit; tempus verò diuiditur per longum, & breue, neque per seipsum definiri potest, ergo &c.

CAPVT XI.

A textu 97. vsque ad 108.

49 INtendit Philosophus in presenti declarare naturam temporis & primò aliqua præsupponit, ex quibus deindè definitionem colligit temporis, Primum præsuppositum est, quod tempus non est sine motu, quia cùm nullum percipimus motum, aut si quem percipimus, non tamen animaduertimus, nullum videtur nobis effluxisse tẽpus, vt patet in dormientibus, qui cùm à somno excitantur, putant, inter nunc, quo dormire cœperunt, & nunc excitationis nullum fluxisse tempus medium, ergo tempus non est sine motu, ergo est aliquid motus, quia tunc concipimus, tempus esse, cum concipimus motum, est autem aliquid motus, non secundùm se considerati, idest, vt est actus entis in potentia, sed vt habet partes priores, & posteriores, & continuus est, quia tunc tempus fluere dicitur, cùm percipimus successionem, & continuitatem in motu. Secundum præsuppositum est, quòd continuitas conuenit magnitudini, motui, & tempori, sed ordine quodam, non primò conuenit magnitudini, deindè per magnitudinem motui, quia cùm motus sit transitus mobilis de vno ad alium terminum, euenit, vt motus sequatur necessariò mobilis, vel spatij magnitudinem, tempori verò competit per motum, quia tempus sequitur motum, & quum magnus est motus, tam longum est tempus. Idem dicendum de habere prius, & posterius; motus enim habet partes priores, & posteriores, quia magnitudo, & spatium habet partes anteriores, & posteriores secundum positionem, tempus verò per motum.

50 Hinc definit Aristot. tempus, dicens est numerus motus secundùm prius, & posterius; dicitur numerus, non simpliciter numerans, nec simpliciter numeratus, sed numeratus, & numerans simul, vt fusius in quæstionibus; Ex quo sequitur, tempus de numero successiuorum, & continuorum esse, quia partes habet copulatas vni termino communi, scilicet nunc, & instanti, quamuis per inielleclum discretas. Occasione euius, Arist. subiungit aliqua de ipso nunc, seu instanti. Primum: Nunc metitur tempus, quatenus, prius, & posterius, idest, à nunc terminatur tempus ad certam quantitatem secundùm partem priorem, & posteriorem. Secundum. Idem nunc dicitur vnum, & diuersum, quatenus est in alio, & alio, id est, vt est finis præteriti, & principium futuri, dicitur diuersum, at secundùm id, quod est, id est, secundùm se est vnum; & probatur ab Arist. Nunc sequitur mobile, non quidem absolutè, vt notat Scot. in 2. d. 2. q. 2. C. D. sed vt est sub mutatione, seu mutato esse, sicut tempus sequitur motum, ergo nunc est idem secundùm se, & diuersum secundùm aliam, & aliam rationem, quia etiam mobile, vt est sub mutato esse, est diuersum, quatenus illud mutatum esse est principium motus sequentis, & finis præteriti, at secundùm se est idem. Tertium, Nunc non est sine tempore, nec è contrà, quia eodem modo se habent inter se, sicut mobile sub mutato esse, & motus: continuum enim non est sine partibus, nec è conuerso. Quartum. Nunc secundum se continuat tempus, at vt ratione diuersum, diuidit, & distinguit, quia tunc terminatur tempus ad quod non sufficit vnum nunc, quamuis ratione diuersum; sed duo distincta requiruntur, quia quodlibet finitum duobus terminis clauditur. Tandem, nnnc non est pars temporis, sed terminus illius, eodem enim modo se habet, sicut mutatum esse ad motum, & punctum ad lineam.

CAPVT XII.

A textu 108. vsque ad 114.

21 DEclarat hìc Aristot. temporis proprietates, quarum Prima est, quod cum tempus sit de numero continuorum, & numerus motus dicatur, ideò partem minimam habet aliquo modo, & aliquo modo non habet, non enim se habet, vt numerus numerans, qui partem omninò minimam habet, qualis est vnitas, sed est numerus numeratus, & ideò habet partem minimam secundùm multitudinem, quia partes illæ secundùm vnitates sunt distinctæ, non tamen habet minimam partem secundùm magnitudinem, quia est de numero continuorum, cuius pars est in infinitum diuisibilis. 2. Tempus non est velox, aut tardum, quia hæc tempore mensurantur, ex dictis cap. 10. dicitur autem longum, vel breue, quatenus continuum est; dicitur multum, vel paruum, quatenus numerus est. 3. Tempus respectu omnium temporalium est semper vbique vnum, simul, & idem per applicationem scilicet, & coexistentiam, quia non est necesse, numerum variari ad variationem numeratorum; idem enim est numerus denarius decem hominum, & decem equorum, quamuis homines, & equi specie differant, sic de tempore respectu omnium motuum est dicendum; at secundum prius, & posterius non est idem sed diuersum, quia partes temporis non sunt simul, sed vna alteri succedit. 4. Quod tempus reuertitur idem specie sicut motus etiam idem specie redit, ex quibus partibus numero distinctis constatur vnum numero tempus, vt annus, mensis, veret cap. 5. Quamuis tempus per se, & à priori sit mensura motus, vtpotè præstantissimus motus sit, & regulatissimus, tamen per accidens, & à posteriori potest motu mensurari, vt ex motu horologij arenarij deuenimus in cognitionem motus horarij primi Cœli, quod etiam patet in numeris, nam non solùm numerus numerans est mensura, verùm etiam res numeratæ possunt parere cognitionem numeri numerantis, quod est ipsum mensurare.

CAPVT XIII.

A textu 114. vsque ad 130.

52 DVo facit Aristot. in præsenti, Primò comparat tempus ad res extrinsecas, dicens, quòd aliquid esse in tempore multipliciter sumitur, sed in præsenti sumitur pro mensurari tempore (vbi nota, quòd hìc Aristot. videtur loqui de tempore intrinseco, quatenus est duratio cuiuscunque motus, non de extrinseco, vt est mensura propriè) non verò simpliciter pro esse simul cum tempore, nam sic etiam Deus esset in tempore; quæ nullo modo motui subijciuntur, vt Deus, & intelligentiæ in sententia Philosophi, nullo modo tempore mensurantur, at quæ motui subijciuntur, tempore possunt mensurari; non ratione sui, sed ratione motus; vndè propriè tempus est mensura motus, est etiam per accidens mensura quietis, quia priuationes cognoscuntur ex suis formis oppositis, vt declarat Scol. in 2. dist. 2. qu. 4. & quol. 11. & nos in quæstionibus. Quapropter infert Aristot. ea tempore mensurari, quæ tempori subijciuntur, à tempore comprehenduntur, & patiuntur, non quod tempus sit causa actiua istius passionis, sed quia est mensura illarum alterationum, quibus res temporales pati dicuntur; tribuitur autem tempori potius corruptio, quàm generatio, quia in generatione causa actiua manifesta est; in corruptione verò naturali, quæ est vltimum, & tempus senectutis, non est omnibus, præsertim vulgaribus, nota eius causa, ac propterea tempori eam tribuimus; Tum quia res, in quantum sunt, tempore non mensurantur; sed vt variabiles, & mutabiles sunt, ergo potius corruptio, quæ varietatem dicit, quàm generatio, quæ denotat rei permanentiam, tempori tribui debet.

Secundò explicat terminos aliquos ad tempus pertinentes. Primus est Nunc, qui duo significat, primum instans, seu momentum, secundum ex communi vsu, tempus proximè elapsum, vel futurum, quia quod parum distat, nihil distare videtur. Secundus est Aliquando, vel Tunc, qui vagè determinatum aliquod tempus, vel præteritum, vel futurum significat. Tertius est, Iam, qui significat tempus parum distans à præsenti, siue præteritum, siue futurum. Quartus est, Nuper qui proximum tempus præsenti significat, sed præteritum, non futurum. Quintus est, Olim seu Pridem, qui tempus præteritum multum à præsenti distans, significat. Sextus est, Repentè, vel Subitò, qui breuissimum tempus significat, siue præteritum, siue futurum, in quo magna fuerit facta mutatio.

CAPVT XIV.

A text. 130. vsque ad finem.

53 TRia dubia proponit, & soluit Aristot. in hoc capite de tempore. Primum est, An sit verum, tempus esse vbique, in Cœlo, in terra, in mari &c. Respondet affirmatiuè propter indissolubilem vnionem cum motu; vbi enim est motus, ibi est tempus per applicationem, & coexistentiam in ratione mensuræ. Secundum dubium, Vtrum tempus sit citrà operationem intellectus; cui negatiuè respondet: Ratio est, quia est numerus numeratus, remoto autem numerante, remouetur numeratum, sed numerans est intellectus, numeratum est tempus, ergo &c. Tertium, An tempus sit vnum, vel plura iuxta motuum varietatem, scilicet lationis, alterationis, auctiones &c. Respondet vnum esse, quia licet plures sint inferiores motus, vnus tamen est supremus, qui propter vniformitatem, certitudinem, & velocitatem, potest fundare respectu cœterorum rationem mensuræ, & talis est motus primi mobilis.

LIBER QVINTVS
PHYSICORVM.

In quo species, vnitas, distinctio, & contrarietas motus declaratur.

CAPVT I.

A textu 1. vsque ad 9.

54 VT differentiam motus propriè dicti à mutatione strictè sumpta possit venari Arist. præmittit aliquas diuisiones motus in communi. Prima sumitur ex parte mobilis, nam aliquid potest moueri, vel per accidens, cum per se mouetur id, cui illud accidit, vt dulce dicitur per accidens moueri ad motum per se lactis; vel secundùm partem, cum aliqua totius pars per se mouetur, vt cùm homo calefit secundum manus, totus homo secundùm partes dicitur moueri; vel tertiò per se primò, vt cùm aliquid habet in se motum, quòd ab aliquo sui non dependeat, vt lapis descendens deorsum. Eadem diuisio potest fieri ex parte mouentis; nam mouens per accidens est, quod mouenti per se accidentaliter vnitur, vt album ædificat: mouens per partem est, cùm secundùm aliquam sui partem mouet, vt homo manu percutiens; mouens per se primò, vt cùm Medicus sanat. Similiter potest etiam termino applicari diuisio assignata; etenim (inquit Arist.) in quolibet motu quinque interueniunt, scilicet mouens, à quo fit, mobile, in quo recipitur, tempus, in quo fit, terminus à quo, & est à quo incipit, & terminus ad quem, & est id, id quod desinit; motus non est in forma; mobile, mouens, & forma distinguuntur, ergo forma non potest esse mobile; neque est in termino à quo, quia motus à termino ad quem specificatur, ergo magis esset in hoc, quàm in illo; est igitur in mobili, vt in subiecto, forma verò est terminus, ad quem motus terminatur, & per quem acquiritur; & quod etiam tripliciter potest esse, vel per accidens, vt cùm vnitur illi formæ, quæ per se acquiritur, vt humidum esse, est terminus per accidens calefactionis, vel per partem, vt colorari est terminus ad colorem secundùm partem subiectiuam, scilicet secundùm albedinem, & pergere in Europam dicitur, qui in Italiam, quæ pars est Europæ, tendit; vel per se primò, vt forma, quæ per se, & adæquatè acquiritur per motum, vt albedo respectu dealbationis. Ex istis mutationem secundùm accidens relinquit, tanquam inutilem, quia indeterminata est, & in omnibus reperiri potest.

55 Secunda diuisio est mutationis per se; nam cum mutari sit aliter se habere nunc, quàm prius, quatrupliciter potest aliquid transire à termino à quo, ad terminum ad quem; vel ex subiecto in subiectum, vel ex non subiecto in non subiectum, vel ex non subiecto in subiectum, vel ex subiecto in non subiectum, per subiectum intelligit terminum positiuum, per non subiectum terminum negatiuum, & omissa secunda mutatione tanquam impossibili, subdiuidit tertiam & quartam mutationem, in simpliciter vt cum ex non ligno, fit lignum, vel ex ligno non lignum, vel secundum quid, vt cum ex non albo album, vel ex albo non album; quæ mutationes generationes dicuntur, & interitus, vel simpliciter, vel secundùm quid; quæ diuisio non est generis in species, quia idem dealbationis motus ad ista tria membra posset reduci, sed potius est quædam loquendi diuersitas explicandi transitum subiecti à termino à quo, ad terminum ad quem; licet si motus, vt successiuus accipiatur, necessariò inter terminos positiuos erit, nam successio est ordo partium secundum prius, & posterius. Hoc præsupposito, sequitur Aristot. in text. 8. demonstrare differentiam inter motum propriè dictum, & mutationem propriè dictam, non quidem penes successionem, & instantaneitatem, vel penes terminos contrarios vel contradictorios, sed penes subiectum, & terminum hoc modo. Quod generatur, non est, quod mouetur est, idest vt explicat Scot. in 2. dist. 12. q. 1. I. & in 4. dist. 11. q. 3. E e. subiectum generationis non necessariò est in actu completo, sed debet esse aliquod potentiale ad esse simpliciter, quod verò mouetur, est necessariò aliquod ens actu, nec aliquo esse simpliciter caret. Rursus, quod mouetur, est in loco, quod generatur, non est in loco, idest, vt idem declarat in 4. cit. omne, quod mouetur, necessariò est in loco, vel per formam prius acquisitam in mobili, quod tali motu mouetur, vt euenit in alteratione, & latione, quibus quantitas, quæ est ratio essendi

sendi in loco circumscriptiuè, præsupponitur; vel est in loco per eandem formam, secundùm quam mouetur, vt euenit in auctione, & diminutione; at verò quod generatur, idest, quod est subiectum generationis, quatenus est tale subiectum, nec est in loco per formam prius acquisitam, quia quantitas non est subiecto generationis ratio formalis recipiendi formam substantialem, nec est in loco per formam secundùm quam mouetur, nam talis est substantialis forma. Quapropter generatio substantialis non erit motus, & consequenter neq; corruptio substantialis.

CAPVT II.

A textu 9. vsque ad 21.

56 POstquam Arist. in fine præced. cap. motum propriè dictum, qui passio est naturalis corporis, à mutatione propriè dicta distinxit penes subiectum, & terminum, quod hæc videlicet est ad esse simpliciter, & subiectum simpliciter incompletum habet, ille verò est ad esse secundùm quid, & subiectum simpliciter completum respicit, prosequitur Aristot. in hoc cap. ad assignandas motus species, & quia peculiariter intentum suum est de motu successiuo agere, hinc concludit in principio huius capitis, transitum à subiecto in subiectum motum esse solum, non quod transitus à non subiecto in subiectum aliquando non sit motus, si est ad formam accidentalem, sed quia iste instantaneus esset, probat igitur, solum tres esse species motus, quia ad tria tantum pertinet prædicamenta, videlicet quantitatem, qualitatem, & vbi, quod vt ostendat, inductione probat, non esse motum ad alia prædicamenta, deindè verè dari per se motum ad ista tria. Ad substantiam igitur (inquit Aristot.) non est per se motus, quia motus est inter contraria, substantiæ nihil est contrarium, ergo &c. Neque ad relationem, quia non acquiritur per se physica acquisitione, sed semper ad termini mutationem; si enim paries dealbatur, alter paries similis dicitur absque mutatione per se physica in ipso, sed ad mutationem alterius parietis. Ad actionem quoque, & passionem non est motus, quia ad motum non est motus, neque ad generationem est generatio, ergo neque actionis, & passionis est motus, quæ consequentia non tenet, per hoc, quod actio, & passio sint motus, sed, vt notat Scot. in lib. de Anim. q. 7. ad 3. principale, tenet à simili, tali pacto, si ad motum non est motus, ergo à simili ad actionem non est actio; ex quo sequitur ergo ad actionem non est motus, quia actio est causa motus formalis, quia ea agens formaliter agens, & mouens denominatur; Tum quia esset processus in infinitum, quia si ad actionem esset motus, actio istum motum concomitans, præsupponeretur illi actioni, quæ est terminus motus, & sic de illa actione in infinitum.

57 Quod vero ad motum non sit motus, septem rationibus probat Aristot. sufficit duas adducere. In omni motu requiritur terminus ad quem, sub quo mobile quiescat, habitibus enim præsentibus, cessat motus, sed motus non potest esse talis terminus, vt patet; est enim via, ergo &c. Tum quia daretur processus in infinitum, quia de illo alio motu quæreretur, an terminaret motum. De aliis tribus prædicamentis non probat, forsan quia eadem ratio, quæ pro prædicamento ad aliquid inseruit, ostendit idem de istis; remanet ergo, quod in quantitate, qualitate, & vbi sit motus, quia verè in istis reperitur contrarietas, vltrà alias conditiones ad motum requisitas, motus ad qualitatem communi nomine alteratio vocatur; motus ac quantitatem non habet commune nomen, sed ad quantitatem maiorem dicitur augmentatio, ad minorem diminutio; motus ad vbi in genere latio nominatur. Tandem immobile, ait, vel dicitur quod nullo modo moueri potest, vt Deus: vel quod difficulter, vel tardè mouetur, vt ingens pondus, testudo; tertiò quod de facto non mouetur, aptum tamen est moueri, & tale dicitur quiescens, quia quies est priuatio motus in susceptiuo apto nato in tempore, in loco, & in dispositione, in quibus aptum est moueri, vt lapis sursum existens, quæ definitio solùm violentæ quieti conuenit.

CAPVT III.

A textu 21. vsque ad 31.

58 VT possit explicare vnitatem specificam, & numericam motus, in præsenti Aristot. explanat quædam vocabula. Primum est, Simul (solummodò accipiendo simul subiectam materiam.) Simul loco sunt, quæ in vno primo loco, idest proprio, & adæquato reperiuntur, vt si duo corpora se penetrarent. 2. Separatim, quod significat esse in altero loco. 3. Tangere sese dicuntur ea, quorum extrema sunt simul, idest, inter quæ nullum datur medium, tam positiuum, scilicet corpus, quam priuatiuum, scilicet vacuum, vt notat Scot. quol. 11. F. medium verò, seu interiectum dicitur esse illud, ad quod mobile prius peruenit, cum continue mouetur, quàm ad extremum. 4. Continuè moueri dicitur id, quod nihil temporis intermittit, quamuis aliquid intermittat magnitudinis, vt cùm pulsator extremas chordas tangit relictis inter medijs, absque tamen temporis interruptione, requiritur tamen, quòd spatium sit continuum, vel corpora interiecta sint contigua, quia continuitas motus sumitur ex continuitate magnitudinis, 4. Phys. 99. quæ continuitas explicatur, vt scilicet spatium non sit discretum; nam si corpora intermedia essent alterius rationis, essent contigua, non contigua, & tamen motus posset esse continuus, vt motus lapidis in aere, & in aqua factus. 5. Contraria secundum locum dicuntur, quæ secundùm lineam rectam maximè distant, nam linea recta est omnium breuissima inter duo puncta. 6. Consequenter se habere, seu deinceps dicuntur illa, inter quæ nil mediat eiusdem rationis, quamuis alia diuersæ rationis interiaceant, vt duæ ciuitates, inter quas aer, non tamen altera mediat ciuitas. 7. Cohærentia, seu contigua dicuntur, quorum extrema sunt simul, & conuenit se tangere, sed se tangere dicit rationem contactus, contiguum verò rationem simultatis extremorum. 8. Tandem est, continua, & dicuntur illa, quorum extrema sunt vnum. Deindè, ait Philosophus, hæc tria, Consequenter, Contiguum, & Continuum se habere, vt superius, & inferius, nam in plus se habet consequenter, quàm contiguum, & latius patet contiguum, quàm continuum, quod enim est continuum, se tangunt partes illius, quia vt fiant vnum copulatum, debent prius se tangere, & quæ se tangunt, consequenter se habent, non tamen è contrà.

CAPVT IV.

A textu 31. vsque ad 46.

59 AGit Philosophus de vnitate, & diuersitate motus in hoc cap. ait enim, multipliciter motum dici vnum. Primò genericè cùm scilicet est ad idem prædicamentum. 2. Specificè. quando terminatur ad eandem speciem, vel subalternam, vt omnes coloationes, vel athomam, vt dealbationes, ad quam vnitatem, licet non requiratur vnitas subiecti specifica, requiritur tamen vnitas termini specifica, & mediorum; vndè linea recta, & circularis specie differunt, quamuis ad idem punctum terminentur, quod intellige de diuersitate specifica accidentali, non essentiali, vt in quæstionibus dicetur. 3 Numericè, ad quam vnitatem requiritur vnitas numerica subiecti, vnitas numerica termini, & vnitas numerica temporis, idest, quòd tempus interruptum non sit, quod intrinsecè non requiritur, quia (inquit Aristot.) si idem mobile ad eundem numero terminum moueretur quem prius amiserat, esset idem numerò motus, quamuis tempus diuersum, sed requiritur extrinsecè, quatenus dat nobis intelligere continuitatem motus, quæ necessariò requiritur ad vnitatem numericam alicuius. 4. Dicitur etiam vnus secundùm perfectionem, qui scilicet perfectus est, siue genericus, siue specificus, siue numericus sit, & tunc talis dicitur, quando peruenit ad terminum ad quem. 5. Dicitur vnus secundùm vniformitatem, quando scilicet regularis est, & æqualis in velocitate, vel tarditate, aut in spatio; at quando est difformis, & irregularis, potest dici multiplex secundùm rationem, vt cùm partim est velox, partim tardus; partim circularis, partim rectus. Hinc deducitur, cùm ad vnitatem numericam requiratur continuitas motus, & qui specie differunt, nequeant esse vnum numero, motus specie differentes non posse continuari, quod probat Aristot. quia omnis motus continuus potest aliquando esse regularis, aliquando irregularis, sed motus specie differentes nunquam possunt esse regulares, cùm illi motus nequeant fieri eiusdem rationis, quod requiritur ad regularitatem, ergo &c.

CAP. V.

A textu 46. vsque ad 53.

60 INcipit Aristot. hìc agere de contrarietate reperta inter motum, & motum, & aduertit, duos motus quinque modis posse contrariari. Primò, quia terminus à quo vnius est terminus ad quem alterius, vt motus à sanitate, & motus in sanitatem. Secundò, quia termini à quibus sunt contrarij, vt motus ab albedine, & à nigredine. 3. Quia termini ad quos sunt contrarij, vt motus in sanitate, & ægritudinem. 4: Quia terminus à quo vnius est contrarius termino ad quem alterius, vt motus à sanitate, & motus in ægritudinem. 5. Quia termini ad quos, & à quibus sunt contrarij, vt motus à sanitate in ægritudinem, & motus ad ægritudine in sanitatem. Hoc præaccepto ait, quòd non possunt duo motus dici quarto modo contrarij, quia sunt idem, non quidem identitate formali, nam inter duos terminos positiuos dantur formaliter duo motus, sed de identitate ex concomitantibus terminis, vel quia est sermo de successiuo motu; nec secundo modo, nâ possunt esse termini à quibus cõcomitantes cõtrarij, & tamẽ motus esse eiusdem speciei, vt motus ab albo in rubrum, & à nigro in rubrũ, & ex rubrò remisso in intensum. Primus verò motus, quia est in terminos priuatiuè oppositos, puta à sanitate in non sanitatem, & à non sanitate in sanitatem, quibus solemus tantùm mutationem inpuere, vbi motus per terminos positiuè oppositos, & à subiecto in subiectum solet explicari (& hoc, quia Arist. de motu successiuo præcipuè loquitur, vt diximus propriè (inquit Arist.) conuenit mutationibus, & illa mutatio est alteri contraria, cuius terminus ad quem est terminus

minus à quo alterius, vt in generatione, & corruptione eiusdem rei. Quare remanet tertius, & quintus modus, quibus duo motus dicuntur opponi, & tertius ad quintum reducitur, quia si sunt ad terminos contrarios, necessariò debent esse à per se terminis contrarijs, scilicet priuationibus, vel si de concomitantibus est sermo, magis contrariantur, qui sunt ex contrarijs in contrarios, quàm qui solùm in contrarios tendunt, licet hæc differentia accidentalis sit, inquit Aristot. text. 48.

CAPVT VI.

A textu 53. vsque ad finem.

61 PRimò assignat Philosophus contrarietatem inter quietem, & motum, & inter quietem, & quietem nam licet quies, cum formaliter sit priuatio motus (quamuis materialiter dicat formam, sub qua mobile quiescit) non habeat proprium genus, sed reducitur ad genus sui habitus oppositi, scilicet motus, hac ratione suam oppositionem potest etiam habere; quapropter quies est duplex, vel in termino à quo, quo modo pro formali dicit priuationem motus in termino à quo, pro materiali formam abijciendam; vel in termino ad quem, quomodo pro formali dicit carentiam acquisitionis, seu motus, pro materiali verò formam acquisitam; si quies pro formali accipiatur, semper motui priuatiuè opponitur, at si pro materiali, quomodo de ea loquitur hìc Philosophus; si sumitur, vt est in termino à quo, contrariatur motui, quia per motum destruitur, & abijcitur, nec possunt simul esse, si vt in termino ad quem, sic non contrariatur, quia forma acquisita est terminus, & perfectio motus; nihil autem propriæ perfectioni est contrarium, vel sui contrarij est acquisitiuum. Docet deindè, quòd immutatio est quies instantanea, quæ non motui propriè contrariatur, sed mutationi, quia priuatiuè opposita habent fieri circà idem, & in eodem tempore, motus fit in tempore, ergo & ipsius priuatio, solùm contradictoriè posset motui opponi, quatenus dicit negationem motus. Insuper, quòd quies non cuicunque motui opponitur, sed eiusdem generis, vt quies à motu locali, solùm ei opponitur, non alterationi. Tandem, sicut vnus motus alteri contrariatur, sic quietes oppositæ inter se opponuntur. Subiungit posteà quasdam dubitationes leuioris momenti, ideò solùm dicimus, in omni motu dari oppositionem secundum naturale, & violentum, vt est in motu locali, imò inter generationes ipsas, & corruptiones, quatenus tamen vna est secundùm cursum naturæ, altera præter exigentiam naturæ, vt cùm generatur rosa in verè, est generatio secundùm naturam, si in hyeme, præter naturam: corruptio secundùm naturam est, cum euenit ex senectute; præter naturam; si gladio, suffocatione &c. interuenit.

LIBER SEXTVS

PHYSICORVM.

Vbi de integrali compositione motus, quatenus continuus est, tractatur.

CAPVT I.

A textu 1. vsque ad 11.

62 OStendit Aristot. in hoc capite, continuum, qualis est motus, ex indiuisibilibus non componi. 1. Ratio. Vel indiuisibilia in continuo se habent, vt continua, vel vt contigua, vel consequenter, non primum, & secundum, quia talia habent vltima, quæ sunt vnum, vel simul, indiuisibilia non habent vltima, quia partibus carent; nam quod habent vltima, quia partibus carent; nam quod habet vltimum, habet etiam id, cui vltimum competit; Tum quia ista se debent aliquo modo tangere, indiuisibilia non possunt se tangere, faciendo extensionem, quod probatur, nam vel pars tanget partem, vel pars totum, vel totum tanget totum; non prima duo, quia indiuisibilia sunt; si tertium, ergo vnum non esset extrà aliud, sed simul cum illo penetratum, & sic non faceret extensionem. Nec tandem possunt se consequenter habere, nam medium, vel est indiuisibile, & hoc non, quia medium non debet esse eiusdem rationis cum extremis, vel est continuum, ergo ex indiuisibilibus non constat. 2. Ratio. Continuum est diuisibile in infinitum in semper diuisibilia, ergo ex punctis non constat, quæ indiuisibilia sunt. 3. Idipsum probat de magnitudine, motu, & tempore ex hoc, quod eodem modo se habent quoad continuitatem, probat ergo, motum ex indiuisibilibus non componi, nam prius est moueri, quàm motum esse, & implicat, simul moueri, & motum esse, ire, & itum esse, ergo motus non componitur ex indiuisibilibus, nam sic in quolibet indiuisibili motus, corpus moueretur, & motum esset. Ex quo sequitur, magnitudinem quoque ex indiuisibilibus non constare, quia supra indiuisibile nequit fieri motus, nam vel prius pertransiretur secundùm vnam partem, & posterius secundùm aliam, & sic diuisibile esset, vel totum simul, ergo simul esset moueri, & motum esse, quod implicat; vel si dicatur, iam pertransitum esse indiuisibile, ergo aliquid esset pertransitum, quod nunquam pertransibatur. Tandem deducit, nec tempus ex indiuisibilibus componi, quia mobile pertransiens partem magnitudinis diuisibilem in tempore; prius pertransit vnam partem, quam alteram, ergo in priori parte temporis pertransit priorem partem, ergo tempus diuisibile erit, sicut magnitudo.

CAPVT II.

A textu 11. vsque ad 24.

63 INisto cap. adhuc intendit probare continuitatem temporis ex continuitate motus, & magnitudinis, & supponit, mobile velocius in æquali tempore maius spatium pertransire, quam tardius, & in minori tempore æquale, vel maius spatium adhuc pertransire, quod patet exemplo; sit spatium vnius vlnæ, quod à velociori per horam pertranseatur, à tardiori verò per horam, non nisi quatuor palmi pertransirentur, si in duplo tardius esset, & velocius per dimidiam horum æquale spatium, scilicet quatuor palmorum pertransibit, quod tardius per horam absoluit, Et quòd tandem maius spatium in minori tempore pertranseat, patet, quia in dimidio horæ velocius pertransit quatuor palmos, tardius duos tantùm; vndè si in tempore æquali, & spatio æquali aliqua mouerentur, æquè velociter mouerentur; quapropter eadem proportione semper se habent magnitudo, motus, & tempus: quod magis explicat, quia dato quocunque motu, potest velocior dari, qui in minori tempore fiet per maiorem magnitudinem, & tardior, qui in aliquali, vel maiori tempore per minorem magnitudinem, ergo tam magnitudo, quàm motus, & tempus diuisibilia sunt in semper diuisibilia. Antecedens patet ex dictis consequentia probatur: Quod habet partes, quarum qualibet designata, potest dari alia, & alia minor in infinitum, diuisibile est in infinitum, in semper diuisibilia, sic se habent magnitudo, tempus, & motus, ergo &c. Ex quibus infert, etiam quoad finitatem, & infinitatem eodem modo se habere, quia finitas, & infinitas sunt continui passiones, infinitum autem est duplex, vel actu, quod terminis caret, vel diuisione, & potentia, cuius diuisio nunquam terminatur; & sic quomodò vnum est infinitum, scilicet diuisione, sic & aliud. Ex qua distinctione desumitur, solutio rationis Zenonis negantis motum, eò quia in quolibet spatio sunt infinitæ partes, quarum quamlibet oportet mobile pertransire, sed impossibile est. infinitum tempore finito pertransiri, ergo &c. Soluit Aristot. quoniam spatium est in potentia infinitum, & motus, & tempus, vndè non repugnat, infinitum in potentia pertransiri tempore quoque in potentia infinito sed actu finito, sicut spatium actu finitum est. Tandem denuò probat, magnitudinem ex indiuisibilibus constare; sit mobile duplo velocius pertransiens magnitudinem trium punctorum, tardius in eodem tempore pertransiet dimidium illius magnitudinis, & sic erit in dimidio indiuisibilis, quod implicat.

CAPVT III.

A textu 24. vsque ad 33.

64 OStensa in communi continuitate & diuisibilitate cuiuscunque continui, descendit modò Arist. ad explicandam magis diuisibilitatem motus, pro quo supponit in præsenti capite, Nunc esse quid indiuisibile, copulans partes præteritam, & futuram temporis, quod probat, quia vnum est instans copulans præteritum, & futurum, ergo est indiuisibile; Antecedens probatur, si plura essent, itaut vnum sit finis præteriti, alterum initium futuri, vel vnum alteri succedit, & sic continuum ex indiuisibilibus componeretur, vel vnum ab altero distabit, quod est falsum, nam deberet tempus inter illa mediare, & tamen præteritum, & futurum consequenter se habent, inter quę nihil eiusdem rationis mediat; Consequentia probatur, quia si partes haberet, quarum vna sit finis præteriti, & altera initium futuri, iam vna pars eius esset præterita, altera futura, & sic alio nunc terminare deberet. Secundò supponit, in nunc non posse fieri, motum, nec quietem; Primam partem probat, quia si tardius in nunc mouetur, ergo velocius in duplo idem spatium in dimidia duratione pertransibit, & sic nunc diuisibile esset, quod est absurdum. Secundam partem ostendit, quia priuatiuè opposita, vt sunt motus, & quies, eadem duratione nata sunt conuenire disiunctim subiecto apto, sed in instanti non inest motus ergo &c. Tum quia idem moueretur, & quiesceret, nam si in toto tempore præterito mouetur, ergo, & in nunc terminatiuo, & si in toto tempore futuro quiescit, ergo, & in nunc initiatiuo, ergo in eodem nunc moueretur, & quiesceret. Tertiò ostendit, omne mobile diuisibile esse, quia omne mobile partim est in termino à quo, partim in termino ad quem, nam dum est totum in termino à quo, quiescit, dum totum in termino ad quem etiam quiescit, ergo &c, sed omne tale est diuisibile, ergo, &c.

CAPVT IV.

A textu 33. vsque ad 40.

65 ASsignat Philosophus in hoc cap. quomodò motus in communi sit diuisibilis, & ptimò ait, diuisibilem esse ad diuisionem subiecti, quia motus, quo Petrus mouetur, diuiditur in eam partem, qua caput mouetur, & in eam, qua pes; non enim idem motus in pluribus subiectis reperitur; Tum quia aliter motus non esset adæquatus mobili, quia nulla pars eius partibus mobilis conueniret: Secundò est diuisibilis ad diuisionem temporis, quia totus motus est in tempore, & pars motus in temporis parte, ergo, &c. Ex quibus deducit, tempus, motum, moueri, scilicet motum in concreto subiectum concernentem, mobile, & terminum simul diuidi, esseque eiusdem rationis quoad finitatem, & infinitatem, quia toto motu mobile secundùm totum, acquirit totum terminum in toto tempore, & parte motus pars mobilis partem termini in parte temporis acquirit.

CAP. V.

A textu 40. vsque ad 60.

66 IN præsenti determinat Aristot. de partibus motus, & de mutatis esse ipsius motus, & ait. Quod mutatum est in aliquem terminum, cùm primum mutatum est in eum, in eo dicitur esse. Ratio huius est, quia mutatum esse dicit, terminum à quo dereliquisse, & terminum ad quem acquisiuisse, ergo quando primò mutatum est in eum; est in eo, quia ipsum acquisiuit; sic omne, quod factum est, quando primò factum est, est, & omne, quod corruptum est, quando primò corruptum est, non est. Subiungit postea Philosophus, quòd illud, in quo aliquid primò mutatum est; est indiuisibile, quia si esset diuisibile in partes, signentur istæ partes, vel ergo quod primò mutatum est, mutatum est in altera parte tantùm, vel in vtraque; non secundùm, quia non primò mutatum esset; cùm sit diuisibile in partes priores, & posteriores; nec primum eadem ratione, quia adhuc diuisibilis esset in alias partes. Tertiò subdit, quòd mutatum esse est duplex, completum, & perfectum, quod est terminus motus, & incompletum, quod est continuatiuum motus. Ex quibus deducit vnam conclusionem, videlicet, dari ex parte finis primum mutatum esse completum, & perfectum, nullum verò, neque incompletum, ex parte principij. Prima pars probatur, quia omne continuum habet suum indiuisibile, quo terminatur, motus est quid continuum, ergo &c. Tum quia nunquam motus esset perfectus, & finitus, cùm finis ipsius sit mutatum esse. 2. Pars probatur; Tum quia tale est continuatiuum motus, ergo præsupponit motum; Tum quia daretur prima pars motus, quod est falsum, quia sicut non datur prima pars mobilis, nec spatij, aut temporis, sed ante quamlibet assignatam, est alia assignabilis, ita de motu dicendum; Tum quia quælibet pars est in infinitum diuisibilis,

67 Ex qua doctrina colligit duo Philosophus à text. 50. & deinceps, (obseruato prius, quòd mutari in tempore stat dupliciter, vel primò, vt cùm in toto tempore mouetur secundùm quamlibet partem temporis, vel non primò, & adæquatè, sed secundùm alterum, quia secundùm alteram temporis partem.) Primum, ante quodlibet moueri dari mutatum esse. Secundum, ante omne mutatum esse dari moueri, seu partem motus; fundamentum vtriusque est infinita diuisibilitas, & proportio in diuisione inter motum, tempus, mobile, & spatium, & sicut in tempore non est assignabilis prima pars, & primum instans, sic in motu, qui diuisibilis est iuxtà temporis diuisibilitatem. Tum quia omne, quod mutatum est, peruenit ad illud, in quo mutatum est in tempore, ergo per motum qui fiebat in illo tempore, ergo ante illud mutatum esse erat moueri, sic de alijs.

CAPVT VII.

A textu 60. vsque ad 67.

68 DEclarat Aristot. in præsenti quod motui, tempori, mobili, & spatio, sicut proportionaliter diuisibilitas conuenit, ita finitas, & infinitas, & hoc per plures propositiones, quarum Prima est. Mobile finitum nequit pertransire magnitudinem finitam tempore infinito, nisi motus sæpius super eandem fieret magnitudinem, vt in circulari, de quo non est sermo in præsenti, quia loquimur de vnico transitu, istud verò spatium non semel, sed infinities pertransiretur; probatur propositio, quia parti motus, siue regularis, siue irregularis, correspondet pars temporis & alteri parti altera pars, sed istæ partes sæpius replicatæ faciunt totum motum, & hunc finitum, ergo partes illæ temporis finitum tempus componunt. 2. Propositio. Impossibile est, aliquid tempore finito moueri per spatium infinitum; quæ probatur, sicut præcedens, quia parti temporis correspondet pars motus, & spatij pertransiti; 3. Propositio. Impossibile est, mobile in finitum pertransire finitum spatium tempore finito; ratio est, quia si infinitum pertransiret finitum, ergo finitum tempore finito pertransiret infinitum, & si non motu locali, saltim mensurando, nam spatium mensuraret mobile infinitum, quod non est possibile per secundam propositionem. 4. Propositio. Impossibile est, mobile infinitum tempore finito tranfire spatium infinitum: ratio est eadem, quia tempus finitum mensuraret infinitum, & pars mobilis infiniti, quæ finita est, totum spatium infinitum pertransiret. 5. Propositio. Mobile infinitum nequit spatium finitum tempore infinito pertransire, patet ex dictis. Concludendum est ergo, eodem modo, & proportione finitatem, & infinitatem motui, mobili, spatio, & tempori conuenire, quia vnum infert aliud.

CAPVT VII.

A textu 67. vsque ad 75.

69 QVæ hucusque docuit de motu, eadem nunc affirmat de quiete, non quidem, vt est negatio motus, sed vt priuatio, videlicet, quòd diuisibilis sit in infinitum, sicut motus, non positiuè, sed negatiuè, quia est non ens, & quòd sicut in motu non datur primum mutatum, ita in quiete nec primum quietum esse; ratio huius est, quia quies priuatiua non est in instanti, sed in tempore, vt sæpè dictum est, ergo eodem modo se habebit, sicut tempus. Deinde asserit Arist. impossibile esse mobile per se primò in aliquo toto tempore moueri, & secundùm aliquam partem illius temporis esse sub determinato loco, vel determinato gradu formæ, secundùm quam mouetur, quia simul moueretur, & quiesceret; moueretur, quia supponitur per se primò moueri in toto tempore, hoc est, in qualibet parte illius temporis; quiescere, quia per tempus eodem modo se haberet, ac prius, ergo in qualibet parte illius temporis non erit in determinato loco, aut gradu formæ, quamuis in quolibet instanti, cui mutatum esse correspondet, habeat determinatum gradum, non tamen quiescere dicitur, cum sit instans, non tempus, in quo est quies.

CAPVT VIII.

A textu 75. vsque ad 86.

70 SOluit modò Philosophus rationes antiquorum, præsertim Zenonis contrà existentiam motus. Prima est. Quando mobile est in loco sibi æquali, vel mouetur, vel quiescit, sed in quolibet nunc est in loco sibi æquali, ergo vel quiescit, & sic in toto tempore quiesceret, vel in quolibet instanti mouebitur. Respondet Arist. rationem hanc supponere, tempus ex indiuisibilibus constare, quod est falsum, quare in singulis instantibus non mouetur, neque quiescit, sed in partibus temporis mouetur, in quibus semper est in priori, & priori parte spatij, non in loco adæquato.

Secunda ratio. In quolibet spatio sunt infinitè partes, quarum prior debet prius pertransiri, sed nequit infinitum pertransiri, ergo &c. Respondet ex iam dictis, magnitudinem, motum, & tempus eodem modo se habere in infinitate, & finitate, quæ infinitas non est secundùm partes æquales, & in actu, sed in potentia, & secundùm proportionales, quo modo infinitum pertransiri potest.

Tertia ratio. Sequeretur, velocissimum in motu nunquam attingere tardissimum, probatur: ponatur velocissimum in principio spatij, & tardissimum in medio, & simul incipiant moueri, quando primum peruenit ad medium, secundum aliquid spatij transiuit, quia mouebatur, ergo tum non attinget; similiter quando primum peruenit ad istud punctum secundi, secundum aliquid aliud pertransiuit, & sic in infinitum. Respondet, esse ferè eandem rationem cum præcedenti, ideò dicitur, motum non fieri per spatium secundùm partes proportionales, sed secundùm æquales, quare non debet fieri illa partitio secundùm medietates medietatum, sed secundùm æquales, quæ cùm sint finitæ, possunt citius in æquali tempore pertransiri à velociori.

71 Quarta ratio. Sequeretur, maius tempus esse æquale minori, probatur; sint tres magnitudines quadripalmares, quarum media sit ferrea, & immobilis, alia verò lignea, superponatur ferreæ, itaut extremum ligneæ tangat medium ferreæ, altera lapidea, & ferreæ supponatur, itaut extremum, & finis ferreæ sit cum principio lapideæ; immota manente ferrea, incipiat lapidea moueri sub ferrea, itaut in fine semihoræ sit simul cum medio ferreæ, & extremum lapideæ correspondeat extremo ligneæ, tunc ambæ moueantur æquè velociter, vna contrà aliam, in fine alterius semihoræ ambæ cum ferrea æquarentur, & inter se; ex quo sequitur illud absurdum; illa enim tempora sunt æqualia, in quibus mobilia æquè velocia æquale spatium percurrunt, sed lapidea tempore vnius horę pertransijt totà ferream, lignea verò per semihoram pertransijt lapideam; quæ est ferreæ æqualis, & eadem velocitate, ergo hora, & semihora essent æqualia. Respondet negando sequélam, ad probationem ait, committi fallaciam, quia lapidea comparatur ferreæ, quæ est fixum spatium, lignea verò comparatur lapideæ, non fixæ, sed motæ in contrariam partem, quo modo motus quasi duplicatur in velocitate, & ideò in minori tempore potest pertransiri; non enim æqualia in velocitate possunt dici ista mobilia.

72 Quin-

72 Quinta ratio. Vel mobile mouetur, quando est sub termino à quo, vel quando est sub termino ad quem, vel quando est sub nentro; uon primum, neque secundum, quia tunc non mouetur, sed quiescit, neque tertium, quia terminus à quo, & ad quem contradicunt, ergo non potest dari aliquod, cui alterum illorum non conueniat. Respondet, in motu successiuo mobile moueri, quando est partim sub vno termino, partim sub altero, quomodo vnum illorum semper conuenit, vel scilicet esse album ex parte, secundum quam falsum erit dicere, non esse album, vel non esse ex toto album, cuius contradictorium, scilicet esse ex toto album, erit falsum.

Sexta ratio. Est contra circularem motum, nam tale corpus mouebitur, vt supponitur, quiescet etiam, quia semper esset in eodem loco, & secundùm totum, & secundùm partes, quia nec ipsum, nec aliqua eius pars egreditur extrà locum, ergo &c. Respondet, partes mutare locum situaliter, & totum secundùm omnes partes variare dispositionem eiusdem loci, quod sufficit, vt quiescere non dicatur.

CAPVT IX.

A text. 86. vsque ad finem.

73 DVo facit Arist. Primò ostendit, indiuisibile non posse moueri per se, vt dicebat Democritus, quia nequit esse partim sub termino à quo, partim sub termino ad quem, sed totum sub altero illorum erit, ergo nequit successiuè moueri; Tum quia omne per se mobile prius pertransit æquale, vel minus spatium se ipso, quàm maius se, sed indiuisibile nequit esse in maiori, vel minori spatio, quia non habet maius, vel minus, esgo semper esset in æquali, & sic describeret lineam ex indiuisibilibus constantem; Tum quia si mobile aliquod in tempore pertransit spatium sibi æquale, in minori tempore pertransit spatium correspondens alicui parti eius, sed indiuisibile non habet partes, ergo non posset moueri, quia non dabitur tempus minus indiuisibili; vel quòd in instanti mouebitur, quia tempus, spatium, & mobile debent se commensurari. Secundò probat, nullum motum infinitum esse, quia quilibet contradictorijs, vel contrarijs terminis finitur, & terminatur, infinitum autem nequit terminari. Si dicas, saltim motus violentos ab extrinseco prouenientes, & circulares posse esse infinitos. Respondet Arist. si loquamur de motu infinito secundùm formam, & terminum acquisitum, falsum est, quia repugnat, fieri, quod repugnat esse factum, quia terminus est finis actionis, sed si mobile moueretur ad infinitam formam, seu spatium, nunquam esset mutatum, sed semper mouebitur, ergo repugnat quoque fieri etiam ab extrinseco talis motus. At motus circularis dicitur solùm infinitus secundùm durationem, non secundùm formam, & talis non repugnat vt videbitur in octauo libro.

LIBER SEPTIMVS

PHYSICORVM.

In quo de motu in ordine ad mouentia præcipuè disputatur.

CAPVT I.

A textu 1. vsque ad 10.

74 VT possit Arist. probare, in mouentibus non dari processum in infinitum, sed ad vnum primum motorem deueniendum assumit prius hanc propositionem. Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, quam probat in motis naturaliter, nam in motis violenter est clarum, semper motorem extrinsecum esse. Omne, quod mouetur à se ipso primò, non quiescit ad quietem alterius, quia dependeret ab illo, & non à se primò, sed ab alio moueretur, sed omne mobile diuiditur in plures partes, quarum vna quiescente, vel totum mouetur, vel quiescit; si secundum, ergo dependet in motu, & sic à se primò non mouetur si primum, ergo neque primò mouebitur, quia id taliter moueri dicitur, quod secundùm quamlibet sui partem mouetur, quam rationem fusè explicat Scot. in 2. dist. 2. q. 10. H. & nos in quæstionibus. Cùm igitur (inquit Arist.) omne, quod mouetur ab alio moueatur, & in mouentibus non sit dari processus in infinitum, dabitur vnus primus motus ab alio non motus. Quòd non detur processus, probat: si hoc esset, ergo quia cùm mouens mouet, mobile mouetur, & è contrà, existentibus infinitis mouentibus, & motis, essent infiniti motus, quorum quilibet esse finitus, cùm inter determinatos terminos versaretur, ex quibus vnus numero, vel specie infinitus motus resultaret, factus in tempore finito, quia motus lapidis deorsum, verbi gratia fit tempore finito, & in isto tempore infiniti motus simul sunt, quod est absurdum. Si dicas, non fieri ex illis motibus vnum totalem, sed infinitos in numero esse, & consequenter non implicare, simul tempore finito fieri. Contrà, quia non repugnat, mobile, & mouens conti-

nuari, vt patet in animal, ergo supposito, quòd continua sint, iam vnus numero motus infinitus resultaret.

CAPVT II.

A textu 10. vsque ad 21.

37 PRobat Aristot. mouens & mobile simul esse debere, seu contigua, quod facit inductiuè, nam in motu locali, si mobile ab intrinseco mouetur, iam sunt simul, si ab extrinseco, hoc quatupliciter, nam vel fit pulsione, vel tractione, vel erectione, vel vertigine, vt in motu circulari, & hæc ad duo prima reducuntur, in quibus mouens est simul cum mobili, in tractione, saltim in fine motus, vt cùm magnes attrahit ferrum; trahere enim est ad se congregare, in pulsione, saltim in principio motus, vt in proiectis, pellere enim est à se separare, in motu augmentationis euidens est, quia fit per appositionem nutrimenti; in motu alterationis, probatur, alteratio propriè dicta fit secundùm qualitates sensibiles, sed in istis semper mouens, & motum sunt simul, vt patet in calefactione, quia calefaciens semper tangit passum, & obiectum immutat sensus, vel per se immediatè, vel per species sensibiles, ergo &c. Maior probatur à text. 14. inductiuè, & quòd ad naturalem potentiam, vel impotentiam non fit per se alteratio, patet, quia consequuntur corpus in sui generatione; quòd non detur ad quartam speciem, scilicet formam, & figuram, probat, quia insurgunt ad acquisitionem alterius, videlicet per condensationem, vel rarefactionem, aut motum localem; Tum quia subiectum, & forma per alterationem acquisita in recto de se inuicem prædicantur, vt lignum est calidum, & calidum est lignum, non sic in artefactis, vbi propriè est figura; non enim dicimus, statua est æs; Tum quia subiectum suscipiens figuram, perficitur, & fit, ergo non alteratur; nec ad qualitates primæ speciei, quales sunt habitus, & dispositio, qui, vel ad corpus pertinent, vt sanitas, pulchritudo, robur &c. vel ad animam, vt scientiæ; primi, qui virtutes, & vitia vocantur ab Aristot. quatenus faciunt, vel ad benè, vel ad malè esse, non possunt terminare alterationem, quia sunt ad aliquid, in quo prædicamento non est motus. Quòd sint ad aliquid, probatur, quia dicunt quandam commensurationem, vt sanitas proportionem humorum; neque virtutes in animâ, quæ vel pertinent ad potentias appetitiuas, vt sunt morales virtutes, & istæ non terminant alterationem, quia anima ipsius perficitur, neque vitia opposita, quia oppositorum eadem est ratio; Tum quia semper præsupponunt alterationes præuias, nam acquiruntur per actus, per delectationes, aut tristitias, vel pertinent ad potentiam cognoscitiuam vt sunt scientiæ, & in istis neque est alteratio, quia sunt ad aliquid, perficiunt, & quia quæ acquiruntur per quietationem non terminant motum, scientiæ sunt huiusmodi, quia anima sedendo, & quiescendo fit prudens, ergo &c.

CAPVT III.

A textu 21. vsque ad finem.

76 DVo facit in hoc capite. Primò agit de comparatione motuũ inter se, secundò, de comparatione mouentium, & mobiliũ in ordine ad motum. Quò ad primum est sciendum, quòd comparatio est vnius, vel duorum in aliquo tertio collatio secundùm magis, vel minus, æquale, vel inæquale, & dubitat, an omnis motus cuilibet motui sit comparabilis in velocitate, & tarditate: negatiuum probat, quia circularis, & rectus non sunt comparabiles, sicut nec vbi, motus illos terminantia; Tum quia motus localis non est cum alteratione comparabilis: affirmatiuam probat, quia tam circularis, quàm rectus sunt veloces, vel tardi, & in eodem tempore possunt fieri, ergo sunt ad inuicem comparabiles. Attamen determinat quæstionem, assignando conditiones comparabilium. Prima, quod illud tertium, in quo fit comparatio, vniuocè, non æquiuocè illis conueniat; vndè licèt acutum stylo, & voci conueniat, non tamen possunt comparari. Secunda, quod conueniat in aliquo susceptiuo primo, sic paries, & equus in albedine comparantur, quia conueniunt in superficie immediatè susceptiua albedinis, at vox, & mel non comparantur in dulcedine. Tertia, quòd fiat comparatio in specie specialissima, quia sub genere latè multæ æquiuocationes. Ex quibus infert, neque circularem cum recto posse rectè comparari, quia non conueniunt specie, sed benè motus eiusdem speciei in velocitate, & tarditate, siue sint locales, siue, alterationes, siue augmentationes imò, & generationes, & corruptiones possunt ad inuicem comparari, si fiant in tempore æquali, vel in æquali.

77 Quò ad secundũ supponit, in quolibet motu quatuor reperiri, mouens, mobile, tempus, & spatium, seu latitudo formæ acquirendę, tunc dat regulas, quibus motus in particulari cõparari possunt in ordine ad ista. Prima est, Si aliquod mouens mouet pondus per spatium aliquod in certo tempore, idẽ mouens, vel aliud eiusdẽ virtutis poterit mouere pondus dimidiũ in eodẽ tempore per spatium duplo maius. Secũda, Si aliqua virtus mouet aliquod põdus per spatiũ, & tẽpus determinatũ, eadem, vel æqualis mouebit medietatem ponderis illius per idem spatium in medietate illius temporis ratio; & harum regularium est,

quia motus velocitatur ſecundùm proportionem mouentis ad reſiſtentiam mobilis. Tertia, Si aliqua virtus mouet pondus per ſpatium in certo tempore, eadem, vel æqualis mouebit idem pondus per medietatem ſpatij in medietate illius temporis; Quarta, Si aliqua virtus mouet pondus per aliquod ſpatium in tempore, media virtus mouebit medietatem ponderis per idem ſpatium in eodem tempore. Quinta, Si aliqua virtus mouet pondus per ſpatium in tempore, non oportet, illam virtutem mouere maius pondus in duplo per idem ſpatium in tempore duplo maiori, quia fortè non poterit vllo modo illud mouere, ſi excederet mobilis reſiſtentia actiuitatem mouentis. Sexta, Si virtus aliqua mouet pondus per aliquod ſpatium in tempore, non eſt neceſſe, medietatem illius virtutis poſſe idem pondus in eodem tempore per medietatem ſpatij mouere propter eandem rationem. Septima, Si duæ virtutes ſeparatæ moueant duo pondera in certo tempore, & per determinatum ſpatium, aggregatum ex illis virtutibus mouebit aggregatum ex illis ponderibus in eodem tempore, & ſpatio, quia eadem proportio adhuc ſeruatur. Quæ regulæ, quamuis de motu locali claritatis gratia dentur, poſſunt tamen omnibus alijs motibus applicari, præter vltimam, quæ in alteratione duorum agentium vniuocorum non videtur verificari, verbi gratia, ſi calidum vt vnum producit calorem vt vnum, & aliud calidum, vt vnum ſimiliter; ſi iſta duo applicentur eidem ſubiecto, non producent, niſi calorem, vt vnum, ſed de hoc alibi, præcipuè in libris de Generatione.

LIBER OCTAVVS

PHYSICORVM.

In quo de primo motore, & motus æternitate differitur.

CAPVT I.

A textu 1. vſque ad 16.

78 PRoponit quæſt. de motu, an ſemper fuerit, & erit, an verò aliquando incœperit, & non erit, & loquitur de motu in communi; refert opiniones antiquorum. Prima fuit Democriti dicentis, motum ſemper fuiſſe, quia infinitos mundos poſuit, quorum vniusgeneratio erat alterius corruptio. 2. fuit Anaxagoræ, ponentis vtique motum æternum à parte poſt, ſed negabat à parte ante, eò quia res athomas per infinitum tempus quieuiſſe in chao dicebat, & poſtea à diuina mente ſegregatas, quam ſegregationem generationem appellabat, & ſemper fore aſſerebat, Tertia fuit Empedoclis, dicentis motum non ſemper fuiſſe, nec ſemper fore, ſed aliquando incœpiſſe, adueniente lite, aliquando deſinere, adueniente amicitia.

Vt ſuam aperiat ſententiam, ſupponit ex dictis in 3. Phyſ. motum præſupponere mouens, & mobile, eo quia eſt actus mobilis, & illa reſpiciat, vt cauſas, cauſæ autem præcedunt effectum. Deindè ponit concluſionem; Motus ſemper fuit, & ſemper erit.

Primam partem probat. Si motus incœpit, ergo vel mouens, & mobile præſuppoſita fuerunt ab eterno, vel in tempore; ſi ſecundum, ergo per alium motum cui mobile, & mouens præſupponebantur, & de iſtis quæritur, ſicut prius, ſi primum, ergo per infinitum tempus quieuiſſent, & cum potuerint moueri, ideò quieuerunt propter aliquid impediens, quod neceſſariò debuiſſet auferri, vt primus motus inciperet, ſed non potuiſſet auferri niſi per motum, ergo ante illum motum dabitur alius prior, & ſic in infinitum, ergo motus fuit ab æterno.

79 Dices agentia naturalia non agere propter aliquod impedimentum, at libera poſſunt ceſſare ab operatione, etiam ſi impedita non eſſent; ſunt enim cauſa contrariorum, ſic fuiſſet mouens ab æterno. Contra (inquit Ariſtot.) etiam in agentibus naturaliter idem, ſaltim per accidens, poteſt eſſe cauſa contrariorum propter diuerſitatem diſpoſitionum, ità etiam in agentibus liberis, ſi modò mouent, anteà non mouebant; hoc erit propter aliquam variationem diſpoſitionum, vel extrinſecè, vel intrinſecè, ergo præceſſiſſet motus. Secundò; Tempus fuit æternum, ergo & motus, qui non eſt ſine tempore, nec è contra; antecedens probatur auctoritate Philoſophorum, ponentium tempus ingenitum; Tum quia, ſi prius non erat, poſteà fuit factum, ergo erat antequam factum fuiſſet, quia prius, & poſterius ſunt differentiæ temporis; Tum quia nequit tempus intelligi ſine nunc, quod ſemper finis eſt præteriti, & initium futuri, ergo ante quodlibet nunc, eſt aſſignare tempus. Secunda pars probatur ab ipſo; ſi detur vltimus motus, per ipſum non eſt neceſsè, quòd mouens, & mobile corrumpantur, maximè ſi eſt motus localis, quia mouens corrumperet ſe ipſum, per motum ſcilicet à ſe ipſo cauſatum, immo foret annihilatio ſi ſubiectum motus non remaneat, vel ergo poſteà remanent in perpetuum, vel corrumpuntur; ſi ſecundum, ergo poſt vltimum motum daretur alius, de quo idem quæritur, ſi primum, ergo cùm aptitudinem habeant ad cauſandum motum, alium efficient, vel actio ipſius retardabitur per alium motum, & ſic alius motus poſt vltimum. Ex quibus oſtendit, quòd vanæ fuerint Anaxagoræ, & Empedoclis opiniones, nam ſine ratione aliqua aſſerebant, motum ab æterno non fuiſſe.

CAPVT II.

A textu 16. vſque ad 21.

80 SOluit Ariſt. rationes, quibus æternitatem motus antiqui impugnabant. Prima eſt talis: Omnis motus eſt inter terminos, ergo eſt æternus, & infinitus, cui terminari repugnat. Secunda, in qualibet re videmus, motum modò incipere, modò deſinere, ergo idem de vniuerſo dici debet. Tertia, Quod euenit in paruo mundo, ſcilicet homine, adeſt quoque in magno, ſed in paruo adeſt principium motus, ita ut aliquando quieſcat, aliquando denuò moueatur, ergo &c. Reſpondet ad primam, negando antecedens, quia circularis motus non eſt inter oppoſitos terminos, vt infra, de alijs concedit, qui nec ſunt æterni. Ad 2. Reſpondet, in non viuentibus poſſe de nouo eſſe motum, quia de nouo poteſt adeſſe mouens, at in vniuerſo ſemper fuit mouens, & mobile, ideò ſemper motus. Ad 3. Licet in animalibus adſit principium internum motus localis, attamen iſtum motum præceſſerunt alij motus in potentijs ab obiecto externo quo excitatur poſteà animal ad quærendum ſibi conueniens, quare non eſt ſimpliciter primus motus à potentia motiua locali proueniens, ſed dependens ab extrinſeco motore, qui poteſt aliquando non adeſſe, at in vniuerſo ſemper adeſt motor primus, & independens, ideo ſemper mouet.

CAPVT III.

A textu 21. vſque ad 27.

81 VT vnitatem primi motoris poſſit indagare Ariſt. præmittit in præſenti aliquas diuiſiones; Rerum enim, quæ ſunt, vel omnes quieſcunt, vt dicebat Zeno, negans omnem motum, & hoc eſt falſum, quia contrà ſenſum, quia contrà ſcientiam, quæ per diſcurſum habetur, qui eſt quidam motus, & quia contrà Philoſophiam, ſupponentem, dari motum, cum ſupponat eſſe naturam, quæ principium eſt motus; Vel omnes ſemper mouentur, vt dicebat Heraclitus, & hoc non, quia contrà experientiam, non enim viuens ſemper augetur, videlicet quando alimentum diſponitur, ſicut guttæ cadentes non ſemper excauant lapidem, & dum homo eſt infirmus, non ſemper ſanabitur, & naturalia in ſuis proprijs locis quieſcunt. Ex iſtis ſequitur, quòd rerum omnium aliquæ quieſcant, & aliquæ moueantur; quod tripliciter quoque poteſt euenire, vel quòd aliquæ moueantur ſemper, & aliquæ ſemper quieſcant, quod eſt falſum, quia in eiſdem ſucceſſiuè videmus motum, & quietem; vel quòd omnes habeant motum, & quietem, ità vt aliquando moueantur, & aliquando quieſcant omnes, & hoc etiam eſt falſum, quia aliquas videmus ſemper moueri, aliquas ſemper quieſcere; quapropter concludit, rerum omnium alias ſemper moueri, alias ſemper quieſcere, alias aliquando moueri, & aliquando quieſcere; quam propoſitionem in ſequentibus capitibus probat, & declarat.

CAPVT IV.

A textu 24. vſque ad 35.

82 INtentum Ariſt. in hoc capite eſt demonſtrare propoſitionem illam vniuerſalem, quam in principio 7. Phyſ. adduxerat, videlicet, omne, quod mouetur, ab alio moueri; quam vt probet, præmittit quaſdam diuiſiones ſæpius declaratas, ſcilicet; Eorum, quæ mouent, & quę mouentur, quædam per ſe mouent, vel mouentur, quędam per accidens; quæ per ſe, adhuc dupliciter, quædam à principio intrinſeco, quædam ab extrinſeco, & quædam naturaliter, quædam vero violenter. Hoc præmiſſo demonſtrat, propoſitionem aſſignatam eſſe veram in violenter motis, in quibus mouens, & mobile diſtinguuntur, vt patet, eſſe quoq; veram in animalibus, quæ à ſe ipſis mouentur per principium internum, quæ eſt pars corporis, in qua virtus reſidet motiua, quæ eſt diſtincta à reliquis corporis partibus motis, & ſe habet, ſicut nauta ad nauim. Solùm remanet explicare, quomodo inanimata, ſeu grauia, & leuia moueantur, an à ſeipſis, an verò ab aliquo principio extrinſeco; & iſtos contextus ſigillatim explicabimus, quia ſolent à Thomiſtis adduci contrà nos cum Scoto tenentes, grauia, & leuia à ſe ipſis moueri, vt clarius etiam pateat mens Ariſt.

83 In textu igitur 28. proponit quæſtionem, à quo grauia, & leuia moueantur in motu naturali, an à ſeipſis, an verò ab alio extrinſeco; & quòd ab alio moueantur probat tribus rationibus in text. 29. & quarta in 30. tum quia mouere ſe eſt proprium vitam habentium; Tum quia ſiſtere poſſent ſe in medio; Tum quia non mouentur ad diuerſas partes, ſed ad vnum determinatum locum; Tum quia omne, quod ſe mouet, debet diſtingui in partem per ſe mouentem, & in partem per ſe motam, quæ diſtinctio non adeſt in grauibus, & leuibus, cum ſint cõtinua, id eſt eiuſdem diſpoſitionis, ſed neceſſe eſt, inquit, quòd mouens ſit diuiſũ à mobili ſicut videmus in nõ viuentibus, cùm

cùm ab animatis mouentur. Subiungit poſteà in tex. 31. *Sed accidit, & hæc ab aliquo ſemper moueri, fiet autem manifeſtum diuidentibus cauſas*; quibus verbis dat clarè intelligere, in tex. 29. & 30. non determinaſſe quæſtionem, ſed ſolùm dubia propoſuiſſe pro contraria parte, immo quod ipſe aliter ſentiat, aliter non accideret, grauia ſemper ab aliquo moueri: quod patet etiam ex tex. 32. vbi ait. *Quoniam autem quod potentia eſt, multipliciter dicitur, hæc cauſa eſt, vt non ſit manifeſtum, à quo hęc moueantur*: quod tamen eſſet falſum, ſi iam ſupra determinaſſet, grauia non à ſe ipſis, ſed ab alio moueri, malè ergò Thomiſtę intentionem Ariſt. colligunt ex tex. 29. & 30. Vt autem decidat quæſtionem, adnotat in tex. 31. quod ſicut mobilia, & ſecundùm naturam, & præter naturam moueri poſſunt, ità mouentia poſſunt mouere ſecundùm naturam, & præter naturam; tunc grauia præter naturam mouentur, quando mouentur ab alio, tunc ſecundùm naturam, quando in potentia exiſtunt ad ſuos actus; diſtinguit deindè in tex. 32. de potentia, alia enim eſt eſſentialis, & ad actum primum, ſicut lignum eſt in potentia ad eſſe ignem, & habere actum primum comburendi, alia eſt ad actum ſecundùm, vt cum actu eſt ignis, poteſt comburere, & comburet, ſi non eſt impeditus, & combuſtibile habeat approximatum: Similiter (inquit Ariſt.) ſe habet circà graue, & leue; leue enim fit ex graui, vt ex aqua aer, quo modo eſt in potentia ad actum primum, ſed cùm eſt leue, id eſt cùm aqua fit aer, operabitur conſeſtim, niſi quid prohibeat, & explicans iſtam operationem ait; *actus autem ipſius leuis eſt alicubi eſſe, & ſurſum*, & infrà; *cùm enim eſt aqua, potentia quodammodò eſt leue, contingit enim, impeditum, & non ſurſum eſſe, ſed ſi auferatur impediens, agit, & ſemper ſuperius fit.*

84 Ex quibus patet, Ariſt. aſſerere, grauia, & leuia, ſi extrà propriũ locum ſunt, & non impedita, ſtatim mouere ſe ipſa; quam doctrinam etiam adducit in 4. de Cælo tex. 24. & 25. Sequitur poſteà remouens prohibens per accidens grauia, vel leuia mouere, & concludit in eodem tex. *Quòd igitur nihil horum ipſum mouet ſe ipſum, manifeſtum eſt, ſed motus habet principium non mouendi, neque faciendi, ſed patiendi*, quod etiam replicat in tex. 33. vbi explicat, à generante moueri, vel à remouente prohibens; hoc autem debet intelligi de principio, vt naturali, à quo motus naturalis denominatur, quale eſt paſſiuum, nam actiuum non eſt ità per ſe natura, ſicut paſſiuum, & hoc colligitur ex ipſo Philoſopho, nam in tex. 32. proponit iſtam dubitationem, cur grauia, & leuia in propria loca ferantur naturaliter, ergo quando reſpondet, quia habent principium patiendi, loquitur de principio, à quo ſumitur per ſe naturalitas; attamen in tex. 33. epilogat omnia iam dicta, videlicet, omne motum ab alio moueri, quia ſi eſt violentum, à principio extrinſeco, ſi eſt animatum, à ſe ipſo, in quo tamen principium mouens eſt diuerſum à parte mota, ſi eſt graue, aut leue, vel à generante vel à remouente prohibens, non quòd grauia, & leuia non habeant tale principium actiuum, ſed quia non ſunt primò mouentia, quia neceſſe eſt, vt à generante reducantur ad actum primum, & ſic præſupponunt alium motum, & requirunt, quando ſunt in actu primo, motum remouentis prohibens, non quòd grauia, & leuia non habeant tale principium actiuum, ſed quia non ſunt primò mouentia, quia neceſſe eſt, vt à generante reducantur ad actum primum, & ſic præſupponunt alium motum, & requirunt, quando ſunt in actu primo, motum remouentis prohibens quod licèt ſit mouens per accidens, ſufficit tamen ad oſtendendum, grauia non per ſe primò moueri à ſe ipſis, cum alium motum præſupponant. Hæc expoſitio habetur à Scoto in 2. d. 2. q. 10. Tandem Ariſt. in fine ait, quòd mouentium quoddam mouet per ſe ipſum, aliud verò per alterum, vt homo baculo mouet lapidem, & iſtorum, aliqua vno tantùm inſtrumento, aliqua pluribus, vt homo mouet lapidem manu, & baculo, quorum primum magis mouet, quàm ſecundùm, quia primum mouet ſecundùm, non è contrà, & quia ſecundùm dependet à primo in mouere, non è contra, & ſic manet probata illa propoſitio omne, quod mouetur, ab alio mouetur.

CAPVT V.

A textu 34. vſque ad 40.

85 EX dictis intendit Philoſophus hoc probare, quòd in mouentibus deueniri tandem debet ad aliquod primum mouens, quod nec per ſe, nec per accidens ab alio moueatur, ſed ſi mobile eſſet, à ſe ipſo moueretur, hoc autem dupliciter probat. Primò, Omne, quod mouetur, ab alio mouetur, ergò deueniendum eſt ad aliquod mouens, quod ab alio non moueatur, aliter daretur in mouentibus proceſſus in infinitum. Secundò, Vel ab alio moueretur per ſe, vel per accidens; non ſecundùm, quia quod accidentaliter alicui conuenit, poteſt non eſſe, & ſic poſſet non moueri, & conſequenter, ſi vt moueat; deberet moueri, poſſet quoque non mouere, & ſic totaliter motum ceſſare, quod implicat, neque primum, quia vel mouetur ſecundùm eandem ſpeciem motus, qua aliud mouet, vel diuerſa; non primum, quia ſequeretur, quòd ſanaret, & ſanaretur, eſſet docens, & doceretur, ædificaret, & ædificaretur; non ſecundùm, quia cùm ſpecies motus ſint finitæ, deueniendum erit ad aliquod mouens primum, quod vel non moueatur, vel quod moueatur eadem ſpecie motus qua vltimum mouetur, & ſic daretur reflexio ad primam ſpeciem motus, vnde idem doceret, & doceretur; nam certum eſt, vltimum mobile à primò mouente tali motu moueri; quod enim eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſati cauſa, ergò ſi primum mouens tandem moueretur eodem motu, iam ferret, & ferretur, ſanaret, & ſanaretur, &c. Tum quia datur, vltimum mobile, quod aliud actu non moueat, vt patet in baculo moto à manu, datur mouens, quod etiam mouetur, vt eſt manus ab homine mota, ergò dari debet mouens, quod ab alio nullo modo moueatur, ſed ſi mobile eſſet, potius dici debet à ſe ipſo, quam ab alio moueri.

CAPVT VI.

A textu 40. vſque ad 54.

86 OStendit in hoc capite omnimodam immobilitatem, perpetuitatem, & vnitatem primi motoris, & Primò, quia iam probauerat, primum mouens immobile eſſe ab alio, tàm per ſe, quàm per accidens, vndè poterat dici ſe ipſum mouere, oſtendit, neque à ſe ipſo moueri, ſupponens principium illud demonſtratum in 6. Phyſ. quòd omne mobile continuum, & diuiſibile ſit; tunc ſi arguit. Omne ſe ipſum mouens, diuiditur in partem per ſe mouentem, & in partem per ſe motam, quod probat, quia in mouente ſe, vel totum mouet totum, & hoc non, quia idem moueret, & moueretur, ferret, & ferretur, eſſet in actu, quatenus mouens eſt, & ſimul in potentia, quatenus eſt mobile, & hoc reſpectu eiuſdem formæ, vel vtraque pars mouent ſe inuicem, & hoc non, quia nallum eſſet primum mouens, quia quælibet ab altera moneretur; Tum quia altera pars mouens, per accidens ab alia moueretur, vndè poſſet non moueri, & conſequenter ceſſare à motu, quod eſt falſum. Vel tandem, quòd quælibet pars moueret ſe ipſam, & neque hoc, quia tunc totum non mouebit primo ſe ipſum, ſed partes illæ, quæ adhuc diuidi deberent in partes alias per ſe mouentes, & per ſe motas, & ſic proceſſus in infinitum in partibus mouentibus, quod enim primò ſe mouet, diuiditur in partem per ſe mouentem, & in partem per ſe motam; ſi ergo primum ſe ipſum mouet, habebit partem aliquam prorſus immobilem per ſe. Quòd verò ſit etiam per accidens immobilis, probatur ab ipſo à tex. 50. poſtquam perpetuitatem, & vnitatem probauit.

87 Secundò igitur à tex. 45. oſtendit, primum mouens perpetuum eſſe; Res naturales modò ſunt, modò non ſunt, quia generationi, & corruptioni ſunt obnoxiæ, ergò cauſam aliquam habebunt iſtius variationis, quæ ingenerabilis ſit, & incorruptibilis, quia ſi corruptibilis eſſet, non poſſet eſſe cauſa generationum ſubſequentium ipſius corruptionem, & cùm generationes perpetuæ ſint, cauſa quoque ipſarum, qui primus erit motor, perpetua erit. Quòd tandem ſit vnus motor, probat, quia rationabilius eſt finita ponere principia, quàm infinita, & vnum, quàm plura, ſi nulla adſit neceſſitas, cum natura nihil fruſtra admittat; Tum quia vnus eſt motus perpetuus, ergo vnus primus motor; antecedens probatur, quia ſi motus fuit ſemper, ergo fuit continuus, & non interruptus, ergo vnus, quia vnum, & continuum conuertuntur in propoſito; conſequentia probatur, quia vnico motui vnicus motor ſufficit, & à pluribus motoribus adequatis, non vnus, ſed plures motus proueniunt. Ex quibus omnibus duo deducit; Primum, quod primum mouens etiam immobile per accidens ſit, quia id per accidens mouetur, quod ad motum illius mouetur, quod mouet, vt anima in corpore, ſed primus motor nequit ſic moueri, ergo &c. minor probatur. Quod taliter mouetur, non poteſt perpetuò mouere, vt videmus in animalibus, vbi anima quia à ſe ipſa per accidens mouetur, non perpetuò mouet, ſed motor debet perpetuò mouere, ergo &c.

88 Dices; Orbes inferiores per accidens à primo mobili motu raptus, & perpetuo mouentur, ergo motui per accidens non repugnat perpetuitas, & ſic poterit primus motor perpetuò mouere, ſed per accidens moueri. Reſpondet Ariſt. orbes cæleſtes moueri per accidens ab alio, non à ſe ipſis, qui modus ſolis corruptibilibus conuenit, & quia primus motor nullo modo poteſt per accidens ab alio moueri, aliter non eſſet primus, ſi moueretur à ſe per accidens, non poſſet perpetuò mouere, cùm ſolis corruptibilibus conueniat hoc modo mouerit. Secundùm, quod deducit, eſt, quod ſicut datur vnum primum mouens perpetuum, quòd debeat dari vnum primum mobile, perpetuũ, quia ſi immediatè primus motor ageret in hæc inferiora, cùm ſit omninò inuariabile, eadem ſemper cauſaret, quare propter diuerſitatem rerum, dari debet vnum primum mobile, quod ſuo motu variet aſpectus, & influentias in hæc inferiora. Concluditur ergo ratio illius propoſitionis in principio appoſitæ, videlicet, quòd aliqua ſemper mouentur, aliqua ſemper quieſcunt, aliqua verò modò mouentur, modò quieſcunt; quia enim in mouentibus non eſt proceſſus in infinitum, ideò aliqua ſcilicet primus motor ſemper quieſcit, quia aliqua motorem immobilem, & vniformem perpetuò habent, ſemper mouentur, vt Cæli, alia verò, quia non habent motorem ſemper mouentem, ideò aliquando mouentur, aliquando quieſcunt.

CAPVT VII.

A textu 54. vſque ad 64.

89 DIxerat in præcedenti, primum mouens perpetuò primum mobile mouere, intendit modò declarare, quis nam ſit iſte motus, quo primum mobile à primo motore moueatur, & primò oſtendit, nullum motum, præter localem, primum, & perpetuum eſſe poſſe; quòd primus non ſit, probat, quia, cùm tres ſint ſpecies motus, augmentatio ſcilicet, alteratio, & motus localis, augmentatio præſupponit alterationem alimenti, hæc verò motum localem, ſeu alterantis approximationem; Tum quia motus localis eſt prior natura, tempore, & dignitate cæteris; natura quidem, quia ipſe poteſt eſſe ſine alijs,

alijs, non è contrà, estque causa aliorum, tempore, quia est æternus, vt dicemus, non sic alij; immo præcedit generationes ipsas, quia debet dari causa vniuersalis, quæ suo accessu, & recessu varietatem generationum, & corruptionum sit causa, neque quod localiter mouetur, necessariò erit generabile, vt patet in Cælis, dignitate tandem, quia in generatione animalium vltimo loco ipsis conuenit localis motus, quę autem sunt posteriora generatione, sunt perfectione priora; Tum quia nobilioribus naturis conuenit, minusq; mobile variatum reddit. Quod solus perpetuus, & cõtinuus sit, ostendit, quia omnis alius motus, siue mutatio sit inter terminos oppositos, ergo nullus perpetuus, & continuus esse poterit, sed semper quies intermedia erit; consequentia probatur, quia idem simul moueretur motibus contrarijs; Tum quia absurdum est, generatum statim corrumpi; neque implica, idem duobus opponi, diuersimodè tamen, vt æquale excedenti, & excesso, sic motus priuatiuè quieti opponitur, motui verò contrariè.

CAPVT VIII.

A textu 64. vsque ad 78.

90 DEterminauit, inter motus solùm lationem perpetuam esse posse, at quia motus localis est duplex, rectus, qui super lineam rectam fit, & circularis, qui super lineam circularem, & hoc dupliciter, vel fit per reflexionem, retro cedendo per eandem viam, quod moueri in circulum dicitur ab Arist. vel absque reflexionem, sed super eundem circulum, sæpius ipsum transeundo, & tandem mixtus ex vtroque; hinc ostendit, quinam ex istis motibus possit perpetuari; & primò ait, nullum motum rectum posse esse perpetuum, quia non potest fieri super lineam infinitam, quæ non datur, super lineam autem finitam nequit fieri perpetuus motus, nisi per reflexionem, sed mobile in puncto reflexionis necessariò debet quiescere, ergo non possunt motus rectus, & reflexus vnum motum continuare; minor probatur multipliciter; Tum quia ad continuationem motus requiritur cõtinuatio terminorum ex dictis in 5. & 6. Physic. sed termini horum motuum sunt contrarij, videlicet sursum, & deorsum, antè, & retrò, & contraria nequeunt continuari, ergo &c. minor patet, quia si duo mobilia super eandem lineam, vnum ab A. in B. alterum à B. in A. mouerentur, mutuò se impedirent; Tum quia in puncto reflexionis dari quietem paret sensui in motu progressiuo animalium, & pulsus; Tum quia in qualibet linea datur principium, medium, & finis, medium verò est ratione diuersum, nam participat de vtroque, quod potest esse, vel in actu, vt cum punctum medium in linea actu ipsam terminat, vel in potentia, vt cùm est continuatiuum lineæ; si ergo mobile, cum est in medio, prosequitur motum, non terminat actu motum, sed continuat ipsum; quare per instans erit in puncto, in quo propriè non quiescit, nec mouetur; at si reflectitur, quia actu terminat motum, erit actu in illo puncto, & quia principiat motum reflexum, abest ab illo puncto, sed impossibile est, in eodem nunc adesse, & abesse ab eodem puncto, ergo in alio, & alio instanti, inter quæ tempus medium datur, ergo quiescit in puncto reflexionis. Hinc stante ista doctrina, inquit Arist. si super eandem lineam duo mobilia æqualia in magnitudine, & velocitate moueretur, vnum autem prosequeretur motum, sed alterum in medio reflecteretur, non æquali tempore absoluere motus illos, quia primum non quieuit in medio, sicut secundùm.

91 Ex ista doctrina occasionem sumit Arist. soluendi rationem Zenonis negantis motum, in 6. Physic. adductam, videlicet, cùm continuum omne sit quid in infinitum diuisibile, oporteret in motu prius primam medietatem pertransire, & prius medietatem istius medietatis, quod non erit possibile, quia infinitum nequit pertransiri; respondet ibi Arist. infinitam magnitudinem posse pertransiri quia eadem infinitudo correspondet ex parte motus, & temporis; sed modò, inquit ipse, non adæquatè responsionem istam soluere rationem; si quis de tempore, & non de magnitudine interrogare, quomodo sit pertransibile, cum ex infinitis partibus constet; quapropter aliam dat solutionem, scilicet, quòd ibi non sunt termini actu infiniti, sed in potentia, & hoc modo partes etiam ibi erunt, quare sicut si quis diuideret continuum, quia actu terminat ipsum, & quasi numerat partes, nunquam deueniret ad vltimam diuisionem, sic in motu, si quis quodlibet nunc designaret in actu tanquam terminum partis motus, vel temporis, nunquam peruenire ad vltimam partem; immo neque motum continuum infinitum conficeret, quia in quolibet nunc deberet quiescere, eò quod actu terminaret partem illam; at non sic consideratur continuum, quatenus pertransibile est, sed vt est quid infinitum in potentia, quo modo infinitum licet pertransire: qui enim continuè mouetur, secundùm accidens infinita transiuit, hoc est prout non omnia determinatè transiuit, sed simul cum toto, & alijs partibus, accidit enim lineæ quatenus spatium est pertansibile, infinita dimidia esse in ipsa, hoc modo enim non pertransitur.

92 Redit Arist. ad probandum quietem intermediam inter motus reflexos; Tum quia simul esset mobile album, & non album, quia illud instans esset aliquid illorum motuum contrariorum, & recederet, ac accederet simul ab eodem loco; Tum quia quod mouetur continuè, in principio istius motus valet dicere, mobile moueri ad terminum ad quem vltimatum, ergo si motus rectus, & reflexus essent vnus continuus motus, in principio recti motus, mobile diceretur moueri ad terminum vltimum, qui est locus ille, à quo tunc mobile recedit, qui est terminus reflexi motus, & sic simul accederet, & recederet, fieret album, & non album; Tum quia cum motu recto stat priuatio, seù quies opposita motui reflexo, quia si motu recto sursum vehitur, verè deorsum non mouetur, & è contrà, ergo vnum motum continuum non conficiunt, quia vnico motui vnica quies est opposita. Tandem, quia motus isti specie distinguuntur, ergo quamuis quies intermedia non daretur, non per hoc continui censentur, sed contigui tantum, quia specie differentia nequeunt continuari. Quæ rationes probant etiam de motu circulari reflexo, & de mixto, quia si illi nequeunt esse perpetui, nec iste ex illis compositus.

93 Deindè ostendit, solum motum circularem absque reflexione posse esse perpetuum, quia nullum sequitur inconueniens ex assignatis in alijs motibus, quod scilicet contrarijs motibus moueatur, &c. Tum quia est primus inter omnes locales motus, nam est prior mixto, quia hic est compositus, ille simplex; prior recto, quia hic est corruptibilis, ille perpetuus; Tum quia est mensura cæterorum, est regularis; quæ non conueniunt alijs motibus. Tandem confirmat auctoritate veterum, ponentium motum localem præcedere rerum generationes.

CAPVT IX.

A textu 78. vsque ad finem.

94 EXplicat Philosopus in hoc capite alias primi motoris proprietates, solùm in tex. 82. & 83. incidenter loquitur de motu proiectorum; probat igitur, primum motorem infinitæ virtutis esse, & immaterialem, incorporeum, & indiuisibilem. Primum probat, eò quia impossibile est, mouens finitum infinito tempore mouere, primum mouens infinito tempore mouet, ergo non est finitum, minor fuit supra probata, maior probatur. Si aliquod mouens finitum infinito tempore mouet, ergo pars virtutis mouentis mouebit partem mobilis, non tempore infinito, quia in hoc totum mouet, sed in minori tempore, quod necessariò est finitum, & quia augendo virtute motiuam, & mobile, proportionaliter quoque tempus crescit, sequitur, quòd tunc determinata, & finita proportio fit inter ista mouentia, & mobilia, finita quoque proportio erit inter tempora istorum motuum, ità vt perueniatur ad tempus, in quo totum mobile moueatur, quod necessariò finitum erit, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Probat etiam immaterialitatem ex hoc, quod nulla virtus infinita potest esse in magnitudine finita, neque virtus finita in magnitudine infinita: primum probat, quia sequeretur, virtutem finitam mouere in tempore æquali cum infinita, vel quod infinita in non tempore moueret, quæ omnia sunt falsa: prima pars sequelæ probatur, quia si infinita moueret in tempore determinato, verbi gratia, vnius horæ, detur finita virtus, quæ moueat idem mobile, vel æquale in duabus horis, iam per intensionem huius potentiæ minuitur tempus secundùm proportionem, ità vt intensio est dupla, tempus minuitur per dimidium, & sic per horam moueret, vt infinita: Ex quo probatur secunda pars, quia si ad intensionem potentiæ secundùm proportionem minuitur tempus, ergo si potentia infinitè intenditur, tempus minuitur in infinitum, & sic in non tempore, seu instanti mouebit; Tum quia sequeretur, virtutem finitam efficaciorem esse infinita, quia si hæc esset in magnitudine finita quia ad auctionem magnitudinis augetur efficacitas agendi, posset dari virtus finita in maiori magnitudine, & consequenter efficacior infinita virtutè in minori magnitudine existente.

95 Secundùm, quòd virtus finita non sit in magnitudine infinita, probat, quia hæc non datur ex 3. Phys. Tum quia infinita virtus deberet esse, quia augetur ad auctionem magnitudinis, vt diximus. Hinc à textu 84. epilogat quæ dicta sunt de primo motore: quòd sit vnus, ex vnitate primi motus, vnum numero motorem exigentis: quod sit immobilis, quia in mouentibus non datur processus in infinitum, nec à se moueri potest, quia hoc solum magnitudinibus conuenit, cum diuidi debeat mouens in partem per se mouentem, & in partem per se motam, primus motor omni magnitudine caret. Ex qua immobilitate deducitur, primum motorem sine lassitudine motum efficere, quia caret mole & semper vniformiter mouere, nunquam enim debilitatur eius virtus; quòd sit incorporeus, quia est infinitæ virtutis, quæ nequit in magnitudine reperiri, vt dictum est; quòd sit infiniti vigoris, quia mouet tempore infinito, & tandem in text. 84. locum assignat primo motori, scilicet, quod in circumferentia Cæli reperiatur, vbi maximè motus viget, ex quo tex. elicitur, Arist. Dei immensitatem non cognouisse.

96 In tex. autem 82. & 83. dubitat, à quo proiecta moueatur, cum longe à proijciente absunt, & tamen mouens, & motum indistantia esse debent, quam quæstionem soluens, ait, non moueri per antiparistasim, vt dicebant antiqui, quatenus partes aeris scissæ à lapide proiecto, occurrentes à tergo lapidis, vt vacuum implerent, pellebant lapidem sursum; ratio est, quia cessat aer moueri, cessat proijciens, & tamen lapis adhuc sursum mouetur, quare fit, quia proijciens mouet aerem contiguum, & hic aliam partem aeris, à qua lapis mouetur, & quia progressu temporis elànguescit hæc virtus motiua in aere, ità vt prorsus deficiat, ideò lapidis quoque motus cessabit, ex quo sequitur, nunquam motum proiectorum posse esse perpetuum, quia cum non proueniat ab vno motore, sed à multis, non erit continuus, & consequenter non perpetuus.

QVÆ-

QVÆSTIO PROOEMIALIS
AD OCTO LIBROS PHYSICORVM.
Quodnam sit obiectum horum librorum.

EXTANT duæ famosiores sententiæ de hac re, prima Græcorum, Latinorum altera; illi principia, & passiones, quæ sunt omnibus corporibus physicis communia, obiectum statuerunt in his libris; ita Simplicius, Philoponus, & aliqui Græci, quos sequitur Auerroes 1. & 2. Phys. isti verò corpus naturale simpliciter, & in genere sumptum, idest pro conceptu communi corporis, vt abstrahit a suis speciebus; ita D. Thom. Albert. Ægidius, Scot. quæst. 3. Vniuers. in responsione ad 2. & cæteri Latini Recentiores, Piccol. c. 30. Zab. c. 7. Conimb. q. 5. art. 4. Amicus tract. 2. qu. 3. & alij ferè omnes.

1 Dicendum est cum Latinis ferè omnibus, corpus naturales simpliciter, & in genere sumptum esse obiectum adæquatum in octo libris Phys. Prob. & explicatur conclusio; duobus modis corpus naturale considerari potest; primo simpliciter, & in genere, & quasi abstractum à suis partibus subiectiuis, inquantum dicit principia ipsius, vt sic, & passiones ipsum formaliter consequentes, quarum proinde notitiam producere potest per suam formalem rationem adæquatam, & secundùm quod ipsum, quales sunt mobilitas, locabilitas, diuisibilitas, &c. Deinde considerari potest, non solùm quoad hæc principia, & passiones, sed etiam vt continet principia, & passiones suorum inferiorum, in primo sensu supponit simpliciter, idest pro solo conceptu communi corporis, in secundo sensu supponit absolutè, idest pro corpore in tota sua latitudine, pro conceptu scilicet communi corporis, & eius speciebus; cum igitur corpus naturale sit obiectum adæquatum in tota Philosophia naturali, oportet, vt in ipsa consideretur, non solum secundùm rationem specificam, sed etiam secundùm rationem genericam; Tum quia secundùm hanc rationem est obiectum scibile, cum hebeat passiones ipsum formaliter consequentes, ac proinde de ipso demonstrabiles secundùm quod ipsum per eius quodquid est; Tum quia cognitio specierum sine cognitione generis imperfecta foret, at in cæteris libris considerantur rationes specificæ corporis naturalis, ergo in his consideratur ratio generica ab inferioribus præcisa, cum alibi non consideretur.

Confirmatur, quia subiectum dicitur id, cuius principia, & passiones explicantur in scientia, 1. Posit. 25. sed in his octo libris explicantur principia, & passiones corporis naturalis simpliciter, & in genere; in primis duobus libris explicantur principia, in primo quidem principia in fieri, seu mutationis, cui subijcitur corpus naturale; vt enim infra demonstrabimus, non tantùm explicat Philos. ibi principia generationis substantialis, sed etiam accidentalis, cuius subiectum est corpus naturale; in secundo autem agitur de principijs in facto esse, agitur enim de natura, quæ est principium essentialiter constituens corpus naturale in esse tali, & causis concurrentibus ad eius constitutionem, in cæteris tandem libris considerantur affectiones ipsum formaliter consequentes, mobilitas, locabilitas, diuisibilitas, cæteræque passiones, ergo erit obiectum adæquatum in his libris; & sanè erit obiectum virtualis continentiæ tantùm, & non virtualis, & potentialis simul, quia natura corporis naturalis hic consideratur tantùm in ordine ad passiones ipsum formaliter consequentes, quarum ipsa est adæquatum principium, & in essendo, & in cognoscendo, & non etiam in ordine ad passiones inferiorum, quarum non est nisi inadæquatum principium, tum in essendo, tum in cognoscendo.

2 Contra hanc conclusionem pro Græcis arguitur. Primò Arist. in Prooemio 1. Phys. proponit agendum de principijs, in Prooemio 3. de communibus affectionibus, & in Prooemio meteor. colligit, se in his libris declarasse primas naturæ causas, & communes passiones. Confirmatur, quia principia scientiæ tractari debent in aliqua parte scientiæ, at principia Physicæ non alibi tractantur, quam hic, ergo, &c. Respondetur, principia, & passiones non posse hic poni subiectum, quia non habent illam vnitatem, quæ in obiecto desideratur, vnde potius id, cuius sunt principia, & passiones debet poni subiectum, cum in gratiam eius considerentur; & cum Arist. proponit loc. cit. se de principijs, & passionibus communibus actum, non vtique dicit, se de illis acturum, vt de subiecto, sed tantum declarat, quid velit explicare de subiecto, quod est corpus naturale. Ad confirm. pariter dicendum est, principia scientiæ nullibi, vt subiectum tractari, sed vt principia subiecti.

Secundò Principia in fieri, de quibus agitur 1. Phys. sunt principia tantum corporis generabilis, & corruptibilis. Similiter, & natura, de qua agitur in 2. vt de principio in facto esse, est tantum principium corporis caduci; Tum quia diuiditur in materiam, & formam, quibus carent secundùm Philosophum corpora cælestia; Tum quia est principium motus, & quietis, quæ abest ab illis, ergo corpus naturale in genere non est hic subiectum. Confirmatur, quia corpus naturale in his octo lib. Phys. nullibi definitur, sed tantùm 1. de Cælo ab initio, & sanè ratio generica eius speciali tractatu digna non videbatur, aut si per se explicari debuit, posterius id videbatur agendum, quia abstractior est rationibus specificis, à notioribus autem nobis inchoare pollicitus erat Philosophus in Prooemio 1. Phys.

3 Respondetur negando assumptum, agitur enim in 1. Phys. de principijs cuiuscunque mutationis in vniuersum, tam substantialis, quàm accidentalis, cui, cum omne corpus naturale subiectum sit, consequenter hac ratione tria illa principia conferi debent principia corporis naturalis in communi, principia nimirum in fieri, seu mutationis accidentalis, cuius est adæquatum subiectum; & quamuis natura, vt præcisè diuiditur in materiam, & formam, non sit principium in facto esse, nisi corporis sublunaris, attamen, vt additur tertium membrum essentia scilicet in eo cuius est essentia conuenit omnibus, & singulis corporibus, & hoc tertium membrum addi debere in ipso contextu docuimus. Deniq; quando natura 2. Phys. definita dicitur principium motus, & quietis, vel hoc non est intelligendum in singulis, & distributiue, sed in sensu accommodó, vel dicendum est, Cælum de esse indifferens ad motum, & quietem, & vtriusq; naturaliter receptiuum, vt ait Scot. 2. dist. 1. q. 5. N. & sempiternitatem motus in eo prouenire tantùm à causa extrinseca, scilicet ab Intelligentia mouente, de quo in disp. de natura ex professo agemus. Ad confirmationem negatur assumptum, definitur enim corpus naturale in 2. Phys. tex. 1. & 4. dum statuit naturam principium essendi, & constitutiuum corporum naturalium, per quod essentialiter ab artificialibus differunt, & corpora naturalia docet esse illa, quæ habent in se huiusmodi principium motus, & quietis, & definitio illa corporis naturalis, 1. Cæli assignata tex. 3. cum dicitur, corpus esse ex omni parte diuisibile, non conuenit corpori, vt naturali, sed potius, vt mathematico; & sanè quando etiam in octo lib. Phys. non definiretur, non proindè à ratione obiecti excludendum foret, siquidem non semper necesse est in scientia explicitè definire subiectum, quando notum est, sed tunc debet supponi, vt ex Arist. colligitur 1. Posit. c. 2. Negatur etiam rationem genericam corporis naturalis non fuisse dignam speciali tractatione, cum enim habeat tot, tamq; insignes affectiones corpus naturale in communi ipsum formaliter consequentes, opus erat eius naturam inuestigari, vt per eius quodquid est de ipso demonstrarentur, & de inferioribus per ipsum, & quidem hoc faciendum erat in his octo lib. Phys. quia ad distinctè cognoscendum, communia in arte sunt præponenda, vt omninò necessaria ad exactam cognitionem particularium; & licèt ordine doctrinæ in prima inuentione ratio generica corporis, vt à sensibus abstractior, posterior esse deberet, quod tamen nec etiam vniuersaliter verum est, vt dictum est in Logica disp. 1. q. 6. in doctrina tamen inuenta, & ab Arist. elaborata vtilius fuit ita procedere.

4 Tertiò obijcit Vicomercatus ex Latinis. Idem esse non potest subiectum totius, & partis, aliter pars adæquaretur toti, & totum parti, cum ergo corpus naturale sit in tota Philosophia subiectum adæquatum, non poterit esse in hac parte. Nec valet communis responsio, valere assumptum de subiecto eodem, & eodem modo accepto, hic autem non eodem modo accipi corpus naturale, cum ponitur subiectum in tota Philosopia, & in hac determinata parte; ponitur enim subiectum totius, vt supponit absolutè, scilicet tam pro se, quàm pro suis speciebus, seu vt subiectum virtualis & potentialis continentiæ simul, ponitur verò subiectum partis, vt supponit simpliciter, & vt subiectum virtualis continentiæ tantum. Non valet quia in 8. Phys. agitur de motu æterno, qui non est passio corporis naturalis in communi, sed tantum Cæli, quod est inferius ad ipsum, ergo eodem modo erit subiectum hic, & in tota Philosophia, atque ita pars æquabitur toti. Non defuerunt Scotistæ, qui ob hanc instantiam concesserunt, corpus naturale in octo lib. Phys. esse subiectum tam virtualis, quam potentialis continentiæ, & non tantum vt simpliciter supponit; imò dixerunt hanc fuisse Doctoris

mentem

mentem loc.cit.qu.3. Vniuersalium in fol. ad 2. quia cum dedisset distinctionem de subiecto, quæ coincidit in allatam de subiecto virtualis, & potentialis continentiæ, eam postea relinquens, aliam assignat, concedendo, idem esse posse subiectum totius & partis, exemplificat de subiecto in lib. Phys. quæ responsio nisi ita intelligatur, vt hic sit subiectum secundùm vtramque continentiam, & vt absolutè supponit, non erit à priori distincta; Negant tamen, adhuc eodem modo fore subiectum hic, & in tota Philosophia, quia & si hic quoque sit subiectum virtualis, & potentialis continentiæ simul, adhuc tamen hoc est discrimen, quòd vbi hic supponit etiam pro aliquo inferiori, in tota Philosophia supponit pro omnibus, vnde ibi est subiectum virtualis, & potentialis continentiæ simul in tota sua latitudine, quantum extendi potest, non verò hic.

5 Sed etiamsi hæc opinio, & responsio possit defendi, nulla tamen est necessitas discedendi à communi, quia Arist. 8. Phys. loquitur quidem de motu æterno, & ab eius initio quæstionem de motus æternitate præmittit, at quæstionem illam de motu in genere excitat, & non de motu Cæli tantum, ac æternitatem de motu in communi demonstrare laborat, vt omnes ferè Expositores docent; & præsertim Vicomercatus ipse, solus Auerr. ait, de motu Cæli Philosophum fuisse locutum, & de eodem quæstionem illam proposuisse, & æternitatem demonstrasse; fatetur tamen & ipse, hoc factum fuisse in gratiam motus in communi, vt scilicet ex æternitate cælestis motus, sempiternitas etiam motus in genere deduceretur; & sanè Arist. ipse clarissimis verbis initio 8. Phys. de æternitate motus in communi se locuturum protestatur, illius enim motus æternitatem se quæsiturum pollicetur, *qui est veluti vita quædam; quæ inest omnibus natura constantibus*, at motus Cæli non est huiusmodi, cum non conueniat, nec insit omnibus rebus naturalibus, sed tantum ipsi Cælo. Verum quidem est, inferius in progressu, etiam æternitatem cælestis motus peculiariter demonstrari, hoc tamen non gratia sui ipsius effectum est, vt ait Auerr., sed gratia motus in communi, vt nimirum ex motus cælestis æternitate, motus in genere æternitas euidens fieret, vtpotè ex qua perpetuitas omnis in sublunares motus deriuatur, & certè ad quid ageret Arist. gratia sui de motu Cæli in 8. Phys. si statim post illum quatuor libros de Cælo erat conscripturus?

Nec etiam auctoritas Scoti allata vrget nos discedere à communi, nec enim secunda responsio intelligi debet de subiecto tam virtualis quàm potentialis continentiæ, sed virtualis tantum, & manifestè deducit ex verbis eius, inquit enim. *Quando subiectum totius multa requirit determinari propter eius cognitionem, tunc de illis multis oportet in scientia considerare, & cum hoc de ipso subiecto, ergo aliqua pars scientiæ erit de illo subiecto secundùm se propriè, quod est subiectum totius, ita est hic, vt patet de libris Phys. respectu totius naturalis scientiæ*, hæc Doctor, quid est autem partem aliquam scientiæ considerare subiectum totius secundùm se propriè, quàm contemplari illud secundùm suam propriam naturam, prout à quacumque specie præscindit, & in ordine ad passiones ipsum formaliter consequentes? præterquamquod si secunda responsio intelligeretur de subiecto virtualis continentiæ, & potentialis simul, iam Scot. concedere, Syllogismum in libris Prior. subiectum esse virtualis, & potentialis continentiæ simul, quod falsum est, secunda igitur responsio non est diuersa à prima, sed in eam recidit, & quasi deseruit pro declaratione prioris.

DISPVTATIO PRIMA.

De Principijs rerum naturalium in fieri.

1 *VT nuper dicebamus, tradit Aristot. in 1. Phys. principia rerum naturalium in fieri, idest principia concurrentia ad mutationes, quibus accipiunt esse, vel simpliciter, vel secundùm quid; quare cum principij nomen varias habeat acceptiones, hic loquimur de ipso, vt significat id, à quo aliud procedit, quomodocumque illud sit, in quo sensu ad rationem principij duo requiruntur, quòd sit aliquo modo prius principiato; vnde 5. met. c. 1. commune est omni principio esse primum, & quod sit aliquo modo consecutio intrinseca posterioris ad illud, ratione cuius hoc dicatur esse ab illo, & non tantum ratione ordinis, aut qualiscunque connexionis, quo sensu Aurora adicitur principium diei, & ita de ratione principij in hoc sensu, quo hic loquimur, est, vt ad ipsum habeat principiatum necessariam, & per se habitudinem, etiamsi non interueniat positiuus influxus illius in istud.*

QVÆSTIO PRIMA.

An principia rectè definiantur ab Aristotele, & quomodo illa definitio eis conueniat.

2 DVas habet partes quæsitum hoc, num scilicet definitio tradita ab Arist. de principijs tex. 42. rectè explicet essentiam, & naturam ipsorum, & quomodo competat materiæ, formæ, & priuationi, æquiuocè nec ne, vel vniuocè, vel saltim analogicè, circa primam partem non est magna difficultas, quia definitio Philosopi communiter ab omnibus recipitur, licèt non eodem modo ab omnibus explicetur; ardua tamen est difficultas circa secundam, quomodo nimirum hæc diffinitio tribus principijs competat, an scilicet sit definitio alicuius communis conceptus vniuocè conuenientis, vel saltim analogicè, materiæ, formæ, & priuationi, vt subsunt relationibus principij: itaut coniunctiuè omnibus competat, an verò disiunctiuè solum, materiæ, quidem, si ly *ex* dicat habitudinem subiecti: formæ, si dicat habitudinem termini ad quem: priuationi, si dicat habitudinem termini à quo; atque ita ly *ex* diuersam dicat habitudinem prout ad diuersam principia contrahitur, & quidem hæc videtur communis opinio, quam præsertim tenet Hurtad. in Philosophia disp. 1. sect. 2. Auersa q. 10. sect. 2. Arriag. disp. 1. Phys. in fine.

3 Dicimus primò, per definitionem ab Aristotele traditam tex. 42. rectè explicari naturam principiorum in fieri rerum naturalium. Conclusio est communiter recepta, & probatur discurrendo per illas tres particulas optimè explicantes essentiam, & munus principiorum physicorum. Prima est, quòd non fiunt ex alterutris, quæ particula cùm manifestam habeat instantiam, nam forma fit ex materia, tanquam ex subiecto, & ex priuatione tanquam ex termino à quo, à diuersis diuersimodè explicatur.

Frequens expositio est, principia non fieri ex alterutris; quia fieri propriè solùm conuenit compositis, 1. Phys. 64. & 7. Met. 27. & ideò non rectè dici, formam fieri ex materia, aut priuatione ita Complut. d. 2. q. 1. Hæc tamen explicatio non est ad mentem Philosophi, qui non omnia contraria posuit prima principia, sed solum prima contraria, eo quod non fiant ex alijs, nec ex se inuicem, & tamen etiam secunda contraria non fiunt, vt quod, sed tantum vt termini partiales; neque secundùm rem ipsam satisfacit, quia licèt sola composita fiant, vt termini totales, forma tamen etiam fit vt terminus partialis. Conimb. 1. Phys. cap. 5. quæst. 1. art. 4. explicant, principia non fieri ex alterutris, aut alio modo, quia principia hic ab Arist. sumuntur abstractè, sola verò singularia, & concreta propriè fieri dicuntur, vt album ex non albo, ignem ex ligno. Sed neque hæc expositio satisfacit, quia non solum dicimus, album fieri ex non albo, ignem ex ligno, sed etiam formam fieri ex priuatione, fieri ex materia, atque ita sub ipsis nominibus principiorum quoque dicimus, vnum fieri ex alio. Multi Græcorum sic exponunt, quod dum Philosophus inquit, principia ex alterutris non esse, non sumit particulam, *ex*, vt dicit habitudinem termini à quo, quia sic vnum contrarium principium fit ex alio, forma ex priuatione, & è contra, sed vt notat habitudinem subiecti recipientis, & in hoc sensu vtique repugnat, vnum contrarium fieri ex alio, quia vnum nequit esse subiectum alterius. Sed hæc ratio adæquatè non saluat, & in vniuersum, principia non fieri ex alterutris, sed tantum contraria, adhuc enim forma dicitur fieri ex materia, velut ex subiecto. Propter hoc Latinorum quamplures, vt adæquatè saluent, vnum principium ex alio non fieri, dicunt particulam *ex* importare habitudinem partis intrinsecæ, sic enim non solum vnum contrarium non fit ex alio, tanquam ex parte, vt forma ex priuatione, sed neque forma fit ex materia, quia materia non est pars intrinseca constitutiua formæ, & hanc expositionem amplectitur Auersa q. 10. sect. 1. Sed neque expositio ista congrua est, quia hic est sermo de principijs in fieri, non in facto esse, & sicut intendit probare Philosophus, omnia esse ex his, velut ex principijs in fieri, ita probare contendit, non esse ex alijs, vel ex alterutris eodem modo nimirum veluti ex principijs in fieri; vanum igitur est recurrere ad rationem principiandi in facto esse, seu per modum partis, vt ostendatur, principia non fieri ex seinuicem, & Auersa ipse fatetur, particulam *ex*, cum dicitur, omnia fieri ex his, non importare solam habitudinem partis, alioquin priuatio principium non esset, ergo etiam cum dicitur, non esse ex alterutris, non potest dicere solam habitudinem partis, quia Philosophus eodem prorsus modo negat, principia esse ex alijs, vel alterutris, quo affirmat, omnia esse ex his, & verisimile non est, vtum esse Philo-

Philosophum hac particula cum tanta æquiuocatione, vt quandoque dicat in eadem deffinitione rationem principiandi in fieri, quandoque in facto esse.

4 Vera igitur, & resoluitur expositio est, principia non fieri ex se inuicem in eodem genere principiandi, quam sequitur Hurtad. loc. cit. & Amicus tract. 3. disput. 2. q. 1. vnde cum forma principiet tanquam terminus ad quem, est primum omninò principium in hoc genere principiandi, neque fit ex alijs, nec ex alterutris in hoc genere, sed solùm in alio, ex materia, tanquam ex subiecto, ex priuatione, velut ex termino à quo, & sane satis congrua expositio est ista, quia contendit probare Philosophus, principia eo modo non esse ex alijs, vel alterutris, quo modo omnia fiant ex ipsis, at ex ipsis omnia fiunt vel tanquam ex subiecto, vel tanquam ex termino ad quem, vel tanquam ex termino à quo, iuxta distributionem accommodam, ergo vnumquodque non fit ex alio in eo genere, quo ipsum est principium, in alio autem genere non inconuenit, vnum ex alio fieri, respectu enim diuersorum idem potest esse principium, & principiatum.

Sed hanc expositionem refellit Auersa loc. cit. quia sic intelligendo, principia non esse ex alterutris, potius oritur ex eo, quod principia sunt prima, singula in suo genere, præcisa ratione contrarietatis; at Arist. probat hanc principiorum conditionem ex eorum contrarietate, & cum simul mentionem faciat primitatis eorundem, ait, ex hac esse, quod non fiat ex alijs; ergo expositio ista non est ad mentem Philosophi. Sed argumentum hoc militat etiam contra expositionem, quam sequitur Auersa nam si conditio ista quod principia non fiant ex alterutris, præcisè probanda est ex eorum contrarietate cum Arist. nec etiam Auersa probat conditionem hanc ad mentem Philosophi dum inquit, particulam *ex* in hac conditione importare habitudinem partis, quod enim forma ex priuatione non fiat, veluti ex intrinseca sui parte, non oritur ex eorum contrarietate præcisè, quia nec etiam ex materia fit forma hoc modo, cum tamen contraria non sint; ergo neque expositio Auersæ est ad mentem Philosophi, si hæc conditio ex sola contrarietate probanda est. Dicimus igitur, quod sicut ista cõditio non est tantũ principiorum contrariorũ, licèt speciali quodam modo illis competat, sed etiam eorum, quæ contraria non sunt; ita duplex potest assignari ratio, quare non fiant ex se inuicem, vna communis omnibus, & est eadem cum illa, qua probatur, non esse ex alijs, ex eorum primitate deducta ex eo enim, quod singula sunt prima in suo genere, simul sequitur, & quod non fiant ex alijs, & non ex alterutris, hoc enim, vel illo dato, statim sequitur oppositum antecedentis; alia verò assignatur peculiaris pro principijs contrarijs; sicut enim specialem inter se repugnantiam habent, ita speciali quodam modo illis repugnat fieri ex se inuicem, quo non repugnat principijs non contrarijs, nimirum tanquam ex subiecto, vt hic Vicomercatus exponit, hoc enim modo specialiter ex se inuicem fieri nequeunt priuatio, & forma, quia contraria sunt, quorum natura est, vt alterum alteri principium esse nequeat per modum subiecte, cum sese non recipiant contraria, sed potius interimant; est igitur contrarietas specialis ratio, cur forma, & priuatio ex se inuicem fieri, nequeant, non præcisa, quia si contrarietas esse huius ratio præcisa, iam illa conditio, quod principia non fiant ex alterutris, non nisi principijs contrarijs competeret; itaque expositio nostra optima est vtpotè ex ratione generali pro omnibus principijs, cur ex sese non fiant, deducta.

5 At adhuc contra hanc expositionem dubitat ipse Vicomercatus, & non soluit, si enim dicimus, contraria specialiter ex se inuicem fieri non posse, itaut vnum fit alterum principium per modum subiecti, quia contraria sunt, iam cum eo modo, quo ex se inuicem esse non possunt, ex ipsis omnia fiant, per tertiam conditionem, sequitur quod ex contrarijs omnia fiant, tanquam ex subiecto, quod falsissimum est. Sed argumentum hoc militat etiam contra expositionem eorum, qui dicunt contraria non fieri ex se inuicem per modum partis, sic enim alia omnia fieri deberent ex ipsis, quod falsum est, quia priuatio nequit esse pars constitutiua rei; dicimus igitur, quod licèt necesse sit, principia non esse ex alijs, aut ex alterutris, eo modo, quo cætera fiunt ex ipsis, non tamen è contra opus est, vt omnia ex ipsis, eodem prorsus modo, quo ipsis repugnat ex sese fieri vel saltim necesse non est, quod cætera fiant ex ipsis eo modo, quo specialiter eis repugnat ex sese fieri, sed eo modo, quo eis repugnat generaliter; & hoc sufficit.

Altera definitionis particula, & principiorum conditio est, quod non fiant ex alijs, quæ nullam continet difficultatem, & facillimè probatur à Philosopho ex eorundem primitate, quia enim singula sunt prima in suo genere principiandi, sequitur quod non fiut ex alijs in eodem genere principiandi, hoc est, formam non fieri ex alia forma, materiam ex alia materia, in diuerso enim genere non repugnat, quod vnum fit ab alio, sic materia in genere principij actiui est ab alio, scilicet à Deo, non tamen in genere principij passiui, quod sibi proprium est.

Vltima principiorum conditio est, quod omnia ex ipsis fiant in qua sola, vt Themistius notauit, consistit ratio essentialis principiorum, & formale significatum principij exprimitur; principium enim, vt principium, dicit ordinem tantùm ad principiatum; ex eo verò, quod omnia ex ipsis fiant, duæ connotantur negationes, quod scilicet non sint ex alijs, neque ex alterutris, non enim intelligere possumus, fundari in aliquo rationem principij communis, quæ in eo consistit, quod omnia ex ipso fiant, nisi intelligamus, ipsum neque ex alio fieri, neq; consimili principio, itaq; tertia conditio explicat principale significatum principij, prima & secunda connotatum; ex quo patet, hanc non esse quidditatiuam simpliciter deffinitionem, sed datam per additamentum, quia vltra principale, explicat etiam connotatum; Particula *ex* in hac vltima conditione sita, non dicit simul, & semel habitudinem partis constituentis, subiecti recipientis, & termini à quo, vt putat Auersa; valdè enim irrationabile est quod hæc particula semel prolata tam multiplicem habeat significationem, nec dicit solam habitudinem partis, seu principij in facto esse; Tum quia sic excluderetur priuatio, cum nequeat esse pars constitutiua rei; Tum quia hic definiuntur principia generationis, & in fieri, vt videbimus quæstione sequenti, materia verò, & forma, vt partes, sunt principia rei genitæ; Itaque non solum in hac tertia conditione, sed in omnibus particula *ex* semper eodem modo tenetur, & dicit generalem habitudinem principij in fieri, præscindentem à ratione principiandi per modum subiecti, vel termini generationis & ob id omni principio communi competit, quia ex omni tali, siue vt ex subiecto, siue vt ex termino, pendet rerum omnium fieri; vnde fit etiam, quod per ly *omnia* intelligere debemus, non corpora, vel composita, quia hic non loquimur de principijs rei genitæ, sed rerum omnium generationes, siue substantiales, siue accidentales, quia hic cum Arist. loquimur de principijs cuiuscumque, generationis.

6 Contra hanc conclusionem obijcitur. Primò, quod principia fiant ex alterutris, etiam in eodem principiandi genere; Tum quia in mutatione deperditiua priuatio fit ex forma tanquam ex termino à quo, nam ex videnti fit cæcus, sicut ex cæco fit videns; Tum quia materia habet suas partes integrales, à quibus pendet in genere causæ materialis. Resp. negando assumptum, ad primam probationem dicetur infrà quæst.

4 Ad alteram probationem concedimus etiam materiæ suas partes integrales, sed negatur, ex eis fieri eo modo, quo materia est principium materiale omnium mutationum, nimirum per modum subiecti; immo si loqui etiam velimus de ratione principiandi in facto esse, in quo sensu videtur argumentum vrgere, falsum est, materiam pendere ab eis in genere materialis principij, eo modo, quo composita pendent à materia, quia materia est pars essentialis, non integralis compositorum. Sed Vrges. Materia, & Forma constant ex gradibus metaphysicis, quæ faciunt essentialem compositionem, ergo fiunt ex alijs in eodem genere principiandi, quo ipsa sunt principia compositorum in facto esse. Respondetur, quidquid sit de antecedente, materia enim, & forma non sunt in prædicamento, nisi reductiuè, adhuc negatur consequentia; genus enim, & differentia sunt principia essentialia metaphyca, & non physica, qualia sunt materia, & forma, quare adhuc manet, quod non fierent ab eis in eodem genere principiandi, cum principium physicum diuersum sit à metaphysico. Sed iterum vrgebis; si in animatis datur forma corporeitatis distincta ab anima, vt cum probabiliori tenet Doctor 4. d. 11. qu. 3. tunc corpus pro altera parte, quod est materiale principium generationis animalis, fieret ex alijs in eodem principiandi genere, ex materia scilicet prima, cum forma corporeitatis concurrente ad eius constitutionem, atque ita in eodem genere principiandi, scilicet materiali, & physico esset principium & principiatum. Respondetur gratis concedendo, hanc definitionem principiorum in rigore corpori pro altera parte non conuenire, quia hic Philosophus prima principia physica intendit declarare, quale vtique non est corpus pro altera parte, sed materia prima dumtaxat, quam proindè in hoc 1. tex. 82. dixit esse primum subiectum cuiuscumque formæ, per hoc excludens corpus pro altera parte, quod vtique est subiectum formæ substantialis, scilicet animæ, cum hæc sit actus corporis physici 2. de Anima tex. 6. sed subiectum proximum, & immediatum. Iterum dices, ergo falsum est quod ait Philosophus, hæc tria in omni generatione reperiri. Neg. consequentiam, in omni enim reperitur materia prima immediatè vel mediatè, vt in proposito.

7 Secundò. Hæc definitio principijs in particulari non conuenit, quia non omnia fiunt ex hac materia, ex hac forma, ex hac priuatione, sed neque in communi, quia definitio communioris conuenit particularibus, saltim secundariò, sed hæc, vt probatum est principijs particularibus accommodari non potest. Respondetur, hic definiri principia in communi, nec necesse est, definitionem communioris particularibus conuenire, quando commune definitur in sua communitate, & vt supponit simpliciter, quomodò describitur hæc ratio generalis principiorum, licèt etiam hæc definitio in sensu distributiuo particularibus quoque accommodari possit, si distributio fiat, tam ex parte subiecti, quam prædicati in hunc modum, Omnia fiunt ex principijs, ergo hoc fit ex istis, & illud ex illis. Sed dices, quomodò ex principijs in communi dicantur omnia fieri, si generatio est rei singularis, & res fit ex principijs particularibus; Respondetur, quod non dicuntur omnia fieri ex principijs in communi, quasi quod principia communia, ita physicè se habeant in generationibus particularibus, sicut principia particularia, sed dicuntur omnia fieri ex ipsis, quia in qualibet generatione concurrit aliquid per modum formæ, aliquid per modum priuationis, & aliquid per modum materiæ; hinc nos abstrahentes ab his particularibus rationibus rationes communes dicimus, quod principia in communi sunt ea, ex quibus omnia fiunt, quia scilicet

licet in qualibet generatione est aliquid, quod habet rationem materiæ, aliquid formæ, & aliquid priuationis; sensus igitur est, quod omnia fiunt ex principijs in communi in esse signato, & singula ex singulis in esse exercito.

Tertiò. Cælum est præstantissimum corpus naturale, & tamen non est ex his principijs; Tum quia in sententia Philosophi caret materia, & forma, vt ait Doct. 2. dist. 14. qu. 1. Tum quia in eo priuatio non reperitur, ergo non omnia ex his fiunt. Respondetur, per ly *omnia* non denotari res ipsas, vt dictum est in explicatione tertiæ conditionis, sed generationes, & mutationes omnium, quæ generantur, & mutantur; vnde cum cælestia corpora mutationi accidentali subiecta sint, hac ratione tria illa principia participabunt; & aptior responsio est ista, quam illa communis in his nimirum libris Phys. & præsertim in hoc primo, tradi principia rerum corruptibilium, hoc enim repugnat tum Arist. instituto qui in Procœmio præmisit, se velle incipere tractare à communioribus principijs, quod vtique non præstitisset, nisi in hoc loco de principijs omnium rerum naturalium in fieri egisset. Tum etiam quia si corpus naturale, vt supponit simpliciter statuimus adæquatum subiectum in his libris, cum hoc deindè minimè cohæret, quod in 1. & 2. Phys. agat de principijs corporis generabilis cum potius de principijs corporis naturalis in communi, tum in fieri, tum in facto esse agere debeat, & ita fecisse ostendemus quæst. sequenti.

8 Dicimus secundò, præfatam difficitionem exprimere conceptum communem principij vniuocè conuenientem, cum aliqua tamen analogia, quæ stat cum vniuocatione ex Scot. 1. dist. 3. q. 3. materiæ, formæ, & priuationi, vt subsunt relationibus principijs, ita quod non definiuntur ibi principia disiunctiuè, sed definitur generalis ratio principij abstrahens à particularibus rationibus principiandi, positiuis, & priuatiuis, per modum subiecti, per modum termini ad quem, & per modum termini à quo; Hæc conclusio probatur simili ratione, qua Scot. vtitur in 1. d. 3. q. 2. B. ad probandam vniuocationem entis; Omnis intellectus certus de vno conceptu, & dubius de duobus, seu diuersis, habet conceptum, de quo est certus, alium à conceptibus, de quibus est dubius, sed intellectus naturaliter esse potest certus, quod in aliqua mutatione quidpiam, puta priuatio, vel forma, est principium illius, dubitando, an per modum termini à quo, vel ad quem, ergo conceptus principij in communi est alius à conceptu principij per modum termini à quo, vel ad quem, & ita neuter ex se, sed in vtroque inclusus quidditatiuè, ergo vniuocus, & vniuocè dictus; maior probatur, quia nullus idem conceptus est certus, & dubius, ergo vel alius, quod est propositum, vel nullus; & tunc non erit certitudo de aliquo conceptu; minor probatur per exemplum mutationis deperditiuæ, certi sunt omnes, ad hanc mutationem, præter materiam, concurrere in ratione principij formam, & priuationem, dubitant verò, an priuatio sit principium in tali mutatione per modum termini ad quem, vel à quo, ergo &c. quare si similis Scoti ratio probat vniuocationem entis, etiam & vniuocationem principij probabit ad tria illa principia materiam, formam, & priuationem, ex hoc autem deducitur præfatam diffinitionem, cum sit principij in communi, conjunctiuè materiæ, formæ, & priuationi conuenire. Hanc conclusionem tenet Fuentes 1. Phys. q. 3. art. 3. sed satis perplexè, itaut peruertat terminos Scoticos de vniuoco prædicato, & vniuocè prædicari.

Sed contra hanc conclusionem obijci solet commune, sed solidum argumentum quod afferunt Complut. disp. 5. sect. vn. Enti reali, & rationis, positiuo, & priuatiuo nihil esse potest commune vniuocum, sed priuatio, & eius habitudo ad generationem vtique nil positiuum importat, materia verò, & forma, & earum habitudines ad eandem sunt entia realia, & positiua, ergo &c. ex quo postea deducitur, hanc diffinitionem tribus illis principijs coniunctim competere non posse, quod etiam probari potest, quia cum mutatio aliam habeat habitudinem ad materiam, aliam ad formam, & aliam ad priuationem, secundùm etiam diuersam habitudinem eis competere debet; qua ratione data opera Philos. principia definiuit in plurali, & non in singulari.

9 Respondetur, maiorem illam non esse propositionem immediatam, sed mediatam, vt constat ex Sco. 1. dist. 29. quæst. vn. dependet enim ex hac alia propositione; Ei, quod est simpliciter tale, & ei quod est secundùm quid tale, nihil est commune vniuocum in quid, positiuum, & negatiuum, ens reale & rationis sunt huiusmodi, ergo &c. At minor hæc non est vera, nisi ea membra comparentur ad aliquod commune prædicatum, quod vni simpliciter, & absolutè competat, & alteri membro non, nisi concipiatur ad modum alterius, sicut se habet hoc prædicatum *ens* ad ens reale, & rationis, positiuum, & priuatiuum; quod si comparentur ad commune prædicatum, quod vtique ex æquo simpliciter, & absolutè competit absque eo, quod vnum concipiatur ad modum alterius, falsa est ea minor, & hac de causa ratio principij conuenit vniuocè formæ, & priuationi, non ratio entis, quia, vt priuatio dicatur principium generationis, non exigit, quod concipiatur ad modum formæ, & principij per modum termini ad quem, sed tunc verè concipitur tale, quando concipitur, vt priuatio, & terminus à quo; at non ita est de ratione entis; ad hoc enim, vt tenebra dicatur ens, petit concipi ad modum lucis, formæ scilicet per aerem extensæ, & sanè fatentur omnes, priuationem esse simpliciter principium generationis, sicuti forma, non ita simpliciter ens. Exemplum ad hoc explicandum haberi potest à Doctore 1. d. 23. q. 1. de negatione infinitante; hæc enim negatio v.g. non lapis, competit enti, & non enti, homini scilicet & Chimeræ, vniuocè, quia vt competat Chimeræ, non exigitur, quod concipiatur ad modum alterius membri, scilicet hominis; sed sufficit si concipiatur, vt Chimera; exemplum clarius habemus in moralibus; genus enim moris vniuocum est in quid ad tres suas species, Bonum, Malum, & Indifferens, cum tamen malum inter eas species priuationem dumtaxat bonitatis præseferat. Quòd verò principia ab Arist. sint in plurali definita, non infert necessariò, quod ea deffinitio competat materiæ, formæ, & priuationi disiunctiuè, multa enim alia in plurali definiuntur, quæ tamen coniunctiuè, vt prædicata vniuoca, inferioribus conueniunt sic in Anteprædicamentis describuntur in plurali Æquiuoca, Vniuoda, & Denominatiua, in prædicamentis Relatiua, quæ tamen deffinitiones vnitatem conceptus præseferunt, & exprimunt, vniuocè conuenientis inferioribus suis.

QVÆSTIO II.

Quænam principia hic de finiantur.

10 Difficultas est, an præfata diffinitio sit principij, prout etiam quatuor omnes amplectitur causas, an potius describantur principia tantum intrinseca, & horum, an principia intrinseca generationis tantum, an etiam rei genitæ, hoc est, an principia intrinseca in fieri dumtaxat, an etiam in facto esse; & si describuntur principia generationis tantùm, & in fieri, an generationis substantialis præcisè, an potius generationis in communi ad substantialem, & accidentalem, Hurtadus disput. 1. sect. 2. tenet, Aristotelem hic principia descripsisse generatim, quatuor etiam complectendo causas. Auersa quæst. 10. sect. 2. putat, hic assignari, & definiri principia generationis, vt sic, prout à quacunque acceptione particulari præscindit, non autem in ratione mutationis tantum. Conimb. Complut. & Ruuius 1. Physic. c. 5. cum D. Thom. sect. 2. 1. Physic. aiunt, hic definiri principia, tum generationis, tum rei genitæ, seu tam in fieri, quam in facto esse quam opinionem sequitur etiam Zab. lib. de naturalis scientiæ constitutione c. 11. Fatentur tandem alij, hic ab Arist. principia tantum in fieri, & generationis describi, sed ea generationis tantum substantialis, non autem accidentalis, aut non nisi secundario, & in gratiam mutationis substantialis, ita Amicus tract. 4. qu. 6. art. 2.

11 Dicimus primò, hic ab Aristotele describi principia generationis in ratione tantum mutationis, non verò productionis, & ideò ab hac definitione efficientem, & finem excludi debere. Conclusio est Scoti 2. dist. 12. q. 1. infra I, vbi ait, Arist. 1. Physic. egisse de materia vt habet ordinem ad mutationem, & est contra Auersam, & Hurtad. loc. cit. Pro cuius conclusionis probatione supponimus ex Philosopho 1. Phys. 64. & Sco. 1. dist. 5. q. 2. G. generationem in creaturis mutationem annexam habere regulariter, & ideò sumi posse dupliciter, & in ratione productionis, quo sensu conuenit composito, & in ratione mutationis, quo sensu conuenit subiecto, seu mobili, quod de priuatione transit ad formam ex Arist. ibi, quo supposito, ita probatur conclusio. Hic à Philosopho principia definiuntur generationis in eo sensu, quo subiectum exigit, at non petit subiectum in ratione productionis, sed tantum in ratione mutationis, nam ratione productionis conuenit cum creatione, quæ subiectum quodcumque excludit, maior patet ex processu Philosophi 1. Phys. vbi, vt necessaria principia generationis adinueniret, præter contraria, exigit tertium principium, scilicet subiectum. Accedit, quod, vt ipse Auersa fatetur, si particula *ex* sumatur in rigore sermonis quo proprium sensum reddit, excluduntur efficiens, & finis; non enim res dicitur fieri ex suo agente, sed à suo agente, non dicitur fieri ex suo fine, sed propter suum finem; fatetur etiam, in hoc sensu hic ab Arist. sumi, ergo etiam fateri tenetur, non hic deffiniri principia generationis in ratione productionis, quia vt actio, & productio est, intrinsecè dicit in suo conceptu principium agens, & constituitur per respectum ad causam agentem ex ipso Auersa ibidem. Ex hoc autem, quod hic definiantur principia generationis in ratione mutationis tantum, clarè deducitur, quod excluduntur ab hac definitione efficiens, & finis, nam in ratione solùm productionis respicit agens, & finem, quatenus agens, agit propter finem, in ratione verò mutationis præscindit ab efficiente, & fine, & respicit tantum materiam, formam, & priuationem, cum vt sic sit formaliter actus mutabilis, quod de priuatione transit ad formam.

12 Contra hanc conclusionem obijcit Auersa. Primò, quia generatio non tantum sub ratione mutationis, sed etiam sub ratione actionis, & productionis considerari potest, in quo sensu intrinsecè respicit agens pro principio, & sub alijs rationibus quoque, ergo cum hic assignet principia generationis, eaque definiat, non est arctanda hæc definitio ad principia generationis in ratione mutationis tantum, sed amplianda est ad principia generationis, vt sic, prout à quacumque speciali acceptione præscindit; præsertim quia Arist. ipse, dum 1. Phys. tria principia assignauit, nec meminit quidem mutationis in eo sensu, nec sub nomine mutationis principia designat, sed vel absolutè, vel sub nomine fieri, vt tex. 43. & 45. & 48. ac seq. vel sub nomine generationis, vt tex. 68. Deinde argumentatur Hurtadus loco supra citato. Ea principia describit Philosophus c. 5. de quibus acturum se dicit cap. 1. vbi proponit, se acturum de principijs, causis, & elementis naturalibus, ea autem sunt omnia principia rei naturalis, causas omnes complectendo, ergo &c. Denique hæc definitio cuicunque principio generatim sumpto accommodabilis est, omne enim primum ea ratione, qua est primum, non habet principium, alioquin non esset primum, & omnia priocipiata in eo genere pendet ab eo, ergo omni tali principio dicendum est competere præfatam definitionem.

Respondetur, posse vtique generationem sub gemina illa ratione considerari, at falsum est, in 1. Phys. considerari sub vtraque, & principia eius, vt sic, assignari, principia siquidem eius sub ratione productionis assignat 2. Phys. dum ait, causam efficientem esse principium, vnde motus, at hic assignat tantùm principia illius in ratione mutationis, & falsum omninò est, Aristotelem nunquam mutationis meminisse, cum enim in tex. 68. colligat, se assignasse, quænam sint principia generationis, & quot, ne quis putaret, ipsum loqui de generatione in ratione productionis in fine textus ipsam specificat sub nomine mutationis, & quando eam nuncupat sub nomine fieri, non vtique ly *fieri* notat productionem termini ad quem, sed transmutationem subiecti (nam fieri in creaturis non est sine mutatione) vt patet ex illius exemplis, nam quando dicimus, Petrum fieri musicum, aquam fieri calidam, proprius sensus non est, quòd Musica producatur in Petro, vel caliditas in aqua, sed Petrum, de non musico, musicum fieri, hoc est, in musicum transmutari, aquam de non calida, fieri calidam, idest in calidam trasmutari.

Ad Hurtadi rationem negari potest maior, & minor; maior quidem, quia nulla videtur necessitas describendi capite 5. omnia ea principia in vniuersali, de quibus se acturum dixit in Procœmio, quia illud non est procœmium solius primi Phys. sed Philosophiæ totius, vnde satis est, vt principia in fieri assignet 1. Phys. principia in facto esse, & causas, tam intrinsecas, quam extrinsecas in secundo, potest etiam negari minor, quia quid Arist. intelligat in Procœmio per principia, causas, & elementa, quot sunt capita, tot sententiæ. Ad confirmationem dicimus tandem, quod licet si ly *ex* communiter sumatur, prout extenditur ad omnem causalitatem in communi significandam, quo sensu dicimus filium esse ex Patre, omnia ex Deo, &c. accommodari possit illa diffinitio omnibus principijs in vniuersali; tamen si sumatur in rigore, & propriè, vt hic Arist. sumpsit, non benè explicat causalitatem efficientis, & finis, quia nec res dicitur fieri ex suo agente, sed à suo agente, nec ex fine, sed propter finem.

13 Dicimus Secundò, hic definiri principia generationis tantùm, non autem rei genitæ, seu principia in fieri tantùm, non autem in facto esse. Colligitur ex Scoto loc. cit. vbi dicit Philosophum egisse de materia, quatenus est subiectum generationis, non autem quatenus pars compositi, & est contra Auctores supra cit. D. Thom. Zab. Conimb. Ruuium, & alios etiam ex nostratibus. Probatur primò auctoritate Philosophi 1. Phys. tex. 68. vbi epilogans se assignasse quæ sint principia rerum naturalium, & quot, ne aliquis suspicaretur, se fuisse locutum etiam de principijs rei genitæ, exprimit, se assignasse *principia rerum naturalium, quæ circa generationem*, hoc est, principia, quæ ad generationem concurrunt; his verbis principia rei genitæ excludens, de quibus postea agit in secundo. Deinde ratione, quia, & si materia, & forma sint principia in facto esse, vtpotè, quæ intrinsecè constituunt compositum per modum partium, non idcircò hinc rectè infertur, hic assignari, & definiri, vt talia, cum etiam sint principia in fieri, & generationis, & etiam sic à Philosopho considerari debuerint; nec etiam benè diceretur, in vtroque sensu hic assignari, & definiri. Tum, quia in hoc 1. Phys. semper consideratur materia, vt subiectum transmutationis, & forma, vt terminus ad quem eiusdem, per quas habitudines exprimuntur eorum causalitates in fieri, non in facto esse, sic enim exprimuntur per esse partem potentialem, & actualem; Tum quia, vt principia rei genitæ, & in facto esse considerantur tantùm in secundo, & sub nomine naturæ, & sub nomine causarum intrinsecarum.

Contra hanc conclusionem objiciunt Auctores citati, quia sensus diffinitionis principiorum hic est *omnia fieri ex ipsis*, tanquam ex partibus componentibus, vel tanquam ex termino à quo, quibus modis principia ipsa nec fiunt ex alijs, nec ex alterutris; & sanè quòd materia consideretur 1. Phys. velut principium rei genitæ, & in facto esse, clarè colligitur ex eius diffinitione tradita tex. 82. vbi definitur in ordine ad compositum, cum dicitur, *materia est subiectum ex quo fit, quod fit, cum insit*. Addit Zab. in hoc primo tractari de principijs constitutiuis corporis generabilis, & corruptibilis, vt constat ex tex. 68. vbi ait, se de principijs loqui rerum naturalium, quæ generationi, & interitui obnoxiæ sunt, & in secundo tantum de principijs corporis naturalis in communi, & his quidem cognoscendi, non essendi, cum talia non habeat. Respondetur non esse talem illius particulæ *ex* sensum, qualem ipsi fingunt, hoc enim est confundere rationes principij in fieri, & in facto esse, sed is est, quem nos tradidimus quæstione præcedenti in explicatione tertiæ conditionis principiorum, & negamus, 1. Phys. definitam fuisse materiam in ordine ad rem genitam; sic enim definitur 1. Phys. sub nomine naturæ, & tex. 28. sub nomine causæ materialis *ex qua fit aliquid, cum insit*, sed definitur in ordine ad generationem, & corruptionem, vt patet ex ipso contextu, intendit enim ibi ex eo ostendere materiam ingenerabilem, & incorruptibilem, quia est subiectum primum in omni generatione, & vltimum in qualibet corruptione, addit tamen particulam *cum insit*, vt intelligeremus, non quomodocumque ex materia fieri compositum, sed ita ex ea fieri, vt etiam in ipso per modum partis constituentis remaneat, id in 2. Phys. ex professo ostensurus. Negamus item omninò quod addit Zab. in 1. Phys. tractari de principijs corporis generabilis, & corruptibilis, hoc enim directè repugnat Aristotelis intentioni, quæ erat incipere à principijs communioribus corporis naturalis, vt sæpè diximus suprà, & textus ille non benè explicatur à Zab., quia cum inquit Philosophus, *quot igitur principia sint rerum naturalium, quæ circa generationem, & quomodo, tot, dictum est*, relatiuum illud *quæ* refertur ad principia, non ad res naturales itaut per hoc excludere voluerit considerationem principiorum rei genitæ, vt dictum est in probatione conclusionis, non autem res ingenerabiles.

14 Dicimus tandem, hic definiri principia generationis, nedum substantialis, sed etiam accidentalis, seu assignari principia mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem. Conclusio est Scoti loc. cit. vbi ait Philosophum 1. Phys. locutum esse de materia, vt est subiectum, non solùm in generatione, sed etiam in alteratione, & est contra Doctorem vltimæ sententiæ. Probatur primò auctoritate Philosophi qui tex. 57. ait, se dicturum de omni generatione, reddit rationem, quia secundùm naturam debemus prius aggredi principia communia, deinde particularia speculari, quem locum communiter explicant Interpretes, præsertim verò Simplicius, & Vicomer. qui stant pro nostra conclusione; de generatione, & mutatione omni tam substantiali, quàm accidentali, cuius principia inquiunt hic Aristotelem inquirere, ergo principia, de quibus agit Philosophus in hoc 1. Phys. sunt principia communia mutationi substantiali, & accidentali.

Confirmatur; Tum quia cum dixisset Philosophus tex. 57. se velle inquirere principia generationis omnis, tex. deinde 62. duplicem generationem distinguit, alteram simplicem idest substantialem, alteram secundùm quid, idest accidentalem, & vtramque explicat, ergo vtriusque principia inquirit; Tum quia cum 2. Phy. text. 27. ait, se velle inquirere causas generationis, & corruptionis, & omnis physicæ mutationis, agit de causis communibus mutationi substantiali, & accidentalis, ergo etiam cum hic ait, se velle inquirere principia omnis generationis inquirit principia communia mutationi substantiali, & accidentali.

Demum, principia, de quibus agit Philosophus 1. Phys. materia, forma, & priuatio reperiuntur suo modo in omni mutatione, tam substantiali, quàm accidentali, cum enim ferrum ex non calido fit calidum non minus ferrum, tanquam subiectum, ex priuatione frigoris mutatur, & transit sub forma caloris, quàm in mutatione substantiali, materia, quæ est sub forma ligni, mutatur, & transit sub forma ignis, ac proinde à mutatione substantiali, & accidentali potest abstrahi conceptus mutationis in communi, ita etiam à principijs mutationis substantialis quæ sunt materia prima, forma substantialis, & eius priuatio, & à principijs mutationis accidentalis, quæ sunt materia secunda, seu corpus, & compositum, (quod modò supponimus subiectum inhæsionis accidentium) forma accidentalis, & eius priuatio, abstrahi possunt principia in communi, hoc est, conceptus materiæ, formæ, & priuationis, præscindens à substantiali, & accidentali, in qua abstractione dici solet principia communitatis, & principia vniuersalia, quia prædicantur in recto de omni materia, forma, ac priuatione mutationis, tam substantialis, quam accidentalis; & cum ad Philosophum naturalem non magis pertineat agere de mutatione, quæ nectitur generationi substantiali, quam de ea, quæ nectitur accidentali, cum hæc sit effectus propriæ passionis corporis naturalis; sanè dicendum est, Aristotelem in hoc 1. Phys. de principijs generationis fuisse in tali communitate locutum, cum alibi de his non tractet, ne cogamur ipsum asserere mancum in inuestigatione principiorum omnium rerum naturalium.

15 Contra hanc conclusionem objiciunt. Tum quia in 1. Phys. materiam tantum definiuit Philosophus, quæ est subiectum generationis substantialis. Tum quia plurima dicit, quæ de generatione substantiali tantum verificantur; tum tandem quia materiam naturalium inuestigat per materiam artificialium; vnde si de principijs mutationis accidentalis agit, hoc facit in gratiam mutationis substantialis, vt per principia illius veluti notiora, & sensibiliora in notitiam istorum deueniremus. Respondetur, vtique Philosophum plurima dixisse, quæ de generatione substantiali tantum verificantur, at etiam plurima dixit, quæ tantum verificantur de accidentali; concedimus etiam per viam mutationis accidentalis nos manuducere in cognitionem substantialis; & per subiectum illius, nos deuenire in cognitionem subiecti istius, non quia intentum Philosophi sit de substantiali solum agere, & eius inquirere principia, cum tex. 57. expressè dicat, se velle adæquate cuiuscunque generationis principia inuestigare per se, & directè, sed quia illa notior est, & magis sensibus obuia; & materiam primam, quæ est subiectum mutationis substantialis speciatim definiuit, quia hæc ignotior erat, & speciali explicatione indigebat, qua non indigebat materia mutationis accidentalis, quæ cum sit corpus, & compositum naturale minus est à sensibus remotum

ipsa

ipsa materia prima. At instat Amicus loc.cit. De accidentibus materialibus non per se, & directè tractatur in Philosophia, sed indirectè tantum, & per ordinem ad corpus substantiale, cuius sunt accidentia, vt etiam nos diximus in quæstione proæmiali de subiecto Philosophiæ, ergo à pari mutatio accidentalis non est per se tractanda, nisi in ordine ad mutationem substantialem. Respondemus, non solum mutationem accidentalem, sed neque substantialem esse per se tractandam à Philosopho, sed vtramque in ordine ad subiecta, quorum sunt mutationes, & cum subiectum mutationis substantialis sit materia prima, accidentalis verò corpus naturale, & compositum, cuius materia prima est pars, vtraque considerari debet in ordine ad illud, mutatio quidem accidentalis proximè veluti effectus adæquatæ passionis illius; substantialis autem remotè veluti effectus passionis materiæ, quæ etiam ad compositum ordinatur, nec valet assumpta paritas de accidentibus materialibus in ordine ad corpus, & mutatione accidentali in ordine ad substantialem, quia accidentia materialia ordinantur ad corpus, veluti ad subiectum suum, non autem mutatio accidentalis sic ordinatur ab substantialem.

16 Sed quæres, An sub hac mutatione accidentali, cuius quoquè principia inuestigat, ac definit Aristoteles 1. Phys. etiam mutatio secundùm locum sit recensenda? Respondetur, vtiq; cum in motu locali æquè benè, sicut in cæteris ea tria notare possimus, subiectum scilicet, & duos contrarios terminos, scilicet à quo, & ad quem. At contra arguit Zab. loc. cit. hic agitur de principijs in fieri, & generationis, sed motus localis non recipit nomen fieri, & generationis nisi admodum impropriè, ergo sub hac mutatione accidentali, cuius principia hìc inuestigantur, motus localis comprehendi nequit, minor probatur primò, quia Aristoteles 1. Phys. tex. 62. enumerans omnia quæ fieri dicimus siue secundùm substantiam, siue secundùm accidens, vt inde colligat, in omnibus, quæ fiunt, necessariam esse subiectam materiam, omnes mutationes recenset, tum substantiales, tum accidentales, tum ab arte, tum à natura factas, sola tamen excepta mutatione secundùm locum, cuius nec verbum quidem. Deinde generari, & fieri propriè dicitur, quando acquiritur forma aliqua inhærens ei, quod mutatur, sed talis non est, nisi vna trium Cathegoriarum, Substantiæ, quantitatis, & qualitatis; locus enim est res externa, quæ proindè vocari non potest forma rei motæ, vbi verò non est aliquod absolutum, quod possit vocari forma. Tandem nunquam dicere solemus, id, quod loco mouetur, generari, vel fieri, nisi ad modum impropriè. Respondetur negando minorem, & eius primam probationem, quia ibi expressè meminit Vbi, vt mirum sit, quomodò Zab. id ausus sit negare Ad secundam probationem negamus minorem, licèt enim Vbi quid absolutum non sit, est tamen forma respectiua, quam mobile secundùm locum propriè acquirit sibi inhærentem, fusiùs disputatione de loco 4. Phys. Ad tertiam negatur assumptum, cùm hunc ipsum loquendi modum docuerit Aristoteles expressis verbis 8. Phys. tex. 24. dicens, *& ipsum moueri fieri quippiam, & corrumpi videtur omnibus*.

QVÆSTIO III.

Quot sint huiusmodi principia.

17 De numero principiorum rerum naturalium magna olim erat controuersia inter Arist. & antiquos, quorum aliqui vnum, & hoc immobile, vt Parmenides, & Melissus; aut vnum aliquod ex elementis; Heraclitus ignem, Anaximenes aerem, Thales aquam; Aliqui duo, vt Empedocles litem & amicitiam inter quatuor elementa; Alij tria, vt Plato in Timæo Materiam, Deum, & Idæam; quidam viginti vt Pythagorici, ponentes numeros rerum principia, & decem enumerantes ex vna parte, bona, decem alios ex altera parte, mala. Alij tandem infinita, vt Anaxagoras, Democritus, Leucippus, & Epicurus, omnia ex athomis componentes. Aristoteles autem 1. Phys. post longam, & maturam rei discussionem, tria asseruit principia in fieri rerum naturalium, materiam, formam, & priuationem, quæ modò in omnibus Scholis est receptissima, & plausibilis sententia.

18 Dicimus itaque principia intrinseca cuiuscumque physicæ mutationis esse tantùm tria, non plura, nec pauciora, Materiam nimirum, Formam, & Priuationem. Conclusio communis est in schola peripatetica, quæ prius explicatur, deindè probatur; loquimur de mutatione physica ad excludendam creationem, transubstantiationem, quę propriè, aut non sunt mutationes, aut saltim non physicæ; loquimur de quacumque mutatione physica, vt omnes physicas mutationes comprehendamus, tam substantiales, quam accidentales; tam naturales, quàm violentas, vel neutras; tam acquisitiuas, quàm deperditiuas, omnes enim huiusmodi mutationes ad Physicum spectant, qui vniuersim de omnibus mobilibus agit; quamuis alioquin verum sit, inter physicas mutationes, naturalem præsertim, & acquisitiuam esse muneris physici, eiusque principia præsertim inquiri; ex quo tandem fit, nos hic per materiam intelligere quodcumque subiectum, tam mutationis, quam motus; per formam quamcumque formam, tam substantialem, quam accidentalem; per priuationem item quamcumque priuationem siue formæ substantialis, siue accidentalis. Conclusio autem sic explicata probatur ratione ex Arist. deducta 1. Phys. à tex. 50. & sequentibus. Illa sunt principia intrinseca omnis mutationis physicæ, quibus positis, vel intellectis, ponitur, vel intelligitur mutatio; sed huiusmodi sunt materia, forma, & priuatio ergo hæc tria sunt principia intrinseca omnis mutationis Physicæ, maior patet, probatur minor, quia mutatio est essentialiter transitus de quodam ad quoddam, sed ad hunc transitum requiruntur id, quod transit, terminus ad quem transit, & terminus à quo transit, quæ sunt materia, forma, & priuatio, ergo si omnia hæc ponantur, vel intelligantur, ponitur vel intelligitur mutatio; si verò vnum istorum trium non ponatur, neque mutatio ponitur; ex quo etiam probatur, non esse plura, nec pauciora tribus, nam in omni mutatione dantur hæc tria, & sufficiunt, & pauciora non sufficiunt, aliter enim concipi nequit mutatio, nisi concipiendo, id quod mutatur, vt est materia, id, ad quod mutatur; vt forma in acquisitiuis, in deperditiuis priuatio, & id, à quo mutatur, scilicet priuatio in illis, forma in istis, & præter hæc nihil assignari potest, quòd sit essentialiter de conceptu mutationis, vt ex argumentorum solutione patebit; ergo &c.

19 Auersa q. 10. sect. 2. hunc modum, quamuis ex ipso Philosopho desumptum assignandi trinitatem principiorum refellit; Tum quia generatio, non solùm in ratione mutationis considerari potest, sed etiam actionis, & productionis, & in hoc sensu præsertim eam considerauit Philosophus 1. Phys. dum quasi semper eam designat sub nomine fieri; Tum quia forma assignari nequit principium generationis, tanquam terminus ad quem mutationis, nam principium debet esse prius principiato, & forma veluti terminus ad quem est posterior ipsa generatione, & mutatione, quia per eam acquiritur; quare tandem concludit, veram rationem ostendendi sufficientiam, & necessitatem horum trium principiorum, sumi debere ex definitione ipsorum tradita tex. 42. quia sumendo particulam *ex* cum omni sua proprietate, assignantur ista tria pro principijs, & aliæ causæ excluduntur, benè enim dicitur, & cum omni proprietate, compositum fieri ex materia, & forma, formam fieri ex priuatione, at non ita fieri ex suo agente, fieri ex suo fine, sed à suo agente, & propter suum finem. At prima improbatio manet explosa ex dictis quæstione præcedenti n. 11. vbi probatum est, Philosophum in hoc 1. Phys. loqui de generatione in ratiotantum mutationis, ne in ratione autem productionis, & actionis, quo sensu comparatur ad agens, & causas extrinsecas, de ea fuisse locutum 2. Phys. Altera impugnatio ex quæst. sequenti elisa manebit, vbi ostendemus, propriam principiandi rationem formæ in fieri, esse per modum termini ad quem. Decipitur denique Auersa, dum putat, per definitionem à Philosopho traditam tex. 42. ostendi trinitatem principiorum, veluti necessariam, & sufficientem, id enim Aristoteles non ibi probat, sed probare incipit à tex. 50. ratione à nobis allata, & certè sistendo in solo rigore illius particulæ *ex* probare possumus, principia esse plura tribus; nam cum omni proprietate dicimus, compositum fieri ex materia, & forma, & ex vnione materiæ, & formæ ad inuicem, & non solum dicimus, album fieri ex non albo, aquam ex non aqua, sed etiam album fieri ex nigro, aquam ex aere; quando cum priuatione expellenda adiungitur forma, seu terminus positiuus, atque ita stando in rigore illius particulæ, & vnio, & forma expellenda possent cum omni proprietate dici principia rerum in fieri.

20 Contra hanc conclusionem objicitur primò probando, principia esse plura tribus, quia ad mutationem physicam præter materiam, formam, & priuationem, concurrunt ex parte materiæ potentia, quantitas, & dispositiones, ex parte formæ requiritur etiam alia priuatio, quia exigitur, vt non sit in materia, & possit esse in materia, in quo consistit ratio priuationis, ex parte vtriusque exigitur vnio, quia non fit compositum sine vnione partium, ex parte priuationis recedentis exigitur, vt adiunctam habeat formam positiuam, quæ secum recedat, generatio enim vnius est necessariò corruptio alterius, ex parte denique compositi resultantis requiritur necessariò eius priuatio, veluti verus, & proprius terminus à quo; homo enim necessariò fit ex non homine, album ex non albo, quæ est distincta priuatio à priuatione formæ, sicut distincti termini sunt partialis, & totalis.

Confirmatur, quia ad mutationem non magis requiruntur, tria prædicta, quam agens, quia sicut motus, vt accidens, dicit ordinem ad subiectum, ita vt actio, dicit ordinem ad agens, & vniuersaliter, vt ens creatum inuoluit in suo conceptu essentiali ordinem transcendentalem ad illud. Nec valet communis responsio, efficiens esse principium extrinsecum mutationis, hìc autem quæri intrinseca; quia priuatio, cum sit non ens, non potest esse intrinseca mutationi, quæ est ens; & cum præsente forma cesset motus 2. de Gen. 55. non potest forma esse intrinseca motui; & cùm motus habeat rationem accidentis, non potest esse ei intrinseca materia, quæ est substantia. Nec rursus valet ad hoc communis responsio, hæc tria principia non dici intrinseca mutationi constitutiuè, quasi per se, & directè in ipsius mutationis essentia includantur, sed terminatiuè tantum, quatenus mutatio dicit necessariam habitudinem ad illa tria, nam etiam dicit habitudinem ad efficiens, præsertim si exactam, & distinctam cognitionem illius habere velimus, qualis est cognitio, quæ de re habetur per definitionem.

Demum si ista tria sunt principia generationis, vbicumque ea concurrerent, ibi foret vera generatio, quod tamen falsum est, quia in Adami productione hæc tria interuenere, & tamen ea non fuit generatio, vt videtur communis omnium sententia. Et si sunt tria, vel sunt tria secundùm numerum, vel secundùm speciem, vel secundùm genus, vel secundùm analogiam, non primis tribus modis, quia sic res essent tantum tres; tum quia secundùm distinctionem principiorum distinguuntur principiata 12. Met. cap. 2. tum quia sunt correlatiua, & quot modis dicitur vnum, totidem, & reliquum; nec quarto modo, quia nulla entia sunt numerata secundùm vnitatem, sed esse tria est esse numeratum, & analogia est quædam vnitas. Et ex Arist. 1. Phys. 56. in quolibet prædicamento est vna prima contrarietas, atque adeò cum decem sint prædicamenta, erunt viginti principia contraria propter subiectam materiam.

21 Respondetur, neque potentiam, neque dispositiones, neque quantitatem, si materiæ primæ inhærent, constituere principium ab ea diuersum, id enim, quod principia multiplicat, est diuersa ratio principiandi, & ideò cum ista hæc omnia sint conditiones ipsius materiæ ad recipiendam formam, censentur omnia concurrere per modum subiecti, & ad materiam ipsam reduci; idem de vnione dicendum, nam quæ se tenet ex parte materiæ, est vnio quædam passiua, qua mediante veluti passiua receptione, dicitur forma recipi in materia, ac proindè ad materiam pertinet, nec diuersum habet modum principiandi ab ea; quæ se tenet ex parte formæ, est quasi actiua quædam informatio, qua mediante forma perficit, & actuat materiam, ac proindè ad formam pertinet, nec diuersum habet modum principiandi ab ea, vndè nec materia est subiectum aliter se habens nunc, quam prius, nisi vt primò intelligitur vnita formæ, nec forma censetur terminus ad quem, nisi vt vnita materiæ. Forma autem expellenda ac eius priuatio, & si vt plurimum in mutationibus interueniat, non tamen distinctum principium efficit. Tum quia non semper interuenit, vt cum aer fit lucidus. Tum quia quando interuenit, per accidens interuenit, vt Scotus docet in 2. dist. 1. q. 5. in fine ex Philosopho 5. Phys. tex. 7. & 8. vbi ait, quod terminus à quo per se mutationis non est quid positiuum; sed priuatio; nam si per diuinam potentiam, aut forma introduceretur in materiam nudam, aut forma præexistens non aboleretur per aduentum nouæ, adhuc foret vera mutatio, & quod generatio vnius fit corruptio alterius, prouenit, non per se ex necessitate mutationis, sed per accidens ex incompossibilitate formarum, vt notat Doctor. 2. d. 1. q. 3. L. Præter autem priuationem formæ in materia, nulla alia priuatio in mutatione necessariò interuenit, non priuatio materiæ in forma, quia priuatio est negatio in subiecto capaci, at forma non est capax materiæ, & quamuis forma præcederet non vnita materiæ, cui tamen vniri posset, non rectè diceretur adhuc forma priuata materia, sed potius vnione ad materiam, quia est capax, & receptiua vnionis ad materiam, non autem materiæ. Nec minus priuatio totius esse compositi, quia hæc est negatio extra genus, concurrens veluti terminus à quo ad creationem, non autem ad generationem, quæ pro termino à quo petit negationem in genere, & in subiecto, & hanc insinuare vult, non illam modus ille loquendi: homo fit ex non homine, album ex non albo, idest homo fit ex subiecto priuato forma hominis, album ex suo subiecto priuato forma albedinis; & quando etiam omnes hæ priuationes interuenirent, non adhuc multiplicarentur principia, quia omnes haberent eundem modum principiandi, scilicet per modum termini à quo.

Ad Confirmationem negatur assumptum, quia hìc non consideratur generatio vt actio, vel ens creatum, sed præcisè vt mutatio; qua ratione explicitè nec dicit ordinem ad transcendentia, nec ordinem ad agens, sed tantum ad illa tria, materiam, formam, & priuationem; vnde si anima separata seipsam vniret corpori absque alia causa efficiente, perfectè intelligeretur conceptus mutationis, vt sic, absque ordine ad agens, loquendo de perfecta cognitione quidditatiua rei, talis enim non petit causarum externarum explicationem, sed tantum principiorum, sine quibus res percipi nequit; & solutiones ad instantias ibi factas adhibitæ, sunt optimæ.

Ad aliam Confirmationem gratis concedimus, omnem eàm productionem, in qua ista tria principia interueniunt, esse veram generationem, & talem esse productionem Adami, si ista hæc ibi interuenere, & solummodò fuisse supernaturalem in ordine ad agens. Concedimus item, ista principia esse tria secundùm genus, sed negatur, res naturales, & composita tot esse futura, quia ista non sunt principia compositorum sed generationis eorum; & ista tria non sunt principia diuersarum rerum, sed vnius rei, scilicet generationis physicæ in communi. Denique quando etiam diuersæ forent contrarietates in vnoquoque genere, non proindè multiplicanda sunt principia contraria vltra binarium numerum, quia omnia in communi haberent eundem concurendi modum, scilicet per modum termini à quo, & ad quem, ratio enim principiandi, vt sæpè dictum est, principia diuersificat.

22 Secundò ex alio capite arguitur, quod sint pauciora tribus. Tum quia tria principia assignata vniuocè analogicè conueniunt in genere principij, ergo sunt vnum genere, non tria genere distincta, & prima cum his tribus adhuc detur vnum prius commune omnibus. Tum quia Aristoteles 1. Phys. tex. 66. ait, materiam, & priuationem esse vnum numero, & 68. quod alterum contrariorum cum subiecto sufficit ad mutationem, & tex. 75. & 77. priuatio dicitur principium per accidens, ergo duo sufficiunt. Tum quia generatio in ratione mutationis dicit respectum quendam subiecti informati ad non informationem immediatè præcedentem, vt sæpè Scot. docet; præsertim 2. dist. 1. q. 5. T. & in 4. d. 11. quæst. 1. E. at principia relationis cuiuscunque sunt tantum duo, scilicet eius extrema, fundamentum, & terminus, ergo duo tantum erunt generationis principia. Tum deniq; quia non in omni mutatione hæc tria interueniunt, in speciebus enim consecratis fiunt mutationes naturales, & physicæ rarefactionis, calefactionis, & similes, cum tamen ibi materia non adsit, & cum homo nutritur ex illis, dicunt Theologi, in eodem instanti creari materiam à Deo, & simul formam substantialem introduci, & consequenter mutationem substantialem fieri nulla interueniente priuatione, quia non datur in eo instanti, in quo est forma, nec antea, cum materia non extaret; vt autem materia dicatur priuata, debet in aliquo saltim instanti temporis formam præcedere, & non sufficit solum instans naturæ, & generatio substantialis fieri potest absque eo, quòd forma sit terminus ad quem illius, & ita fit cum forma præexistens inducitur de nouo in materiam, vt patet in nutritione hominis.

22 Respondetur, nihil horum vrgere, sicut enim bene assignantur quatuor causarum genera ob diuersas rationes specificas causandi, licèt omnes in communi ratione causæ conueniant; ita in proposito omnia principia conueniunt in ratione communi principij, rectè tamen adhuc distinguuntur in tria genera iuxta triplicem principiandi rationem, & quamuis ratio principij communis illis tribus sit prior eis logicè, & prioritate communitatis, seu prædicationis, illa tamen tria principia sunt priora physicè, & prioritate causalitatis, in quo sensu Philosophus hæc principia præsertim appellauit prima. Ad secundùm cum Philosophus tex. 66. materiam cum priuatione vocat vnum numero, intelligi debet negatiuè, quatenus scilicet priuatio non est entitas positiua realiter distincta à materia, aut vocat vnum numero, idest subiecto, & in tex. 68. noluit excludere priuationem, sed tantum insinuare, quòd non omnia principia concurrunt ad generationem per influxum positiuum, sic enim concurrunt solum materia, & forma, cuius absentia, & præsentia in materia facit mutationem, immò implicitè enumerauit priuationem, dum formæ absentiam dixit; priuatio enim, vt ait Vicomercat. ibi, nil aliud est, quàm formæ absentia, & tex. 75. appellauit eam principium per accidens respectu rei genitæ, non generationis, vt notat Scot. 2. dist. 12. qu. 1. sub I. Ad tertium quod generatio in ratione mutationis sic respectus, vel materiæ ad formam, vt nouus, sicut loquitur Doctor in 2. dist. 2. q. 5. S. & T. vel informationis seu subiecti informati ad non informationem immediatè præcedentem, vt loquitur in 4. d. 11. qu. 1. E non tollit trinitatem principiorum, quia respectus iste non fundatur in materia quomodocumque, sed in ea, vt de nouo informata, seu vt aliter se habente secundùm formam, quam immediatè antea non habebat, in quo tria constat interuenire, materiam veluti, subiectum, & fundamentum respectus, formam in materia, quasi rationem fundandi, priuationem immediatè præcedentem, veluti terminum, quare, siue explicetur per respectum ipsa mutatio, siue per transitum, semper tria insinuantur in ea. Ad quartum hæc tria semper inueniuntur in quacumque mutatione physica; vnde in mutationibus accidentalibus in Eucharistia contingentibus reperitur quantitas, gerens vicem materiæ, & si aliqua contingit sine subiecto, non erit physica, & naturalis, sed miraculosa; & quando ex speciebus consecratis nutritur homo, & vniuersaliter, quando subiectum in eodem instanti cum forma creatur, negandum est, interuenire generationem in ratione veræ mutationis physicæ, quia subiectum in his casibus non verè mutatur, cum enim nunquam præfuerit sub opposito; in rigore dicit nequit, quod nunc se habeat aliter, quàm prius vt docet Scot. 2. dist. 5. qu. 2. I. & 3. d. 2. q. 3. E. & d. 7. q. 2. E. & clarissimè in 4. d. 43. q. 5. Non est denique semper necessarium, quòd dum forma est principium in fieri, seu generationis compositi, sit etiam terminus ad quem suæ productionis; idest quod tunc producatur, quando fit compositum, sed sufficit, quod sit semper terminus ad quem mutationis, idest terminus, ad quem materia transit, terminus, qui licèt de nouo non producatur, de nouo tamen in materia acquiritur, semper enim materia dicitur transire de priuatione ad formam, siue forma præexistat, siue non.

Demum specialiter objici solet contra priuationem, quod nunquam in mutatione interueniat, quia nunquam in aliquo instanti reperitur sine forma antecedenti, vel subsequenti, & dum materia est cum forma antecedenti, non habet priuationem subsequentis, quia non potest eam habere simul cum præcedenti, ergo nunquam materia reperitur cum priuatione subsequentis formæ. Resp. materiam dici priuatam forma subsequenti, cum est sub antecedenti, nec enim opus est, vt dicatur priuata forma subsequenti, quod possit eam simul obtinere cum præcedenti, sed sufficit quod de se sit capax eius præscindendo à præcedenti, & quod posset illam acquirere istam dimittendo; sic oculus cæcus dicitur visu priuatus, non quia possit simul visum habere cum humore noxio, sed quia potest illum absolutè recipere præscindendo ab humore noxio, & sic etiam in moralibus peccator dicitur gratia priuatus, non quia possit gratiam simul habere cum peccato, sed quia absolute potest gratiam acquirere, si peccati pœniteat; ratio à priori est, quia materia secundùm suam potentialitatem est subiectum capax omnium formarum præscindendo ab illa, quam actu habet, neque ista reddit eam intrinsecè inaptam ad alias,

alias, sed extrinsecè tantùm, quod impedimentum tollitur per dispositiones.

QVÆSTIO IV.

Quænam sit ratio principiandi singulorum.

23 QVamuis omnes in eo conuenire videantur, quòd priuatio est principium fieri per modum termini à quo, & abiectionis in mutatione acquisitiua; de forma tamen sentiunt nonnulli, nequaquam constitui posse principium generationis, tanquam terminum ad quem mutationis, sed potius constitui debere, quatenus pars constitutiua totius, ita Auersa qu. 10. sect. 2. & 3. & 5. vbi pari ratione speculatur de materia, esse nimirum principium generationis compositi per modum partis potentialis constitutiuæ, per modum verò subiecti recipientis concurrere ad generationem formæ, non compositi. Et adhuc inter eos, qui materiam statuunt principium in fieri per modum subiecti, est altercatio, an concurrat per modum subiecti simpliciter recipientis formam, an etiam sustentantis; itaut ad generationem concurrat duplici concursu, receptiuo scilicet, & sustentatiuo.

Dicendum est, materiam concurrere ad mutationem per modum subiecti aliter se habentis nunc, quàm prius, formam per modum termini ad quem transit, & quem acquirit, priuationem per modum termini à quo transit, & quem abijcit. Conclusio sequitur ex dictis in superioribus; cum enim conclusum sit, in hoc 1. Phys. sermonem esse de principijs generationis, & non rei genitæ, de principijs in fieri, & non in facto esse, quia postea de his agitur in secundo, non benè asseritur, materiam, & formam esse principia per modum partium intrinsecè totum constituentium; sic enim confunditur ratio principiandi illarum in fieri, & in facto esse; & quidem Arist. 1. Phys. dum à tex. 50. incipit inuestigare tertium principium generationis, non concludit necessitatem materiæ, quia composita indigeant parte potentiali, cum qua forma vnum per se constituat, veluti pars actualis, sed ex eo, quia præter contraria, necessarium est commune subiectum, quod existat sub vtroq; termino mutationis, ergo vt est principium in fieri generationis compositi, concurrit materia per modum subiecti generationis, & formæ, & non per modum partis constituentis compositum. Eodem modo idem de forma probatur; si enim generatio in ratione mutationis aliud non importat, quam transitum materiæ de opposito ad oppositum, idest de priuatione ad formam, non videtur, forma ad generationem concurrere posse, nisi per modum termini, ad quem transit materia priuationem deserens, & si semel concedatur, priuationem concurrere ad generationem per modum à quo termini, vt concedit Auersa, eo ipso concedere debemus formam concurrere per modum termini ad quem. Accedit, quod materia, & forma sunt principia in fieri, non solùm in compositis substantialibus, sed etiam in accidentalibus, dicimus enim & hominem fieri ex non homine, & album ex non albo, at vtique dici nequeunt in generatione compositi accidentalis concurrere per modum partium intrinsecè illud constituentium, quia sicut compositum illud non est verè per se vnum ens, ita non verè fit, & propriè, ergo male explicatur ratio principiandi illarum in fieri per habitudinem partium in ordine ad compositum.

24 Cum autem dicimus, materiam concurrere ad mutationem per modum subiecti ratione potentiæ receptiuæ, non ob id excludere intendimus concursum sustentatiuum in ordine ad formas, quæ tali indigent fulcimento, licèt sine tali concursu adhuc materia sufficeret ad mutationem per solum concursum receptiuum, vt patet in homine nutritione; an verò sint distincti concursus ergo eandem formam, dicetur disp. de principijs in facto esse, & sicut per materiam huc intelligimus subiectum cuiuscumque physicæ mutationis, siue naturalis, siue violentæ, siue neutræ, omnes enim ad Physicum pertinent, & omnia principia inuestigare tenetur, ita per potentiam passiuam intelligimus meram capacitatem cuiuscumque formæ possibilis in ea introduci, seu non repugnantiam Logicam ad eam recipiendam, præscindentem à potentia naturali, quæ illi capacitati addit inclinationem ad formam, à potentia violenta, quæ illi addit repugnantiam physicam ad formam, & à potentia neutra, quæ illi addit negationem inclinationis, & repugnantiæ; & ratio huius est, quia vt fiat in subiecto vera, & physica mutatio, sufficit, vt subiectum forma carens, & eam quomodocumque recipere potens, transeat à priuatione ad ipsam formam, vnde, & per priuationem significabitur negatio formæ in subiecto capaci, qualiscunque sit ista capacitas; benè verum est, quod cum Philosophus directè & per se solam mutationem naturalem consideret, per quam subiectum formam sibi conuenientem acquirit, vel disconuenientem dimittit, violentam verò, & neutram non nisi indirectè, & in ordine ad illam consideret, quatenus opposita iuxta se posita magis elucent, sic & nos insistendo vestigijs eius, de mutatione naturali sermonem instituemus, & de potentia naturali subiecti; de hac enim loquitur est Philosophus, dum 1. Phys. dixit, quòd materia appetit formam, sicut turpe pulchrum, & quòd priuatio generat appetitum in materia ad formam, & alia hujusmodi, quæ, & si pronunciata sint à Philosopho de materia prima præsertim, vtpotè naturaliter propensa in omnes formas substantiales, veluti perfectiones substantiales ipsius, cum tamen per materiam in 1. Phys. vt diximus, non tantùm intelligat materiam primam, sed etiam secundam, idest corpus naturale, & compositum substantiale, intelligi etiam debent de corpore in ordine ad formas accidentales sibi consentaneas.

25 Cum etiam dicimus, formam concurrere ad generationem per modum termini ad quem, non loquimur de generatione in ratione productionis; ita enim non forma, sed compositum est terminus ad quem, sed tantùm in ratione mutationis, vt sæpè dictum est, quatenus est illa, ad quam materia transit, priuationem deserens, quod adhuc dupliciter intelligi potest; potest enim forma considerari, vel vt immediatè succedens ad sui priuationem, vel post illam immediatam successionem eo modo, quo loquitur Doctor de respectu creationis, & conseruationis quodlibet. 12. forma in primo sensu est terminus ad quem mutationis in ratione principij, quia in hoc sensu præcedit mutationem prioritate naturæ; cum enim fundamentum respectus per mutationem importati sit materia, vt primò informata, tunc enim primò aliter se habet, quam prius se haberet, & fundamentum cum ratione fundandi prædicat natura respectum, consequenter forma cum materia mutationem pro formali præcedunt, at in altero sensu considerata forma est terminus ad quem generationis in ratione finis, & non principij, & est posterior ea in executione, licèt prior sit in intentione, quæ prioritas nihil confert ad rationem principiandi, de qua nunc loquimur; itaque solùm in primo sensu per modum termini ad quem constituitur forma principium generationis, vt nimirum immediatè succedens ad sui priuationem.

26 Cum deniq; dicimus, priuationem principiare per modum termini à quo, seu per modum abiectionis, id non ita intelligendum est, quasi priuatio principiet per suum non esse, quia ipsum non esse priuationis formaliter est ipsum esse formæ, vel saltim necessariò concomitatur illud, vnde si ita principiaret, principiaret potius per modum termini ad quem, non à quo, quia ipsum non esse priuationis spectat ad terminum ad quem; permanet enim cum forma, & cum ipsa acquiritur per generationem; sed ea ratione intelligendum est, quod principiet per suum esse, quatenus tollitur, & abijcitur per aduentum formæ; id enim habet rationem termini à quo, quod opponitur termino ad quem, quod excluditur per ipsum, quod est illi incompossibile, & in eius aduentu tollitur, & aboletur; id autem est ipsum esse priuationis, atque ideò dicendum est, ipsam principiare per modum termini à quo per suum esse, non quidem stans, & permanens in materia, quia sic non principiat, sed potius impedit generationem, sed per suum esse, quatenus ergo tollitur, & abijcitur.

27 In oppositum solet obijci primò, quòd materia non concurrat ad generationem per modum subiecti, quia generatio in ratione mutationis formaliter est respectus subiecti informati ad priuationem illius formæ immediatè præcedentem, at relatio non dependet à suis extremis in genere causæ materialis, sed vel efficientis, vel formalis, vt passim omnes affirmant, ergo non potest materia esse principium generationis per modum subiecti, quia concursus hic est in genere causæ materialis. Resp. minorem non esse vniuersaliter veram, quamuis enim relatio vt sic non respiciat fundamentum in ratione subiecti, in quo recipiatur, & cui inhæreat, sed tantùm in ratione fundamenti, in quo radicatur, & fundatur præscindendo à quacumque potentialitate, vt patet de relationibus diuinis; relationes tamen creatæ, quia accidentia sunt, respiciunt suum fundamentum, non tantùm in ratione fundamenti, sed etiam subiecti, vt fusè declaratum est in disputatione de Relatione; atque ita pendent à fundamento suo etiam in genere causæ materialis; & nos quando dicimus, materiam esse principium mutationis per modum subiecti, non tantùm in hoc sensu intelligimus, quia sic vniuersaliter quodcumque fundamentum relationis creatæ dici potest principium relationis, quam fundat per modum subiecti; sed amplius volumus, concurrere per modum subiecti aliter se habentis secundùm formam, ita quod referatur, vt subiectum, non solùm ad mutationem, sed etiam ad formam, quam de nouo recipit, & per quam dicitur aliter se habere nunc, quàm prius, quòd inter omnes relationes peculiare est respectus per mutationem importati.

28 Secundò obijcitur, quod forma constitui nequeat principium generationis per modum termini ad quem; Tum quia sic est posterior ipsa generatione, & mutatione, cum per eam acquiratur, principium autem debet esse prius principiato; Tum quia, sic est terminus, & finis generationis; Tum quia, præsente forma per modum termini ad quem, cessat motus, & mutatio, secundo de Gen. tex. 55. Tum tandem quia compositum est terminus ad quem, & potiori ratione quàm forma 1. Phys. 64. quare etiam ipsum deberet constitui principium generationis. Respondent communiter, formam esse terminum partialem generationis, & quo res fit, non verò totalem, & quod; & ideò non est ita terminus, & finis generationis, quin etiam possit esse principium. Quæ responsio non est ad propositum; saluat enim vtique quòd sit principium rei genitæ, & etiam generationis compositi in ratione productionis, quatenus est pars constitutiua illius; at difficultas vrget, quòd non sit principium generationis in ratione mutationis; & quando est principium rei genitæ, aut generationis compositi in ratione productionis, non vtique est principium per modum termini ad quem, sed per modum partis formalis, & hic quæritur de ratione principiandi eius per modum termini ad quem. Resp. Suarez in Met. disp. 12. sect. 1. nu. 9. formam esse priorem generatione in intentione, quatenus generatio essentialiter ordinatur ad formam, quæ est prioritas causæ finalis, & sequitur Amicus tract. 4. qu. 5. art. 4. & Complut. d. 2. n. 2. quæ tamen responsio admittenda non est, quia vt benè notat Auersa, sic causa finalis poneretur inter principia, & causa formalis excluderetur, cum tamen omnes à numero principiorum excludant efficientem, & finalem, & solùm materialem, & formalem includant; deinde in hoc genere prioritatis per modum finis, & intentionis, compositum est prius forma, quia etiam ipsa forma in hoc genere est propter compositum. Itaque dicendum vt suprà, quod generatio potest considerari vel in ratione mutationis, vel productionis, si in secundo sensu consideretur, forma nullo modo est principium eius per modum termini ad quem, non est hoc modo principium generationis sui, seu suæ productionis, quia potius è contra res se habet, quòd generatio est principium, vel inchoatio formæ, neque principium generationis compositi, quia terminus ad quem istius generationis est compositum ipsum, primo Phys. 64. si verò consideretur generatio in ratione mutationis, potest adhuc forma in ordine ad illam dupliciter spectari, vel vt immediatè succedens in materia ad sui priuationem, vel post illam immediatam successionem; primo modo spectata est principium illius, quia tunc fit mutatio in materia, cum primò intelligitur informata forma, qua prius immediatè carebat, vnde forma in materia saltem prioritate naturæ mutationem præcedit, sed in secundo sensu non est principium illius, sed potius principiata per ipsam; tunc enim quasi intelligitur in esse quieto, & in hoc sensu forma dici solet per generationem acquiri, veluti per viam, in hoc sensu dicitur terminus, & finis generationis, in hoc sesu dixit Philosophus 2. de Gener. 55. ad formæ præsentiam cessare motum, cum in alio sensu dixisset 1. Phys. 68. præsentiam formæ facere mutationem, licèt etiam hæc omnia possent intelligi, & explicari de generatione in ratione productionis, non mutationis, & quidem in hoc sensu dixit Philosophus primo Phys. 64. compositum esse terminum ad quem generationis, in ratione scilicet productionis, cum aliqui forma dicatur terminus eius in ratione mutationis.

Sed vrgebis, Ergo non potest forma constitui principium generationis, per modum termini ad quem, ratio est, quia non dicitur forma terminus ad quem generationis, nisi quatenus generatio est via in ipsam, per quam acquiritur, at non acquiritur per mutationem forma, vt ad sui priuationem immediatè succedens, nec generatio est in formam, vt sic; ergo, vt immediatè succedens ad sui priuationem nequit dici terminus ad quem generationis, at non habet rationem principij, nisi vt sic ergo cum vt sic non sit terminus ad quem generationis, non habebit rationem principij per modum termini ad quem.

Respondetur cum Scoto 4. dist. 13. qu. 1. I. distinguendo de duplici via, nam alia dicitur via, seu medium quo, & est acquisitio ipsa, qua formaliter mobile dicitur acquirere formam, & hæc via est motus; alia est via, seu medium per quod, siue in quod, & est illud, in quod mobile primò peruenit, & per quod primò pertransit, quam ad extrema peruenias, & talis via est spatium illud interiacens inter mobile, & terminum, hæc via prior est termino ad quem, illa via semper subsequitur terminum, quia formaliter dicit relationem iam explicatam, & tamen per vtramque viam terminus acquiri dicitur, quare cum mutatio sit medium, quo acquiritur forma, etiam vt immediatè succedens ad sui priuationem, cohærent simul hæc duo, & quòd forma sit principium illius, & quòd illa dicatur via in formam, vt in terminum ad quem, ac proinde forma sit principium mutationis per modum termini ad quem.

29 Tertiò arguitur, quod non sit vniuersaliter verum, quod priuatio sit principium mutationis per modum termini à quo, quia in corruptione rei naturalis priuatio est terminus ad quem, quia transit de esse ad non esse materia, hoc est à forma ad priuationem. Respondemus, neque nos asserere, priuationem esse principium mutationis vniuersaliter, & absolutè per modum termini à quo, sed hoc tantùm asserimus in mutatione acquisitiua, & fieri rerum naturalium, de qua quidem mutatione, tanquam de magis per se intenta à natura, & principaliori analogato locutus est Arist. 1. Phys. dum mutationis principia inuestigauit; in mutatione autem deperditiua, qualis est corruptio, gratis concedimus, priuationem principiare per modum termini ad quem sicut principiat forma in mutatione acquisitiua, vndè si tria principia assignare velimus mutationis in communi vt præscindit ab acquisitiua; & deperditiua, cum suis rationibus principiandi, assignare debemus subiectum terminum à quo, & terminum ad quem.

Sed vrges, si ita est, ergo ista duo principia forma, & priuatio fient ex alterutris, etiam in eodem genere principiandi, quia in mutatione acquisitiua fit forma ex priuatione, tanquam ex termino à quo, vt ex non videntè videns, & postea in deperditiua ipsamet priuatio fit ex forma in eodem genere principiandi, quo ipsa fuit principium eiusdem formæ, nam ex videntè fit cæcus, vel non videns. Respondet Hurtad. disp. 1. Phys. sect. 2. negando sequelam, quia priuatio habet terminum à quo in diuerso, non modò genere, sed etiam ordine; quia forma habet terminum à quo priuatiuum, priuatio verò positiuum, qui constituunt diuersos ordines terminorum. Sed hæc responsio non soluit, quia quod terminus à quo, & vnde incipit motus, vel mutatio, sit positiuus, vel priuatiuus, non variat rationem principiandi per modum termini à quo, & hoc omninò materialiter se habet ad illud, & merè per accidens, vterque enim modus principiandi est per abiectionem: dicendum igitur est vel nullum esse inconueniens, contraria hæc ex alterutris fieri in diuerso genere mutationis, qualis est acquisitiua, & deperditiua, & cum Philosophus oppositum docet, loqui in eodem genere mutationis; vel dicendum principia in communi ad mutationem acquisitiuam, & deperditiuam, quæ non fiunt ex alterutris, esse subiectum, terminum à quo, & terminum ad quem, quæ duo contraria principia variantur iuxta diuersitatem mutationum; nam in acquisitiua forma est terminus ad quem, priuatio terminus à quo; in deperditiua res è contra se habet.

QVÆSTIO V.

An principia rerum naturalium sint contraria, & quomodo.

30 APud Veteres Scholasticos ferè nulla fuit altercatio circa principiorum contrarietatem, fatebantur siquidem omnes cum Philosopho, primo Phys. à tex. 41. aliqua principia debere esse contraria scilicet formam, & priuationem contrarietate latè sumpta, quatenus coincidit cum oppositione priuatiua, non tamen omnia, quia præter ista debet dari tertium principium, quod sit successiuè commune subiectum vtriusque contrarij, de vno in aliud progrediens; quam veritatem, & si luce clariorem Recentiores speculationibus minimè necessarijs obnubilant. Aquarius enim ad quest. 8. Ferrariensis omnia principia facit contraria, etiam materiam formæ, Auersa quæst. 10. sect. 4. & si materiam non faciat formæ contrarium; adhuc tamen constituit ipsam contrariam cuidam priuationi, quam ipse fingit ex parte formæ; vbi etiam negat, contrarietatem per se primò, & directè inter formam, & priuationem inueniri, quandoquidem talem per se primò tantum modo ponit inter principium, quod est terminus à quo, & principiatum quod fit ex ipso, & ideò solum concomitanter, idest ratione contrarietatis termini à quo totalis, & ad quem, ait opponi adinuicem quoque formam, & priuationem, Zab. lib. 1. de materia cap. 7. inter formam, & priuationem, non solùm priuatiuam, sed etiam positiuam contrarietatem videtur exigere, per priuationem intelligens non puram carentiam formæ in subiecto sed formam oppositam formæ generandæ. Alij tandem contrarietatem hanc assignant solum priuationi, & formæ substantiali, ea ratione innixi, quod cum Philosophus hæc principia vocet prima contraria, talis primitas solum in genere substantiæ reperitur, à quo dimanant cætera prædicamenta.

31 Dicimus Primò, non omnia principia physicæ mutationis esse contraria positiuè, vel priuatiuè. Est communis apud omnes; colligitur ex Philosopho primo Phys. præsertim text. 67. vbi ait, principia esse contraria, & non esse contraria, idest vt exponunt Interpretes, aliqua esse contraria, vt formam, & priuationem, quædam non, vt materiam, & formam, & probatur quia materia secundùm se manet cum forma, absente priuatione; manet cum priuatione, absente forma, ergo cum illis nullam habet contrarietatem; Deindè contraria habent fieri circa idem, quod recipit vtrumque, ergo aliquod principium non est contrarium, sed contraria sustentat. Denique inter materiam, & formam præter oppositionem relatiuam, nulla alia oppositio reperitur.

Sed obijcies Primò cum Aquario, materiam habere contrariam formam; Tum quia contrariorum effectum sunt causæ contrariæ 2. de Gen. 56. sed effectus materiæ, & formæ sunt contrarij; Tum quia materiæ, & formæ competunt conditiones primorum contrariorum assignatæ 1. Phys. 42. quòd non fiant ex alijs, nec ex alterutris, sed omnia ex his; Tum tandem, quia contraria ita se habent, vt vno contrariorum existente in rerum natura, ponatur, & reliquum 2. Cæli text. 18. at ita se habent materia, & forma, quod naturaliter vnum existere nequit sine alio.

Respondetur, effectus materiæ, & formæ esse vtique diuersos, imò, & primò diuersos, non tamen sunt contrarij, cum sint simul possibiles, & coeant ad constitutionem totius, vndè, vt dicebamus, præter oppositionem relatiuam nulla contraria oppositio reperitur inter materiam, & formam. Conditiones enumeratæ ab Arist. primò Phys. 42. non conueniunt adæquatè primis contrarijs, itaut quæcunque habent eas, sint prima contraria, sed adæquatè conueniunt primis principijs, itaut quæcunque illas habent, sint prima principia. Sic etiam, & ad aliud dicendum, quòd licèt contraria ita se habeant, vt ex positione vnius inferatur positio alterius, non tamen ex tali mutua illatione duorum valet inter ea inferre contrarietatem, quia talis mutua illatio non adæquatè conuenit contrarijs, vndè in tali modo arguendi committitur fallacia consequentis, est animal; ergo homo, &c.

Secundò, obijcies cum Auersa posse etiam considerari priuationem materiæ ex parte formæ, hoc est, quatenus dum forma non est in materia, & habet priuationem essendi in materia, priuatio hoc modo sumpta dicitur principiũ quodãmodò contrariũ ipsi materiæ, sicut priua-

priuatio formæ ex parte materiæ dicitur contraria formæ. Respondetur ex dictis n. 20. formam nunquam dici posse priuatam materia; Tum quia formæ materiales nunquam existunt, nisi cum materia, & anima rationalis ipsa non præcedit corpus nisi prioritate naturæ. Tum quia quando etiam forma præexisteret, non tamen diceretur priuari materia, quia priuatio est rei, quæ in subiecto priuato recipi potest, & ei perfectionem afferre; materia verò nec in forma recipitur, nec ei perfectionem affert, sed res è contra se habet, quod etiam ipsemet Auersa loc.cit. fatetur.

32 Dicimus Secundò, formam, & priuationem, seu terminum à quo, & ad quem partiales, esse adinuicem contraria per se primò, & directè. Est contra Auersam loc. cit. & probatur Primò, auctoritate Philosophi, qui 1.Phys.text.41. & sequentibus contrarietatem posuit inter principia per modum termini à quo, & ad quem inchoantia mutationem nunquam autem inter principium per modum termini à quo, & suum principiatum. Probatur etiam ratione, quia ideò Auersa principium per modum termini à quo dixit esse per se primò contrarium principiato, & toti composito, & ratione huius contrarietatis etiam formam, & priuationem ad inuicem opponi concomitanter, quia putauit terminum à quo, vnde directè, & adæquatè fit compositum, esse, non præcisè priuationem formæ, sed priuationem totius compositi; quando enim fit compositum directè, & adæquatè fit ex non composito, vt indicauit Philosophus primò Phys.58. atque ideò cum priuatio, seu non esse compositi directè opponatur composito, & non formæ, sequitur contrarietatem per se, & directè inueniri inter hanc priuationem, seu terminum à quo totalem, & principiatum; & quia hæc priuatio totalis includit priuationem partialem, & terminus ad quem totalis includit terminum ad quem partialem, scilicet formam, hac ratione concomitanter (inquit Auersa) contrarietatem reperiri etiam inter principia compositi, hæc est ratio fundamentalis Auersæ; At omnino falsum est, in generatione compositi interuenire, veluti terminum à quo, priuationem totius esse compositi, vt supra diximus num. 20. quia hæc est negatio extra genus concurrens per modum termini à quo ad creationem, quæ fit ex nullo præiacente subiecto, non verò ad generationem, quæ fit ex præsupposito subiecto, & ideò petit pro termino à quo negationem in genere, & hoc tantùm insinuare voluit Philosophus loc. cit. dum inquit, hominem fieri ex non homine album ex non albo; idest album fieri ex negatione albedinis in subiecto, quod amplius declarauit, cum tex. 43. & 44. inquit album, & musicum non fieri ex quocunque non albo, & non musico, sed nigro, aut medijs, & immusico, per quod insinuare voluit, vt omnes Interpretes docent, & ipsemet Auersa loc. cit. in fine sectionis, album non fieri ex pura negatione albedinis, sed tantum ex priuatione dicente aptitudinem in subiecto, ergo terminus, à quo fit compositum in generatione, non est pura negatio totius esse compositi, quia hæc negat materiam, & formam, at in generatione, licèt forma non præexistat, præexistit tamen materia, quare præcedere nequit esse compositi, velut terminus à quo, nisi priuatio formæ in materia.

Denique communis est, & apud omnes recepta distinctio illa contrariorum, quòd alia sunt se totis adæquatè, & primò contraria, alia non se totis sed inadæquatè tantum, & ratione alterius partis, & in eo sensu ab omnibus intelligitur, vt contraria se totis sint forma, & priuatio in abstracto, vt albedo, & non albedo, contraria inadæquatè, & ratione alterius partis sint eadem in concreto; scilicet album, & non album, album enim quod est compositum accidentale, opponitur non albo; idest subiecto tali forma priuato, non se toto, sed inadæquatè, ratione scilicet albedinis, ergo tantùm abest, quòd forma opponatur priuationi concomitanter, & ratione contrarietatis per se primò repertæ inter album, & non album vt potius res è contra se habeat, quod compositum, scilicet album concomitanter solum opponitur non albo, & ratione contrarietatis per se primò repertæ inter albedinem, & priuationem albedinis.

33 Sed contra obijcies primò cum Auersa loc. cit. Contrarietatem termini à quo cum termino ad quem ex eo probat Arist. quia omne quod fit, ex suo contrario fit, & ita concludit text. 47. sed id, quod fit ex alio, est principiatum, non principium, ergo per se, & directè hoc principium est contrarium suo principiato, quod ex ipso fit, atque adeò per se, & primariò hæc contrarietas non exercetur inter plura principia. Respondetur Philosophum velle contrarium fieri ex contrario vt album ex non albo, ratione alterius partis, scilicet albedinis, quæ fit ex non albedine in subiecto repertæ, vndè sequitur, oppositionem per se primò esse inter illa duo principia, scilicet albedinem, & priuationem albedinis, ac ratione alterius partis scilicet albedinis concomitanter album contrariari non albo.

Secundò; terminus à quo per se; & directè opponitur cum termino ad quem, sed terminus ad quem, quatenus talis terminus est, non est principium, sed principiatum, ergo principium, quod est terminus à quo, per se, & directè non dicit oppositionem cum alio principio, sed cum suo principiato. Respondetur concedendo, terminum ad quem generationis in ratione productionis esse principiatum, non principium, at terminus ad quem generationis in ratione mutationis est principium & ipsius mutationis, & rei genitæ per mutationem, vt quæstione præcedenti ostensum est, & in hoc sensu loquimur de termino ad quem, cum opponimus ipsum termino à quo.

Tertiò, Hoc genus principij per modum termini à quo inuenitur in omnibus rebus creatis, etiam si non constet ex materia, & forma, nam etiam Angelus factus est ex suo non esse ergo per se, & directè hoc genus principij non dicit oppositionem cum alio principio sed cum suo principiato. Immò etiam dum fit forma ex sua priuatione, forma, vt sic, habet rationem principiati, & priuatio oppositionem habet cum ipsa forma, non cum alio quopiam principio formæ. Et quando etiam fit compositum, directè, & adæquatè fit ex non esse sui ipsius, & non præcisè ex priuatione formæ, ergo priuatio ipsius compositi est proprius terminus à quo factionis eius; at hæc priuatio directè opponitur tantum composito, quod est principiatum. Respondetur, Auctorem hunc confundere terminum à quo creationis, & generationis, & terminum ad quem generationis in ratione mutationis, & productionis, Angelus fit ex non esse sui, sed talis est negatio extra genus, quæ solùm in creatione est terminus à quo, & talem terminum à quo concedimus, directè opponi termino ad quem, vt principium principiato, quia creatio rationem habet productionis, non mutationis, & terminus ad quem in productione semper habet rationem principiati, non principij. Eadem ratione quoque concedimus, formam opponi cum sua priuatione, ex qua fit, sicut principiatum principio, si talis factio sumatur in ratione productionis, non autem si sumatur in ratione mutationis, quia sic priuatio, & forma non comparantur ad inuicem, vt principium, & principiatum, sed ambo comparantur ad tertium, scilicet ad mutationem, veluti principia per modum termini à quo, & ad quem. Et denique negatur, dum fit compositum, proprium terminum à quo generationis eius esse priuationem ipsius compositi, quia priuatio illius adæquatè sumpti dicit negationem, tam formæ, quam materiæ, at in generatione compositi, etsi forma non præexistat, præexistit tamen materia, & ideò nunquam dicitur fieri ex totali suo non esse, sed tantùm ex priuatione formæ in præiacente materia.

Sed instabis pro Auersa. In generatione non tantùm datur terminus ad quem partialis, qui est forma, sed etiam totalis, qui est compositum, ergo cum cuilibet termino ad quem correspondeat terminus à quo, admitti debebit etiam in generatione physica, nedum terminus à quo partialis, scilicet priuatio formæ, sed etiam totalis, scilicet priuatio ipsius compositi. Respondetur, etiam admitti terminum totalem à quo in generatione, non tamen in eo sensu, quo admittit Auersa, vt adæquatè neget totum esse compositi, etiam syncathegorematicè sumpti, sed sicut terminum ad quem partialem assignamus formam, & totalem formam in materia, seu formam vnitam materiæ, ita pro termino à quo partiali assignare debemus ipsammet priuationem præcisè sumptam, & pro termino totali subiectum ipsum, forma priuatum; sic enim dicimus, album fit ex non albo, idest ex subiecto priuato forma albedinis, ex quo colligitur, terminos totales non contrariari, nisi ratione terminorum partialium, hos verò adinuicem per se primò, & se totis opponi.

34 Dicimus Tertiò, Contrarietatem hanc per se primò repertam inter terminum à quo, & ad quem, esse per oppositionem priuatiuam, per accidens tamen, & concomitanter esse quoque positiuam. Est communis contra Zab. & colligitur ex Scoto quoad vtramque partem in 2. d. 1. qu. 5. in fine, vbi docet ex Philosopho 5. Phys. terminum à quo mutationis per se esse priuationem, non autem quid positiuum, nisi per accidens; idem habet 2. d. 1. q. 3. L. vbi ait, generationem vnius esse corruptionem alterius, non quod ita per se exigat generatio, sed ob formarum incompossibilitatem, & ita quasi ex accidenti, non per se. Probatur itaque conclusio quoad primam partem; Illa sunt contraria priuatiuè, quæ se inuicem expelluntab eodem subiecto, quorum vnum est positiuum, alterum priuatiuum, sed terminus à quo, & ad quem generationis in ratione mutationis sunt huiusmodi, ergo &c. maior patet ex Logica cap. de oppositis, minor patet ex dictis, nam terminus ad quem est forma, terminus à quo est priuatio, & hæc se inuicem excludunt ab eodem subiecto; Probatur etiam quoad alteram partem; nam modò quando fit generatio, reperitur in materia, non solùm priuatio formæ generandæ, sed alia forma ei positiuè repugnans eo genere repugnantiæ, quæ versatur inter formas positiuas disparatas, & hæc etiam componatur pro termino à quo, quia cum ipsa priuatione recedit, at quia hoc non est per se, sed aut ex incompossibilitate formarum, aut quia naturaliter materia non potest nuda reperiri, & in mutationibus accidentalibus quandoque non interuenit terminus huiusmodi positiuus vt cum aer fit lucidus, hinc est, quod per accidens tantum, & concomitanter inter terminum à quo, & ad quem contrarietas positiua reperitur.

Sed contra hanc conclusionem obijcies primò, quod Philosophus 1.Phys. per totum, hanc principiorum oppositionem semper exprimit nomine contrarietatis, nunquam priuatiuæ oppositionis, & præsertim tex. 43. inquit, album fieri quidem ex non albo, non tamen ex omni non albo, sed ex nigro, aut medijs, quo insinuare voluit, inter terminum à quo, & ad quem non sufficere qualemcumque oppositionem, sed contrariam requiri; & 5. Phys. ait, motum esse à subiecto in subiectum, idest à positiuo in positiuum; & 1. Cæli text. 140. ait, quidquid corrumpitur, à contrario corrumpitur, ergo cum generatio vnius fiat cum alterius corruptione; requiritur contrarietas positiua.

35 Re-

35 Respondetur, Philosophum vsum esse nomine contrarietatis amplè pro oppositione, quam esse priuatiuam, clarè insinuauit text. 50. vsus autem est tali nomine semper, vt communem modum loquendi Veterum retineret, qui principia appellabant contraria, & sæpius vsus est exemplis contrariorum positiuè, tum quia hæc contrarietas est notior, vt notauit Auerr. tex. 42. tum quia cum vno contrario adiuncta est priuatio alterius. Dum autem dixit text. 43. album fieri, non ex omni non albo, sed ex nigro, planè per se non requirebat contrarium positiuum in subiecto, quia sine illo fit generatio, vt patet in illuminatione, sed requirebat subiectum capax formæ generandæ; inquit enim album non fieri ex quocunque non albo, idest non ex quocumque habente negationem albedinis, cuiusmodi sunt etiam ea, quæ non possunt esse alba, sed fieri ex nigro, idest non albo priuatiuè sumpto, hoc est habente priuationem albedinis, cuiusmodi sunt tantum ea, quæ licèt non sint alba, talia tamen esse possunt; hanc autem albedinis priuationem indicauit Arist. nomini nigri, aut medij coloris, quia cum idem sit subiectum contrariorum, hoc ipso, quod aliquid est nigrum, vel viride, est etiam capax albedinis, quare Arist. non sumit ibi nigrum, aut medium colorem positiuè idest pro habente formam nigredinis, vel medij coloris; sed priuatiuè, idest pro habente priuationem albedinis, sic etiam capit immusicum, ex quo ait fieri musicum, pro subiecto scilicet capaci musicæ, & ea carente, non autem pro forma contraria musicæ in illo subiecto existente; quinto autem Phys. ideò ait, motum fieri ex subiecto in subiectum, quia cum præter rationem communem mutationis, etiam successionem includat, licèt ratione mutationis sufficeret inter terminos priuatiua oppositio, vt ipse docet eodem 5. tex. 59. tamen ratione successionis requiritur contrarietas aliqua positiua, ex qua oriatur successiua acquisitio formæ, denique quòd in generatione vnius, alterius corruptio interueniat, est merè per accidens ob formarum incompossibilitatem, vt docet Scotus loco cit. & oppositum euenit in productione formarum accidentalium, quæ non habent contrarium.

Secundò, Si sufficeret contrarietas priuatiua principiorum, sequeretur, ex quolibet fieri quodlibet v.g. ex ligno fieri aquam, ex lapide panem, sed hoc est contra Arist. 1. Phys. 43. & contra experientiam; acetum enim non fit ex materia ferri, sed ex vino, sequela maioris probatur, quia materia ligni, vel lapidis habet priuationem formæ panis &c. Respondetur, quòd sicut duplex assignari solet potentia in materia altera remota, & indeterminata ad omnes formas indifferenter, altera proxima & determinata ad hanc, vel illam formam, ad quam est peculiariter disposita per agens naturale, ita duplex assignari solet priuatio, proxima, quæ connotat aptitudinem proximam per dispositiones factam, & remota, quæ connotat nudam capacitatem materiæ, & consequenter duplex contrarietas priuatiua, altera proxima, & determinata, altera remota, & indeterminata; concedimus igitur, posse ex quacumque parte materiæ fieri quodeunque remotè, & mediatè, mediantibus enim multis transmutationibus fieri potest, vt materia, quæ est sub forma lapidis, fit tandem sub forma panis, at negamus, proximè, & immediatè ex quolibet fieri quodlibet, sic enim determinata materia iuxta dispositiones præuias, & ad probationem sequelæ maioris dicimus materiam ligni, vel lapidis habere priuationem panis, & carnis remotam, non proximam, & ideò remotè solùm ex ea fieri posse, non proximè.

36 Tertiò arguitur ex Zab. loc.cit. c.7. & 8. Si daretur materia nuda, nil generari posset ab agente naturali; Tum quia non esset apta ad sustinendam actionem naturalis agentis, quod non attingit essentiam nudam materiæ, sed eam præexigit quantam, & debitis dispositionibus instructam; Tum quia ad generationem non sufficit, quòd præcedat in materia quæcunque forma, sed debet supponi forma, ex qua proxime possit alia gigni, vndè in materia lapidis non est priuatio formæ animalis, quia non potest proximè ex lapide gigni animal; Tum tandem quia, vt ait Fonseca 5. Met. c. 2. quæst. 4. sect. 2. si Deus materiam nudam propriè ignem apponeret, ignis nihil in eam ageret, quia agens naturale non inducit formam, nisi in materiam dispositam, nec disponit materiam, nisi quæ habeat aliquam formam substantialem. Respondetur negando assumptum, ad primam probationem negatur, materiam nudam non fore aptam ad sustinendum actionem agentis, sicut enim immediatè sustinet formam substantialem, ita posset quoque nuda sustinere actionem agentis naturalis, formam substantialem in ea producentis, & falsum est, dispositiones præcedere in materia in genere causæ materialis, vniuersaliter loquendo, vt suo loco dicemus, quia forma substantialis immediatè materiam informat, nullo mediante accidente. Ad alteram probationem concedimus, ad generationem naturalem certæ formæ certas prærequiri dispositiones, quandoque etiam in genere causæ materialis, quæ non consistunt cum quacumque forma substantiali, vt patet in exemplo à Zab. adducto, vt enim generetur anima sensitiua, prærequiritur forma mixti in materia: at vt benè notat Auersa loc. cit. id oritur ex necessitate talium dispositionum, non autem ex necessitate contrarietatis positiuæ inter formas, imò quando in materia prærequiritur hoc modo aliqua forma v. g. mixti, vt ex ea proximè gigni possit sensitiua, forma præcedens non se habet, vt terminus à quo contrarius, sed permanet cum forma adueniente. Ad vltimam probationem Fonsecæ negatur in eo casu ignem non inducturum in materia formam ignis; immò statim induceret, quia nullam resistentiam in passo reperiret, & materia nuda sic disposita censetur, vt possit hanc, vel illam recipere formam præter animam, & licitè modò non disponatur, nisi dum est sub alia forma, est, quia naturaliter non potest esse sine omni forma, non verò ex necessitate generationis.

37 Quartò. Contraria priuatiuè non sunt prima contraria sed ex Aristotele prima principia sunt prima contraria, ergo non sunt contraria priuatiuè, probatur maior, quia contraria positiuè, sunt priora illis, vel certè opposita contradictoriè, quia ad hanc omnes contrarietates reducuntur. Respondetur negando maiorem cum sua probatione, si sermo sit de contrarijs per se requisitis ad mutationem, & de prioritate principiationis in ordinè ad illam, sicut Philosophus loquitur de prioritate contrariorum tex. 42. contraria enim positiuè non interueniunt in omni mutatione, vt ostensum est, & ideò ex ipsis non omnia fiunt, benè tamen contraria priuatiuè, quia in mutatione semper subiectum trahit à priuatione ad formam, vel è contra; contradictoria etiam oppositio, licèt in omni mutatione interueniat, nihil tamen confert ad rationem principiandi, quia vnum contradictorium non fit ex suo contradictorio ex tex. 43. album enim non fit ex quocumque non albo, sed ex nigro, priuatiuè sumpto; cùm igitur Philosophus non loquatur de primis contrarijs absolutè, sed solùm de illis, ex quibus omnia fiunt, & in omni mutatione interueniunt, & cum talia non sint, nisi contraria priuatiuè, consequenter prima contraria dici poterunt, & debebunt.

38 Dicimus tandem, hanc primam contrarietatem non solùm reperiri inter formam substantialem, & eius priuationem, sed etiam inter accidentalem; & ita adæquatè conuenire formæ & priuationi in communi. Conclusio est contra Auctores, qui putant Philosophum hic loqui tantùm de principijs contrarijs in genere substantiæ; & ideò hanc primitatem tribuunt illis; & probatur ex opposito fundamento, cùm enim Philosophus hic tractet de principijs cuiuscumque mutationis, tam substantialis, quàm accidentalis, vt supra ostensum est, consequens est, vt cùm quædam horum principiorum vocat principia contraria, de omnibus in vniuersum loquatur, & non de substantialibus tantum. Accedit, quòd de ratione horum principiorum, quæ vocat prima contraria, est, vt semper maneant in omni generatione tex. 50. idest, vt habeant generalem concursum ad omnem mutationem, iuxtà communem expositionem; at forma, & priuatio substantialis non sunt huiusmodi, sed tantùm forma, & priuatio in communi, quarum rationes principiandi inueniuntur in omnibus, & singulis formis, & priuationibus, ergo per prima contraria hæc debent intelligi. Confirmatur; quia per hanc primitatem non intelligitur primitas dignitatis, aut perfectionis, sed primitas principiationis, quatenus scilicet ipsa non fiunt ex alijs, sed alia ex ipsis, sed talis primitas non conuenit formæ, & priuationi substantiali, nam non omnes mutationes fiunt ex ipsis; & in modo principiandi dependent ex alijs, scilicet ex forma, & priuatione in communi, ergo hæc intelliguntur per prima contraria.

Sed obijcies, Philosophum 1.Phys. probare, omnia contraria non esse principia, sed solùm prima, quæ tex. 50. ait, esse in genere substantiæ; sic etiam 10. Met. tex. 15. declarat, primam contrarietatem esse inter habitum, & priuationem substantialem inquit enim *Prima verò contrarietas, habitus, & priuatio est, non tamen omnis priuatio, sed quæ perfecta sit*, talis autem non est nisi priuatio substantialis formæ. Respondetur, Philosophum tex. 50. assignare vtique talem primam contrarietatem in genere substantiæ, at eam non limitat ad illud genus, imò ait, in vnoquoque genere vnam talem reperiri contrarietatem, nulla tamen illarum contrarietatum erit absolutè prima; Tum quia non habent generalem concursum in omni mutatione; Tum quia resoluuntur in priora, idest in formam, & priuationem in communi, 10. autem Met. si per formam, & priuationem perfectam intelligit formam substantialem, vel non loquitur de primitate, vt hic, vel ea prima contraria appellat comparatiuè, in ordine scilicet ad cætera prædicamenta accidentium, quæ à substantia dimanant, at simpliciter, & absolutè loquendo, prima contrarietas, & physicè, & logicè est illa, quæ inter formam, & priuationem in communi reperitur, physicè quidem, quia est primitas principiationis, quatenus in omni mutatione reperiuntur; logicè verò, quia in illa cæteræ resoluuntur, veluti in priorem prioritate prædicationis.

Secundò. Illa sunt prima contraria quæ incipiunt, & desinunt, generatio enim fit per incæptionem vnius contrarij in materia, & desinitionem alterius, sed forma & priuatio in communi nunquam incipiunt, vel desinunt, cum incæptio sit particularium, non vniuersalium, ergo per prima contraria non debent hæc intelligi. Respondetur negando minorem, quia sicut natura communis fit, quando hoc particulare fit, & interit ad eius interitum, ita priuatio communis perit pereunte particulari, & forma in communi fit, dum fit particularis, incipiunt enim & desinunt vniuersalia ad incæptionem, & desitionem singularium, vt Scot. docet 3. d. 22. q. vn. G. vbi ait, incæptionem, & desitionem primariò, & proximè esse particularium, remotè & secundariò esse quoque vniuersalium.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Principio materiali, & formali mutationis substantialis.

EGimus de principijs in communi hucusque, & quidem mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem, nunc de illis discurrendum est in particulari, seiungendo etiam quæ sunt principia mutationis substantialis, ab his, quæ sunt principia mutationis accidentalis; & quia ordine naturæ mutatio substantialis accidentale præcedit, incipiemus à materia prima, & forma substantiali, quæ sunt principia vnà cum priuatione mutationis substantialis, & quia materia, & forma sunt transcendentaliter relatiua, ideoque cognitio vnius maximè confert ad cognitionem alterius, agemus de vtroque principio coniunctim.

QVÆSTIO PRIMA.

An sint, & quid sint materia, & forma substantialis.

1
ESTATVR Arist. 2. Phys. 22. & 1. de Partibus animalium cap. 1. veteres Philosophos agnouisse materiam, immo id ita certum est, vt quidam eorum illam asseruerint totam substantiam rerum naturalium, teste eodem Philosopho, 1. Met. cap. 2. & 3. putantes, sola accidentium diuersitate res ab inuicem differre, qui propterea, vt ibidem Philosophus ait, ignorasse videntur formam substantialem. At quidquid sit de Antiquorum Philosophorum opinionibus circa materiæ, & formæ existentiam in rerum natura, hoc certum est, post Arist. tempora, Philosophos omnes eius vestigijs inhærentes, vtrumque principium hoc mutationis substantialis concessisse; non tamen omnes eodem modo explicarunt naturam, & essentiam illarum, & præsertim de essentia materiæ variæ Peripateticorum exrant sententiæ; quidam enim eorum aiunt, esse substantiam vtiq; sed ita potentialem, vt nullum prorsus includat actum, etiam entitatiuum, ita D. Thomas 1. p. q. 66. art. 1. & q. 69. art. 1. & 2. & q. 74. art. 2. q. 4. de potentia art. 1. & q. 3. de veritate art. 5. quem omnes Thomistæ, sequuntur, Capreolus, Ferrar. Caiet. Bannes Complut. disp. 3. q. 2. & præter illos Zabarell. lib. 2. de materia, Conimb. q. 9. art. 1. & 2. Ruuius tract. de mat. q. 2. & alij. Rursus asserunt aliqui, materiam esse corpus, quod nec etiam eodem modo explicant. Philop. lib. 11. contra Proclum dixit, materiam esse corpus per trinam dimensionem quantitatis ipsi essentialiter conuenientem, quæ tamen interminata sit ante aduentum formæ, & per eam terminetur, quam opinionem nuper emplexatus est Thomas Giannius lib. 3. cap. 10. Auicenn. verò lib. 1. suff. cap. 2. dixit, materiam esse corpus per formam quandam substantialem ei congenitam, ab eaque inseparabilem, quam propterea vocauit formam corporeitatis. Zab. tandem lib. 2. de materia cap. 12. vult, materiam esse corpus simplex substantiale de prædicamento substantiæ, immo ipsam esse genus generalissimum.

Hic autem cum communi Peripat. supponimus materiam primam, quam in rerum natura extare mox ostendemus, esse à quatuor elementis distinctam contra quosdam Recentiores, qui cum Empedocle tenentes elementa esse ingenerabilia, & incorruptibilia, materiam primam ab elementis non distinguunt, sed aiunt hanc esse ipsamet quatuor elementa simul sumpta, quæ ad compositionem mixtorum tanquam subiectum primum receptiuum formarum concurrunt, qua ratione omnem compositionem ex materia, & forma ab elementis arcent, quam opinionem reijcere non est huius loci, sed pertinet ad lib. de Gen. & Cor. vbi disp. 6. q. 1. contra ipsam agimus ex professo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ostenditur existentia vtriusque principij in rerum natura.

2 DIcimus, ita certum esse, dari in rerum natura materiam; & formam substantialem, vt quasi probatione non indigeat. Ita tota Schola Peripatetica, & probat Scotus efficacissimis rationibus in 2. dist. 12. q. 1. §. *Positio ista*, &c. in re tam certa, & explorata, nobis sufficiet vnam vel alteram potiorem adhibere rationem; probatur igitur primò, dari materiam in rerum natura quia si non daretur, res omnes fierent ex nihilo, & in nihilum redirent; atque ita productio omnis esset creatio, aut transubstantiatio, & omnis corruptio esset annihilatio, sed ex nihilo nil fit naturaliter, & nulla res in pænitus nihil desinit, ergo danda est materia, ex qua, tanquam ex subiecto primo omnia fiant, & in quod tanquam in vltimum resoluantur, vt aic Philosophus 1. Phys. 82. probatur sequela maioris; quando enim ex ligno fit ignis aut aliquid, quod antea esset in ligno, remanet in igne, vel nihil; si nihil, ergo ignis factus est totus de nouo, & ita factus est de nihilo sui, & creatus; si aliquid remanet, hoc nequit esse forma ligni, quia adhuc in igne esset lignum, postquam destructum est lignum, nam quandiu est forma alicuius rei in materia, extat etiam illa res, cuius, est forma, ergo illud, quod remanet, erit materia. Pariter quando lignum corrumpitur in ignem, aut in igne manet aliquid, quod antea esset in ligno, vel nihil, si nihil, ergo dabitur annihilatio naturaliter, si aliquid, hoc non potest esse forma, ratione iam allata, ergo erit materia.

Deinde probatur, dari formam substantialem ratione deducta ab Arist. 1. Phys. 44. Necesse est admittere principium, quo vna substantia materialis ita in suo esse constituitur, vt per illud substantialiter differat ab alia re quacunque, illo principio constitutiuo carente; sed talis esse nequit, nisi forma substantialis, ergo, &c. probatur maior; euidens enim est, dari substantias materiales, specie, & genere diuersas, vt hominem lapidem, plantam, &c. Probatur minor; quæritur enim quid sit illud, quo ignis differt essentialiter ab aqua; vel enim differunt essentialiter ratione materiæ, & hoc non, quia hæc est eiusdem rationis in omnibus, saltem sublunaribus, vt postea dicemus; vel essentialiter differunt, per accidentia corpora illa naturaliter consequentia, per suas nimirum qualitates connaturales, vt per calorem, & frigus, siccitatem, & humiditatem sed neque hoc rectè dicitur, quia qualitates vnius elementi interdum reperiuntur in alio, vt calor in aqua, ergo per tales qualitates substantialiter adinuicem differre nequeunt, quia accidentia huiusmodi ad summum non nisi accidentalem diuersitatem efficere possunt, ergo necessariò dari debet in substantijs materialibus aliquid aliud præter materiam, quo substantialiter differant, & hoc erit forma substantialis, cuius propria ratio est, & munus, res specificè constituere, & distinguere, & præsertim in homine non solùm Philosophia, sed etiam fides Catholica docet ex Concil. Lateran. sub Leone X. animam rationalem reperiri, vt veram formam informantem, & distinguentem hominem substantialiter à brutis, quæ accidens dici nequit, cùm post mortem existat à corpore separata.

Tandem, existentia materiæ, & formæ substantialis probatur communi ratione ex transmutatione substantiali deducta; non enim solùm dantur mutationes accidentales, sed etiam substantiales, nam ex aqua fit aer, ex ligno ignis, & ex alimento non viuente fit viuens; at huiusmodi, mutationes fieri nequeunt per corruptionem, & generationem primi subiecti, quia tunc forent creationes, & annihilationes, ergo permanet sub vtroque termino vnum primum, & commune subiectum; pariter per huiusmodi trasmutationes non acquiruntur noua accidentia sola, aut deperduntur; dum alimentum fit viuens non acquirit solum accidens, dum corpus viuens interit, non solùm accidens amittit, ergo termini harum mutationum sunt formæ substantiales.

3 In oppositum obijcitur primò, quod non detur, nec necessaria sit materia prima ad generationem substantialem, Tum quia generatio substantialis est mutatio totius in totum 1. de Gener. 23. ergo cùm ex cibo generatur caro, tota substantia cibi corrumpitur, & tota substantia carnis generatur; Tum quia in generatione substantiali totum dicitur produci, & fieri, at totum non fierit, nisi omnes partes producerentur: Tum quia ad inductionem formæ substantialis non requiri materiam primam, patet in Eucharistia, cum ex speciebus nutritur homo: Tum tandem quia sicut in generatione accidentali fit ens secundùm quid ex non ente secundùm quid, ita in substantiali cum fiat ens simpliciter, debet fieri ex non ente simpliciter. Respondetur, generationem substantialem esse mutationem totius in totum, sumendo totum non syncategorematicè, pro toto scilicet, & singulis eius partibus, sed sumendo totum categorematicè, vt dicit compositum illud per se vnum ex materia, & forma constitutum: verè enim in generatione totum hoc modo sumptum mutatur, quia materia cum noua forma nouum totum constituit specie diuersum à priori, ita explicat Scot. in 2. dist. 12. q. 1. infra A. & 4. dist. 11. q. 1. A. In hoc sensu etiam per generationem substantialem dicitur totum produci non quod producantur singulæ eius partes, sed quia vnum ens per se ex illis constitutum producitur: Et cum homo nutritur ex speciebus sacramentalibus, fatentur omnes, tunc à Deo produci materiam primam, in qua forma carnis introducatur. Demum, quod generatur substantialiter, dicitur fieri ex non ente simpliciter, idest ex non ente in actu completo, & perfecto per formam substantialem, & talis est materia prima, quatenus caret forma substantiali, & dicitur ens in potentia ad illam suscipiendam; ita docet Philosophus 1. de Generatione cap. 3. non autem ex non ente simpliciter, idest ex nihilo.

4 Secundò obijcitur, quòd non detur forma substantialis; Tum auctoritate Aristotelis 7. Met. tex. 8. vbi docere videtur, solam materiam esse substantiam, cætera affectiones substantiæ 2. de Gen. à tex. 7. docet, formas elementorum esse primas qualitates 2. de Anima tex. 7. & 8. Met. tex. 15. inquit, ita ex materia, & forma fieri vnum; vt ex cera, & figura; Tum quia si talis forma substantialis daretur, subsisteret, & nullo subiecto substentante indigeret, quo tamen indigent omnes, formæ materiales, ergo omnes sunt accidentales; Tum quia si daretur, præsertim ex operatione deprehenderetur, nam operatio arguit formam, at in vna re plures videmus operationes etiam inter se non solum diuersas, verùm etiam contrarias, illquit Foroliuensis in Auic. q. 50. & 51. vt in magnate expulsionem ferri à parte meridionali, attractionem ex septentrionali; in Napellis vim hominis interemptiuam, Turdi nutritiuam, ergo non ab vna forma substantiali, sed à diuersis accidentibus eiusdem rei operationes illæ proueniunt; Tum quia corrupta forma substantiali, manet eadem operatio, vt patet de Napello, Elleboro & alijs plantis exsiccatis; Tum quia, vt ait Bassonus lib. de materia int. 2. art. 1. si datur forma substantialis, quæ sit principium suorum accidentium, sequitur, ipsammet esse principium suæ corruptionis, & sibi moliri interitum, quia plerumque esset origo talium accidentium, quæ ad eius ruinam rederent, vt patet in oleo, sulphure, nitro, & alijs, quæ facillimè inflammantur; Tum tandem quia sequeretur, fieri ex nihilo, quoniam dum dicitur educi de potentia materiæ, nil aliud insinuatur, quàm materiam præhabere potentiam ad recipiendam formam, sed per hoc nihil formæ præcessit ergo &c.

5 Respondetur, Arist. 7. Met. tex. 8. proponere dubitationem Antiquorum, quibus sola materia visa est rerum substantia sed in processu ostendit, etiam formam, & compositum substantias dici debere, 2. de Anima, & 8. Met. assumpsit paritatem de cera, & figura, vt actualitatem formæ substantialis, & potentialitatem materiæ primæ ostenderet, ad faciendam compositionem à natura institutas, similitudine ex artificialibus ducta, non quod eadem compositio fieret hìc, & ibi; ex his enim fieri vnum per accidens, ex illis per se vnum, etiam in illis locis explicat Philosophus, & 2. de Gener. per primas qualitates elementorum formas, veluti per notiores circumscribit, vel illas constituit formas, & principia corporis tangibilis, & sensibilis, vt sic reduplicatiue, quo etiam sensu albedo est forma, & principium constitutiuum corporis albi, non tamen specificatiuè. Ad 2. subsistentia, seu modus essendi per se, qui substantiam ab accidente distinguit, negat esse in alio, tanquam in subiecto inhæsiuè, vt Scot. docet quodl. 9. sub A. illud autem est in subiecto inhæsiuè, quod dependet à subiecto, vt sustentante, & non constituit cum eo vnum per se ex Doct. ibidem, & in hoc sensu forma substantialis dicitur per se esse, idest alteri non inhærere, dicitur subsistens, & substantia, quare autem forma substantialis faciat per se vnum cum materia, non autem accidentalis, explicabitur inferius. Ad 3. quòd plures, & diuersæ operationes ab eadem re prodeant, potius astruit formam substantialem in ea re, quæ cùm ob suam perfectionem ad plures operationes illimitata sit, multis indiget accidentibus, veluti instrumentis ad eas obeundas, quò enim forma est nobilior, eò est illimitatior ad operandum, vt patet de anima rationali; quòd autem eadem causa diuersos, ac ferè contrarios producat effectus, sæpè euenit ex varia dispositione subiecti, circa quod agit, hac de causa idem Sol lutum indurat, ac ceram liquefacit, & ita in proposito ex varia hominis, & Turdi complexione euenit, vt Napellum idem hunc nutriat, illum interimat. Et in varietatem influxus Cæli Australis, & Aquilonaris referri possunt effectus illi magnetis expellentis ferrum positum Austrum versùs, & attrahentis positum versùs Aquilonem, si tamen experientia vera est.

Ad 4. virtus Napelli, Ellebori, & aliarum plantarum manet in eis adhuc exsiccatis, quia à forma mixti dimanat, quæ manet, & non à vegetatiua, quæ recessit. Ad quintum, obiectio Bassoni nulla est, & contra ipsum quoque militat; multis enim rebus natura indidisset accidentia tendentia ad earum interitum, vt oleo, nitro, & alijs facillimæ inflammationis; & illa accidentia vtique ex potentia sui subiecti, educi debuissent, vndè si eductio non sufficit ad creationem tollendam, omnes formæ accidentales in eius sententia creabuntur; res igitur naturales ita sunt à natura instituræ, vt quædam maximam inter se affinitatem habeant, ac proindè facillimè possint vna in aliam transmutari, & talis erunt naturæ oleum, sulphur, & ignis, & ne formæ materiales dicantur creari, sufficit earum eductio de potentia materiæ, vt inferiùs dicemus pro existentia substantialis formæ, vide disp. 1. de Gen. & Corrup. q. 2. art. 1.

ARTICVLVS II.

Explicatur Natura, & quidditas Materiæ primæ, vbi de actu eius entitatiuo.

6 VT dicebamus initio quæstionis, explicauerunt Thomistæ essentiam materiæ per hoc, quòd in genere, & coordinatione entium sit nuda, & pura potentia, omnem prorsus excludens actum, etiam entitatiuum; sed sicut per actum entitatiuum non omnes Thomistæ idem intelligunt, ita non omnes in eodem sensu hanc tuentur sententiam, ex quo factum est, vt controuersia hæc, quæ tam celebris extitit ab initio Scholarum inter Thomistas, & Scotistas, modò magna ex parte euaserit quæstio de nomine vt Complut. fatentur 1. Phys. disp. 3. q. 2. Veteres Thomistæ ita mordicus à natura materiæ excluserunt omne actum entitatiuum, vt in tota entium coordinatione nullum gradum entis illi adscripserint, sed omnem eius entitatem & actualitatem in formam retulerint; ita vt entitas actualis materiæ, non sit alia præter entitatem formæ, sed sit eadem entitas formæ communicata formaliter ipsi materiæ ita notauit Auersa q. 20. sec. 8. Alij Thomistæ, magis D. Thomæ mentem penetrantes, concesserunt materiæ propriam essentiam, ac entitatem realiter distinctam ab entitate, & essentia formæ non tamen existentiam distinctam ab existentia formæ, vel compositi; & quia per actum entitatiuum non aliud intellexerunt, quam rei existentiam, quam ipsi ab essentia realiter distinguùt, ideò materiæ perpetuò denegarunt omnem actum, nedum formalem, & physicum; sed etiam entitatiuum, & metaphysicum, & hæc ingenuè fuit mens D. Thomæ, vt colligitur ex expressis eius verbis 1. parte. q. 7. artic. 2. ad 2. vbi loquens de isto actu dicit. *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit ens in actu, sed potentia*, & hic modus dicendi communior est, ac frequentior in schola D. Thomæ; sed Recentiores aliqui Thomistæ vlterius perrexerunt, quidam enim concesserunt materiæ nedum suam partialem entitatem, sed etiam existentiam realiter distinctam ab existentia formæ, & adhuc actum entitatiuum eidem denegarunt concedentes existentiam hoc nomine appellari non posse, ita Conimb. 1. Phys. c. 9. q. 3. art. 1. Ruuius tract. de mat. q. 2. Soto 1. Phys. q. 6. art. 2. Niger in clyp. q. 10. Alij è contra etiam ex familia Dominicana (quod mirabilius est) negant materiæ propriam existentiam, & concedunt actum entitatiuum, quia volunt actum eiusmodi importare non rei existentiam, sed intrinsecam quandam, & transcendentem perfectionem cuiuscunque entis, ita Manca 1. Phys. q. 4. dub. 8. qui citat Cabreram 3. p. art. 11. disp. 2. concl. 3. n. 85. & Masium 1. Phys. sect. 2. c. 9. q. 6. concl. 3. dicentem de hac veritate neminem dubitare.

7 Ex quo duo colligere licet, primum est nullum Thomistarum materiam primam ita puram potentiam fecisse, vt eam posuerit in sola potentia obiectiua, sicut modo est Antichristus, & rosa in hyeme, quæ est in sola virtute causæ, semper enim omnes fassi sunt materiam fuisse ab initio creatam, & cum cæteris entibus in rerum natura existere; sed alij dixerunt, esse, & existere in rerum natura per solam essentiam, & existentiam formæ; Alij esse vtique in rerum natura per se ipsam, & propriam habere essentiam, ac entitatem, at non existere, nisi per formam; Alij tandem esse, & existere per propriam essentiam, & existentiam, adhuc tamen dici non posse ens in actu, vel actum entitatiuum habere; Alterum est, hanc quæstionem esse de nomine, nisi in sensu veterum Thomist. sustineatur, in quo nullo modo defendi potest, quia tunc materia non esset compars cum forma, compositum esset simplex, & alia sequeretur absurda, vt postea dicemus; nam in altero sensu, quo tribuitur materiæ distincta entitas in rerum natura ab entitate formæ, licèt non distincta existentia, iam conuenit D. Thomas cum Scoto secundùm rem ipsam, Doctor enim 2. d. 12. q. 1. aliud probare non intendit, quam materiam non esse in potentia obiectiua tantum, talis enim est conclusio, quam infert littera C. *Igitur sequitur quod est aliquid, non in potentia obiectiua tantum; vt probant omnes rationes supradictæ*, & solùm remanet lis de nomine, an, vt sic extra causas posita possit dici entitas in actu, vel actus, secundùm quod omne illud dicitur actu, vel actus, quod est extra causam suam; si verò in tertio sensu sustineatur, adhuc magis est lis de nomine, concedit enim quidquid Doctor desiderat materiæ, & essentiam, & existentiam propriam, & solum quæstio manet, an hæc actualis essentia materiæ, an hæc eius existentia possit dici actus entitatiuus; & quidem vbi sustinendo eam in secundo sensu, saltim de re disputandum manet cum D. Thoma, an concedendo materiæ propriam essentiam, ac entitatem distinctam ab entitate formæ; cogamur hinc etiam illi concedere propriam existentiam, quia hæc non distinguitur realiter ab illa; sustinendo eam in tertio sensu nulla omninò remanet quæstio, nisi de puro nomine, an existentia dici queat actus entitatiuus; Vt igitur essentiam materiæ explicemus.

8 Dicimus Primò. Materia prima est entitas de genere substantiæ actu existens in rerum natura realiter distincta ab entitate formæ, qua ratione dici potest habere actum entitatiuum. Ita Sco. loc. cit. quem præter Scotistas, Trombetam, Tatar. Canonicum, Lichet. Radam, Fabrum, Fuentes, Roccum, Sghemmam, Parisienses & alios, sequuntur Nominales omnes, & ex Thomistis Recentioribus quamplures, Toletus, Pererius, Suarez, Amicus, Auersa loc. cit. Hurt. & alij passim. Probatur ex Scot. loc. cit. Materia secundùm se considerata, vel est aliquid in rerum natura, vel nihil; non secundùm, quia 1. Phys. est principium rerum in fieri, & subiectum primum omnium mutationum substantialium, 2. Phys. est natura, est ex se causa intrinseca compositi, 7. Met. est fundamentum formarum, & secundùm Theologum est terminus creationis, ergo oportet, quod sit aliquod ens reale actuale positiuum extra causas existens, quia cum principiatum, & causatum dependeat à causa; & principio suo, si materia nihil est; dependerent composita

naturalia in suo esse à nihilo, vel non ente, Si est aliquid, vel est substantia, vel accidens; non secundùm, quia ponitur subiectum formæ substantialis, & pars constitutiua substantialis compositi, quæ sibi non conuenirent, si foret accidens, ergo est entitas de genere substantiæ, at non est eadem entitas substantialis cum forma, quia tunc non foret subiectum formæ, non esset altera pars compositi, compositum foret entitas simplex, generaretur, & interiret ad interitum formæ, quæ omnia sunt absurda, cum ergo hæc omnia sint vera, non erit materia ita pura potentia, vt nullum prorsus gradum actualem entis in rerum natura, & entium coordinatione obtineat; non erit solum possibilis in rerum natura, sed entitas actu extra causas posita, & à Deo creata, atque ita obtinebit actum entis, vt actus iste excludit potentiam obiectiuam rei possibilis.

Deindè dum Thomistæ contendunt, materiam non esse in actu, sed tantum in potentia, seu esse entitatem potentialem, non actualem, ne sit quæstio de nomine, aut intelligunt, ipsam esse potentialem solum, quia receptiuam formæ substantialis, aut in se non est quidditatiuè aliqua entitas actualis; si primo modo vocant materiam potentialem, optimè loquuntur, & non illis assentimus, at ex hoc inferre non licet, ipsam non esse secundùm se in rerum natura entitatem actualem, immò inferri debet oppositum, cum solum ens actu extra causas sit fundamentum idoneum, & susceptiuum entitatis actualis, qualis est omnis forma substantialis: si secundo modo vocant potentialem, hoc tueri non possunt nisi vel dicendo, materiam esse rem solum possibilem in rerum natura, & non extra causas productam, vt est Antichristus, vel esse in rerum natura per solam entitatem formæ, vt dicebant veteres Thomistæ; quod supra est impugnatum, quia tunc in composito non esset, nisi sola entitas formæ.

Respondent Thomistæ sustinentes opinionem contrariam in secundo sensu initio articuli explicato, concedendo, materiam esse entitatem in composito ab entitate formæ realiter distinctam, esse rem in natura à forma diuersam, at negant, quidquid habet rationem aliquam entis in rerum natura, habere rationem actus entitatiui, sed tantum aiunt, id conuenire existentiæ, quæ dicitur actus respectu essentiæ, quam existentiam de se materia non habet.

9 Sed in primis posset hæc responsio impugnari ex ea parte, qua nobis manet quæstio de re cum D. Thoma, ostendendo quod si materiæ dat entitatem in composito distinctam realiter ab entitate formæ, tenetur etiam dare distinctam existentiam, quia hæc non distinguitur ab illa, at modò ab hac quæstione volumus abstinere, de hoc enim in sequenti disputabimus ex professo; possemus etiam cum Manca cit. & alijs instare, quod actus entitatiuus non importat solam existentiam sed intrinsecam & transcendentem cuiuscumq; entis perfectionem eo ipso quod extra causas existit quam cum materia secundùm se obtineat, consequenter de se actum entitatiuum habebit; sed ab hoc quoq; quæsito abstinendo, & soli existentiæ nomen, & significatum actus entitatiui concedendo, modò intendimus ostendere, Thomistas materiæ concedentes in composito distinctam entitatem ab entitate formæ, tantum concedere, quantum sufficit, vt dicatur esse ens in actu, & actum entitatiuum habere, præsertim iuxta eorum principia, etiamsi existentiam distinctam ei denegent. Vtiq; existentia sola secundùm nos meretur nomen actus entitatiui, quia ipsa est actus essentiæ, quo scilicet constituitur extra causas, & dicitur esse in rerum natura, vnde est actus correspondens potentiæ obiectiuæ; est actus, quem acquirit res, dum transit de non esse ad esse; est id, quo res ab agente dicitur de potentia ad actum deduci, dum ab eo producitur, at secundùm Thomistas, est quid realiter distinctum ab entitate rei, & etiam secundùm aliquos separabile, itaut entitas substantialis secundùm seipsam terminare possit productionem substantialem præscindendo ab existentia, & ita de facto loquuntur de sacra Christi Domini humanitate, quæ in Verbo propriam existentiam non habet; cum igitur entitas realis, quatenus in rerum natura terminat productionem agentis, possit dici entitas actualis, quia non amplius est res possibilis, sed actualis in vniuerso, consequenter etiam materia, cum sit talis entitas realis in rerum natura, quæ fuit terminus creationis secundùm substantiam suam, poterit dici entitas actualis, etiam excludendo existentiam; poterit dici habere actum entitatiuum, quatenus secundùm seipsam est extra causas, licèt non secundùm seipsam existat.

10 Accedit quod per actum entitatiuum (vt tollatur quæstio de nomine) omnes intelligunt id, per quod quodlibet ens est à parte rei extra causas suas, vt de re possit per propositionem de præsenti, & de inesse verificari esse absolutè, dicendo, hoc est, vt notauit Arimin. 2. d. 11. q. 1. art. 1. è contra verò ens in potentia dicitur, de quo non verificatur esse hoc modo, sed per propositionem de possibili, dicendo, hoc potest esse; Sed licet secundùm nos verificari nequeat propositio, quod res si de præsenti in rerum natura, nisi per existentiam, quam ponimus modum intrinsecum essentiæ, quo dicitur esse extra causas, & ideò existentia solùm verè dicatur actus entitatiuus, tamen secundùm Thomistas, etiam præscindendo ab existentia, potest de re verificari propositio, quod habeat esse substantiale extra causas in rerum natura, ergo ex hoc solum, quòd concedunt materiæ in composito entitatem realem ab entitate formæ realiter actualiter distinctam, concedunt quantum sufficit dicere de præsenti, quod materia est in composito, & quod in eo habet esse substantiale, ergo concedunt quantum sufficit ad hoc, vt habere dicatur actum entitatiuum, quia per actum entitatiuum id omnes intelligatur.

Respondent adhuc Thomistæ, concedendo, materiam, vt à forma distinguitur, esse entitatem realem, esse principium in fieri, esse subiectum formarum, esse partem compositi, esse eiusdem causam materialem, non tamen ob id posse dici ens in actu, quia id solùm est forma, vel quod formam habet, vndè causat vt potentia, principiat vt subiectum, non vt actus, & denique omnia illa munera gerit, vt ens potentiale, non vt ens actu, qua responsione vtuntur etiam, qui existentiam quoque dant materiæ distinctam ab existentia formæ, adhuc enim volunt, hanc existentiam esse merè potentialem, nec vllo modo dici posse actum, quia etiam Philosophus quamuis agnouerit, materiam esse entitatem in rerum natura existentem, adhuc tamen semper eam appellauit potentiam, nec vnquam legitur, vel minimum actualitatis ei dedisse.

11 Hæc responsio consistit in æquiuocatione potentiæ, & actus, dum enim materiam appellant potentiam, & puram potentiam, vel intelligunt de potentia obiectiua, seu entitatiua, quæ est rei possibilis esse in rerum natura, quæ tamen adhuc non sit, & hoc dici non potest, quia materia non est solùm res possibilis, sed re vera in rerum natura reperitur; vel intelligunt de potentia subiectiua, quæ est rei iam existentis, potentis tamen in se formam aliquam recipere, quo perficiatur, & compleatur, qualis est potentia ligni ad formam statuæ, in quo sensu re vera intelligi debet; sæpius enim Philosophus potentialitatem materiæ primæ explicauit per potentialitatem materiæ artefactorum ad formas artificiales, & sic negare non debent actum entis materiæ, quia hìc excluditur à potentia obiectiua, non subiectiua; quod verò Philosophus eam semper appellauerit potentiam, mirum esse non debet, quia Philosophus semper locutus est de materia in secunda, vt inquiunt, notione, in ordine ad formam substantialem, cuius est subiectum, & cum qua constituit per se vnum; & communiter etiam dicitur pura potentia quia actus entitatiuus, quem includit, siue quicquid est entitatis in materia, id totum exercet munus potentiæ passiuæ, seu receptiuæ, & sustentatiuæ formarum; communiter etiam nec dicitur nec dici debet ens in actu, quia secundùm communem loquendi vsum, hoc significat esse actum perfectum simpliciter, vt est compositum, vel actuantem aliud, vt forma.

12 Compl. deniq. cit. 1. Phys. disp. 3. q. 2. inquiunt aliud esse aliquid esse realem entitatem, quæ fit in actu, aliud verò esse reipsa realem entitatem, nam ad primum requiritur, vel quod sit actus, vel quod includat actum, sed vt aliquid sit reipsa realis entitas, satis est, quod reipsa non sit purum nihil, sed habeat aliquem entitatis gradum; in tota verò entium latitudine non solum datur realis entitas actualis, sed etiam realis entitas potentialis, & hæc est materia, quæ tantum est pura potentia receptiua actus, & nihil actus includens, Quod autem ens reale extra causas sub se comprehendat veluti membra opposita ens actuale, quod sit forma informans, vel actus subsistens, & ens potentiale, quod sit purum receptiuum formæ, colligunt ex Arist. diuidente 9. Met. tex. 1. & 6. Met. tex. 4. ens reale extra causas in actum, & potentiam in hoc sensu, quare cum membra diuidentia debeant commune diuisum includere, & inter se formaliter opponi, sequitur quod materia secundùm se considerata sit ens reale extra causas, prorsus tamen potentiale, & nihil actualitatis includens; Ex quo tandem inferunt nec etiam dici posse actum, quatenus non est amplius in potentia obiectiua, quia non semper potentia obiectiua per actum explenda est, sed aliquando per actum, aliquando verò per realem potentiam, si res illa, quæ possibilis dicitur, fuerit ens, quod sit realis potentia, vt in proposito est materia prima.

Miramur sanè, quare cum ab initio quæstionis fateantur nobiscum Patres isti hanc esse quæstionem de nomine, in progressu postea tam insudent, vt demonstrent materiam à Deo creatam, & in serie entium positam extra causas in nullo prorsus sensu ens in actu dici posse, sed solum ens potentiale, seu ens in potentia; sed tum auctoritate, tum ratione ostendimus entitatem realem eo ipso, quod ex vi causarum posita est in rerum natura, posse dici ens in actu, & entitatem actualem, nam vtiq; res eadem considerari potest, vt possibilis in rerum natura, & vt reipsa extra causas posita, & in hoc sensu multoties diuisit Arist. ens in actum, & potentiam, vt mox dicemus, & quamuis sic diuidendo ens non sit partitio entis in diuersas res, seu entia, partitur tamen eadem res in diuersos status, vel sub diuerso statu consideratur, vt Compl. ipsi fatentur ibi; hoc stante quærimus ab eis, quo nomine appelletur status rei, antequam producatur; inquiunt, & benè, dici statum possibilitatis obiectiuæ; percontamur deindè, quo nomine sit nuncupandus alter status, quando ponitur extra causas, planè dici nequit, nisi status actualitatis, & quidem ita loquuntur omnes, dicunt enim, quod dum ab agente res producitur, traducitur effectus de potentia ad actum, ergo etiam de materia ita loqui possumus, & debemus, & quamuis comparando eam ad formam dici debeat ens in potentia, tamen comparando eam ad statum possibilitatis obiectiuæ, sub qua erat, antequam in rerum natura poneretur, dici potest ens in actu; Accedit falsum esse, quod potentiæ obiectiuæ suus non correspondeat actus, qui dicatur entitatiuus, nam potentia vt potentia respicit actum sui specificatiuum, ergo cum triplex sit potentia actiua, passiua, & obiectiua, nam hanc non

non negant Complut. licet dicant (& benè) non esse potentiam realem, & rigorosam, vt aliæ duæ, triplex quoque erit actus singulis correspondens, actus secundus, seu operatio correspondens actiuæ, actus formalis correspondens passiuæ, seu subiectiuæ, & actus entitatiuus correspondens obiectiuæ; & falsum est hanc potentiam formaliter loquendo non expleri per actum: quamuis enim expleri possit materialiter per productionem entitatis potentialis, quatenus est alterius rei susceptiua, tamen hæc ipsa entitas potentialis ad potentiam obiectiuam relata, sub qua erat ante sui productionem, dici debet entitas actu extra causas producta, & hoc ipsi fatentur, dum sæpius quæst. illa repetunt, vt aliquid reipsa sit entitas realis, sufficere, quod reipsa non sit purum nihil, quod idem est, ac si dicerent sufficere, quod actu non sit purum nihil, idem enim sonat ly *reipsa*, sed nolunt isti patres vti suspecto vocabulo.

Neque hic loquendi modus est ab Aristot. alienus, multis enim in locis locutus est de hac potentia obiectiua, & actu entitatiuo ei opposito, & quidem insignem, & conspicuum de hac re locum affert Scot. 4. d. 11. quæst. 3. D. ex 9. Met. text. 11. vbi sic loquitur Arist. *est autem actus existere rem non ita sicut dicimus potentia;* loquitur etiam de actu, & potentia in hoc sensu 9. Met. text. 7. vt notat Doct. 2. d. 16. q. vn. A. & 4. d. 11. q. 3. supra X. item 12. Met. text. 26. vbi ait *idem quandoque actu, quandoque potentia est, vt vinum, caro, &c.* & 3. Met. 19. inquit *possibile est esse etiam, quod nondum est*, subdens dici actu, quando postea est, idem colligitur. v. Met. 17. immò potentiam obiectiuam præter actiuam, & passiuam, & actum entitatiuum præter formalem docet eodem loc. Ab Aduersi. cit. 9. Met. text. 1. dum inquit. *potentia, & actus in plus est, quam illa, quæ secundum motum solum dicuntur*, & vtitur tandem eodem loquendi modo 8. Phys. 32. vbi ignem nondum genitum vocat in potentia, genitum verò ait esse in actu, & alibi sæpè, ergo id quod erat substatu possibilitatis, & postea est productum, dici potest vt sic ens in actu, quatenus non est amplius solùm in potentia agentis; quare autem Arist. semper materiam appellauerit ens in potentia, declaratum est supra, & rursus declarabitur infra.

13 Dicimus 2. licet materia possit, & debeat dici substantia corporea per gradum corporeitatis sibi essentialiter identificatum, absolutè tamen nequit dici corpus, neque in sensu Philoponi per trinam dimensionem ei essentialiter conuenientem, neque in sensu Auicen. per formam corporeitatis coæuam; nec demum in sensu Zabar. per gradum corporis simplicis directè positum in prædicamento substantiæ. Conclusio est communis contra præcit. Auctores, & probatur quoad omnes partes & in primis materiam poni debere corpoream per gradum corporeitatis essentialiter distinguentem substantiam materialem, & corpoream ab immateriali, & incorporea est communis omnium sensus, siquidem materia non est incorporea, & spiritualis, sed habet pluralitatem partium entitatiuarum, & integralium, ratione cuius dicitur substantia exigitiua quantitatis, in qua quidem exigentia, vel principio eius radicali consistit gradus corporeitatis essentialiter distingnens substantiam corpoream, vt comprehendit completas, & incompletas ab incorporea, & spirituali, tam completa, vt Angelus, quam incompleta, vt rationalis anima; quod si huiusmodi gradum corporeitatis non haberet, rem materialem, & corpoream constituere non posset, sicut anima rationalis non potest viuenti esse corporeum tribuere, quia in se spiritualis est. Quod verò poni non possit corpus trinæ dimensionis cum Philopono, probatur, tum quia corpus huiusmodi est accidens, & in prædicamento quantitatis; tum quia in tantùm ab eo ponebatur trinè dimensa, vel potius trina dimensio, vt redderetur diuisibilis, & extensa, vt sit proportionatum subiectum formarum materialium, nam forma diuisibilis recipi nequit in subiecto indiuisibili, qualis foret materia sine quantitate: vel igitur hæc trina dimensio est forma essentialiter distincta à materia prima; & in ipsa recepta, veluti in subiecto ad modum aliarum formarum, vel non; si primum ergo materia antecedenter ad illam trinam dimensionem est extensa, & corporea, quia accidens materiale vt est quantitas, in subiecto in extenso recipi nequit; si secundum, ergo materia prima est essentialiter accidens, vel accidens est de essentia substantiæ, præstat ergo dicere, quod sit corporea per gradum corporeitatis iam explicatum, & non per trinam dimensionem.

Deinde, quod nequeat dici corpus per formam corporeitatis coænam, probat pluribus Doct. 2. d. 18. sed quia inferius de hoc agemus ex professo, pro nunc breuiter sic potest probari, quia vel hęc forma corporeitatis est de essentia materiæ, vel non, sed potius reperitur in ea, vt in suo perpetuo subiecto; non primum, tum quia tunc materia non esset impotentia ad omnes prorsus formas, cum non sit in potentia ad illam, quæ ponitur de eius essentia, nihil enim est in potentia ad id, quod ponitur de illius essentia; tum quia materia prima esset essentialiter actus formalis; tum quia Arist. 1. Phys. 69. ponit eâ in sua essentia denudatam à quacunq; forma naturali, vt materia artefactorum denudata est à quacunque artificiali. Neque secundum, tum quia materia prima non posset dici per eam corpus essentialiter compositum ex subiecto, & forma corporeitatis, nihil enim potest essentialiter constitui ex aliquo, quod non sit de eius essentia, sed ad summum diceretur pars illius corporis, per talem formam constituti; tum quia nec adhuc denominatiuè redderetur primò corporea per talem formam, sicut v. gr. redditur lapidea per formam lapidis, quia cum hæc forma corporeitatis sit extensa, & corporea, subiectum eiusdem rationis extensum scilicet & corporeum præsupponere debet, in quo recipiatur.

Quod tandem dici nequeat corpus per gradum corporeitatis simplicis directè positum in prædicamento, & tantò minus generalissimum in prædicamento substantiæ, probatur: Tum quia tale corpus simplex directè positum in prædicamento est substantia completa, nò verò materia; Tum quia, sicut Angelus, non potest habere rationem substantiæ ad vlteriorem formam substantialem, quia est substantia completa; Tum quia si esset corpus de prædicamento substantiæ, & præsertim generalissimum, posset prædicari de substantijs corporeis inferioribus in recto dicendo, homo est materia, sicut dicitur corpus. Tum quia substantiæ incorporeæ finitæ sunt directè in prædicamento, de quibus tamen corpus prædicari non potest. Tum tandem, quia secundum omnes materia ponitur in prædicamento reductiuè tantum per modum partis compositi substantialis.

Soluuntur Obiectiones.

14 IN oppositum contra primam concl. obijcitur primò modus loquendi Arist. qui vbique agnouit materiam, velut ens in potentia, & idcirco 3. Phys. tex. 3. diuidit ens in potentiam, & actum sub primo membro materiam constituens, idem repetit 2. de Anim. 2. & 7. Met. 7. & 8. Met. 3. vbi etiam text. 15, & 16. materiam non solum appellat potentiam; sed per se potentiam idest essentialiter potentiam, & nihil aliud. Hinc 1. Phys. 79. ait materiam non cognosci, nisi per analogiam ad formam, quod falsum esset, si per se esset ens in actu, & 1. de Gen. 23. inquit, quod si subiectum generationis esset in actu, generatio foret alteratio, quia quod aduenit enti in actu, est accidens, quod etiam prius dixerat 5. Phys. 7. & 8. vbi distinguens motum à mutatione penes subiectum ait, quod mouetur esse, quod generatur non esse: & 1. Phys. 69. ait materiam se habere in toto genere rerum naturalium, sicut lignum in toto genere artificialium, sed hoc est pura potentia in genere artificialium, ergo, & materia in genere naturalium, qua de causa 7. Met. 8. dicit Aristot. materiam non esse quid, nec quale, nec quantum, quam paritatem ab Aristot. assumptum de materia naturalium, & artificialium valdè exagerat Ioan. de S. Thom. qu. 3. art. 2. Tandem confirmat idipsum ex solutione, quam adhibet Arist. ad difficultatem Antiquorum, qui dicebant materiam esse ens in actu, & non in potentia, quia si foret ens in potentia esset nihil (nam apud ipsos quod erat aliquid, erat ens in actu) vnde si res fierent ex materia sic se habente, fierent ex nihilo, sic arguebant Veteres apud Arist. 1. Phys. 34. & 70. & 1. de Gen. 12. At Aristot. huic occurrens difficultati 1. Phys. 66. & 78. & 1. de Gen. 17. non respondet negando consequentiam, quia materia est ens in potentia tantum subiectiua, non obiectiua, vt solent respondere Scotistæ, & ideò non est nihil; sed negat consequentiam, quia nunquam est corruptio sine generatione, & ideo nunquam materia manet ita in potentia, quod non sit ens actu per aliud, quia semper est subiecta alicui formæ, vnde licet generatio fiat per se ex ente in potentia, tamen per accidens fit ex ente in actu. Confirmat etiam hic Auctor suum assertum ex solutione, quam affert Aristot. ad aliam rationem Antiquorum, qua fulti negabant generationem substantialem, & dicebant non generari aliquid de nouo substantialem, & dicebant non generari aliquid de nouo substantialiter, sed alterari tantum, & ratio eorum erat, quia non poterat fieri ens simpliciter nisi ex non ente, vt constat ex 1. Phys. 71. & 78. soluit autem hoc Aristot. quia ens simpliciter idest substantia fit per se ex ente in potentia, quod est materia, quæ per accidens est in actu, quatenus erat sub alia forma, quæ ipsa generatione corrumpitur, si autem ponatur materia ex se ens in actu per existentiam, licet in potentia ad formas, eneruatur doctrina Aristot. & sumit robur ratio Antiquorum, quia si fit generatio per se ex ente in actu dicerent Antiqui, quod forma aduenienis tali rei non est substantialis, quia non dat primum, & integrum esse.

15 Ad has omnes auctoritates respondet Doct. loc. citat. materiam dicens in potentia, quia quantò aliquid habet minus de actu, tanto magis est in potentia, & quia materia etiam secundum suum actum entitatiuum, seu secundum quicquid est in rerum natura est receptiua omnium formarum, ideo definitur ab Aristot. per esse in potentia, quia vt nuper dicebamus, eam semper consideraui in secunda notione, vt subiectum formarum, & transmutationis, & hac ratione dixit esse cognoscibilem per analogiam ad formam, quamuis alias sit per se cognoscibilis per propriam entitatem. Negat vero 1. de Gen. 23. subiectum generationis esse ens in actu completo, & specifico, vt faciebant Antiqui ponentes subiectum generationis corpus habens formam substantialem. Et in eodem sensu negat 5. Phys. subiectum motus esse, & dicitur non esse, quatenus caret esse simpliciter, & perfecto, quod nata est tribuere forma substantialis, vt Doctor explicat etiam 4. d. 11. q. 3. Dd. non autem negat esse in actu entitatiua, & extrà causas, alioquin subiectum generationis esset nihil; Paritas assumpta ab Arist. 1. Phys. 69. de materia naturalium, & artificialium non valet in omnibus, alioquin probaret materiam naturalium esse nihil; potest vtique aliquod receptiuum esse pura potentia, & nihil omnino in actu in genere artificialium, quia reperitur aliud genus prius, in quo erit aliquid in actu, scilicet genus naturalium; at genus naturalium cum sit omnino primum, nihil receptiuum, in eo poni potest, quin etiam aliquo modo

modo ponatur ens in actu in eodem genere; paritas ergo statim hoc tantum, quod sicut lignum in genere artificialium est pura potentia excludens omnem formam artificialem, ita materia in genere naturalium est pura potentia excludens omnem formam naturalem; auctoritas verò vulgata ex 7.Met. seipsam declarat, ait enim Arist. materiam non esse quid, nec quale, nec quantum, nec quid eorum, quibus ens est determinatum, idest non est actus determinans, & complens, vel similem actum habens; Ad duas confirm. ductas ex solutionibus, quas Affert Aristot. ad difficultates Antiquorum circa materiam primam, & generationem substantialem occurrimus disp. 5. de Gen. & Cor. qu. 1. art. 1.

16 Secundò arguunt Complut. citat. quia ens extrà causas diuiditur ab Aristot. 9. Met. 1. & alibi in potentiam, & actum, ergo per hoc præcisè, quod aliquid sit pura potentia realis, etiamsi omnem prorsus actum excludat, poterit rationem entis realis habere, & per consequens ex hoc quod materia prima habeat veram, & realem essentiam, malè colligitur eam includere intrinsecè aliquem actum; imò cum constituatur vera, & realis essentia per modum entis potentialis ab ente in actu condistincti, consequenter nullum debet includere actum, membra enim bonæ diuisionis non debent coincidere, & in hoc est vnicum fundamentum Aduersariorum. Conf. quia hoc ipso, quod aliquid secundum suam vltimam rationem est potentia respectu formæ, nequit in ea imbibi ratio actualitatis, nam sicut ratio potentiæ, vt sic, nequit imbibi in actu, quatenus actus, ita neque ratio actus in potentialitate, quatenus potentia est. Rursus materia prima non habet propriam potentiam obiectiua distinctam à potentia obiectiua totius, ergo neque distinctum actum entitatiuum, conseq. patet, quia actus iste desumitur ex ordine ad talem potentiam, probatur assumptum, materia enim non habet proprium fieri, sed comproducitur ad productionem totius ex 8. Met. text. 3. Et denique quando etiam materiæ propria responderet potentia obiectiua, non proindè debet quoque ei respondere necessariò actus entitatiuus, quia potentia expletur per positionem entis possibilis extra causas, ergo cum in proposito entitatis materiæ sit potentialis, non debet dici expleri per aliquem actum entitatiuum, sed per potentiam veram, & realem.

Resp. ad 1. quod si Aristot. ibi diuidit ens reale extra causas positum in actum, & potentiam, per actum intelligit actum subsistentem, vel informantem, & per potentiam intelligit subiectum potentiale, & capax actus informantis; & cum ens reale extra causas positum, vt sic, dici possit ens in actu, & quatenus actu reperitur in rerum natura, & non tantum in virtute, & potentia agentis, actus in hoc sensu vtrique membro illius diuisionis conuenit, licet actus in alio sensu nequaquam, & actum in eo sensu admitti debere, vt opponitur potentiæ obiectiuæ, iam probauimus, & cuicunque rei conuenire hoc ipso, quod est realis entitas in rerum natura. Ad 2. nos non concedimus potentiam esse differentiam essentialem materiæ, nam hæc est vltima materiæ realitas absoluta, vnde potentia pullulat, & hanc dicimus esse passionem realiter identificatam entitati actuali materiæ, ratione cuius identitatis verum est dicere, quod tota actualis entitas materiæ, & actus ipse entitatiuus eius habet rationem potentiæ subiectiuæ respectu formarum, sicut in sententia Complut. actualitas ipsa formæ rationem habet potentiæ subiectiuæ respectu actualitatis existentiæ & subsistentiæ, neque hinc vlla sequitur implicantia, tum quia adhuc remanent impermixtæ ratio actus, & potentiæ formaliter loquendo, tum quia non conueniunt eidem respectu eiusdem, nam entitas materiæ dicitur actualis collata cum potentia obiectiua, in qua erat ante sui creationem, dicitur vero potentialis in ordine ad formam. Ad 3. neg. assumptum, immò cum materia generari nequeat, sicut compositum, & fit terminus creationis saltim secundum suam essentiam realem, vt etiam Thomistæ concedunt, consequenter distinctam habebit potentiam obiectiuam ab obiectiua totius, atque ita etiam distinctum actum entitatiuum; cum autem ait Aristot. 8. Met. 3. & alibi solum compositum fieri, & generari, partes verò potius confieri, licet specialiter de forma loquatur, non de materia, quæ nullum accipit esse ei intrinsecum, & essentiale in productione compositi, loquitur de productione nata terminari an rem in se existentem, & subsistentem, nam absolutè loquendo de productione, vt actio quædam est, qua res simpliciter accipit esse, & recedit à non esse, quomodocunque id fiat, sanè cum forma fit causa compositi, oportet vt prius habeat esse in rerum natura, quam compositum ipsum, & cum sit per se terminus generationis debet propria acquisitione acquiri, & non tantum per accidens ad productionem compositi, vt dictum est disput. 2. q. 4. artic. 2. alioquin non solum materia, vt Aduersarij prætendunt, sed nec etiam forma haberet propriam potentiam obiectiuam, sed per potentiam obiectiuam totius diceretur possibilis. Ad 4. neg. sequela, ad probationem patet ex dictis, quod licet potentia obiectiua materialiter expleri possit per productionem entitatis, quæ sit potentia alterius, hæc tamen ipsa potentialis entitas in ordine ad potentiam obiectiuam, sub qua erat ante sui productionem, dici potest actus, vel ens in actu, quatenus non amplius est solùm in potentia causæ, sed actu extra illam, quem actum vocant aliqui actum præsentialis existentiæ, quo nimirum aliquid dicitur esse in actu, quando actualiter existit in rerum natura.

17 Tertiò obijciunt, hanc nostram sententiam fundari in illa distinctione de potentia obiectiua, & subiectiua, de actu formali, ac entitatiuo, cum tamen Philosophus agnouerit solùm distinctionem actus in primum, & secundum in 2. de Anima text. 6. & distinctionem potentiæ in actiuam, & passiuam, Addit Zab. explicari non posse, quid sit iste actus entitatiuus materiæ, nam si est aliquid, vtique erit substantia, hæc verò diuiditur 2. de Anima in materiam, formam, & compositum, & cùm non possit esse forma, vel compositum, quia hunc possidet materia per seipsam seclusa forma, & composito, remanet quod sit materia materiæ.

Resp. Doct. 4. dist. 11. qu. 3. D. hanc distinctionem potentiæ, & actus expressè habere a Philosopho multis in locis diuersimodè loquente de actu, & potentia; nam 7. Met. 59. & 8. is, dum ait, quod ex actu, & potentia fit vnum per se, non intelligitur de istis, vt opposita sunt, quia sic non stant simul, sed intelligit de potentia subiectiua, & actu informante, quæ stant simul, & faciunt vnum per se, & sic intelligit vbicunque diuidit ens in ens in potentia, & in actu, illud materiæ tribuens, formæ istud; de actu autem, & potentia, prout opposita sunt, & differentiæ entis loquitur, 9. Met. text. 11. dum ait, *Est autem actus existere rem, non ita sicut dicimus potentia*, & post explanando istam distinctionem manifestat in multis oppositis, vt vigilans ad dormiens, & videns ad claudens oculum, & elaboratum ad illaboratum, *huiusmodi*, inquit, *differentia alteri parti actus applicatus sit, alteri verè, possibile* ex quibus clarissimè deducitur, præter actum primum, & secundum, agnouisse Philosophum etiam actum entitatiuum, & præter potentiam actiuam, & passiuam, etiam obiectiuam agnouisse. *Est autem actus rem existere* en actus entitatiuus, *non ita sicut dicimus potentia* en acceptio potentiæ huic actui oppositæ: immò Aristot. ibi dicit, non dari tantùm potentiam actiuam, & passiuam, sed dari quoque alteram, quæ ex diuisione actus manifesta fiet, dum ait *non solum hoc dicimus possibile, quod natura aptum sit aliud mouere, aut moueri ab alio, sed etiam aliter*. Videant modò Thomistæ, an hæc distinctio actus, & potentiæ in entitatiuum, & formalem, in obiectiuam, & subiectiuam, sit mera fictio Scoti; videant Ruuius, & alij, an existentia possit dici actus. Hinc patet ad Zab. nescientem, vel nescire volentem, quid sit actus iste entitatiuus; per hunc actum intelligitur id, per quod excluditur potentia obiectiua, id per quod res non ampliùs dicitur possibilis, sed actu esse in rerum natura, intelligitur id demum, vt aiebat Gregorius citat. per quod verificatur propositio de præsenti, & de inesse, quod res est; id verò secundum nos est existentia, quæ est veluti modus intrinsecus essentiæ, quo dicitur extra causas stare, hoc enim sonat nomen existere, & ita actus entitatiuus materiæ erit existentia ipsa materiæ, nec propterea dicetur materia materiæ, sed aliquid ipsius materiæ, idest modus intrinsecus materiæ; quia verò secundùm Thomistas existentia distinguitur realiter ab essentia, ac entitate rei, etiam extra causas positæ, per actum entitatiuum, potentiam obiectiuam à re primo excludentem intelligere debent entitatem rei, vt actualiter positam extra causas, & cùm hoc habeat materia antecedenter ad existentiam secundum ipsos, fateri debent, actum entitatiuum obtinere, etiam si non existeret, nisi existentia formæ, vel compositi, sicut humanitatem assumptam in Christo vtique fatentur propriam actualitatem habere, etiam si non habeat propriam existentiam.

Quartò arguunt. Tum quia forma dat esse rei, ergo materia nihil habet entitatis ex se; nec valet distinguere de esse specifico, & incompleto, quia sicut se habet esse accidentale ad formam accidentalem, ita substantiale ad substantialem, sed omne prorsus esse accidentale est à forma accidentali in genere causæ formalis, ergo, & esse quodcunque substantiale erit à substantiali. Tum 2. quia datur purus actus, nihil includens potentiæ passiuæ, idest Deus, ergo dabitur in creaturis pura potentia, nihil omnino includens actus entitatiui, & erit materia prima, vt à Deo remotissima. Tum 3. quia si materia includeret actum, tunc foret purus actus, quia est quid physicè simplex non resolubile in alias partes, vnde, vel est totaliter potentia, vel totaliter actus, non secundum, ergo primum. Tum 4. quia si includeret aliquem actum, esset principium alicuius operationis, quia hæc dimanat ab illo, quæ tamen nulla apparet in materia. Tum 5. quia tunc ex materia cum forma non fieret per se vnum, quia ex duobus entibus in actu non fit per se vnum 7. Met. 29. nam forma adueniens enti in actu, est accidentalis; Tum 6. quia, vt aiunt Conimbr. omnis actus vel est informans, vt forma, vel per se existens, vt Angelus, & sola forma inter entia incompleta nominatur actus vel ens in actu. Tum tandem quia sic se habet materia ad potentiam, vt forma ad actum, at forma est sic actus, vt excludat omnem potentiam; nedum subiectiuam, sed obiectiuam quoque, ergo materia est ita potentia, vt excludat omnem actum, nedum formalem, sed etiam entitatiuum.

18 Respondetur, formam dare esse specificum, & completum, non autem quodcunque esse entitatium; nec valet paritas de forma accidentali, & substantiali, quia esse accidentale conuertitur cum forma accidentali, non ita esse substantiale cum substantiali, & quia præter formam datur materia, & compositum, quæ sunt substantiæ 2. de Anima, & 8. Met. Ad 2. non valet assumpta propositio de Deo, & materia in omnibus; Deus enim dicitur actus purus per exclusionem cuiuscumque potentiæ, tam obiectiuæ, quàm subiectiuæ, materia verò dicitur pura potentia per exclusionem actus formalis tantum, non verò entitatiui, quia tunc inter creaturas non computaretur. Ad 3. non sequitur, aut esse purum actum, aut partim actum, partim potentiam, sed tota est actus, & tota potentia simul, quatenus tota illius actualis entitas habet rationem potentiæ subiectiuæ, nec propriè hæc duo compositionem faciunt; etiam metaphysicam; tum quia actualitas entitatiua, & potentia subiectiua identificantur inter se, vt modus intrinsecus; & passio eiusdem rei; tum quia potentia subiectiua non est talis in ordine ad actum entitatiuum, sed solùm formalem. Ad 4. non sequitur, debere hunc actum esse principium operationis alicuius, quia id verum est tantum de actu informante, & rem constituente in esse completo; actus enim entitatiuus materiæ, vt incompletus, ordinatur prius ad passionem, quam ad actionem. Ad 5. non sequitur, constitutum ex materia, & forma fore vnum per accidens, vel formam substantialem fore accidentalem, quia Arist. dictum 7. Met. 29. intelligitur de duobus in actu completo, & totali, non incompleto, & partiali, alioquin id, quod non foret in actu entitatiuo, nihil esset, nec vnum quid, aut per se, aut per accidens constituere posset. Ad 6. diuisio actus à Conimbr. data non est sufficiens; aut actus entis, quem materia includit, est per se existens, incompletus tamen, forma verò solet dici actus, quia est ens actuale determinans certam speciem entis completi, non materia, quæ potius est determinabilis per formam sub hac vel illa specie, & ideò meritò dicitur ens in potentia. Ad 7. neg. omnimoda paritas de materia in ordine ad potentiam, & forma in ordine ad actum, licèt enim teneat quoad potentiam subiectiuam, & actum formalem, non tenet quoad potentiam obiectiuam, & actum entitatiuum; tam enim forma suum actum entitatiuum habet, excludens potentiam obiectiuam quam materia.

19 Quintò arguitur, quod non sit substantia: Tum quia potentiale non est aliquid actu illius generis, cuius est potentiale, nec formaliter, nec reductiuè, vt patet de superficie receptiua coloris, quæ non est aliquid actu inprædicamento qualitatis, ergo cum materia sit receptiua substantiæ, non erit aliquid generis substantiæ. Tum quia, quod pertinet ad aliquod genus, necessariò pertinet ad aliquam speciem determinatam, & infimam illius generis, vt ait Doctor. 2. dist. 12. q. 2. C. quod enim est animal, necessariò est animal huius speciei, vel illius, at materia ad nullam determinatam speciem generis substantiæ spectat. Nec respondere iuuat, maiorem esse veram de his, quæ pertinent ad aliquod genus directè, valet enim etiam in his, quæ pertinent indirectè, sic anima rationalis indirectè spectans ad genus substantiæ, reductiuè tamen est in determinata specie substantiæ, scilicet humana. Respondet Doctor loc. cit. assumptum posse concedi de receptiuis in posterioribus generibus, non in omninò primo, quale est genus substantiæ, quia receptiuum illorum potest esse in aliquo priori genere, non sic receptiuum substantiæ, cùm hoc sit primum genus, & idcircò cùm hoc receptiuum aliquid esse debeat, in hoc primo genere statui debet, saltem reductiuè. Nec propterea necesse est, quod reductiuè sit in determinata specie substantiæ; propositio enim illa, quod determinat sibi genus, determinat sibi speciem, valet in indiuiduis, & entibus per se subsistentibus; si enim Petrus est animal, necessariò est in specie humana; valet etiam de partibus determinantibus, tam physicis, quàm metaphysicis, non autem determinabilibus; quamuis enim rationalitas speciem humanam necessariò sibi determinet, non sic animalitas, & idcircò non valet paritas de anima, & materia, quia anima est pars determinans, & specificè distinguens, non sic materia.

20 Sextò demum arguitur, quod non sit substantia realiter distincta à forma. Tum quia tunc actus, quem includit, non solum entitatiuus esset, sed specificus, & formalis, quia distingueret. Tum quia in fundamento naturæ nihil est distinctum. 7. Met. Tum quia non constat ex genere, & differentia, cum non sit directè in genere, si autem à forma distingueretur, differentiam haberet. Tum tandem, quia quæ non distinguuntur conceptibiliter, nec etiam distinguuntur realiter, at materia non distinguitur conceptibiliter à forma quia sine forma cognosci non potest, ergo neque realiter. Respondetur, in esse physico materiam, & formam esse se totis distincta, & primò diuersa, vt ait Doctor loc. cit. E. quatenus materia quidditatiuè nihil includit actualitatis formalis, nec forma aliquid potentialitatis subiectiuæ, nec propterea sequitur, actum eius esse formalem, quia nec constituit materiam sub specie completa substantiæ, nec ab alia specie completa eam distinguit; Ad 2. in hoc sensu loquitur Philosophus, dum ait, in fundamento naturæ, idest materia, nihil esse distinctum, vult significare, res materiales per materiam non distingui, sed per formam, non autem negare vult, quod materia per suam entitatem non distinguatur à forma, & à quocunque alio, quod non est ipsa. Ad 3. vt à forma distinguatur, non est necesse quod constet ex genere, & differentia, quia non distinguuntur, vt duæ species completæ, sed vt partes illius potentialis, & actualis; possumus etiam concedere materiæ, & formæ genus, & differentiam, si tali modo constituatur prædicamentum substantiæ, vt apex illius, sit substantia finita, vt comprehendit tam completas, quàm incompletas, quod nullum foret inconueniens, quia dispositio illa prædicamentorum artificiosa est, ex natura rei, vt in Logica diximus loquendo de constitutione prædicamentorum. Ad 4. materia secundùm se, & in 1. notione considerata, cognoscibilis est sine forma, & quamuis in 2. notione, & vt relatiuum transcendens sine forma concipi nequeat, non sequitur inde, quod ab ea realiter adhuc non distinguatur, quia propositio illa, si valeret, tantum in absolutis locum haberet, non in relatiuis, vel connotatiuis, & in his vniuersum, quę per additamentum definiuntur, qualis est materia in 2. notione spectata.

21 Contra 2. conclusionem obijcitur pro Philopono, quod materia ante quamcunque formam substantialem habet plures partes, secundùm quas subesse potest formis incompossibilibus, & forma substantialis est indiuisibilis, & ratione materiæ, in qua recipitur, sit diuisibilis, & extensa; & est subiectum actionum agentis naturalis, quod non agit nisi in quantum, & constituit compositum corporeum; ergo materia secundùm suam naturalem constitutionem est trinè dimensa, vel ipsa trina dimensio. Respondetur, argumentum nedum non probare, materiam essentialiter includere trinam dimensionem, vt aiebat Philoponus; sed neque sufficienter probare, quod sit trinè dimensa denominatiuè, veluti subiectum proximum, & immediatum quantitatis, nam pluralitas partium non infert extensionem, vel corporeitatem de genere quantitatis, sed solùm gradum corporeitatis distinguentem ens corporeum ab incorporeo, & spiritu, & exigentiam quãtitatis, quæ ab illo gradu originatur, & talis corporeitas sufficit ad omnia illa munera; licèt falsum sit, formam materialem esse indiuisibilem, est enim & ipsa diuisibilis in plures partes entitatiuas, alioquin veluti anima esset tota in tota materia & tota in qualibet parte; & talis corporeitas sufficit ad sustinendam actionem naturalis agentis; cui accedit, quod materia in nullo instanti reperitur sine aliqua forma substantiali, & ideò semper habet requisita ad hoc, vt possit excipere actionem agentis naturalis.

Secundò Obijcies pro Auicenna, quod sine forma corporeitatis sibi coæua non posset materia appetere formas, quia contrarium non appetit contrarium, sed simile, at materia, vt habet rationem potentiæ est contraria actui, ergo debet assimilari per formam: confert etiam hæc corporeitatis forma, veluti seminarium ad generationem aliarum formarum, quia non potest forma, quæ est actus, & perfectio, gigni ex nuda materia, rudi, & imperfecta.

22 Respondetur negando assumptum, quia, vt docet Scot. 2. d. 12. qu. 1. infra C. & 4. d. 45. q. 2. supra A. inter perfectiuum, & perfectibile, recipiens, & receptum non requiritur similitudo in natura, sed proportio tantum, quæ potius disconuenientiam eorum postulat in natura, vnde falsum est cum præcisione simile appetere simile, nisi similitudo largè sumatur, vt etiam proportionem significat inter aliqua duo; nec materia in ratione potentiæ, & forma in ratione actus dicuntur propriè contraria, quia stant simul, sed potius physicè primò diuersa, vel relatiuè opposita; nec confert illa corporeitatis forma ad generationem aliarum, cum sola materia sufficiat ad hoc; quamuis enim rudis sit, & imperfecta, adest tamen efficiens causa, in cuius virtute continetur: vnde forma suam perfectionem principaliter trahere dicatur, iuxta illud Auerr. 8. Met. 15. Agens largitur perfectionem.

Tertiò demum obijcies cum Zab. quod omnis ratio generica sumi debet ex aliqua parte speciei, vt sumitur animal ab anima, sensitiuum à sensu, sed ratio generica corporis non potest sumi à forma, aliauè parte, sed tantùm à materia, ergo materia est corpus. Respondetur, maiorem non esse veram vniuersaliter; non enim oportet, semper genus sumi ex determinata parte speciei, à qua non sumitur differentia, vt docuimus in Log. disput. 5. qu. 3. art. 2. ex Scoto in 1. d. 3. qu. 3. O. imò multoties ab eadem natura, & forma simplici secundum diuersas realitates sumitur ratio generis, & differentiæ, vt patet in accidentibus minor etiam est falsa, tum quia forma materialis est substantia corporea veluti materia, & ideò etiam ab ea desumi posset ratio corporis, sicut vnà cum materia dat esse corporeum composito: tum quia in rebus compositis etiam ratio generis abstrahitur à toto per modum totius, & non ab aliqua parte; & tandem nec rectè indè infertur, materiam esse corpus, quod sit genus generalissimum, quia quando etiam à sola materia sumeretur ratio generica corporis, hìc conceptus abstractus, & se habens per modum totius, deberet poni genus, & non materia, quæ habet rationem partis, sicut in exemplo ipsius Zab. animal ponitur genus, & non anima, à qua secundùm ipsum sumitur ratio animalis: alias rationes ad id congerit Zab. loc. citat. quæ non probant, nisi gradum corporeitatis in materia essentialiter distinguentem res corporeas ab incorporeis non verò gradum corporeitatis directè positum in prædicamento,

23 Ex his omnibus colligere possumus, quid sit materia prima, & exploratam habere eius quidditatem, & essentiam, quantum nobis licet pro statu isto, & ipsam considerando in secunda notione, per ordinem scilicet ad formam, & transmutationem, quarum est subiectum, & ad compositum, cuius est pars essentialis; non enim pro statu isto est à nobis alio modo cognoscibilis, vt notat Doctor in 2. d. 12. qu. 1. in fine: *Est igitur substantia quædam imperfecta, & incompleta, subiectum primum omnium formarum, & transmutationum, & pars essentialis compositi substantialis per modum per se potentia*: dicitur *substantia imperfecta, & incompleta*, non tantùm ad differentiam corporis, & totius compositi, quia sic etiam forma dicitur substantia imperfecta, & incompleta, sed etiam ad differentiam formæ, à qua petit substantialiter perfici, & absolutè, quia etiam materia in gradu suo potest dici perfecta, sicut latro in genere suo dicitur bonus latro, quatenus in latrocinando est diligens, & cautus, quo pacto persectam

fectum definitur ab Arist. 5. Met. 16. cui nihil deest in genere suo, at verè materia ita se habet, quia nihil sibi deest eorum, quæ ad eius essentiam, & integritatem spectant: dicitur *subiectum receptiuum formæ, & transmutationis* ad differentiam formæ, quæ est actus, non subiectum; & terminus transmutationis, non subiectum, dicitur demum *pars essentialis compositi* ad differentiam partis integralis, sine qua compositi essentia consistere potest, vt homo sine brachio, & *per modum per se potentiæ*, ad differentiam formæ, quæ est pars per modum per se actus. Hoc totum significauit Philosophus 1. Phys. 82. dum materiam definiens in secunda notione per ordinem ad formam, & transmutationem, sic loquitur. *Materia est subiectum primum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid, cum insit non secundùm accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*. Dicitur *primum subiectum omnium formarum, & transmutationum* ad differentiam compositi, quod est subiectum omnium formarum accidentalium, ac etiam transmutationum, & quandoque etiam substantialium, si est compositum incompletum formæ nobiliori essentialiter subordinatum, sed non primum; dicitur *ex quo fit aliquid*, vt ostendat esse principium in fieri, addit, *cum insit*, vt insinuet esse principium, nedum in fieri, vt est priuatio, sed etiam in facto esse, quia remanet in composito; ait *non secundùm accidens* ad differentiam subiecti accidentis, ex quo non fit vnum per se, sed per accidens; concludit denique, *& si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum*, cùm ad differentiam formæ, quæ in corruptione desinit; tum vt ostendat, esse subiectum non tantùm in generatione, sed etiam in corruptione; tum denique, vt significet, quod licèt in aliquibus corruptionibus non immediatè fiat resolutio vsque ad materiam primam, vt in viuentium interitu, denique tamen quod remanet, postmodum resoluitur in eam, vt in subiectum vltimum.

ARTICVLVS III.

De quidditate, & essentia Formæ.

24 CVM ex dictis in primo articulo huius quæstionis habeamus, formam substantialem esse id, quo vnaquæque substantia composita ita in suo esse constituitur, vt essentialiter differat ab omni alia re. planè formam substantialem optimè definiemus, si cum Arist. dicamus 2. Phys. 28. *Forma est quod quid erat esse rei*, idest forma est id, quo res ex ipsa constituta intelligitur esse in certa, ac determinata specie rerum, nam per formam res sunt *quid & hoc aliquid*; idest substantia perfecta, & completa ex secundo de Anima text. 2. quare forma rectè dicitur quodquid erat esse rei, idest quæ dat rei essentiam, & quidditatem, saltim principaliori quodam, & eminentiori modo, quàm faciat materia, vt Scotus explicat in 3. dist. 22. quæst. vn. ponitur autem in tempore præterito verbum, quo exprimitur forma esse ratio quidditatis, vt intelligatur formam pertinere ad conceptum essentialem rei, qui abstrahit ab eius existentia, & est, antequam res existat extra causas, vt Doctor docet 1. d. 36. qu. vn.

Vt autem prædicta definitio substantialis formæ melius percipiatur, notanda est differentia, quam ponit Doctor in 4. d. 11. quæst. 3. Y. inter formam substantialem, & accidentalem: vbi postquam ens diuisit in prius, & posterius naturaliter, vel primum, & secundùm, illudque dixit esse substantiam, hoc verò accidens, inde colligit, formam, quę est actus, & perfectio, diuidendam esse in actum primarium, & secundarium; cum igitur materia, velut primum omninò subiectum omnium formarum omnes respiciat aliquo modo in ratione subiecti, tam substantiales, quàm accidentales, hoc interest, quòd formas prioris ordinis respicit, vt actus primarios, ac proindè essentiales, ac dantes esse simpliciter, formas verò posterioris ordinis, vt actus secundarios, ac proindè accidentales, & dantes esse secundùm quid; quæ enim rei adueniunt in esse secundario, accidentia dici consueuere; vnde ratio præcisa, cur forma substantialis est substantia, vnum per se constituit cum materia, & differt ab accidentali, est, quia ipsa est actus primarius materiæ, accidens verò secundarius; & modum hunc declarandi naturam formæ substantialis amplexus est Auersa, postquam multos alios reiecit qu. 20. sect. 5. quod etiam ibi declarat aptissimo exemplo ex compositione metaphysica deducto, in qua pariter præter genus quod se habet, vt materia, & potentiale quoddam, inuenitur actus quidam, qui primariò illi coniungitur, constituitque cum eo vnum per se, & dicitur differentia; inueniuntur etiam quidam alij actus secundariò aduenientes, vt sunt passiones; sola tamen ratio, quam genus primariò respicit, & ad quam passiones consequuntur, essentialis differentia censetur; sic se habet forma substantialis in compositione physica; quare autem forma substantialis sit actus primarius materiæ, ac proindè eam substantialiter perficiens, & dans esse simpliciter rei, quam constituit; & faciens per se vnum cum ea; accidens verò sit actus secundarius eiusdem, ac proindè dans esse tantùm secundùm quid, vnumque per accidens natum constituere, inquit Doctor, à priori aliam rationem assignari non posse, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud. Ex hac doctrina, & differentia posita à Doctore inter formam substantialem, & accidentalem, substantialis forma sic definiri potest, *Forma est actus primarius materiæ, vnum per se cum ea constituere natus*; per hoc quòd est actus distinguitur à materia, quæ est potentia, per hoc quòd est primarius, distinguitur ab accidentali forma, quæ est actus secundarius, per hoc quòd vnum per se cum ea constituit, distinguitur adhuc magis à forma accidentali, quæ cum subiecto constituit vnum per accidens.

25 Sed in oppositum obijcies. Primò, quia dantur aliquæ formæ substantiales, quæ essentialiter ordinantur ad alias, ac proindè esse perfectum, & completum non tribuunt, sed incompletum potius, & quasi genericum, sic se habet forma mixti in viuentibus in ordine ad animam, vegetatiua in ordine ad sensitiuam, & sensitiua in ordine ad intellectiuam in opinione ponente tres animas in homine, ergo malè explicata est ratio formæ substantialis, quòd det esse completum, & specificum.

Respondetur negando, esse de ratione formæ substantialis in communi, vt ab accidentali distinguitur, quòd constituat semper rem in esse perfecto, & vltimo, sed de ratione illius est, quòd det constituto esse simpliciter, vt esse simpliciter contradistinguitur ab esse secundùm quid, quod à forma accidentali tribuitur; talis enim est differentia, quam Doct. posuit loc. cit. inter formam substantialem, & accidentalem; quando verò dicitur forma quod quid est rei, & rem constituere, & ab alia specificè distinguere; vel hoc intelligi debet de forma vltima, quæ sola absolutè est forma, & forma nuncupatur, formæ enim intermediæ, & subordinatæ, quales sunt in argumento tactæ, dicuntur potius materiæ, vt Arist. docuit 4. Met. in fine, vbi ait, quòd postrema forma, est absolutè ratio, & actus, intermediæ verò, vt materia, & alterius gratia: vel intelligi non debet in toto rigore, & absolutè, sed comparatiuè, & in ordine ad materiam, quam informant, nam facta tali comparatione, etiam formæ intermediæ dant esse specificum, & magis determinatum, quàm tribuat materia ab ipsis informata, penitus communis, & indeterminata, & suo modo materiam perficiunt, & determinant, vide infra disp. 5. n. 61.

26 Secundò. Si differentia posita inter formam substantialem, & accidentalem à Scoto posita valet, nimirum, quod illa sit actus primarius, hæc secundarius materiæ primæ, sequitur, aliquam formam substantialem esse accidentalem, & aliquam accidentalem esse substantialem; si enim quantitas v. g. immediatè recipitur in materia, & postmodum forma substantialis, tunc quantitas haberet rationem formæ substantialis, quia est actus primarius materiæ, & anima, quia non primò aduenit materiæ, sed post formam mixtionis, esset forma accidentalis, quia est actus secundarius.

Respondet Doctor loc. citat. sub litt. Y. & sub litteris D. quòd dum discernimus formam substantialem ab accidentali per hoc, quod substantialis est actus primarius, & dat esse primum materiæ, & composito, quod constituit, accidentalis verò est actus secundarius, & dat esse secundum, non debet accipi prius, & posterius, vt præcisè dicit ordinem introductionis formarum in materia, sed vt significat primum naturaliter, & secundum naturaliter; illud enim est esse simpliciter, hoc verò secundùm quid, quia esse simpliciter præcedit naturaliter esse secundum quid; quam igitur quantitas primò adueniens materiæ daret primum esse formale in primo sensu, non tamen in secundo, quia cuicunque & quandocunque adueniat, semper tribuit esse secundum quid, & è contra, quamuis forma substantialis aduenìret materiæ secundò, & tertiò, semper daret esse primum in hoc secundo sensu, esse nimirum simpliciter.

Tertiò, Etiam materia dat esse determinatum composito, ergo non tantum forma. Probatur assumptum, quia cùm materia sit ex se existens, est indiuidua, atque ideò habet determinatam speciem in genere substantiæ; Nec valet dicere, materiam esse speciem incompletam, nam etiam forma est incompleta, potest ergo dici vtraque compleri per alteram ad componendum totum. Respondetur negando assumptum in sensu, quo assumitur, nam licèt materia sit substantia indiuidua, & species incompleta, sicuti forma quoque, habent tamen diuersum esse, quia materia nullum habet in se speciem prædicamentalem, nec illam dare potest, & ratio hujus est, quia determinata illa essentia quam habet, cuicunque speciei prædicamentali communis est; cùm omnium specierum compositionem ingrediatur, qua ratione appellari solet genus physicum sumpta similitudine ex genere metaphysico, at verò forma non solùm hanc determinationem habet, sed est determinata etiam quoad speciem prædicamentalem, quia nulla forma potest duas species constituere.

Quærunt hì Recentiores nonnulli, præsertim Arriag. disp. 2. Phys. sect. 3. quare potius materia prima sit potentia passiua, siue subiectum formæ, quam è contrariò; & hoc proponit, tanquam difficilimum quæsitum, & postquam plures in hoc reiecit dicendi modos, respondet tandem ipse num. 23. materiam esse potius subiectum, quam formam, quia ita inter se vniuntur, vt illa antecedat, hæc ei superueniat. Hęc tamen solutio etiam in eius principijs subsistere nequit: inferius enim disp. 5. nu. 37. negat ex eo bene deduci quantitatem esse aliorum accidentium subiectum, quia illa præcedit, nam etiam primus gradus intentionis (inquit ipse) præcedit secundum, & tamen illum non recipit; item primæ qualitates præcedunt secundas, quas non recipiunt. Vera igitur, ac germana ratio, cur materia sit subiectum formæ, non è contra, est, quam docet Arist. 1. Phys. quia nimirum forma accedit, & recedit, & materia semper permanet sub vtroque termino mutationis, quæ est vera methodus inuestigandi subiectum formarum, vide infra disp. 3. n. 37.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Num tam materia, quam forma prr se habeant propriam existentiam, & subsistentiam partialem.

27 QVia Thomistæ melioris notæ conueniunt cum Scotistis in significato actus entitatiui, per quem aliud non intelligunt, quam ipsam rei existentiam, quam, & suppponunt ab essentia realiter distinctam, sicut materiæ denegant proprium actum entitatiuum, ita etiam existentiam, immo intantum negant, materiam actum entitatiuum habere, quatenus asserunt, non habere propriam existentiam, sed existere per solam existentiam formæ in genere causæ formalis, eo modo, quo dicimus, subiectum extendi per extensionem quantitatis in ipso receptæ in genere causæ formalis; vel si habet distinctam existentiam ab existentia formæ, asserunt, hanc adhuc dependere ab ipsamet existentia formæ, tanquam effectum formalem illius; addunt tamen, hanc dependentiam materiæ à forma in existendo non esse ab vna forma determinatè, sed ab aliqua vagè, sicut quantitas in esse figurato dependet non ab hac, vel illa figura determinatè, sed ab aliqua vagè, nam sine omni figura nunquam esse potest; ita Thomistæ omnes citati quæst. præcedenti. Scotistæ omnes è contra ibidem citati constanter asserunt, quod sicut materia secundùm se, & independenter à forma, dependentia vera, & propria, quam vocant à priori, habet propriam entitatem essentiæ in rerum natura, distinctam ab entitate formæ realiter, ita habet propriam entitatem existentiæ independenter à forma, quæ sententia vnanimi consensu à Recentiorum torrente recipitur, Suarez disp. 13. Met. sect. 4. Hurtad. disp. 2. Phys. sect. 6. Auers. qu. 20. sect. 8. Arriag. disp. 2. Phys. sect. 5. Amic. tract. 5. quæst. 4. dub. 2. qui alios citant innumeros Auctores, & est etiam communis in schola Nominalium. Formæ verò propriam quoque existentiam partialem negare visi sunt, tam Antiquiores illi Scholastici, qui eam non ponebant distinctam entitatem ab entitate materiæ, sed solùm eius terminationem, quos citat Canon. 1. Phys. quæst. 9. quam Recentiores illi, qui aiunt, non tantum materiam, sed etiam formam existere, & subsistere ad solam existentiam, & subsistentiam compositi.

De subsistentia etiam vtriusque, quamuis apud Veteres Scholasticos quæstio non reperitur in terminis agitata; inter Recentiores tamen maximè exorta est contentio, quandoquidem Vasquez 3. p. disput 32. c. 4. mordicùs tenet, nec materiam, nec formam propriam habere subsistentiam, cùm hæc sit sola totius, & compositi, cuius est subsistere, immo ait, repugnare in terminis, appellare subsistentiam partialem, & communicabilem, cum in suo conceptu includat totalitatem, & incommunicabilitatem, quæ sententia videtur fuisse D. Thomæ p. p. qu. 90. artic. 2. & q. 45. articul. 4. vbi ait, composito, & naturæ completæ subsistentiam conuenire, & hunc dicendi modum sequitur ex nostris P. Sghemma 1. Phys. digress. 5. q. 3. conclus. 2. Alij Thomistæ, sicut formæ concedunt propriam existentiam, ita & peculiarem subsistentiam partialem, at pariter negant materiæ, cui solùm communicari affirmant ab ipsa forma, vt dicebant de existentia. Alij è contra solum materiam asserunt habere propriam subsistentiam in composito, & formam, præsertim corruptibilem, minimè, quia inest materiæ ipsi, veluti subiecto, quod est omnino contra rationem subsistentiæ. Ita Suarez disputat. 43. Met. sect. 5. numer. 14. Fonseca 5. Met. c. 8. quæst. 5. Ruuius tract. de materia qu. 4. & tractat. de forma qu. 4. Alij demum affirmant, tam materiam, quàm formam per se habere suas proprias subsistentias partiales, ex quibus resultat subsistentia totalis, & completa compositi, ita Hirtad. disputat. 2. Phys. sect. 7. Auers. qu. 20. sect. 9. Amic. tract. 5. qu. 5. & alij quamplures.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, tam materiam, quàm formam propriam existentiam partialem possidere.

28 DIcimus, tam materiam, quàm formam suas existentias partiales, & incompletas habere, ex quibus adæquata, & incompleta compositi coalescit. Est Scoti 2. d. 12. qu. 1. & 2. & quidem de forma nulla est nobis cum Thomistis controuersia, & probari posset assertio nostra de vtraque simul ex principio metaphysico in Schola Scotistarum frequentissimo, & à Recentioribus passim recepto contra Thomistas, quod existentia non distinguitur realiter ab essentia, nec est alia entitas illi superaddita, sed ipsamet essentia posita in actu extra causas; hinc enim statim deducitur, quod cum materia, & forma habeant entitatem essentiæ realiter distinctam, habebunt etiam existentiam aliam, & aliam realiter, sed quia hoc principium fusè probandum est in Metaphysica, nunc assertionem positam de materia, de qua est controuersia, medijs physicis probare intendimus, ne videamur sententiam pro nobis arripere ante litis decisionem.

Primò itaque probatur à Scoto loc. cit. ex physicis muneribus, quæ materia exercet, ad quæ prorsus inepta foret, & inhabilis sine existentia; est enim subiectum mutationis, est receptaculum formarum, est causa materialis earum, est pars altera compositi substantialis, ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia formæ, & independenter ab ea, dependentia propria, & a priori, antecedens patet, & consequentia probatur, quia nec mutatio fit, nisi in subiecto existente in rerum natura, & sub vtroque termino manente, nec forma in subiecto recipitur, & sustentatur, nisi priùs natura existente; nec compositum constituitur, nisi ex partibus prius natura existentibus, prius autem non accipit existentiam suam à posteriori; & prorsus incapibile est subiectum actuale formæ ab eadem forma, quam sustentat, existentiam accipere; prorsus in intelligibile est, materiam physiam exercere causalitatem erga formam, & non præintelligi existentem, quia existentia est ratio, vel saltem conditio necessariò prærequisita ad exercitium physicæ causalitatis, vt omnes fatentur.

Respondent Thomistæ, materiam præexistere ante productionem formæ, quæ producitur, quia existit existentia alterius formæ, quam amittit, & secundum illam priorem existentiam concurrere ad productionem nouæ formæ.

Sed contra. Causa in actu, & effectus in actu sunt simul tempore cum effectu causato; sed quando primò fit noua forma, non amplius existit prior in materia; tunc enim primò fit noua forma, quando primò non est forma præcedens, ergo materia non potest causare existentiam nouæ formæ per existentiam prioris, alioquin quod non est actu, causaret ens in actu. Et si crearetur à Deo materia simul tempore cum forma, productio formæ à Deo non esset creatio, sed eductio, quia fieret forma in materia, & dependenter ab ea, vnde, & materia physicè concurreret ad illius formæ existentiam, nec in tali casu dici posset concurrere per existentiam formæ præcedentis, quia in tali casu supponitur, materiam nullam præhabuisse formam, sed hanc esse omninò primam, quæ sibi datur à Deo.

Respondet, in instanti generationis existere per existentiam formæ subsequentis. Contra. Forma succedens non potest tribuere existentiam materiæ prius natura, quam informet, cum informatio sit medium, quo communicatur existentia, at informatio præexigit subiectum existens, quia est vnio quædam actualis formæ ad subiectum, & vnio præsupponit extrema existentia. Respondent, materiam priùs natura existere in genere causæ materialis, formam verò in genere causæ formalis. Contra. In nullo genere causæ potest effectus secundùm esse reale causam suam præcedere, & repugnat dicere, materiam priùs existere in genere causæ materialis, formam in genere causæ formalis, nam existentia, quam sibi priorem vendicat materia in genere causę materialis, vel ei per se ipsam competit independenter à forma in quocunque genere, vel non; si primum, habemus intentum; si secundum, ergo exigentia effectus erit in causa ratio causandi ipsum, vel conditio prærequisita in causa ad actualem eius causationem, & eadem existentia formæ à se ipsa dependebit, & ipsa seipsam in materia præcedet, & in seipsa recipietur, quę implicant, quod egregiè etiam tetigit Pater Lichetus in 2. d. 12. q. 2. soluendo argumenta Cajetani.

Resp. Complut. q. 5. quod quamuis causalitas efficientis presupponat necessariò existentiam in causa, quia actiones sunt existentium, & subsistentium, tamen causalitas materialis, & formalis hoc non exigit, sed satis est, si pro illo priori talis causa sit extra nihil essentię, & in eodem instanti temporis vna cum composito, & per illius existentiam existat, cuius ratio est, quia genus causæ materialis præsertim est genus potentialitatis, & ideò nequit exerceri per existentiam, quę est vltima rei actualitas. Contra vrgetur, tum quia non minus indiget existentia materia ad suam causalitatem exercendam, quam efficiens, cum sustentare debeat, & actionem agentis, & formam, tum quia in illo priori, in quo materia secundum suum esse essentię realis causat formam, & compositum, intelligitur esse extra causam efficientem quantum ad illud esse, ergo intelligitur existens, nam per esse existentiæ nos aliud non intelligimus, quam esse essentię extra causas positum, & prorsus negamus aliud quidpiam ad rationem existendi necessarium esse. Et cum aiunt genus causę materialis esse potentiale, ac proindè exerceri non posse per existentiam, quę est vltima actualitas rei; hoc parum iuuat, tum quia illud dictum intelligitur de existentia vltima, & completa, quę est modus essentię totalis, tum quia ipsamet actualis existentia materiæ, licet habeat rationem actus respectu essentię eiusdem, tamen respectu formę habet rationem potentię subiectiuę; tum tandem quia subiectum erga formas accidentales ex ipso eductas vtique genus causę materialis exercet, & adhuc ad talis causalitatis exercitium, quamuis sit potentialis, existentiam prerequirit. Resp. ad hoc Io. de S. Thom. qu. 3. Phys. art. 2. neg. paritatem, quia subiectum erga accidentia non est solùm causa materialis recipiens, sicut est materia respectu formę, sed etiam sustentans, & illi esse communicans in suo genere, vnde cum illa receptio non sit purè potentialis, sed sustentatiua in esse, supponit in causa materiali existentiam; Contra, quia forma substantialis materialis non minus à materia dependet in suo esse, fieri, & conseruari, quam accidentalis à subiecto, & materia nedum eam recipere dicitur, sed etiam sustentare, & verè causare in genere materialis causę, vt infrà patebit in hac disp. q. 5. art. 4. & q. 7. art. 2. & disput. 5. qu. 4. art. 1. neque differentia formę substantialis ab accidentali consistit in dependentia vel independentia à subiecto, sed in eo quod constituat totum per se, vel per accidens.

29 Se-

29 Secundò probatur ex alio munere physico ipsius, quod est manere sub vtroque termino mutationis, quia de causa ponitur à Philosophis ingenerabilis, & incorruptibilis, at si propriam existentiam non habet, sed existit existentia formæ, iam non erit ingenerabilis, & incorruptibilis; non eadem numero permanebit sub vtroque mutationis termino, sed cum veteri forma veterem, amittet existentiam, & cum noua nouam acquiret, ex quo rursus sequitur; quod agens naturale eam crearet, & annihilaret in qualibet mutatione.

Respondent Thomistæ, materiam semper eandem numero essentiam retinere, & hac ratione eandem permanere sub vtroque termino mutationis, & hac ratione non definere, vel incipere in mutatione, & ideo neque creari, aut annihilari ab agente naturali, quia creatio dicit incæptionem totius esse, & annihilatio desitionem pariter totius esse rei, tam essentiæ, quam existentiæ. Addunt alij, posse etiam dici permanere sub vtroque termino mutationis, etiam quoad esse existentiæ, quia existentia eius absque vlla interruptione conseruatur per subsequens formas eo modo, quo idem lumen productum ab vno agente luminoso, conseruatur successiuè ab alio, & alio simili agente absque interruptione; & hac de causa inquiunt, non generari, vel corrumpi quoad existentiam, nec creari, aut annihilari, quia creari est transire ex nihilo ad existentiam, materia autem cùm supponatur existens per existentiam formæ prioris, non transit ex nihilo ad existentiam, sed ex vna existentia ad aliam; & eadem ratione non annihilatur, quia non definit in nihilum, ita Complut. qu.5.cit.

Sed contra, quia saltem regulariter non amittitur existentia sine essentia, nec acquiritur; & res quæcunque ideò de nouo genita dicitur, quia acquirit essentiam cum existentia, & dicitur corrupta, quia essentiam cum existentia amisit, ergo si materia in generatione, vel corruptione compositi amittit, & acquirit existentiam aliam, & aliam, amittit consequenter, & acquirit aliam essentiam, sic enim generaliter fit rerum naturalium generatio, & corruptio; Accedit, quòd dicere, materiam ita secundùm essentiam permanere sub vtroque termino, idem est, ac asserere, quod permaneat secundùm existentiam, nam vtique materia in tali statu non est nihil, sed aliquid in rerum natura extra suas causas positum, ergo in tali statu censetur existens independenter à forma, quia talem permanentiam sub vtroque termino habet ex sua natura, & non à forma, probatur consequentia, quia essentia rei in tali statu dicitur existens, quoniam quælibet essentia, dum actu est, non nisi per talem suam existentiam esse potest; idest non nisi per tale suum esse actuale, nec assignari potest, quid existentia addat supra essentiam, nisi hanc eius actualitatem in rerum natura extra nihil. Vnde si existentia ponit formaliter rem extra nihil, & in rerum natura, vtique pereunte illa, redibit res in nihilum, ergo si amittit, & acquirit existentiam cum forma, iam incipit, & desinit cum ea, tam secundum essentiam, quam existentiam.

30 Sed, & adhuc magis repugnat dicere, quod eadem permaneat secundùm existentiam sub vtroque termino ex continuo formarum successu; quomodo enim eandem numero existentiam retinebit, si variatur forma, cuius erat effectus? certè si est alia, & alia forma in materia, erit etiam alia & alia existentia de nouo; neque exemplum illud luminis est ad propositum, vt hic ad notauit Auersa; quia lumen procedit à corpore luminoso in genere causæ efficientis, & quia effectus in hoc genere habet esse realiter, ac entitatiuè distinctum à causa efficiente, contingere potest, vt idem effectus conseruetur à consimili causa; at effectus causæ formalis non est, nisi ipsamet forma communicata subiecto, quare si forma destruitur, & à subiecto tollitur, idem numero effectus per nouam succedentem conseruari non potest. Neque eo quia habuit existentiam sub priori forma, per hoc tollitur, quod non creetur, cum postea sub forma succedente nouam acquirit existentiam; sicut enim si Deus creato aliquo homine, in aliquo instanti eum annihilaret, & immediatè post eum reproduceret, talis noua productio adhuc esset vera creatio, quia parum ad hoc refert, quod prius habuerit esse, vel non habuerit; ita in proposito, si materia amittit existentiam priorem, & immediatè post acquirit aliam, talis noua productio erit noua creatio, & si agens naturale formam in materia corrumperet, & consequenter existentiam, quam materiæ communicabat, si Deus tunc suspenderet concursum suum ad nouæ formæ introductionem, verè materia per actionem agentis naturalis annihilata maneret, quia amittit priorem existentiam, & non acquirit aliam. Nec sufficit ad hoc, ne generari dicatur, vel corrumpi, quod absque interruptione semper existere dicatur per existentiam vel prioris formæ, vel alterius immediatè sequentis; nam ad hoc, vt res aliqua corrumpi dicatur, sufficit dicere, quod suam amiserit existentiam; quòd verò immediatè post denuò reproducatur, & nullum fuerit tempus, vel instans medium, in quo existentia caruerit, parum refert, quia semper verum erit dicere, quod res amisit priorem existentiam, & hoc solum est de conceptu destructione rei. Postremò, dum Aristoteles inquit materiam, sub vtroque termino permanere, vtique non intellexit de materia, vt possibili in rerum natura, sed vt actualiter existente, & in hoc sensu etiam dicitur materia esse idem numero subiectum formarum diuersarum successiuè, sed non maneret eadem numero, nisi aliquod esse extra causas sibi proprium, ac à terminis independens, semper retineret.

31 Tertiò principaliter. Eadem actione, qua producitur essentia rei, producitur & existentia eiusdem, & ab eodem agente, sed materia (inquit Doct. loc.cit.) est terminus creationis, forma verò materialis est terminus generationis, ergo existentia materiæ est omninò diuersa ab existentia formæ, & à diuerso agente, minor patet, prob. maior; Tum quia actio terminata ad essentiam producendam tendit ad eam constituendam extra causas, nec essentia rei potest concipi esse terminus actionis agentis, nisi posita extra causas, & existens; hoc enim est existere, idest extrà causas sistere, ergo eadem actione, qua producitur rei essentia, producitur & existentia, & ab eodem agente; Tum quia cum ab agente essentia rei producitur in rerum natura, vel per eam extrà causas constituitur, vel non; si primum, ergo constituitur per eam existens; si secundùm ergo non erit vera productio, nec re vera poterit dici producta in rerum natura, sed erit essentia solùm possibilis produci; Tum tandem quia totum hoc fatentur Thomistæ in productione formæ, & compositi, quòd ab eodem agente, à quo habent essentiam, habent & existentiam, & per eandem actionem, ergo idem fateri tenentur de materia.

Respondent, veram esse maiorem, vbi essentia existit propria existentia, vt est de forma, & composito, non vbi existit existentia, aliena, vt est essentia materiæ; tunc enim eadem actione producitur essentia rei, & eius vnio cum existentia aliena, cuius auxilio existere dicatur; quod explicant exemplo humanitatis Christi in Verbo, non habentis existentiam propriam, vnde non existentia, sed essentia humanitatis cum vnione ad diuinam existentiam fuit terminus productionis illius. Sed contrà; Tum quia vnio præsupponit existentiam extremorum, & præsertim in proposito, cum non sit, nisi informatio, debet vtrumque extremum prius natura existens præsupponere, nam nec forma possibilis solùm actu informare potest, nec subiectum in esse possibili est idoneum actu informari; Tum quia actus secundus præsupponit ex natura sua primum, informatio autem passiua ex parte materiæ, & actiua ex parte formæ habet rationem actus secundi; Tum quia redit in integrum prior difficultas, quia essentia materiæ producta in rerum natura, præcisa ista vnione ad formam, est ens simpliciter in actu, extrà causas existens ex vi illius productionis, & non ex vi vnionis, quia vnio non facit rem existentem, sed tantum facit vnitam, vt patet de vnione animæ ad corpus, quæ non facit animam, nec eam reddit existentem, sed tantùm corpori vnitam; Tum tandem quia falsum quoque est, humanitatem Christi non habere in Verbo propriam existentiam, vt Doctor ostendit 3.d.6.q.1.

32 In contrarium plura obijciunt Thomistæ Primò auctoritates, tum Patrum, tum Philosophorum, qui docuerunt, esse & existere à forma deriuare; sic ab Aristot. forma dicitur, quæ dat esse rei 2. de Anima 36. 2.Phys.text.12.1.de Gen.22.& 5.Met.text.15.& D.Dionysius de diuinis nominibus cap. 3: existere substantialiter vocat perfectissimum effectum, significans per hoc, esse effectum formalem formæ, & non materiæ, quia tunc effectus esset nobilior causa; immo Conimbr. testantur, commune esse axioma inter Peripateticos, quòd existentia est vltima actualitas omnis formæ; & planè, nisi existentiam materiæ ponamus effectum formæ, non erit amplius causa materiæ, quia non daret illi essentiam, neque existentiam; quare cum materia sit prior forma secundùm essentiam, si est ab ea independens etiam quoad existentiam, quid impedit, quin naturaliter etiam materia esse possit sine forma? Resp. Patres, & Philosophos loqui, non de esse, & existere entitatiuo, & transcendenti, quod est commune omnibus rebus, vt entia sunt, sed de esse specifico, & completo indeterminata specie prædicamentali, & in hoc sensu vocat D. Dionysius existere substantialiter effectum perfectissimum; quòd si loquatur de existere entitatiuo, ac transcendenti, vocat illud effectum nobilissimum quatenus inter omnia attributa essentiæ rei conuenientia, hoc videtur præstantiùs, quia existentia est vltime actualitas eius & existentia rei propriè dici nequit, nec effectus essentiæ, nec nobilior ea, quia ab ea nec realiter, nec formaliter distinguitur, sed tantùm vt modus intrinsecus, vnde dicitur perfectior essentia solum in hoc sensu, quòd vbi essentia ex vi vocabuli non significat rem extrà causas, sed in causis, & in esse possibili, existentia significat eam extrà causas & in rerum natura; quarè existentia solùm habet rationem effectus respectu agentis, essentiam rei in rerum natura producentis; axioma verò illud, quòd existentia est vltima actualitas formæ, pariter intelligi debet de existentia completa, & in determinata specie, & quoad hoc esse specificum, & determinatum, vtique forma est causa materiæ, & in hoc esse, quod est sibi extrinsecum, & aduentitium, pendet à forma; non tamen in sua essentia, & intrinseca existentia; nec ex hoc sequitur, materiam naturaliter posse sine forma existere, quia nec quantitas est causa compositi, & tamen compositum nequit sine quantitate naturaliter existere, nec figura est causa quantitatis, & tamen quantitas nequit esse sine figura; vnde ex hoc infertur tantum, quod materia pendeat à forma dependentia impropria, quam vocant à posteriori, & potiùs est coexigentia, veluti scilicet à conditione necessaria, vt naturaliter esse nequeat sine illa sensu infra explicando.

33 Secundò. Si materia existeret, aut existeret per se ipsam, & ex se, aut cum alio scilicet cum forma; si cum alio, ergo non existit propria actu, sed actu alterius; si ex se, ergò erit indiuidua, vel indiuiduata, quia omne, quod est, ideò est, quia vnum numero est: si est indiuiduum, ergo adhuc à forma habebit suum esse, quia indiuiduum ponitur in prædicamento, & omne tale esse habetur à forma: si est indiuiduatum, vel hoc erit per formam, vel compositum, & ita semper sequitur, quòd ex se existentiam non habeat. Respondetur, materiam existere cum alio, seu coexistere, non tamen existentia alterius, sed propria, & quando cum ista forma coexistit in composito, est vti indiuiduata, non tamen per formam, vel compositum, sed per suam propriam hæcceitatem, vt ait Doctor 2. d.3.quæst.6. dici etiam propriam hæcceitatem, incompletum tamen, & partiale, ac proindè non est indiuiduum, incompletum tamen, & partiale, ac proindè non in prædicamento directè reponibile, in quo reponuntur solùm indiuidua completa iuxta constructionem prædicamenti à Philosopho factam.

Sed vrges. Quod est indiuiduum substantiale, habet esse in certa, ac determinata specie rerum, nō enim esse potest aliquod indiuiduum, quod in aliqua specie constitutum non sit; sed materia non est in determinata, ac certa specie rerum ergo non est indiuiduum substantiale. Respondetur, eo modo aliquid esse in certa, & determinata specie rerum, quo est ens, vnde ens completum, & perfectum est in certa, ac determinata specie rerum completa; cum igitur materia sit ens incompletum, erit vtique in certa, ac determinata specie entis, sed entis incompleti. Aduerte hoc argumento non minus probari materiam carere etiam essentia, quia ratione essentiæ debet poni in aliqua specie, immo res constituuntur in generibus, & speciebus per suas essentias, & non per existentiam.

34 Tertiò. Si materia habet propriam, & determinatam existentiam, nil remanet per quod distinguatur à forma, nam vtraque est ens substantiale, & incompletum ordinatum ad constitutionem essentialem compositi substantialis; vtraque in suo genere haberet vltimum actum existentiæ propriæ, atque ideò esset determinate speciei. Si dicantur ex eo distingui, quia materia est perfectibilis, forma perfectiua; Contra est, quia cum vtraque sit ens incompletum, videntur se inuicem mutuò perficere, & complere, vt notat Scot.2.d.14.qu.1. in fine, vnde non videtur ratio, cur potius hæc sit perfectiua, & perfectibilis illa. Si dicatur, rationem esse, quia eadem numero materia cum varijs formis varias constituit rerum species prædicamentales, at forma vnam speciem tantùm constituit, & ideò forma dicitur per esse determinans materiam ad certam speciem, materia verò dicitur principium ex se indeterminatum, & per formam determinabile; Contra est, quia materia cœlestis non est principium, nisi vnius speciei, veluti forma cœlestis, ergo ex hoc capite non benè distinguuntur, nec benè vna constituitur perfectibilis & alia perfectiua, ergo remanet, quod ex eo distinguantur, quòd materia est ens ex se ita indeterminatum, vt nullam ex se habeat indeterminatam existentiam, sed determinetur, participando modò hanc, modò illam ex varietate formarum.

Respondetur negando consequentiam, quoniam estò materia etiam sit secundum se determinatæ speciei incompletæ, sicut forma, tamen est indeterminata quoad speciem prædicamentalem, quia secundum se est positiuè indifferens ad constituendam hanc, vel illam speciem, at forma non solum est determinata quoad speciem incompletam, sed etiam quoad completam constituendam, quia cum materia non nisi determinatam speciem prædicamentalem constituere potest; & hac ratione materia dicitur principium indeterminatum, & perfectibile, forma principium determinatum, & perfectiuum, & cum arguitur de materia cœlesti, quæ determinata videtur vno, & altero modo; dicimus, ex hoc potius colligi debere, in sententia Philosophi non esse admittendam in corporibus cœlestibus materiam, & secundum veritatem illam, ex qua constant, esse eiusdem rationis cum materia horum sublunarium, & proindè indifferentiam habere ad constituendam aliam, & aliam speciem.

Sed vrges, hinc sequi, materiam esse perfectiorem forma, quia eo causa est perfectior, quo potest ad plures effectus concurrere; forma verò limitata est ad vnam speciem constituendam. Resp. negando consequentiam, & propositio assumpta pro eius probatione vera est, quando causa concurrit ad plures effectus, præbendo plures perfectiones à quod si omnibus, & singulis præbet vnam, & eandem perfectionem, vt in proposito est de materia, eius illimitatio non arguit maiorem perfectionem in causa, quam si ad vnum dumtaxat concurreret effectum. Accedit, quòd illimitatio ad plures effectus duplex est ex Doct.1.d.28.q.3. sub H. actiua, & passiua, illimitatio actiua ad plures effectus arguere potest maiorem perfectionem in causa, quo plures sunt effectus, ad quos concurrit; at non illimitatio passiua, qualis est illa, per quam materia apta est plures species constituere.

35 Postremò obijciunt Complut.cit. quia si materia propriam haberet existentiam partialem, tunc darentur plures existentiæ partiales in composito, quarum vna esset potentialis ad aliam, nimirum existentia materiæ ad existentiam formæ, sicut essentia eius est potentialis ad essentiam illius, sed hoc manifestè implicat ergo &c. prob.min. Tum quia existentia est vltima actualitas rei, nam eo ipso quod intelligitur res existens, intelligitur etiam vltimò terminata, & completa generatio substantialis illius. Tum quia repugnat inueniri in aliquo rationem differentialem, seu vltimam, quæ sit ignobilior ratione superiori eiusdem ex 8. Met. 10. nam ratio inferior comparatur per modum actus respectu superioris, ergo existentia propria repugnat materiæ, nam hæc foret potentialis, & per potentialitatem, tanquam per conceptum vltimum constitueretur propria materiæ. Tum etiam, quia existentia est terminus naturæ, ergo nequit physicè esse composita, ac proindè nec dari possunt existentiæ partiales, prob. prima conseq. nam de ratione termini est carere ea diuisibilitate & compositione, quam habet res terminata, sicut linea caret diuisibilitate secundum latitudinem, quam terminat, ergo quod est terminus naturæ compositæ, non erit diuisibile in partes physicas per modum actus, & potentiæ se habentes. Tum denique quia causalitates exercentur, nec ad vltimum sui exercitium deuenerunt, nunquam intelligitur effectus existens, quia nondum adhuc est extrà causas in facto esse, sed tantum in fieri; at quousque causæ attingant totum, causalitates eorum semper sunt in exerceri, nec ad vltimum sui exercitij deuenerunt, ergo antecedenter ad totum nulla preintelligitur existentia etiam partialis.

Resp.neg.min. nam saltim in homine debent admittere existentiam partialem animæ; ad 1. probationem dicimus valere de existentia totali, & completa, quæ est solius compositi. Ad 2. prob.concesso antecedente neg.conseq. quia potentialitas subiectiua non est differentia essentialis materiam constituens, & quando foret, tunc dici deberet, quod esto sit ignobilior actu formali, non tamen actu entitatiuo. Ad 3.posset negari antecedens, & consequentia, quia subsistentia non existentia est vltimus terminus naturæ; sed siue hæc ponatur, siue illa, repugnat præsertim in Complut. opinione, compositum habere vnam simplicem existentiam, & indiuisibilem, nam secundum ipsos compositum non est tertia entitas ex vnione parcium resultans, in qua immediatè recipiatur hæc existentia simplex, ergo pariter sicut entitas totius non est, nisi entitas suarum partium vnitarum, ita existentia totius non erit nisi coexistentia illarum, seu existentiæ partiales ambarum vnitarum; & præsertim in homine difficultas esset, an talis existentia simplex totius foret spiritualis, vel corporea, nam si spiritualem dicatur, non posset afficere corpus; si secundum, non posset afficere animam; & denique hæc simplex existentia totius non posset recipi in vna parte tantum, quia cum sit modus, debet ipsum afficere quoad vtramque partem; non in vtraque simul, quia non potest idem indiuisus modus res distinctas afficere, & esse in duobus subiectis realiter distinctis, nec in tertia entitate, quia hæc non datur secundum illos, paritas autem illa deducta ex indiuisibilibus quantitatis non currit quatuor pedibus. Ad 4.prob.concludit solum de existentia totali, & completa, hæc enim vtique non habetur, nisi quousque causæ ad vltimum exercitij sui deuenerint; at sicut partes suae priores toto, ita etiam supponuntur ex natura rei causalitates partiales ad existentiam partialem earum terminata.

ARTICVLVS II.

Ostenditur, quomodo materia, & forma propriam habeant subsistentiam partialem.

36 TOta hæc controuersia inter Recentiores est quæstio de nomine, quod nimirum sonet, quit significet hoc nomen subsistentiæ; contendit Vasquez loc.cit.de ratione subsistentiæ esse; vt rem, quæ dicitur subsistere, ita constituat per se existentem, vt sit independens ab alio, tanquam à subiecto, & incommunicabilem alteri, non solùm per modum naturæ respectu alterius suppositi, sed etiam per modum partis respectu totius, aut alterius partis, & ideò inquit, subsistentiam esse solius naturæ totalis, & integræ, & conuerti cum suppositalitate. Hurtadus, & Auersa loc.cit. inquiunt, magis patere nomen subsistentiæ, quam suppositalitatis & modum subsistentiæ non dare suæ naturæ, cuius est vltimus terminus, & complementum, quòd independenter existat à subiecto; nec eam reddere incommunicabilem per modum partis respectu totius, aut alterius partis, sed solum per modum naturæ respectu alterius suppositi; & quia tam materia, quàm forma, etiam dum actu compositum constituunt, sunt hoc modo incommunicabiles alteri supposito per talem suum modum, ideò etiam in tali statu dici debent subsistentes, quia hic modus non opponitur cum vnione partium adinuicem, nec cum communicatione partium ad totum, sed tantùm cum modo vnionis hypostaticæ ad alienum suppositum: pro decisione quæsiti.

37 Notandum est ex Scot. quodl.9. sub A. nomen subsistentiæ tripliciter sumi posse, & solere, communissimè, communiter, & propriè; primo modo subsistere idem sonat, quòd per se esse, & non in alio ad modum accidentis, in quo sensu subsistere conuenit omni substantiæ, tam completæ, quàm incompletæ, & quod talis modus per se essendi possit appellari nomine subsistentiæ, ex eo constat, quod per subsistere dicitur substantia ab accidente differre; & Diuus Athanasius in disput. habita contra Arium in Concilio Niceno, substantiam, pro vt ab accidente distinguitur, definiuit esse illam rem, vndè aliquid habet, vt subsistat. Secundo modo dicitur subsistens illud ens, quod per se existit independen ter ab alio, velut à subiecto, & sustentante, quo pacto formæ materiales subsistentia carent, & quod etiam hic modus per se existendi possit appellari nomine subsistentiæ, docet communis vsus sapientum, qui ob talem existendi modum, Animam rationalem appellant subsistentem. Tertiò tandem modo, & magis proprio, illud dicitur subsistens, quod ita est per se existens vt habeat vltimam actualitatem, ita quod per se ordinabile nō sit ad aliquem actum simpliciter vltrà istum quē habet, nec alteri esse possit ratio essendi, sed omninò incommunicabile sit, vt quo, & vt quod, vt loquitur idem Do-

Doctor 1,d.2,quæst.7. & istud solùm dicitur propriè subsistens,inquit Doctor , & conuertitur cum supposito, & solum primæ substantiæ conuenit,quod ideò dixit Doctor,non quia non admittat,vt veros, & rationabiles primum, & secundum modum subsistendi , quia illos, & agnoscit loco cit.& quodl.4.M. & quodl.5. V. quibus in locis Diuinam Naturam appellat subsistentem ob independentiam à subiecto, etiamsi communicabilis sit supposito ; sed vt ostenderet , proprium, & rigorosum modum subsistentiæ esse hunc tertium ; ex quo patet nomen subsistentiæ multas habere acceptiones veras , & rationabiles , si tamen in toto rigore sumatur, excludere quamcunque communicabilitatem , tam respectu subiecti , quàm totius , & suppositi .

38 Dicendum igitur est, materiam , & formam habere propriam subsistentiam in primo sensu ; in secundo sensu materiam quoque subsistere , non autem formam , anima rationali excepta ; in tertio demum sensu , nec materiam , nec formam subsistere . Conclusio colligitur ex Scoto loc. citat.& probatur ex dictis , quia enim tam materia , quàm forma verè sunt substantiæ , ideò dicuntur subsistere , vt subsistentia distinguitur ab inhærentia , & substantiam a toto genere secernit ab accidente . Et quia materia à nullo dependet subiecto , & sustentante , immò potius est subiectum primum , à quo omnes formæ materiales dependent , velut à sustentante , hinc est , quòd materia gaudet subsistentia in secundo sensu , quatenus excludit dependentiam ab alio , velut à sustentante subiecto , non autem forma . Quia tandem non sunt penitus incommunicabiles , sed venire possunt in compositionem tertij , cui etiam sint rationes essendi , ideò non dicuntur in tertio sensu subsistere, quia sensus ille omnem prorsus excludit communicabilitatem , tam respectu subiecti per modum formæ inhærentis , quàm respectu totius per modum partis constituentis , quàm respectu suppositi alieni per modum naturæ ; & hanc conclusionem quasi in terminis tradidit Trombeta noster in initio Formalitatum, & Bassolius in 2.d.12. q.1.art.3. ad 3.

Sed in oppositum obijcies primò pro Vasquez , quod subsistentia est solius naturæ completæ , & totalis , ponitur enim ad constituendum suppositum , & subsistere est incommunicabiliter existere , at materia , & forma sunt maximè communicabiles , & actu communicantur , dum sunt in toto . Nec respondere valet (inquit Sghemma loc. citat.) hæc esse vera de subsistentia completa , & totali , non incompleta , & partiali , quia implicat , subsistentiam esse partialem , & diuisibilem , incommunicabilitas enim est de ratione subsistentiæ . Respondetur , non repugnare subsistentiam parti , quia subsistentia magis patet , quam suppositalitas , nec de ratione subsistentiæ absolutè sumptæ esse incommunicabilitatem , sed tantùm de ratione subsistentiæ rigorosè inspectæ , in quo sensu cum suppositalitate conuertitur , & Scotum hos omnes modos accipiendi subsistentiam agnouisse , ostendimus supra .

Secundò obijcies pro alia opposita sententia , quòd vtraque propriè subsistat , quia modus subsistentiæ non habet ex vi sua reddere rem , quam afficit , incommunicabilem respectu subiecti inhæsionis per modum formæ , aut respectu compositi per modum partis , sed tantum respectu alterius suppositi per modum naturæ ; at materia , & forma , etiam quando sunt in composito , talem habent incommunicabilitatem per modum subsistentiæ , ergo propriè subsistunt , minor patet , probatur maior , quia modus subsistentiæ non opponitur cum vnione ipsius formæ ad materiam , nec cum communicatione , aut communicabilitate partium respectu totius , sed tantùm cum modo vnionis hypostaticæ ad alterum suppositum per modum naturæ . Respondetur negando maiorem , quia subsistentia in rigore accepta omnem prorsus excludit communicationem , & communicabilitatem ; sic enim conuertitur cum suppositalitate , quæ reddit individuum substantiale incommunicabile , vt quo , & vt quod , tam per modum partis respectu compositi , quàm per modum naturæ respectu suppositi .

39 Tertiò obijcies , quòd si subsistentia communiter dicta tribuitur materiæ , etiam debebit tribui formæ , quæ longè perfectior est illa , subsistentia enim in eo sensu dicit perfectionem in re ita subsistente , quia in ea negat dependentiam à subiecto , vt sustentante ; & si formæ denegetur , materia erit perfectior forma . Respondetur negando paritatem , quia ad tale munus instituta est materia in rerum natura , quod prorsus indigebat tali subsistentia ; creata enim est , vt sit primum , & perpetuum subiectum omnium formarum , & transmutationum , ad quod munus non est instituta forma , & ideò non valet dicere , si materiæ tribuitur , ergo etiam formæ tribui debet . Nec sequitur ex hoc , materiam futuram esse perfectiorem ipsa forma , quia , vt docet Scot.1.d.8. quæst.1. ad primum , quando sunt duæ naturæ , habentes peculiares , & diuersas perfectiones , illa nobilior censeri debet , cui conuenit perfectio aliam excedens à toto genere , quod ibi explicat exemplo simplicitatis materiæ , & actualitatis compositi , & ex eo quòd actualitas à toto genere supereminet simplicitati , infert compositum esse perfectius materia , licèt non sit simplex , vt illa ; sic in proposito actualitas , quæ conuenit formæ , supereminet à toto genere subsistentiæ , quæ conuenit materiæ , quia hæc subsistentia stat cum potentialitate , immò ad hoc tribuitur materiæ , vt sit idoneum subiectum cuiuscunque formæ materialis , qua ratione dixit Ruuius loc. cit. hanc subsistentiam non fuisse inditam materiæ à natura propter perfectionem , sed potius imperfectionem importare in ipsa materia , quatenus per eam constituitur subiectum primum omnium fromarum ,& transmutationum ; & hæc breuiter dicta sufficiant pro præsenti articulo , quia longiùs agere de subsistentia differendum est vsque ad Metaphysicam .

QVÆSTIO III.

Num materia , & forma naturaliter , vel saltem supernaturaliter possint separari , & separata conseruari , & quo pacto id fieret .

40 NOn posse naturaliter materiam sine forma existere , nec formam materialem (de hac enim loquimur) sine materia , concedunt omnes , sed quamuis inseparabilitatem formæ à materia omnes oriri dicant ex intrinseca,& essentiali dependentia,quam habet ab ea in suo esse fieri , & conseruari ; tamen inseparabilitatem materiæ à forma non omnes ex eodem capite deducunt . Thomistæ quæstione præcedenti citati , ex eo oriri dicunt , quia materia ex se existentiam non habet , sed à forma in genere causæ formalis , vel saltem in sua existentia dependet à forma , vt à conditione sine qua non , præuia tamen , eò quod materia non est capax existentiæ naturaliter , nisi priùs sit coniuncta cum forma . Alij inquiunt , quòd licèt materia ex se suam habeat existentiam , eam tamen retinet dependenter à forma , tanquam à conditione sine qua non , non præuia, sed consequente , & concomitante, eo modo, quo natura pendet à subsistentia , anima à suis potentijs , & vniuersaliter substantia ab accidentibus , sine quibus naturaliter conseruari non potest, quæ dici solet dependentia à posteriori , & meliùs dicetur naturalis coexigentia , & indigentia ex naturali constitutione rei deriuans , ita Suarez disput.13.Met.sect.4.& disput.15.sect.8, vnde infert, materiæ sine forma naturaliter non deberi conseruationem , sed ad formæ ablationem , ex natura rei materiam interituram . Alij demum negant dependentiam materiæ à forma , etiam in hoc sensu,vnde hanc necessariam naturalem connexionem materiæ cum forma potius auspicantur ex conditione naturæ vniuersalis , quàm particularis,ipsius materiæ à forma , etiam in hoc sensu , vnde hanc necessariam naturalem connexionem materiæ cum forma potius auspicantur ex conditione naturæ vniuersalis , quàm particularis , ipsius materiæ , hoc est , ex conditione , & ordine vniuersi , quod ab Auctore naturæ ita institutum est , vt agens naturale semper generationem per se intendat , corruptionem verò per accidens , ex quo fit, materiam virtute agentis naturalis non posse vna forma expoliari , quin aliam recipiat , ita quamplures ex nostris , P. Vulpes tom.2. p.2. disput.32. art.4.num.6. & Fuentes 1.Phys.q.2.diff.4.art.1. & sequitur Auersa q. 20.sect.10.

Supernaturaliter verò , & per absolutam Dei potentiam , quæ ita dicitur , quia à legibus iam præfixis in vniuerso absoluitur , vt ait Doctor 1. dist.44. qu.vn. tenet ipse , & cum eo Scotistæ omnes 2.d. 12.q.2. & Recentiores passim 1.Phys.immo,& aliqui ex ipsamet Dominicana familia , Soto 2.Phys.q.6.art.2.concl.2. & Bannes 1.p.q.66. art.1.dub.2.materiam posse esse sine omni forma substantiali,& è contra . Oppositum verò asserunt , non solùm cœteri Thomistæ communiter , sed etiam aliqui , nobiscum tribuentes materiæ propriam existentiam ita Vallef.controu.7.Physicæ,& probabile putat Auersa loc. cit.concl.3.

Quo autem pacto materia separata à forma conseruaretur , vel forma separata à materia,varia etiam sunt Auctorum placita, an scilicet id fieret per nouum perfeitatis modum , eis in tali statu communicatum , vel saltem per specialem concursum à priori diuersum , quo simul conseruabantur . Qui materiæ denegant subsistentiam propriam partialem,non solùm inquiunt,necessarium esse nouum influxum, sed etiam nouum perfeitatis modum , quo separata à forma conseruetur, & ita etiam loquuntur de forma . Qui verò vtrique propriam decernunt subsistentiam , non adhuc eodem modo loquuntur , quamuis enim pro materiæ conseruatione omnes in hoc conueniant , non esse necessarium nouum perfeitatis modum ; aliqui tamen dicunt materiam indigere speciali concursu, quo tunc suppleatur concomitantia formæ,ita Suar,loc.cit.in Met.& tom.3.p.2.disp.50.sect.4.& Ruuius 1. Phys.q.5.dubio collaterali, & Conimb.1.Phys.c.9.q.6.art.3. Negant alij necessitatem specialis concursus , vt Hurtad.& Auersa loc.citat. Fuentes 1.Phys.q.2.diff.4.ar.5.cum Scoto in 2.dist.12.q.2.propè finem. De forma verò loquentes præcitati Auctores, videntur vtriusque necessitatem asserere ; scilicet, & noui perfeitatis modi, & noui concursus propter dependentiam à priori,quam habet forma ad materiam; è contra Scotus negat vtrumque, tum loc.cit.tum 4.dist.12.q.1. verum est,relatos Auctores, cum pro conseruatione formæ separatæ modum nouum perfeitatis postulant , præsertim loqui de forma accidentali , sed cum forma substantialis materialis non minus indigeat sustentante subiecto (licèt ex alio capite dici possit subsistere,vt q.præced.ar.2. explicatum est) quam accidentalis,ideò vniformiter loqui quoad hoc de hac,& illa tenentur .

ARTICVLVS I.

Insinuatur ratio , cur materia , & forma nequeant naturaliter separata existere .

41 DIcimus experientia ipsa constare secundùm communem naturæ cursum , nec mareriam posse absque omni forma existere,nec formam absque materiæ fulcimento , nec alia egere probatione. Ratio , cur forma materialis sine materia nequeat naturaliter existere,est eius essentialis dependentia à materia,à qua, tanquam à causa materiali,dependet à priori ; materia enim est verè causa materialis ipsius formæ , vt potè , quæ ab eius potentia educitur , vt magis in progressu patebit , & ideò ad ablationem materiæ, deberet naturaliter forma quoque desinere , quia ex eius innata conditione , ei non debetur à Deo conseruatio , nisi in materia, quod si aliter conseruetur , est prorsus præter eius naturam , vt dicimus de accidentibus Eucharistiæ , & in hoc nulla est controuersia. Ratio autem, cur materia nequeat naturaliter sine forma existere, est necessaria coexigentia , quam habet ipsius formæ , quæ necessaria coexigentia non debet attendi ex dependentia , quam habet ab ea , veluti à causa sui esse, quia , vt probatum est supra , habet ex se materia independenter à forma propriam entitatem, & existentiam ; & intantum forma dici potest causa materiæ , inquantum per informationem eam constituit in specie completa , & in quodam esse formali , vt infra dicemus. Neque hæc necessaria coexigentia attendi debet ex dependentia , quam habeat à forma , veluti à præuia conditione sibi requisita ad existendum , quia non minus causa , quàm conditio causandi debet naturæ effectum anteuertere ; cum igitur forma sit verus effectus materiæ in genere materialis causæ, vtique non poterit constitui conditio materiæ ad existendum , sicut nec causæ effectiuæ eius effectus tribui potest , vt conditio causandi ipsum ; effectus enim supponit causam cum omni conditione necessariò ad causandum prærequisita. Neque hæc necessaria exigentia attendi debet ex dependentia , quam habeat à forma , saltem velut à conditione concomitante in sensu , quo loquebatur Suarez , vt nimirum ei non debeatur naturaliter existentia , ablata forma ; Tum quia connaturalis etiam est status coniunctionis animæ rationalis cum corpore , & tanquam pars essentialis hominis petit compleri , & tamen separata à corpore , adhuc naturaliter perseuerat in esse ob subsistentiam , quam habet suaptè natura , ergo cùm subsistentiam consimilem etiam materia possideat , poterit, si semel à forma separetur , naturaliter, & quantum est ex se , in esse perseuerare ; Tum quia imperfectio , & incompletudo materiæ tantum facit , vt indigeat forma , tanquam actu perficiente , & complente , non tanquam conditione ad existendum necessaria . Tum quia multa videmus , ex eo , quòd amiserint accidentia aliqua sibi consentanea , non statim perire , sed secundum communem naturæ cursum , adhuc perseuerare , licèt cum aliqua violentia ob priuationem illorum accidentium , vt patet de aqua tepida , & aere secundæ regionis frigido ; Tum quia supposito miraculo seperationis materiæ à forma , non est necessarius nouus , & maior influxus eo , quo conseruabatur sub forma , sed eodem prorsus influxu conseruatur in esse,quo priùs conseruabatur,vt dicemus art.3. ergo seclusa forma non statim ex natura rei interire debet , alioquin , & nouum miraculum , & nouus concursus foret necessarius pro eius conseruatione ; Tum tandem quia illæ censentur conditiones , quas necessariò res exigit pro naturali sua conseruatione in sensu Suarez , quæ per naturalem dimanationem in ipsa pullulant, eo ipso ; quod in rerum natura constituitur , secluso quocunque extrinseco agente , sed materia non ita sibi vendicat formam,sed ab extrinseco agente ei imprimitur, ergo non debet iudicari conditio naturalis, necessariò requisita ad naturalem existentiam materiæ, idest iuxta exigentiam particularis naturæ illius;nulli enim dubium est,quòd est conditio naturalis , loquendo iuxta exigentiam naturæ vniuersalis consistentis in ordine iam præfixo vniuersi;minor patet,& probatur maior, ideò enim dicimus , Solem à luce pendere in existendo,velut à conditione concomitante, ignem à calore,aquam à frigore,quia habent à natura vt sine auxilio agentis extrinseci hæc sibi propria acquirant virtute, tum imprimæua eorum constitutione,tum deinceps,si illa in aliquo gradu amisissent , & idipsum patet in exemplis ipsius Suarez, quibus explicat dependentiam à posteriori substantiæ ab accidentibus .

Recentiores quidam hanc connexionem materiæ cum forma secundum communem naturæ cursum ex eo auspicantur,quod materia naturaliter loquendo , si est in vniuerso , non potest esse, nisi in loco, vbi est aliqua causa naturaliter determinata aut ad conseruandam,aut ad producendam formam aliquam substantialem in ea, sicut si non posset poni aqua, nisi in loco, vbi esset aliqua determinata ad producendum calorem in ea , aqua necessariò haberet connexionem cum calore, non ex natura eius intrinseca , sed ex applicatione talis agentis. Sed neque hæc ratio est sufficiens , quia agens naturale non potest agere,nisi in quantum,vt docet Scot.2.d.12. qu.2.litt.F. & omnes concedunt, quia subiectum idoneum pro recipienda actione ab agente naturali debet esse impenetrabile, sed materia nuda , vt infrà ostendemus qu.8.art.4. & etiam concedunt isti , cum quibus disputamus, non est subiectum immediatum quantitatis, sed compositum , ergo non posset ab agente naturali applicato recipere dispositionem ad formæ substantialis introductionem ; Tum quia posset naturaliter contingere casus , quod duo agentia naturalia æqualis virtutis sint æquè applicata ad illam,quo casu se inuicem impedirent, & materia in tali casu à neutro susciperet formam ; Tum tandem quia contingere potest, quod agens vel ob improportionatam applicationem, vel ob debilem suam virtutem non producat formam substantialem in tota materia nuda, sed prius in parte sibi propinquiori,quam in remotiori, sicut lux à Sole, licet possit in instanti per medium diffundi , tamen quia Sol non est omnibus vniuersi partibus simul applicatus, sed per motum illis successiuè applicatur, successiuè etiam,& partibiliter inducit lucem in medio , quæ alioqui de se est forma acquisibilis in instanti ; & in tali casu aliqua pars materiæ nempè remotior,remaneret sine forma .

Restat igitur , vt hæc necessaria coexigentia formæ in materia secundum communem natnræ cursum petatur ex conditione naturæ vniuersalis , & ordine vniuersi , quod ita ab Auctore naturæ est institutum , vt agentia naturalia non corrumpant formam in materia , quin aliam de nouo generent , qui ordo ab agente naturali inuerti nequit , vt docet Doctor 2. d.2. qu.12. C. quæ fuit opinio Marsilij 2. d. 12. qu.1. in decisione art.2. & Bassolij in 2.d.12. qu.1. in decisione art.3. & videtur colligi ex Doctore 2.d.1.qu.5. in expositione illius propositionis ; Generatio vnius est corruptio alterius . Accedit ex P. Vulpes cit. quòd necessaria connexio materiæ cum forma non absolutè fundatur in indigentia materiæ , sed in exigentia vniuersi pro sua integritate poscentis elementa , mixta , viuentia , & cœtera composita ex materia , & forma . Quia tamen materia est pars quæ essentialiter petit compleri , est potentia , quæ naturaliter petit actuari , est imperfecta , & ideò naturaliter petit perfici ; hinc coexigentia formæ potest etiam in aliquo sensu attendi ex natura , & peculiari conditione ipsius materiæ , ita quòd sine forma existens , esset in statu violento , & contra suam naturalem inclinationem; at hæc indigentia non est talis , vt statim sine forma periret , nec conseruari posset à Deo sine nouo miraculo , vt asserebat Suarez , & Hurt. disput.5. §. 154. & Arriag.disput.2.Phys.sect.6.nu.119. Dices, malè ex hoc capite coexigentiam formæ in materia deduci , nam corpus quod est altera pars hominis , est pars, est per se potentia ; est quid imperfectum , & tamen non necessario coniungitur semper cum anima , ergo idem dici posset de materia . Hæc instantia parum vrget , quia , vt dicimus infra disput. V. qu.6.art.1.ad 4. & in lib. de Gen.& Cor.disput.V. q.3.art.1.nu.81. longè diuersa est conditio materiæ nudæ , & constituti ex materia,& forma mixtionis,quale est corpus pro altera parte compositi animati , vt illis in locis exactè declaramus.

41 In contrarium obijcies Primò ad probandum,materiam dependere à forma in existendo , vt à conditione concomitante ex intrinseca eius indigentia. Tum quia sic pendet in essendo ab accidentibus , saltem à quantitate ; ergo multo magis à forma substantiali , quæ est actus materiæ proportionatus ; Tum 2.quia si non potest materia esse naturaliter sine forma signum est , dependere ab ea , vt à conditione concomitante saltim . Tum 3. quia materia essentialiter ordinatur ad formam , & est propter formam ; ita quod si forma implicaret , etiam materia non esset , ergo omninò à forma dependet . Tum 4. quia si ex sua natura , & intrinseca indigentia saltim hoc modo materia non dependet à forma , materia erit perfectior forma , quià magis independens . Tum 5. quia hic dependentiæ modus ab alio , vt à conditione concomitante , non est fictus, & cernitur in cœteris rebus , sic enim dicimus , dependere ignem à calore, & siccitate , aquam à frigore, & humiditate , vnionem formæ cum materia à suis dispositionibus. Tum tandem quia ait Scot 2.d.20.q.1. sub A. quòd Deus modò dat esse materiæ mediante forma, vt causa .

Resp. ad 1. negando consequentiam ; si enim quantitas ponatur accidens materiæ coæuum , magis dependebit materia à quantitate , vt à conditione concomitante , quam à forma substantiali , quia eam haberet per naturalem resultantiam , non sic autem habet formam substantialem ; quare licet ad existentiam materiæ completam, & specificam , magis conferat forma substantialis , tamen ad existentiam incompletam materiæ propriam , magis conferet quantitas . Ad 2. iam diximus , non propter dependentiam , aut talem indigentiam quòd sine forma suaptè natura perire materia deberet , necessariam esse naturaliter connexionem materiæ cum forma , sed ex indigentia naturæ vniuersalis , & etiam naturæ particularis ipsius materiæ , sensu iam explicato . Ad 3. hoc est commune omnibus rebus transcendentaliter relatiuis , quod aptitudine terminum necessariò respiciant, non tamen actu dependeant in existentia ab existentia termini ; ita omnis potentia est propter suum actum, & si hic implicaret,potentia ad illum non esset,sed hinc non sequitur,non existente actu , neque potentiam ipsam extituram fore . Ad 4. concedit Doctor 2.d.12. q.2. H. materiam esse magis independentem , adhuc tamen forma est perfectior, quia materia est potentia , forma verò actus: vide quæ diximus in calce præcedentis quæstionis : & si argumentum valet , concludit, materiam à forma pendere , vt à causa,& non tantum vt à conditione concomitante. Ad 5. concedimus eam dependentiam à posteriori in rebus pro exemplo allatis , quia res illæ habent virtutem à natura inditam , vt hæc accidentia sibi acqui-

acquirant eo ipso, quòd in lucem emergunt, absque actione agentis extrinseci, & ea denuò recuperent, si quandoque illis, priuentur in aliquo gradu, vt patet de aqua ad pristinam frigiditatem redeunte, qua de causa accidentia illa rationabiliter vocari possunt conditiones ex natura rei concomitantes existentiam illarum substantiarum, at non sic se habet forma respectu materiæ; ex quo concludimus, præfatas substantias magis indigere huiusmodi accidentibus ex sua intrinseca natura, quàm materia indigeat forma. Ad 6. vult tantum innuere Scot. quòd Deus decreuit materiam in vniuerso conseruare cum consortio formæ, & infrà se explicat, connexionem hanc non esse necessariam absolutè ex natura materiæ exortam, sed ex decreto Dei.

42 Secundò obijcitur ad probandum, posse materiam existere naturaliter sine forma; Tum quia habet propriam existentiam, & subsistentiam, & independenter à forma, & tanquam à causa, & etiam tanquam à conditione concomitanti; Tum quia hac ratione dicimus, naturaliter contingere separationem animæ rationalis à corpore, licèt ordinem dicat ad corpus, tanquam ad sui compartem; Tum quia materia artificialium esse potest naturaliter sine quacunque forma artificiali, ergo & materia naturalium sine quacunq; naturali; Tum tandem quia non est conuertibilis illa propositio, Generatio vnius est corruptio alterius, vt patet in animalis interitu in Scoti sententia, & pars integralis potest naturaliter extrà totum existere, ergo, & essentialis.

Resp. ad 1. non contingere naturaliter separationem materiæ ab omni forma non propter aliquam veram dependentiam eius à forma, vel tanquam à causa, vel tanquam à conditione concomitanti, sine qua statim perire deberet, nec conseruari posset sine nouo miraculo, sed præcipuè propter ordinem naturalem rerum à Deo præfixum. Ad 2. negamus paritatem, quia existentia, & subsistentia animæ rationalis longè perfectior est existentia, & subsistentia materiæ; tum quia illa in ordine spiritualium substantiarum reperitur; tum quia si internam indigentiam respiciamus, magis materia indiget forma, quam anima corpore, quia maiorem acquirit perfectionem materia ex coniunctione ad formam, quam anima ex coniunctione ad corpus; licèt nunquam sit talis indigentia, vt sine forma periret; dicimus etiam, ea ratione potuisse Auctorem naturæ talem rerum ordinem instituere, vt materia naturaliter quandoque separetur à forma, vt contingit de anima rationali. Ad 3. negatur item paritas, quia non tantam perfectionem expectat materia artificialium à formis artificialibus, vt materia naturalium à naturalibus, quare maiorem indigentiam habet naturalium materia, quam artificialium æs, vel lignum, licèt nunquam tantam, vt sine illis ex natura rei statim periret. Ad 4. infra suo loco ostendemus, quomodò propositio illa etiam veritatem habeat in animatis, non obstante formarum pluralitate, de quo interim videatur Pater Faber Theor. 39. in fine; pro nunc dicimus, non esse necessariam in viuentibus prædictam conuertibilitatem illius propositionis, quia nullum imminet periculum in viuentis interitu, quòd materia maneat nuda, quia remanet adhuc cum forma mixti. Demum non currit paritas de parte integrali, & essentiali, quia illa secundum essentiam suam abstrahit à ratione partis, & ratione totius, & in se verè est ens completum, vt constat de gutta aquæ, at ita non est de parte essentiali.

ARTICVLVS II.

Ostenditur, materiam, & formam posse supernaturaliter separari, & separata conseruari.

43 DIcimus per absolutam Dei potentiam posse, & formam sine materia conseruari, & materiam sine forma. Conclusio quoad vtramque partem est Scoti loc. cit. & omnium Scotistarum; De forma ita probatur; Tum quia de facto ita conseruantur accidentia eucharistica, ergo tanto magis id erit possibile de forma substantiali, quæ nobiliorem habet existentiam accidentali: Tum quia licèt forma à materia dependeat in genere materialis causæ, hæc tamen non est causalitas materialis intrinseca, hanc enim exercet solum respectu compositi sed extrinseca, & ideò eam Deus supplere potest, si non in eodem genere materialis causæ, saltim in eminentiori, scilicet in genere causæ efficientis, vt de facto supplet in Eucharistia. Et hinc probatur euidenter altera pars de materia. Magis dependet posterius à priori, quam prius à posteriori, quia omnis dependentia simpliciter est ad aliquid prius, sed accidens est posterius substantia, forma materia, ergo si potest conseruari accidens sine subiecto, forma sine materia, tanto magis materia sine omni forma.

Respond. Thomistæ, quod licet materia sit prior forma in genere causæ materialis, est tamen prior forma in genere causæ formalis ipsa materia existente, quia eius existentia est formalis effectus formæ, sicut superficies est prior albedine, sed hæc est prior superficie alba. Sed hanc solutionem implicare, patet ex dictis quæst. præcedenti; Tum quia si est prior in genere causæ materialis, ergo in illo priori intelligitur existens, quia nulla causa realis causat physicè, nec est potens proximè ad causandum, nisi existens; Tum quia ideò albedo est prior superficie alba, quia albedo in pariete non supponitur, vt est potens recipere albedinem, vt in casu existentia supponitur in materia ad susceptionem formæ; Tum quia materia humanitatis assumptæ per Thomistas non existit existentia suæ formæ cum, nec forma propriam habeat existentiam in Verbo, sed vtraque existunt existentia Verbi, ergo falsum est, existentiam materiæ esse effectum formalem formæ, aut tali modo, vt a Deo suppleri nequeat; poterit ergo Deus facere materiam in vniuerso existentem existentia aliunde accepta, quam à forma, ex quo motiuo Recentiores quamplures, vt Hurt. Murcia, Hieronymus Ela, Amicus, & alij tenent, quod etiam si modò materia penderet in sua existentia à forma, etiam, in genere causæ formalis, adhuc per Dei potentiam posset existere sine forma, quia licèt non possit efficere Deus effectum formalem sine aliqua causa formali, tamen potest illum efficere sine causa formali connaturali, dummodò sit alia causa formalis, supplens naturalem.

Resp. ad hoc Complut. disput. 3. quæst. 6. existentiam materiæ, esse effectum formalem formæ, non quidem primarium quia hic est tribuere actualitatem essentiæ ipsi materiæ per informationem, sed secundarium, qui proinde semper supponit primarium, formam scilicet materiæ vnitam, & licet effectus iste secundarius possit aliena supplere existentia vt contingit in exemplo allato de humanitate Christi, id tamen fieri nequit, nisi supponatur primarius effectus, scilicet actuatio materiæ per formam, quod adhuc materiæ conuenit in Verbo: dicunt enim materiam, quia est merè potentialis, esse de se improportionatam ad recipiendum existentiam, quæ est vltimus actus, ideoque necessariò per actum intermedium, qualis est forma, proportionari debere, & sic etiam respondent Manca, Io. de S. Tho. & alij Thomistæ recentiores. Sed hæc solutio falso innititur fundamento, quod scilicet materia omni prorsus careat actualitate, & quod existentia sit perfectior essentia, cum enim sit solum modus, & conditio essentiæ, non erit vtique perfectior illa, & constat in omnibus rebus earum perfectionem consistere in essentia; falsum item est formam esse medium necessarium, vt materia existentiam recipiat, estò enim id possit concedi in ordine ad existentiam vltimam, & completam, quæ est compositi, tamen omninò negandum est de existentia partiali, & incompleta.

44 Respondent etiam, quòd licet materia sit prior forma, non tamen omne absolutum prius potest esse sine suo posteriori, quia causa inseparabilitatis non solum esse potest dependentia, sed etiam necessaria connexio; nam partes vnitæ sunt priores toto, nec tamen esse possunt sine toto, quantitas est prior qualitate, nec tamen esse potest sine figura; corpus est prius omni præsentia locali, nec tamen esse potest sine omni, natura est prior subsistentia, nec tamen esse potest sine illa, & sic de alijs.

Sed neque hæc solutio satisfacit; quando enim concederemus, inseparabilitatem duorum, non tantùm à dependentia prouenire, sed etiam à necessaria connexione, & quando instantias adductas admitteremus, adhuc Aduersarij non probant hanc necessariam connexionem inter materiam, & formam, nam suprà probatum est, materiam nec etiam, veluti conditione concomitante, sine qua ex natura rei periret, esse cum forma connexam; & quando etiam hanc necessariam connexionem materiæ cum forma admitteremus, hæc adhuc non impediret separationem in ordine ad agens supernaturale, sed tantùm in ordine ad agens naturale, sicut dicimus de necessaria connexione, quam habet forma cum suis dispositionibus connaturalibus, vt in materia conseruetur, quod vtique impedit separationem eius ab eis ex vi causarum naturalium, non tamen in ordine ad Deum, qui potest conseruare formam in materia sine illis dispositionibus. Accedit, quod, vt notat Lichet. in 2. d. 12. quæst. 2. soluendo argumenta Caietani, instantiæ illæ non sunt ad propositum, quia aliud est loqui de absoluto priori realiter distincto in ordine ad illud, quod ipsum, statim ac est in rerum natura, sequitur per naturalem dimanationem ab eo absque actione extrinseci agentis, vt se habent accidentia quædam necessaria pro conseruatione substantiæ, à quibus proindè ipsa pendere dicitur à posteriori, vt à conditionibus concomitantibus, & vt in vniuersum se habent entitates quædam, quas Recentiores appellant modales, in ordine ad res, quarum sunt modi connaturales, vt subsistentia respectu substantiæ, figura respectu quantitatis, &c. Aliud est loqui de absoluto priori realiter distincto in ordine ad illud, quod nec habet rationem modi respectu eius, nec conditionis naturalis necessitate absoluta ipsum consequentis pro eius conseruatione; quæ afferuntur in instantijs, se habent priori modo, & forma ad materiam se habet posteriori, quia nec est eius modus, nec ad positionem materiæ necessariò ab ea dimanat per naturalem sequelam.

45 In oppositum obijcies Primò cum Thomistis ad probandum, implicare, materiam sine forma existere; Tum quia esset in actu, & non in actu, actum haberet, quia haberet existentiam in rerum natura, non haberet actum, quia non habet formam, à qua est omnis actus; Tum quia esset indiuiduum, & non esset indiuiduum, esset quidem, quia solitariè existit; non esset, quia non haberet formam, quæ sola ponit indiuiduum in determinata specie entis, & est principium indiuiduationis, tam materiæ, quàm compositi, vt docet P. Faber Theor. 90. Nec sufficit communis responsio, quòd esset in determinata specie incompleta entis, & substantiæ transcendenter inspectæ, vt communis est ad completas, & incompletas, quia quod est in tali specie imperfecta, ratione incompletionis suæ per se, & directè, debet pertinere reductiuè ratione eiusdem ad aliquam certam speciem completam; & predicamentalem, vt patet de anima separata, quod materiæ à forma separatæ conuenire non potest, quia talem reductionem non habet, nisi per formam; Tum tandem, quia materia, & forma sunt magis vnum, quam subiectum, & passio, quia sunt vnum per se, & essentialiter, non sic subiectum, & passio, at hæc implicat ab inuicem separari, &c.

Resp. quòd esset in actu entitatiuo, quem alij appellant transcendentalem, quia omnibus entibus conuenit; non autem in actu formali, completo, & specifico, qui à forma prouenit, & competit solùm rebus in specie completa existentibus, & proinde appellatur prædicamentalis, & in hoc nulla cernitur implicantia. Ad aliud dicimus, separationem materiæ à forma non inferre nouam difficultatem de specie intrinseca, & essentiali materiæ, sicut enim forma aduenienS materiæ non illi affert differentiam essentialem, ita non dat illi speciem intrinsecam, & essentialem, sed extrinsecam tantum, & aduentitiam, completam tamen, & perfectam, esset igitur eadem numero, & specie, vt nunc est in composito, quia à forma, nec agnoscit differentiam indiuidualem, quicquid dicat P. Faber, cum per vltimam suam realitatem indiuiduetur, ex Scot. 2. d. 3. q. 6. C. nec esse specificum, nisi prædicamentale, & completum; nam ex se est determinata entitas à quacunque alia distincta, & ex se est in specie determinata entis, & substantiæ transcendenter sumptæ; & cum dicitur determinabilis, & reductiuè tantum in specie, hoc intelligi debet de specie prædicamentali, & completa; & quando obijcitur, quod quicquid est in determinata specie incompleta, debet reductiuè spectare ad determinatam completam, dicimus id valere de substantia incompleta determinante, qualis est forma, non determinabili, vt materia, quia hæc ex munere proprio, & naturali conditione sua debet ad omnes species esse contrahibilis, & licèt ad hanc, vel illam actu trahatur per formam, & reducatur, aptitudine tamen de se ad omnes reducibilis est, & ita se haberet separata à forma sine vlla reductione actuali; neque hoc vllam inuoluit repugnantiam; rationes validiores congerit Scotus ipse pro Thomistis loc. citat. quas optimè dissoluit, & dignæ sunt, quæ videantur, vbi ad tertium ait, materiam, & formam esse magis vnum subiecto, & passione, vnitate vnionis, non identitatis.

46 Secundò obijciunt Compl. quia ordo essentiæ distinguitur realiter ab ordine existentiæ, & est prior illo, & ad illum indispensabiliter supponitur, ergo actus, qui per se pertinet ad ordinem essentiæ, erit prior illo, qui ad ordiuem existendi spectat, sed forma substantialis est actus pertinens ad ordinem essentiæ, ergo materiam esse in actu per formam substantialem necessariò supponi debet ad hoc, vt sit in actu existendi per existentiam. Conf. materia prima est pura, & prima potentia, sed existentia est maxima omnium actualitas, ergo vt hæc potentia reddatur proportionata ad recipiendam existentiam, quæ est vltimus actus; necesse est, vt mediet forma substantialis, & specificatio ab ea desumpta, quæ aliquid actualitatis, & aliquid potentialitatis habet, non enim ad actum vltimum, nisi per intermedium deueniri potest.

Resp. licet negari posset assumptum quoad primam partem, tamen illo admisso cum consequentia, neg. subillata minor, si intelligatur de actu absolutè sumpto, vt re vera Aduersarij intelligunt, qui in ordine essentiarum materiam statuunt puram potentialitatem sine vlla prorsus actualitate, quod falsum est, quia, & si materia non habeat actualitatem specificatiuam, & determinantem, habet saltim entitatiuam, quæ sufficit, vt sine forma constitui possit à Deo in actu existendi; imò hoc argumento nedum probatur materiam primam non habere existentiam distinctam, verum etiam probatur non habere essentiam distinctam à forma, quia actualitas essentiæ per argumentum est ipsa forma substantialis, vnde citrà formam materia prima non habet essentiam ab vllo ente distinctam; Ad Conf. admissa maiori, quod materia sit pura potentia per exclusionem cuiuscunque actus formalis, negatur absolutè minor, & sanè mirum est, quomodo Aduersarij ideò hunc modum existentiæ extollant, vt eum vocent participationem quandam Diuinitatis, cum tamen vt suprà diximus perfectio rei consistat in essentia; existentia absolutè loquendo sit imperfectior illa, modus enim deficit à re cuius est modus, & licèt dicatur esse actus essentiæ, quatenus per eam essentia actu est, tamen non omnis actus est simpliciter perfectior potentia actuabili, sed tantum secundum quid, vt patet de accidentibus respectu substantiæ, quam perficiunt; itaque nec materia est ita pura potentia, vt eam ponunt Aduersarij, nec existentia ita purus actus, vt materia indigeat proportionari per formam ad eam recipiendam, & ad summum id potest verificari de existentia completa, & vltimata totius, quam vtique nequit participare materia, nisi mediante forma.

47 Tertiò arguunt Io. de S. Thom. Manca, & alij recentiores, existentia est veluti actus secundus ipsius formæ, ergo non potest intelligi existentia sine forma, quia intelligeretur actus secundus sine primo, sicut ex eo, quod substantia sit proximè capax producendi operationem, quæ est actus secundus, debet intelligi actus primus, qui est potentia actiua proxima. Conf. quia impossibile est dari effectum secundarium sublato primario, secundarius autem effectus formæ est existere, primarius verò informare materiam, & compositum constituere, ergo &c. Demum existentia, qua materia existeret separata à forma, aut esset spiritualis, aut corporea, cum non sit medium; non spiritualis, quia spiritualitas abstrahit à materia, ergo erit corporea, & sic contineretur sub genere corporis, & non esset in aliqua specie infima illius, quia tale specificum est à forma, qua carere supponitur.

Resp. neg. assumptum, quod Thomistæ per tot sæcula nunquam probarunt, nam existentia est potiùs actus secundus ipsius essentiæ, quam cum habeat materia distinctam à forma etiam secundum ipsos, distinctam quoque existentiam possidere debebit. Ad Conf. pariter neg. minor quo ad primam partem, si sermo fiat in ea de existentia in vniuersum, Ad 3. ex dictis nu. 13. patet quo sensu materia sit secundum se substantia corporea, & quo sensu esset sub genere, & specie corporis ex num. 45. & rursus ex nu. 33. patet, quomodo hoc argumentum non minus probat materiam propria carere essentia, quam existentia, quia esse specificum essentiæ non minus, à forma oriri dicent Thomistæ, quam esse existentiæ.

Quartò arguunt alij, Materia magis pendet à forma substantiali, quam ab accidentali, vel saltim æqualiter, sed non potest esse omni forma accidentali v. g. sine vbicatione, & duratione, ergo &c. Rursus natura humana nequit existere sine aliquo indiuiduo, ergo nec materia sine aliqua forma, conseq. patet, quia difficilius videtur puram potentiam esse sine actu, quam ens actu, qualis est natura humana, existere sine alio actu.

Resp. quicquid sit de min. de qua inferius disp. 3. q. 4. negando maiorem, vt enim constat ex dictis art. 1. huius q. magis pendet materia à quibusdam formis accidentalibus ipsam naturaliter consequentibus, quam ab ipsa forma substantiali. Ad aliud neg. consequentia quia natura communis non distinguitur realiter à suis indiuiduis, sicut materia à forma.

48 Demum arguitur ad probandum è contra non posse formam conseruari à materia separatam. Tum quia essentialiter est pars compositi, ergo non potest existere, nisi in composito vnita materiæ, & prorsus repugnat quod est essentialiter pars, existere solitariè, & rationem totius habere. Tum etiam quia vnum relatiuum esse nequit sine alio, nec etiam supernaturaliter, at forma est relatiua ad materiam, vt actus ad potentiam; Tum quoque impossibile est, formam materialem per quamcunque potentiam fieri immaterialem, & spiritualem, sed talis euaderet forma materialis eo ipso, quòd à forma separaretur; Tum præterea 2. Phys. 20. forma physica se habet ad materiam vt finitas ad nasum; sed impossibile est, finitatem poni extra nasum; Tum denique si forma separaretur à materia, foret actus, & non foret actus; foret, quia forma est essencialiter actus & per actum definitur, vt patet de anima; non foret, quia ex hypothesi per se esset, & nihil actuaret.

Resp. si velimus concedere, formam esse essentialiter partem, hoc certè intelligi nequit actualiter, sed tantum potentialiter, quia esse actu partem sibi accidit in aduentu vnionis cum materia, vnde sicut sibi accidit, esse actu materiæ vnitam, ita accidit, esse cōpartem actualem compositi. Ad 2. materia, & forma non sunt relatiua prædicamentalia, sed transcendentalia solum, quorum vnum non respicit aliud necessariò in actuali existentia, sed sufficit, quod respiciat in esse possibili, vnde potentia visiua conseruari potest sine colore, potentia effectiua sine actu. Ad 3. respondet Doctor loc. citat. negando minorem, quia sicut quantitas est forma eiusdem naturæ, quando est in subiecto, & quando separatur; sic, & formæ substantiales se haberent ante, & post separationem, neque essent spirituales; tum quia hoc eis repugnat secundum se; tum quia adhuc aptæ sunt informare materiam; & ad summum immateriales diceretur secundum quid, quatenus non essent materiæ actualiter immersæ. Ad 4. Respondet Doct. 4. d. 12. quæst. 1. E. apud Philosophum idem esse naturaliter impossibile, ac Deo impossibile, quia ipse ponit ordinem causarum simpliciter necessarium, & quod prima causa non possit causare causatum secundæ causæ sine ipsa, & ideo cum subiectum aliquam substantam habeat respectu formæ materialis, sine ista causa in ordine suæ causalitatis posita, negaret Philosophus, posse formam existere. Ad 5. negatur sequela; foret actus fundamentaliter, quatenus apta foret informare materiam, sed non formaliter, qua non fundaret actualem respectum informationis; & negatur, formam esse actum quidditatiuè, & cum hoc asserit Philosophus, intelligendus est denominatiuè; quare autem anima definiatur in ordine ad corpus, videatur Doctor modò citat. sub littera L.

ARTICVLVS III.

Quo pacto materia, & forma conseruarentur à Deo abinuicem separata.

29 DIcimus; pro conseruatione materiæ, & formæ separatarum, nec opus esse nouo perfeitatis modo positiuo, neque nouo concursu maiori, & alterius rationis ab eo, quo earum entitates conseruabantur prius à Deo, quando erant coniunctæ. Est Scoti, & Scotistarum loc. cit. De materia probatur; cùm enim ex dicti, & Scotistarum loc. cit. De materia probatur; cùm enim ex dictis propriam habeat existentiam, & etiam subsistentiam, quæ omnimodam excludit dependentiam ab alio, vt sustentante subiecto, nulla

nulla certè videtur necessitas huius noui perfeitatis modi positiui. Confirm. quia ideò anima rationalis ponitur existere separata à corpore absque nouo perfeitatis modo, quia de se habet consimilem subsistentiam; & è contra, ideò communiter ponitur materialis forma, & accidens hoc indigere perfeitatis modo, quia carent consimili subsistentia, ergo cùm materia hanc habeat, illo non indigebit. Eodem modo probari potest, neque esse necessarium specialem influxum; ideò enim passim asserunt Aduersarij necessitatem specialis concursus in conseruatione formæ materialis, & accidentis absque subiecto, quia subiectum verum habet influxum in formam materialem, qui proindè à Deo suppleri debet; cum igitur forma nullum proprium habeat influxum in materiam, non indigebit peculiari influxu Diuino, quo formæ causalitas suppleatur; sicut è contra fatentur, animam separatam ideò non indigere speciali concursu pro sui conseruatione, quia quando erat in corpore, in sua existentia à corpore non dependebat; vt igitur materia maneat sine forma, sufficit sola continuatio eiusdem influxus quo prius sub forma conseruabatur, & desitio influxus, quo formam conseruabat in ea, nec aliud ex parte Dei requiritur.

50 At de forma conclusio videtur difficilior probatur; cùm enim per se esse in rerum natura, hoc est, sine actuali dependentia à subiecto, modus sit essendi formalis naturæ, vt ait Ruuius citat. valdè diuersus ab eo, quem forma habebat in subiecto, & aliquid addens supra communem existentiam extra causas, non videtur esse posse solus extrinsecus concursus efficientiæ, sed aliquid in natura ipsa de nouo ei concessum; & cum forma verè à materia dependeat vt ait Arriag. disput. 3. Phys. nu. 40. cum hanc causalitatem supplere debeat, vtique nouum concursum & maiorem adhibere debet à priori diuersum, qui se solo sufficiens non erat ad conseruandam formam, sed indigebat concursu causæ secundæ, scilicet materiæ. Sed neutrum horum necessarium est pro conseruatione formæ separatæ, si & naturam consideremus illius modi, quo forma dicitur per se esse, dum est à materia seiuncta, & naturam concursus Diuini cum causis secundis; modus enim per se essendi, quo dicimus, accidentia per se existere in Eucharistia, vt docet Doct. 2. dist. 12. q. 2. sub finem, non importat aliquam perfeitatem positiuam, qualis secundum communiorem est subsistentia, sed dicit solam negationem actus essendi in alio, vt in subiecto, cum aptitudine ad talem actum; & vt ait Doctor, non est, nisi per se esse negatiuè, ergo cogitari non debet, vt modus positiuus per se essendi de nouo formæ materiali communicatus eo ipso, quòd extra subiectum ponitur, & conseruatur; & cum sit mera negatio essendi in alio actualiter, nihil addens positiuum supra communem existentiam formæ extra causas præter aptitudinem, quam connotat in forma, dependendi à subiecto, poterit haberi per solum concursum extrinsecum Diuinum continuatum in ordine ad materiam, subtractum in ordine ad formam, & eius existentiam in subiecto.

Deinde modus hic perfeitatis, & subsistentiæ, vel ita opponitur inhærentiæ, vt eam neget à subiecto, in quo est, tam in actu primo, quàm secundo; tam actualiter, quam aptitudinaliter; vel solum vt excludat actualitatem eius, non aptitudinem; non potest primo modo fingi, quia inhærentia aptitudinalis tolli prorsus nequit à forma materiali, cum sit ei realiter identificata; secundo modo sufficienter statuitur per solam negationem actus secundi, eo modo, quo dicimus, corpus Christi in Eucharistia esse penetrabile, quia caret actu impenetrationis, & hominem dormientem irrationem, quia actu non discurrit; vniuersaliter enim actus secundus sufficienter excluditur, per simplicem negationem, licèt actus primus excludi poscat per positionem, quam doctrinam de duplici negatione actus primi, & actus secundi fusè tradit Doctor 2. d. 3. qu. 2. & 3. d. 1. qu. 1. H. Quod adhuc amplius explicatur, quia licèt negatio, quæ necessariò rei conuenit, petat in re aliquid positiuum, ratione cuius rei conuenit talis negatio, & simpliciter repugnat opposita affirmatio: negatio, tamen, quæ rei conuenit contingenter, non supponit in re aliquod tale positiuum necessariò, at negatio actualis inhærentiæ formæ in subiecto contingenter ei conuenit, ergo non per aliquem modum positiuum.

Denique separatio formæ à subiecto fieri potest per solam subtractionem influxus, quo prius à Deo subiectum conseruabatur, & continuationem eius quo conseruabatur forma, & ita de facto credimus, in Eucharistia accidentia per se manere per solam desitionem subiecti, & continuationem conseruationis eorum: at ita nulla noua interuenit actio positiua, cuius per se terminus dicatur nouus ille modus perfeitatis, ergo sine tali modo potest forma per se existere sine materia: Alias rationes ad hoc adducemus disput. seq. pro forma accidentalis.

51 At nedum pro conseruatione formæ separatæ necessarius non est nouus perfeitatis modus, sed neque necessarius est nouus, & maior concursus illo priori, quo iam in subiecto conseruabatur; Tum quia inuariato principio, & termino, nequit variari actio cum ab his vnitatem accipiat, & diuersitatem, sed in isto casu idem manet principium, scilicet Diuina voluntas ad opus applicata, manet idem terminus, scilicet entitas formæ, ergo est idem omninò concursus cum priori; Tum quia conseruatio actiua cum est ab eodem omninò agente, à quo est effectus productio, non est diuersa actio à productione secundum rem, sed vna, & eadem, vt etiam Aduersarij ipsi fatentur, ergo in casu conseruatio formæ in posterum absque subiecto ab ipso Deo non esset noua actio diuersa à priori secundum rem. Imò, & de facto ita est in multis rebus, quas Deus cum causis secundis efficientibus producit, & deinceps sine eis conseruat, & tamen hæc conseruatio non ponitur actio diuersa à productione secundum rem. Tum præterea si in separatione formæ à materia cessat prior actio, qua formam conseruabat concurrente subiecto, & nouum adhibet concursum priori maiorem, quo se solo deinceps conseruat formam extra subiectum, ergo etiam cessat terminus prioris actionis conseruatiuæ, scilicet forma ipsa materialis, & per nouam actionem Diuinam à materia independentem iterum reproducitur sine materia, sed ita non fumus in casu, in quo supponimus, formam conseruandam fore absque vlla prorsus interruptione.

52 Nec respondere valet, concursum Diuinum non mutari, sed eundem numero augeri, & intendi eo modo, quo dum duo homines pondus leuent, & sustentant, si vnus desistat, & alter prosequatur ponderis sustentationem se solo, vtique in hoc casu non interrumpitur eius actio, quia semper pondus sustinuit, sed altero desistente, ipse intendit vires, & auget eundem numero concursum, quem prius adhibebat, quia deinceps ipse solus debet supplere vices alterius. Non iuuat; aliud enim est loqui de concursu causæ secundæ, & aliud de concursu primæ, in illo enim concipere possumus intensionem, & remissionem, quia potentia finita est, & applicabilis ad opus, modò cum maiori modò, minori conatu vnde fit, vt quandoque se solo sufficiens sit ad ponendum effectum, quandoque insufficiens; at non ita loqui licet de concursu Dei, qui secundum se consideratus, se solo secundùm rem sufficientissimus est ad ponendum in esse quicquid causat media causa secunda, vt docet Scot. 4. d. 12. quæst. 1. sub R, & oppositum dicere valdè derogat perfectioni influxus primæ causæ; & licèt qui ita philosophantur de primæ causæ concursu, non faciant primam causam essentialiter dependentem à secunda, absolutè loquendo, quia sine illa efficere se sola potest effectum, maiorem adhibendo concursum; tamen eam faciunt dependentem, vt hic, & nunc cooperantem causæ secundæ cum influxu secundùm rem insufficienti, & partiali. Accedit, quod vel loquimur de concursu Dei materialiter, seu fundamentaliter sumpto, & hic cum sit ipsa diuina voluntas ad opus applicata, seu ipsum velle diuinum, vtique non potest dici insufficiens secundum rem, cum de se sit efficax, neque in eo cogitare possumus intensionem, & remissionem; vel loquimur formaliter, & sic cum non sit, nisi terminatio dependentiæ effectus ad illud, hæc sola sufficientissima est ad positionem, & conseruationem effectus, vt ait Doctor loc. cit. nec in ea cogitari potest intensio, & remissio, cum omnia æquè dependeant, & eodem modo semper à Deo; igitur concursus Dei semper est sufficiens secundum rem, & quando coniunctus est cum concursu causarum secundarum, dicitur insufficiens solùm secundùm modum, vt fusè, & elegantèr declarat P. Vulpes 2. p. t. 1. d. 7. art. 6. quatenus non ex necessitate rei, sed ex libertate sua, & suaui diuinæ prouidentiæ dispositione assumit causas secundas ad operandum, & sicut eis communicauit esse, ita vult sinere, quòd agant motus suos; idem igitur prorsus est concursu Dei, quo cum igne comburit lignum, & sine igne, combureret, secundum rem, idem concursus secundum rem, quo formam conseruat cum concursu subiecti, & sine eo, nec vlla diuersitas notari potest inter hunc, & illum, nisi secundum modum, quia prius copulatus cum concursu secundæ causæ modum habebat insufficientis, licèt sufficiens foret secundum rem, at postea solus gerens quicquid gerebat alterius consortio, & secundum rem, & secundum modum dicitur sufficiens.

Soluuntur Obiectiones.

53 IN oppositum obijcitur primò ad probandum, materiam separatam recipere à Deo nouum perfeitatis modum, vel saltem speciali concursu conseruari diuerso à priori; tum à paritate partis integralis, quæ cum separatur, eò ipso acquirit modum totalitatis per indiuisibile terminatiuum in ipsa resultans, ergo etiam pars essentialis, vt est materia consimilem modum totalitatis recipere debebit, cum separatur ab altera comparte, Tum 2. quia non fit miraculum de nouo, nisi aliquid nouiter producatur in re, circa quam miraculum contingit, at materiam existere separatam à forma est nouum miraculum, ergo &c. Tum 3. impossibile est, esse supernaturale conuenire rei per formam naturalem, at materia separata non habet amplius esse naturale, sed supernaturale; Tum 4. quia materia separata existit in statu violento, & præter naturam suam, ergo habebit alium modum essendi sibi à Deo tributum; Tum 5. non videtur conseruari posse separata eodem concursu, quo prius, quia in tali statu supernaturaliter conseruatur, si autem eodem concursu conseruaretur, adhuc naturaliter existeret, quia concursus ille non habet vim conseruandi, nisi naturaliter; Tum 6. cum constet, materiam naturaliter existere non posse sine forma, certè id oritur ex aliqua indigentia materiæ, at omnis exigentia quoad existentiam suppleri debet, vt res indigens existat ergo necessarius erit major concursus priori; Tum denique quia materiæ separatæ, etiam ex ipso ordine vniuersi, idem concursus conseruatiuus non debetur, ergo qui præstatur deinceps est indebitus, & specialis, atque ideò à priori diuersus, qui erat debitus.

54 Resp. ad primum, non esse eandem rationem de parte integrali, & essentiali, integralis enim indiget indiuisibili terminante ob necessitatem horum indiuisibilium in corporibus at nulla est necessitas huiusmodi positiui per se existendi in separatione partis essentialis à toto, sed sufficit modus negatiuus, scilicet vnionis cum altera comparte; pars etiam integralis, cum est separata, verè dicitur totum, quia in se est ens completum, & ideò indiget modo totalitatis positiuo, at non ita materia, quæ etiam separata remanet ens incompletum. Ad 2. negatur absolutè maior, quia contingere potest miraculum per solam substractionem concursus, vt patuit in fornace Babylonica, & ita foret in proposito. Ad tertium transeat maior de supernaturalitate positiua, & secundum rem, at materia in casu haberet esse supernaturale tantum secundum modum, & negatiuum, quatenus conseruatur à Deo in eo statu, in quo non deberet ex lege communi, & materia habet suum esse naturale, sed non modo naturali, quia non vnitum cum forma. Ad 4. eodem modo dicendum, materiam separatam non existere violenter positiuè, vt existit aqua cum calore, sed negatiuè, quatenus reperitur sine suo modo naturali existendi sub forma & ideò non est necesse, quod recipiat nouum modum positiuum per se essendi, sed tantum negatiuum non existendi cum forma. Ad 5. dicimus, concursum esse prorsus eundem, sed prius dicebatur naturalis, quia materiæ debitus erat ex lege ordinaria, posteà dicitur supernaturalis, quia præstatur materiæ in eo statu, in quo non sibi debetur ex lege ordinaria, vndè, & in eo statu dicitur conseruari supernaturaliter. Ad 6. concedimus materiæ aliquam indigentiam formæ, ex sui natura exortam, quatenus naturaliter petit per eam compleri, & perfici, at non talem, quod sine forma fatali necessitate pariter, vt ait Hurtad. & ideò propter miraculum separationis opus sit alio speciali, & miraculoso concursu, quo eius intrinsecæ indigentiæ succurratur, vt ait Amicus tract. 5. qu. 4. dub. 5. art. 2. concl. 2. nam vltra miraculum separationis, non aliud miraculum requiritur, nec alius specialis concursus, sed ad conseruationem materiæ sufficit continuatio eiusdem miraculi, & eiusdem concursus, quo prius ante miraculum conseruabatur entitas materiæ sub forma; & si præternaturale est, ac miraculosum, materiam sine forma existere, hæc præternaturalitas, nec oritur, ex indigenta imaioris concursus priori, nec ex eo, quod concursus prior non est debitus naturæ particulari materiæ, sed ex eo præcipuè, quod non est debitus naturæ vniuersali; Ad vltimum concedimus totum, quia ex eo non infertur diuersitas in concursu secundum rem, sed tantum in modo præstandi illam, quia prius præstabatur modo debito, & ordinario, posteà in debito, & extraordinario.

55 Secundò obijcitur, ad probandum, formam indigere separatam nouo perfeitatis modo positiuo; Tum quia ideo diximus, materiam separatam non indigere hoc modo perfeitatis, quia de se propriam habet subsistentiam, vt dicit independentiam à subiecto sustentante, ergo cum forma tali careat subsistentia, vtique indigebit tali modo, vt per se separata existat, Tum etiam dicere non valebit de forma, quod ei sufficiat nouus perfeitatis modus negatiuus, quamuis enim id admitteretur de materia, quæ propriam habet subsistentiam, de forma tamen non videtur admittendum, cum enim careat subsistentia, aliquid amplius exigere videtur, quam solum modum perfeitatis negatiuum; Tum deindè nec dicere valebit, posse hunc modum per solum concursum extrinsecum efficientem suppleri, quia dum forma manet in subiecto, non sufficit sola actio diuina, per quam dicatur conseruari in subiecto, sed requiritur peculiaris modus inexistentiæ positiuus, ergo pariter dum extra subiectum conseruatur, non potest satisfieri per solam eandem diuinam actionem conseruatiuam eiusdem formæ, sed concedere oportet alium nouum modum per se essendi positiuum oppositum priori, essendi in alio. Aliæ rationes afferri solent pro isto perfeitatis modo, quæ quia ab Aduersarijs vrgentur, præsertim pro accidentibus separatis, differentur ad disputationem sequentem de forma accidentali.

Resp. ad primum negando assumptum, diximus quidem, materiam minus indigere tali perfeitatis modo positiuo, quam forma ob subsistentiam, quam habet, & hac ratione communiter etiam ab Aduersarijs non iudicari necessarium pro materia; sed non ob id negauimus Omnipotentiæ Dei quin conseruare possit aliquod solitariè, dummodò propriam habeat existentiam, absque modo perfeitatis superaddito, & ideò hac ratione poterit forma separata absque ipso conseruari. Ad 2. dicimus, modum perfeitatis, quem materia separata acquireret, differre ab eo, quem acquireret forma, non per hoc, quod hic sit positiuus, ille negatiuus, quia ambo sunt negatiui; sed per hoc, quod modus formæ negaret actum dumtaxat essendi in alio, vt in subiecto modus; materiæ negaret actum, & aptitudinem. Ad 3. negatur paritas, nam in priori casu vltra diuinam actionem conseruatiuam formæ, interuenit modus positiuus inhærentiæ, quia nequit poni forma in subiecto, quin etiam ponatur respectus ille vnionis, qui etiam distincta actione conseruatiua indigebit distincta à conseruatiua formæ; at in separatione formæ à subiecto nullius noui modi adest necessitas, & sufficiens est actio prior conseruatiua formæ continuata ad conseruationem eiusdem extra subiectum, quia ex vi illius forma in se conseruabatur, non in subiecto, vt magis mox explicabitur.

56 Tertiò obijcitur, quod forma separata indigeat nouo, vel saltim maiori influxu. Tum quia prior influxus de se erat insufficiens se solo conseruare formam & conseruabat mediante influxu subiecti; si enim de se sufficiens erat, ad quid influxus subiecti? vel eiusdem effectus duæ causæ totales, aut saltim vna totalis, alia partialis fuissent; posterior verò influxus est de se sufficiens, ergo à priori diuersus; Tum etiam quia ex vi prioris influxus forma conseruabatur in subiecto, ex vi posterioris conseruatur extra subiectum. Tum præterea ideò diximus, materiam à forma separatam posse eodem influxu conseruari, quo prius cum forma, quia forma non habet aliquem peculiarem influxum in materiam, & ideò nihil remanet ex parte formæ supplendum, ergo cum in casu forma verè pendeat à materia, necessarius erit specialis, vel maior influxus, quo materiæ causalitas in formam suppleri possit. Tum denique prior influxus erat eductiuus, quia cum concursu subiecti conseruabatur forma, posterior est creatiuus, quia conseruatur sine subiecto, ergo sunt prorsus diuersi, & alterius rationis.

Respond. ad 1. quod est idem influxus, qui prius dicebatur insufficiens solum secundùm modum, non secundùm rem, quatenus non ex necessitate, sed ex libertate sua assumebat Deus subiectum ad secum concausandum, & quamuis concursus causæ secundæ non sit Deo necessarius, non idcircò iudicari debet superfluus, quia inter necessarium, & superfluum, mediat congruum fuit vt diuina prouidentia ad manifestationem suæ bonitatis, & largitatis, & creaturas produceret, & ad secum operandum assumeret; nec sequitur eiusdem effectus fore duas causas totales, vel saltim vnam totalem, & aliam partialem, quia quando Deus assumit causam secundam ad operandum, concursus eius est partialis, & insufficiens saltim secundùm modum, & eo ita vtitur ac si insufficiens saltim foret secundùm rem; & quando communiter negatur à Doctoribus, eiusdem effectus esse posse plures causas totales, loquuntur de causis eiusdem ordinis, non alterius ordinis, vt in proposito. Ad 2. negatur assumptum, nam omninò distinguenda est actio, qua conseruatur entitas formæ, & qua conseruatur eius vnio ad subiectum, ex vi prioris conseruatur entitas formæ absolutè, præscindendo à subiecto, ex vi posterioris actionis vtique conseruatur in subiecto; quare ex vi prioris actionis continuatæ poterit etiam extra subiectum conseruari. Ad 3. ratio illa potius fuit ad hominem, & per eam solùm insinuare voluimus, materiam in sua separatione minus indigere nouo concursu, quam forma, quia in separatione materiæ à forma nihil remanet supplendum ex parte formæ, nec secundùm rem, nec secundùm modum, at in separatione formæ à materia remanet supplenda causalitas materiæ, saltim secundum modum, quod fit à Deo non per exhibitionem maioris concursus, sed tantum non finendo secum concurrere subiectum. Ad 4. Actio creatiua, & eductiua Dei in his præsertim formis, quæ vno, vel altero modo possunt fieri, non differunt nisi penes connotationem concursus materialis subiecti vel eius negationem; sicut è contra quoque actio corruptiua, & annihilatiua; quare licut desitio formæ semper in se est eadem, licet quando desinit in subiecto, dicatur corruptio, quando extra, annihilatio; ita productio formæ in subiecto dicitur generatio, vel actio eductiua, & conseruatio eiusdem extrà subiectum dicitur actio creatiua per solam variationem connotatorum. Alias rationis huc spectantes vide infrà disp. seq. in simili quæsito de forma accidentali.

QVÆSTIO IV.

An sit vna omnium rerum materia, & vna communis forma corporeitatis pro omnibus vel saltim quibusdam corporibus præter distinctas formas specificas.

57 QVæstio non solùm esse potest de vnitate materiæ rerum corruptibilium, & sublunarium, sed etiam cœlestium corporum, quæ si non secundum mentem Aristotelis, saltim secundum veritatem ex materia, & forma constant, imò non solum rerum corporearum, sed etiam incorporearum, & spiritualium; quamuis enim Angeli, & anima rationalis de facto sint substantiæ simplices, compositione materiæ, & formæ carentes secundum communiorem sententiam, quam Doctor sequi semper est visus, & expressè significauit in 2. d. 1. q. 5. in fine, vbi in Angelo nullam de facto agnoscit materiam partis, nec corporalem, nec spiritualem, & 2. d. 16. qu. vn. F. vbi pariter nullam materiam partis agnoscit in anima; tamen quia non implicare videtur, dari materiam spiritualem receptiuam formæ substantialis spiritualis, & aliquam substantiam spiritualem ex his constitui, ideò ad hanc quoque materiam spiritualem possibilem extendi potest quæstio, an scilicet esset eiusdem, vel diuersæ rationis à materia corporalium, & de facto hanc quæstionem exagitare tenentur, qui Angelos componunt ex materia, & forma iuxta probabilem doctrinam Seraphici Doctoris 2. d. 3. p. 1. art. 1. quæst. 2. quam tuetur P. Cauellus in lib. de Anima Scot. vulgariter adscriptos quæst. 11. Hac igitur de re plures extant sententiæ. Philosophi, qui iuxtà Aristotelis dogmata in his sublunaribus tantum materiam agno-

agnouerunt, vnam numero materiam omnium posuerunt, non quidem actu, & positiuè; tum quia implicat, eandem numero materiam in hoc sensu esse simul sub diuersis, & disparatis formis, & oppositis dispositionibus affectam; tum quia actualiter, & positiuè potius est multiplicata numeraliter per formas, igitur ponunt illam vnam numero in omnibus sublunaribus potentialiter, & negatiuè, quatenus omnibus materiæ portionibus, quæ modò sub diuersis reperiuntur formis, non repugnat, esse vnam numero materiam, quia si omnes formæ auferantur, & portiones illæ vniantur, efficerent vnam numero materiam, non sic autem formæ, quia hę semper essent numero distinctæ, etiam si essent continuæ, quia in hoc differunt homogenea ab eterogeneis, ita significauit Auerr. 1. Phys. com. 63. & 1. Met. 17. & 12. Met. 13. & sequitur Achill. 1. de elementis dub. 8. quam opinionem etiam quorundam Scotist. fuisse testatur Trombeta 8. Met. qu. 3 concl. 6. & re vera ita significauit Canon. 1. Phys. q. 9. dub. 6. Alij verò passim eam ponunt vnam in omnibus sublunaribus vnitate specifica athoma, & numeraliter positiuè multiplicatam sub formis specificè distinctis per proprias hæcceitates intrinsecè, & per formas solùm extrinsecè, ita Scotus 4. d. 11. quæst. 3. H. Ocham. in Phys. cap. 18. p. 1. & Recentiores omnes, qui alios citant Suar. in Met. disput. 13. sect. 3. Auersa qu. 20. sect. 2. Amic. tract. 5. qu. 8. dub. 1. Hurt. disp. 2. sect. 5.

58 Qui verò non solum in his corporibus inferioribus, sed etiam in superioribus materiam reponunt, sunt inter se diuisi; Aliqui enim dicunt, esse materiam eiusdem rationis in his, & illis, & ita adhuc retinere vnitatem specificam athomam respectu quorumcunque corporum; Alij dixerunt, esse diuersæ rationis, & consequenter non retinere, nisi vnitatem genericam, aut specificam subalternam. Qui tandem materiam agnouerunt etiam in spiritualibus substantijs, adhuc sunt diuisi; nam aliqui dicunt materiam sublunarium corporum esse diuersæ rationis à materia cœlestium, & vtramque materiam corporalem adhuc diuersam à materia spiritualium, atque ita tres agnoscunt species materiæ, vnam elementarem, alteram cœlestem, & alteram denique spiritualem, ita significauit Alensis p. 1. quæst. 20. membr. 2. & qu. 44. memb. 2. Alij potius volunt, esse vnam, & specie eandem materiam horum omnium, & solùm differre huiusmodi materias penes diuersa accidentia à formis permanentia, sub quibus sunt, nam vt est sub forma materiali, redditur capax, & substernitur quantitati, vt est sub sublunari, substernitur, nedum quantitati, sed etiam qualitatibus contrarium habentibus, vnde procedit corruptibilitas; vt tandem est sub forma spirituali, nec quantitati, nec qualitati corporeæ subijcitur, sed tantum motui; ita significat P. Cauell. loc. cit. concl. 2. in sententia Seraphici Doct. 2. d. 3. p. 1. art. 1. q. 2.

Circa secundam quæsiti partem de forma, sunt etiam varia placita. Quidam statuunt in omnibus, & singulis corporibus, tam simplicibus, quàm mixtis, tam animatis, quàm inanimatis formam quam physicam, specie ab alijs distinctam, cuius munus sit tribuere cuicunque composito substantiali esse corporeum, quam proindè formam corporeitatis appellarunt, ita Auicen. lib. 1. suæ sufficientiæ c. 2. quem secutus est Suessan. 1. de Gen. com. 78. referens Albert. pro eadem sententia. Alij ex opposito negant hanc formam corporeitatis in omnibus prorsus corporibus, vt specie distinctam à formis specificis singulorum, sequitur Suarez disput. 13. Met. sect. 3. Auersa q. 20. sect. 3. & quicunque negant pluralitatem formarum substantialium in eodem composito. In medio harum opinionum se ponit Scot. in 4. d. 11. quæst. 3. statuens hanc formam corporeitatis in omnibus viuentibus, vt ab anima condistinctam, & eandem, negans in quocunque alio composito, quem sequuntur passim Medici omnes, ac Philosophi sæculares, Mercen. Zab. Ragus. Morisan. & alij, & hac tempestate sequi incipiunt Patres Societatis, quibus temporibus elapsis opposita tam arrisit P. Dandinus in lib. de Anim. & P. Coninchius de Sacrament. qu. 76. art. 2. quicquid dicat Arriag. disput. 3. Phys. sect. 6. contra quem latè agimus disp. 5. de Gen. & Corrupt. q. 3. art. 1.

ARTICVLVS I.

Declaratur vnitas materiæ corporalium substantiarum, & etiam spiritualium, si in ipsis daretur.

59 PRo decisione huius articuli, Notandum est, quod duplex est vnitas specifica, alia completa, & alia incompleta, vnitas verò numerica triplex, vt ex Trombeta colligitur loc. cit. prima substantialis, ac entitatiua, quæ rei competit ex sua hæcceitate, & hæc materiæ conuenit in quocunque composito independenter a forma; altera est vnitas numerica prædicamentalis, & hæc sibi aduenit extrinsecè à forma tali, quæ sicut dat ei extrinsecè esse specificum in prædicamento, ita etiam & numericum; alia denique est vnitas numerica integralis, siue continuitatis, quæ propria est rebus homogeneis inter se vnibilibus ad constitutionem totius integralis, quod dicitur vnum numero vnitate integritatis, & continuitatis, etiam si constet ex multis indiuiduis partialibus; hoc prænotato.

Dicimus, materiam omnium corporum, non solum sublunaria comprehendendo, sed etiam cœlestia, quæ secundùm veritatem materia constant, esse vnam specie athoma, & si numero multiplicatam in diuersis corporibus; at si quoque daretur in substantijs spiritualibus, non esset ita vna, sed tantum vnitate generica. Quo ad 1. conclusionis partem est Scot. 4. d. 11. quæst. 3. H. & 2. d. 14. q. 1. vbi tenet, materiam cœlestem & sublunarem esse eiusdem rationis specificæ, sequuntur Scotistæ communiter, P. Faber Theor. 27. & 59. P. Vulpes tom. 2. p. 2. disput. 32. art. 5. Fuentes 1. Phys. qu. 1. Phys. q. 2. diff. 7. art. 2. Sghemma 1. Phys. digress. 5. q. 12. & alij, & probatur. Materiam omnium corruptibilium esse eiusdem speciei in omnibus, & habere partes eiusdem rationis manifestè deducitur ex mutua transmutatione earum ad inuicem, vel immediata, vel saltim mediata, huius enim mutuæ transmutationis vnicum fundamentum est materia eadem in omnibus, non quidem numero, quia, vt ait Doctor loc. cit. in 4. potius hæc impediret eam, si enim eadem numero esset materia in aere, & aqua, non esset sibi necessaria transmutatio, vt de vna forma transiret ad aliam: sed specie; quia enim materia in omnibus his corporibus est eiusdem rationis, ideò potest recipere hanc, & illam formam, & nulla alia ratione possent assignari huiusmodi materiæ specie distinctæ, nisi quia incapaces forent formarum earundem: & hac ratione vtuntur, qui materiam cœlestium distinguunt à materia sublunarium, quia nimirum illa capax non est formarum sublunarium; & totum id colligitur ex 1. Phys. 60. 69. & sequent. & 1. de Gen. 22. & 8. Met. 11. & 14. Hac eadem ratione ostenditur, materiam cœlestium eiusdem speciei esse cum materia sublunarium: Tum quia cum forma Cœli non compleat, & satiet totum materiæ appetitum intensiuè, & extensiuè, quia non continet eminenter perfectionem aliarum formarum: non enim continet saltim (ait Doct. 2. d. 14. q. 1.) animam intellectiuam, conseq. relinquitur in potentia ad cœteras formas. Probat Doc. conseq. loc. cit. lit. B. quia si forma Cœli non dat perfectionem harum formarum sublunarium, ergo priuatio talium formarum ibi manet, priuatio autem est in subiecto capaci. Dices materiam Cœli non posse dici priuatam his formis sublunaribus, etiam si non det perfectionem illarum, quia non est capax illarum, vnde carentia talium formarum in ipsa erit simplex negatio, non priuatio. Contra, quia hæc est manifesta petitio principij, hoc enim est, quod ratio probare intendit, & tu respondes per id quod quæritur, si enim illa materia est corporea, cur non est capax harum formarum sublunarium quæ etiam sunt corporeæ? si dicas hoc obstare, quod non sunt ei proportionatæ teneris ostendere, quid importet hæc improportio. Tum quia etiam si in Cœlo non sint accidentia contraria, ratione quorum corrumpi possit ab agente naturali, hoc non prouenit (inquit Doct.) ex incapacitate materiæ, quia adhuc sibi inest illa potentia ad contrarium, & Cœlum ex natura sua est simpliciter corruptibile, sed carentia contrarij prouenit ex conditione formæ, quæ intantum dominatur illi materiæ, vt non possit ab aliquo alio alterari, recipiendo peregrinas impressiones, & per consequens nec corrumpi.

60 Respondere solent, materiam horum inferiorum differre à materia Cœlorum, non quia respiciant formas alterius conditionis, & speciei, sed quia illas respiciunt sub diuersa ratione informandi, nam cœlestes formæ informant inseparabiliter, sublunares separabiliter. Sed hæc responsio friuola est; Tum quia ex Scot. citat. hæc necessaria connexio nunquam ex parte materiæ attendi posset, quæ quantùm est ex se separabiliter semper, & contingenter formam recipit, veluti potentia contradictionis ex 9. Met. 17. & capax cuiuscunque alterius formæ, alioquin non reciperet, vt per se potentia; Tum quia si diuersitas hæc informationis sufficit ad inducendam diuersitatem specificam materiarum, & vnitas vnitatem, iam materiæ omnium Cœlorum essent eiusdem speciei, quia eodem modo formas respiciunt, scilicet inseparabiliter, quod tamen est contra Aduersarios facientes tot materias cœlestes speciei distinctas, quot sunt Cœli; at de hoc ex professo agimus in lib. de Cœlo.

Sed quamuis materia sit vna specie in omnibus corporibus, est tamen numero multiplicata sub diuersis formis ex Doctore cit. in 4. extrinsecè quidem, per formas, à quibus recipit vnitatem numeralem prædicamentalem, intrinsecè verò per proprias hæcceitates, à quibus hæc, & illa portio materia accipit vnitatem indiuidualem entitatiuam, & substantialem, vt docet Trombet. cit. & hoc insinuauit Philosophus (ait Doctor,) 12. Met. 27. illis verbis *singularium, aliud est tua materia, & mea materia, vniuersali verò ratione eadem*, & suadet ipsa ratio, quia si esset eadem numero materia simul, & semel in diuersis corporibus, tunc non foret necessaria transmutatio, vt de vna forma transiret ad aliam; tunc generans generare posset, nihil corrumpendo; posset etiam esse eadem materia sub formis quantumcunque diuersis, & sub oppositis dispositionibus esse, & in diuersis locis simul, & semel, quę omnia sunt manifesta absurda; non est igitur materia vna numero in omnibus corporibus, nec vnitate indiuiduali quę prouenit à differentia intrinseca, & hęcceitate, quia hęc portio materiæ non est illa; nec vnitate numerica integrali, quę prouenit à continuitate plurium partium integralium, adinuicem eiusdem rei, quia portio materiæ, quę est sub forma lapidis, est discontinua à portione materię, quæ est sub forma ferri; benè tamen verum est, eandem numero materiam, quę est sub forma aquę, posse successiuè transire ad aliam, & aliam formam, qua ratione inquit Philosophus, sępè remanere in genito eandem materiam, quę fuit in corrupto, eandem scilicet numero, quod prorsus necessarium est, ne productio geniti dicatur creatio. Verum etiam est, quòd si omnes materię portiones in mundo existętes exuerentur singulis formis, & ad-

& adinuicem continuarentur, vnam numero conficerent materiam vnitate nimirum integritatis; & continuitatis, eo modo, quo si aquæ omnium marium, & fluminum ab Oceano diffitorum in eo congregarentur, vel cum eo continuarentur, illa tota aquarum colluuies vna numero aqua diceretur.

61 Quo ad alteram partem etiam probatur conclusio; si enim vnitas specifica materiæ corruptibilium, & etiam rerum corporearum in vniuersum ex eo capite probatur, quia possunt easdem formas recipere, consequenter è contra, quia materia corporalium, & spiritualium, si in eis admitteretur, non essent capaces earundem formarum, ideò specie diuersæ statui debent, non esse autem capaces earundem formarum, probatur, quia etiamsi forma spiritualis, vt est anima, recipi possit in materia corporea, quia ab ea non dependet in esse, non tamen è contra forma corporea videtur recipi posse in subiecto indiuisibili, & incorporeo, quia ab ea deberet in esse dependere, quod fieri nequit, nisi per eductionem; implicat autem, formam diuisibilem, & corpoream educi ex subiecto indiuisibili, & incorporeo. Nec respondere valet cum Cauello cit. num. 13. materiam de se nec corpoream esse, nec spiritualem, sed ad vtrumque gradum esse de se indifferentem, & vtrumque ab extrinseco sibi aduenire; per formam enim spiritualem, redditur spiritualis, & per corporalem corporalis, sicut superficies de se non est alba, nec nigra, sed ad vtrumque indifferens, & fit alba, vel nigra ab extrinseco per aduentum albedinis, vel nigredinis. Non valet; Tum quia de facto videmus; animam rationalem recipi in materia, quæ tamen per eam spiritualis non redditur. Tum quia forma materialis, & extensa prærequirit subiectum materiale, & extensum, vt partes formæ educantur de partibus subiecti, sicut enim forma non dat esse subiecto, ita partes formæ non dant esse partibus subiecti, quod principium latè probatur infra disp. de Continuo qu. 1. art. 1. Tum tandem quia exemplum ipsum de superficie adductum est omninò abs re, quia albedo, & nigredo non pertinent ad superficiem, vt causatiuam illarum, at diuisibilitas, & extensio supponitur in subiecto ad causalitatem formæ corporeæ, & extensæ, quia vt verè dicatur ex eo educi, forma tota educi debet de toto subiecto ad causalitatem formæ ex diuersis partibus subiecti præexistentibus.

61 In oppositum objicitur Primò, quod omnium corruptibilium sit vna numero materia. Tum quia ita significauit Philosophus, 1. Phys. 60. esse vnum numero subiectum transmutationis, quod manet sub vtroque termino. Tum, quia si materiæ omni forma expoliarentur, fierent vna numero materia, ergo ex se non habet distinctionem numericam. Tum quia, quod est terminus creationis, est vnum numero, at materia ponitur terminus creationis. Tum quia species est de qua genus prædicatur in quid, & de materia nullum genus prędicatur, ergo non est vna specie.

Resp. ad 1. Philosophum text. 60. velle, quod materia successiuè est vna numero in pluribus, non simul, & semel. Ad. 2. si materiæ singulæ singulis expoliarentur formis, vnitatem vtique numeralem, prædicamentalem, & completam amitterent, non tamen intrinsecam, & substantialem; vnde per proprias hęcceitates adhuc distinctæ, & distitæ manerent, neque continuarentur, nisi ope agentis extrinseci: qua etiam facta continuatione, amitterent vtique singulæ illæ materiæ portiones vnitatem illam numericam, quam importat totalitas, & præcisio vnius partis integralis ab alia, & constituit numerum quantitatiuum, & prædicamentalem; non tamen vnitatem intrinsecam indiuidualem, nam istam adhuc singulæ partes integrales retinent in toto, & constituit numerum transcendentalem, vide Scot. 2. d. 3. q. 4. Ad 3. ea ratione probari posset, nullam naturam communem admitti debere, quia, & homo, etiam, & Leo esse possunt termini creationis; verum igitur est, naturam communem materiæ non extare in vniuerso, nisi in suis singularibus, seu per suas hæcceitates contractam, vt est de quacunque alia natura: at hinc inferre non valet, esse vnam numero intrinsecè, nam, & natura materiæ in se inspectæ prædicari essentialiter potest de hac, & illa materia per modum speciei. Ad 4. illa definitio datur de specie subijcibili, sed natura materiæ constituit speciem prædicabilem, item definitio illa traditur de specie completa, at species materiæ est incompleta.

63 Secundò arguitur ex alio c. quod sit specie diuersa. Tum quia 12. Met. 17. ait Philosophus, quod sicut principiata sunt alia, ita, & eorum per se principia, & hoc secundùm genus, speciem, & numerum. Tum quia nedum forma, sed etiam materia concurrit, & pertinet ad essentialem constitutionem compositi, ergo si composita specificè distinguantur, etiam & illarum materiæ; nec poterit materia de vno composito transire in aliud, quia quod est de essentia vnius rei, non potest transferri ad aliam, essentialiter ab ea differentem. Tum quia forma est, quæ dat speciem rei, cui aduenit, ergo formæ diuersæ diuersum esse specificum tribuunt materijs. Tum demum nullo prorsus modo videtur negari posse hæc diuersitas inter materiam cœlestem, & sublunarem, quia hæc amissibiliter subijcitur formis, illa inamissibiliter, hæc autem diuersa subijcibilitas arguere videtur diuersitatem specificam materiarum.

Resp. ad 1. auctoritatem illam intelligi debere iuxta sensum alterius v. Phys. 26. vbi ait Philosophus, aliam formam aliam esse materiam; his igitur in locis non loquitur de materia prima, sed secunda, hoc est, affecta certis dispositionibus, & proximè disposita ad certam formam; materia sic disposita vtique alia est ad aliam formam, & distinguitur ab alia materia iuxta distinctionem rei constitutæ secundùm genus, speciem, & numerum. Ad 2. materia concurrit ad rei constitutionem per modum partis communis, & potentialis, in qua res constituta conuenit cum cœteris speciebus materialibus; at forma concurrit per modum partis actualis, & distinguentis, quod explicari potest exemplo generis, & differentiæ in composito metaphysico, & ideò negatur consequentia quoad vtramque partem. Ad 3. forma dat speciem intrinsecam rei, quam constituit, non rei, cui aduenit, qualis est materia, nam dat ei esse specificum solùm extrinsecum, & aduentitium. Ad 4. negamus, diuersitatem informationis formarum cœlestium, & sublunarium prouenire ex parte materiæ, quia hæc, quantum est ex se, vtrobique contingenter, & amissibiliter formam respicit, vt potentia contradictionis, & necessitas connexionis solùm prouenire potest ex parte formæ, vt ait Doctor loc. citat. & si hoc sufficeret ad distinguendum materiam cœlestem à sublunari, & ratio inseparabiliter informandi speciem cœlestis materiæ constitueret, iam omnes Cœli constarent ex materia eiusdem speciei, quia materiæ singulorum suas formas respiciunt separabiliter, sed de hoc fusiùs in lib. de Cœlo suo loco.

64 Partes. An de absoluta Dei potentia possint dari plures species materiæ rerum corporalium. Resp. in eo sensu, quo de facto eas admittunt Aduersarij, quod nimirum vna sit informabilis indissolubiliter, alia dissolubiliter à forma, non possunt dari plures materiæ species, quia repugnat conceptui materiæ, vt sic, quod inamissibiliter informetur: cùm enim materia habeat rationem per se potentiæ, implicat, quod necessariò ex parte sui cum forma connectatur, vt ait Scot. 2. d. 14. qu. 1. In alio autem sensu, quod vtraque amissibiliter informetur à formis, quarum est receptiua, at non vtraque sit omnium receptiua formarum, sed aliquarum tantum, nec consequenter composita ex eis possint inuicem transmutari, nulla videtur implicantia: & alietatem materiæ corporalium negauit Scot. loc. cit. in primo sensu, non in secundo: & negauit de facto, non de possibili. Sic etiam sensit Bassolius in 2. d. 14. q. 1. vbi argumenta quædam in oppositum adducit, & soluit, quæ ideò omittimus, quia fundantur præsertim in paritate de efficiente, & fine, sicut enim implicant duo efficientes, & fines, ita implicare videntur duæ materiæ primæ alterius rationis, quæ paritas absolutè neganda est, nec Scot. cit. ea vtitur absolutè, sed de facto, vt videre est in textu.

65 Petes rursus an vnitas specifica quam modò habet materia, sit positiua, vel negatiua? Compl. disp. cit. q. 4. art. 1. Io. de S. Thom. qu. 3. art. 4. & alij Thomistæ aiunt non esse, nisi negatiuam, quatenus non est plura specificè, quia non includit in se principium aliquod proportionatum, vnde talis vnitas, vel pluralitas sumatur, quia hoc principium debet esse aliquis actus, & materia caret omni actu: & quia suum esse specificum à forma desumit, ex ordine ad diuersas formas specificè plurificatur, nec habent pro inconuenienti materiam ratione suæ naturæ potentialis posse esse successiuè in diuersis speciebus sibi intrinsecis, & essentialibus. Sic etiam loquuntur de vnitate numerica, singulę enim materię, quę varijs formis substant, sunt vna numero materia negatiuè, quatenus nullum habent in se principium indiuiduationis intrinsecum, per quod distinguantur, vndè materię non concedunt vnitatem positiuam, nisi transcendentalem, & analogam, prout precisè importat entitatem non diuisam cum Massio 1. Phys. c. 9. sect. 2. q. 12.

Asserendum tamen est vnitatem specificam materię positiuam esse, tum quia cum materia sit ens positiuum, consequenter etiam vnitatem positiuam habere debet, licet incompletam, quia passio debet proportionari subiecto: tum quia sicut materię concedunt vnitatem transcendentalem positiuam, quia est ens positiuum, ita etiam debent concedere vnitatem specificam positiuam, quia licet de se nullum esse specificum prędicamentale, & completum habeat, tamen sub genere entis, & substantię transcendenter sumptę est quędam entitas positiua substantialis, & per hoc essentialiter distinguitur à forma, ergo habet de se vnitatem specificam positiuam, & non tantum negatiuam; probatur conseq. nam ratio potentialitatis ita est formalitas positiua in materia, sicut ratio actualitatis in forma: idem etiam dici debet de hac, & illa numero materia, quod singulæ habeant vnitatem suam numeralem positiuam, & non à forma, quia etiam secundum Thomistas subiectum non indiuiduatur per formam, sed potius è contra, & forma hęc numero pręsupponit hanc materiam numero: singule igitur materię non possunt dici vna numero materia negatiuè, nisi loquendo de vnitate numerica integrali, vt explicauimus: Denique quod concedunt Complut. materiam ratione suę naturę potentialis posse esse successiuè in diuersis speciebus sibi intrinsecis, & essentialibus, est ita patens absurdum, vt confutatione non egeat: vndè Io. de S. Th. cit. & Manca. q. 4. dub. 5. veritate coacti fatentur materiam semper habere, & retinere eandem speciem intrinsecam in quocunque composito inueniatur, rationem verò illius speciei completæ solum participare denominatiuè denominatione formę informantis, non participatione intrinseca, quę est Scotica doctrina, quam supra docebamus.

66 Sed instant Complut. 1. quia materia secundum se non includit intrinsecè tale principium, vnde sumatur vnitas specifica, sed tantum vt est actuata per formam, ergo &c. probatur assumptum, quia principium talis vnitatis proximum est differentia, quę cum habeat ratio-

rationem actus metaphysici, sumitur ab actu physico, qui est forma. Confideò Deus nequit fundare rationem contrahentis, & contrahibilis, quia est expers totius potentialitatis, ergo ex opposito, quia materia est expers omnis actualitatis non habet, vnde sumatur compositio metaphysica generis, & differentiæ. Demum si materia esset aliqua species positiua incompleta, & infima deberet reduci ad aliquam completam, & infimam, nam sicut species imperfecta ad perfectam, ita species incompleta infima ad completam infimam reducenda est, sed materia secundum se ad nullam certam speciem infima n potest reduci, quia non magis ad hanc, quam ad illam spectat ergo, &c.

Resp. neg. assumptum, cuius probatio valet de vnitate specifica completa, non incompleta, qualis est species materiæ, quæ, vt à cæteris distinguatur, opus non est quod conitet ex genere, & differentia, (nisi prædicamentum substantiæ amplietur, ita quod apex eius sit substantia finita comprehendens completas, & incompletas iuxta dicta n. 20. quo casu nec. esse non esset differentiam sumi ab entitate physica, quæ habeat rationem actus informantis, vel subsistentis, sed sufficeret quod habeat rationem actus entitatiui) quia non distinguitur à cæteris; vt species completa, sed vt pars speciei incompletæ, & pars potentialis. Ad Conf. neg. paritas, quia Deus dicitur actus per exclusionem omnis potentiæ tam subiectiuæ, quàm obiectiuæ, sed materia dicitur potentia per exclusionem solius actus formalis, tum quia potest in ea admitti compositio metaphysica ex genere, & differentia modo iam explicato. Ad vlt. neg. conseq. cuius probatio valet ve specie incompleta determinante, sicut sunt species formarum, non de incompleta determinabili, vt est materia, quæ ex munere suo nulli certæ speciei addita est ex n. 19. & 45.

ARTICVLVS II.

Ostenditur, in quibus necessaria sit corporeitatis forma præter peculiares formas specificas.

67 Dicimus, in solis corporibus animatis formam corporeitatis esse necessariam præter animam, in cæteris verò minimè. Ita Doctor. loc. cit. initio quæstionis, vbi in animantibus solùm huiusmodi admittit formam, eò quòd peculiari modo inter cæetera composita dicuntur constare ex corpore, & anima, non tamen in eo sensu, quo in omnibus, & singulis admittebatur ab Auic. & Alberto, vt scilicet materiæ cœauam, & in omni generatione permanentem sub diuersis formis specificis; sed vult, illam de nouo generari in materia antecedenter ad animam, & post eius desitionem, vel separationem, aliquo temporis interuallo corrumpi, in quo sensu intellecta conclusio acerrime contra Thomistas defenditur à Trombeta 8. Met. q. 2. Fabro theor. 73. Cauello in libris de Anim. disput. 1. sect. 4. Sghemma 1. Phys. digress. 7. q. 10. & alijs. Fundamentum præcipuum, quo Doctor ductus est ad distinguendam in animatis formam corporeitatis ab anima, vt ipse testatur 4. d. 11. qu. 3. Gg. fuit ad euitandam contradictionem, quæ est immediata ratio distinguendi plura sub ente, anima enim abeunte, corpus manet, vt constat in animali nuper interfecto, ergo animal non est corpus per animam, sed per formam ab anima distinctam.

Thomistæ respondent, non esse idem corpus, sed nouum generari, quod dicitur cadauer per formam cadauericam de nouo genitam. Contra, manent eadem accidentia, ergo idem corpus, quod est eorum subiectum inhæsionis; non enim migrare possunt de subiecto in subiectum; antecedens patet ad sensum; manent eadem vulnera, & cicatrices; eadem viriditas in ramo abscisso, idem characteres in stipite viridi, & sicco, eadem virtus in herba virenti, & arida. Respondent non esse eadem sed similia de nouo producta ad productionem cadaueris. Sed hoc manifestè repugnat sensui, & inquit Aristot. 8. Phys. 22. quod quærere rationem, & sensum dimittere infirmitas intellectus est. Respondent, verum esse Aristotelis dictum, quando sensus non fallitur, hic autem fallitur, quia accidentia illa non sunt eadem, nisi secundum apparentiam. Contra, optimè instat Raguseus, responsionem eludens si in planta, vel stipite non manent litteræ prius impressæ, postquam aruit, sed similes, si non manet idem carmen, sed nouum illi simile, quis est iste nouus characterum impressor? quis carminis consimilis auctor? & si in corpore de nouo genito infligentur à natura vulnera similia illis, quæ erant in corpore viuo, dicant Aduersarij, quid mali perpetrauit corpus istud, antequam extaret in rerum natura, ob quod tot, & similia vulnera debet sustinere, & si quis immediatè post capitis, vel menti tonsionem moreretur quis fuisset hic nouus tam diligens Tonsor, qui tam citò eum totondisset? Certè, vt inquit P. Cauellus citat, hæc tam incredibilia videntur, vt si inter credenda fide diuina ponerentur, inter difficiliora creditu locum haberent, nec minus arcana forent, quam quæ Mater Ecclesia de Sacramento Eucharistiæ docet.

Item Christus Luc. 24. & Io. 20. ex identitate vulnerum in corpore suo ostendit discipulis identitatem numericam eiusdem redituui, ergo sunt eadem vulnera in corpore viuo, & mortuo. Dices viuum in Cruce vulneratum esse, & resurgendo eadem numero vulnera resumpsisse, quæ viuens in cruce receperat, non vero eadem numero, quæ mortuus habebat, sed similia. Contra est, quia nedum ex identitate numerica vulnerum manuum, & pedum, sed etiam lateris ostendit identitatem numericam sui corporis redituui, at vulnus lateris accepit mortuus, non viuus, ergo eadem numero sunt vulnera in corpore viuo, & mortuo.

68 Sed hæc non solum sensui, sed etiam rationi aduersantur, si enim non sunt eadem numero accidentia, sed similia, à quo causantur ista accidentia consimilia, & vnde oritur necessitas talis similitudinis, non oritur ab essentia materiæ primæ, quia de se est indifferens ad quamlibet formam, non à forma cadaueris de nouo inducta, quia formæ diuersæ specie nunquam habent accidentia per omnia similia, anima verò recedens, & forma cadaueris adueniens sunt diuersæ prorsus speciei; nec à natura tandem noui generati fluere possunt hæc accidentia similia, quia cum forma sit alterius rationis à præcedenti, non determinabit sibi accidentia prorsus similia accidentibus corporis viui.

Resp. quidam necessitatem huius similitudinis oriri ex parte materiæ, non quidem nudæ, quo sensu indifferens est, sed dispositæ, materia enim est ita disposita per dispositiones præcedentes, quod necessariò perit accidentia similia. Contra, quia vel per dispositiones has in materia præcedentes intelligunt illas, quæ inseruiebant ad conseruandam animam in materia, vt certa temperies primarum qualitatum; vel quæ inseruiebant pro introductione formæ cadaueris, quales sunt illæ, quæ fiunt per alterationes interimentium vt excessus caloris, vel frigiditatis; dispositiones primi generis istam similitudinem accidentium prorsus inducere nequeunt, sed potius exigunt accidentia omninò dissimilia, & opposita ob repugnantiam, quam habent ad inuicem forma cadaueris, & viuentis. Nec pariter dispositiones secundi generis talem similitudinem accidentium exigere possunt. Tum quia euenit quandoque interitus animalis absque præuijs dispositionibus, vt cum illicò interit ictu gladij, vel bellici tormenti. Tum etiam quando interueniunt, non semper sunt eædem, sed diuersæ iuxta diuersitatem interimentium, vt morbi, ignis, niuis, &c. quæ diuersas quoque inducunt dispositiones, alteratio enim per ignem facta causat excessum caloris: per niuem, excessum frigiditatis, vnde tam diuersæ dispositiones non possunt eadem postulare accidentia.

69 Resp. alij, necessitatem huius similitudinis oriri ex forma cadaueris, quæ cum quandam habeat affinitatem cum forma viuentis eò quòd immediatè semper sequitur ad ipsam, idcircò similia postulat accidentia. Contra, ista forma cadaueris, si datur, ita opponitur formæ viuentis, sicut mors vitæ, ergo non possunt esse affines; nec sufficit ad hanc affinitatem, vel ad exigentiam similium accidentium, quod vna immediatè sequatur ad aliam, alioquin aceum affinitatem haberet cum vino, & eadem accidentia postularet, quia se habet ad illud, sicut mortuum ad viuum, & eodem modo ex eo fit, vt docet Aristoteles 8. Met. 14.

Hinc alij negare non audentes identitatem accidentium in corpore viuo, & mortuo, potius negare elegerunt, subiectum inhæsionis accidentium esse corpus, & dixerunt materiam primam, quæ cum eadem maneat in corrupto, quæ erat in genito, eadem quoque manent accidentia, nec migrant; ita loc. cit. Suar. Sed contra. Tum quia in primis falsum est, materiam esse subiectum inhæsionis accidentium, vt docet Tromb. loc. cit. & Fab. c. 5. & nos disput. seq. fusè probabimus quia prius est compositum substantiale quam accidentale: Tum quia etiam si accidentia residerent in materia, tamen non sunt ei coæua, saltim omnia, & noua accidentia adueniunt cum noua forma, vt in transmutatione elementorum, & mixtorum videmus, ergo etiam in proposito ita deberet esse; non enim potest afferri ratio, cur formæ tam diuersæ, vt anima, & forma cadaueris, eadem prorsus accidentia exigant in materia? Tum tandem quia etiam isti non omninò effugiunt difficultates Thomistas vrgentes, adhuc enim, & ipsi explicare tenentur, vnde petenda sit similitudo ista, vel potiùs identitas accidentium in corpore viuo, & mortuo, nam ex parte materiæ assignari non potest, cum de se sit subiectum indifferens ad omnia, & si recurrunt ad alia capita, impugnabuntur, vt prius, & eadem argumenta recurrunt. Resp. Suar. n. 21. accidentia cadaueris esse eadem, quia non adest causa, à qua fiant noua. Sed eadem ratione debebat dicere, etiam formam substantialem corporis esse eandem, quia non potest assignari causa, à qua producatur.

70 Demum contra vtrosque Aduersarios, hæc vel illa incedentes, probatur, in animalis interitu nullam produci formam cadauericam de nouo genitum non posset dici idem numero cum Corpore Christi, nam corpus viuum, & mortuum magis inter se differunt in ratione corporis, & substantiæ, quàm corpus equi viuentis, & corpus vermis, probatur etiam altera consequentia; illud dicitur cum omni proprietate corrumpi, quod in aliam substantiam, nedum specie, sed etiam genere diuersam, mutatur, sed ex hypothesi talis mutatio facta fuisset in Corpore Christi; ergo, &c. Vide Bass. in 2. d. 17. q. 1. art. 2. vbi egregiè hanc rationem pertractat, sicut, & totam istam quæstionem pro dignitate.

Resp. Thomistæ ex Caiet. fuisse corpus Christi idem viuum, & mortuum materialiter, quatenus eadem est omninò materia, quæ fuit in corpore viuo, & mortuo. Addunt, corpus viuum, & mortuum magis inter se conuenire accidentibus, quam homo, & vermis, & hac de causa corpus cadauericum posse dici aliquo modo corpus hominis, vel equi, non ita corpus vermis, sicut etiam quia corpus cadauericum immediatè succedit corpori viuo, non ita corpus vermis. Denique aiunt, Corpus Christi, eatenus remansisse incorruptum, quia licèt fuerit nouum cadauer, non tamen abijt in vermes, & cineres, sicut regulariter euenit de cadauere, & in hoc sensu loquuntur Scripturæ, dum Corpus Christi asserunt incorruptum.

72 Sed nihil horum satisfacit; non primum tum quia vt vrget Trombeta, cum ex igne generatur aer, cercum est, quod eadem materia reperitur in aere genito, quæ fuit in igne corrupto, & tamen non conceditur, quod ignis, & aer sint idem numero, ex quo sequitur, quod non maiorem identitatem, & vnitatem haberet Corpus Christi viuum, & mortuum, quam ignis corruptus, & aer genitus ex ipso; Tum quia illa quæ sunt idem secundùm materiam tantùm, sunt idem secundùm quid, & diuersa simpliciter, vt est de igne genito ex aere, ergo Corpus Christi viuum & mortuum esset idem secundùm quid, & diuersum simpliciter; ex quo sequitur, propositiones Patrum dicentium, idem Corpus Christi iacuisse in sepulcro, quod fuerat in Cruce, & quod fuit in sepulcro resurrexisse, & modò in throno gloriæ residere, esse veras secundùm quid, sed simpliciter falsas & ita etiam ipsummet articulum fidei de resurrectione. Nec secundùm satisfacit; Tum quia conuenientia in accidentibus est extrinseca, & accidentalis, conuenientia in genere proximo est conuenientia essentialis, ergo, si hæc non sufficit, vt corpus vermis, & hominis dicantur idem numero corpus, tantò minus illa, vt corpus cadauericum dicatur idem cum corpore viuo, Consequentia patet, quia ibi est maior identitas, & vnitas, vbi est maior conuenientia; Tum quia si illa immediata successio cadaueris ad corpus viuum sufficeret, vt idem numero diceretur cum eo, acetum quoq; dici posset vinum, quia generatio huius illius corruptioni immediatè succedit. Nec deniq; tertium satisfacit; Tum quia & si corpus, quod fuit in Christo viuo, in vermes non abierit, abijt tamen in formam cadaueris; quæ est specie diuersa ab anima, ergo verè, & propriè fuit substantialiter corruptum; Tum quia ad saluandum sensum Scripturarum, & Patrum, ita incorruptum remansisse debemus dicere Christi Corpus, vt fuerit omninò idem numero corpus mortuum, quod fuerat viuum, ergo non sufficit dicere, ideò incorruptum remansisse, quia in cineres non abijt, antecedens patet ex dictis, probatur consequentia, quia illa incorruptio non saluat identitatem numeralem.

Resp. manere idem Corpus Christi suppositaliter, quatenus nunc, sicut anteà, manet idem suppositum diuinum hypostaticè vnitum ma-

vniuersalis in generatione rei supplet defectum particularium, agit dispotionibus præuijs, vt patet generatione animalium ex putri materia, at hæ dispositiones non semper præcedunt, vt constat in casibus allatis: cui accedit, quòd absq; vlla necessitate fit iste recursus, contra Scoti monitum 2. d. 2. qu. 10. Et si dicant, vrgere necessitatem, ne materia nuda remaneat, respondemus, quòd connaturalius saluatur, materiam non remanere nudam in animalis interitu; si remanet cum antiqua forma mixtionis, quàm si dicatur, illicò formam cadaueris ab vniuersali agente prodire sine præuijs dispositionibus, vel cum illis quantumcunque diuersis; Tum denique ad generationem substantialem prærequiritur dispositio præuia, & successiua, ergo dum interit animal ictu fulminis, vel bellici tormenti, nulla forma talis gignitur, quia eo intereunte, manent caro, nerui, ossa, & cætera: nec ista fieri possunt statim de nouo, quia forma carnis, nerui, & ossis non fiunt, nisi per multas alterationes præuias, & concoctiones, quæ nonnisi dierum spatio peraguntur, vt Medici docent, ac perindè in his repentinis casibus interuenire nequeunt.

71 Secundò principaliter probatur conclusio theologicè; Si in animalis interitu non remanet idem corpus, sed nouum generatur, & noua cadaueris forma, sequeretur, Corpus Christi Domini non esse idem viuum, & mortuum, contra manifestas auctoritates Patrum, & S.S. Ambrosij, Gregorij, Leonis, Aug. Damasc. Hieron. quas Doctor adducit sub littera Q. sequeretur Corpus Christi fuisse corruptum contra locutionem Scripturarum; habetur enim in Psalm. *Nos dabis sanctum tuum videre corruptionem*, & habetur Actorum 2. quòd *caro eius corruptionem non vidit*, probatur prima sequela; Tum quia in vniuersum ad vnitatem numeralem effectus requiritur vnitas formæ, & materiæ ex 12. Met. 27. & præsertim formæ, cum sit principalius constitutiuum compositi, & ideò si in morte Christi variata est forma corporis, non amplius manet idem numero corpus; Tum quia sicut quando ex corpore equi generatur vermis, non potest dici corpus vermis esse idem corpus cum corpore equi, ita à fortiori corpus cadauericum de nouo genitum non posset dici idem numero cum Corpore Christi, nam corpus viuum, & mortuum magis inter se differunt in ratione corporis, & substantiæ, quàm corpus equi viuentis, & corpus vermis, probatur etiam altera consequentia; illud dicitur cum omni proprietate corrumpi, quod in aliam substantiam, nedum specie, sed etiam genere diuersam, mutatur, sed ex hypothesi talis mutatio facta fuisset in Corpore Christi; ergo, &c. Vide Bass. in 2. d. 17. q. 1. art. 2. vbi egregiè hanc rationem pertractat, sicut, & totam istam quæstionem pro dignitate.

Resp. Thomistæ ex Caiet. fuisse corpus Christi idem viuum, & mortuum materialiter, quatenus eadem est omninò materia, quæ fuit in corpore viuo, & mortuo. Addunt, corpus viuum, & mortuum magis inter se conuenire accidentibus, quam homo, & vermis, & hac de causa corpus cadauericum posse dici aliquo modo corpus hominis, vel equi, non ita corpus vermis, sicut etiam quia corpus cadauericum immediatè succedit corpori viuo, non ita corpus vermis. Denique aiunt, Corpus Christi, eatenus remansisse incorruptum, quia licèt fuerit nouum cadauer, non tamen abijt in vermes, & cineres, sicut regulariter euenit de cadauere, & in hoc sensu loquuntur Scripturæ, dum Corpus Christi asserunt incorruptum.

72 Sed nihil horum satisfacit; non primum tum quia vt vrget Trombeta, cum ex igne generatur aer, cercum est, quod eadem materia reperitur in aere genito, quæ fuit in igne corrupto, & tamen non conceditur, quod ignis, & aer sint idem numero, ex quo sequitur, quod non maiorem identitatem, & vnitatem haberet Corpus Christi viuum, & mortuum, quam ignis corruptus, & aer genitus ex ipso; Tum quia illa quæ sunt idem secundùm materiam tantùm, sunt idem secundùm quid, & diuersa simpliciter, vt est de igne genito ex aere, ergo Corpus Christi viuum & mortuum esset idem secundùm quid, & diuersum simpliciter; ex quo sequitur, propositiones Patrum dicentium, idem Corpus Christi iacuisse in sepulcro, quod fuerat in Cruce, & quod fuit in sepulcro resurrexisse, & modò in throno gloriæ residere, esse veras secundùm quid, sed simpliciter falsas & ita etiam ipsummet articulum fidei de resurrectione. Nec secundùm satisfacit; Tum quia conuenientia in accidentibus est extrinseca, & accidentalis, conuenientia in genere proximo est conuenientia essentialis, ergo, si hæc non sufficit, vt corpus vermis, & hominis dicantur idem numero corpus, tantò minus illa, vt corpus cadauericum dicatur idem cum corpore viuo, Consequentia patet, quia ibi est maior identitas, & vnitas, vbi est maior conuenientia; Tum quia si illa immediata successio cadaueris ad corpus viuum sufficeret, vt idem numero diceretur cum eo, acetum quoq; dici posset vinum, quia generatio huius illius corruptioni immediatè succedit. Nec deniq; tertium satisfacit; Tum quia & si corpus, quod fuit in Christo viuo, in vermes non abierit, abijt tamen in formam cadaueris; quæ est specie diuersa ab anima, ergo verè, & propriè fuit substantialiter corruptum; Tum quia ad saluandum sensum Scripturarum, & Patrum, ita incorruptum remansisse debemus dicere Christi Corpus, vt fuerit omninò idem numero corpus mortuum, quod fuerat viuum, ergo non sufficit dicere, ideò incorruptum remansisse, quia in cineres non abijt, antecedens patet ex dictis, probatur consequentia, quia illa incorruptio non saluat identitatem numeralem.

Resp. manere idem Corpus Christi suppositaliter, quatenus nunc, sicut anteà, manet idem suppositum diuinum hypostaticè vnitum ma-

teriæ primæ. Sed neque hæc responsio valet; Tum quia permanentia suppositi vniti nihil facit ad permanentiam eiusdem corporis, quia non suppositum diuinum dabat esse corporeum, sed alia forma distincta, ergo permanentia istius formæ exigitur, vt dicatur idem corpus; Tum quia si lignum assumeretur à Verbo, & lignum conuertetur in ignem permanente adhuc vnione materiæ primæ ad Verbum, non idcircò idem corpus physicum manere diceretur, quia non sunt idem numero corpus ignis, & lignum. Tum tandem quia Sancti, & Scripturæ non dicunt, manere idem suppositum, vel eandem materiam, sed idem numero corpus, ergo frustra recurritur ad identitatem suppositi, & materiæ.

Resp. Suarez cit. disp. 15. sec. 10. esse idem numero corpus sensibiliter propter identitatem materiæ, & quantitatis, & sensibilium accidentium, quod etiam alij approbant, quia corpus organicum, quod est subiectum animæ, non est, nisi materia prima talibus accidentibus instructa. Sed contra; Tum quia etiam in sententia Suarez quamuis in genito, & corrupto eadem remaneat materia cum eisdem accidentibus, non tamen dici potest, genitum esse corruptum, & idem numero compositum cum illo, quia ad hoc necessario requiritur identitas formæ substantialis. Tum quia falsum est corpus organicum importare solam materiam primam cum illa accidentium varietate, quia esse carneum, esse osseum, & nerueum, est esse substantiale, & non accidentale, & vt fusiùs suo loco dicetur in li. de An.

73 Tertiò principaliter demonstratur à priori necessitas formæ corporeitatis in viuentibus, & primò in homine; quia anima rationalis nequit dare esse corporeum, & extensum, cum in se spiritualis sit, & inextensa; Nec respondere valet cum Caiet. & Iauello, quod licèt anima rationalis sit formaliter spiritualis, est tamen virtualiter extensa, & corporea; Tum quia tale esse dare non posset, nisi per informationem, quare in seipsa esse deberet formaliter talis, vt quo, vt est de alijs formis ad suos effectus formales comparatis; albedo enim est alba, vt quo formaliter, & non virtualiter tantùm, quia hoc pertinet ad genus causæ efficientis; Tum quia nulla forma, ait Tromb. continet virtualiter effectum sibi repugnantem, aut formam talis effectus productiuam; non enim albedo continet virtualiter esse nigrum, aut nigredinem ipsam, ergo nec anima rationalis continet virtualiter esse corporeum & diuisibile, aut formam ipsam corporeitatis, cum non minus adinuicem repugnent esse corporeum & spirituale, quam esse album, & nigrum; Tum quia si forma spiritualis continet virtualiter esse corporeum, etiam & forma corporea poterit continere esse incorporeum, & spirituale, cum non sit maior ratio de vno, quam de altero; Tum tandem quia etiam admisso, quod virtualiter tale esse contineret, non proindè posset illud homini communicare in genere causæ formalis, sicut forma Solis eminenter continet calorem, & tamen non facit Solem formaliter calidum; forma enim in tali genere dat tantùm illud esse, quod in se habet, cùm exercitium huius causalitatis fiat per solam exhibitionem entitatis formæ subiecto.

Resp. alij, esse corporeum à sola materia prouenire; contra; Tum quia non ita est in cæteris compositis, alioquin genitum & corruptum semper essent idem numero corpus, cum maneat in vtroque eadem numero materia; Tum quia limitatio quantitatis non est è materia, quæ ad omnes de se indifferens est, sed à forma, quia hæc est, quæ requirit tantam, vel tantam materiam, ergo materia absolutè non dat composito tantam, vel tantam extensionem sine forma; Tum quia sicut partialiter tantum dat composito esse substantiale, ita & esse corporeum; Tum tandem quia etiamsi materia prima daret composito esse corporeum, & extensum, non tamen constituere posse corpus organicum, & humanum ex tot partibus etherogeneis compactum, quia materia est homogenea & omnes eius particulæ vniformes.

74 Deinde eadem necessitas ostenditur etiam in cæteris animantibus; quamuis enim animæ sensitiuæ, & vegetatiuæ sint formæ materiales, & extensæ, adhuc tamen tribuere nequeunt viuenti illud esse corporeum, quod est de eius essentia vt sic, quia esse corporeum, quod viuens exigit pro sui constitutione, est dissimilare, & organicum; quamuis igitur ratione suæ materialitatis, & extensionis possent huiusmodi formę tribuere aliquod esse corporeum de genere substantiæ, non tamen esse corporeum organicum, sed ad hoc omninò exigitur forma corporeitatis, quæ aliud non importat, quam congeriem omnium formarum partialium, carnis, ossis, nerui in animali, corticis ligni, medullæ, radicis in planta tam enim diuersa esse tribui non possunt à sensitiua, & vegetatiua, quæ sunt eiusdem rationis secundùm omnes suas partes; Nec dicere valet, quod continent illa esse diuersa virtualiter, quia cum debeant illa dare in genere causæ formalis, deberent esse formaliter tales, vt quo sicut quia formaliter dicuntur vegetatiuæ, & sensitiuæ, ideò dant formaliter esse sensitiuum, & vegetatiuum.

Hac ratione præfati Suarez loco cit. d. 15. sect. 10. num. 31. & Hurt. disp. 2. de An. sect. 5. 6. & 7. faciunt vegetatiuam, & sensitiuam ætherogeneas, itaut alia pars animæ sit, quæ in equo oculum informat, alia, quæ aures, alia, quæ ossa, &c. Sed hoc est nouum inuentum à nemine, hucusque somniatum: nam data hac sententia, & sequitur quodlibet animal non esse vnum per se, & in vnica specie, sed tantum vnum vnitate ordinis, & continuationis, & in diuersis speciebus. Consequentia patet, quia illa solum faciunt vnum per se physicum, & substantiale

riale in vna specie, quæ se habent, vt actus & potentia, & hic non adest vnica forma, & eiusdem rationis, quæ materiam informet, sed determinatis partibus materiæ diuersæ formæ specificæ correspondent, sed hoc figmentum ex professo in lib. de Anima reijcemus.

75 Denique ex dictis probatur altera pars conclusionis, quòd necessaria non sit in cæteris corporibus forma corporeitatis distincta à forma specifica, quia esse corporeum ad eorum constitutionem requisitum est homogeneum, similare, & vniforme, non autem æterogeneum, vt in viuentibus, ergo sola forma specifica sufficit cum materia ad dandum hoc esse corporeum composito, probatur consequentia, nam patet antecedens, quia ad tale esse corporeum sufficit sola extensio, & materialitas partium componentium, at materia in omnibus est extensa, similiter, & omnes formæ specificæ materiales, ergò præter illas in compositis inanimatis non est admittenda distincta forma corporeitatis ab eis condistincta.

Soluuntur obiectiones.

76 IN oppositum obijcitur Primò, quod sit superflua forma corporeitatis in viuentibus distincta ab anima. Tum primò quia forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem, vt terragonum trigonum 2.de Anima 31. ergo anima, quæ est nobilissima forma continebit virtualiter hanc formam corporeitatis, eiusq; munera poterit obire. Tum 2. non implicat, animam immediatè cum quantitate vniri materiæ primæ, & certè hoc constitutum esset animal, & consequenter corpus, quia ab inferiori ad superius tenet consequentia affirmatiuè. Tum 3. quia videmus in genere accidentis, per eandem formam rem constitui in specie, & in genere quocunque superiori; albedo enim dat esse album, coloratum, & quale, ergo pariter forma substantialis, quæ est perfectior accidentali, dabit constituto esse specificum, & genericum, vt esse hominem, animal, corpus, &c. Tum 4. quia id manifestè docuit Doctor 4.d.11.q.3. Hh. dum ait, animatum dici corpus ab anima, vt corpus est genus in recta linea. Tum 5. quia anima tribuit composito esse substantiale, præcisa quacunque alia forma, vel ergo corporeum, vel incorporeum, non hoc, ergo illud, quod eò præsertim dicendum est, quia esse corporeum de genere substantiæ aliud non est, quam esse compositum ex materia, & forma, & hoc habetur per quamcunq; formam specificam; quod si esse corporeum accipiatur pro esse extenso, habetur per quantitatem, ait Auersa. Tum 6. hoc quidem de anima sensitiua, & vegetatiua negari non potest, quia sunt formæ extensæ, & corporeæ, vnde de istis non militat ratio, quæ afferri solet de anima rationali, quod esse corporeum elargiri non potest, quia in se est incorporea, & spiritualis. Tum denique quia neque hæc ratio vrget de anima rationali, quia vt forma det aliquod esse, non oportet, immò nec debet esse formaliter talis, vndè albedo non dicitur alba, quæ tamen dat esse album: & cum ex alio capite ponatur anima rationalis animam vegetatiuam, & sensitiuam virtualiter continere, quæ sunt formæ materiales, & extensæ, cur etiam virtualiter formam corporeitatis continere non poterit?

77 Resp. assumptum esse verum de continentia inferioris in superiori per excessum perfectionis, quo sensu homo continetur in Angelo, at non semper est vera per continentiam effectuum inferioris, & ita est in proposito, quod anima nequit dare esse corporeum organicum, quale requiritur ad esse animalis, vt dictum est in tertia ratione pro conclusione posita. Ad 2. ait Doctor lit. T. casum implicare, quia anima nequit per vllam potentiam informare; quod corpus non est, cum ipsa sit essentialiter actus corporis, & si per impossibile informaret materiam, nulla forma corporis præcedente, animal non esset, quia nullam animalis functionem exercere valeret, quia careret organis. Ad 3. à forma in diuidua sumuntur omnes gradus prædicamentales, quando contradictio id non prohibet, at in proposito, recedente anima, idem prorsus corpus remanere videmus, signum euidens non ab anima, sed ab anteriori forma esse corporeum deriuari; quod & in casu de albedine fatendum esset, si albedine recedente, adhuc paries coloratus manere. Ad 4. non ait Doctor, quod viuens habeat esse corpus ab anima, prout corpus est prædicatum directè collocatum in genere, sed tantum ait, *Corpus, pro vt est indiuiduum corporis, quod est genus, sua forma tali esse corpus, vt corpus est genus habens corporeitatem*, vbi per ly *sua forma tali* non intelligit formam physicam specificam illius indiuidui, sed formam totius, & metaphysicam vt sensus sit, quod sicut corpus in communi metaphysicè corporeitate dicitur corpus, tanquam per formam totius, ita hoc vel illud corpus, vt est indiuiduum eius, tali & tali corporeitate dicitur corpus, ita hunc locum explicat P. Hiribarn. in 4. to. 1. disp. 43. sec. 7. & certè si per ly *sua forma tali* Scotus intelligeret formam vltimam, & specificam cuiuscunque indiuidui, ita vt ab eadem sumeretur prædicatum corporis in recta linea collocatum, sibi statim contradiceret, cum immediatè anteà in responsione ad tertium admittat D. Th. antecedens, quod erat gradum genericum corporis, ponendo plures formas in homine desumi à forma diuersa ab anima. Et paulo supra, exponendo auctoritates illas 7. Met. de vnitate diffinitionis adductas pro D. Thoma, semper concedit, gradum genericum corporis ab alia forma desumi, à qua sumitur specificus. Deindè Doct. ibi tenet contra D. Th. conuersionis termi-

num in Eucharistia non esse compositum ex materia, & anima, vt dat esse corporeum præcisè, eo quia anima tale esse dare non potest; & tandem in sententia Scoti non rectè dicitur, gradum genericum corporis ab anima desumi, & non à forma corporeitatis, quia ita omnis differentia specifica vltima foret, neque vlla daretur non vltima, cùm quælibet desumeretur ab eadem forma, à qua sumitur ratio generis, quod tamen Doctori repugnat, qui non semel differentiam specificam diuisit in vltimam, & non vltimam, vt patet in 1.d.3.q.3.O. & d.8.q.3. & 2. d.3. q.6.L.

78 Ad 5. ex modò allata doctrina dicimus, formam quamcunque dare tale esse substantiale, vt formam lapidis esse lapideum, & quodcunque etiam superiùs esse in prædicamento contentum, si contradictio id non impediat, vt in proposito accidit, anima igitur dat animali tale esse substantiale, scilicet animatum, & viuens; & corpus pro altera parte dat esse corporeum, ita quod per solam animam dicitur animal viuens, & per alteram partem corpus, etiam vt corpus dicit prædicatum directè collocatum in genere; nec verum est, in vniuersum formam inferiorem dare gradum infimum, & superiores, sed vel dat illos, vel præsupponit datos à forma anteriori, vt vniuersaliter dicimus de differentijs, quod inferior non includit superiorem, nec dat gradum illius, sed datum supponit; sic in proposito anima non facit corpus, sed factum animat, & viuificat, & est forma, qua corpus est viuens, non autem qua corpus est; falsum est etiam quod aiebat Auersa, esse corpus de genere substantiæ solam importare compositionem ex materia, & forma, & non potius extensionem substantialem, quia quidam faciunt Cœlum corporeum, & non compositum, & quidam Angelos compositos, & non corporeos; & quando etiam id concedatur, tale esse corporeum non sufficit in animatis, sed esse debet extensum, & organicum, & hoc haberi non potest per sola accidentia, quia esse carneum, & osseum non est esse accidentale, sed substantiale. Ad 6. ait P. Faber Theor. 75. non esse idem iudicium ferendum de sensitiua, & vegetatiua, & alijs formis inferioribus, quia etiam de istis verificatur illud commune dictum, quod anima est tota in toto, & tota in qualibet corporis parte, loquendo etiam de totalitate quantitatiua, vt alibi se ostensurum dicit, & hinc esse, quod dare nequeunt esse corporeum. Sed nullus vnquam Philosophorum intellexit axioma illud de sensitiua, & vegetatiua quoad totalitatem quantitatiuam, & in hoc sensu passim ab omnibus intelligitur de sola anima rationali, vt etiam ipse Faber fatetur Theor. 82. nam re vera sensitiua, & vegetatiua in se sunt formæ materiales, & diuisibiles de potentia materiæ eductæ, vt cæteræ. Præstat ergo dicere ex doctrina allata in tertia ratione, quod licèt eiusmodi animæ ob suam materialitatem dare possent esse corporeum sic absolutè consideratum, vt aliæ formæ materiales, dare tamen nequaquam possunt esse corporeum organicè, quale conuenit animantibus. Addimus ex dictis quod anima non facit corpus, sed illud iam factum viuificat, & non dat esse corporeum, sed viuens.

Ad 7. licèt non oporteat, formam esse formaliter talem, vt quod, quale esse tribuit, opus tamen est talem esse, vt quo, vt indè effectus formalis sit illi proportionatus, & non eius naturæ repugnans, vt est in proposito esse corporeum respectu animæ rationalis. Demum non currit paritas de forma corporeitatis, & vegetatiua, aut sensitiua, quia illa secundùm se est forma materialis, at gradus sensitiuus, & vegetatiuus abstrahunt à materiali, & immateriali, & fundant conceptum communem hominibus, brutis, & plantis, quæ ad brута, & plantas contractus efficitur materialis, ad homines immaterialis; & hinc est, quod anima sensitiua, & vegetatiua includuntur eminenter in entitate physica animæ rationalis, non sic forma corporeitatis.

79 Secundò arguitur ex absurdis. Primò enim sequitur ex hac positione, quod homo non sit formaliter quantus, quia forma hæc corporeitatis dat esse extensum formaliter corpori pro altera parte, non homini: sequitur secundò, si etiam homini dat esse corporeum substantialiter hæc forma, quod in quolibet animali duo erunt corpora, corpus pro altera parte, & tertia entitas vtique corporea, ex illo, & anima resultans, vnde, & omnia accidentia geminari debebunt, quantitas, qualitas, vulnera, cicatrices in vtroque corpore, vel vnum certè dabitur sine accidentibus. Tertiò, hæc forma esset ingenerabilis, & incorruptibilis, quia agens nihil corrumpit, nisi illud sic incompossibile formæ generandæ, sed hæc non repugnat formæ generandæ, scilicet animæ, sed est necessariò requisita ad esse ipsius, & sic redit opinio Auic. Quartò hinc sequitur, quòd quotiescunque forma hæc remanet in materia prima sine anima, toties maneret genus sine specie, tum quia corpus est genus, tum quia forma hæc non dat esse specificum, sed genericum tantùm. Quintò sequitur, idem esse corpus viuum, & mortuum, nam eadem forma corporis maneret, cum tamen genere differant.

Resp. hominem dici formaliter corporeum per gradum corporeitatis habitum à corpore pro altera parte, loquendo de gradu corporeitatis substantiali; dicitur verò quantus à quantitate inhærente corpori pro altera parte, sicut etiam dicitur iustus, & intelligens ratione iustitiæ, & intelligentiæ inhærentis animæ, ad has enim denominationes non requiritur necessariò inhærentia accidentis in toto composito, quia harum denominationum sensus non est, compositum secundùm se totum has formas subiectare, sed absolutè subiectare illas secun-

secundùm suam entitatem, vel partem, quod expliçari potest exemplo totius integralis, nam homo dicitur videns, crispus, & simus: cum tamen visio sit in oculo, simitas in naso, in capillis crispitudo. Ad 2. concedimus, in quolibet animali duo corpora reperiri adinuicem compenetrata, vt pars cum toto, quod nullum est inconueniens, vt notauit Tataret. 1. Phys. q. 2. dub. 2. quando vnum corpus est pars alterius, neque ex hoc sequitur, geminanda esse eadem accidentia, aut alterum illorum corporum esse sine accidentibus, sed distinguenda sunt accidentia, quæ sequuntur formam corporeitatis qualia sunt relata in argumento, & quæ sequuntur corpus totum ratione animæ, qualia sunt auditio, visio, motus progressiuus animali, & similia: illa priora inhærent corpori pro altera parte, sed quoque denominant corpus totum; ista verò inhærent corpori toti. Ad 3. negatur consequentia, quia hæc forma corporeitatis non est, nisi forma mixtionis, quæ est dispositio ad animam, & proinde in aduentu animæ non recedit, recedit tamen, vt ex corpore hominis generentur vermes, & noua mixtion is forma producitur, quia ad aliam, & aliam animã speciẽ distinctam, alia, & alia dispositio prærequiritur, ac proinde nequaquam redit opinio Auicen. qui volebat, formam corporeitatis semper extare in materia sub vtroque generationis termino. Ad 4. negatur consequentia, quia corpus, quod manet post animæ discessum, vel interitum, non est illud, quod ponitur in prædicamento, & habet rationem generis, sed est indiuiduum incompletum in specie incompleta mixti, quod erat pars compositi viuentis: vndè nec sequitur indiuiduum remanere cum esse generico absque specifico, quia est in specie incompleta corporis mixti, & sub genere etiam, constituendo genus corpus mixtum in communi ad mixtum completum, & incompletum, & quando dicimus, hanc formam corporeitatis dare esse genericum absque specifico, hoc intelligi debet in ordine ad viuens, non in ordine ad corpus mixtum, quod constituit; hoc enim constituit, & in genere, & in specie imperfecta mixtionis, Neque hæc appellatur forma generica, quasi non sit indeterminata specie corporis mixti, & indiuidua forma, sed dicitur generica, vt distinguatur à cæteris formis mixtionis specificis, quæ dant esse completum compositis, & quia viuenti dat esse genericum, & potentiale, per quod cessant omnes obiectiones, quas congerit Auersa loc. cit. contra formam corporeitatis, nam faciunt contra hanc formam, vt ponebatur ab Auic. non vt ponitur à Scoto. Ad quintam, corpus viuum, & mortuum in ratione corporis non differunt, sed tantùm in ratione viuentis, quem gradum superaddit anima corpori, vndè differunt specie disparata, nec vt duæ species completæ, sed vt species, & pars speciei.

80 Tertiò obijcitur, quòd non sit peripatetica hæc nostra opinio; Tum quia Philosophus 7. Met. 35. oculum, & carnem mortuam ait esse æquiuocè carnem, & oculum, quod non esset, si forma carnis, & oculi maneret post animalis interitum; idem habet 2. de Generatione Animalium cap. 1. *Non est enim facies*, inquit Philosophus, *nisi anima habeat, neque caro, sed corrupta æquiuocè dicitur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit*, quam comparationem valdè exagerat Vasquez in 3. p. disp. 108. cap. 2. nam si prædicatum carnis æqualiter conuenit carni mortuæ, lapideæ, & ligneæ, vtique non nisi æquiuocè illi conueniet; Tum deindè quia hæc forma corporeitatis statuitur ad organizandum corpus pro animæ receptione, quia ipsa est actus corporis organici, sed Philosophus secundo de Anima cap. 1. inquit animam facere corpus organicum, & non illud supponere, nam inquit text. 6. *anima est actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis, tale autem quod, vtique sit instrumentale*, idem habet text. 7. & tandem text. 10. concludit *non est autem quod abiecit animam potentia existens, vt viuat*; cum igitur partes corporis non sint organa, & instrumenta seclusa anima, clarissimum est, animam corpus organicum constituere, & non supponere; Tum etiam forma hæc corporeitatis in se considerata non potest tribuere esse specie diuersa, carnis, ossis, nerui, &c. cum secundùm se sit vna specie forma, ergo non potest illud munus obire, ad quod excogitata est; Tum demum in sententia Philosophi, 2. Phys. & alibi, omnis forma naturalis est principium motus, & quietis, quod huic formæ in animali non conuenit, nam quilibet motus in animali ab anima ortum ducit, tanquam à principio.

81 Respondetur, partes animalium dupliciter spectari posse, primò in se, vt sunt quædam entia mixta, & hoc modo sunt planè eadem, siue sint in corpore viuo, siue mortuo. Secundò considerari possunt, vt sunt instrumenta quædam animæ, & hoc modo oculus, & caro mortua sunt æquiuocè oculus, & caro, quia oculus in cadauere non est instrumentum animæ ad videndum, caro ad nutriendum; hanc expositionem deducit Ragus. disp. 17. ex 4. Met. cap. vlt. vbi ait Philosophus, carnem mortuam esse æquiuocè carnem, quia illa propriè dicitur caro, quæ potest facere opus carnis, idest; quæ nutrimentum sibi appositum in carnem sibi similem conuertere potest, quod non potest, nisi caro viua; ecce, quod Arist. loquitur de carne, vt est instrumentum animæ nutritioni deseruiens: comparatio autem illa Phil. de carne ad mortuam, & lapideam, non est accipienda de carne mortua in se, sed ad hominem, & ad eius operationem comparata; non enim minus caret propria operatione, & denominatione hominis caro mortua, quàm caro lapidea, licèt illa in se vniuocè dicatur caro, hæc æquiuocè; & hic sensus colligitur ibi ex ipso contextu, & quidem si caro mortua non est nisi æquiuocè caro, certè potest quisque vigiliæ diebus comedere carnes absque periculo transgressionis præcepti. Ad 2. quicquid sit de animæ deffinitione, an corpus organicum stet pro altera parte compositi, vel pro constituto ex anima, & corpore, de quo Scot. videtur problematicus 4. d. 14. q. 1. corpus organicum duplicitèr considerari potest, vno modo in se, & absolutè cum illa varietate partium diuersæ rationis, secundò vt hæc sunt instrumenta ad exercenda opera vitæ primo modo negatur, quod constituatur organicum per animam, quia cùm hæc homogenea sit, & vniformis, non potest tot, tamque diuersa esse præbere, carnis, ossis, & neruis secundò modo constituitur organicum per animam, quia non sunt instrumenta idonea ad proximè exercenda opera vitæ, nisi per animam, & ita loquitur Philosophus ibi. Ad 3. forma corporeitatis non est in se vnica forma secundùm speciem, sic enim vrgeret argumentum, sed potius est congeries illa formarum substantialium partialium, carnis, ossis, & nerui, vt docet Scot. in 3. d. 4. q. vn, & sequitur Ant. Andr. 7. Met. q. 6. Faber Theor. 75. Tataret. 2. de An. q. 1. dub. 2. Zab. Raguf. Coninch. & quicunque formam corporeitatis tenent, in hoc sensu eam asserere debent; videmus enim, partes integrales ab animali separari per diuisionem, os, pedem, oculum, manum, & eandem formam retinere, quam prius habebant, cùm ergo sectio non sit productiua formæ substantialis, nec tam breui tempore generari possit forma, v.g. ossis, quæ non nisi per multas alterationes, & concoctiones de potentia materiæ educitur, præstat dicere, singulas partes organicas habere suam formam partialem, & formam totius corporis non importare, nisi congeriem illarum, vt magis explicatur in lib. de Anima. Ad 4. dicimus, in animali animam esse principium motus progressiui, formam verò mixti esse principium illius motus, qui fit secundùm elementum prædominans, vnde animal cadens de Turri non mouetur deorsum ab anima, sed à forma mixti grauitate affecta; alia argumenta ad hanc materiam spectantia commodiùs infrà adducentur disp. 5. q. 6. art. p. & disput. 5. de Gen. q. 3.

Quartò demum obijcitur ad probandum dari debere vnam corporeitatis formam corporibus omnibus communem, sicut datur vna materia, quia videtur par ratio. Resp. nullam prorsus esse necessitatem ponendi hoc modo formam corporeitatis, non debet poni, vt saluetur transmutatio substantialis, quia adhoc sufficit sola materia, vt primum, & commune subiectum omnium formarum successiuè illas recipiens, & amittens: non vt det esse corporeum rebus, quia in simplicibus & mixtis inanimatis ad hoc sufficit materia cum vna forma specifica, vt patet ex dictis; Non vt seminarium aliarum formarum, è quo dicantur educi, quia ad euitandam creationem sufficit, quòd sola materia præcedat; Non vt appetat formas, quia inter appetens, & appetibile non exigitur similitudo, sed proportio. Et denique non currit paritas de materia, & forma, quia materia est commune subiectum transmutationum, & ideò debet esse vna specie in omnibus transmutabilibus, non sic forma.

QVÆSTIO V.

De potentia materiæ erga formas.

82 MAteria potentialis est, tam respectu formæ, cuius est subiectum, quam compositi, cuius est pars potentialis; hinc dubitari solet, an sit eadem potentia, qua respicit formam per modum subiecti, & compositum per modum partis potentialis, an potius duplex natura rei distincta, quarum prima dicatur passiua receptiua, altera passiua constitutiua. Pererius lib. 5. c. 21. videtur has potentias distinxisse; at communis opinio Recentiorum eas non distinguit ex natura rei vllo prorsus modo; sed aiunt per eandem prorsus potentiam materiam dici receptiuam formæ, & causatiuam compositi; ita Auersa q. 20. sect. 6. in principio, & Amicus tract. 5. q. 3. dub. 3. art. 2. vbi addit, has potentias esse distinctas rationes ratiocinata, quatenus concipitur eadem potentia inadæquatè in ordine ad diuersa munera, nam dicitur receptiua in ordine ad formam, & constitutiua in ordine ad compositum. Vnicum huius sententiæ fundamentum est principium quoddam in Philosophia à Recentioribus passim receptum, causalitatem nimirum materialem in ordine ad formam, & compositum, esse eandem, scilicet vnionem materiæ ad formam, & solum inadæquatè distingui per ordinem ad distinctos terminos inadæquatos; hinc posteà consequenter philosophantur de potentia materiæ, quòd sit vna, & eadem ex natura rei in ordine ad formam, & compositum; sed cum inferius disp. de principijs in facto esse simus futuri discordes in eo principio, quòd per vnionem scilicet materia causet compositum, hic etiam discordare debemus, nam si non est idem actus, quo materia recipit formam, & compositum causat, sed sunt actus realiter distincti, ita quoque potentia receptiua formæ, & causatiua compositi, saltim ex natura rei formaliter secerni debebunt, nam potentiæ distinguuntur per actus; quarè si actus his potentijs correspondentes sunt inter se, ex natura rei distincti, vt ibi fusè probabimus, hoc idem de istis potentijs hic asserendum est.

Quicquid tamen sit de hac re, parum refert in proposito, quia hic sermo est de potentia materiæ erga formas, vt patet ex ipso quæstionis titulo, de qua multa hic disputari solet à Scholasticis. Primò, An potentia passiua materiæ ad formas sit naturalis, vel neutra. 2. An tam ampla sit, vt extendatur ad omnes prorsus formas, etiam corruptas.

ptas. 3. An sit vna ad omnes formas, vel multiplex per multiplicitatem formarum. 4. An potentia receptiua formarum distinguatur à sustentatiua earundem, & an receptiua substantialium distinguatur à receptiua accidentalium. 5 demum, An sit de essentia materiæ, vel eius proprietas, an potius accidens superadditum; quæ singula dubia pro decisione singulos exposcunt articulos.

ARTICVLVS PRIMVS.

An potentia materiæ ad formas sit naturalis vel neutra.

QVæstio præcipuè inter Scotistas vertitur, Rada namque 1. p. controu. 1. art. 1. & Cauellus disp. 4. de Anima separata sect. 1. cum antiquioribus Scotistis præsertim cum Parisiensibus 1. Phys. qu. 9. qu. vnic. 2. collat. tenent, materiam, nedum naturaliter respicere formam in communi, sed etiam in particulari, tam secundùm gradum genericum, quam specificum, & indiuidualem. P. Faber ex opposito 1. sent. disp. 2. asserit, potentiam materiæ an formam in communi vtiquè esse naturalem, ad formas vero in particulari esse tantùm modo neutram, quam sententiam contra relatos Scotistas mordicus defendit Iordanus Muscatellus in suis considerationibus ad controuersias Xantes Mariales consider. 4. per totum, & sequitur P. Sghemma 1. Phys. digress. 5. qu. 6.

83 Pro decisione notandum est ex Scoto q. 5. Prolog. L. potentiam passiuam, qualis est potentia materiæ, si ad agens comparetur, distingui in naturalem, & supernaturalem, naturalis est in ordine ad agens naturaliter formæ inductiuum, supernaturalis in ordine ad agens non naturaliter formæ impressiuum; si verò comparetur ad formam, distingui in naturalem, violentam, & neutram; naturalis est, si passum naturaliter inclinatur in formam; violenta, si fit contra inclinationem eius; neutra, si neque inclinatur in formam, neque ad oppositum. Sed quia inclinatio naturalis duplex est ex eodem Scoto 1. dist. 1. q. 1. in fine, alia determinata, qua passum determinatè inclinatur ad vnum tantum, vt graue deorsum; alia indeterminata, qua passum indeterminatè in plura inclinatur; hinc oritur, duplex potentia naturalis, alia determinata, alia indeterminata; & similiter duplex potentia neutra, altera, quæ opponitur cuicunq; inclinationi, tam determinatæ, quàm indeterminatæ, quo sensu potentia neutra propriè, & in rigore sumitur, & præsefert duplicem negationem, inclinationis scilicet, & repugnantiæ, & connotando meram capacitatem in subiecto, altera, quæ opponitur inclinationi determinatæ tantùm, quo sensu potentia neutra coincidit cum potentia naturali indeterminata; hoc prænotato.

Dicendum est, potentiam materiæ ad omnes, & singulas formas, etiam secundùm gradum specificum, & indiuidualem inspectas, esse naturalem indeterminatam, quæ coincidit cum neutra secundo modo. Conclusio inter Scotistas communior est, & recipitur ab omnibus exteris. Quòd potentia materiæ ad omnes formas sit naturalis, apertè docet Scot. 2. d. 18. q. vn. D. vbi docet, materiam inclinari naturaliter ad quamcunque formam inducendam in ea; Quòd verò talis sit indeterminata, colligitur ex 1. d. 1. qu. 1. cit. in fine, vbi ita loquitur. *Materia prima ad nullam formam determinatè inclinatur, & ideò sub quacunque quiescit non violenter, sed naturaliter propter indeterminatam inclinationem in quamcunque*, idem habet 4. d. 43. qu. 4. C. vbi eatenus ait, violentiam non reperiri in primo passo, quatenus ad nullam formam determinatè inclinatur. Probatur verò sic; omnis potentia receptiua in ordine ad formam, vel est naturalis, vel violenta, vel neutra, sed potentia materiæ est receptiua formæ, ergo vel est naturalis, vel violenta, vel neutra non violenta, vt patet, non propriè neutra, cum forma sit perfectio materiæ, & vnumquodque in suam perfectionem sit naturaliter propensum, restat ergo vt sit naturalis sed non est determinata ad hanc formam, quia tunc violenter quiesceret sub opposita, ergo est naturalis indeterminata ad omnes, & singulas.

84 Resp. P. Fab. & Muscat. ex ipso, materiam inclinari naturaliter, etiam in formas in particulari, non tamen secundùm gradus specificos, aut indiuiduales earum, sed tantùm secundùm gradum genericum, quatenus formæ sunt. Sed contra: Tum quia sicut materia recipit hanc formam, non vt actum in vniuersali, sed vt talem actum in specie, & indiuiduo, vnde & cum ea constituit indiuiduum in tali specie; ita è contra forma perficit materiam secundùm rationem, non tantùm genericam, sed specificam quoque & indiuiduam; Tum quia materia secundùm omnem suum gradum, & formalitatem est perfectibilis, ergo & forma est secundùm omnem suum gradum perfectiua, atque ideò in eam materia inclinatur secundùm omnem rationem, etiam indiuiduam, quia forma secundùm totum suum esse informat, & perfecit materiam. Tum quia, vt arguunt Parisienses, differentia addit perfectionem generi, ergo si subiectum inclinatur in perfectionem genericam, tantò magis inclinabitur in perfectionem specificam, ex quo capite etiam Philosophus 1. Met. ab initio probauit, Metaphysicam maximè inter alias scientias appeti, quia est perfectior cæteris; Tum etiam si aliquod receptiuum naturaliter respicit aliquod commune, naturaliter etiam respicit omne contentum sub eo; vnde Scot. q. 1. Prol. ex eo, quod concedit naturalem inclinationem intellectus ad ens in communi, concludit, ipsum naturaliter inclinari ad cognitionem claram Dei. Imò sub littera X, acriter inuehitur in Varronem, eo quia concedens, ens in communi esse obiectum naturale intellectus, idipsum posteà de suis inferioribus audebat negare. Hoc inuoluit repugnantiam (ait Doct.) nam in omnibus potentijs respicientibus naturaliter aliquod commune, experimur, quòd etiam naturaliter respiciunt omnia sub eo contenta; visus enim, qui colorem in communi habet pro obiecto, habet etiam pro naturalibus obiectis albedinem, & nigredinem, licèt sint obiecta inadæquata, ergo pariter dicendum in proposito de materia in ordine ad formam in communi, & formas in particulari.

85 Resp. Muscat. adhuc ex Fab., potentiam naturaliter respicientem aliquod commune, respicere quoque naturaliter species illius generis, sed secundùm rationem genericam tantum & sic etiam ait, visum naturaliter respicere pro obiectis albedinem & nigredinem, in quantùm colores, & visibiles sunt, non inquantum sunt species. Sed contra; Tum quia ex Scot. 1. d. 1. q. 1. disputante contra Auicen. potentia intellectus non quietatur, nisi vbi est obiectum suum perfectissimum, & in summo scilicet in Deo, vbi ens est cum omni perfectione, ergo & entia particularia secundùm peculiares rationes etiam cadunt sub obiecto naturali intellectus; Tum quia Doct. in 2. d. 3. qu. 11. E. directè docet, albedinem & nigredinem non tantùm secundùm rationem genericam coloris, sed etiam secundùm rationes specificas, esse obiecta visus, & sic vniuersaliter docet, constitui debere obiecta prima, & adæquata potentiarum, non vt commune genus obiectum potentiæ constituatur, vt supponit simpliciter, quia sic potentia tendere non posset in particularia obiecti secundùm rationes specificas, quod tamen falsum est, quia nos in albedine attingimus, non tantum rationem genericam coloris, sed etiam specificam, per quam à nigredine eam secernimus; nec constitui debet, vt supponit personaliter, quia si supponeret v. g. color pro albedine tantùm, non posset visus ferri in nigredinem, quia foret extra latitudinem obiecti adæquati; si supponit pro omnibus, & singulis coloribus tantùm, sic non haberemus vnum per se obiectum potentiæ specificatiuum, & ratio generica coloris foret inuisibilis; sed debet constitui, vt supponit absolutè pro gradu generico, specifico, & indiuiduo obiectorum à potentia attingibilium, vt fusius in lib. de Anima disp. 2. qu. 4. ita igitur etiam in proposito forma specificat naturalem potentiam materiæ, non vt supponit simpliciter pro sola ratione generica formæ, non personaliter, vt scilicèt supponit pro omnibus, & singulis, sed vt supponit absolutè pro generico, specifico, & indiuiduo formarum, quia forma secundùm omnes gradus est perfectiua materiæ; Tum tandem quia si materia perficitur à formata tantum secundùm gradum genericum, quando est sub vna forma, tunc appetitus eius foret totaliter satiatus; nam intantùm aiunt, materiam per nullam formam totaliter satiari, quia nulla affert sibi illam perfectionem, quam haberet ex alia, at si formæ perficiunt materiam secundùm gradum genericum tantum, tunc vna æquè perficit sicut alia, & quantum alia, quia vna, & eadem est ratio perficiendi in omnibus, & singulis formis, & vna quo ad hoc aliam perfectissimè contineret, quod argumentum adhuc magis vrgebimus qu. seq.

86 Sed contra hanc communem Scotistarum opinionem acriter inuehitur pro Fab. Muscat loc. cit. Primò, quia si potentia materiæ naturalis est ad formam in particulari secundùm gradum specificum, vt v. g. ad formam ignis, sequitur, quod violenter detineatur sub forma aquæ. Nec Respondere valet, hoc secuturum, quando determinatè inclinaretur ad formam ignis, at inclinatur solùm indeterminatè, & ideò non sequitur violentia in materia. Non valet, quia semper vera est illa propositio, quod nulla potentia inclinatur ad opposita, & sumitur ex Arist. 3. Phys. tex. 10. & 11. Met. sum. 4. c. 1. quibus in loc. ait potentias ad contraria esse diuersæ rationis, vt potentia ad ægrotare, & sanari, nam alioqui idem esset ægrotari, & sanari. Nec rursus dicere valet propositionem illam esse veram de inclinatione determinata, & adæquata, non de indeterminata, & inadæquata, vt est inclinatio materiæ ad formas in particulari; quia actus oppositi sunt incompossibiles in eodem subiecto; ergo non datur in eo potentia naturalis ad ambos indeterminata; Et si dicatur, huiusmodi potentiam non esse ad ambos coniunctim, sed disiunctim; signum est, quod ad illos non habet eandem inclinationem sed diuersam, & sic in eodem subiecto ponerentur non solùm diuersæ, sed etiam oppositæ inclinationes.

Res. materiam naturaliter quiescere sub quacumq; forma, propter indeterminatam inclinationem ad quamcumque, & ita in terminis soluit hoc argumentum Doct. in 1. d. 1. qu. 1. in fine, & falsum est dari non posse potentiam indeterminatam ad opposita disiunctim, hanc enim Scot. 1. dist. 39. E, & omnes admittunt in voluntate ad oppositos actus, velle, & nolle; Aristotelem verò multi explicant de sola distinctione rationis; Canon. 1. Phys. qu. 9. dub. 5. explicat de potentijs proximis, & in vltima dispositione ad actum, non de remota, quæ esse potest vna, vel vt meliùs ex ipso contextu dicatur, Arist. non loqui de potentia passiua secundùm se, sed relata ad potentiam obiectiuam terminorum, vt sensus sit, si posse ægrotare, idest ægrotatio possibilis est idem cum posse sanari, idest sanitate possibili, hinc

li, hinc statim sequitur, sanari, & ægrotare idem esse, quia ens in potentia obiectiua est illud idem, quod postea fit in actu 9. Met. tex. 7. ita hunc locum exponit Scot. in 4. d. 11. q. 3. sup. X. Alij dicunt Philosophum ibi velle solùm quod posse valere, & ægrotare differunt ex parte terminorum, infert enim *namq; valere, & ægrotare idem esset*.

87 Secundò, dicere, potentiam materiæ esse naturalem indeterminatam, aut idem est, quod eam asserere neutram, aut certe implicat in adiecto: Nam ex vna parte indifferentia, indeterminatio, & neutralitas idem significant, vnde si materia respicit forma indeterminatè, iam respicit neutraliter. Ex alia parte naturalitas, inclinatio, & determinatio ad vnum idem significant: natura enim dicitur ad vnum determinata ex 2. Phys. ergo dicere, materiam naturaliter indeterminatè in formas inclinari, vel est repugnantia in adiecto, vel idem est, quod eas respicere neutraliter, quare omnes Scot. veteres vocat Grossipedales, quia distinctionem dederunt de inclinatione determinata, & indeterminata.

Resp. negando assumptum quoad vtramque partem, si de neutralitate sumpta in rigore sit sermo, quæ dicit negationem cuiuscunq; inclinationis, tam determinatæ, quam indeterminatæ, nam de neutralitate secundùm quid sumpta, vt nimirum dicit negationem inclinationis determinatæ, gratis admittunt. Et cùm dicitur, indifferentiam, indeterminationem, & neutralitatem idem significare, negatur, si neutralitas formatur in rigore, quia neutralitas sic inspecta quamcumque inclinationem excludit, non autem indifferentia, vel indeterminatio. Falsum item est, quod naturalitas & inclinatio idem sint, quod determinatio ad vnum, si naturalitas absolutè sumatur, & non in toto rigore; Et auctoritas ad hoc allata ex 2. Phys. quod natura est determinata ad vnum, non est ad rem, quia, vt explicat Doct. quodl. 2. F. intelligitur de agente naturali, vt à libero secernitur, quia vbi hoc positis omnibus prærequisitis ad agendum, est indifferens ad vtrumlibet, quia potest agere, & non agere; agens naturale est determinatum ad alteram contradictionis partem. Falsum deniq; est, quod ponere inclinationem indeterminatam sit implicantia in adiecto; tum quia ita loquitur Scot. 1. d. 1. q. 1. in fine, dum ait materiam naturaliter quiescere sub quacunque forma *propter indeterminatam inclinationem ad quamcunque*; tum quia non implicat, dari in re talem inclinationem, & propensionem ad aliquam suam perfectionem, vt si illa careat, dicatur in statu violento, & contra suam inclinationem manere; sic de facto dicitur graue inclinatum ad vbi deorsum, vt si extra illud sit, violenter maneat. Nec etiam implicat, inclinationem sumi pro propensione tali ad aliquam specialem perfectionem, quod si ea priuaretur, non propterea violenter existeret, quia aliam consimilem haberet, & æquè sibi proportionatam, vt illa; Sic de facto dicimus, intellectum ita naturaliter inclinari in vnam intellectionem, quod ea carens, & sub alia existens, non idcirco violenter existit; Imno inclinatio, quam habet homo ad plures actus videndi, quomodo vocari debebit? inclinatio neutra, vel potius indeterminata ad hunc & illum actum? si secundùm, habetur intentum, quod datur inclinatio indeterminata: si primum; certè si apud Muscat. non implicat in adiecto inclinatio neutra, minus apud nos implicabit inclinatio indeterminata; quare immerito vocat Scotistas veteres Grossipedales. Et quamuis P. Fabro sit plurimum tribuendum, vt de doctrina Scot. benemerito, non idcirco alijs Scotistis detrahere debet.

88 Tertiò arguit; Si materia inclinatur naturaliter inadæquatè ad formam ignis, & aquæ, sequitur, quod naturaliter possit simul sub vtraque forma quiescere, quia omnis potentia potest actu, & simul esse sub adæquato termino, & sub adæquata forma. Nec respondere valet, quod eas respicit disiunctim, non coniunctim; Tum quia ex hoc, quod singulas respicit, vt terminos inadæquatos, sequitur, quod possit simul esse sub vtraque immo & sub omnibus formis, quia omnes conficiunt terminum adæquatum, & non repugnat, potentiam esse simul cum suo termino adæquato; Tùm quia si solùm diuisim eas respicit, sequitur, quod cum vnam dimittit, & aliam recepit, inclinatio naturalis eius mutatur, neque enim eadem naturalitate potest formas oppositas recipere.

Resp. negando consequentiam, nam voluntas etiam respicit velle, & nolle, vt actus inadæquatos, & tamen nequit esse sub vtroque, quod & in multis alijs contingit, & ideò falsum est, vniuersaliter loquendo, quod potentia possit simul, & semel esse sub actibus inadæquatis, quia multoties isti sunt adinuicem incompossibiles, & argumentum vrget quoq; Muscat. ipsum qui ponit, materiam respicere singulas formas neutraliter, vt terminos inadæquatos; Quare & ipse rationem tenetur assignare, cur, cùm singulæ formæ sint actus inadæquati illius potentiæ neutræ, non possint simul actuare illam, nec aliam assignare potest, nisi à nobis allatam. Nec sequitur, materiam, cùm vnam formam dimittit, & oppositam recipit, mutare naturalitatem, quia eius inclinatio ad vnam non est ita determinata, vt aliam respuat disiunctim, sicut nec naturalitas voluntatis mutatur, dum de nolente fit volens aut è contra.

84 Quartò objicit; Tum quia sicut ex hoc, quod terra naturaliter inclinatur ad esse in loco in communi, non sequitur, quod naturaliter inclinetur ad hanc, vel illam speciem loci; ita ex hoc quod materia naturaliter inclinatur ad formam in communi, non rectè deducitur, quod naturaliter quoq; inclinetur in hanc, & illam formam; Tum 2. quia quæ competunt alicui per se secundò, non competunt illi, nisi ratione illius, cui competunt per se primo, & ablato illo, huic non competunt, ideò enim homo est sensitiuus quia est animal, & si homo non esset animal, non esset sensitiuus, ergo sic in proposito, si materia respicit per se primò formam in communi, & formas specificas per se secundò, sequitur, quod licet materia naturaliter inclinetur ad formam in communi, non idcirco debet naturaliter respicere formas specificas, vt sic, sed secundùm rationem genericam tantum vt formæ sunt; Tum 3. quia si potentia materiæ est ad formas specie distinctas vt sic, & non tantum secundùm rationem genericam, sequitur quod in materia erunt potentiæ specie distinctæ, sicut, & formæ, quibus specificantur, specie differunt. Tum tandem, quia Scot. 4. d. 48. q. 2. O. ait, quod vniuersaliter, *quando subiectum ad neutrum contrariorum determinatè inclinatur, neutrum respicit naturaliter, vel violenter*, & ex hoc probat ibidem, motum Cœli esse neutrum, ergo, simplex indeterminatio constituit naturalitatem in sententia Doctoris.

Resp. ad 1. negando paritatem. Terra namq; inclinatur ad locum in communi, sed non vt supponit absolutè, descendendo scilicet ad quemcunque locum particularem; at materia inclinatur ad formam in communi, vt supponit absolutè, quia est perfectibilis à forma secundùm omnes gradus ipsius formæ, & argumentum vrget quoque ipsum Aduersarium, nam sicut ex hoc, quod terra inclinatur ad locum in communi, non rectè deducitur, quod sit in potentia neutra ad loca particularia, quia ad locum sursum habet repugnantiam: ita ex hoc quod materia habet inclinationem naturalem ad formam in communi, non licebit inferre, quod sit in potentia neutra ad formas in particulari. Ad 2. falsum est quod formæ specificæ competat potentia informatiua ea ratione præcisè qua forma est, sicut homini competit esse sensitiuum, ea ratione præcisè, qua animal est, nam gradus quicunq; formæ, tam specificus, quam indiuidualis est informatiuus & perfectiuus materiæ, & ratio informandi quidditatiuè includitur in quolibet prædicato formæ, quo non conuenit cum materia. At non ita sensitiuum includitur in quacunque hominis formalitate, quia non in rationalitate, cum differentia inferior non includat superiorem. In tantùm autem dicimus, materiam per se primò respicere formam in communi, & per se secundò formas in particulari, quatenus vniuersalia sunt priora singularibus in subsistendi consequentia. Ad 3. consequentia valeret, si forma terminaret appetitum materiæ, & eius potentiam specificaret, vt supponit personaliter, at supradictum est, non ita specificare, sed tantùm, vt supponit absolutè; hæc enim vnitas ex parte formæ sufficit ad constituendam vnitatem potentiæ vniuersalis materiæ. Ad 4. Scot. explicari debet ibi iuxta ipsius doctrinam traditam 1. d. 1. q. 1. quod nimirum quando subiectum ad neutrum contrariorum determinatè inclinatur, neutrum respicit naturaliter, loquendo de naturalitate in rigore, sed respicit neutraliter, loquendo de neutralitate secundùm quid, ad cuius constitutionem vtiq; sufficit sola indeterminatio, in quo sensu etiam dici potest motus Cœli neuter, vt suo loco dicimus in lib. de Cœlo. Rationes, quas ad idem adducit P. Shegm. loc. cit. soluuntur ex dictis, & omnes procedunt de naturalitate determinata.

ARTICVLVS II.

An potentia naturalis materiæ extendatur ad omnes prorsus formas, etiam corruptas.

60 SEnserunt quamplures, materiam non esse capacem formæ corruptæ, per potentiam sibi innatam, & naturalem, sed tantum per potentiam obedientialem; ita significauit Argent. 4. dist. 43. q. 1. ar. 1. Soncin. 5. Met. q. 18. art. 1. ad 2. & ex nostris Petrus de Aquila 4. dist. 43. q. 2. vbi negat corruptum naturaliter posse produci, quia non habet eandem potentiam Complut. q. 8. disp. 3. Arriag. disp. 2. Phys. sect. 4. & alij.

Communior sententia tenet, materiam habere potentiam naturalem ad formas quoque corruptas; quare, quod non possit naturaliter idem effectus redire, non prouenit ex defectu, vel imminutione potentiæ in materia, sed ex alijs capitibus, ita Recentiores omnes, Hurt. in Phys. disp. 2. sect. 3. Auersa q. 20. sect. 6. Ruuius 1. Phys. tract. 1. q. 7. dub. 4. Amicus 1. Phys. tract. 5. q. 6. dub. 2. & alij passim.

Pro decisione quæsiti, Notandum est, nos hic disputare nolle, an idem numero effectus possit naturaliter reproduci, quia de hoc agimus in lib. de Gener. sed nos hic cum communiori supponere, quod non possit, quamuis enim de quibusdam posset probabiliter oppositum sustineri cum Scot. 4. d. 43. q. 3. tamen, quia de omnibus, in vniuersum id asseri non potest, & quæstio proposita loquitur vniuersaliter de omnibus formis corruptis, ideo superest modo quæstionem hanc exagitare, supposita communi opinione. Deinde recolendum est ex art. præcedenti, potentiam passi in ordine ad agens distin-

distingui in naturalem, & supernaturalem; in ordine ad actum distingui in naturalem, violentam, & neutram ; & potentiam materiæ in ordine ad formam esse naturalem ; quibus nunc addendum est pro exacta solutione quæsiti , quod hæc naturalis potentia materiæ tribus modis potest respicere formam proximè,remotè, & remotissimè. Potentia proxima in materia est capacitas recipiendi formam cum dispositione ad illam recipiendam, sic materia ligni v.g. quando iam per calorem , & siccitatem est disposita ad recipiendam formam ignis dicitur habere potentiam proximam ad illam . Potentia remota est eadem materiæ capacitas nuda absq; dispotionibus ad formam, quas tamen habere potest naturaliter , seu ab agente naturali ; sic eadem materia ligni antequam exsiccata sit , & calefacta , dicitur habere potentiam remotam ad formam ignis recipiendam . Potentia tandem remotissima est nuda materiæ capacitas ad formam sine dispositionibus , quas naturaliter potest habere, & sic materia habere dicitur potentiam naturalem ad formas corruptas , ad quas tamen disponi nequit virtute naturalis agentis hoc prænotato .

91 Dicimus , materiam habere potentiam naturalem ad omnes prorsus formas,etiam corruptas, sensu nunc explicato, naturalem nimirum, si potencia materiæ comparetur ad formam , & eam remotissimè respiciat ; nam si comparetur ad agens , non habet ad formas corruptas potentiam naturalem , sed supernaturalem, & obedientialem . Conclusio est Scoti 4. d.43.q.3. H.& quoad primam partem probatur; potentia materiæ est capacitas recipiendi formas, ergo materia habet capacitatem recipiendi formas , etiam corruptas , quia talis capacitas, vel est de eius essentia, vel saltim ei realiter identificata velut proprietas, vt postea dicetur; quod si eas non recipi, nec naturaliter recipere possit , non est quia sit defectus capacitatis in materia , sed defectus est ex parte formæ , quæ cum semel destructa est , non potest iterum redire, quia à priuatione ad habitum naturaliter non fit regressus, quemadmodum v.g. vas aliquod semper habet capacitatem recipiendi vinum,etiam corruptum, sed non recipit, nec recipere potest,non ob defectum suæ capacitatis, sed quia vinum corruptum non potest iterum redire naturaliter . Confir.ex Scot.loc.cit.quia si Deus reduceret eandem formam in materia , illa faceret per se vnum cum materiam naturaliter,sicut prius,ergo in materia esset potentia respectu eius eandem,quæ prius,consequentia patet,quia hac eadem ratione dici solet , quod si cæco supernaturaliter restituatur potentia visiua,videbit deinceps naturaliter,sicut prius,quia ad eam habet potentiam passiuam naturalem eandem,quam prius habebat. Deniq;anima separata adhuc in tali statu retinet potentiam informatiuam corporis,vt docet Scot.quodl.13.Mm.& D.August.notauit lib.12. super Genes. ad litteram cap. 35. ergo & materia retinebit eandem potentiam informabilem ; item potentia actiua non definit ad desitionem actus, quem produxit, nec vllo prorsus modo imminuitur, ergo neque potentia passiua desinit ad desitionem actus,quem recipit,nec vllo modo in se imminuitur .

Resp. Arriag. cit. n. 54. appetitum materiæ primæ non esse solam materiam , sed ipsam simul cum negatione reali primæ productionis formæ,quare appetitus ille non est denominatio omnino intrinseca materiæ ; ratio à priori est, quia appetitus materiæ est potentia naturalis illius ad formam sibi conuenientem , sed potentia naturalis ad illam formam, non est omninò intrinseca materiæ , includit enim negationem primæ productionis , ergo nec appetitus erit adæquatè intrinsecus , sicut in causa creata posse proximè operari non est denominatio omninò intrinseca , quia includit etiam voluntatem Dei concurrendi simul cum creatura ; hinc negat post corruptionem formæ manere adæquatè totam entitatem appetitus , & potentiæ .

Hæc solutio facile reijcitur tum ex dictis in Log. disp. 8. q. 3. art. 1. in fine , vbi generaliter damnamus hunc Neotericorum modum explicandi rerum essentias,& formalitates per denominationem partim intrinsecam, partim extrinsecam ; tum ex infrà dicendis de appetitu materiæ, qui cum formaliter, & in recto importet formalitatem positiuam mere ponitur includere quiditatiuè aliquam negationem:tum quia eadem ratione falsum est potentiam naturalem materiæ ad formam, vt sic, includere negationem primæ productionis eius , quod si eam aliquo modo concernit, vel constat , hoc ei conuenit, non quatenus potentia naturalis,vt sic,sed quatenus proxima ,vel remota, vt suprà declaratum est , quarè destructa forma integer adhuc permanet appetitus, & potentia materiæ quantum ad omne id, quod importat formaliter, & in recto, & solam denominationem ammittit, quod sit proxima, vel remota, quæ denominationem sunt ei accidentales; videatur disp.5.de Gen.& Cor.q.7.art.2.vbi discutimus quæsitum, an semel corruptum possit denuo reparari naturaliter , à quo dependet omnino præsens quæstio , & occurrimus argumentis Arriaga , & aliorum .

92 Probatur deindè Conclusio quoad alteram partem ; non datur agens naturale potens eundem numero effectum reproducere , & eandem de nouo formam in materia reparare ; potest tamen id fieri virtute agentis supernaturalis , vt Scotus ostendit loc.cit. & nos suo loco probabimus , ergo potentia materiæ ad formas corruptas in comparatione ad agens non est naturalis , sed supernaturalis , & obedientialis .

In oppositum obijcies primò; Non datur potentia naturalis actiua ad formam corruptam reproducendam,ergo nec passiua in materia ad eam recipiendam,patet consequentia, quia omni potentiæ passiuæ naturali respondet actiua naturalis,quod probatur; Tum quia potentia passiua diffinitur per ordinem ad actiuam 5. Met. 17. Tum quia virtute huius propositionis Philosophus 3. de An. tex. 17. ex eo quòd in anima rationali est intellectus possibilis , probat quoque , in ea dari intellectum agentem , ipsum possibilem deducentem ad actum. Tum quia aliàs illa potentia in natura esset frustra ; Tum tandem quia natura non deficit in necessarijs , ideò quando alicui rei tribuit propensionem ad aliquem finem , simul elargitur instrumenta necessaria ad eius consecutionem , qua de causa Arist. 2. de Cœlo cap. 8. concludit , Astra non habere vim progressiuam , eò quia natura non dedit eis instrumenta ad motum progressiuum peragendum .

Resp. quòd Thomistæ laborant pro huius argumenti solutione , quia propositionem illam , quòd omni potentiæ passiuæ naturaliter correspondet actiua naturalis , habent pro aximate irrefragabili, at Scotistæ nullo negotio soluunt, negantes illam Propositionē esse vniuersaliter veram cum Scoto q. 1.Prolog.infra Q. & 4.d.43.q.3. ad 1. & d.49.q.11.R. Nam anima separata inclinatur naturaliter ad corpus, & in corpore est potentia naturalis passiua ad animam intellectiuam, & potentia visiua cæca est in potentia naturali ad visum , & tamen nulla est potentia actiua naturalis has potentias passiuas potens deducere ad actum . Verum igitur est,cuilibet potentiæ naturali passiuæ correspondere actiuam non tamen semper in natura creata,sed in natura, hoc est, in toto ordine entium,etiam secundùm Philosophum,& hac ratione potentia passiua definitur per ordinem ad actiuam , & per hoc patet ad primam probationem illius propositionis . Ad 2.ex vi illius propositionis Philosoph.3. de Ani. probat solum , quod intellectui possibili correspondet facultas agens non tamen probat virtute eius, quòd sit in eadem numero natura radicata , sed solum quod assignari debeat in toto ordine entium,vt Mercen. colligit tom.1. dilucid.pagina apud nos 237. vndè nonnulli volunt, Deum esse intellectum agentem. Ad 3. non sequitur, illam potentiam esse frustra, tum quia semel est reducta ad actum;tum quia est reducibilis ad actum per alias formas à naturali agente ; tum quia , & si ad actum reduci nequeat per illam formam à naturali agente , potest reduci ab agente superiori, quod sufficit , ne frustra dicatur. Ad 4.non ob id natura dici debet in necessarijs deficere ; tum quia in tota coordinatione entium datur agens naturale, quod eam deducit ad actum, & supernaturale , quod iterum eam reducere potest , tum quia nemo deficere dicitur, quando non dat quod non potest,vt ait Scot.q.1 Prol.Y. Arist.autem 2.de Cœlo loquitur speciatim de potentia ordinata à natura ad motum progressiuum , quæ est organica, de qua vtique concedi debet , quod cui datur talis potentia à natura , ei datur, & organum , per quod deduci possit ad actum , & ideo inquit Doctor, hinc trahi non posse consequentiam vniuersalem in omnibus potentijs , quia non omnes sunt organicæ . Denique probabile est , quod Hurtadus docet cum multis alijs loc. cit. agens naturale non posse effectum corruptum denuo reparare,non ex intrinseco defectu,& impotentia eius,sed per accidens, ex lege ordinaria , qua Deus decreuit , agentibus naturalibus nolle concursum suum præstare ad reparandos effectus iam corruptos ad constituendam varietatem indiuiduorum .

93 Secundo obijcies absurda,quæ sequerentur. Primò enim sequeretur, quod inclinatio naturalis esset ad impossibile ; deindè quod resurrectio mortuorum supernaturalis non esset . Denique quod materia semper violentiam pateretur, cum non detur in natura agens potens producere actum , quo ille appetitus expleatur .

Resp. negando sequelam primi absurdi ; quamuis enim inclinatio naturalis non sit ad impossibile simpliciter , potest tamen esse ad impossibile secundùm vires naturæ creatæ,& talis de facto est inclinatio oculi cæci ad visum . Nec sequitur secundùm absurdum , quamuis enim resurrectio naturalis sit, comparando materiam in ordine ad animam , non tamen naturalis est, comparando eam in ordine ad agens,ex Sco.cit.in 4.Negatur tandem tertium absurdum sequi, quia, vt diximus articulo præcedenti materia ad nullam formam determinatè inclinatur , & ideò nullius certæ formæ priuatio eam ponit in statu violento, sed tunc tantum ad talem statum reduceretur, si omnibus simul,& semel priuaretur. Nec refert, appetitum ad formam corruptam expleri non posse per agens naturale , sufficit enim, ne in statu violento dicatur esse , vt possit ab agente naturali alias formas recipere .

94 Tertiò demum obijcies , quòd materia non sit in potentia ad omnes formas, quia tunc naturaliter posset esse sub omnibus ; Et præcipuè quòd non sit in potentia naturali ad animam rationalem , quia hæc non educitur de potentia illius , materia verò non dicitur habere potentiam naturalem , nisi ad formam ex eius potentia educibilem .

Resp. negando consequentiam , habet quidem materia simul potentiam ad omnes formas habendas , sed non ad habendas simul, sed successiuè,& est;quod Logici dicunt, in materia simultas potentiæ ad omnes formas, non autem potentia simultatis, de qua duplici simultate vide Doctorem 1. dist. 39. K. negatur etiam , quòd materia non sit in potentia naturali ad animam rationalem , quamuis ex eius potentia non educatur , falsum enim est , materiam solum ad eas formas naturalem potentiam habere, quæ ex illius potentia sunt educibiles .

ARTI-

ARTICVLVS III.

An potentia materiæ sit vna ad omnes formas, vel potius multiplex.

SCotistæ nonnulli Doctorem faciunt problematicum in hac re ex his, quæ habet in 4.dist. 11.q.3.I.

95 Pro decisione quæsiti Notanda est ex Canonico nostro 1. Phys. q.9.dub.5,& Parisiensibus 1.Phys.q.9. quæstiuncula 3.collat. distinctio de duplici potentia materiæ, altera proxima , & particulari , altera remota , & vniuersali. Potentia proxima, & particularis dicitur esse illa,qua materia per aliquas dispositiones accidentales, v.g. calorem, & siccitatem est determinata, seu potens recipere particularem formam ignis;Remota,& vniuersalis est illa, per quam materia nullis adhuc affecta dispositionibus respicit vniuersaliter omnes formas , & æquè omnes recipere potest cum non sit ab agente determinata per dispositiones accidentales potiùs ad hanc formam , quam ad illam . Hoc prænotato .

Dicendum est, potentiam proximam , & particularem esse in materia multiplicem , iuxtà formarum multiplicitatem ; at vniuersalem , & remotam esse ad omnes vnam . Conclusio est communiter recepta , nedum apud nostros , præsertim verò Canonicum , & Parisienses cit. sed etiam apud exteros , Perer. lib. 5. c.21. Zabar. lib.1. de Materia cap.15. Auersam q.20. sect.6. & alios quamplures ,

Quo ad 1. partem colligitur ex Scoto 1. distin. 1. q.1. ad 4. vbi ait, tot esse appetitus materiæ ad formam , quot sunt formæ receptibiles in ea, vbi Vigerius, & Bargius aduertunt Doctorem loqui de appetitu materiæ , non aptitudinali , hic enim vnus est in materia ad omnes formas, sicut vna est aptitudo ridendi in homine ad multos actus , sed actuali, qui vtique ad multitudinem formarum multiplicatur ; Clarius colligitur ex 4.d.43.q.3.k.vbi docet , quod tot sunt potentiæ in materia,quot formæ receptibiles in ea,nedum specie,sed numero, immo ad vnamquamque formam singularem tot esse potentias in materia quoties eadem forma de nouo possit induci in materiam ; & quòd loquatur de potentia proxima , & particulari , clarè deducitur ex eo, quòd loquens ibid. de potentia vniuersali, & remota, quam ibi vocat ordinem aptitudinalem receptiui ad receptum , ipsam ponit vnam , immutabilem , & inuariabilem, ex quo patet , Auersam decipi , dum ex hoc loco colligit , Doctorem fuisse oppositæ sententiæ , & quoad hanc partem faciliter suadetur conclusio , quia cum hæc potentia particularis , & proxima materiæ conueniat , quatenus per accidentia disponitur ad certam formam , sicut variæ , & multiplices sunt dispositiones pro varietate formarum , ita etiam potentia hæc variabitur , & multiplicabitur .

Quo ad alteram partem colligitur ex Scoto eiusdem locis, & etiam ex 1.d.1. q.1. in fine , vbi habet , materiam naturaliter quiescere sub quacunque forma ob eius indeterminatam inclinationem ad omnes , ex quo patet , Doctorem vnam tantum admittere in materia inclinationem vniuersalem ad omnes formas , quia si cuiulibet formæ propria corresponderet inclinatio congenita materiæ , iam quæcunque inclinatio materiæ ad formas esset determinata ; vndè quamuis in 4. distinct. 11.quæst.3. I.problematicus de hac re videatur , tamen cùm ibi de hac materia ex professo non loquatur , ad id standum est , quod inferiùs , determinat distinct.43. q.3. & etiam facilè suadetur quo ad hanc partem ; Tum quia vna potentia sufficientissima est ad omnes formas recipiendas , vna nimirum remota, & vniuersalis; Tum quia, vt aiunt Bargius , & Vigerius , in homine vna sufficit inclinatio ad multos actus ridendi,similiter in graui vna tantùm propensio ad multos descensus, ergo pariter in materia vna sufficit inclinatio ad omnes formas , probatur assumptum , nemo enim sanæ mentis plusquam vnam agnoscit risibilitatem in homine , & plusquam vnam in lapide grauitatem , & ideò nullus rationabiliter negare potest vnam & eandem esse in homine inclinationem ad varios actus ridendi, & in graui ad varios descensus . Tum quia in subiecto contrariorum receptiuo, vna est potentia contrariorum receptiua disiunctim 9.Met.text.17. & 19.& 4. Met.20. ergo pariter in materia vna tantùm erit potentia formarum incompossibilium susceptiua successiuè ; Et hac ratione materia dicitur potentia contradictionis , quia nimirum per eandem potentiam respicit plures formas , simul incompossibiles ; Tum quia si alia est potentia ad formam ignis,alia ad formam aquæ, possent simul recipi in materia illæ formæ , cum in ea reciperentur non secundùm eandem, sed secundùm alias, & alias potentias , sicut pariter eadem materia secundùm diuersas partes potest recipere diuersas formas ; Tum quia, tunc tot in actu admitti deberent reales potentiæ, & aptitudines in materia, quot successiuè sunt formæ possibiles in ea ; Tum tandem,quia cum potentia vniuersalis materiæ sit illi essentialis veluti innata proprietas, meliùs ponitur vna, quàm infinitæ , & hæc immutabilis, & inuariabilis semper .

96 In oppositum obijcitur Primò , potentiam materiæ ad omnes formas non esse vnam; Tum quia actus , & potentia sunt eiusdem generis,& speciei 9.Met.7.ergo cùm formæ sint specie diuersæ,sic etiam erunt potentiæ in materia ; Tum quia relationes, præsertim in Scoti sententia,multiplicantur ad multiplicationem terminorum 3.d. 8. q. vnica , vt in patre paternitates ad filiorum multiplicationem; Tum quia si esset vna materia habens vniam tantùm potentiam ad certam formam , v.g. ignis, & esset alia materia vnam tantùm habens potentiam ad aliam formam , scilicet aquæ , vtique specie differrent, ergo nunc etiam in vna , & eadem materia erunt potentiæ specie differentes ; Tum tandem quia 3. Phys. 10. non est vna, & eadem potentia,ad contraria , scilicet ad sanitatem , & ægritudinem , ergo nec est vna , & eadem potentia in materia ad formas incompossibiles .

Resp. ad 1.ex Scot.2.dist.16.q. vnica A.illam auctoritatem intelligi debere de potentia,& actu,prout sunt differentiæ entis, non de potentia actiua,& passiua,& actu eis correspondente,non enim potentia ad quantitatem est quantitas,potentia ad vbi est vbi, & sic de alijs. Ad 2. verum est, quod ait Doctor de relationibus ad terminos totales , & adæquatos comparatis , & de his loquitur 3.dist.8.q.vnic. nam respectu paternitatis , quilibet filius distributiuè est terminus adæquatus , & sufficiens vt in patre resultet paternitas , at respectu terminorum inadæquatorum falsum est, quia singuli sunt insufficientes ad positionem relationis in fundamento , & omnes simul constituunt vnum terminum adæquatum, & sufficientem ad ponendam relationem in fundamento , exemplificat Doctor 4.dist.1.q.2. O. de tractu Nauis à pluribus , quos simul respicit , & collectiuè in ratione termini adæquati. Potentia vniuersalis materiæ in proposito respicit singulas formas, vt terminos inadæquatos, & omnes simul vt adæquatum terminum, & totalem. Ad 3.in eo casu vtique, & materiæ illæ , & potentiæ ambarum essent diuersæ speciei,quia nimirum formas illas specificas respicerent,vt terminos adæquatos,& adæquatè specificantes ipsas,at non ita est in proposito, quia potentia materiæ est ita ampla , vt nullam formam specificam respiciat pro adæquato termino , sed omnes collectiuè; quod declarari potest exemplo sensus communis ; & externorum;peculiaria enim obiecta,color,odor, sapor,&c. constituunt diuersos specie sensus externos , quia sunt obiecta adæquata singulorum, & sensum communem non multiplicant ; quia cum sit maioris ambitus,quam externi, sunt respectu illius obiecta inadæquata. Ad 4. iam articul. 1.huius quæstion.dictum est ex Scoto 4.distin.11.quæst.3. super X. quòd Arist. non intelligitur de potentia receptiua ; & actu recepto sed de potentia , & actu , vt sunt differentiæ oppositæ entis, vt apparet de posse sanari, & posse ægrotari , de quibus exemolificat; non est autem verum de potentia subiecti , quia eadem potentia receptiua potest poni in corpore respectu duorum contrariorum , licet actus non sint idem .

97 Secundò obijcies absurda , quæ inde sequerentur . Primò enim sequeretur potentiam materiæ esse infinitæ virtutis in genere causæ materialis,hac enim ratione Deus dicitur infinitæ virtutis in genere causæ efficientis , quia infinitos effectus sincathegorematicè potest producere, nec terminus intrinsecus ei potest assignari , cum igitur eodem modo se habeat potentia materiæ ad omnes formas suscipiendas,erit vtique infinitæ virtutis in genere materialis causæ.Deindè sequeretur potentiam materiæ esse indeterminatam , quare non magis recipere posset vnam formam,quàm aliam, & ita de se nullam exigeret formam, quod est contra eius naturam . Postremò sequeretur,formam non informare materiam , nisi secundùm gradum genericum formæ , contra dicta art.1. huius quæst. Consequentia patet , quia in tantum defenditur vnitas potentiæ materiæ ad omnes formas, quatenus nimirum omnes , & singulæ informant sub ratione actus in vniuersali,quia vnum,vt vnum nequit specificari à pluribus,vt pluribus, sed vt habet vnam communem quandam rationem;Si ergo omnes informant materiam , etiam secundùm gradus specificos distinguendæ sunt in materia plures potentiæ ad formas .

98 Resp. eandem vrgere difficultatem , etiam si potentiæ multiplicentur ad multiplicationem formarum , nam ab omnibus illis redditur materia infinitæ capacitatis ; Dicendum ergo ex Scoto in 3. dist. 14.q.2.in calce Q. quod capacitas materiæ ad infinitas formas successiuè non concludit infinitam virtutem receptiui,quia potentia passiua à toto genere nullam importat perfectionem, vt declarat Lichet. 2. d. 3.q.10.potentia autem actiua perfectionem dicit , quomodò autem colligenda sit infinitas potentiæ Dei ex hoc , quod potest plures , & plures effectus in infinitum producere , fusè declaramus infra disp. de infinito q. 2. Ad 2. potentia materiæ determinatur inadæquatè ab agente introducente tales, vel tales dispositiones ; & non sequitur ex hoc, materiam ex se nullam formam exigere,sed potius sequitur, exigere omnes,& omnes appetere, nullam tamen determinatè, & eadem difficultas vrget, & eodem modo solui debet , si ponantur plures potentiæ in materia , quia tunc neque posset assignari ratio , cur magis ad actum reducatur hæc potentia materiæ, quàm illa , nisi recurratur ad extrinsecum agens . Ad 3. negatur etiam consequentia, quia sufficienter saluatur vnitas potentiæ in materia, si ponatur specificari per formam,vt supponit absolute, nam terminus absolutè supponens adhuc retinet significatum per se vnum apud logicos ; Et quamuis supra dixerimus , formas informare materiam non tantùm secundùm rationem genericam formæ, sed etiam specificam, & indiuidualem, adhuc tamen assignatur vnitas rationis informatiuæ , secundùm quam omnes , & singulæ informant , dicimus enim omnes formas respici à materia , vt forma & actus absolutè supponit , ita tamen , vt in singulis gradibus respiciat rationem actus , quia forma secundùm omnes gradus , in quibus non conuenit cum materia , est actus .

Tertiò

Tertiò obijcies. Tot sunt potentiæ in materia, quot priuationes, sed hæc multiplicantur ad multiplicationem formarum ergo, & potentiæ.

Resp. ob hoc aliquos admisisse in materia vnam priuationem vniuersalem omnium formarum correspondentem potentiæ vniuersali; at hoc minimè necessarium est, nam potentia non dicit formaliter priuationem formæ, sed tantum illam connotat, vndè pro connotato tantum multiplicabitur, non pro formali.

ARTICVLVS IV.

An Potentia receptiua formarum distinguatur à sustentatiua earundem, & Num receptiua substantialium distinguatur à receptiua accidentalium.

99 CErtum est materiam formas corruptibiles non tantùm in se recipere, verum etiam sustentare, per quod munus explicari solet eius causalitas materialis erga formas, quod non exercet circa animam rationalem, quam vtique in se recipit, sed non sustentat; Certum est etiam, materiam aliqua in se recipere accidentia, quod intantùm verum est, vt quàm plures eam statuant immediatum subiectum omnium accidentium; & apud eos, qui compositum statuunt subiectum inhæsionis quantitatis, & qualitatis, materia immediatè in se recipit accidentia quædam, saltem relatiua, vt generationem, vnionem in ordine ad formam, causationem in ordine ad compositum. In prima igitur parte quæsiti quæritur, num actum recipiendi formam, & actum sustentandi exerceat materia per vnam, & eandem, an potius per distinctas ex natura rei potentias, quarum vna dicatur receptiua, altera verò sustentatiua formarum: Suarez disp. 13. Met. sect. 9. n. 10. & 11. significat, esse vnam & eandem potentiam, & modum vnionis non distinguit à modo sustentationis, quem sequitur Auers. q. 12. sec. 3. & q. 20. sec. 6. Amicus tract. 5. q. 3 dub. 5. art. 2. distinguit actus, sed non potentias. Fonseca 5. Met. cap. 2. q. 3. sect. 2. & q. 12. sect. 2. & Conimb. 1. Phys. cap. 9. q. 11. art. 3. & actus, & potentias distinguunt ex natura rei.

In altera quæsiti parte quæritur, an materia per eandem potentiam, qua suscipit formas substantiales, recipiat etiam accidentales, quarum est receptiua; Auersa q. 11. sect. 6. tenet, esse distinctam ex natura rei, immo exprimit, potentiam receptiuam accidentium in materia esse accidens quoddam de genere qualitatis, vbi receptiuam substantialium ponit esse de essentia materiæ: distinguit etiam ex natura rei huiusmodi potentias Hieron. Plà 1. Phys. disp. de Principijs q. 3. dub. 1. Pro opposita sententia stat Amicus loc. cit. q. 4. art. 3. citans Suarez in Met. disp. 14. sect. 2. n. 6. & 7. & Hurtadum disp. 6. Phys. sect. 6. §. 59. & Cannonicum 1. Phys. q. 5. sed Auctores isti loc. cit. negant distinctionem à parte rei inter substantiam, & potentiam accidentium receptiuam; non autem expresè loquuntur de distinctione potentiæ receptiuæ formæ substantialis, & accidentalis à se inuicem, de qua distinctione hic loquimur; nam de alia loquemur art. seq.

100 Dicimus primò, Potentiam sustentatiuam in materia esse ex natura rei formaliter distinctam à potentia receptiua. Colligitur ex Scoto 3. d. 1. q. 1. art. 1. vbi ex parte accidentis distinguit ex natura rei habitudinem eius ad subiectum in ratione informantis, & recepti, ad habitudine eiusdem in ratione sustentati, per quod expresè significauit etiam ex parte subiecti debere inter se ex natura rei distingui habitudines eius ad accidens in ratione receptiui & sustentatiui colligitur etiam ex 4. dist. 13. q. 1. H. vbi vnionem, & receptionem, quæ est actus correspondens potentiæ receptiuæ, poni respectum extrinsecùs aduenientem; eductionem verò, quæ est actus correspondens potentiæ substentatiuæ, ponit intrinsecùs aduenientem, vndè ex tali diuersitate actuum colligere debemus formalem ad minùs diuersitatem potentiarum.

Probatur autem, has potentias esse ex natura rei formaliter distinctas; modus sustentationis est ex natura rei distinctus à modo receptionis, ergo & potentia sustentatiua à receptiua, consequentia patet, quia distinctio potentiarum arguitur ex distinctione specifica actuum, & hoc præsertim verum est, cum actus sunt adæquati, vt in lib. de Anim. dicimus disp. 2. q. 4. inadæquati enim etiamsi specie distincti, non inducunt sufficiente potentiarum distinctionem; actus autem sustentationis, & receptionis respiciunt singuli adæquatè potentiam sustentatiuam, & receptiuam, vt mox patebit in solutione ad 3. & ex Aduersarijs, quàmplures eodem modo loquuntur de distinctione harum potentiarum, & actuum illarum probatur antecedens, Tum quia hi modi inueniuntur separati, materia siquidem animam rationalem recipit, sed non sustentat; Tum quia vnio, & receptio est respectus extrinsecùs adueniens; sustentatio, & eductio intrinsecùs adueniens; Tum quia receptio materiæ in ordine ad formã nequit à Deo suppleri in vllo genere causæ, benè tamen sustentatio, vt patet de accidentibus Eucharistiæ Confirmatur ex Scoto in 3. loc. cit. potentia receptiua necessariò dicit imperfectionem, & potentialitatem, & ideò vnum recipit aliud, quia perfectionem expectat ab eo; at potentia sustentatiua potius dicit perfectionem in re sustentante, quatenus sustentando perficit aliud, vel saltim non necessariò imperfectionem dicit in ratione sustentantis (ait Doctor) ergo non sunt in materia ex natura rei vna, & eadem potentia. Deniq; vna potentia reducitur ad actum, & non altera vt patet in ordine ad animam rationalem, circa quam exercetur potentia receptiua, non autem sustentatiua, ergo non sunt ex natura rei formaliter vna, & eadem potentia, nam implicat, vnam, & eandem potentiam simul reduci ad actum, & non reduci.

101 Resp. Auersa cum Suar. loc. c. non separari circa eandem formam, sed tantum circa diuersas, & alterius rationis vt circa animam, & alias formas corruptibiles, & tunc modus simplicis receptionis, quem materia exercet circa animam, non est ille idem, quem in materia assignamus in ordine ad omnes formas, sed est modus quidam specificus ab illo condistinctus, quem exercet circa formas corruptibiles; vndè imaginantur isti, quod sicut informatio absolutè sumpta præscindit veluti genus ab informatione cum dependentia ad subiectum, & sine dependentia, istæ verò sunt species informationis ab inuicem distinctæ per dependentiam, & independentiam ad subiectum, & dependentia constituit informationem inhæsiuam, independentia verò informationem sine inhæsione, ita ex parte materiæ receptio absolutè sumpta præscindit, vt genus, à receptione cum dependentia recepti, quæ dicitur sustentatio, & a receptione sine dependentia, qualis est animæ receptio; & istæ receptiones sunt inter se specie distinctæ per dependentiam, vel independentiam formæ receptæ. Quare ex his concludunt, nunquam separari modum receptionis, qui se habet veluti genus, à sustentatione, quia in ipso essentialiter includitur, sed separari modum specificum receptionis cum independentia recepti, qui retinet nomen generis, quia non habemus nomen impositum huic speciei.

Sed Contra, potest circa eandem formam separari sustentatio, & informatio, & vna sine alia existere, ergo non se habent, vt ratio generica & specifica, quarum vna nequit sine alia existere, probatur antecedens; nam si Verbum accidens immediatè sibi vniret, accidens non informaret Verbum, adhuc tamen sustentaretur in Verbo, & Verbum è contra sustentaret accidens, non tamen illud reciperet, vt Doctor significauit in 3. loc. cit. ergo tam ex parte materiæ, quam ex parte formæ, disparatè se habent rationes illæ recipiendi & sustentandi, & non subordinatè, vt ratio generica, & specifica. Insuper potest Deus ponere formam materialem in materia, denegando materiæ concursum ad eam sustentandam, & se ipso supplendo in genere efficientis causæ indigentiam illius formæ, vt modo supplet in accidentibus separatis; & gratis id negat, esse Deo possibile Suarez disp. 34. Met. sec. 1. n. 51. nam causalitas materiæ erga formam, etiam secundùm Suar. non consistit in simplici receptione, ergo ex vi receptionis in materia non causatur forma, sed vlterior influxus desideratur materiæ informam, quem Deus supplere potest, quia licet sit influxus materialis, tamen vt præcisè sustentatiuus imperfectionem non dicit, & est extrinsecus in ordine ad formam.

102 Auersa concedit loc. cit. posse Deum conseruare formam materialem in materia per modum simplicis receptionis sine sustentatione, & dependentia à materia, sed inquit, quod esset diuersus eo casu modus receptionis ab illo, quem de facto habet omnis forma corruptibilis, & esset eiusdem rationis cum eo, quem modò habet anima rationalis. Sed Contra, Modus receptionis, quem modò habet anima in materia, est cum positiua independentia, ita quod ab ea nec actu dependet, nec dependere potest, ergo in eo casu formæ corruptibilis receptio in materia nec esset eiusdem rationis cum modo receptionis animæ in materia, nec ei similis, sed esset receptio cum independentia negatiua à materia, quatenus Deus non concurreret cum materia ad eius sustentationem.

Deindè, quod receptio in communi contrahi nequeat per dependentiam & independentiam per modum conceptus generici, manifestè demonstratur, præsertim iuxtà Scot. principia, nam diuersorum generum & non subalternatim positorum, diuersæ sunt species, & differentiæ per secundam Regulam anteprædicamentalem, sed receptio formæ in materia secundùm Scot. 4. d. 13. q. 1. est in prædicamento passionis, vel potius in prædicamento habitus, vt inferius dicemus, dependentia vero causati ad causam, & quæcunq; causatio, sicut est eductio, ex Scot. ibid. est in prædicamento relationis; ergo talis relatio nequit esse differentia contractiua receptionis in communi.

Denique si præter communem receptionem, quam habet materia respectu cuiuscunq; formæ, assignantur receptiones specie distinctæ per dependentiam, & independentiam, ita etiam præter communem potentiam receptiuam, quam materia generaliter exercet circà quamcunq; formam, assignari debebit duplex potentia receptiua, ab inuicem specie distinctæ; immò quando hic quæritur, an potentia receptiua materiæ à sustentatiua distinguatur, non est sermo de potentia receptiua formæ in communi, sed in ordine ad omnes formas in particulari, & sensus est, num potentia, quam exercet circa animam rationalem, sit eadem ex natura rei cum illa quam exercet circa cæteras formas, & cum Aduersarij fateantur, actus receptionis esse specie diuersos, fateri tenentur, ipsas quoque potentias receptiuas esse specie diuersas, non ergo satisfacit dicere, quod potentia receptiua, & sustentatiua distinguuntur, vt superius, & inferius, eo quod potentia receptiua dicatur respectu informationis abstrahentis ab inhæsiua, & non inhæsiua, quia hic loquimur de potentia receptiua, quæ condistincta est à sustentatiua, & assignatur præcisè in ordine ad animam.

103 In

103 In Contrarium obijcitur primò cum Suarez; Tum quia in accidente non ponuntur duo modi ex natura rei distincti, vnus informationis, & alius inhærentiæ, quę est dependentia à subiecto, sed per vnum, & eundem modum informat, & dependet, ergo pariter ex parte materiæ distingui non debent modus receptionis, & sustentationis, nec consequenter potentia receptiua, & sustentatiua; Tum secundò quia dependentia à causa materiali essentialiter includit vnionem, cum sine hac intelligi non possit, ergo dependentia formæ in materia non est modus ex natura rei distinctus ab vnione informationis, sed est species quædam vnionis informatiuæ; quæ dicitur inhæsiua, & vnio informatiua se habebit, vt genus; Tum præterea tertiò, posita vnione materiæ cum tali forma scilicet corruptibili; præciso omni alio ex natura rei distinctio, satis intellegitur dependentia ex parte formæ, & sustentatio ex parte materiæ, ergo alius modus non requiritur, & ita quoque in proposito dicendum est, quod potentia receptiua est eadem circà omnes formas, dicitur autem sustentatiua eo ipso, quod exercetur circa formam corruptibilem; Tum demum dicere solemus, præsertim nos Scotistæ, quod si Verbum hypostaticè assumeret naturam irrationalem, non idcircò talis natura diceretur personari, sed tantum suppositari, quia hæc vnio denominat naturam iuxta modum illius, & ideò cum irrationalis natura personabilis non sit, non diceretur per talem vnionem personari, sic etiam in proposito, vnio materiæ cum forma semper est eadem in se, sed variam accipit denominationem iuxta varietatem formarum, si sit ad formam corruptibilem, dicitur sustentatio, si ad subsistentem, dicitur simplex receptio, ita igitur de potentia dici potest, quod semper est eadem, sed relata ad formas corruptibiles dicitur sustentatiua, ad animam dicitur solum receptiua.

104 Resp. ad 1. negando assumptum; alius enim est modus quo accidens informat subiectum, & est respectus intrinsecus adueniens, & alius quo dependet ab eo, & est intrinsecus adueniens, qui etiam modi possunt abinuicem separari, vt patet ex dictis in probanda Conclusione.

Ad 2. item negatur assumptum, actus enim sustentationis est omnino ex natura rei distinctus ab actu informationis, & quamuis materialis sustentatio supponat necessariò, vel coexigat vnionem formalem inter sustentans, & sustentatum, tamen absolutè non implicat, dari sustentationem sine vnione formali, & ita foret, si accidens assumeretur à Verbo. Ad 3. negatur assumptum, quia ex dictis dari potest vnio materiæ ad formam corruptibilem, quæ non sit sustentatio. Ad 4. non currit paritas, quia persona vltra suppositum nil dicit formaliter, sed tantum connotat naturam rationalem, vndè iuxta diuersitatem naturæ assumptæ, eadem hypostatica vnio diceretur personatio, & suppositatio, at in casu sustentatio vltra vnionem dicit etiam dependentiam, & causalitatem materiæ.

Secundò obijcies cum Auersa. Materia erga omnem formam exercet potentiam receptiuam, hæc autem receptio respectu quarumdam formarum dicit dependentiam earumdem, respectu animæ rationalis dicit independentiam, ergo circa formam corruptibilem non est distincta receptio à sustentatione, nec per consequens potentia receptiua à sustentatiua; Confirm. quia hoc posito, quod forma aliqua intelligitur sustentari à materia, omninò intelligitur recipi in materia, & informare materiam, ergo circa formam substantialem potentia receptiua non est distincta à sustentatiua, nec receptio à sustentatione.

105 Resp. negando consequentiam; id enim, quod ex antecedente inferri potest, est, quod receptio formæ corruptibilis, coexigit dependentiam quoque formæ à materia, non autem quod illa receptio formaliter sit ipsa sustentatio. Ad Confirm. conceditur antecedens, non quia materialis sustentatio includat formaliter vnionem, sed quia illam necessario præsupponit, vel coexigit; At absolutè loquendo, dari potest sustentatio sine receptione, vt si accidens assumeretur à Verbo, vel saltim dari potest receptio formę corruptibilis in materia sine sustentatione, vt ipsemet Auers. fatetur, quod sufficit, vt dicamus esse modos ex natura rei distinctos.

Tertiò obijcies cum Amico. Vnitas potentiæ non tollitur ex qualibet distinctione actuum, & obiectorum, sed formalium, & adæquatorum, at receptio cum dependentia, & sine dependentia, licèt sint actus specie distincti, tamen sunt inadæquati respectu potentiæ receptiuę, ergo, &c. maior patet, quia velle, & nolle sunt actus specie distincti, & tamen non tollunt vnitatem potentiæ, quia sunt inadæquati respectu illius, probatur minor, quia potentia receptiua adæquatè respicit vtrumque genus formarum, quia omnibus conuenit communis ratio informatiua, quæ specificat potentiam receptiuam, vndè cum dicitur potentia sustentatiua, accipitur potentia receptiua inadequatè; adæquatè respicit vtrumque actum, informationem, & sustentationem, & cum præcisè concipitur in ordine ad vnum actum, non concipitur adæquatè. Confirmatur, quia tunc actus distinguunt potentias, quando reduci non possunt ad vnam rationem communem obiectiuam, & terminatiuam, sed actus, informationis; & sustentationis, etiam si sint distincti, possunt reduci ad vnam rationem formalem termini ex natura rei, nam ambo respiciunt formam vt informatiuam sic vel sic, ergo isti actus non sunt ita inter se distincti vt valeant inferre distinctionem ex natura rei potentiarum.

106 Respondetur, negando minorem cum sua probatione; quamuis enim potentia receptiua, & sustentatiua respiciant formam, eam tamen respiciunt sub diuersa ratione formali, informatiua nimirum, & sustentabili, ac proindè singulæ in suo genere sunt potentiæ completæ, & adequatæ, & singulæ specificantur à diuersis rationibus formalibus. Ad Confirm. similiter negatur minor cum sua probatione, quia huiusmodi actus vtique terminantur ad formam, sed sub diuersa ratione specifica, nam receptio terminatur ad formam, vt precisè informatiuam, sustentatio terminatur ad formam vt sustentabilem; hæc respicit formam, vt indigentem concursu materiæ quo ad suam existentiam; illa respicit formam, vt indigentem concursu materiæ, non quoad suam existentiam, sed solùm quoad vnionem, vndè materia per concursum sustentatiuum verè dicitur causa formæ, sed per concursum receptiuum non verè dicitur causa formæ, sed tantum vnionis; ex quo patet, actus huiusmodi non posse reduci ad vnam communem rationem formalem, & adæquatam specificantem huiusmodi potentias secundum suas rationes formales consideratas; fatemur tamen, oppositam opinionem non carere probabilitate, pręsertim pręscindendo à principijs Scoti.

107 Dicimus 2. in materiam potentiam receptiuam formę substantialis esse ex natura rei formaliter distinctam à potentia receptiua formæ accidentalis. Conclusio est contra Amicum loc. cit. & probatur primò. Quando plura attributa conueniunt rei, sed vnum mediante alio, tunc illa censentur inter se distincta attributa ex natura rei, sed ita se habent huiusmodi potentiæ in materia, quod receptiua accidentium conuenit materię ob receptiuam substantialium, ergo &c. probatur maior, ita enim vniuersaliter euenit, quando subiectum plures habet passiones, & vna demonstratur per aliam, sic, quia de quantitate demonstratur diuisibilitas per impenetrabilitatem, ideo censentur huiusmodi proprietates ex natura rei abinuicem distinctæ; probatur minor, ideò enim materia est receptiua formarum accidentalium disponentium in eorum sententia, qui ponunt, dispositiones immediatè in materia recipi, quia est receptiua substantialium, vndè sicut dispositio ordinata est ad introductionem formæ substantialis, ita potentia receptiua formę accidentalis ordinata est à natura, vt per eius exercitium reducatur in actum potentia receptiua formę substantialis. Deindè potentia materiæ respectu formarum substantialium talis est vt ratione ipsius constituat cum forma substantiali vnum per se; id autem non habet ratione potentiæ receptiuę accidentium, ergo sunt potentiæ inter se ex natura rei distinctę. Denique potentia receptiua accidentium etiam si ponatur cum materia realiter identificata, non tamen dici potest per se potentia, sicut potentia receptiua formarum substantialium, quia non est ad per se actum simpliciter, ergo, &c.

108 Resp. Amic. loc. cit. has, & consimiles rationes inferre tantum inter huiusmodi potentias distinctionem rationis ratiocinatæ per diuersos conceptus inadęquatos, quatenus cum fundamento in re possumus concipere potentiam receptiuam materiæ in ordine ad formas substantiales, non concipiendo in ordine ad accidentales, sicut eadem ratione etiam eadem potentia materiæ in ordine ad formas substantiales distingui solet à nobis in receptiuam, & sustentatiuam per diuersos conceptus inadæquatos eiusdem potentiæ, quando nimirum eandem à parte rei potentiam concipimus præcisè in ordine ad actum receptionis, abstrahendo à sustentatione formæ receptæ, vel è contra concipimus præcisè in ordine ad actum sustentationis, abstrahendo ab vnione, quo ad explicitum conceptum; Sed Responsio non satisfacit, quia rationes allatæ pro distinctione potentię receptiuæ ad formas substantiales, & accidentales, & pro distinctione receptiuæ, & sustentatiuæ in ordine ad easdem substantiales, maiorem vtique inferunt distinctionem inter eas, quam per solos conceptus inadæquatos, & rationis ratiocinatæ; Quod ita demonstratur. Contradictio semper infert distinctionem inter ea, de quibus effertur, & enunciatur, & quidem talem, qualis ipsa est, sed rationes allatę ostendunt, de huiusmodi potentijs contradictionem verificari, & quidem à parte rei actualiter nullo considerante intellectu, ergo & talem distinctionem inter eas inferre debet, nimirum distinctionem formalem ex natura rei actualem, & non virtualem tantum, cum fundamento in rei maior patet, & probatur minor, ponderando singulas rationes allatas, nam singulæ concludunt prædicata contradictoria à parte rei verificata, secluso quocunque intellectu adæquatè concipiente, nam certè Deus nouit, materiam recipere, vel receptiuam esse formæ accidentalis, quia est receptiua substantialis; nouit, ex hac potentia simul cum forma fieri per se vnum, non ex illa; nouit, hanc esse per se potentiam, non illam, & potest hanc reducere ad actum sine illa, introducendo substantialem formam in materia absque præuijs dispositionibus, videt etiam, materiam recipere animam, & non sustentare; alias verò formas non solùm recipere, sed etiam sustentare, ergo huiusmodi potentiæ in materia non distinguuntur conceptibus inadæquatis tantum, quia hi non admittuntur in Intellectu diuino, omnia, & singula adæquatè concipiente.

In oppositum obijcies ex Amico cit. primò, formæ subordinatæ debent recipi in eodem subiecto, sed accidentia subordinantur formæ substantiali, quia sunt dispositiones ad eam, ergo vtraque forma debet recipi in eadem potentia, maior patet quia quando duo

duo sunt subordinata respectu tertij, debent respicere idem.

190 Resp. accidentia fortè non esse dispositiones ad formam substantialem in genere causæ materialis, ita quod in materia supponantur ad eam, vt rationes recipiendi, sed potius concurrunt in genere causæ efficientis expellendo accidentia, quæ obstant introductioni nouæ formæ, vnde ex tali subordinatione non necessariò infertur, quod recipi debeant in eodem subiecto, sed sufficit, quod recipiantur in eodem supposito, vt ex Scot. colligitur 4.d.1.q.5. B. & ex professo dicemus disp.5.qu.8.art.1. sed admissa modò opinione statuente dispositiones immediatè inhærentes materiæ primæ, veluti rationes recipiendi ex tali subordinatione formæ accidentalis ad substantialem solùm inferri potest, quod recipi debent in eodem subiecto, non autem per eadem potentiam receptiuam, sed per diuersas, quæ ità inter se sunt subordinatæ, sicut ipsæ formæ.

Contra hanc Responsionem arguit Amicus; Tum quia cum sit subordinatio formarum in eodem informabili, si est idem informabile, erit eadem potentia, quia informabile constituitur per potentiam, qua subiectum est receptiuum formæ; Tum quia sicut subordinatio potentiarum respicit eandem essentiam, in qua potentiæ radicantur, ita subordinatio actuum debet respicere eandem potentiam, cui proportionari debent.

Resp. negando vtrumque assumptum, quia nec diuersitas potentiarum multiplicat subiecta informabilia, vt patet de intellectu, & voluntate, quæ animam non multiplicant, nec si subordinatio potentiarum eandem respicit essentiam, necessariò subordinatio actuum debet eandem respicere potentiam, quia actus intellectus subordinatur actui voluntatis, nec propterea voluntas, & intellectus sunt eadem potentia.

At contra adhuc instatur, quia potentia passiua materiæ inepta est ad recipiendas substantiales formas, nisi sit disposita prius per accidentales, & cum hæc dispositio non sit in genere causæ efficientis, sed materialis, non potest esse extrinseca potentiæ informabili substantialiter, sed debet esse intrinseca, ergo eadem est potentia receptiua formæ substantialis, & accidentalis, quæ sine accidentibus dicitur potentia remota ad formam substantialem, cum accidentibus dicitur proxima.

Resp. falsum esse assumptum ex modò dictis, quòd nimirum dispositiones concurrant in genere formalis, vel materialis causæ, & non potius efficientis; sed eo admisso, adhuc negatur consequentia, quia argumentum probat, dispositiones recipi debere in eodem subiecto, in quo recipitur forma substantialis, non autem probat, quod recipi debeant secundùm eandem potentiam, & potentia non est id, quod recipit, sed quo subiectum recipit formam. Et potentia ad formam substantialem, quæ prius erat remota, fit postea proxima per dispositiones receptas, non in eadem, sed in alia existente in eodem subiecto sibi subordinata, & inseruiente, vt reducatur ad actum.

110 Secundò objicies. Tum quia assignari potest vna ratio specificatiua potentiæ passiuæ materiæ communis tam formis substantialibus, quàm accidentalibus, nempe ratio informandi, at vbi est vna ratio specificatiua potentiæ, ibi est vna potentia; Tum quia si geminare volumus potentiam receptiuam in materia, vnam in ordine ad formas substantiales, aliam in ordine ad accidentales, etiam geminare debebimus duas potentias sustentatiuas, alteram, quæ respiciat substantiales corruptibiles, alteram, quæ respiciat accidentales, eò quia sustentabilitas vtriusque generis formarum est diuersæ rationis, cum sustentabilitas accidentium excludat subsistentiam quamcunque, non sic sustentabilitas formæ substantialis; Tum tandem quia eadem est potentia respiciens finem, & media, vt patet de voluntate, quæ per intentionem inclinatur in finem, per electionem in media, sed materia inclinatur in formas substantiales, vt in finem per potentiam receptiuam illarum, ergo per eandem inclinatur in accidentia, quæ sunt media ad hunc finem ordinata.

Resp. ad 1. quidquid sit de assumpto, nos hic non loqui de potentia receptiua in ordine ad formam in communi ad substantialem, & accidentalem, sed in ordine ad eas in particulari, vt exercet actum receptionis, vnde quamuis admitteremus, petentiam receptiuam in communi sumptam, posse specificari per aliquam rationem communem præcindentem, dicimus tamen, à parte rei potentiam receptiuam formæ substantialis, & accidentalis esse diuersas. Ad 2. negatur paritas; quamuis enim formæ substantiales corruptibiles dicantur subsistere, quatenus non sunt in alio per inhæsionem accidentariam, æquè tamen carent subsistentia, prout excludit indigentiam sustentantis subiecti, ac ipsæ formæ accidentales; ac proindè omnes æquè conueniunt in ratione communi formæ sustentabilis, quæ satis fit ad specificandam vnam tantum potentiam sustentatiuam ex parte materiæ; subsistentia verò in alio sensu, quam habent formæ substantiales, non accidentales, variare non potest hanc communem rationem formalem, sed ad eam prorsus materialiter se habet; at in proposito nostro, esse per se actum, & actum per accidens, sunt rationes, quæ formaliter variant potentiam receptiuam correspondentem, ita vt potentia per se constituatur in ordine ad actum per se, & non in ordine ad actum per accidens; Ad 3. non semper opus est rem inclinari in finem, & media per eandem potentiam, potest tamen inclinari quoque per diuersas potentias, dummodò potentia, qua inclinatur in media, subordinetur illi, qua inclinatur in finem, & ex hoc nullum sequitur absurdum.

ARTICVLVS V

An Potentia sit de essentia materiæ, vel saltim eius proprietas, vel priùs accidens superadditum.

111 Quæstio est de Potentia vniuersali, & remota materiæ non de particulari, & proxima & quia huiusmodi potentiam vniuersalem distinximus art. præced. in receptiuam formarum substantialium, & accidentalium, & hanc quoque distinximus à sustentatiua; de omnibus potest hæc quæstio agitari, de qua re tres extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima tenet, potentiam esse de essentia materiæ, ita quòd potentia constituat materiam in esse materiæ, est communissima opinio Recentiorum Suarez disp.3.sect.8. Hurtad.disp.2.q.2. Ruuij tract.1.q.6. Conimb. c.9.q.8. Morisani in Phys.disp.1.q.3. Auersæ q.20. sect.6. Amici tract.5.q.6. dub.6. & omnium Thomistarum. Compl. Manc. Io. de S. Th. & aliorum & inclinare videtur Canonic. 1. Phys. q.9. art.2. dub. 5. Addunt tamen nonnulli huius sententiæ Auctores, id non debere intelligi de quacunque potentia materiæ, sed tantùm de receptiua formarum substantialium, nam sustentatiua earundem, & receptiua accidentalium potius sunt passionès consequentes ad illam.

Altera sententia extrema tenet, potentiam materiæ esse accidens prædicamentale, aut de genere relationis, aut qualitatis, pro qua citantur Auerr. 1. Phys. com. 60. Them. in digress. vltima eiusdem libri, Toletus 1. Phys. q.14. Iand. q.25. Zabar. lib. de Materia cap.9. Parer. lib. 5. c. 22. & alij.

Media sententia est Scoti 2.d.12.q.1. & 4.d.11.q.3. & d.43.q.3. & alibi sæpè, & omnium Scotistarum, quæ negat, potentiam esse de essentia materiæ, aut accidens prædicamentale, & asserit, esse connaturalem eius proprietatem illi realiter identificatam, & essentialem in secundo modo dicendi per se & tenet Contaren. iunior tom.1. qq. peripat. q. de pot. Mat. Hic verò aduertendum est ex Scoto 4.d. 43. cit. q.3. H. potentiam materiæ tripliciter sumi posse, vel pro eo, quod dicit fundamentaliter, vel pro eo, quod dicit formaliter, vel pro eo, quod dicit concomitanter, potentiam primo modo vocat ibi Scotus principium potentiale, quod semper manet; & est ipsamet essentia materiæ, vndè de potentia materiæ in hoc sensu non est quæstio, nec minus est de potentia tertio modo sumpta, quia sic dicit prioritatem durationis ad actum, ait Doctor, vel, vt alij dicunt, connotat negationem formæ in materia præcedentem, vndè potentia materiæ in hoc sensu destruitur in aduentu formæ & est accidens per accidens. Quæstio igitur est de potentia materiæ secundo modo sumpta, quo sensu suprà entitatem absolutam materiæ dicit ordinem receptiui ad receptum, qui semper manet in materia: quia consequitur naturam receptiui, quod natum est perfici forma, & aliud non est, quam naturalis aptitudo materiæ ad formam suscipiendam; in hoc igitur sensu vertitur quæstio de potentia adæquata, & innata, materiæ, nimirum formaliter accepta, non fundamentaliter aut concomitanter, & de potentia materiæ in hoc sensu extant tres relatæ sententiæ.

112 Dicimus 1. Potentiam non esse de essentia materiæ in primo modo dicendi per se. Conclusio est Scoti loc. cit. contrà primam opinionem. Probatur 1. quia, vt colligitur ex Themistio 1. Phys. digress. materia considerari potest, & spectari in duplici notione, in prima notione consideratur, vt substantia, & entitas quædam absoluta, consideratur secundùm se, & quatenus perfecta est in genere suo, quia nihil deest in ratione materiæ, eo modo, quo de perfecto loquitur Philosophus 5. Met. cap. 16. In 2. notione consideratur in ordine ad generationem, cuius est principium, ad formam, cuius est subiectum, & ad compositum, cuius est pars; quamuis igitur in isto suo secundario conceptu relationem, & habitudinem aliquam transcendentalem ad formam, & compositum includat, in primario tamen conceptu nihil tale includit; Tum quia vnaquæque res prius est in se constituta per sua essentialia prædicata, quam aliud respiciat; Tum quia sicut relatio suo conceptu quidditatiuo non continet absolutum; ità nec ens absolutum, & substantia, qualis est materia, continebit relationem; Tum tandem quia aptitudo in vniuersum supponit rem, cuius est, in suo esse quidditatiuo constitutam, & ab ea fluere, & manere dicitur, ergo pariter dicendum erit de aptitudine materiæ ad formas recipiendas.

Resp. Recentiores vnanimiter, quædam entia absoluta esse ita perfecta, vt possint concipi in se sine ordine ad aliud, vt calor, homo, & alia huiusmodi, & hæc in suo conceptu quidditatiuo relationem non includunt; Alia sunt entia quidem absoluta, ita tamen imperfecta, & aliò à natura ordinata, vt explicari nequeant, nec quidditatiuè concipi sine ordine ad aliud, & dicuntur entia relatiua transcendentalia, ita se habet scientia, quæ dicit ordinem transcendentalem ad obiectum, habitus ad actum, & alia huiusmodi, inter quæ connumerantur quoque partes essentiales, quarum vnaquæque includit in suo conceptu quidditatiuo ordinem transcendentalem ad aliam compartem; & inquiunt, quòd licèt relatio prædicamentalis nequeat esse de essentia absoluti, esse tamen potest relatio transcendentalis; vnde etiam aiunt, falsum esse in vniuersum, quòd aptitudo rem consequatur in esse, & non constituat, nam in

in multis aptitudo, & relatio transcendentalis est principium constitutiuum rei.

113 Sed quamuis ostendere vniuersalem veritatem illius principij, quod relatio non intrat conceptum absoluti, ad alium locum pertineat, scilicet ad disp. de Relatione in Log. disp.8. q. 2. vbi fusè hoc principium probauimus: adhuc tamen liceat inde repetere ad euertendam responsionem, namque planè principium illud est vniuersaliter verum de quacunque relatione, tam prædicamentali, quam transcendenti, vt aduertit Bassolius in 2.d.12.q.1. art.2. in fine. §. *Contra tertium modum, &c.* vbi hanc adducit responsionem, & refellit, ideo enim dicimus, relationem non esse de essentia absoluti, neque è contra, quia entitas absoluta, vt præscindit à relatione, est formaliter ad se, & relatio, vt abstrahit ab entitate absoluta, est formaliter ad aliud, sed idem simplicissimè nequit formaliter esse ad se, & ad aliud, cum sit manifesta contradictio, quia esset simul ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud, & parum refert ad tollendam contradictionem, quod sit ad aliud prædicamentaliter, vel transcendentaliter, quia vtraque relatio est essentialiter habitudo ad aliud, & non minus repugnat, rem per vnum, & eundem essentialem conceptum ad aliud referri prædicamentaliter, & non sic referri, quàm per vnum, & eundem conceptum referri ad aliud absolutè, & non referri.

Resp. aliqui, non sequi contradictionem, quia huiusmodi rationes essendi ad se, & aliud, virtualiter distinguuntur; & solum correspondent conceptibus inadæquatis mentis nostræ quæ virtualis distinctio sufficit ad saluandam contradictionem, sicut eadem humanitate inadæquatè concepta, homo conuenit cum Asino, & adæquatè concepta, differt ab eo. Sed hæc Responsio disp. de natura communi in Metaph. à nobis latè refelletur, & præsertim in proposito locum non habet; quando enim admitteremus, conuenientiam inter hominem, & brutum, non esse ob aliquam naturam verè ambobus communem per indifferentiam, vt ibi cum Scoto docemus: sed ob solam similitudinem eorum in sensatione, ratione cuius abstrahi potest conceptus inadæquatus communis vtriusque, tamen in proposito entitas absoluta est formaliter actualiter ad se, & non ad aliud: relatio est formaliter actualiter entitas ad aliud, non ad se; ergo à parte rei de eodem, & eodem modo sequitur contradictio si non distinguuntur formaliter, res enim dicitur ad se, vel ad aliud à parte rei actualiter, & non per nostrum concipiendi modum.

Deinde falsum omninò est, esse quædam entia absoluta, imperfecta suapte natura, & ad aliud intrinsecè pendentia, vt sine ordine ad aliud quidditatiuè concipi nequeant, namque, vt monet Doct. in 4. dist. 12. q. 1. L. aliud est loqui de conceptu quidditatiuo rei, aliud de quietatiuo intellectus nostri, vtique nulla pars, ait Doct. potest habere conceptum quietatiuum, nisi intelligatur aliud, cuius est pars, & aliud cuius compars, diffinitio enim exprimit conceptum perfectum definiti; & ideò quantumcunque essentialia formæ, vel alterius partis exprimerentur sine ordine ad aliud, quamuis quidditas eius indicaretur, tamen non esse conceptus perfectus quietans intellectum: igitur ordo transcendentalis ad aliud intrat ad summum, conceptum quietatiuum horum etiam absolutorum, & incompletorum, non autem conceptum purè quidditatiuum.

Denique aliud quoque principium, quòd aptitudo semper posterior est in natura eo, cuius est aptitudo, quia ab ea fluit, & dimanat, est vniuersaliter verum, & quidem ipsimet Aduersarij constituere solent rerum quidditates, non in aptitudinibus sed in principijs exigitiuis illarum; sic v.g. dicere solent essentiam quantitatis non per impenetrabilitatem constitui, sed per principium exigitiuum eius, dicere solent, hominis essentiam non esse risibilitatem, sed principium exigitiuum eius, & sic de alijs, ergo vniuersaliter ita se habet; quòd aptitudo non constituit essentiam rei, sed eam supponit natura priorem, vt principium à quo fluit, & dimanat.

114 Secundò principaliter adhuc magis verificatur. Conclusio de potentia receptiua formarum accidentalium, & sustentatiua substantialium corruptibilium; Tum quia receptiua accidentalium posterior est receptiua substantialium, & oritur quodammodò ab illa; ideò enim materia est susceptiua accidentalium, quia est susceptiua substantialium, ergo hæc consequitur ad illam; quare si illa materiam non constituit in sua quidditate, tanto minus ista; Tum quia præcisa à materia potentia receptiua accidentalium, adhuc materia absolutè loquendo, fungi potest munere materiæ, recipiendo formas substantiales, & compositum per se constituendo, nam absolutè loquendo, potest Deus inducere formam substantialem in materiam nudam, absque præuijs dispositionibus; idipsum similiter ostenditur de potentia sustentatiua materiæ, quia materia est per se potentia in ordine ad omnes formas, at in ordine ad omnes non est sustentatiua, sed receptiua, ergo si per receptiuam non constituitur in esse, tantò minus per sustentatiuam. Rursus præcisa potentia sustentatiua à materia, adhuc ipsa potest fungi officio materiæ, recipiendo in se formam incorruptibilem, & cum ea compositum per se constituere, ergo non constituitur essentialiter per eam.

Respondent potentiam materiæ adæquatè conceptam respicere formas accidentales, & substantiales, tam corruptibiles quam incorruptibiles, quia ad has, & illas non diuersificatur, nisi per conceptus inadæquatos, sed ex natura rei est vna, & eadem; Et subordinatio non est inter ipsas potentias, ratione cuius vna potentia dicatur aliam præcedere, sed inter terminos potentiarum, scilicet inter formam substantialem, & accidentalem, quatenus hæc subordinatur illi; Et quando vnius potentiæ redditur ratio per aliam, quod nimirum materia est receptiua substantialium, quia est receptiua accidentalium, non accipitur potentia secundùm adæquatam rationem, & distinctam, sed secundùm confusam, & inadæquatam; At hæc resp. exploſa manet ex dictis art. præced. vbi ostendimus huiusmodi potentias esse inter se distinctas ex natura rei, & non tantum per conceptus inadæquatos, & quando id etiam concederemus, adhuc tamen habemus, conceptum illum, quo respicit accidentales, aut substantiales incorruptibiles, non esse quidditatiuum materiæ, quia per alium conceptum inadæquatum, quo respicit substantiales, habemus, & explicamus totum id, quod desideratur ad esse materiæ, & ad eius munera obeunda.

115 Contra hanc Conclus. arguunt, Recentiores 1. auctoritate Arist. qui 2. de An. tex.2. & 8. Met. 15. & lib.9. tex.26. materiam vocat potentiam, & per se potentiam, sicut è contra formam vocat actum, & per se actum, & hac ratione concludit ex eis fieri vnum per se; hic autem loquendi modus, inquit Auersa, planè indicat materiam essentialiter potentiam, & formam essentialiter actum. Tum quia prædicationes in recto, vt sunt istæ, sunt essentiales in primo modo, præsertim quando fiunt in abstracto, vt cum dicimus, albedo est color, color est qualitas, &c. Tum quia non solum in recto, & in abstracto vocantur materia potentia, forma actus, sed semper addita particula per se. Tum planè in Philosophi sententia, forma est essentialiter actus in primo modo, vndè 2. de An. Animam definit per actum; ergo in sententia eiusdem, materia è contra erit essentialiter potentia, vndè 1. Phys. 82. eam diffiniuit per esse subiectum formarum; Tum tandem quia 2. Phys. 26. hac ratione dixit, materiam, & formam esse de genere illorum, quæ sunt ad aliquid, quia nimirum essentialiter includunt relationem transcendentalem ad se inuicem per modum compartium.

Resp. ideò Philosophum materiam vocasse potentiam, & formam actum, vt ostenderet, aptitudinem materiæ innatam ad perfici & formæ ad perficere, esse connaturales earum proprietates, non verò prædicata essentialia. Et ad 1. probationem dicimus; in concretis accidentalibus, tam absolutis, quàm respectiuis, multa prædicata enunciari in recto de subiectis, nec tamen prædicationes conficere primi modi, vt ex Scoto colligitur 1. d. 5. p. 1. B. sic dicimus, quòd ignis est causa caloris in recto, & tamen hæc prædicatio non est essentialis in primo modo, sic dicitur in 4. Phys. quòd locus est superficies, & tamen hæc prædicatio non est quidditatiua, vt Scot. monet. 2. d. 2. q. 6. D. sicut igitur sensus harum propositionum in recto est obliquus; idest ignis est subiectum fundans relationem causæ. Locus est superficies fundans respectum actiuæ continentiæ ad locatum; ita sensus harum propositionum, materia est potentia, forma actus, erit iste, materia est subiectum natum fundare relationem potentiæ, & forma relationem actus; Accedit, quod si sæpè Philosoph. vocat materiam potentiam, & formam actum in recto, sæpius etiam vsus est modo loquendi in obliquo, appellando materiam ens in potentiam, formam ens in actu. Ad 2. addidit semper particulam per se, tum vt indicaret, huiusmodi prædicata non esse accidentalia materiæ & formæ; sed essentialia, & per se, saltim in secundo modo; tum, vt ea distingueret à subiecto, & accidente, ex quibus non fit vnum per se, quia vnum est per accidens potentia, aliud per accidens actus. Ad 3. materia, & forma sunt essentialiter actus formaliter in secundo modo; exigitiuè solum & radicaliter in primo, & hac de causa per actum definiuit animam, & materiam per esse subiectum capax formarum, quia nimirum earum entitates absolutæ sunt principia exigitiua talium aptitudinum, & quietatiuè non potest anima cognosci, nisi per ordinem ad corpus ex Scoto citat. 4. dist. 12. q. 1. L. Ad 4. vocat Philosophus materiam, & formam ad aliquid, quia identificant sibi relationes transcendentales adinuicem.

116 Secundò probatur ex ratione ipsius materiæ; Tum quia materia essentialiter est ens incompletum, ergo essentialiter petit compleri, sed non petit compleri, nisi per modum potentiæ passiuæ, ergo est essentialiter potentia passiua; Tum 2. quia pars ex natura sua respicit aliam compartem, sed materia prima est essentialiter pars receptiua alterius partis scilicet formæ, ergo eam essentialiter respicit per modum potentiæ passiuæ; Tum 3. si formæ essent impossibiles, materia quoque esset impossibilis, quia sublatis receptibilibus, nullum esset receptiuum, ergo essentia materiæ pendet à formis, & nequit concipi sine ordine transcendentali ad illas; Tum 4. quia materia in se considerata est entitas partialis, intrinsecè ordinata ad componendum totum physicum, sicut & forma, nec vna pars potest concipi essentialiter distincta ab alia, nisi vnam concipiendo potentialem, & aliam actualem, ergo quemadmodum potentia informatiua, vel aptitudo ad informandum est de essentia formæ, vt essentialiter distinguitur à materia; ita è contra, potentia informabilis erit de essentia materiæ; Tum tandem quia non potest intelligi materia in ratione materiæ quin concipiatur, vt potentia passiua formarum, nam non potest intelligi, nisi vt subiectum primum formarum, & circumscripto à materia omni eo, quod est extra eius essentiam in primo modo,

modo, adhuc esset capax formæ, alioquin in nullo signo sequenti posset recipere formam, ergo potentia prorsus est de essentia materiæ.

Resp. ad 1. concedendo, materiam esse in gradu entis incompleto, & essentialiter petit compleri per formam, at in primo modo dicendi per se ista incompletudo, & intrinseca exigentia perfectionis non importat formaliter potentialitatem ipsam ad formam, sed principium exigitiuum istius potentialitatis, sic passim solent Aduersarij ipsi explicare essentias rerum per principia exigitiua talium, & talium passionum, sic explicare solent essentiam quantitatis, vt nimirum consistat in principio immediatè exigitiuo, non quidem impenetrationis, sed impenetrabilitatis, & sic de alijs, &c. est igitur ens incompletum materia in primo modo, & petit essentialiter compleri, non per modum potentiæ passiuæ formaliter, sed per modum principij exigitiui talis potentiæ, & à quo talis potentia nata est pullulare. Ad 2. esse partem etiam potentialiter solùm, non est de essentia materiæ in primo modo, nec in hoc sensu appellatur in eo signo partialis entitas, sed dicitur partialis entitas scilicet incompletæ in tali gradu, vt sit exigitiua aptitudinis ad constituendum aliud per modum partis potentialis, vnde eius incompletudo non est ipsa partialitas, sed principium exigitiuum partialitatis potentialis. Ad 3. per id probatur tantum, relationem materiæ ad formam esse transcendentem, & sibi realiter identificatam, non autem esse de essentia, sic si motus esset impossibilis, aut risus, implicarent homo, & corpus naturale, nec ob id dicemus, mobilitatem, aut risibilitatem esse de hominis, aut corporis naturalis essentia. Ad 4. vtraque & materia, & forma sunt intrinsecè entitates partiales in primo modo, scilicet entitates incompletæ in tali gradu entis, vt sint ambæ principia exigitiua aptitudinis ad aliud constituendum, vna per modum partis potentialis, & alia actualis, & per tales aptitudines distinguuntur in secundo modo, per principia verò talium aptitudinum in primo modo. Ad 5. conceditur assumptum de conceptu quietatiuo, non autem purè quidditatiuo; & hac de causa ad habendum talem conceptum penitùs quietantem intellectum, definitur materia per esse subiectum capax formarum 1. Phys. 82. sicut è contra forma per actum; Accedit quòd Philosophus 1. Phys. per eam definitionem descripsit nobis materiam in secunda notione, & ita videtur semper fuisse de materia locutus, scilicet in ordine ad formam, & compositum, adhuc tamen in se cognoscibilis est sine habitudine ad formam, vt Doctor notauit in 2. d. 11. qu. 1. K. licèt non à nobis pro statu isto; in primo demum signo considerata, circumscripto omni eo, quod primum modum non ingreditur, formaliter nec est capax, nec incapax formæ, sed tantùm radicaliter, & fundamentaliter, quia in eo signo neutrum prædicatum natum est ei formaliter conuenire.

117 Tertio, Arguit Auersa, destruendo fundamentum prædictarum responsionum, quòd nimirum non ipsa potentia, sed ratio principij radicalis, & exigitiui talis potentiæ sit de essentia materiæ; quia si ita foret, potius dici deberet materiam exigere ordinem ad formam, quàm essentialiter habere ordinem ad formam, exigere esse subiectum potens, & aptum recipere, quàm essentialiter esse subiectum potens, & aptum; exigere posse componere corpus, quam essentialiter posse componere, quæ sunt contrà communem Philosophorum sensum, & loquendi modum.

Resp. quòd concipiendo materiam, vt ens incompletum, cui debeatur potentia, & aptitudo proxima recipiendi formam, sufficienter concipi in sua essentia, non concipiendo interim talem potentiam, & aptitudinem proximam ad formas; & benè explicaretur essentia materiæ dicendo, quòd est natura quædam absoluta de genere substantiæ incompleta, ac proindè exigitiua potentiæ ad formam, & vt constituatur subiectum potens, & aptum recipere; & cum communiter dici solet, materiam dicere essentialem ordinem ad formam, esse subiectum potens, & aptum, esse essentialiter partem compositiuam; vel intelligendum est de potentia radicali, & remota, non de formali, & proxima, vel si de ista sit sermo, intelligendum est, quòd sit essentialiter potens, idest, in secundo modo; vel si intelligunt essentialiter in primo modo, ita loquuntur Philosophi, & alij passim, quia omnes materiam considerant in secunda notione, in quo statu, & reduplicatiuè loquendo, vtique dici potest essentialiter potentia, essentialiter pars, essentialiter subiectum &c.

118 Quartò, Arguitur ex absurdis, sequeretur enim primò, quod potentia materiæ non esset actui proportionata, quia actus est substantialis, & potentia foret accidentalis. 2. Quod ex eis non fieret vnum per se, quia materia vniretur cum forma mediante aliquo accidente, & non immediatè, & proximè per suam essentiam partialem. 3. Forma reciperetur non immediatè in ipsa nuda materia, sed in ipsa potentia, vnde, & aliquod accidens, scilicet ista potentia, esset immediatius vnitum materiæ quam ipsa substantialis forma; 4. Quod tunc materia esset in potentia ad hanc potentiam a se distinctam, & tunc quæro de illa potentia, qua est potens ad istam, atque ita, vel demum standum est ad potentiam, quæ sit de essentia materiæ, vel abeundum in infinitum. Nec respondere valet, hæc, & similia argumenta vrgere tantùm illos statuunt potentiam accidens realiter à materia distinctum, & ab ea separabile, non illos, qui eam ponunt proprietatem materiæ realiter identificatam; Non valet, nam quodlibet accidens, inquit Amicus loc. cit. siue physicè, siue metaphysicè distinctum à substantia, excluditur à compositione essentiali substantiæ. nam sicut à compositione essentiali hominis excluditur siccitas, calor, & similia, quæ distinguuntur realiter ab essentia, ita & potentia intellectiua, & risiua, quæ ponuntur distingui formaliter, & præsertim absurdum vltimum ita vrget contra distinctionem formalem potentiæ à materia, sicut contra reliquam, nam circumscripta potentia à materia per intellectum, vel ei repugnat potentia ipsa, vel non; non est dicendum primum, ergo secundùm, atque ita adhuc materia erit capax illius potentiæ, & habebit potentiam ad potentiam.

Resp. negando, omnia præfata absurda sequi ex concl. nostra, quia licet negemus, potentiam esse de essentia materiæ, non proindè eam statuimus accidens prædicamentale, ab ea realiter distinctum, & separabile, sed eam statuimus accidens proprium materiæ realiter identificatum. Hinc non sequitur primum absurdum, quia potentia materiæ non est accidens physicum, & commune, sed proprium materiæ, ac proindè realiter substantia, & in hoc sensu est potentia substantialis, proportionata actui substantiali, quantùm sufficit. Non sequitur secundùm, quia vt ex eis fiat vnum per se, sufficit, vt sint actus, & potentia per se formaliter in secundo modo; radicaliter, & exigitiuè in primo. Non sequitur tertium, tum quia, cum sit accidens proprium, non est realiter distinctum ab ipsamet substantia materiæ; tum quia potentia materiæ non est id, cum quo fit vnio formæ, sed est ratio, cur fiat inter ea talis vnio substantialis, vnde vnio formæ immediatè fit ad essentiam materiæ ratione potentiæ. Necdemum sequitur quartum, quia cum potentia fit realiter idem, seu eadem entitas cum materia, non poterit dici materia esse in potentia ad hanc potentiam, quia nihil est in potentia ad seipsum.

Nec impugnatio facta has responsiones euertit; nam ad 1. negatur vniuersaliter assumptum, & non valet paritas de potentia intellectiua hominis, aut risiua, & de potentia materiæ, quia hæc est potentia receptiua formæ ordinata ad compositi constitutionem; at illæ potentiæ ad alia munera sunt à natura ordinatæ. Ad alteram, negatur paritas, vrget argumentum contra distinctionem realem potentiæ à materia, quia vtique in subiecto assignari potest, & debet formalis aptitudo, & capacitas respectu formæ ab ipso realiter distinctæ, nec sufficit capacitas fundamentalis, at assignari non debet, nec potest respectu eius, quod est sibi realiter idem, quia nihil dicitur esse in potentia ad seipsum, vel capax sui ipsius; quare in tali statu præcisionis potentiæ a materia, inferri non valet ex non repugnantia ad formam recipiendam formalis, & positiua capacitas ad eam, bene tamen in statu diuisionis, si potentia, vt accidens distinctum realiter potest à materia separari; tum quia datur formalis aptitudo ad id, quod realiter distinguitur à subiecto, & sibi competere natum est; tum etiam quia talis præcisio non esset per intellectum, sed à parte rei, in quo statu subiectum est positiuè capax cuiuscunque attributi sibi naturaliter debiti; Ita colligitur ex Trombeta 4. Met. q. 4. loquente de distinctione passionis à subiecto.

119 Dicimus 2. Potentiam materiæ non esse accidens aliquod prædicamentale ei realiter superadditum, sed accidens proprium ei realiter identificatum, vt connaturalem proprietatem, & tantùm ex natura rei formaliter distinctum. Conclusio est Scot. loc. cit. contra Auctores secundæ sententiæ; & probatur quoad primam partem; primò de potentia receptiua formarum substantialium. Tum ex absurdis allatis in superiori argumento, quæ manifestè sequuntur ex hac sententia, vt ibi diximus. Tum quia, vel hoc accidens, quod dicitur potentia materiæ, recipitur immediatè in ipsa entitate materiæ, vel media alia potentia; si primum, ergo æque benè dici potest, quod forma substantialis ipsa immediatè recipitur in materiam, cum maiorem affinitatem habeat materia cum substantiali forma, quam cum accidentali; si secundùm, ergo dabitur processus in infinitum; Nec respondere valet, hanc potentiam esse ita quo, vt non possit esse quod, atq; adeò in ipsa standum esse, nam maiorem proportionem, & affinitatem habet forma substantialis cum materia, quam accidentalis, ergo si substantialis indiget potentia media, qua recipiatur in materia, tantò magis ea indigebit forma quæcunq; accidentalis à toto genere, etiam includendo hanc ipsam potentiam. Tum 3. quia forma substantialis immediatè reciperetur in quodam accidenti, scilicet in ista potentia. Nec respondere valet, vnionem fieri inter materiam, & formam in essentia, quia hæc potentia non se haberet, vt subiectum quod formæ substantialis; sed mediaret vt ratio talis vnionis; sicut qui ponunt quantitatem, dispositiones in materia præcedere formam substantialem, non proindè coguntur dicere, quod forma substantialis recipiatur in quantitate immediatè, vel dispositionibus; Non valet quia si quantitas, & dispositiones mediant inter materiam, & formam, non vtiq; mediant directè, quasi in ipsis immediatè forma recipi debeat, sed mediant indirectè, quatenus materiam præparant, in cuius entitate immediatè forma recipitur; at potentia ista, si foret entitas realiter superaddita materiæ, directè se haberet, & esset subiectum immediatum formarum substantialium eo modo, quo dicimus, quantitatem mediare inter substantiam, & formas accidentales. Tum deniq; quia non ponitur hæc potentia accidentalis ex parte formæ ad recipi ab ipsa realiter distincta, ergo neq; necessaria erit ex parte materiæ ad recipere.

120 Deindè probatur id ipsum de potentia receptiua formarum accidentalium, nam sic hæc accidens realiter materiæ superadditum, vel materia recipit immediatè hoc accidens, quod dicitur potentia, vel mediante alia potentia; si primum, ergo æquè benè poterit immediatè recipere alia accidentia, quia quantùm ad recipi, & inhærere, omnia accidentia sunt eiusdem rationis, præsertim accidentia absoluta; si secundùm, ergo dabitur processus in infinitum. Nec respondere valet, esse ita quo, vt non possit esse quod, atq; ita standum esse ad hoc accidens, quod non recipiatur, & inhæreat, sed sit medium, quo alia recipiantur. Tum quia cum verè eductum sit de potentia materiæ, & ab ea dependeat in fieri, & conseruari, & sit ab ea realiter distinctum, debet ipsum quoque in subiecto recipi & inhærere. Tum quia hæc est manifesta petitio principij, nam debet assignari ratio, cur materia possit nullo accidente medio hanc potentiam recipere, & non alia accidentia, cùm hæc maiorem non habeat affinitatem cum materia cæteris, immò hoc accidens potius esse deberet quantitas, quam potentia aliqua de genere qualitatis; Insuper non datur talis potentia accidentalis ex parte formæ accidentalis, vt apta sit in materia recipi, ergo nec talis potentia accidentalis debet admitti in materia, vt apta sit recipere formas accidentales, sed de hac re fusiùs agemus disputatione sequenti declarando potentiam, quam habet compositum ad formas accidentales.

Denique probatur idipsum de potentia sustentatiua materiæ rationibus allatis pro potentia receptiua formarum substantialium; & accidentalium, quæ pariter probant, potentiam earundem sustentatiuam non posse poni accidens ab ea realiter distinctum, nam sicut forma substantialis immediatè recipi nequit in accidente, velut in subiecto; ita nequit immediatè ab eo sustentari, & pariter applicari possunt aliæ rationes ad id probandum.

121 Quoad alteram partem probatur Conclusio, nam si potentia materiæ non est de eius essentia in primo modo, neq; accidens per accidens ab ea realiter distinctum; restat vt sit accidens proprium & realiter identificatum, & ab ea ex natura rei formaliter distinctum. Tum quia ista potentia naturalis materiæ est inclinatio eius, & aptitudo ad formas; at inclinatio, & aptitudo nihil realiter superaddit naturæ inclinatæ, vt Scot. docet in 4. d. 49. q. 10. A. Tum quia posse perficere, & informare, est per se proprietas formæ, ergo posse perfici, & informari erit proprietas materiæ. Tum tandem quia ita est in omnibus alijs, quod eiusmodi potentiæ & aptitudines ad actus sunt passiones rerum, ergo ita erit in proposito.

Contra hanc Conel. obijcitur 1. Tum quia adueniente forma in materia, petit potentia ad eam, nam adueniente actu, perit potentia, ex Auer. 1. Phys. 70. & actus, & potentia opponuntur 9. Met. ergo erit accidens per accidens. Tum quia in secunda specie qualitatis posuit Philosop. potentias naturales agendi, & patiendi, ergo est accidens de prædicamento qualitatis, sicut est mollities ceræ ad recipiendam impressionem sigilli, & durities columnæ ad sustinendam domum. Tum præterea in causis agentibus assignatur potentia actiua de genere qualitatis distincta à substantia causæ, vt calor igni, grauitas lapidi ad descendendum, ergo potentia passiua eiusdem rationis causis patientibus, vt est materia, assignari debebit. Tum tandem, quia potentiale alicuius generis, nihil est illius generis, at potentia materiæ est potentialis respectu totius generis substantiæ, ergo non est aliquid illius generis, sed alterius.

122 Resp. ad 1. ex Bassolio 2. d. 12. q. 1. art. 2. ad 1. negando assumptum, si sermo sit de ipsa potentia in se formaliter, nam actus perficit potentiam, eam denominat, & in ea recipitur; dum actu quis ridet, non dicitur amisisse potentiam ad risum, similiter dum scribit; quia tamen potentia secundùm communem vsum connotat priuationem, quæ in materia solet præcedere formam, quoad hoc dicitur potentia cessare adueniente actu, & dicitur ei opponi, & ita intelligendus est Auerr. loc. cit. Ad 2. ait Scot. 2. d. 16. q. 1. P. quod propriè loquendo, non est potentia actiua naturalis vel passiua, quæ ponitur in secunda qualitatis specie, sed facilitas ad vtendum illis agendo, vel patiendo, vt colligitur ex ipso contextu, quapropter mollities in cera, vt est in secunda specie qualitatis, non est propriè potentia passiua recipiendi impressionem sigilli, sed facilitas illa, quam habet, vt in ea cuiuscunque sigilli imprimatur exemplar, idem dicendum de duritie columnæ. Ad 3. dicimus ex Doct. in eodem loco, substantiam esse immediatè actiuam, quare non indiget ad suas actiones exercendas aliqua potentia media, realiter ab ea distincta, sed de hoc infrà disputatione de causa efficiente. Interim negandа est paritas; tum quia plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, vnde si est necessaria potentia actiua realiter distincta ipsis agentibus, non idcirco passiua erit necessaria patientibus; tum quia potentia eorum instituta est ad obeundas operationes quasdam accidentales, quibus proindè proportionata est potentia illa accidentalis, at potentia passiua materiæ instituta est ad constituendum per se vnum cum actibus substantialibus, quibus plane proportionata non erit, si ponatur accidens. Ad 4. per idem probari posset, potentiam illam neque esse accidens, quia materia, præsertim in sententia eorum, cum quibus disputamus, est in potentia ad formas substantiales, & accidentales, quarè negandum est, materiam esse potentialem ad quemcunque gradum substantiæ, est enim in potentia solùm ad formas, & alias species completas, vide Scot. 2. d. 12. q. 1.

Secundò Obijcitur, probando, quod saltim potentia receptiua formarum accidentialium debeat esse accidens. Tum quia actus & potentia sunt eiusdem generis 9. Met. 7: Tum 2. quia inter actum, & potentiam habet esse proportio, quare si receptiua, & sustentatiua substantialium ponitur substantialis, quia actus recipiendus est substantialis, eadem ratione in proposito potentia receptiua, & sustentatiua accidentalium debebit esse accidentalis. Tum 3. ratio, cur receptiua substantialium sit substantialis, & non accidens, est, quia ex materia, & forma debet fieri vnum per se, at hæc ratio non militat in forma accidentali, quia hæc non debet constituere vnum per se cum materia. Tum 4. quia si potentia receptiua formarum accidentalium est substantialis, & per se in secundo modo identificata, sicut receptiua substantialium ita ex accidente, & materia fiet vnum per se, sicut ex forma substantiali.

123 Resp. ad 1. sæpius dictum esse ex Scot. 2. d. 16. q. 1. A. propositionem illam intelligi, & pronuntiari à Philosopho de actu entitatiuo, & potentia obiectiua, non de potentia subiectiua, & formali. Ad 2. inter actum, & potentiam non est necessaria proportio secundùm entitatem, sed proportio receptiui, & receptibilis; perfectiui, & perfectibilis; talis autem proportio versatur inter potentiam substantialem & actum accidentalem, quia hìc recipi potest in substantia; & eam secundùm quid perficere; at non ita è contra proporttionari ponunt potentia accidentalis, & actus substantialis, quia forma substantialis nec recipi potest, nec sustentari in accidente, neque illud perficere; & hæc est disparitas, ratione cuius admitti potest in materia potentia substantialis ad formam accidentalem, sed non è contra potentia accidentalis ad formam substantialem. Ad 3. vtiq; si forma substantialis debet cum materia constituere per se vnum, non debet illi vniri mediante potentia, quæ sit accidens, at hoc præcisè non sufficit, sed adhuc vlteriùs requiritur, quod actus sit eiusdem ordinis cum potentia, & quod potentia ordinetur ad eum primario, & ab eo recipiat esse simpliciter, quę in proposito non conueniunt formæ accidentali, nam ipsa non est eiusdem ordinis cum materia, nec dat materiæ esse simpliciter, nec materia ordinatur ad eam primariò, sed tantum secundariò, nimirum propter formam substantialem. Ad 4. similiter ob eandem rationem negamus consequentiam; quamuis enim materia seipsa immediatè reciperet accidens, & non per accidens medium, adhuc non resultaret vnum per se ex vtroque, quia adhuc ipsa non foret per se potentia & accidens per se actus in sensu, quo loquitur Philosophus 8. Metaph. 15. & 16. explicat enim Scot. 3. d. 22. quæst. vnica. F. ita intelligi debere, quòd actus sit eiusdem ordinis cum potentia, quod accidenti deest, quod est ordinis inferioris, explicat etiam 4. d. 11. q. 3. Y. quod actus debet esse primarius, & dans esse simpliciter, quod accidenti non conuenit, qua ratione docet ibidem, quod si accidens immediatè recipiatur in materia prima, adhuc cum ea constituet vnum per accidens, sed de hac re locuti sumus initio huius disputationis, declarando discrimen ex Doct. cit. inter formam substantialem, & accidentalem, & adhuc fusius agemus inferius disputatione de principijs in facto esse, declarando, cur ex forma, & forma fiat vnum per se, non ita ex subiecto & accidente, præsertim cum accidens immediatè recipiatur in subiecto, & non media potentia accidentali de genere qualitatis: hic tamen aduertendum est, argumentum vrgere quoque Aduersarios, qui asserunt, huiusmodi potentiam accidentalem immediatè recipi in materia prima, alia verò accidentia mediante ipsa, igitur ipsi quoque tenentur assignare rationem, cur ex materia, & sua potentia accidentali realiter distincta non fiat vnum per se, cum sit in ea immediatè recepta sine accidente medio.

QVÆSTIO VI.

De appetitu materiæ erga formas.

124 NOn est quæstio de appetitu elicito, quia hic reperitur tantum in naturis cognoscentibus, & est actualis inclinatio naturæ cognoscentis in bonum præcognitum sed de appetitu naturali, & innato, qui etiam tribuitur naturis non cognoscentibus, & est habitualis inclinatio naturæ in bonum sibi connaturale, vt docet Scot. 1. d. 1. q. 5. §. *Ad argumenta &c.* in fine, quo sensu dicimus, graue appetere vbi deorsum, leue sursum, & quidem materiam rali appetitu appetere formam, clarissimis verbis docuit Philosophus 1. Phys. tex. 81. vbi ait, materiam appetere formam, sicut turpe pulchrum, & fœmina marem; idem docuit Scot. 4. d. 49. qu. 10. A. vbi adducens dictum Arist. modò relatum, inquit, hoc esse intelligendum de naturali inclinatione materiæ ad formam, tanquam in propriam perfectionem, idem denique suadet ratio; Tum quia vnunquodque inclinatur in idem perfectionem sibi connaturalem, & eam appetit appetitu innato, ergo, & materia formam; Tum quia hic appetitus in re nihil aliud est, quàm aptitudo illius, vel naturalis potentia ad propriam perfectionē recipiendam, at talem esse potentiam materiæ ad formas qu. præc. demonstratum est, ergo materia verè appetit formam cum omni proprietate; solùm igitur manet dubium, quo sensu dicatur materia appetere formam; an scilicet habeat huiusmodi appetitum erga formam absolutè, & in communi tantùm, an potius etiam erga formas in particulari. Et rursus, si omnes, & singulas etiam appetit in speciali, dubitandum venit, quo pacto eas appetat, an scilicet æqualiter omnes, & singulas, vel nobiliores magis, quæ duo dubia duobus articulis absoluemus.

ARTICVLVS III.

An appetitus materiæ sit solùm ad formam in communi, vel potius etiam ad singulas in particulari.

125 PVtant quamplures, appetitum materiæ tendere tantum ad formam in communi, & ferri in formas in speciali solum, quatenus formæ sunt, non quatenus tales in specie, & indiuiduo, quam sententiam sequitur Arriag. disp. 2. Phys. nu. 42. Sghemma 1. Phys. digress. 5. qu. 6. ea ratione, quia si hanc in particulari appeteret naturaliter, sub alia staret violenter. Alij, vt hoc euitarent absurdum, dixerunt, materiam appetere quidem formas, etiam in speciali secundùm varios gradus specificos, & indiuiduales, sed non vno, & eodem appetitu, sed tot, quot sunt formæ appetibiles, vnde sub omnibus naturaliter manet, quia varij sunt appetitus, secundùm quos naturaliter satiatur ab hac, & illa forma iuxta singulorum exigentiam, & quidem quantùm ad appetituum multiplicitatem sequitur hanc sententiam Fuentes 1. Phys. diff. 3. art. 4. & putat, esse Doctoris in 1. d. 1. q. 1. ad 4. Communis, & vera sententia est, materiam appetere omnes, & singulas formas in speciali, vno, & eodem appetitu vniuersali, & indeterminato ad omnes, quam sequitur Auersa qu. 20. sect. 21. Amicus tract. 5. qu. 7. dub. 2. Ruuius 1. Phys. tract. 1. de materia, q. 7. dub. 1. & alij passim, & præsertim Regent. Parisiens. 1. Phys. q. 9. q. 2. coll.

Dicimus, materiam appetere omnes; & singulas formas, nedum secundùm communem gradum formæ, sed etiam secundùm peculiares specificos, & indiuiduos, vno eodemque appetitu vniuersali, & indeterminato ad omnes. Conclusio est Scoti, 1. d. 1. q. 1. in responsione ad quartum, & quintum, ibi enim significat, formam esse materiæ perfectiuam secundùm omnes suos gradus, & materiam esse ad omnes, & singulas inclinatam, vt in propriam perfectionem, licet indeterminatè; & licèt in responsione ad 4. dicat, tot esse appetitus in materia, quot sunt formæ receptibiles in ea, ibi tamen, vt notarunt Vigerius, & Bargius, non loquitur de appetitu vniuersali, & aptitudinali, ac indeterminato, sed de actuali, particulari, & determinato ad singulas formas; nam paulò infrà in responsione ad quintum, loquens postea de aptitudinali, & vniuersali, expresè significat, esse vnum indeterminatum ad omnes, & singulas. Explicatur autem, deinde probatur Concl. appetitus materiæ ad formas, aliud formaliter non est, quàm eius innata inclinatio, & naturalis potentia aptitudinalis ad omnes, & singulas formas quæst. præcedenti declarata, ergo de appetitu materiæ idem prorsus hic dicendum est, quòd de eius naturali potentia dictum est; sicut igitur potentia tripliciter considerari potest, vt actuata, vt priuata, in quo sensu connotat formam, vel priuationem, & secundùm se, in quo sensu abstrahit à forma, & priuatione, & dicitur passio materiæ; sic in proposito appetitus materiæ potest sumi tripliciter, vel cum priuatione boni, scilicet formæ, & dicitur desiderium, vel cum eius possessione, & dicitur complacentia, vt Tat. 1. Phys. qu. 7. not. 4. notauit ex Scot. 3. d. 17. & 4. d. 49. q. 10. vel secundùm se, vt abstrahit à priuatione, & possessione, & dicit tantùm inclinationem in bonum sibi connaturale, siue fuerit præsens, siue absens; & in hoc sensu dicitur materiæ proprietas. Rursus sicut ibi distinximus potentiam in vniuersalem, & particularem, remotam, & proximam, diximusque, illam esse vnam, & indeterminatam ad omnes formas, hanc verò multiplicari ad formarum multiplicationem; ita pariter in proposito de appetitu materiæ dicendum est, & distinguendum est, quòd multi sint appetitus particulares, prout varijs dispositionibus afficitur materia, vnus autem vniuersalis; quia omnes appetit sub eadem ratione actus, & tendit ad formam absolutè supponentem. Denique sicut ibi diximus, potentiam vniuersalem posse sumi dupliciter, primò pro tali inclinatione subiecti in suam perfectionem, quòd si illa careat, manere dicitur in statu violento; alio modo pro quacunque inclinatione subiecti ad perfectionem sibi proportionatam, qua si careat, non proinde dicitur esse in statu violento, quia aliam consimilem habet, & primo modo diximus, potentiam materiæ esse naturalem ad formam in communi, & absolutè sumptam, & non ad vllam formam in speciali, quia si forma vagè sumpta careat, dicitur, esse in statu violento, non si careat, hac, & illa signatè & secundo modo diximus, esse naturalem ad omnes, & singulas in speciali, quia quælibet est sibi proportionata perfectio, & iuxta eius vniuersalem inclinationem, vnde si vnam deserat, non proindè ponitur in statu violento, dummodò aliam consimilem acquirat, ita, & in proposito de appetitu distinguendum est, & dicendum, quòd sumendo appetitum in primo sensu; itaque solum formam in communi, & vagè sumptam appetit, at in secundo sensu appetit etiam hanc, & illam signatè.

126 Probatur autem Concl. quòd materia scilicet appetat formas, etiam in particulari; Tum ex dictis art. 1. præced. quæst. vbi fusè probauimus, potentiam materiæ etiam ad formas in particulari, & indiuiduo, vt sic esse naturalem, quia forma secundùm omnes gradus suos est perfectio materiæ, illo solo excepto, in quo cum materia conuenit; Tum quia, vt ibidem probatum est, forma terminat appetitum materiæ; vt supponit absolutè, pro forma scilicet in communi, & quacunque forma in particulari, non autem prout supponit simpliciter, vel personaliter; nam licèt omnes respiciat sub vna ratione communi, scilicet actus, tamen ly actus, vt terminat materiæ appetitum, continet sub se quemcunque gradum formæ, in quo à materia differt, & non significat tantum gradum genericum formæ; Tum præterea intantum dum materia est sub vna forma, retinet adhuc appetitum ad aliam, quia perfectionem, quam possat habere ab alia forma, non habet ab ista, sub qua actu manet, at perfectionem genericam formæ habet actu ab ista, sicut haberet ab illa, ergo dicitur appetere, quam non habet, sub ratione specifica, & ad eam in hoc sensu remanet appetitus in materia; Tum insuper nulla forma satiat appetitum materiæ totum, & totaliter, quia nulla forma continet virtualiter perfectionem aliarum formarum, ergo appetitus materiæ, nedum tendit in gradum genericum, sed etiam specificum, & indiuidualem, nam secundùm gradum genericum vnaquæque forma aliam continet, & cum ea conuenit, cùm hic gradus sit eiusdem rationis in omnibus; Tum rursus ex materia, & forma fit vnum per se, quia hæc est per se actus, & illa potentia, at certè non fit ex eis vnum per se tantùm vnitate generica, sed etiam specifica, & indiuiduali, ergo forma est actus, & perfectio materiæ, nedum secundùm gradum genericum, sed etiam secundùm specificum. & indiuidualem.

Quòd autem non sit necesse appetitus materiæ multiplicare, probatur ex dictis art. 3. quæst. præced. Tum quia vnus ad omnes sufficientissimus est, indeterminatus, & vniuersalis, sicut in homine est vna aptitudo ridendi ad multos actus, in lapide vna inclinatio ad multos descensus; Tum quia tot de facto reperirentur aptitudines & appetitus in materia simul, quot formæ possibiles sunt; Tum quia isti eppetitus determinati ad hanc, & illam formam, videntur non esse simul in materia compossibiles, sicut neque formæ; Tum tandem quia adhuc cum ista multiplicitate respectuum non saluatur naturalis quies materiæ sub oppositis formis; nam licèt naturaliter quiesceret sub forma aquæ, spectato appetitu determinato ad illam formam, adhuc tamen violenter quiesceret spectato appetitu determinato, quem habet ad formam ignis; quare præstat cum Scot. loc. cit. in fine, saluare quietem naturalem materiæ sub omnibus, & singulis formis ob appetitum, & inclinationem indeterminatam ad omnes.

127 In oppositum obijcitur 1. Si materia appetit formas, etiam in speciali, vel appetit formam, quam habet, vel quam non habet, neutrum dici potest, ergo non appetit formas in speciali, probatur minor quo ad 1. partem, quia nullus appetit quod possidet, & priuatio est causa appetitus, & oppositum manifestè docet Philosophus tex. 81. probatur quo ad 2. Tum quia cùm eam habere non possit, nisi per expulsionem eius, quam habet, appeteret corruptionem compositi, & etiam aliquo modo sui, quo ad illud esse substantiale, quod à forma habita recipit; Tum quia causa appetitus formæ, quam non habet, præsertim existeret eius priuatio, vt docet Philosophus in tex. at hoc dici non potest, quia vnum contrarium non est causa entitatis positiuæ, qualis est appetitus; & demum si propter priuationem materia appetit formam non habitam, non eam appeteret per se, & secundùm propriam naturam, sed per accidens, ratione scilicet priuationis, quæ sibi merè accedit.

Resp. ex dictis, appetitum materiæ, vt est eius proprietas, tendere in formam, vt perfectionem sibi connaturalem, præscindendo ab hoc, quòd sit præsens, vel absens, iuxtà verò connotata absentiæ, vel præsentiæ, priuationis, vel possessionis, vocatur desiderium, vel complacentia, & sicut connotata ista materiæ accidunt, ita & appetitus sub his rationibus; formam ergo, quam habet, appetit appetitu complacentiæ, quatenus naturaliter, & iuxtà suam inclinationem sub ea quiescit, & priuatio non est causa complacentiæ, sed desiderij; & de appetitu sub ratione desiderij verum est, non appetere tantùm quæ non habemus, & in hoc sensu loquitur Philosophus loc. cit. cùm ait, materiam non appetere formam, quam habet appetit verò quam non habet, appetitu desiderij, ex quo negant quamplures, sequi in materia appetitum corruptionis formæ habitæ, & compositi, quia non est absolutum, sed conditionatum, si scilicet præsenti forma destituatur, at licèt distinctio hæc rectè quadret appetitui elicito, appetitui tamen naturali rectè accommodari non potest, cùm enim hic nulla interueniat cognitio, nulla deliberatio, non videtur, vndè prodire possit præfata conditio: præstat igitur dicere cum communi, appetitum formæ absentis in materia esse absolutum, indè tamen non sequi, quòd per se appetat corruptionem formæ præsentis, & compositi, sed tantum per accidens, quatenus ad formam habendam consequitur priuatio habitæ, id enim, quod appetit, est sola forma habenda, non verò priuatio habitæ, quia priuatio formæ non est perfectio materiæ eo modo, quo dicere solemus, generans generare per se nouam formam, priuationem verò præcedentis solùm per accidens inducere præter eius intentum; Ad alteram probationem dicimus, priuationem esse causam appetitus, non secundùm se, vt dicit positiuam inclinationem materiæ in formam, sed in ratione desiderij præcisè, quo sensu nihil positiuum dicit, & quamuis vnum contrarium positiuum nequeat esse ratio appetendi aliud, id tamen esse potest in priuatiuis; & denique verum est, materiam per accidens, idest ratione priuationis connotatæ, appetere formam, appetitu desiderij, at per se, & secundùm propriam naturam, appetit illa, vt appetitus dicit absolutam inclinationem in propriam perfectionem.

Sed

Sed instat Ariag. cit. probans materiam non posse habere appetitum naturaliter loquendo respectu formæ substantialis per modum desiderij, quia naturaliter non potest carere forma, ergo illam non potest respicere, vt absentem, ergo nec desiderare. Dices, desiderare, quam non habet, præsertim perfectiorem. Contra instat, quia nullam formam determinatè appetit, sed omnes disiunctiuè & in vniuersali, quatenus complementum eius, ergo debet carere omni forma, vt eam desiderare dicatur, quod naturaliter est impossibile.

Resp. hanc difficultatem vrgere negantes appetitum in materia ad formas in particulari, nam in hac opinione, vt materia formam desiderare dicatur, non sufficit absentia vnius, vel alterius formæ, quia eas non appetit sub particulari ratione, sed omni forma prorsus denudari debet, quod est naturaliter impossibile: vndè Arriag. negans appetitum materiæ ad formas in particulari, benè consequenter loquitur; dum negat in ea appetitum desiderij, Verùm in sententia opposita, quam nos sequimur, argumentum non vrget, quia ad appetitum desiderij dicimus sufficere absentiam vnius formæ & quidem talem appetitum in materia dari docuit Aris., cum dixit priuationem generare appetitum in materia, cum hoc dictum explicari nequeat, nisi de appetitu desiderij.

128 Secundò Obijcitur. Tum quia impossibile est opposita simul esse, ergo non potest appetere formas in particulari, & sub particulari ratione, quia vt sic sunt contrariæ, & incompossibiles. Tum 2. quia ratione contrarietatis formarum, si sub vna stat naturaliter, sub alia detineretur violenter. Tum 3. communis illa responsio de appetitu complacentiæ respectu formæ habitæ, & desiderij respectu non habitæ, repugnare videtur, nam desiderium formæ non habitæ incompossibilis habitæ, directè excludit complacentiam habitæ, quia ideò quam non habet, appetit, quia quam habet, fastidit, & renuit. Tum instat Arriag. materia omnes formas respicit sub eadem ratione, scilicet sub ratione actus, ergo cùm habet vnam, non est, cur appetat aliam, quia habet iam rationem formalem, cur aliæ sunt appetibiles, quia hæc in omnibus reperitur. Tum denique, quia etiamsi omnes appetat in particulari, cùm tota materia sit eiusdem rationis, & actu subsistet omnibus formis actu existentibus in Vniuersò, nulla sibi remanet appetenda.

Resp. ad 1. appetitum materiæ esse indeterminatum ad opposita, non quidem simul habenda, sed successiuè, qualis est indeterminatio voluntatis ad velle, & nolle. Ad 2. sæpè dictum est, indeterminationem appetitus ad omnes formas tollere violentiam à primo passo ex Scot. 1. d. 1. q. 1. in fine. Ad 3. falsum est, repugnare appetitum desiderij formæ absentis, complacentiæ præsentis, quia re vera, vt ait Auersa cit. materiam quiescere, & complacere in forma præsenti, & absentem appetere, aliud in re non est, nisi habere de se potentiam, & aptitudinem ad omnes, & vnam habere actu, aliam non habere actu, quod planè nullam inuoluit repugnantiam, nec ratio, cur appetat absentem, est, quia fastidiat præsentem, sed quia non solùm ad istam, quam habet, sed etiam ad alias dicit aptitudinem. Ad 4. materia respicit formas, non solùm sub ratione actus in communi sed etiam sub ratione talis actus, sub qua ratione multis caret; dicitur autem omnes respicere sub eadem ratione, quia omnes respicit secundùm gradum genericum, specificum, & indiuidualem actualitatis, & hæc est ratio specificatiua appetitus materiæ, argumentum vrget ponentes appetitum materiæ terminari ad omnes formas, vt formæ sunt præcisè. Ad 5. licet materia sit eiusdem rationis specificæ, tamen diuersæ sunt materiæ portiones indiuiduales, singulæ habentes aliquam formam & cæteris carentes; hæc igitur, & illa materia desiderant formas in alijs existentes, & non tantùm existentes; sed etiam possibiles existere, quas tamen nunquam habuerant, immò, & appetunt formas, quas antea habuerunt, & amiserunt, appetitu nimirum remoto, & ad actum non reducibili per agens naturale, saltim secundùm communem naturæ cursum, vt satis explicatum est art. 2. quæst. præced.

ARTICVLVS II.

An materia æqualiter appetat omnes formas in particulari, vel nobiliores magis, & dum est sub nobiliori, an minus nobilem appetat.

129 CIrcà primam quæsiti partem, Recentiores ferè omnes asserunt, materiam omnes æqualiter appetere formas, & non magis perfectas, quàm imperfectas, ita Ruuius tract. 1. qu. 7. dub. 2. Auersa q. 20. sec. 11. Amicus tract. 5. qu. 7. dub. 3. & ex nostris Fuentes 1. Phys. qu. 2. diff. 3. art. 3. qua de causa etiam alteri parti quæsiti affirmatiuè respondent: si enim materia æqualiter appetit omnes formas, & non magis perfectas, quàm imperfectas, sequitur manifestè, quòd sub perfectiori existens, adhuc appetitum retinere debet formæ imperfectioris.

Dicimus primò, materiam non æqualiter omnes appetère formas in particulari, sed nobiliores magis, est contra relatos Auctores, & colligitur ex Scot. 4. d. 49. q. 10. B. vbi probat, appetitum naturalem ad maiorem perfectionem esse maiorem, & ad maximam, qualis est Beatitudo, esse maximum, quod probat ex Philosopho initio 1. Met. sic arguente: si omnes homines natura scire desiderant, ergo maximam scientiam, qualis est Metaphysica, maximè desiderant, ergo tam secundùm Scotum, quam Philosophum, appetitus naturalis non est æqualis ad omnes perfectiones sibi consentaneas. Colligitur item ex Scot. 4. d. 50. qu. 5. A. vbi docet, quòd appetitus naturalis in Beatis ad Beatitudinem non expletur simpliciter per quemcunque beatitudinis gradum, quia non æqualiter apperit hunc, vel illum, sed sicut summè non appetit, nisi summum, ita simpliciter non nisi in summo quietari potest; de appetitu igitur materiæ (si principijs Scoti volumus inhærere) est pariter discurrendum, quòd non sit æqualis ad omnes formas, sed inæqualis iuxtà formarum perfectionem inæqualem.

130 Probatur autem Conclusio primò ex illo loco Topico, quo vsus est Arist. 1. Met. loc. cit. In causis præcisis sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis, & maximum ad maximum, 2. Top. sed materia simpliciter appetit formam, quia forma est eius perfectio simpliciter, ergo magis appetit formam, quæ magis eam perficit, & maximè, quæ est eius perfectio maxima. Deinde, quod magis intenditur à natura, magis quoque appetitur, ergo cum perfectiores formas intendat magis, quàm imperfectas, consequenter etiam eas magis appetet. Confir. quia hac ratione aduersarij, ipsi inquiunt, materiam appetere formas, tam substantiales, quàm accidentales, sed illas magis, & primariò, quia has appetit propter illas, iuxta regulam illam Philosophi 1. Post. c. 2. *Propter quod vnum quodque tale, & illud magis*, ergo etiam erga formas ipsas substantiales admittere debent in materia inæqualitatem appetitus, sicut inæqualitas perfectionis reperitur in ipsis formis, eò præsertim, quia omnes ferè difficultates, quas contra nos vrgent, contra ipsos retorqueri possunt, dum hanc inæqualitatem admittunt in appetitu materiæ erga formas substantiales, & accidentales, quem plures illorum ponunt vnicum ad vtrasque. Dices hoc non vrgere, quia materia non magis appetit formas substantiales, quam accidentales, quia illæ sunt perfectiores istis, sed quia istæ sunt dispositiones ad illas, & finis magis appetitur, quam medium, forma autem imperfectior substantialias non subordinata, de qua est sermo, non appetitur propter formam perfectiorem. Hæc instantia rationem allatam non eneruat, cuius scopus est ostendere dari posse inæqualitatem, & magis, & minus in appetitu naturali (quod Aduersarij negant) vndecunque hoc proueniat. Demum probari potest ex proportione ad appetitum elicitum quo magis appetitur maius bonum, ergo seruata porportione, idem dicendum erit de appetitu innato, quòd per modum ponderis inditi ab Auctore naturæ, magis naturam inclinat in perfectionem maiorem.

Respondent, disparem esse rationem de appetitu naturali, & rationali, quia hic sequitur cognitionem, discernitque inter bonum, & malum, ideò appetitu ordinato semper appetit maius bonum; at naturalis cum non sequatur cognitionem, non habet discretionem perfectioris, & imperfectioris formæ.

Sed Contrà, quia quod gerit cognitio in naturis cognoscentibus, hoc supplet natura ipsa in non cognoscentibus, ergo sicut in cognoscentibus illa discretio maioris, & minoris boni fit à cognitione, ita in non cognoscentibus fieri debet ex ipso naturæ instinctu. Accedit, quòd natura in non cognoscentibus discreuit inter bonum, & malum, dum indidit illis appetitum erga propriam perfectionem, & auersionem erga contraria, sic aqua refugit calorem, & appetit frigus ergo discreuit etiam inter magis, & minus bonum; & si prima discretio, quamuis propria videatur naturæ cognoscentis, adhuc tamen suo modo indita est quoquè non cognoscenti etiam, & altera. Deniq; naturalis inclinatio debet esse cum maxima rectitudine, cum immediatè sit indita ab Auctore naturæ, at naturalis rectitudo postulat, vt bonum maius præferatur minori, ergo naturalis appetitus, ita est à Deo constitutus, vt per modum ponderis naturam ipsam magis reddat propensam in maius bonum.

Resp. Auersa loc. cit. quia ex parte ipsarum formarum verè datur inæqualitas, dici posse, materiam inæqualiter appetere formas terminatiuè solum; idest appetere varias formas, quarum vna est perfectior alia. Verùm appetitus materiæ in se consideratus est prorsus æqualis ad omnes. Sed impugnatur eodem modo, quo responsio præcedens, nam si datur inæqualitas in perfectionibus, debet etiam dari in inclinatione naturæ ad illas; Et sicut nullus prudens præferret minus bonum maiori, ita Auctor naturæ minus prudenter naturas rerum constituisset, si illis indidisset appetitum, æqualem in maiorem, & minorem perfectionem & in hanc, & illas fecisset inclinatas æqualiter.

131 In oppositum obijcitur 1. Potentia materiæ indeterminata est, & indifferens ad omnes formas, ita quòd non magis vnam, quàm aliam recipere nata est, ergo etiam appetit omnes, cum eius appetitus à potentia naturali non differat. Confirm. Ab agente naturali solùm determinatur materia ad recipiendam hanc potius quam illam formam, etiam si perfectiorem, ergo ex se æqualiter omnes respicit; Denique licèt figulus intendat ex creta effigere vas pulcherrimum; creta tamen ex se indifferens, ita in proposito, etiam si agens naturale intendat inducere perfectiorem formam, materia tamen indifferenter se habet.

Resp. potentiam materiæ esse indeterminatam, & indifferentem ad omnes formas, quatenus indifferentia excludit inclinationem determinatam, non quia excludat inclinationem maiorem ad vnam, dummo-

dummodo adhuc inclinetur ad alteram, & sic etiam in eodem sensu æqualiter appetit omnes, vt ly æqualiter excludit inclinationem determinatam, non vt excludit inclinationem maiorem. Ad confirm. concedimus pariter materiam determinari potius ad receptionem istius formæ quam illius, ab agente naturali, quia æqualiter de se respicit omnes, vt æqualitas dicit indeterminationem; at hoc non impedit, quin de se magis inclinetur in perfectionem, licèt de se determinata non sit ad illam. Ad aliam tenet paritas in hoc tantùm, quòd sicut materia artificialium ab agente determinatur ad recipiendam hanc potiùs, quàm illam formam, ita, & materia naturalium, aliàs non tenet, quia materia naturalium est in potentia naturali ad formas naturales, sed materia artificialium ad artificiales est solùm in potentia neutra ex Scoto 2. d. 18. q. vn. B.

132 Secundò obijcitur. Tum quia petere magis maius bonum, quàm minus, est appetitum cum delectu, hoc enim fit præuia cognitione præferente maius bonum minori, ergo non potest conuenire materiæ, cuius appetitus nullam sequitur cognitionem, nec vllam, habet discretionem maioris, vel minoris perfectionis formarum; Tum quia si ad vnam inclinatur magis, quàm ad aliam, ergo transeundo à forma perfectiori ad imperfectiorem, aliquam sub ista pateretur violentiam, & non æquè naturaliter quiesceret sub omni; Tum tandem quia respicit materia formas, vt faciat vnum per se cum illis, at hoc æqualiter præstatur per omnem formam, ergo &c.

Resp. assumptum non esse vniuersaliter verum, quamuis enim in cognoscentibus ille appetendi modus ortum ducat ex iudicio, maius bonum minori præferente, non idcircò iudicium est præcisa causa sic appetendi; post enim etiam oriri ex instinctu naturæ, eò magis rem in propriam perfectionem inclinantis, quo maior est illa perfectio. Ad 2. negatur consequentia, quia, vt docet Doctor loc. sæpè cit. 1. d. 1. q. 1. in fine, quies violenta nunquam est, nisi quiescens determinatè inclinetur ad oppositum, ideo cum materia non habeat inclinationem determinatam ad formam perfectiorem, licèt habeat maiorem, ideò simpliciter, & absolutè loquendo, non patitur violentiam sub imperfectiori, declarat id Scotus in simili 4. dist. 50. qu. 5. A. aptissimo exemplo, dum ait, non oportere, vt appetitus naturalis, naturaliter quiescat, habeat omnem perfectionem, cuius est summè capax, *Patet graui*, inquit Doctor 2. *quod appetit esse summè deorsum scilicet in centro, & tamen non omne graue potest esse in centro, & si tolleretur impedimentum, esset summè deorsum, & tamen non potest esse, sed facit se deorsum, quantum potest, & ibi naturaliter quiescit.* hæc Doctor 2. atque ita sicut lapis non quiescit violenter in superficie terræ, sed naturaliter, cum non sit extra Sphæram, & latitudinem suæ naturalis perfectionis, quæ est vbi deorsum, nec omninò seiunctus ab ea; ita materia non quiescit violenter sub forma imperfectiori, sed naturaliter, cùm sic existens, non sit extra latitudinem suæ naturalis perfectionis, qualis est quælibet forma; an verò æquè naturaliter quiescat sub perfectiori, & imperfectiori, dicendum est, æquè naturaliter quiescere, vt naturalitas excludit violentiam, & non æquè naturaliter, vt naturalitas dicit maiorem, vel minorem inclinationem. Ad 2. negatur minor, absolutè loquendo, nam licèt per quamcunque formam substantialem constituatur cum materia per se vnum, hoc tamen perfectius constituitur, quo perfectior est forma.

133 Tertiò, Obijcitur. Tum quia si materia meliorem formam appeteret, vnam tantùm appeteret, quia ex omnibus, vna est omnium perfectissima. Tum etiam quia sic appetere deberet per se interitum formarum ignobilium, quæ sunt cum nobiliori incompossibiles. Tum præterea, si ita esset, nunquam ex nobiliori composito fieret ignobilius, contra experientiam, & ob hanc rationem, ait Amicus loc. cit. sibi hanc opinionem placere. Tum denique quia in re indiuisibili non est prius, & posterius, nec magis, & minus, quia hæc dicunt comparationem, quæ est inter plura, sed appetitus materiæ est vnicus, & indiuisibilis ad omnes formas, incapax intensionis, & remissionis, ergo non potest recipere magis, vel minus.

Resp. negando sequelam, quia cum appetitu maiori nobilioris formæ, fiat quoque appetitus ignobilioris, vt constabit conclusione sequenti. Ad 2. negatur consequentia, quia ita est incompossibilis forma ignobilior cum nobiliori, sicut duæ æquè nobiles, quare sicut supra diximus, ex hoc, quod materia appetit formam quam non habet, sequi, quod appetat interitum illius, quam habet, solum per accidens, & indirectè, ita in proposito. Ad 3. item negatur consequentia, quia cum maiori appetitu ad perfectionem formam stat adhuc appetitur ad imperfectiorem, ad quam, si ab agente extrinseco determinetur materia, sequitur naturaliter compositum imperfectus; concluderet argumentum, si negaremus, in materia inclinationem ad imperfectiorem formam, dum est sub perfectiori. Ad 4. quæ est ratio cæteris efficacior, nec tamen ab Aduersarijs adhibetur, dicimus, etiam ipsos teneri ad solutionem argumenti, cùm quidam eorum asserant, vno, & eodem appetitu materiam appetere formas substantiales, & accidentales, illas tamen magis, & primariò, has minus, & secundariò; respicit igitur materia quidem indiuisibiliter, vno, & eodem respectu aptitudinali omnes formas, tanquam terminum adæquatum, tamen respectus ille prius ex natura rei refert materiam ad formam perfectiorem, quam ad imperfectiorem, & eodem respectu respicit illas cum tali subordinatione, & in hoc sensu dicimus, magis appetere perfectiorem, quam imperfectiorem, & non quia intensionem aliquam, vel remissionem in ea cogitare velimus in ordine ad diuersas formas.

134 Dicimus secundò, materiam, dum est sub nobiliori forma, adhuc appetere minus nobilem, est Scoti 1. d. 1. q. 1. ad quartum, vbi inquit, quod nulla vnquam forma, quantùmcunque perfecta, satiat totaliter, & extensiuè appetitum materiæ, nisi in illa vna omnes formæ inferiores includerentur, & ideò quia nulla de facto datur talis forma, quæ sic adæquatè contineat perfectiones omnium formarum, ideò nunquam desinet appetere imperfectiorem, quantumcunque sit sub perfectiori. Præterea probatur conclusio euidenti ratione; si non appetit materia formam ignobiliorem, dum est sub nobiliori, ergo non poterit naturaliter nobiliorem amittere, ac per consequens compositum ex illa resultans v. g. homo ex anima, quæ est omnium nobilissima forma, erit incorruptibile, consequentia patet, quia corruptio formæ præsentis oritur ex appetitu formæ non habitæ. Nec respondere valet, posse hanc corruptionem sequi ex appetitu formæ nobilioris, quia inter formas quoad perfectionem est processus in infinitum, Non valet. Tum quia hoc est adhuc in quæstione. Tum quia etiam si sit possibilis forma perfectior anima rationali, de facto tamen nulla perfectior reperitur, nec de potentia Dei ordinaria possibilis est perfectior; atque ita de facto homo incorruptibilis erit. Tùm demùm, quia, vt ait Amicus loc. cit. experientia constat, sequi corruptionem compositi, etiamsi fiat compositum imperfectius, ergo ex appetitu formæ imperfectioris de facto sequitur corrupt. Dices adhuc sequi posse corruptionem nobilioris formæ in materia sine appetitu formæ ignobilioris, quia posset agens naturale adhuc introducere dispositiones contrarias illi formæ & eam expellere, & aliam inducere, sicut potest inducere calorem in aqua, quamuis aqua non appetat illum. Neg. assumptum, quia appetitus materiæ ad alias formas præter habitam, est vnica, & præcisa radix corruptibilitatis compositi, vndè si daretur materia sub forma perfectissima, quæ totaliter satiaret materiæ appetitum in ordine ad cæteras formas, compositum illud esset incorruptibile prorsus, vt quidam de cœlestibus corporibus philosophantur, immò in ipsam aquam ideo potest agens naturale calorem inducere, qui licet aquæ repugnet, materia tamen, quæ est sub forma aquæ, appetit formam substantialem indiuisibilem per calorem.

135 Sed contra conclusionem obijcitur 1. Tum quia voluntas, quantùmuis libera, non eligit minus bonum in comparatione maioris, nec igitur materia appetit naturaliter formam imperfectiorem comparatione perfectioris. Tum quia forma minus nobilis non est bonum, sed malum comparatione nobilioris, ergo nequit appetiri materia sub ista comparatione, quia malum non est appetibile. Tum etiam, quia forma virtualiter continens aliam formam, explet appetitum materiæ respectu illius ex Scot. 2. d. 14. q. 1. B. sed forma perfectior continet virtualiter imperfectiorem, sicut species superior inferiorem ex eodem 4. d. 1. q. 1. ergo. Confirm. Quando materia manet perfecta vt octo, expletus vtique est appetitus eius quoad omnes gradus inferiores, ergo cùm materia perficitur forma vt octo, non potest appetere formam minus nobilem perficientem vt quatuor, vel sex, quia talis appetitus supponitur expletus per formam perficientem vt octo. Denique potentia intellectiua satiatur omninò perfectissimo intelligibili, scilicet Essentia Diuina, ergo etiam potentia materiæ perfectissima forma.

Resp. negando assumptum; longè enim probabilius est, posse voluntatem eligere minus bonum relicto maiori ob suam libertatem, iuxta illud Ouidij *Video meliora, proboque, deteriora sequor*, ita quoque poterit materia inclinari in formam imperfectiorem sub perfectiori manens; præsertim quia non exercetur in materia talis inclinatio considerata comparatione maioris, vel minoris perfectionis in forma, sed absolutè inclinatur in formam, magis in perfectiorem, minus in imperfectiorem. Ad 2. negatur, minus bonum comparatione maioris esse simpliciter malam, potius enim est simpliciter bonum, & secundùm quid malum, & ideò potest appeti etiam comparatione maioris boni; Accedit, in casu nostro non interuenire, vt diximus, talem comparationem formæ imperfectioris ad perfectiorem. Ad 3. continentia virtualis vnius in alio, sumi potest dupliciter, vel simpliciter, & in rigore, & sic dicimus, animam rationalem continere sensitiuam, & vegetatiuam, quia rationalis continet illas, non tantùm per excessum perfectionis, sed per æquiualentiam quoque in muneribus, vel secundùm quid, & ita omnis species perfectior continet imperfectiorem per solum scilicet excessum perfectionis; de continentia virtuali primi generis verificatur maior, de continentia secundi generis tantùm verificatur minor. Ad 4. conceditur antecedens de gradibus inferioribus eiusdem rationis, non alterius, & ideò negatur sequela, quia gradus perfectionis, quos alia forma, & si minus nobilis sit, tribuit, sunt alterius rationis, & ideò non possunt virtualiter contineri in forma superiori, vt sufficit ad explendum materiæ appetitum in ordine ad eos. Ad 5. negatur paritas, quia satiatur intellectus in Diuina Essentia, eo quia reperitur in ea in ordine ad alia obiecta, nedum primitas perfectionis, sed etiam virtualitatis; forma verò perfectissima habet solam primitatem perfectionis in ordine ad alias, quæ sine primitate virtutis non sufficit ad satiandum materiæ appetitum, vt Scot. docet loc. cit. 1. d. 1. q. 1. ad 4.

136 Quæ-

136 Quæres, an sicut materia dicitur appetere formam, ita dici queat forma appetere materiam? Respondemus affirmatiuè. Tum quia sicut quæst. præcedenti tribuimus etiam formæ potentiam informatiuam, aptitudinem nimirum ad informandum, ita suo modo quoque hìc debemus tribuere appetitum. Tum quia appetitus, vt sumitur hoc loco à nobis, nihil aliud est, quam inclinatio; forma autem naturaliter inclinatur in materiam, vt in suum subiectum perfectibile, vt docet Doctor quol. 13. propè finem; Cui accedit, quod etiam forma in vnione ad materiam aliquam acquirit perfectionem, vt docet idem 2. d. 14. qu. 1. in fine; absolutè tamen appetitus, potius materiæ, quam formæ tribuitur, quia forma est actus perficiens, & determinans materiam, non sic materia formam, & ita esse loquendum, hac de causa docuit Philosoph. 1. Phys. 81.

QVÆSTIO VII.

Quomodo formæ substantiales fiant ex materia, & an omnes ex eius potentia sint eductæ.

137 De generatione formarum ex materia tres extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media; prima extrema tenet, formam ante eius generationem in materia præexistere actu, sed veluti latentem, & actione postea agentis naturalis in lucem extrahi, & quasi è materia depromi; sed non omnes ita opinantes eodem modo loquuntur: Aliqui enim formam totaliter præexistere dixerunt, vt Anaxagoras cum alijs quibusdam veteribus: Alij verò non totaliter, sed secundum aliquid sui tantum, quod sit veluti inchoatio eiusdem formæ, & hi rursus diuisi sunt, nam hoc volunt aliqui præcedere, veluti aliquam sui partem, & ita significauit Soncin. 7. Met. quæst. 28. licèt non assertiuè teneat: Alij dixerunt, præcedere formam in materia, secundùm esse essentiæ, & fieri de nouo secundum esse existentiæ, vt Albert. tract. 3. Phys. c. 3. Alij id, quod formæ præcedit in materia, nihil actuale esse volunt, sed purum esse possibile formæ, quod in generatione posteà conuertatur in esse actuale eiusdem, vt Baccon. 2. d. 18. q. vn. art. 2. & quodl. 1. q. 6. art. 2. & isti ab hac prima sententia recedere videntur, quæ per inchoationem formæ aliquod esse actuale ipsius formæ in materia præcedens intelligit.

Secunda sententia extrema asserit, formas ante generationem nullo modo in materia præexistere, nec actu, nec potentia; sed contineri solùm in virtute, & potentia actiua cuiusdam superioris agentis, à quo producuntur, & ab agente posteà immediato vniuntur materiæ, ita quod dum generatur ignis ex ligno, forma eius non præexistebat in materia, nec actu, nec potentia, sed materia ipsa disponitur ab alio igne per calorem, & siccitatem, & in materia sic ab igne disposita producitur forma ignis à quadam Intelligentia, & sic ab ea producta vnitur materiæ per actionem ignis, & fit generatio noui ignis eo ferè modo, quo nos dicimus, contingere in generatione hominis, in qua homo generans per virtutem seminalem disponit materiam, qua sic disposita, fit anima rationalis à solo Deo, & ab agente immediato vnitur materiæ sic dispositæ, ita vt anima, nec actu, nec potentia præfuerit in materia, sed solùm in potentia, & virtute Dei eam producentis; tribuitur hæc opinio Platoni in Phædone, & etiam tenuit Auic. libr. 1. suff. c. 2. vbi docuit, formas nullo modo præcedere in materia, sed solum in potentia, & virtute actiua illius Intelligentiæ, à qua producuntur in materia, & ab hac sententia non multum distare videtur Ragusius disput. 16. vt colligitur ex c. 15. 16. & 17. vbi tamen non ab Intelligentia, sed à Cœlo omnes formas originem trahere contendit.

Tertia sententia media, quæ communis est in schola Peripatetica, duo asserit contra præfatas opiniones extremas; Primum est, quod forma ante generationem rei naturalis non præcedit actu in materia contra primam; Alterum, quod præcedit in potentia passiua materiæ, & non solum in virtute actiua agentis, contra secundam; per generationem verò educi de potentia materiæ & incipere esse actu, sed quid sit formam educi de potentia materiæ, & quid ad veram eductionis rationem requiratur, quot capita, tot sententiæ, vt postea videbimus.

Circa alteram quæsiti partem vertitur dubitatio inter Recentiores de formis præsertim Cœlorum, & Elementorum, an scilicet in prima Mundi creatione fuerint huiusmodi formæ de potentia materiæ eductæ, an potius ex nihilo factæ per partiales creationes, vel saltim ad creationem compositorum concreatæ. Negant aliqui fuisse eductas cum Fonseca 5. Met. c. 2. quæst. 4. & Conimb. 1. Phys. c. 9. quæst. 12. art. 5. affirmant alij cum Molina, & Vasq. 1. p. quæst. 45. art. 5. Ruuio 1. Phys. tr. 2. qu. 2. Hurt. disput. 4. sect. 2. Auersa qu. 20. sect. 2. Mediam sententiam tenet Suarez in Met. disp. 15. sect. 7. & 3. dicens, formas Elementorum fuisse eductas, non autem formas Cœlorum.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, formas non fieri in materia per inchoationes actuales præcedentes, nec sola virtute Intelligentia cui usdam separata in eam induci.

138 Dicimus primò, formas ante generationem non præexistere actu in materia secundùm aliquid sui esse; Conclus. est Scot. 2. d. 18. q. vn. vbi ex professo has formarum inchoationes refellit, & S. Thomæ 1. p. qu. 45. art. 8. Probatur 1. quia materia in generatione transit de non esse formæ ad esse formæ, seu de priuatione ad formam, ergo forma ante generationem nec secundùm se totam, nec secundum aliquid sui, siue essentiæ, siue existentiæ, præcedit in materia, quia priuatio, & forma se totis opponuntur, tam secundùm essentiam, quàm existentiam, & sunt incompossibiles in materia secundùm quemcunque gradum. Accedit ex Bassolio 2. d. 18. qu. vn. §. *Contra primum modum &c.* quod non solùm forma, & priuatio sunt simul incompossibiles in materia, sed etiam formæ ipsæ ad inuicem non se compatiuntur in eodem subiecto, nec secundum se totas, nec secundum aliquas sui partes, nec secundùm esse essentiæ, nec existentie, quia essentie ipse formarum sunt, que inuicem repugnant, & in qualibet particula formę includitur essentia formę. Insuper infinitę essent actu formę in materia, quia si omnes præcedunt secundùm aliquid sui, cum sint possibiles formę infinite syncathegorematicè, erit vtique sub infinitis formis imperfectis, & incompletis. Nec ad ista respondere valebit, quod forma, & priuatio, & formę ipsę ad inuicem sunt incompossibiles secundùm esse perfectum, & completum, non verò secundùm esse imperfectum, & incompletum; Tum quia forma substantialis est simplex, & non haber partes internas, secundùm quas modò dicatur incompleta, & imperfecta, modò perfecta, & completa; Tum quia, etiam si secundum gradus indiuiduales susciperet magis, & minus, adhuc tamen secundùm specificos consistit in indiuisibili, & penes hos præsertim attenditur incompossibilitas formarum; Tum tandem, quia priuatio est prorsus incompossibilis cum forma, etiam in esse remisso. Denique refellitur hæc opinio de inchoationibus formarum, etiam ex suomet fundamento, (inquit Doct. cit.) quod erat tale: Si forma non precedit in materia secundùm vllam prorsus inchoationem, ergo forma creatur, & fit ex nihilo, quod argumentum ita retorquet Scot. Illa pars formę, quę de nouo producitur, non precessit in materia, quia de nouo generatur, ergo fit ex nihilo sui, quia pars, seu inchoatio precedens ab illa, distinguitur, ergo illa pars adhuc creatur. Et si dicas, ad hoc, ne tota forma dicatur ex nihilo facta, sufficere, quod aliqua eius pars in materia precesserit preterquamquod id non saluat, quin saltim pars illa, quę de nouo fit, creetur, prestabat dicere, vt ait Auersa cit. ad hoc, ne compositum dicatur ex nihilo fieri sufficere, vt aliqua eius pars nimirum materia, precedat, licèt forma de nouo fiat. Adhuc etiam Canon. 2. Phys. qu. 1. retorquet hoc fundamentum contra Aduersarios, nam vel gradus, & pars formę actualis, quam dicunt in materia precedere, est producta, vel improducta; non secundum vt patet; si primum, ergo vel producta est ex nihilo sui, vel ex aliquo; si secundum, ergo dabitur processus in infinitum; si primum, ergo non euitant creationem, ad quam euitandam has formarum inchoationes excogitarunt. Quantùm verò attinet ad vltimum dicendi modum illius primę sententię, qui pro formarum inchoatione ponit esse quoddam, non actuale, sed merè possibile earum; vel per hoc esse possibile formarum intelligit esse possibile subiectiuum, & hoc non est aliquod esse formę, sed esse materię, veluti subiecti precedentis, ex quo fit forma, & in hoc sensu coincidit cum communi sententia, de qua art. sequenti; vel intelligit esse obiectiuum formarum, at hoc non potest dici inchoatio formę in materia precedens; quia tale esse possibile habet forma à potentia actiua efficientis causæ, quatenus esse potest terminus actionis illius ex Scot. 2. d. 12. qu. 1. & non in potentia passiua materię.

139 In oppositum obijcitur 1. Tum quia non admissa in materia inchoatione formę; ipsa fieret ex nihilo; Tum etiam generatio formæ non esset naturalis, si talis inchoatio non admittatur coagens ad generationem formę, vt principium actiuum intrinsecum; Tum insuper quia ex quolibet non fit quodlibet, sed ex determinato determinatum, ex 1. Phys. ergo ex materia de se indeterminato fit hęc forma, vel illa per determinationem factam ab hac, vel illa inchoatione; Tum tandem hæc fuit expressa mens August. 3. de Trinit. c. 7. dicentis, omnium, quæ nascuntur, occulta quædam semina in mundi elementis latere, & Arist. 7. Met. 29. dicentis, in materia esse aliquam partem rei faciendæ.

Respondetur ad primum negando consequentiam cum Scot. cit. quia producí ex nihilo propriè non tantùm negat præexistentiam partis intrinsecæ componentis id quod fit, sed etiam præexistentiam subiecti per se concurrentis ad productionem formæ, quæ fit; vnde cum formæ omnes materiales supponant subiectum, à quo dependenter fiunt, non dicuntur ex nihilo fieri, sed de potentia materiæ educi, & generari. Ad 2. negat item Doctor consequentiam, quia mutatio dicitur naturalis præsertim à principio passiuo, nec necessarium est, cum passiuo coniunctum esse actiuum, vt dicatur naturalis. Ad 3. dicimus, materiam determinari ab agente per præuias dispositiones, ratione

tione quarum potius introducitur vna forma, quàm alia in materia, aliàs ad se indeterminata. Ad 4. per rationes seminales occultas intelligit Augustinus facultates, & virtutes naturalium causarum, agentium, & patientium, ex quarum applicatione ad inuicem varij oriuntur effectus. Arist. verò ibi nec loquitur de materia, nec de formarum inchoationibus, vt benè ponderat Suarez disp. 15. sect. 2. n. 8. sed loquitur de semine, & per partem coagentem generationi formæ intelligit virtutem quandam accidentalem, quo sensu ait Philosophus, quod calor naturalis in ægroto est vis inchoata productiua sanitatis; Consulatur Scot. in Met. super hunc text. & Trombeta 12. Met. qu. 6. vbi per partem formæ vult intelligi, non partem formalem, sed virtualem, quatenus est in materia forma aliqua accidentalis, quæ dispositiuè coagit ad generationem formæ, sicut quando calor efficit sanitatem.

140 Secundò obijcitur; Si ad hoc, vt forma dicatur educi de potentia materiæ non requiritur, quod præexistat actu in ea, sed tantum merè in potentia eius passiua, sic anima rationalis educetur de potentia materiæ, quia in ea præexistit, non actu, sed potentia; imò non potest reddi ratio, cur forma potius educi dicatur de potentia passiua materiæ, quam de actiua agentis, cum perfectiori modo sit virtualiter in agente.

Resp. negando consequentiam, quædam enim formæ sunt, quæ in suo esse ita pendent, iuxta naturalem earum exigentiam, à materia, vt nisi ab ea recipiantur, & sustententur in ea, fieri, & conseruari nequeàt naturaliter; propterea dicuntur non solum esse in virtute agentis, sed ad earum generationem, & conseruationem requiri quoque materiam, & tales sunt formæ materiales; Anima verò rationalis non pendet à materia in fieri, neque conseruari, & sic dicitur esse tota in potestate agentis. Ex quo sequitur, quod formæ materiales magis dicantur in potentia materiæ; quia vbi anima rationalis est in potentia materiæ receptiua solùm, cœteræ formæ sunt in potentia eius, etiam sustentatiua, & ideò illæ dicuntur educi de potentia materiæ, non anima dicitur autem forma educi de potentia materiæ potius, quam de potentia actiua agentis, quia eductio notat habitudinem causæ materialis, ita quod illud ex quo forma educitur, sit subiectum sustentatiuum eiusdem formæ, non autem causæ efficientis: de hac re videndus est Canonicus, & Trombeta loc. cit. vbi diffusè hanc materiam tractant.

141 Dicimus 2. formas materiales non fieri sola virtute agentis separati, & ab agente immediato solùm vniri materiæ. Conclusio est contra alteram sententiam extremam, quæ omnem præexistentiam formæ in materia negat; & probatur. Tum quia iuxta hunc dicendi modum, planè omnes formæ materiales verè, & propriè non minus dicerentur creari, quam anima rationalis, nam quod formæ fint in potentia actiua superioris agentis, non tollit creationem earum, nec etiam quod fiant ab eo in materia iam disposita actione immediati agentis, vtrunque enim contingit in productione rationalis animæ, quæ ante generationem est in potentia actiua Dei, à quo non fit, quousque materia fit disposita ab agente naturali proximo, quibus non obstantibus, adhuc verè creatur, ergo etiam creabuntur formæ materiales, si nullo modo in materia præcedunt, sed solùm in potentia actiua agentis. Tum præterea adhuc errat hæc sententia, quia asserit, has formas produci ab aliqua Intelligentia separata, quæ non est Deus, quia Angeli nequeunt formam substantialem creare, nec materiam primam substantialiter transmutare, vt latè probat Scotus 4. dist. 1. qu. 1. Tum insuper, quia opinio Auicennæ de Colchodea datrice formarum, olim damnata fuit per articulum Parisiensem, vt refert Trombeta loc. cit. Tum etiam, quando eiusmodi formæ dicantur fieri per veram eductionem è potentia materiæ, vt Ragusseus loc. cit. velle videtur, adhuc tamen neque ad Cœlum, vt ipse facit, nec ad aliquam Intelligentiarum, aut etiam ad primam vt naturæ totius Auctorem recurrere debemus, vt genitorem, & eductorem formarum assignemus de potentia materiæ, nam etiamsi talis recursus admitti possit ad Deum, vt naturæ Auctorem in eductione animæ vegetatiuæ, & sensitiuæ, præsertim in ouiparis (nam ad Cœlum recurrere non sufficit, cum viuens à toto genere nobilius fit non viuente, & Musca hac ratione nobilior Cœlo) attamen ad eductionem aliarum formarum inferiorum, sufficientissimum est agens immediatum, sufficientissimus est ignis v.g. introductio prius calore, & siccitate in ligno, ad educendam tandem ex eius materia formam ignis, nam virtus huius agentis est vniuoca, & æquè perfecta, ac forma materiæ introducenda, & sic de alijs, ergo agens naturale, quod immediatè vnit, & copulat formam materiæ, immediatè etiam eam educit de potentia eius.

174 Contra Obijcies 1. Forma ante generationem, vel erat actu in materia, vel in potentia solum, vel nullo modo; non primum, vt supra probatum est; neque secundum, quia esse in potentia materiæ ante generationem, nil aliud est, quam esse potentiam materiæ ante generationem, at hoc non est præexistere vllo modo formam, sed solum materiam capacem formæ, ergo concedendum est absolutè, quod ante generationem non præexistat vllo modo forma, sed solum materia potens eam recipere, quod de anima rationali etiam verum est, ante cuius productionem datur materia, potens eam recipere.

Resp. quod præfuit in potentia, vt iam dicemus, & negatur, quod formam præcedere in potentia materiæ, sit solum præcedere potentiam materiæ, sed est præcedere potentiam materiæ, à qua nata est dependere forma in esse, & fieri, sicut actu dependet, quando actu educitur de potentia eius, in quo sensu falsum est, animam ante eius productionem contineri in potentia materiæ.

Secundò, forma, quæ est totaliter in virtute agentis, non educitur de potentia materiæ, vt patet de anima rationali, at cœteræ formæ materiales sunt ita in virtute saltim primæ intelligentiæ, ergo nullo modo continentur in potentia materiæ. Resp. negando minorem, illa enim forma dicitur propriè contineri totaliter in virtute agentis, quæ ab eo solo produci petit nullo alio interuentu causæ secundæ in quocunque genere, quo sensu formæ materiales non continentur totaliter in virtute actiua Dei; Quamuis enim, absolutè loquendo, produci possit à Deo immediatè, sine concursu materiali subiecti, attamen si Deus vult eas producere, & conseruare iuxta earum naturalem exigentiam, admittere debet subiectum materialem; de hac re videndus est etiam Tromb. loc. cit. vbi §. *Dimissa igitur ista opinione &c.* refert totam disputationem Commentatoris 7. Met. comment. 31. contra Auic. modò enim de hac materia in scholis nulla est difficultas; nisi de anima vegetante, & sentiente de quarum origine in lib. de Anima agimus, pro nunc consulite Tromb. cit. Fabrum Theorem 69. & 7. Met. disput. 18. & Sghemmam 1. Phys. digress. 7. qu. 4. vide quoque disput. 5. de Gen. & Cor. q. 6. vbi rursus de hac re agimus, & specialiter contra Aresium, & Contarenum disputamus.

ARTICVLVS II.

Ostenditur, formas materiales fieri per eductionem ex potentia materiæ, & quid sit eiusmodi eductio, declaratur.

143 Decisio huius articuli probata manet ex antecedenti, Cum enim formæ non fiant per actuales earum inchoationes in materia præcedentes, vt prima opinio asserebat, & cum totaliter non recipiant esse virtute agentis; quia agens creatum in omni sua actione à materia dependet, restat, vt fiant per eductionem ex potentia materiæ; idest, vt dum agens concurrit effectiuè ad formæ productionem, materia quoque concurrat subiectiuè, nam eductio, etiam vt ipsum nomen ostendit, hos duos concursus significat, dicit enim id, quod formam educit, & id, ex quo educit; scilicet subiectum; sed adhuc res hæc constabit magis, si explicauerimus, quid formaliter importet, formam educi de potentia materiæ; Et quidem omnes vno ore fatentur, formam educi de potentia materiæ, significare formaliter, quod in suo esse, fieri, & conseruari à materia dependeat; sed cum hæc explicatio adhuc confusa sit, & non exactè rem declaret, nam ea ratione dicere quis posset, compositum quoque educi de potentia materiæ, cum ipsum quoque in suo esse, fieri, & conseruari dependeat à materia; hinc ad rem explicandam varij excogitati sunt modi.

Gerardus de Odonis, vt refert Can. 2. Phys. q. 1. formas educi de potentia materiæ, dixit, aliud non importare, quàm educi de potentia materialium agentium, idest de potentia agentium naturalium, quæ semper agunt dependenter à materia, & anima rationalis, ideò non dicitur educi de potentia materiæ, quia non continetur in virtute agentis materialis, & in actione à materia dependentis. At per hunc modum eductio deberet attendi penes agens, in agendo necessario à materia dependens, at hoc est falsum quia Deus educere potest immediatè formam de potentia materiæ, & de facto educit vegetatiuam, & sensitiuam præsertim in ouiparis, ergo.

144 Ragusseus loc. cit. c. 15. inquit, formam educi de potentia materiæ, aliud non esse, quàm educi de eius potentia proxima, & particulari, quam ibi explicat esse qualitatem vltimò disponentem materiam ad receptionem formæ; Sed vel ita intelligit, formam educi de potentia proxima materiæ, vt idem sit, quòd ipsam introduci in materiam vltimatè dispositam à Cœlo, quod ipse putat esse Genitorem omnium formarum inferiorum, & in hoc sensu valdè fallitur, quia anima rationalis inducitur in materia vltimatè disposita, ita quod dispositiones introductæ per agens naturale petunt ab Auctore naturæ talem formam, & tamen adhuc anima creari dicitur, & in hoc sensu loquendo, non differt ab opinione Auicennæ, & Platonis, nisi in assignando datore formarum; aut ita intelligit, vt illa qualitas vltimo materiam disponens, verè concurrat materialiter ad productionem substantialis formæ, at hoc dici non potest; Tum quia accidens, vniuersaliter loquendo, substantiam non attingit; Tum quia si forma substantialis verè ex tali qualitate educitur, verè quoque in tali qualitate immediatè recipitur, & sustentatur, nam forma materialis recipitur immediatè, & sustentatur in eo, ex quo educitur.

Suarez disput. 15. Met. sect. 2. nu. 14. inquit; formam educi de potentia materiæ, aliud non esse, quam formam fieri eadem actione, qua fit compositum ex præiacente materia, quę per illam actionem non fit; hic est frequentissimus modus explicandi eductionem, quem probat Suarez inductione in omnibus formis, quæ educuntur de potentia materiæ; fiunt enim omnes huiusmodi formę eadem omninò actione, qua fit compositum vndè, & earum fieri est propriè confieri ex 7. Met. 26. & 27. & docet Scotus ipse 2. d. 17. q. 1. probat etiam ratione, quia eductio in hoc consistit, quod fit actio à materia essentialiter dependens; per hanc autem actionem productiuam compositi simul forma fit, & vnitur materiæ, ergo eductio formæ de potentia materiæ optimè per illam actionem declaratur. Imò quod magis est, hæc videtur expressa mens Doctoris in 4. d. 1. q. 1. Gg. vbi ait, quod, vt aliqua forma dicatur propriè creari, oportet, vt in aliquo priori, saltim naturæ, extra materiam sit terminus actionis diuinæ, quemadmodum communiter dicitur de anima rationali, quod prius in se producitur, deinde materiæ vnitur, idem habet 2. d. 17. q. 1. & 4. d. 43. q. 2. §. *Potest dici &c.* Quare concludit Doctor his in locis, quod illa forma, quæ non alia actione accipit esse ab ea, qua vnitur materiæ, & compositum producitur, non potest dici creari, & quod illa forma, quæ creatur prius naturaliter est à causa efficiente, quàm materiam informet; & alia actione producitur, alia vnitur, ergo in sententia Scoti, formam educi de potentia materiæ, aliud non est, quam non produci propria productione, sed tantum per accidens ad productionem totius, & hunc dicendi modum vt de mente Doctoris, amplectitur Fuentes 1. Phys. q. 4. diff. 2. art. 1.

145 Verùm hæc opinio in primis falso nititur fundamento, nam quælibet forma per se fit, & propria productione producitur, vt Lichetus aduertit 2. d. 17. qu. 1. & ratio euidens est, quia cum forma sit causa compositi, planè necessarium est, vt prius habeat esse in rerum natura, quam compositum ipsum, & cum sit per se terminus generationis, debet propria acquisitione acquiri, & non tantum per accidens ad productionem compositi. Cum autem Philosophus ait, non fieri, sed confieri, & non per se produci, sed ad productionem compositi, dicimus cum Trombeta 12. Met. qu. 5. productionem esse duplicem, alteram qua res accipit esse simpliciter, & primo recedit à non esse, siue illa res accipiat esse simpliciter in se existens, siue in alio, altera, qua accipit esse simpliciter, & per se subsistens, quo sensu productio dicitur esse solius compositi, & rerum in se existentium, vel subsistentium; loquendo de productione secundi generis, forma non per se producitur, sed per accidens, ad productionem compositi, sicut etiam in hoc sensu non per se existit; sed per accidens ad existentiam totius, vt docet Scot. 2. d. 17. q. 1. cit. At loquendo de productione primi generis, per se producitur, & prius terminat productionem, quam compositum ipsum, quod etiam Doct. affirmat 4. dist. 13. q. 1. §. *ex dictis, &c.* vbi actionem compositi productiuam vocat productionem; illam verò, qua forma accipit esse vocat eductionem; Anima tamen rationalis speciali quodam modo dicitur prius natura produci composito, quàm cœteræ formæ, quia vbi aliæ dicuntur priùs natura produci composito, loquendo de productione primi generis tantum, anima, quantum est de se, potest etiam terminare prius productionem secundi generis, sicut etiam nata est in se existere extra corpus, quod cœteris formis non competit. Accedit, quod non eò ipso, quod videmus, formam fieri in materia, iudicium ferre debemus, quod educatur de potentia materiæ, non enim quodlibet fieri in materia, est educi de potentia eius, sed fieri necessariò dependenter ab ea; quare si anima producatur à Deo in corpore, ita quod in nullo signo priùs in se terminet productionem, non proindè de materia educta dici debebit, vel poterit, quia non ita petit necessariò produci. Neque inductio, quam facit Scotus in cœteris formis vrget, quamuis enim verum sit, omnes istas eadem actione produci, qua compositum, loquendo de productione secundi generis; non hac de causa dici debent educi, quia anima sic potest produci ad productionem totius, itaquod in nullo vnquam priori terminet illam in se, & tamen non diceretur educi. Nec tandem concludit ratio, potest enim esse talis actio, qua producatur compositum, & simul forma fiat, materiæque vniatur, quæ tamen à materia essentialiter non pendeat, si forma talis sit, quæ etiam se sola nata sit fieri extra materiam, vt est de anima, ad cuius productionem, & existentiam, si in primo instanti materia quoque concurrit, solùm concurrit, vt conditio sine qua non ex decreto Dei non produceretur, non autem vt causæ.

146 Scotus etiam huius opinionis esse non potest, quia ipsa tenet iuxta Aristot. mentem, animam non produci propria productione, sed per accidens ad productionem totius, ac proinde non propriè creari, vt clarè docet 2. d. 17. q. 1. & 4. d. 43. q. 2. M. & cum hoc tenet, non educi de potentia materiæ, cum de foris adueniat, quia, ait Doct. Philosophum dicturum, animam produci productione totius, supposito etiam, quod sit immortalis, sed quid est animam esse immortalem, nisi ipsam non educi de potentia materiæ? quia si de materia educeretur, à materia vtique dependeret à priori, ac per consequens per separationem ab ea, corruptibilis foret. Et quamuis in 4. d. 1. q. 1. dixerit, talem formam, quæ non alia actione accipit esse ab ea, qua vnitur materiæ, & compositum producitur, non propriè creari; non idcircò concessit, propriè educi; sed quandam productionem mediam concessit inter creationem propriè dictam, & eductionem, vt docet de productione animæ, iuxta Aristot. sensum loc. cit. quia creatio in rigore sumpta, est productio alicuius in se existentis, & non in alio: eductio propriè est productio formæ in subiecto cum dependentia ab eo; potest igitur forma produci, ita quod non prius sit in se, quam in eo, & tamen adhuc produci independenter ab eo, quia non necessariò simpliciter ita petit produci, & existere, & talis productio nec erit eductio, quia est independens à subiecto, veluti à causa, licèt non veluti à conditione; nec propriè creatio, quia terminatur ad formam in alio existentem. Et cum ibidem ait, formam, quæ creatur, prius naturaliter esse à causa efficiente, quam materiam informet, sic loquitur;

Tum quia, quod propriè creatur, prius debet in se terminare productionem, quam sit in alio; Tum quia forma, quæ non est nata à materia dependere in suo fieri, etiamsi in omnino primo instanti fiat in materia, adhuc prius natura dicit ordinem ad efficiens, quam ad materiam, quia est forma, quæ totaliter continetur in virtute actiua agentis, & nullo modo in passiua subiecti, & ita est de anima rationali. Cum denique inquit 4. dist. 43. q. 2. quod anima alia actione producitur, & alia vnitur, in quo differt à cœteris, quæ eadem actione producuntur, & vniuntur, certè noluit per hoc significare, aut ex parte animæ, quod ipsa in aliquo signo, etiam naturæ, in se existat, & non in corpore, quia hoc asseri nequit, cum existentia rei, & productio non mensuretur per instans naturæ; aut ex parte aliarum formarum quod eductio, & vnio sint vnus, & idem respectus, & pariter actio vnitiua, & eductiua eadem actio, oppositum enim manifestè docet in 4. d. 13. q. 1. §. *ex dictis, &c.* & ipsa ratio suadet, quia eductio est respectus intrinsecus adueniens, vnio extrinsecus; sed in tantum dixit, animam alia actione produci, & alia vniri, quia prior actio non necessariò simpliciter dependet à secunda ex intrinseca ratione animę; posset enim in se produci, & non vniri: e contra verò cœteræ formę, & si diuersa actione producantur, & vniantur, prior tamen actio prorsus à secunda dependet, si producantur iuxta earum exigentiam, nam ita produci postulant, vt ipsum agens producendo vniat, & vniendo producat, qua ratione dicimus, eadem actione produci, & vniri.

147 Conimb. 1. Phys. cap. 9. qu. 12. art. 5 Complut. disput. 4. qu. 2. Io. de S. Tho. q. 4. art. 1. Manc. q. 7. art. 2. & alij postulant ad rationem eductionis, vt materia ordine durationis formam præcedat, in quo priori forma contineri dicatur in potentia materiæ. Vndè consequenter volunt, eductionem fieri per mutationem subiecti de priuatione ad formam transeuntis: Et si forma fiat in eodem temporis instanti cum materia, hanc formæ productionem vocant concreationem, ad differentiam creationis propriæ, quæ terminatur ad rem in se existentem, & eductionis, quæ subiectum supponit duratione præcedens; quod probari potest. Tum quia ad formæ productionem requiritur præuia alteratio, quę non sit in instanti, sed successiuè; Tum quia eductio postulat, formam contineri in potentia materiæ, sed non potest eadem forma esse simul in potentia materiæ, & in actu, ergo prius tempore erit in potentia, postea in actu.

Sed neqne modus hic congruus est ad explicandam rationem eductionis; Tum quia formam educi de potentia materiæ, est dependere ab ea in esse; & in fieri in genere materialis causæ, sed prioritas causalitatis, vt sic dicit tantum prioritatem naturæ, non temporis, vt Doctor ait vbique, præsertim 1. d. 39. inf. E. ergo, vt forma dicatur educi de potentia materiæ, sufficit, quod materia precedat formam ordine natnrę, non temporis; Tum quia effectus esse potest à causa efficienti in eodem primo instanti, in quo causa ponitur, vt patet de Sole illuminante aerem ergo pariter, & à causa materiali; nam vtique in tali casu aer quoque concurreret ad productionem luminis; Tum etiam, vt ait Auersa q. 20. sect. 7. fieri potest, vt in eodem instanti subiectum creetur à Deo, & forma fiat ab alia causa creata, v.g. creetur aer à Deo, & illuminetur à Sole, tunc sine dubio lumen dicetur educi à Sole ex potentia subiecti, non à Sole concreari, quia nulla causa secunda dici potest concreare; Tum pręterea, licèt ita sit de facto; quod forma non introducitur in materia, nisi pręuia alteratione, id tamen non oritur ex natura eductionis, sed formarum ipsarum, quę contrarias dispositiones in materia requirunt, absolutè tamen, si materia disponeretur ad formam à Deo in instanti, posset, & Deus, & agens naturale ipsum in eodem instanti formam illis dispositionibus proportionatam de materia educere; Tum insuper certissimum est, accidentia quędam comitari substantias, & ab eis dimanare in eodem primo instanti, in quo res ille prodeunt in lucem, & certum est, talia accidentia non creari, cum inhęreant illis substantijs, vt subiecto, ergo verè educuntur in eodem instanti absque vlla mutatione subiecti, de priuatione ad formam transeuntis, quia in nullo instanti fuerunt sub priuatione illorum accidentium; nec tandem dum dicimus formam contineri in potentia materiæ, insinuare volumus, quòd potentia necessariò dicat ordinem prioritatis ad actum, & negationem formę; id enim omninò accidit potentię materię, quod scilicet coniunctam habeat formam, vel non habeat, sed sicut vniuersaliter per hoc effectus continetur in potentia causę, tantum significatur virtus causę effectum ponendi abstrahendo ab eo, quod habeat, vel non habeat effectum in actu, sic & in proposito, cum dicimus, formam contineri in potentia materię, solum insinuare volumus potentiam sustentatiuam formę in materia, abstrahendo ab hoc, quod actu sustentet, vel non sustentet.

Auersa q. 20. sect. 7. ad rationem eductionis postulare videtur, quòd fiat ex potentia naturali subiecti ad illam formam, quod etiam requirit Io. de S. Tho. cit. Fuentes loc. cit. quod saltim sit in potentia neutra; At neutrum necessarium est, quia materia est in potentia naturali ad animam, dicit enim naturalem inclinationem ad illam, & tamen ex eius potentia non educitur; pariter ex Recentioribus quamplures asserunt, gratiam, & alia dona supernaturalia educi ex potentia animę, & tamen negant in anima potentiam naturalem ad illa, concedentes tantum obedientialem; & tandem calor educitur de potentia aquę, & sic etiam alię formę violentę de subiectis, in quibus recipiuntur contra eorum inclinationem,

nam

nam adhuc sunt in eis per veram inhæsionem, & verè sustentantur ab eis.

148 Dicendum igitur, quod, formam educi, vel eductam esse de potentia materiæ, formaliter nil aliud est, quam suum fieri necessariò esse fieri in materia, & quòd suum esse necessariò est esse in materia, ita quod si sit aliqua forma, quæ vtique sit, & fiat in materia, tamen absolutè fieri possit, quantum est ex se, sine materia, & esse sine materia, ista non dicitur educi, quia de necessitate suum esse non est necessariò esse in materia. Ita Canonicus 1. Phys. q. 1. & Bassolius 2. d. 18. q. vn. art. 2. §. *Et ita dico, &c.* Et colligitur ex Scoto locis omnibus citatis, sed præsertim in 4. d. 1. qu. 1. ante Hh. vbi sic loquitur, *Formam autem materialem dico esse omnem illam, quæ ex natura sua necessariò inclinatur naturaliter, vt sit actus materiæ, siue sit substantialis, siue accidentalis*. Et sequitur Auersa loc. cit. Amicus tract. 6. q. 4. dub. 1. art. 3. & alij, & probatur, quia iuxta hunc modum optimè insinuatur, ad rationem eductionis non sufficere ex parte materiæ concursum receptiuum, sed etiam sustentatiuum, ita quod eductio formæ formaliter importat dependentiam formæ ad subiectum, in quo recipitur, & sustentatur & vnum sine alio non sufficit, nam materia in ordine ad animam exercet concursum receptiuum, sed quia non etiam sustentatiuum exercet, ideo non dicitur educta de potentia illius; & Verbum, si accidens immediatè assumeret, vtique sustentaret illud, sed quia non reciperet, hac de causa non diceretur educi de potentia Verbi. Per hunc dicendi modum explicatur, concursum materiæ non solum attingere debere vnionem formæ, sed etiam ipsamet existentiam formæ, & necessarium esse non solum, vt conditionem concomitantem ad connaturalem eius statum, qualis est modò corpus ad animam rationalem, sed etiam vt veram causam in primo instanti, in quo forma existit. Explicatur vlterius, ad rationem eductionis formæ prærequiri existentiam materiæ, non tempore, sed natura, nam talis prioritas sufficit ad rationem causæ. Denique per hunc dicendi modum talem indicatur esse indigentiam educibilis formæ, vt sine materia suapte natura, nec fieri, nec existere possit, & si à Deo aliter fiat, id esse præter eius naturam, & per specialem Dei concursum.

149 Sed contra rationem eductionis ita explicatam obijcies, quod si formam educi de potentia materiæ, est ipsam necessario fieri in materia, & materiam concurrere, non tantum ad eius vnionem, verùm etiam ad existentiam ipsius formæ, iam quoque anima rationalis non crearetur, quia nisi præexisteret corpus organizatum, ipsa non crearetur, quia secundum connaturalem statum non creari exigit extra corpus. Et si dependentia formæ à materia per solam naturæ prioritatem impedit ne forma dicatur creari, compositum ipsum non poterit à Deo per creationem produci, nam, quantuncunque eius partes simul in eodem instanti cum ipso producantur, semper tamen censentur priores natura ipso toto.

Resp. negando sequelam, quia & si anima, vt à Deo producatur, secundum suum connaturalem statum exigat corpus organizatum in eodem instanti, in quo producitur, non exigit illud, vt veram causam suæ existentiæ, sed tantum, vt conditionem concomitantem eius connaturalem statum, quæ etiam conditio non est ita simpliciter necessaria, vt ea deficiente, anima sit interitura, nisi à Deo conseruetur per specialem concursum, quia post corporis, interitum, adhuc ipsa retinet existentiam suam absque nouo miraculo, quod de cœteris formis asseri nequit. Concedimus etiam, compositum secundum suam entitatem, quam dicit à partibus distinctam, propriè creari non posse, sed tantum creari dicitur per ipsam creationem partium & præsertim materiæ, quæ tunc primo facta est, vt Scotus docet 2. dist. 1. q. 5. infra T. hac enim ratione, & compositum ipsum dicitur creatum, & forma concreata quatenus est simul facta cum creatione materiæ, licet reuera forma in se considerata sit educta de potentia materiæ, & compositum ex partibus generatum, quo etiam sensu conuersio lapidis in panem transubstantiatio dicetur, non eductio.

Rursus obijciunt aliqui quia anima rationalis naturaliter habet fieri in materia, itaut miraculum esset, si extra materiam fieret, non secus, ac si extra materiam fieret forma materialis, & tamen non educitur ex materia. Tum 2. quia è contra forma materialis habet fieri in materia, & tamen non ita necessario habet fieri in materia, quia quantum est ex natura sua posset fieri, & conseruari absque materia. Tum 3. quia quamuis connaturaliter forma materialis petat fieri, & conseruari in materia, tamen si actu non dependeret à materia quantum ad fieri, non educeretur, & similiter quamuis anima rationalis possit connaturaliter fieri, & conseruari absque dependentia à materia; tamen si dependeret à materia, educeretur, ergo &c. Tum quia habitus supernaturales creantur, & tamen connaturaliter petunt produci, & conseruari in subiecto. Tum tandem quia, vt forma dicatur educi, vel per eductionem fieri, non sufficit, vt tali modo dependeat à materia, quod non produceretur, nisi esset materia, in qua fieret, quia sic anima rationalis, dependeret à corpore in fieri, quia non produceretur à Deo, nisi adesset corpus organizatum, in quo reciperetur, ergo aliquid aliud requiritur præter præfatam dependentiam, nimirum influxus aliquis positiuus materiæ, quo communicet ipsi suum esse.

Resp. ex dictis iam patere, quo pacto anima rationalis fiat naturaliter in materia, quia nimirum illam exigit, non vt veram causam suæ existentiæ, quemadmodum materialis forma, sed vt conditionem concomitantem eius naturalem statum, quod ex eo arguimus; quia post corporis interitum adhuc anima conseruatur absque miraculo, non autem forma materialis; vnde maius miraculum esset, si forma materialis extra materiam fieret, quam si fieret anima rationalis, quia hæc non habet tantam materiæ necessitatem, sicut illa, ad suam existentiam, cum eam tantum requirat, vt conditionem concomitantem. Ad 2. neg. assumptum quoad secundam partem, cum directè repugnet naturæ materialis formæ fieri, vel conseruari extra materiam. Ad 3. si forma materialis non fieret cum dependentia à materia, vtique non fieret per eductionem, adhuc tamen suaptè natura peteret fieri, nec enim actualem eductionem ponimus consistere in tali exigentia, seu in actuali dependentia formæ à materia ex tali exigentia suborta; Ad 4. hac ratione infra dicemus habitus quoque supernaturales connaturalius produci per eductionem, quam per creationem. Ad vltimum dicimus, vt forma dicatur per eductionem fieri, produci debere ita à materia dependenter, vt hæc non concurrat ad eius fieri, vt conditio omnino concomitans, sed vt vera causa per influxum positiuum illi communicans esse, explicatum per habitudinem ex quo aliud, quo pacto non dependet anima à corpore, & si necessariò illud requirat ad sui productionem, exigit enim illud, vt meram conditionem concomitantem.

ARTICVLVS III.

Ostenditur, formas omnes materiales eductas esse de potentia materiæ, etiam formas Cœlorum, & Elementorum.

150 Dicimus, omnes formas substantiales, (sola anima rationali excepta) etiam Cœlorum, & Elementorum, eductas esse de potentia materiæ. Conclusio quo ad 2. partem, de qua solùm est controuersia, colligitur ex Scot. 2. dist. 17. qu. 1. sequuntur Auctores citati initio quæstionis, & ex nostris Fuentes cit. art. 3. Probatur primò in vniuersum de omnibus formis materialibus, quia omnis eiusmodi forma in suo esse, est intrinsecè dependens à materia, ergo omnis forma materialis educitur de potentia materiæ, patet consequentia, probatur assumptum; quia si aliqua illarum esset à materia independens, iam non amplius esset forma materialis, sed incorruptibilis, sed spiritualis, non amplius corruptibilis, & extra materiam aliquam exercere posset operationem, nam hæc præcisè de causa probatur spiritualitas, & immortalitas de anima rationali, quia nimirum est actus per se subsistens, & à materia independens.

Deinde probatur specialiter de formis Cœlorum, & Elementorum, nam ob rationem modò allatam fatentur Aduersarij, etiam formas Cœlorum, & Elementorum esse ex natura sua à materia dependentes, ac proinde ex potentia eius educibiles, at ex modo, quo de facto productæ sunt in primęua Cœlorum, & Elementorum constitutione, potius dici debere creatas, vel concreatas, quàm eductas. Probatur igitur, etiam ex modo, quo productæ sunt, dici debere eductas iuxta rationem propriam eductionis. Ratio propria eductionis, per quam formaliter à creatione secernitur, consistit in hoc, quòd fit actio productiua formæ dependenter à subiecto, ita quòd per talem actionem ipsum subiectum esse non habeat, sed supponatur, & aliæ conditiones ab Aduersarijs desiderantur, sunt prorsus accidentales, at talis fuit actio, qua Deus ab initio formas Cœlorum, & Elementorum produxit, & etiam modò conseruat, ergo sunt verè eductæ, & cum omni proprietate de potentia materiæ, probatur minor; eadem actione, & eiusdem rationis modò conseruat Deus formas Cœlorum, & Elementorum, quo eas ab initio produxit, at modò conseruat eas dependenter à materia, ita quòd materiam subtrahendo, statim ex natura sua desinerent, quia non sunt formæ subsistentes, vt anima rationalis, ergo verè eas eduxit de potentia materiæ & modo eductiuo produxit.

151 Resp. Conimb. & alij cit. vltra dependentiam à subiecto, ad rationem eductionis adhuc requiri, vt materia præcedat duratione formam, in quo priori dicatur priuata forma & posteà cum vera mutatione transire dicatur ad formam, nam eductio, & generatio formę necessario mutationem includit subiecti præiacentis, & in hoc distinguitur à creatione, quare cum nulla ibi interuenerit prioritas durationis materiæ ad formam, nullaque mutatio ad illam, sed in eodem omninò instanti, & materia, & forma productæ fuerint, non debet, nec potest forma dici educta de potentia materiæ, sed potius cum ea concreta.

Sed hæc Resp. ruit ex dictis art. præcedenti, vt diximus, ad eductionem formæ sufficere præsuppositionem naturæ, & non necessariò requiri præsuppositionem temporis subiecti ad formam, talis enim in vniuersum est prioritas necessaria in causa ad suum effectuum; Quòd verò nunc additur, eductionem formæ, & generationem compositi includere essentialiter mutationem, & per hoc à creatione distingui verum est de generationibus, & eductionibus, vt regulariter contingunt; at absolutè loquendo, generatio, & eductio à mutatione præscindunt, & sine mutatione propriè dicta, quæ fit à priuatione ad formam, contingere possunt, vt docet Scot. 4. d. 43. q. 5. H. & I. & per dependentiam à subiecto, vel parte, essentialiter à creatione distinguuntur,

non verò per mutationem subiecti, nam potest interuenire dependentia actionis à subiecto sine subiecti mutatione, & ita euenit quando forma producitur in eodem instanti simul cum materia, ratione cuius simultatis concedimus, formam tunc dici posse cum materia concreatam, quatenus eductio formæ comitatur creationem materię; sed talis concomitantia non excludit à forma veram & propriam rationem eductionis.

Resp. Fonseca loc. cit. quod licèt ad rationem eductionis non requiratur, quod materia præcedat tempore formam, requiritur tamen, vt præcedat ordine naturæ, & hac de causa formas Cœlorum, & Elementorum non fuisse eductas de potentia materiæ, quia simul ordine naturæ cum materia productæ fuerunt; Deus enim sua actione primariò creauit totum compositum, & non vnam partem priùs naturà, quàm aliam; neque enim putandum est, Deum sua actione solùm produxisse materiam cum perfectis dispositionibus ad formam, & sic ex vi dispositionum resultasse formam substantialem, qua solum ratione potuisset materia ordine naturæ præcedere.

152 Sed hæc Resp. falsum assumit, nimirum, ordinem naturæ seruatum non fuisse inter materiam, & formam elementarem, ac cœlestem, quantumcunque in eodem instanti productæ sint; Tum quia, vt refert Scot. 2. d. 12. q. 1. sub A. ait D. Aug. 13. Confess. materiam, quamuis simul tempore fuerit creata cum forma, priùs tamen origine fuisse creatam; Tum quia ex Scot. ibidem, materia est causa receptiua formæ, & fundamentum eius, ergo saltim ordine naturæ semper præcedit in materia formam, nec sufficit prioritas rationis, quia causa realiter præcedit effectum, & fundamentum fundatum; Tum etiam, quia quantumcunque effectus sit coæuus causæ, semper tamen causa dicitur natura præcedere effectum ob dependentiam effectus ab ea, nam dependentia vnius ab alio, semper arguit hunc ordinem naturæ prioris, & posterioris, ergo pariter in proposito, quantumcunque forma sit materiæ coæua, materia semper est prior natura forma ob hanc dependentiam; Tum denique falsum est, quod ait Fonseca, materiam præcedere debuisse cum præfatis dispositionibus, vt ordine naturæ diceretur antecedere formam, sufficit enim, quod actio diuina prius natura intelligatur terminata ad materiam, creando, quam ad formam, educendo.

Resp. demum Suarez, ad rationem eductionis requiri, vt per distinctam actionem fiat forma, & materia, nam si per vnicam actionem fiat totum compositum, verè totum creatur, nec forma de potentia materiæ educitur, & iuxta hoc concedit quidem, formas Elementorum fuisse distincta actione productas, atque adeò realiter ex materia eductas, sed ait, formas Cœlorum fuisse eadem actione productas cum materia, atque adeò concreatas, non eductas, & sic passim Thomistæ loquuntur.

Sed hæc etiam Resp. falsum assumit, materiam nimirum Cœli, eiusque formam fuisse eadem actione productas, siquidem diuersitas harum actionum deprehendi potest, tum ex diuersitate terminorum, penes quos actiones distinguuntur, tum ex modo tendendi, quia, vt terminatur ad materiam, tendit in rem per se subsistentem independenter à subiecto; vt verò terminatur ad formam, tendit in rem in alio existentem, & ab alio, vt à subiecto dependentem, tum demum ex prioritate, qua materia precedit formam, vt causa receptiua & fulcimentum eius, vnde actio productiua materiæ necessariò præsupponitur actioni productiuæ formæ.

153 In oppositum obijcies; Tum quia Cęlum, & Elementa in principio Gen. dicuntur creata, non genita; Tum quia corpora cœlestia sunt ingenerabilia, sicut & incorruptibilia; Tum quia in eodem instanti temporis composita ista fuere creata cum suis partibus, ita quod creatio primò terminauit ad totum, & consequenter ad partes, ergo ad summum formæ istæ dici possunt concreatæ cum suis compositis, & nullo modo eductæ; Tum tandem, quia cum creatur Angelus, non educitur subsistentia de potentia eius; sed potius concreatur, ergo ita erit in proposito.

Resp. Cœlos, & Elementa dici creata, quia eorum materia tempore non præcessit, sed tunc simul fuit facta cum eis, vndè ratione istius concomitantiæ, illa corpora dicuntur creata, & formæ concreatæ, qua ratione etiam homo dicitur à Scriptura creatus, licèt verè fuerit formatus de limo terræ. Ad 2. cœlestia corpora sunt ingenerabilia, & incorruptibilia respectu agentium naturalium, non autem absolutè. Ad 3. nequit totum cum suis partibus vna, & eadem actione produci, cum enim totum dependeat in esse à partibus, ita prius natura ipsæ supponuntur productæ antecedenter ad totum, totum verò dicitur terminus primus, primitate dignitatis, & adæquationis, non verò originis. Ad 4. supponendo nunc, subsistentiam naturæ esse modum positiuum, difficultas est, an modi propriè dici debeant educi ex suis subiectis. Negat Suarez disp. 15. Met. sec. 3. affirmat Auersa q. 20. sec. 7. in fine, non enim dici possunt creari nec alio nomine eorum productio appellari, & reuera saltim substantialiter inhærent, & sunt affixi rebus modificatis. Iuxta primum dicendi modum, negnanda foret paritas, quia forma non est modus; iuxta secundum, negandum est assumptum.

154 Hic quæri solet, an in his corruptibilibus formis eductio sit formaliter earum vnio cum materia, & actio eductiua eadem cum vnitiua, an potius sint formalitates ab inuicem ex natura rei distinctæ. Ex dictis, tum qu. 5. art. 4. tum in articulo præcedenti, respondendum est, esse formalitates ex natura rei distinctas, & actiones diuersas; important vnio, & eductio diuersos respectus, quia vt docet Scot. 4. d. 13. qu. 1. N. vnio est respectus extrinsecus adueniens, eductio intrinsecus; sunt etiam diuersæ actiones vnitiua, & eductiua, quia sunt ad diuersos terminos, nam terminus eductionis est forma secundum suam entitatem, terminus vnionis est ipsa relatio vnionis, & quamuis in formis corruptibilibus isti duo respectus, & istæ actiones necessariò coniungantur, non propterea dici debent formaliter identificari, quia, absolutè loquendo, in anima rationali separatæ videntur, ibi enim est vnio sine eductione, & per potentiam Dei absolutam, etiam in forma corruptibili separari possunt, si Deus produceret formam talem in subiecto, se solo supplendo concursum sustentatiuum subiecti in genere efficientis causæ, quod nullam inuoluit repugnantiam, imò, & vt modò coniunctæ formalitates istæ, ex hoc deprehenduntur distinctæ, quod vnio supponit ex natura rei eductionem, nam vnio supponit res vniendas, & ex vi vnionis nihil recipit esse, nec forma, nec subiectum, sed supponuntur esse, at ex vi eductionis forma recipit esse in materia, & producitur in materia.

At contra hoc inuehitur Suarez disp. 13. Met. sec. 9. nu. 10. & tract. de Gratia p. 3. lib. 8. cap. 2. & cœteri Tho. Primò quia si essent distinctæ actiones, tunc productiua seu eductiua præcedere vnitiuam, nam vnio supponit, quæ vniri debent, atque ita forma corruptibilis prius existeret, quam vniretur materiæ, & ita non educeretur de illa, hac enim ratione dicimus, animam rationalem non educi de potentia materiæ; quia in vno signo naturæ supponitur producta in se, in alio vnita materiæ. Deindè eductio est productio formæ ex materia sustentante, at materia non potest sustentare formam sibi non vnitam, ergo eductio ex sua ratione formali essentialiter includit vnionem. Tandem sustentatio formæ in genere efficientis causæ, quomodo nunc accidentia Altaris sustentantur à Deo & sustentatio eiusdem in genere materialis causæ, ex hoc differunt, quod sustentatio in genere efficientis causæ est influxus attingens existentiam termini, ex vi cuius terminis ipse non vnitur causæ, at sustentatio in genere causæ materialis est influxus, ex vi cuius vnitur causæ, ergo eductio quæ est sustentatio formæ in genere causæ materialis, essentialiter includit vnionem.

155 Resp. concedendo, esse diuersas actiones, & ad diuersos terminos, eductiuam nimirum ad existentiam formæ, vnitiuam verò ad vnionem eius cum subiecto, & quia termini harum actionum ita se habent, vt existentia formæ supponatur vnioni concedendum est etiam, actionem eductiuam præcedere vnitiuam, sed non idcircò dici debet in illo priori produci in se, & independenter à materia, quia in illa productione verè cum agente concurrit etiam materiam sustentando, & licèt ista dependentia non includat formaliter vnionem, includit tamen concomitanter, & exigitiuè, quia talis productio formæ essentialiter à materia dependens necessariò coexigit in eodem instanti vnionem eius ad materiam, in quo forma materialis distinguitur ab anima rationali, cuius productio, cum non sit à materia dependens, non necessariò simpliciter coexigit vnionem eiusdem animæ cum materia; Et ratione huius independentiæ dicitur anima prius in se produci, quam vniri, non quia in vllo signo priùs in se existat, sed quia independenter producitur à subiecto. Ad 2. non desunt, qui negent minorem, quia per potentiam Dei contingere posset, vt subiectum concurrat cum agente ad formæ sustentationem, & impediri à receptione, At licet concursus sustentatiuus absolutè sumptus separari possit à receptiuo, si v.g. exerceatur in genere efficientis causæ, vt est modò de sustentatione quantitatis in Eucharistia, vel accidens assumeretur à Verbo, tamen concursum sustentatiuum in genere causæ materialis non putamus separabilem esse à receptiuo; imò, vt mox dicemus in hoc distinguitur à concursu sustentatiuo in genere efficientis causæ, quod hic necessario non coexigit vnionem cum causa, ille verò ex intrinseca sua retione coexigit talem vnionem; quare concedimus minorem, sed negatur consequentia, nam ex hoc non sequitur, sustentationem materialem essentialiter includere vnionem; sed potius exigentiam talis vnionis concomitanter. Ad 3. pariter negatur consequentia; cum enim dicimus sustentationem materialem in hoc distingui ab efficienti, quod ex vi materialis terminus vnitur suæ causæ, non ex vi efficientis, id debet intelligi, non formaliter, quasi essentialiter includat vnionem, sed tantum concomitanter, & coexigitiuè, quatenus ad eam necessariò concomitatur vnio in eodem prorsus instanti temporis.

156 Secundò obijcit: Tum quia, vel illa actio, qua fit formam materialis, est cum materiali concursu subiecti, vel non; si secundum, ergo est Creatio; si primum, ergo ex vi illius formaliter forma vnitur subiecto, & fit in subiecto; Tum quia, dependentia, qua forma dependet à materia, formaliter est ipsa vnio, ergo si actio qua fit forma materialis, est essentialiter dependens à subiecto, est quoque essentialiter vnio; Tum tandem quia, vt forma subsistens non prius natura fit existens, quam subsistens, ita forma inhærens, non prius natura fit existens, quam inhærens.

Resp. illam actionem fieri cum materiali concursu subiecti & ex vi illius concomitanter tantum vniri subiecto, non formaliter, sic enim præscindit ab vnione, & solum respicit existentiam formæ absolutè sumptam. Ad 2. negatur assumptum quia ex vi illius dependentiæ formaliter forma respicit materiam, vt subiectum ex quo, con-

nam adhuc sunt in eis per veram inhæsionem, & verè sustentantur ab eis.

148 Dicendum igitur, quod, formam educi, vel eductam esse de potentia materiæ, formaliter nil aliud est, quam suum fieri necessariò esse fieri in materia, & quòd suum esse necessariò est esse in materia, ita quod si sit aliqua forma, quæ vtique sit, & fiat in materia, tamen absolutè fieri possit, quantum est ex se, sine materia, & esse sine materia, ista non dicitur educi, quia de necessitate suum esse non est necessariò esse in materia. Ita Canonicus 1.Phys. q.1.& Bassolius 2. d.18.q.vn.art.2.§. *Et ita dico, &c.* Et colligitur ex Scoto locis omnibus citatis, sed præsertim in 4.d.1.qu.1. ante Hh. vbi sic loquitur, *Formam autem materialem dico esse omnem illam, quæ ex natura sua necessariò inclinatur naturaliter, vt sit actus materiæ, siue sit substantialis, siue accidentalis.* Et sequitur Auersa loc.cit.Amicus tract.6.q.4.dub. 1.art.3. & alij,& probatur, quia iuxta hunc modum optimè insinuatur,ad rationem eductionis non sufficere ex parte materiæ concursum receptiuum, sed etiam sustentatiuum, ita quod eductio formæ formaliter importat dependentiam formæ ad subiectum, in quo recipitur, & sustentatur & vnum sine alio non sufficit,nam materia in ordine ad animam exercet concursum receptiuum,sed quia non etiam sustentatiuum exercet, ideo non dicitur educta de potentia illius;& Verbum, si accidens immediatè assumeret, vtique sustentaret illud, sed quia non reciperet, hac de causa non diceretur educi de potentia Verbi. Per hunc dicendi modum explicatur, concursum materiæ non solum attingere debere vnionem formæ, sed etiam ipsamet existentiam formæ, & necessarium esse non solum, vt conditionem concomitantem ad connaturalem eius statum, qualis est modò corpus ad animam rationalem, sed etiam vt veram causam in primo instanti, in quo forma existit. Explicatur vlterius, ad rationem eductionis formæ prærequiri existentiam materiæ, non tempore, sed natura, nam talis prioritas sufficit ad rationem causæ. Denique per hunc dicendi modum talem indicatur esse indigentiam educibilis formæ, vt sine materia suapte natura, nec fieri, nec existere possit, & si à Deo aliter fiat, id esse præter eius naturam, & per specialem Dei concursum.

149 Sed contra rationem eductionis ita explicatam obijcies, quod si formam educi de potentia materiæ, est ipsam necessario fieri in materia, & materiam concurrere, non tantum ad eius vnionem, verùm etiam ad existentiam ipsius formæ, iam quoque anima rationalis non careretur,quia nisi præexisteret corpus organizatum, ipsa non crearetur, quia secundum connaturalem statum non creari exigit extra corpus. Et si dependentia formæ à materia per solam naturæ prioritatem impedit ne forma dicatur creari, compositum ipsum non poterit à Deo per creationem produci, nam, quantuncunque eius partes simul in eodem instanti cum ipso producantur, semper tamen censentur priores natura ipso toto.

Resp. negando sequelam, quia & si anima, vt à Deo producatur, secundum suum connaturalem statum exigat corpus organizatum in eodem instanti, in quo producitur, non exigit illud, vt veram causam suæ existentiæ, sed tantum, vt conditionem concomitantem eius connaturalem statum, quæ etiam conditio non est ita simpliciter necessaria, vt ea deficiente, anima sit interitura, nisi à Deo conseruetur per specialem concursum, quia post corporis, interitum, adhuc ipsa retinet existentiam suam absque nouo miraculo, quod de cœteris formis asseri nequit. Concedimus etiam, compositum secundum suam entitatem, quam dicit à partibus distinctam, propriè creari non posse, sed tantum creari dicitur per ipsam creationem partium & præsertim materiæ, quæ tunc primo facta est, vt Scotus docet 2.dist.1.q.5. infra T. hac enim ratione, & compositum ipsum dicitur creatum, & forma concreata quatenus est simul facta cum creatione materiæ, licet reuera forma in se considerata sit educta de potentia materiæ, & compositum ex partibus generatum, quo etiam sensu conuersio lapidis in panem transubstantiatio dicetur, non eductio.

Rursus obijciunt aliqui quia anima rationalis naturaliter habet fieri in materia, itaut miraculum esset, si extra materiam fieret, non secus,ac si extra materiam fieret forma materialis, & tamen non educitur ex materia. Tum 2. quia è contra forma materialis habet fieri in materia, & tamen non ita necessario habet fieri in materia, quia quantum est ex natura sua posset fieri, & conseruari absque materia. Tum 3. quia quamuis connaturaliter forma materialis petat fieri, & conseruari in materia, tamen si actu non dependeret à materia quantum ad fieri, non educeretur, & similiter quamuis anima rationalis possit connaturaliter fieri, & conseruari absque dependentia à materia; tamen si dependeret à materia,educeretur,ergo &c. Tum quia habitus supernaturales creantur, & tamen connaturaliter petunt produci, & conseruari in subiecto. Tum tandem quia, vt forma dicatur educi,vel per eductionem fieri,non sufficit, vt tali modo dependeat à materia,quod non produceretur, nisi esset materia, in qua fieret, quia sic anima rationalis, dependeret à corpore in fieri, quia non produceretur à Deo, nisi adesset corpus organizatum, in quo reciperetur, ergo aliquid aliud requiritur præter præfatam dependentiam, nimirum influxus aliquis positiuus materiæ, quo communicet ipsi suum esse.

Resp. ex dictis iam patere, quo pacto anima rationalis fiat naturaliter in materia, quia nimirum illam exigit, non vt veram causam suæ existentiæ, quemadmodum materialis forma,sed vt conditionem concomitantem eius naturalem statum, quod ex eo arguimus; quia post corporis interitum adhuc anima conseruatur absque miraculo, non autem forma materialis; vnde maius miraculum esset, si forma materialis extra materiam fieret,quam si fieret anima rationalis, quia hæc non habet tantam materiæ necessitatem, sicut illa, ad suam existentiam,cum eam tantum requirat,vt conditionem concomitantem. Ad 2.neg.assumptum quoad secundam partem,cum directè repugnet naturæ materialis formæ fieri,vel conseruari extra materiam. Ad 3. si forma materialis non fieret cum dependentia à materia, vtique non fieret per eductionem, adhuc tamen suaptè natura peteret fieri, nec enim actualem eductionem ponimus consistere in tali exigentia, seu in actuali dependentia formæ à materia ex tali exigentia suborta; Ad 4. hac ratione infra dicemus habitus quoque supernaturales connaturalius produci per eductionem, quam per creationem. Ad vltimum dicimus, vt forma dicatur per eductionem fieri, produci debere ita à materia dependenter, vt hæc non concurrat ad eius fieri, vt conditio omnino concomitans, sed vt vera causa per influxum positiuum illi communicans esse,explicatum per habitudinem ex quo aliud,quo pacto non dependet anima à corpore, & si necessariò illud requirat ad sui productionem, exigit enim illud, vt meram conditionem concomitantem.

ARTICVLVS III.

Ostenditur, formas omnes materiales eductas esse de potentia materiæ, etiam formas Cœlorum, & Elementorum.

150 Dicimus, omnes formas substantiales, (sola anima rationali excepta) etiam Cœlorum, & Elementorum, eductas esse de potentia materiæ. Conclusio quo ad 2. partem,de qua solùm est controuersia, colligitur ex Scot.2.dist. 17. qu.1. sequuntur Auctores citati initio quæstionis,& ex nostris Fuentes cit. art.3. Probatur primò in vniuersum de omnibus formis materialibus, quia omnis eiusmodi forma in suo esse, est intrinsecè dependens à materia, ergo omnis forma materialis educitur de potentia materiæ, patet consequentia, probatur assumptum; quia si aliqua illarum esset à materia independens, iam non amplius esset forma materialis, sed incorruptibilis, sed spiritualis, non amplius corruptibilis, & extra materiam aliquam exercere posset operationem, nam hæc præcisè de causa probatur spiritualitas, & immortalitas de anima rationali, quia nimirum est actus per se subsistens, & à materia independens.

Deinde probatur specialiter de formis Cœlorum,& Elementorum, nam ob rationem modò allatam fatentur Aduersarij, etiam formas Cœlorum,& Elementorum esse ex natura sua à materia dependentes, ac proinde ex potentia eius educibiles, at ex modo, quo de facto productæ sunt in primęua Cœlorum, & Elementorum constitutione,potius dici debere creatas,vel concreatas, quàm eductas. Probatur igitur, etiam ex modo, quo productæ sunt, dici debere eductas iuxta rationem propriam eductionis. Ratio propria eductionis, per quam formaliter à creatione secernitur, consistit in hoc, quòd sit actio productiua formæ dependenter à subiecto, ita quòd per talem actionem ipsum subiectum esse non habeat, sed supponatur, & aliæ conditiones ab Aduersarijs desiderantur, sunt prorsus accidentales, at talis fuit actio, qua Deus ab initio formas Cœlorum, & Elementorum produxit, & etiam modò conseruat, ergo sunt verè eductæ, & cum omni proprietate de potentia materiæ, probatur minor; eadem actione,& eiusdem rationis modò conseruat Deus formas Cœlorum, & Elementorum, quo eas ab initio produxit, at modò conseruat eas dependenter à materia, ita quòd materiam subtrahendo, statim ex natura sua desinerent, quia non sunt formæ subsistentes, vt anima rationalis, ergo verè eas eduxit de potentia materiæ & modo eductiuo produxit.

151 Resp.Conimb.& alij cit.vltra dependentiam à subiecto,ad rationem eductionis adhuc requiri, vt materia præcedat duratione formam, in quo priori dicatur priuata forma & posteà cum vera mutatione transire dicatur ad formam,nam eductio,& generatio formę necessario mutationem includit subiecti præiacentis,& in hoc distinguitur à creatione, quare cum nulla ibi interuenerit prioritas durationis materiæ ad formam, nullaque mutatio ad illam, sed in eodem omninò instanti, & materia, & forma productæ fuerint, non debet, nec potest forma dici educta de potentia materiæ, sed potius cum ea concreta.

Sed hæc Resp.ruit ex dictis art.præcedenti, vt diximus, ad eductionem formæ sufficere præsuppositionem naturæ, & non necessariò requiri præsuppositionem temporis subiecti ad formam, talis enim in vniuersum est prioritas necessaria in causa ad suum effectuum; Quòd verò nunc additur,eductionem formæ, & generationem compositi includere essentialiter mutationem, & per hoc à creatione distingui verum est de generationibus, & eductionibus, vt regulariter contingunt; at absolutè loquendo, generatio, & eductio à mutatione præscindunt, & sine mutatione propriè dicta, quæ fit à priuatione ad formam,contingere possunt,vt docet Scot.4.d.43.q.5. H. & I. & per dependentiam à subiecto,vel parte, essentialiter à creatione distinguuntur,

non verò per mutationem subiecti, nam potest interuenire dependentia actionis à subiecto sine subiecti mutatione, & ita euenit quando forma producitur in eodem instanti simul cum materia, ratione cuius simultatis concedimus, formam tunc dici posse cum materia concreatam,quatenus eductio formæ comitatur creationem materię; sed talis concomitantia non excludit à forma veram & propriam rationem eductionis.

Resp. Fonseca loc.cit.quod licèt ad rationem eductionis non requiratur, quod materia præcedat tempore formam, requiritur tamen, vt præcedat ordine naturæ, & hac de causa formas Cœlorum, & Elementorum non fuisse eductas de potentia materiæ, quia simul ordine naturæ cum materia productæ fuerunt; Deus enim sua actione primariò creauit totum compositum, & non vnam partem priùs naturà, quàm aliam; neque enim putandum est, Deum sua actione solùm produxisse materiam cum perfectis dispositionibus ad formam, & sic ex vi dispositionum resultasse formam substantialem, qua solum ratione potuisset materia ordine naturæ præcedere.

152 Sed hæc Resp. falsum assumit, nimirum, ordinem naturæ seruatum non fuisse inter materiam,& formam elementarem, ac cœlestem,quantumcunque in eodem instanti productæ sint; Tum quia,vt refert Scot.2.d.12.q.1. sub A.ait D.Aug.13. Confess. materiam,quamuis simul tempore fuerit creata cum forma, priùs tamen origine fuisse creatam; Tum quia ex Scot. ibidem, materia est causa receptiua formæ,& fundamentum eius,ergo saltim ordine naturæ semper præcedit in materia formam, nec sufficit prioritas rationis, quia causa realiter præcedit effectum, & fundamentum fundatum; Tum etiam,quia quantumcunque effectus sit coæuus causæ, semper tamen causa dicitur natura præcedere effectum ob dependentiam effectus ab ea, nam dependentia vnius ab alio, semper arguit hunc ordinem naturæ prioris,& posterioris,ergo pariter in proposito,quantumcunque forma sit materiæ coæua, materia semper est prior natura forma ob hanc dependentiam; Tum denique falsum est, quod ait Fonseca, materiam præcedere debuisse cum præfatis dispositionibus, vt ordine naturæ diceretur antecedere formam, sufficit enim, quod actio diuina prius natura intelligatur terminata ad materiam, creando, quam ad formam, educendo.

Resp.demum Suarez,ad rationem eductionis requiri, vt per distinctam actionem fiat forma, & materia, nam si per vnicam actionem fiat totum compositum, verè totum creatur, nec forma de potentia materiæ educitur, & iuxta hoc concedit quidem, formas Elementorum fuisse distincta actione productas, atque adeò realiter ex materia eductas,sed ait,formas Cœlorum fuisse eadem actione productas cum materia,atque adeò concreatas, non eductas, & sic passim Thomistæ loquuntur.

Sed hæc etiam Resp.falsum assumit,materiam nimirum Cœli,eiusque formam fuisse eadem actione productas, siquidem diuersitas harum actionum deprehendi potest,tum ex diuersitate terminorum, penes quos actiones distinguuntur,tum ex modo tendendi,quia, vt terminatur ad materiam,tendit in rem per se subsistentem independenter à subiecto; vt verò terminatur ad formam, tendit in rem in alio existentem,& ab alio,vt à subiecto dependentem, tum demum ex prioritate,qua materia precedit formam,vt causa receptiua & fulcimentum eius,vnde actio productiua materiæ necessariò præsupponitur actioni productiuæ formæ.

153 In oppositum obijcies; Tum quia Cęlum,& Elementa in principio Gen. dicuntur creata, non genita; Tum quia corpora cœlestia sunt ingenerabilia, sicut & incorruptibilia; Tum quia in eodem instanti temporis composita ista fuere creata cum suis partibus,ita quod creatio primò terminauit ad totum,& consequenter ad partes,ergo ad summum formæ istæ dici possunt concreatæ cum suis compositis, & nullo modo eductæ; Tum tandem, quia cum creatur Angelus, non educitur subsistentia de potentia eius; sed potius concreatur, ergo ita erit in proposito.

Resp.Cœlos,& Elementa dici creata,quia eorum materia tempore non præcessit, sed tunc simul fuit facta cum eis, vndè ratione istius concomitantiæ, illa corpora dicuntur creata, & formæ concreatæ, qua ratione etiam homo dicitur à Scriptura creatus, licèt verè fuerit formatus de limo terræ. Ad 2. cœlestia corpora sunt ingenerabilia, & incorruptibilia respectu agentium naturalium, non autem absolutè. Ad 3. nequit totum cum suis partibus vna, & eadem actione produci, cum enim totum dependeat in esse à partibus, ita prius natura ipsæ supponuntur productæ antecedenter ad totum, totum verò dicitur terminus primus, primitate dignitatis, & adæquationis, non verò originis. Ad 4. supponendo nunc, subsistentiam naturæ esse modum positiuum, difficultas est, an modi propriè dici debeant educi ex suis subiectis. Negat Suarez disp.15.Met.sec.3. affirmat Auersa q.20.sec.7. in fine,non enim dici possunt creari nec alio nomine eorum productio appellari,& reuera saltim substantialiter inhærent,& sunt affixi rebus modificatis. Iuxta primum dicendi modum, neganda foret paritas, quia forma non est modus; iuxta secundum, negandum est assumptum.

154 Hic quæri solet, an in his corruptibilibus formis eductio sit formaliter earum vnio cum materia, & actio eductiua eadem cum vnitiua, an potius sint formalitates ab inuicem ex natura rei distinctæ. Ex dictis, tum qu.5.art.4. tum in articulo præcedenti, respondendum est, esse formalitates ex natura rei distinctas, & actiones diuersas; important vnio, & eductio diuersos respectus, quia vt docet Scot.4.d.13.qu.1. N. vnio est respectus extrinsecus adueniens, eductio intrinsecus; sunt etiam diuersæ actiones vnitiua,& eductiua, quia sunt ad diuersos terminos,nam terminus eductionis est forma secundum suam entitatem, terminus vnionis est ipsa relatio vnionis, & quamuis in formis corruptibilibus isti duo respectus, & istæ actiones necessariò coniungantur, non propterea dici debent formaliter identificari, quia, absolutè loquendo, in anima rationaali separatæ videntur,ibi enim est vnio sine eductione,& per potentiam Dei absolutam, etiam in forma corruptibili separari possunt, si Deus produceret formam talem in subiecto, se solo supplendo concursum sustentatiuum subiecti in genere efficientis causæ, quod nullam inuoluit repugnantiam, imò, & vt modò coniunctæ formalitates istæ, ex hoc deprehenduntur distinctæ, quod vnio supponit ex natura rei eductionem, nam vnio supponit res vniendas, & ex vi vnionis nihil recipit esse, nec forma, nec subiectum, sed supponuntur esse, at ex vi eductionis forma recipit esse in materia, & producitur in materia.

At contra hoc inuehitur Suarez disp.13.Met.sec.9. nu.10. & tract. de Gratia p.3.lib.8.cap.2. & cœteri Tho. Primò quia si essent distinctæ actiones, tunc productiua seu eductiua præcedere vnitiuam, nam vnio supponit, quæ vniri debent, atque ita forma corruptibilis prius existeret,quam vniretur materiæ, & ita non educeretur de illa, hac enim ratione dicimus, animam rationalem non educi de potentia materiæ; quia in vno signo naturæ supponitur producta in se,in alio vnita materiæ. Deindè eductio est productio formæ ex materia sustentante,at materia non potest sustentare formam sibi non vnitam, ergo eductio ex sua ratione formali essentialiter includit vnionem. Tandem sustentatio formæ in genere efficientis causæ, quomodo nunc accidentia Altaris sustentantur à Deo & sustentatio eiusdem in genere materialis causæ,ex hoc differunt, quod sustentatio in genere efficientis causæ est influxus attingens existentiam termini, ex vi cuius terminis ipse non vnitur causæ, at sustentatio in genere causæ materialis est influxus, ex vi cuius vnitur causæ, ergo eductio quæ est sustentatio formæ in genere causæ materialis, essentialiter includit vnionem.

155 Resp. concedendo, esse diuersas actiones, & ad diuersos terminos, eductiuam nimirum ad existentiam formæ, vnitiuam verò ad vnionem eius cum subiecto, & quia termini harum actionum ita se habent, vt existentia formæ supponatur vnioni concedendum est etiam, actionem eductiuam præcedere vnitiuam, sed non idcircò dici debet in illo priori produci in se, & independenter à materia, quia in illa productione verè cum agente concurrit etiam materiam sustentando, & licèt ista dependentia non includat formaliter vnionem, includit tamen concomitanter, & exigitiuè, quia talis productio formæ essentialiter à materia dependens necessariò coexigit in eodem instanti vnionem eius ad materiam, in quo forma materialis distinguitur ab anima rationali, cuius productio, cum non sit à materia dependens,non necessariò simpliciter coexigit vnionem eiusdem animæ cum materia; Et ratione huius independentiæ dicitur anima prius in se produci, quam vniri, non quia in vllo signo priùs in se existat, sed quia independenter producitur à subiecto. Ad 2.non desunt, qui negent minorem, quia per potentiam Dei contingere posset, vt subiectum concurrat cum agente ad formæ sustentationem, & impediri à receptione, At licet concursus sustentatiuus absolutè sumptus separari possit à receptiuo,si v.g. exerceatur in genere efficientis causæ, vt est modò de sustentatione quantitatis in Eucharistia, vel accidens assumeretur à Verbo, tamen concursum sustentatiuum in genere causæ materialis non putamus separabilem esse à receptiuo; imò, vt mox dicemus in hoc distinguitur à concursu sustentatiuo in genere efficientis causæ,quod hìc necessario non coexigit vnionem cum causa,ille verò ex intrinseca sua retione coexigit talem vnionem; quare concedimus minorem,sed negatur consequentia,nam ex hoc non sequitur, sustentationem materialem essentialiter includere vnionem; sed potius exigentiam talis vnionis concomitanter. Ad 3. pariter negatur consequentia; cum enim dicimus sustentationem materialem in hoc distingui ab efficienti,quod ex vi materialis terminus vnitur suæ causæ, non ex vi efficientis,id debet intelligi, non formaliter, quasi essentialiter includat vnionem,sed tantum concomitanter,& coexigitiuè,quatenus ad eam necessariò concomitatur vnio in eodem prorsus instanti temporis.

156 Secundò obijcit: Tum quia,vel illa actio, qua fit formam materialis,est cum materiali concursu subiecti,vel non; si secundum, ergo est Creatio; si primum,ergo ex vi illius formaliter forma vnitur subiecto,& fit in subiecto; Tum quia,dependentia,qua forma dependet à materia, formaliter est ipsa vnio, ergo si actio qua fit forma materialis,est essentialiter dependens à subiecto, est quoque essentialiter vnio; Tum tandem quia, vt forma subsistens non prius natura fit existens, quam subsistens, ita forma inhærens, non prius natura fit existens,quam inhærens.

Resp. illam actionem fieri cum materiali concursu subiecti & ex vi illius concomitanter tantum vniri subiecto, non formaliter, sic enim præscindit ab vnione, & solum respicit existentiam formæ absolutè sumptam. Ad 2. negatur assumptum quia ex vi illius dependentiæ formaliter forma respicit materiam, vt subiectum ex quo, con-

concomitanter, vt in ouo. Ad 3. negatur assumptum, cum enim tam subsistentia, quam inhærentia modi sint superadditi existentiæ accidentis, & substantiæ, prius natura supponent substantia, & accidens existens, quam illa subsistens, & hoc inhærens, & ita etiam actio prius natura attinget existentiam rei, quam subsistentiam, vel inhærentiam, licet in eodem prorsus instanti temporis, quare argumentum potius nobis fauet.

QVÆSTIO VIII.

De cæteris proprietatibus, & attributis materiæ, & formæ.

DE Vnitate materiæ eiusque potentia, & appetitu ad formas egimus in præcedentibus, nunc reliquas eius proprietates, & attributa, percurrere oportet, vbi etiam aliqua videbimus conuenientia formæ, & vt distinctè, ac ordinatè procedamus in varios articulos quæstionem distribuemus iuxta varietatem proprietatum, & attributorum eius.

ARTICVLVS I.

An materia sit per se cognoscibilis sine ordine ad formam.

157 Achillinus lib. 1. de Elementis dub. 10. Zimara Theor. 56. aliqui Auerroistæ ex Auerr. 1. Phys. 63. tenent materiam nullo modo cognoscibilem esse sine ordine actuali ad formam, idest, nisi habeat actum coniunctum, eò quod omnis cognitio sit ab actu; Consentiunt omnes illi Thom. qui materiæ negantur actum entitatiuum. Recentiores verò, quia tenent, materiam includere essentialiter relationem ad formam, consequenter tenent, materiam non esse distinctè cognoscibilem à quocunque intellectu nisi per ordinem ad formam. Scotistæ quia tenent materiam habere actum entitatiuum, & potentiam non esse de essentia materiæ in primo modo, consequenter asserunt, quod in prima notione, & vt entitas absoluta, est cognoscibilis, etiam distinctè, sine ordine ad formam; at in secunda notione, & vt subiectum transmutationum, cognosci debere per ordinem, & habitudinem ad formam, ita P. Fab. Theorem. 25. Sgham. quæst. 13. digress. 3. & alij passim. Dicendum est, quod licet pro statu isto materia sit solum cognoscibilis per ordinem ad formam, tamen absolutè loquendo, & ex natura potentiæ, est per se cognoscibilis sine tali ordine. Concl. est Scot. 2. d. 12. quæst. 1. in fine. Quoad primam partem, ita probatur ex Doct. forma est magis à nobis cognoscibilis, quam materia, sed forma non cognoscitur, nisi ex operationibus, ergo nec materia cognosci potest, nisi per ordinem ad formam, idest per transmutationem de vna in aliam formam, vt ait Commentator; videmus enim vnam formam post aliam, quia videmus nouam operationem, quæ arguit nouam formam, igitur subiectum transmutationis commune manet, & hoc est materia.

158 Quoad alteram partem probatur ex Scot. ibid. Tum quia est entitas absoluta, ergo est per se cognoscibilis distinctè sine ordine ad formam, quamuis enim sit entitas absoluta incompleta, hoc tamen non obstat, quin ab Angelo, & intellectu nostro ex natura potentiæ haberi possit de materia conceptus quidditatiuus sine ordine ad formam, sed tantum facit, quod haberi non possit conceptus quietatiuus, quod est commune etiam formæ ratione suæ incompletionis, vt docet Scot. 4. d. 12. q. 1. L. Tum etiam quia de se habet actum entitatiuum, & non à forma, ergo etiam de se habebit propriam cognoscibilitatem sine ordine ad formam, quia intelligibilitas sequitur entitatem, cum sit eius passio, & sicut res se habet ad esse, ita ad cognosci. Nec obstat, quod materia sit essentialiter potentia receptiua formæ, ideoque cognosci nequeat sine ordine ad formam, quia, vt dictum est quæst. 6. art. 5. est essentialiter potentia tantum in secundo modo, & in secunda ratione; Tum demum, quando inquiunt Aduersarij, materiam cognosci non posse sine ordine ad formam, vel loquuntur de ordine actuali, vel aptitudinali, in primo sensu id nequit asseri, quia si Deus materiam denudaret omni forma, vt est possibile, posset adhuc ab Angelo cognosci, cum adhuc retineret suam entitatem, & existentiam neque in 2. sensu, quia ordo ille aptitudinalis, & transcendentalis ad formas, non est formaliter entitas ipsa materiæ, sed entitas materiæ est radix & origo talis ordinis, & aptitudinis ad formas, & quia hæc est entitas absoluta ideò quidditatiuè cognosci potest, etiam sine isto ordine aptitudinali ad formam.

159 Sed contra hanc Concl. & primò contra primam partem arguunt Mercenarius 2. tomo Dilucidat. & Suarez. disput. 13. Met. sect. 3. probando, quod licèt pro statu isto non sit per se cognoscibilis materia, methodus tamen eam cognoscendi non est analogia ad formam, vt Scot. videtur deducere ex 1. Phys. text. 69. neque quoad si est, neque quoad quid est; quia Arist. ibi non loquitur de analogia ad formam, sed ad materiam artefactorum, & hac analogia vtitur ad inueniendum quid est materiæ naturalium, quia ex hac analogia potest deduci definitionem materiæ primæ, quod sit subiectum potens ad omnes formas naturales, non verò ad inueniendum si est, vt Scot. velle videtur; methodus namque ad inueniendum si est, est contrarietas existens in transmutatione, vndè text. 51. via transmutationis ostendit, dari materiam primam, & etiam non apparet absolutè loquendo, quæ, & qualis sit analogia inter materiam & formam, quæ ostendat naturam materiæ; Et si dicunt materiam in hoc sensu cognosci per analogiam, & habitudinem ad formam, idest, per transmutationem de vna in aliam formam, vt Doctor insinuat loc. citat. ex Comment. adhuc non satisfacit, quia mutatio substantialis occulta est sicuti forma, & ideò non per ordinem ad mutationem substantialem; sed ad accidentalem cognosci debet, & per ordinem ad subiectum eiusdem, qualis est materia artefactorum.

Resp. posse materiam, & imò debere cognosci pro statu isto ex comparatione, & habitudine ad formam, quia est subiectum eius, & potentia receptiua illius, sicut æs, & lignum ad formas artificiales, & in hoc sensu explicat Auerr. textum 69. vnde hæc comparatio materiæ ad formam, sicut potentiæ ad actum, optimè explicat quid est materia, tamen cum ait Scotus, materiam cognosci à nobis pro statu isto per ordinem ad formam, intelligit per ordinem ad transmutationem de vna forma in aliam, vt ibi se explicat, ex Comment. quæ transmutatio insinuat nobis non tantum si est materia, quia sit inter contraria, & ideò manere debet commune subiectum, vt ait text. 51. sed etiam quid est, nam ex hoc deducimus, esse subiectum commune contrariorum, & ex hac via deducit Philosophus tandem text. 82. esse subiectum primum, & ideo falsum est, analogiam ad materiam artefactorum assumptam esse a Philosopho text. 69. veluti methodum ad inueniendum quid est materia, cum potius assumpta sit, vt quædam simulando, & exemplum sensibile ad manifestandum naturam materiæ primæ. Et quamuis mutatio substantialis sit occulta, ratione formarum substantialium, ratione tamen operationis eam arguimus, & nouas formas, & nouas transmutationes substantiales circa idem commune subiectum, quare Doctor non loquitur de transmutatione substantiali vndè sumpta, sed quatenus ratione quorundam accidentium sub sensum cadit.

160 Secundò arguunt Auerroistæ, Achillinus loc. citat. & Picol. lib. 2. de materia cap. 2. & Recentiores Thomistæ contra secundam partem, probando, quod absolutè loquendo, materia non sit cognoscibilis, nisi per ordinem ad formam, aut actualem, aut certè aptitudinalem, primò, quia actus est causa cognitionis, & manifestationis, potentia causa ignorantiæ, & occultationis, materia est per se potentia, forma per se actus, ergo, &c. hinc Philosophus 7. Met. 45. materiam dixit de se ignotam. Secundò mens est locus formarum 3. de An. text. 6. & 2. de Anima text. 120. sensus recipit species sine materia ergo tanto magis intellectus; & tandem res materialis, vt intelligatur debet materia abstrahi. Tertiò ait Philosophus 7. Met. 8. quod materia secundum se non est quid, nec quale, nec quantum, ergo secundum se nullum habet conceptum positiuum, idem habet Aug. lib. de natura boni, c. 18. vbi ait, materiam per nullam speciem, sed per priuationem omnis speciei vix cogitari posse; & l. 12. Confess. cap. 5. ait de materia, conari nos cognoscere ignorando, vel ignorare noscendo. Denique materia est essentialiter potentia, & essentialiter relatiua ad formam 2. Phys. 26. ergo absolutè loquendo, sine ordine ad formam, saltem aptitudinali, nequit intelligi, nec vllo modo explicari potest, quid conciperetur ab Angelo v. g. præciso à materia huiusmodi ordine ad formam.

161 Resp. ad 1. quod actus entis est causa intelligibilitatis & non præcisè actus formalis, sicè contra potentia obiectiua est causa ignorantiæ, non subiectiua, & Philosophus 7. Met. 35. dixit materiam de se ignotam, non quia de se est minimæ entitatis, ac proinde minimæ intelligibilitatis; tum quia pro statu isto eam cognosci non per ordinem ad formam, vt ait Doct. 3. d. 22. q. vn. H. Ad 2. mens est locus formarum, idest specierum, & vtique materia si per se intelligeretur, non se ipsa intellectum intraret, sed per suam speciem, vt contingit de quocunque alio intelligibili, præsertim materiali, & in hoc sensu entia materialia debent à materia denudari, vt intelligantur idest, ab extensione, & materialitate, quod fit per abstractionem specierum, & planè argumentum hoc indignum est Auctore suo. Ad 3. ait Doctor 2. d. 12. q. 1. H. quod non solum ait Philosophus, materiam non esse quid, nec quale, nec quantum, sed subdit, esse id, de quo singula horum prædicantur, per quod insinuatur, habere suum conceptum positiuum, licèt nobis ignotum pro statu isto; nec Diuus Augustinus dixit, per priuationem omnis speciei, idest formæ, materiam reddi incognoscibilem, sed ait, in tali statu vix posse cognosci, per quod significauit difficultatem intelligendi materiam sine ordine ad formam, non impossibilitatem; nam vt ait Themistius 1. Phys. digress. magna de materia, materiam absolutè cognoscere esse difficillimum, quia sicut est minimæ, & imperfectissimæ entitatis in genere substantiæ, ita est minimæ cognoscibilitatis, & in hoc sensu quoque explicandus est 12. Confess. c. 5. Ad 4. falsum est assumptum, loquendo de materia in prima notione, vt patet ex dictis qu. 7. & Angelus, præcisione ab illo ordine aptitudinali recipiendi formas, conciperet materiam, vt entitatem absolutam talis naturæ, vt sit exigitiua talis aptitudinis, veluti propriæ passionis.

A R-

ARTICVLVS II.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

162 Communis, & frequens responsio ad hoc quæsitum est, aliquid posse dici generabile, & corruptibile dupliciter, subiectiuè scilicet, & terminatiuè; primo modo dicitur generabile, & corruptibile, quod subijcitur generationi, & corruptioni; secundo modo id, quod terminat generationem, & corruptionem, transeundo nimirum de non esse ad esse, per generationem, vel de esse, ad non esse, per corruptionem, & primo modo inquiunt, materiam esse generabilem, & corruptibilem, cum sit subiectum primum cuiusque generationis, & corruptionis; secundo modo non, nam in hoc sensu sola forma, & compositum dicitur generabile & corruptibile ex 1. Ph. 64.

At licet communis ista responsio verè tangat quæsiti solutionem, tamen modus loquendi non placet, nam dum inquiunt, materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem terminatiuè & ita intelligunt Aristot. dictum text. 82. vtique loquuntur de generatione, & corruptione in ratione productionis, non mutationis, & in hoc sensu inquiunt, generationem, & corruptionem formæ, composito conuenire, non materiæ primæ; sed hoc non benè dicitur, quia proprium subiectum generationis, & corruptionis in ratione productionis est compositum, est enim id, quod generatur, & corrumpitur 1. Phys. 64. ergo in hoc sensu compositum ipsum est subiectiuè generabile, & corruptibile, non verò materia prima; Nec respondere valebit, quod quando appellant compositum generabile, & corruptibile terminatiuè, non subiectiuè, accipiunt generationem, & corruptionem actiuè, vt sensus sit, compositum esse terminum actionis generatiuæ, vel corruptiuæ. Non valet. Tum quia generabile, & corruptibile ex vi nominis significant passionem, non actionem. Tum quia si accipitur actiuè, cùm generatio, & corruptio sint actiones non solùm productiuè, vel destructiuæ effectus, sed etiam transmutatiuæ subiecti, poterit etiam materia prima dici generabilis, & corruptibilis terminatiuè, quatenus scilicet terminat actionem agentis in ratione transmutationis actiuæ. Tum tandem, quia, si generatio, & corruptio sumantur actiuè, & in ratione productionis, vel destructionis præcisè, sicut in hoc sensu compositum dicitur generabile, & corruptibile terminatiuè, ita è contra agens ipsum, & non materia prima, dici debebit generabile, & corruptibile subiectiuè, quia nimirum in ipso fundantur generatio, corruptio, & actio, & ab eis denominatur, præsertim in via Scoti, vndè Scotistæ magis errant, quàm alij, vtentes hoc modo loquendi. Vt igitur rectè respondeatur quæsito, etiam in modo loquendi, aduerti debet, generationem, & corruptionem posse sumi dupliciter; primo modo fusè, pro quacunque rei corruptione, vel desitione, quomodocunque contingat, & ita comprehendit etiam creationem, & annihilationem; secundo modo presè, & ita accipitur pro inceptione rei ex præsupposita parte, vel subiecto, & desitione rei, remanente adhuc aliqua ipsius parte scilicet, vel subiecto; & in hoc secundo sensu adhuc potest sumi dupliciter, vel in ratione mutationis, vel in ratione productionis, ex Aristot. 1. Phys. 64. & Scot. 1. d. 2. q. 7. R. & d. 5. q. 2. G. cuius distinctionis sæpius meminimus disp. 1. de Principijs in communi.

163 Dicendum est, materiam esse generabilem, & corruptibilem, latè sumpto vocabulo generationis, & corruptionis, & etiam presè sumpto, si accipiatur in ratione mutationis; si verò sumatur in ratione productionis ex præsupposito subiecto, vel desitionis oppositæ, est prorsus ingenerabilis, & incorruptibilis. Conclusio tres habet partes, & faciliter quoad omnes probatur; nam in primis, quòd sit generabilis, & corruptibilis, latè sumpto vocabulo generationis, & corrupt. patet, quia cum sit ens creatum, ac proindè de se indifferens ad esse, & non esse, in hoc enim ens creatum distinguitur à Deo, quòd est ens summè necessarium, consequenter est à Deo creabilis, & annihilabilis, hoc enim est commune cuicunque creaturæ; sed quia inter entia creata, quædam sunt talis conditionis, vt cum solo concursu generali Dei non sint in perpetuum duratura, vt homo v. gr. semel productus, sine speciali miraculo in æternum perpetuari non potest; quædam verò talis sunt conditionis, vt semel producta possint deinceps cum solo concursu generali Dei in æternum durare vt communiter Theologi dicunt de Angelo, & Anima rationali, inter entia secundi generis est materia prima, nam licèt simpliciter, & absolutè possit à Deo annihilari, quia à Deo liberè conseruatur, & de se indifferens est ad esse, & non esse; talis tamen est conditionis, vt continuante Deo exhibitionem solius generalis concursus ipsa in æternum duraret. Ratio enim, ob quam secundùm communem naturæ cursum entia creata desinunt est contrarietas, immediata, vel mediata, quam ad inuicem habent ratione dispositionum oppositarum, quas formæ substantiales exigunt pro sui conseruatione; vel est naturalis quædam sequela, qua v. g. ad corruptionem subiecti corrumpuntur accidentia, quæ extant in illo, sed materiæ nihil est contrarium, nec mediatè, nec immediatè, cum indifferenter appetat omnes formas, & præterea in nullo subiecto est, ad cuius corruptionem ipsa naturaliter corrumpi debeat, et desinere, ergo secundum communem naturæ cursum materia desinere non debet, sed in æternum duratura est cum solo concursu generali.

164 Quoad 2. partem, nimirum materiam adhuc esse generabilem, et corruptibilem, si generatio, et corruptio presè sumantur, sed in ratione mutationis, faciliter probatur, quia est subiectum cuiuscunque mutationis substantialis, tam acquisitiuæ, quam deperditiuæ, ergo à generatione, et corrupt. ita sumptis generabilis, et corruptibilis denominari debebit, cùm forma denominet subiectum, in quo est, iuxta naturam suam; et in hoc sensu vocauit Philosophus ipse materiam generabilem, et corruptibilem 8. Met. 4. et 12. Met. 10. et modus hic loquendi proprijssimus est, vt notat Bargius 1. d. 2. quæst. 7. licet non sit in vsu, quia mutationes subiectum propriò denominant, et non terminum, id quoque Manca concedit 1. Phys. q. 4. dub. 6.

Demum quo ad tertiam partem scilicet materiam esse ingenerabilem, et incorruptibilem, si generatio, et corruptio strictè sumantur, et in ratione productionis, vel desitionis oppositæ, non minori facilitate probatur, quia si materia prima in hoc sensu generari posset, vel corrumpi, fieri posset ex præsupposito subiecto, et in illud idem desinere, ergo iam non esset materia prima, quia non esset subiectum primum cuiuscunque generationis, nec postremum cuiuscunque corruptionis; sed materia prima esset illud primum subiectum, ex quo fieret, et in quod desineret, et illud esse deberet in hoc sensu ingenerabile, et incorruptibile, alioquin daretur processus in infinitum. Et in hoc sensu dixit Philosophus 1. Phys. 82. materiam esse ingenerabilem, et incorruptibilem.

165 In oppositum obijcies 1. ad probandum, materiam iam productam non posse cum solo concursu generali Dei in æternum durare, vt Angelus, et Anima. Materia, vt existat, indiget consortio formæ, saltim vt conditionis necessariò requisitæ ad connaturaliter existendum, ergo si separetur ab omni forma, per naturalem sequelam corrumpi debebit, nec vlterius poterit conseruari sine speciali miraculo; Anima verò etiam separata à corpore, adhuc naturaliter conseruatur sine speciali miraculo.

Resp. ex dictis superius q. 3. art. 1. materiam ad naturaliter existendum non indigere forma, vt conditione concomitante simpliciter necessaria, & sine qua ab intrinseco existere non posset; nam talis indigentia potius ortum ducit ex extrinseco Dei decreto, quàm ex natura intrinseca materiæ, & talis exigentia formæ in materia, vt existat, potius est naturæ vniuersalis, quam naturæ particularis ipsius materiæ, & talis exigentia formæ in materia, vt existat, potius est naturæ vniuersalis, quam naturæ particularis ipsius materiæ, eò quia materia producta est ad constituenda composita ab Auctore naturæ, & non ad solitariè existendum, vndè materia suæ naturæ relicta, etiam si ab omni forma separetur, adhuc perseueraret in esse cum solo concursu generali Dei, quo prius conseruabatur cum forma, nec aliud miraculum interueniret præter illam separationem, & ideò negatur, quod ad separationem omnis formæ materia statim interitura foret ex natura rei, ita quod indigeret adhuc speciali miraculo pro sui conseruatione.

166 Secundò obijcitur, esse generabilem, & corruptibilem, generatione, & corruptione presè sumpta in ratione productionis, vel oppositæ destructionis; quia materia licèt non constet ex partibus essentialibus, constat tamen ex entitatiuis ad inuicem continuatis, ratione cuius continuitatis dicitur vna numero, sed hæc vnio continuitatis corrumpitur, & generatur, quia partes materiæ possunt diuidi, & iterum continuari, ergo, & vnitas numerica materiæ generatur, & corrumpitur.

Resp. hoc argumentum valdè torquere, & Recentiores Thomistas, qui vnitatem continuationis asserunt, esse modum quemdam substantialem, & veteres Scotistas, qui totum integrale realiter à partibus distinguunt; planè neutri istorum difficultatem effugere omninò possunt, vndè Hurtadus disp. 6. Phys. sect. 4. §. 41. valdè laborat pro solutione, frustra quoque Canonicus quæst. 9. 1. Phys. art. 2. dub. 1. conatur euadere difficultatem dicendo quod hinc secundum quid sequi corruptionem materiæ quid, quia resolueretur in partes suas entitatiuas, omnibus illis adhuc remanentibus, illud verò dicitur simpliciter corrumpi, quod ita resoluitur in partes, vt aliqua illarum desinat esse, sed non satisfacit; nam si cum homo dicitur verè corrumpi, dum, eius partes ab inuicem separantur, etiam si nulla istarum in se desinat, quia corrumpitur tertia entitas, quæ ex eis vnitis resultabat, aut saltim corrumpitur vnio substantialis secundùm Recentiores, ita in casu nostro, si totum integrale dicit tertiam entitatem à partibus integrantibus distinctam, vt Canonicus insinuare videtur 1. Phys. q. 5. aut saltim vnitas continuationis dicit modum substantialem, planè in ipsarum partium dissolutione, et discontinuatione aliquid ipsius materiæ desinere, et corrumpi necesse est, aut ipsam totalitatem, aut saltim vnionem; at nos, qui totum integrale non distinguimus à partibus, et vnitatem integritatis præter indiuisibilia terminantia, nihil dicimus superaddere partibus, nisi meram præcisionem, & negationem continuitatis cum alia parte cum Scoto 4. d. 12. qu. 4. K. parùm vrget difficultas, vt patet, sola restat difficultas de indiuisibilibus materiæ, tam continuantibus, quàm terminantibus, quomodo illa destruantur in diuisione materiæ, et ista de nouo fiant, de qua agemus inferius disp. de Continuo.

167 Tertiò obijcitur: Tum quia materia est causa corruptionis compositi, ergo ipsa quoque corruptibilis erit, nam propter vnumquodque tale, et illud magis, 1. Post. cap. 2. Tum 2. quia agens naturale

rale potest agere generando, & corrumpendo in perfectius, scilicet in compositum, ergo tantò magis imperfectius. Tum 3. quia corruptibilium corruptibilia sunt principia 1. de Cœlo 61. ergo cum materia sit principium mortalium, corruptibilis erit; Tum 4. quia Aristot. ipse text. 82. vbi asseruit eius ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem, fassus est, esse generabilem, & corruptibilem, saltim per accidens; Tum etiam quintò, si materia non generatur, & corrumpitur, ergo generatio non est mutatio totius in totum contra Philosophum 1. de Gen. 24. Tum tandem ex hoc sequeretur esse nobiliorem forma, & composito, quæ ambo corruptibilia sunt.

Resp. negando consequentiam, ad probationem diximus dub. 56. Instit. Log. propositionem illam habere veritatem in causis vniuocis, quando nimirum denominatio conuenit vtrique, causæ scilicet & effectui, vt si manus est calida propter ignem, ignis est magis calidus; at non ita dici potest, manus est calida propter solem, ergo sol est magis calidus, & ita est in proposito. Ad 2. modus ille arguendi valet de passis contentis intra sphæram actiuitatis agentis, quod si potest inperfectius, potest etiam in imperfectius, at si imperfectius sit extra sphæram, vt in proposito, non valet; potest enim homo v. g. hominem generare sed non murem, quia mus est extra sphæram actiuitatis eius. Ad 3. Aristot. ibi non loquitur vniuersaliter; sed indefinitè, ad quod sufficit, vt aliqua sint corruptibilia, scilicet forma, & priuatio, non omnia. Ad 4. cum Philosophus dixisset, materiam esse per se ingenerabilem, & incorruptibilem; subdit, generari, & corrumpi per accidens idest, ratione formæ vel priuationis, quæ in materia incipiunt, & desinunt iuxta varias expositiones. Ad 4. generatio est mutatio totius in totum capiendo totum cathegorematicè; idest, pro ipsa tertia entitate, seu pro ipsa totalitate, quæ includit vnionem, non autem syncathegorematicè; idest, pro singulis partibus, ita Canonicus cit. ex Scoto in 4. d. 11. q. 1. sub A. Ad 6. negatur consequentia; tum quia nobilitas simpliciter attenditur ex perfectiori gradu naturæ, non ex aliqua peculiari eius conditione; tum quia maior vel minor duratio non infert vniuersaliter in his inferioribus maiorem, vel minorem perfectionem; nam vt docet Scotus 3. distin. 1. q. 3. ex Aristotelis 1. Ethicorum cap. 5. non est perfectius, quod durat per decem annos; quam quod durat per diem; Tum denique quando aliqua duo habent duas perfectiones alterius rationis, illud censetur simpliciter nobilius, quod habet perfectionem superioris ordinis iuxta Scoti regulam 1. d. 8. quæst. 1. ad 1. In proposito, materia habet incorruptibilitatem; forma, & compositum actualitatem, & hæc est perfectio superioris ordinis illa, atque ideo compositum, & forma sunt simpliciter nobiliores à materia.

ARTICVLVS III.

An Materia sit causa corruptionis, vel potius forma.

168 A Vicen. 1. suæ suffic. capit. 3. dicit corruptionem à contrario prouenire, vndè in eius sententia res dicitur corruptibilis, quia habet contrarium. Canonicus 1. Phys. quæst. 9. art. 2. dub. 2. putat, primam & præcipuam causam corruptionis esse formam, non materiam, à qua sententia non longè distant quicumq; dicunt causam primam, & radicalem corruptionis non esse materiam, sed formam habentem contrarium per quod possit expelli, vt hinc asstruant Cœlum incorruptibile. Communis affirmat, materiam esse primam, & intrinsecam causam corruptionis, ita D. Thomas p. p. quæst. 66. art. 2. & 2. contra Gentes cap. 55. Scotus 2. d. 12. qu. 1. sub A. & d. 14. qu. 1. & 3. d. 22. qu. vn. §. *Rationes quas faciunt &c.* cum eorum discipulis.

Pro decisione quæsiti, notandum est, hìc nos non quærere, nec causam totalem, nec præcipuam corruptionis compositi, sed radicalem, & originariam, nam si de totali sit sermo, cum corruptio compositi fiat per separationem materiæ à forma, necessariò ambas includit, vt integrantes causam totalem corruptionis compositi, ea ratione, qua sunt abinuicem separabiles, si sit sermo de partiali, vtraque in suo genere est causa partialis corruptionis, quatenus materia non satiatur forma ob eius infinitatem capacitatem, & appetitum interminatum, nec forma satiat materiam ob eius limitatam perfectionem, nam si satiaret, compositum incorruptibile redderetur; imò si loquamur de causa partiali præcipua, hæc est forma, vt notat Lichet. 2. d. 12. qu. 1. in solutione cuiusdam contradictionis in Doctore apparentis, quia compositum simpliciter, & absolute dicitur magis non esse per corruptionem formæ, quam per separationem materiæ, quia ipsa forma magis dat esse composito; loquimur ergo de causa partiali radicali, & originaria, & de ista loquendo, ponitur talis conclusio.

189 Dicimus, materiam esse primam radicem, & originem corruptionis compositi. Ita Scotus loc. cit. & Aristot. pluribus in locis semper reducit causam corruptionis in materiam, vt 1. Cœli 20. 136. & 138. 1. de Gen. 54. 2. de Gen. 51. & 54. 7. Met. 4. 53. 8. Met. 4. & 19. 9. Met. 17. de longitudine, & breuitate vitæ cap. 2. vbi præsertim, cum causam corruptionis assignasset contraria, hæc tandem reducit in materiam. Probatur ita conclusio; duplex solet assignari communiter causa corruptionis, extrinseca vna, & prouenit à contrarietate; intrinseca alia, & prouenit à contingenti, & dissolubili connexione partium intrinsecarum compositi; sed extrinseca reducitur ad intrinsecam, intrinseca verò reducitur in materiam, vt originem, ergo primaria radix, & origo corruptionis compositi est materia, non forma, aut contrarietas; probatur minor quoad primam partem, causam scilicet extrinsecam pendere ab intrinseca; Tum ex Doct. cit. in 2. d. 12. q. 1. vbi ait, non posse, nec debere assignari contrarietatem pro prima radice corruptionis, quia res non habet contrarium, ratione cuius sit corruptibilis, nisi quia habet aliquid intrinsecum, ratione cuius potest recipere contrarium, & formam oppositam illi, quam habet idem habet 3. d. 22. quæst. vn. vbi ait, *quamuis mixtum corrumpatur, quia est ex contrarijs non tamen esset mutua actio, nisi quia aliquid in potentia est, quod possit aliam formam recipere, & si etiam corpus simplex agat in simplex ratione contrarietatis, prima tamen radix est materia cum priuatione, quæ est in potentia, vt transmutetur ad aliam formam;* Tum ex Aristot. cit. de longit. & breuit. vitæ, vbi cum dixisset, *cui non est contrarium, impossibile vtique erit corrumpi,* ne quis cogitaret, contrarietatem esse primam radicem corruptionis, statim subdit; *impossibile esse materiam habenti non existere, aliqualiter contrarium,* quibus verbis manifestè docuit, causam extrinsecam corruptionis, scilicet contrarietatem, ab intrinseca pendere, ac originem ducere; probatur etiam minor quoad aliam partem, nimirum, quod intrinseca quoque pendeat à materia velut à primaria radice; Tum quia, vt ait Doctor 2. d. 14. q. 1. sub A. radix dissolubilitatis partium est materia, nam quando ex parte formæ esset necessaria connexio, semper tamen contingens est ex parte materiæ, quæ est potentia contradictionis, qua res potest esse, & non esse 7. Met. 22. & hoc non solum, inquantum est in potentia ad aliam formam incompossibilem ei, quam habet, sed præcipuè inquantum est in potentia ad priuationem formæ, quam habet; hinc enim præsertim dicitur potentia contradictionis; Tum etiam quia, vt ait Doctor 4. d. 12. quæst. 3. non potest agens naturale formam corrumpere, & consequenter neque compositum, nisi sit in materia capaci oppositæ formæ, aut oppositæ dispositionis ergo prima radix corruptibilitatis formæ, & compositi est materia.

170 In oppositum arguitur 1. ex Canonico citat. Tum quia materia est per se incorruptibilis, ergo non potest esse causa corruptionis, quia tunc vnum oppositorum esset causa alterius; Tum quia necessarium non est causa contingentis, ex 1. Prior. sed materia est ens necessarium, cum sit incorruptibilis ergo non est causa contingentiæ, & corruptibilitatis compositi; Tum quia in causis præcisis si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis ex 1. Prior. sed causa præcisa, qua compositum est ens in actu, est forma, ergo causa præcisa non essendi in actu eidè, erit forma.

Respond. ad 1. negando Consequentiam cum sua probatione, nam non est causa corruptionis compositi, quatenus est incorruptibilis, sed inquantum corruptibiliter vnibilis formæ ratione suæ potentialitatis; sic etiam sol est incorruptibilis, & tamen est causa generationis, et corruptionis rerum. Ad 2. loquebatur Phil. 1. Prior. de propositionibus in bona consequentia; ita enim ex necessarijs non sequitur conclusio contingens, alioqui absolutè falsum est, nam omnia entia contingentia ex Deo pendent, cui accedit, quod nunc dicebamus, materiam non esse causam corruptionis, quatenus in se necessaria est, sed quatenus vnio eius ad formam contingens est. Ad 3. licèt forma sit causa præcisa, cur compositum sit ens actu completo, et specificeo, non est tamen causa præcisa, cur sit ens actu absolutè, et simpliciter, siue transcendenter, quia etiam materia est causa entitatis compositi, et intrinsecè illius constitutiuâ.

Secundò obijcitur ex eodem. Nisi forma esse posset, et non esse obiectiuè, materia non esset possibilis subiectiuè, ergo possibilitas subiectiua materiæ pendet ex obiectiua formæ, quæ esse potest, & non esse virtute naturalis agentis, et hoc est præcipuum fundamentum Canonici.

Resp. negando assumptum, quia potius è contra res se habet forma enim est possibilis destrui ab agente naturali, quia est in materia oppositæ formæ capaci, vel priuationis; et extra materiam ab eo destrui nequit. Sed dices; si forma implicaret, materia quoque possibilis non esset, ergo possibilitas subiectiua materiæ pendet ex obiectiua formæ. Resp. assumptum esse verum ob relationem transcendentalem, quam habet materia ad formam, nam relatiua sunt simul natura, & actu, & potentia, qua etiam ratione verum est dicere, quod nec etiam forma possibilis esset, si materia implicaret, quare ex hoc non magis deduci potest, possibilitatem materiæ pendere à possibilitate formæ, quam è contra.

171 Tertiò arguitur; Tum quia possibilitas principij intrinseci; quo res constat, arguit possibilitatem, & corruptionem principiati, ergo cum forma sit pars compositi, & de se possibilis destri, erit etiam causa corruptionis compositi; Tum quia ait Arist. 1. Phys. 68. formâ solam sua præsentia, & absentia, sufficere ad generationem, & corruptionem, sicut solus nauta est causa salutis nauis, & naufragij per suam absentiam, vel per præsentiam; Tum tandem ait Scaliger Exerc. 17. materia non est actiua, ergo nequit esse causa corruptionis; & qualibet forma delectatur, ergo non appetit illam obijcere, et per consequens non est causa corruptionis.

Resp.

Resp. ad 1. probare tantum, quod etiam forma est causa corruptionis, quod vtique concedimus; at non probat, esse primariam radicem, nam hæc est materia, cùm ipsa quoque forma destrui nequeat ab agente naturali, nisi in materia. Ad 2. Aristot. ibi non excludit materiam, vt patet ex ipso contextu, quare argumentum probat solum, formam quoque esse causam corruptionis, & etiam esse præcipuam, sed non præcipuam, aut radicalem. Ad 3. probat solum, materiam non esse causam efficientem corruptionis, quia hoc est agens, contrarium inducens; neque esse causam per se, sed tantum per accidens, quatenus non satiata forma, quam habet, appetit quam non habet, incompossibilem illi.

Quartò, Arist. 1. de Cœlo text. 20. probat, Cœlum esse incorruptibile ea solum ratione, quia non habet contrarium, ergo sola contrarietas, vel sola forma contrarietatem habens est causa corruptibilitatis; probatur assumptum, quia sic arguit; Omne quod generatur, vel corrumpitur, ex contrario, & subiecto generatur, & corrumpitur, sed Cœlo nihil est contrarium, ergo &c. ecce quod in minori ex sola carentia contrarij, non verò ex carentia subiecti, aut materiæ, arguit, & deducit Cœli incorruptibilitatem.

Resp. imò potius ex modo arguendi, quo vtitur Arist. clarè deduci, contrarietatem non esse primam causam corruptionis, sed hanc pendere ex subiecto, & materia, vt docuit de long. & breuit. vitæ c. 2. & contrarietatem non reperiri, nisi vbi est materia; quare dum contrarietatis carentiam in minori assignat in Cœlo, consequenter subintelligit carentiam subiecti, nam sicut subiectum infert contrarietatem, ita carentia subiecti infert carentiam contrarietatis, alioquin contradiceret ei, quod dixit loc. cit. de long. & breu. vitæ, & argumentum foret in quatuor terminis, vel nihil probaret, dum in maiori pro causa corruptionis assignat coniunctim contrarium, & subiectum, & in minori pro causa incorruptibilitatis assignat solam carentiam contrarij.

ARTICVLVS IV.

An quantitas, saltem interminata, sit materiæ proprietas.

172 CElebris est Auerroistarum sententia quantitatem esse materiæ coæuam, & veluti proprietatem ab ea inseparabilem, quod ex Auerr. desumpserunt 1. Phys. com. 63. & in lib. de substantia orbis; dicunt tamen, quantitatem, vt in materia præcedit formas substantiales, esse interminatam, & variam, determinari verò ab agentibus naturalibus iuxta exigentiam formarum, quas inducunt; quod explicant exemplo materiæ artefactorum, præcedit enim vtique lignum cum sua quantitate omnes formas artificiales, sed ante aduentum illarum, varia, & indeterminata est, sed ab Artifice postea determinatur, & figuratur iuxta exigentiam formæ, quam intendit inducere, sequuntur Auerroistæ omnes, Achillinus lib. 1. de Elementis, dub. 17. Zab. lib. 2. de Materia cap. 9. Niphus 8. Met. disp. 4. Zimara Theor. 46. Contaren. to. 1. qq. peripat. quæst. 9. & quantitatem præcedere formas substantiales in materia, asserit quoque Suarez in Met. disputat. 14. sect. 3. Hurtad. in Physica disputatio 6. sect. 6. Auersa quæstion. 21. sect. 7. & alij Recentiores, & videtur communis opinio Nominalium.

Opposita sententia his scotis communis est Thomistis, quam colligunt ex D. Tho. pluribus in locis, 1. p. qu. 76. art. 6. sed præsertim qu. 11. de spiritualibus creaturis art. 3. ad 18. & opusc. 32. Scotistis, quam colligunt ex Scot. 2. d. 3. q. 4. & d. 11. qu. 2. & d. 15. qu. vn. vbi sub A, dicit, quantitatem esse proprietatem substantiæ corporeæ, & 4. d. 11. q. 2. & d. 12. qu. 4. Et sicut subiectum quantitatis statuunt esse corpus, non materiam; ita consequenter affirmant, cœtera accidentia corporea immediatè inhærere composito; hìc vero singulatim nobis loquendum est de quantitate, quia de subiecto in vniuersum omnium accidentium materialium disseremus initio Disputationis sequentis.

173 Dicimus quantitatem neque terminatam, neque interminatam esse coæuam materiæ primæ, neque illi immediate inhærere, sed corpori, & composito. Conclusio communis est Thomistarum, & Scotistarum contra Auerroistas, & Nominales, & cœteros Neotericos.

Primò probant hanc conclus. Faber Theor. 30. Fuentes 1. Phys. qu. 2. diff. 6. art. 1. Sghemma digress. 5. q. 9. plurimis Arist. testimonijs, nam in prædicamentis cap. de substantia dixit, accidentia primæ substantiæ inesse, & destructis primis substantijs, nihil aliorum remanere; & 1. de Gen. 23. & 24. ait, accidentia aduenire enti in actu, & penes hoc distingui generationem ab alteratione, & 7. Met. text. 4. docet, substantiam à toto genere præcedere accidens, natura, tempore, & definitione, quam auctoritatem satis vrget Doctor loc. cit. 2. dist. 3. q. 4. sed quia huiusmodi testimonia probant in vniuersum de omnibus accidentibus, vnam desumimus specialem de quantitate à Doct. ponderatam 4. dist. 11. q. 3. Ff, quam, si leuioris momenti putet esse Fuentes loc. cit. nos tamen arbitramur, esse cœteris vrgentiorem, ait Arist. 5. Phys. text. 8. subiectum generationis, quod est materia prima, non esse in loco, at si materia prima, vt subiacet generationi, haberet quantitatem, iam esset in loco, nam quantitas est ratio essendi in loco, ergo, &c.

Resp. Fuentes, ab hac auctoritate facilè se Aduersarios expedituros, dicentes, materiam primam, vt subiacet generationi, non habere locum determinatum, de quo loquitur Aristoteles, sed indeterminatum, de quo ipse non loquitur, & subdit, hanc solutionem impugnari non posse ex ipso contextu. Sed optimè impugnari potest ex ipso contextu, si cum Doct. loc. cit. ponderetur, intendit namque Arist. ibi, subiectum generationis, vt sic, non esse in loco, quia, & si haberet quantitatem, vt nos dicimus de corpore pro altera parte compositi, tamen non haberet eam, vt subijcitur generationi, quia quantitas non est ratio recipiendi terminum istius mutationis; at Aduersarij statuunt quantitatem materię coęuam, vt sit materia idoneum generationis subiectum, & receptiuum formarum substantialium vt infra patebit, adducendo eorum rationes, ergo in sententia Arist. materia, vt subiectum generationis, quantitatem non possidet, nec illi hac ratione tribui debet, etiamsi ex alio capite conueniret, per quod etiam ruit solutio Contar. cit.

174 Secundò arguitur, destruendo fundamentum oppositæ sententiæ; intantum enim aiunt, quantitatem esse materiæ coæuam, quia ipsam putant esse ingenerabilem, & incorruptibilem, & eandem permanere in genito, & corrupto; at falsum est, quantitatem non generari, et corrumpi; Tum quia in generatione compositi absolutè necessarium non est, quod præcedat subiectum actu quantum, et quale, sed potentia solum 7. Met. 32. ergo sicut in generatione noui compositi fit noua qualitas, ita etiam noua quantitas; Tum 2. quia si non fit noua quantitas, saltem fit noua terminatio quantitatis prioris, at hæc prioris quantitatis terminatio non erit, nisi noua quantitas vt notat Doctor 4. d. 11. q. 3. Ff. nam terminatio prior is latitudinis erit noua linea, seu delineatio, terminatio profunditatis erit noua superficies, quæ sunt veræ species quantitatis: Tum 3. quia ad quantitatem verè, et propriè datur motus augmentationis, et diminuitionis, in quibus noua quantitas producitur, et destruitur, vt innuit Scot. 4. dist. 12. q. 4. Nec respondere valet, augmentationem esse propriè motum terminatum, non ad quantitatem de nouo productam, sed resultantem ex vnione quantitatis alimenti cum quantitate viuentis, nam hoc est contra Aristot. 1. de Gen. 41. vbi ait, in nutritione, et augmentatione viuentis, quod *quantum oportet generari, & carnem*, sicut igitur noua caro verè generatur ratione nutritionis, ita, et noua quantitas ratione augmentationis: est etiam contra rationem augmentationis, quia augmentatio viuentis si fit per solam continuationem quantitatis materiæ alimenti cum quantitate viuentis, non erit vera, et propria augmentatio, sed potius quędam iuxta positio vnius quantitatis ad aliam, quo sensu etiam ignis augetur per iuxta positionem lignorum, quæ tamen non est vera, et propria augmentatio secundum omnes Philosophos, qui aiunt vnanimiter esse in solis viuentibus, et fieri per veram actionem vitalem, quæ productiua sit maioris quantitatis in viuente, et non tantum vnitiua, vel continuatiua vnius quantitatis cum priori, quia hoc fieri potest per solam iuxta positionem non vitalem, etiam secundum omnes, et singulas illius, quod dicitur augeri, partes, vt magis in lib. de Gen. explicabitur; Tum tandem, quia etiamsi quantitas corrumpi nequeat per se, quia nullum habet contrarium, à quo destruatur, adhuc tamen corruptibilis est per accidens ad corruptionem subiecti, quomodo etiam corruptibilia sunt cœtera accidentia, nullum habentia contrarium.

165 Tertiò quantitas est immediatum subiectum qualitatum materialium, quæ mediante insunt substantiæ, sed accidentia quędam materialia necessariò insunt composito, vt subiecto inhæsionis, ergo in omnibus compositis quantitas non necessariò inhæret materię primę, alioquin, et cœtera accidentia materialia quoque necessariò materiæ inhærerent; Maior est communis omnium sensus, paucis discrepantibus, probatur minor, quia actus vitales materiales necessariò insunt toti composito, non soli materiæ, vel animæ, vt docet Scotus quodl. 9. sub G. et nos dicemus postea.

Denique nulla est necessitas ponendi quantitatem materię coęuam: Nam vel ponitur, quia ipsa est ingenerabilis, et incorruptibilis, sicut materia ipsa, et hoc est falsum, vt supra dictum est; Vel vt extendat materiam ad hoc, vt secundum diuersas sui partes, diuersas quoque partes formæ subiectet, et hoc superuacaneum est, nam materia extensionem habet partium secluſa quantitate, entitatiuam, et substantialem, quantum sufficit ad subiectandas diuersas partes formæ, vt Scot. docet 2. d. 12. q. 2. D. et nos latè probabimus disp. de Continuo q. 1. ar. 1. Vel, vt sit idoneum subiectum actionis agentis naturalis, quod non agit nisi in quantum, et attingere nequit essentiam nudam materiæ, vt etiam Scotus significat 2. dist. 12. q. 2. sub F. et neque id vrget, nam, et si agens naturale per actionem alteratiuam agat in quantum, scilicet in compositum corrumpendum, et attingere nequeat essentiam nudam materiæ, per actionem tamen substantialem, et generatiuam attingit nudam materiæ essentiam, et ita explicat Lichetus Doctorem loc. cit. nam sicut materia est immediatè receptiua formæ substantialis, ita quoque est immediatè receptiua actionis substantialis eiusdem, ergo nulla potest afferri ratio cogens ad ponendam quantitatem materiæ coæuam.

176 In oppositum obijcies; Tum quia Aristot. 3. Phys. ait, infinitatem quantitatis prouenire ex materia, eius autem determinationem à forma, et 4. Phys. ipsam materiam appellat indefinitum, et interuallum, et 7. Met. 8. insinuare videtur, quantitatem primò inesse materiæ, eamque definiri, et determinari à forma. Tum quia

commune est axioma, quantitatem se tenere ex parte materiæ, qualitatem verò ex parte formæ. Tum quia qualitates præcedunt in materia substantialem formam, vt præuiæ dispositiones materiam proximè disponentes ad eam, ergo & quantitas præcedere debet, cum hæc non minus necessaria sit ad informationem, quam qualitas.

Resp. ad 1. Aristot. per illum loquendi modum solum insinuare voluisse, quod sicut forma est ratio determinata composito recipiendi hoc, vel illud accidens, materia verò indifferenter est ratio omnia recipiendi, ita quoque materia est ratio recipiendi composito quantitatem indeterminatè, sed forma ratio est recipiendi tantam, vel tantam, quia determinatio est à forma. Ad 2. commune illud axioma intelligendum est appropriatè, & non propriè, alioquin etiam in Cœlo materia foret, quod est contra Auerroistas, & hoc ob similitudinem, quam habet quantitas cum materia, qualitas cum forma, vt notat Doctor 4. d. 12. quæst. 2. D. sicut enim materia est proximum, & immediatum subiectum omnium formarum substantialium, sic quantitas est subiectum accidentalium, sicut materia non est de genere actiuorum, sed merè passiua, sic, & quantitas; è contra vero sicut formæ est agere, sic & qualitates ponuntur actiuæ; sicut formæ est perficere, ita, & qualitatis, & hoc fuit in causa, vt inde dictum sit, quantitatem se tenere ex parte materiæ, qualitatem ex parte formæ; quantitatem consequi materiam, qualitatem formam; hanc esse affectionem formæ, illam materiæ; non quod re vera quantitas sit materiæ proprietas. Ad 3. absolutè negatur assumptum, & si quantitas ita requiritur, vt proxima dispositio in materia ad recipiendum formam, veluti qualitas; planè sequitur, quod præcedere debeat terminata, & illi formæ accommodata, non autem indeterminata, & varia, quia sic non determinaret materiam magis ad hanc formam recipiendam, quàm ad illam, concomitanter, ergo tantùm se habet quantitas ad receptionem formæ substantialis.

177 Secundò obijcitur; Tum quia quantitas nequit à forma generari, quia ipsa non est quanta, non à quantitate, quia non est actiua, non à qualitate, quia est posterior, ergo ingenerabilis est, & coæua materiæ. Tum quia compositum est quantum, ergo materia præexistit quanta, quia quantum ex non quanto fieri nequit 6. Phys. 2. Tum denique in homine manifestè patet, quantitatem non posse composito inherere, quia accidens, quod est in composito, attingit simul vnione sua formam, & materiam per modum vnius, at quantitas nullo modo attingere potest animam rationalem ob eius spiritualitatem, ergo erit in sola materia.

Respond. quod sicut quantitas per se non corrumpitur, sed ad corruptionem subiecti ita neque per se generatur, sed ad generationem subiecti, scilicet corporis, vel compositi, dimanat ab eo, sicut cœtera accidentia composito connaturalia, vel ratione principiorum physicè constituentium, scilicet materiæ, & formæ, vel ratione realitatis corporeitatis de genere substantiæ, ratione cuius totum constituitur capax trinę dimensionis. Ad 2. negatur sequela, sufficit enim vt partes præexistant extensæ entitatiuè, & substantialiter, vt ex eis compositum actu quantum constituatur, Arist. vero loc. c. intelligitur de quanto ex additione partium integralium, lineam namque, ait, non componi ex punctis, nec superficiem ex lineis; at non loquitur de quanto ex constitutione partium essentialium. Ad 3. dicimus, in animatis quantitatem formam mixtionis consequi, non animam, & consequenter non in materia nuda, sed in composito ex materia, & forma mixtionis subiectari; argumentum, valdè torquet negantes pluralitatem formarum in composito, & nobiscum conuenientes in sententia de subiecto accidentium.

178 Tertiò, vt aliquid sit idoneum subiectum actionis materialis agentis, non sufficit, quòd sit quomodocunque extensum, sed debet esse extensum impenetrabiliter, ergo vt materia constituatur idoneum subiectum actionis agentis materialis etiam substantialis, qua substantialis forma introducitur, debet esse antecedenter extensa per quantitatem. Resp. concedendo assumptum in ordine ad sustinendam actionem alteratiuam, negando in ordine ad substantialem, nam cum ab agente materiali forma substantialis, ita in materiam debeat introduci, vt cum ea compenetretur, sufficit in materia ad suscipiendam formam substantialem, & sustinendam actionem agentis sola extensio entitatiua, & substantialis. Bassol. etiam nostter in 2. d. 12. quæst. 3. art. 1. defendit quantitatem interminatam in materia, & meliùs alijs rem explicat, ac rationes soluit communiter adductas, quas, vt futiles, nos omisimus; sed cum ipse ponat, quantitatem in materia præcedere, vt dispositionem ad formam, cogitur eam admittere etiam vt terminatum, nam sicut eò quia potentia receptiua materiæ est vniuersalis, & indeterminata ad omnes formas, determinari debet ad hanc & illam per has, vel illas qualitates, ita quia eius quantitas est interminata ad omnes formas, & limitari, & determinari debet ante aduentum formæ; rationes verò, quas pro sua opinione adducit, cum relatis coincidunt, vide disput. 5. de Gen. & Cor. quæst. 3. art. 2. vbi rursus de hac re disputamus contra Contaren. & Zab.

ARTICVLVS V.

An materia ita sit proprium pati, vt nullo modo sit actiua; & forma ita agere, vt nullo modo sit passiua.

179 QVidam absolutè intelligentes Aristot. dictum 2. de Gen. 53. *Materia est pati, & moueri, & mouere autem, & facere alterius potentia*, materiam posuerunt prorsus passiuam, omnem actiuitatem ab ea excludentes, & formam prorsus actiuam, & nullo modo passiuam; ita Vasquez p. 1. disputat. 196. numer. 13. Hurtad. disputat. 2. Phys. sect. 10. de Materia locuti sunt, licèt Hurtad. non assertiuè penitus. Suarez ex altera parte disputat. 15. Met. sect. 4. numer. 57. Auersa quæst. 20. sect. 11. Morisan. d. 1. Phys. quæst. 8. & alij, licèt materiæ denegent actionem transeuntem, & omnem illam, quæ cum vera efficientia contingit, & mutatione physica; concedunt tamen actionem, quæ fit per simplicem dimanationem, & resultantiam in ordine ad proprias passiones, & modos, quæ omnia Auctores primæ sententiæ ponunt materiæ concreata.

Dicendum est, nec materiæ esse ita proprium pati, vt nulla prorsus actiuitas sibi competere possit, nec formæ ita proprium agere, vt omnis actiuitas sit ei tribuenda, & omnis passiuitas deneganda. Conclusio est Scoti loc. infrà citand. nam in primis, vt ex ipso colligitur 2. dist. 12. qu. 1. & 2. materia talem habet actiuitatem, qualem habet quodcunque subiectum, vel quæcunque essentia in ordine ad proprietates suas & modos in ordine ad relationes, quas nata est fundare; habet etiam actiuitatem, vel habere potest in ordine ad propriam cognitionem, causando, & imprimendo sui speciem, vt notat Lichet. ibi; quando igitur materia dicitur non esse de numero actiuorum, debet intelligi, ait Lich. de actiuis & passiuis, quæ mutuo corrumpuntur, & generantur, & de qualitatibus consequentibus huiusmodi actiua, & passiua, certum enim est, quòd materia prima non potest producere aliquam formam substantialem effectiuè, nec aliquam accidentalem per verum motum, & mutationem physicam, & realem; & denique materia dicitur passiua, quia ordinata est ad recipiendas omnes prorsus formas substantiales, & caret quacunque actione physica, & reali, non verò intentionali, qualis est productio specierum, & metaphysica, qualis est dimanatio accidentium connaturalium à proprio subiecto, abstrahens à motu, & mutatione.

180 De forma verò, licèt verum sit præsertim de substantiali, quòd vnaquæque est principium alicuius operationis, nam omne ens in rerum natura productum, & præcipuè completum, videtur ad alienam operationem à natura destinatum, nec manet otiosum in hoc vniuerso, per propriam formam, vt colligitur 1. Cœli 32. & 2. Cœli 50. & 59. & 3. Cœli text. vlt. & 3. de An. text. 60. qua ratione ait Doctor 2. d. 12. q. 1. in fine ex Comment. quòd operatio semper arguit formam; id tamen non ita intelligendum est, vt omnis forma habeat virtutem actiuam suæ speciei communicatiuam, nam, vt notat Scot. 1. d. 7. q. vn. V. aliquæ formæ mixtorum perfectorum sunt communicatiuæ sui, & aliquæ perfectiores illis non ita, sicut formæ corporum cœlestium, & formæ angelicæ, cuius rei reddere rationem facile non est, ait Doctor; neque in eo sensu intelligendum est, vt ita præcisè sit ratio agendi, quòd nullo modo sit ratio patiendi, & recipiendi, cum non solùm materia, sed forma quoque sit composito ratio recipiendi accidentia ei consentanea, cœterasque affectiones connaturales ex Scot. 2. d. 10. qu. vn. F. & d. 18. q. vn. C. vbi ait; quod pes eandem formam, per quam res est hæc, per eandem quoque est susceptiua passionis consequentis naturam illius rei.

181 In oppositum obijcies 1. materiam nullo modo esse actiuam, quia materia dicitur pura potentia passiua, ergo nulla prorsus potest ei tribui actiuitas, & 2. Phys. materia, & efficiens non coincidunt, & sola forma dici solet ratio agendi; & operatio arguit formam. Confir. quia si materia esset actiua, non esset necessarium agens extrinsecum ad productionem formæ, & materia producta fuit in rerum natura, vt esset subiectum omnis mutationis, ergo ex sua conditione solùm conuenit ei potentia passiua, non actiua. Denique omne agens est determinatum ad talem, vel talem operationem, at materia de se est prorsus indeterminata.

Resp. quod sicut dicitur pura potentia per exclusionem solùm actus formalis, & specifici, non verò per exclusionem actus entis, ita excludit omnem operationem, cuius principium est forma physica, omnem nimirum actionem generatiuam, et corruptiuam, omnem physicam, et realem, sed non omnem operationem, quæ esse potest ab essentia rei, qualis est dimanatio metaphysica suarum proprietatum, et actio intentionalis per impressionem speciei in potentia; nam neque huiusmodi actiones quantitati denegantur, licèt communiter remoueatur à numero actiuorum, et dum ait Aristot. in materiam, et efficiens non coincidere, ait Doctor 2. d. 25. q. vn. K. id debere intelligi de actione propria, vt distinguitur ab emanatione, et satis suprà explicatum est, in quo sensu forma sit ratio agendi, et quenam sit operatio, quæ arguit formam physicam; cui addimus quod cum communiter dicitur, formam esse rationem agendi, id non tam intelligitur de forma partis, et physica; quàm de forma totius, et me-

& metaphysica, sumpta pro quidditatè, & natura rei. Ad confirm. valeret consequentia, si materia poneretur talem habere actiuitatem, qualem habet generans, & efficiens, at talem ei non tribuimus, & ideo ad rerum generationem se habet materia solùm, vt subiectum, & præter materiam requiritur extrinsecum agens. Ad aliam dicimus; materiam in genere principij passiui esse ad omnes formas indeterminatam, at in genere principij actiui determinata est in ordine suæ actiuitatis, nam ab ea non dimanant, nisi tales passiones, nec est impressiua nisi specierum ipsam repræsentantium.

182 Secundò obijcies, formam non posse esse passiuam, quia formæ est agere, materiæ pati, forma est actus, materia est potentia, & hæ compartes physicæ in ratione actus, & potentiæ sunt ita alterius rationis, vt sint primò diuersæ in genere physico ex Scot. 2. d. 12. q. 1. E. Accedit, quod si materia ponatur quomodocunque ratio agendi, & forma ratio patiendi, eo ipso confundimus munera materiæ, & formæ.

Respond. neque pati esse ita proprium materiæ, neque agere formæ, vt hoc materiæ prorsus repugnet, & illud formæ, nam, & materia est suarum proprietatum effectiua, & anima suorum actuum receptiua; sed quia materia vniuersaliùs est ratio patiendi, quam agendi, forma verò è contrà, hinc factum est, vt absolutè dictum sit, formæ esse agere, materiæ verò pati; dicuntur etiam absolutè forma actus, materia potentia, quia considerantur, vt partes concurrentes ad constitutionem compositi physici, & in hoc concursu materia se habet passiuè, forma actiuè, seu perfectiuè; neque enim actiuitas, quam habet materia, qualiscunque sit, data est ei ordine ad constitutionem physici compositi, sic enim solùm in ea consideratur passiuitas; sed data est ei, vel in ordine ad proprias passiones, vel ad suam cognitionem producendam. Neque ob id confunduntur munera physica materiæ, & formæ; Tum quia in constitutione physici compositi materia semper se habet, vt potentia, forma vt actus; Tum quia munus materiæ primæ est esse primum subiectum omnium formarum & munus formæ est, ita esse actum, vt non possit esse primum subiectum, in quo sensu prorsus repugnat, munus vnius alteri conuenire, & in hoc sensu debet intelligi Doctor loc. cit. dum in ratione actus, & potentiæ vocat materiam, & formam primo diuersa; & hunc esse sensum Doctoris colligitur ex eius verbis, dum inquit, quod si materia includeret aliquid actualitatis formæ, iam ipsa non esset primum receptiuum, & si forma includeret aliquid passiuitatis materiæ, iam ipsa non esset primum receptum.

DISPVTATIO TERTIA.

De Principio materiali, & formali mutationis accidentalis.

1 *POst disputationem de principijs materiali, & formali mutationis substantialis, hìc eadem principia inquirimus* **mutationis** *accidentalis; & sanè mirandum est, quare Expositores in his Phys. libris tam sint exacti in declarandis principijs mutationis substantialis, de principijs verò mutationis accidentalis nec verbum quidem faciant, quam tamen fatentur esse præcipuam passionem corporis naturalis, & naturam esse præsertim principium eius, & in hoc sensu ab Aristot. definiri 2. Phys. Hac igitur de causa disputationem præsentem instituimus, declarato namque subiecto adæquato motus, seu mutationis accidentalis, statim innotescit quoque adæquatum Philosophiæ subiectum; supponimus autem ex dictis ab initio præcedentis Disputationis; declarando* **naturam** *formæ substantialis, accidentalem formam esse actum secundùm quid & secundarium alteri inhærentem; veluti subiecto; cum quo vnum per accidens constituit; supponimus etiam ex dicendis Disputatione vltima horum librorum, hanc formam esse terminum ad quem motus, seu mutationis accidentalis, hac enim ratione motus dicitur mutatio accidentalis, quia nimirum ad accidens terminatur.*

QVÆSTIO I.

Quodnam sit proprium, & adæquatum subiectum accidentium, vt indè cognoscamus proprium, & adæquatum subiectum motus.

2
VÆ extant celebres sententiæ, quarum singulæ pro tutricibus habent celebertimas Scholas Auerroist., & Nominalium, quibus Neoterici subscribunt Suar. disput. 14. Met. sect. 3. Hurt. disput. 6. Phys. nu. 8. Arriag. disp. 5. Phys. sect. 2. & alij asserunt subiectum proprium, & adæquatum quantitatis, & cœterorum accidentium, esse materiam primam. Thomistæ, & Scotistæ defendunt, esse corpus, siue simplex, siue ex materia, & forma compositum, quarum Scholarum, vel plurimum dissentientium, in hac controuersia vnio concors maximum inditium esse debet huius veritatis. Auctores tamen primę sententię non eodem modo eam intelligunt, & defendunt; quidam enim eorum absolutè tuentur, materiam nudam se sola esse sufficiens accidentium subiectum absque consortio formæ, & merè concomitanter formam se habere in materia ad receptionem accidentium, vnde cum nullo modo receptio accidentium pendeat ex vnione materiæ cum forma, asserunt consequenter, forma veteri abeunte, eadem accidentia remanere in genito, quæ fuerant in corrupto; & hic est frequens modus, & ingenuus magis tuendi hanc sententiam. Alij verò ad euitandas difficultates, sed præsertim manifestas Aristot. auctoritates, testantes, subiectum motus, & accidentium esse ens simpliciter, & in actu, dixerunt materiam esse quidem subiectum inhæsionis accidentium, non tamen nudam, sed vt prius vnitam formæ, itaut in recipiendo, & sustinendo accidentia dependeat à forma substantiali, vel tanquam à causa formali extrinseca, quasi illius existentiam fulciente ad illa sustentanda, vt Conimb. 1. de Gen. c. 4. qu. 4. art. 1. vel saltim tanquam à conditione, sine qua forma accidentalis non reciperetur in materia, nam talis est ordo ex natura rei inter formam substantialem, & accidentalem, vt in eodem proximo, & immediato subiecto inhæsionis omnes quidem recipiantur sed prius substantialis, deindè accidentalis, ita quod illa mediat non veluti subiectum recipiens formam accidentalem, sed veluti conditio disponens materiam ad eam recipiendam, ita Zabarel. de communi rerum gen. & interitu c. 9. quem sequitur Bargius 1. de Gen. q. 6. asserens (quod peius est) hanc fuisse Scoti mentem, Aresf. & Contar.

3 Pro intelligentia quæsiti, notandum est, hìc sermonem non esse de accidentibus quibusdam imperfectis, & incompletis quę non sunt, nisi via quædam in terminum, nam hæc in materia recipi nulli dubiũ est, vt de generatione substantiali patet, & vnione, quæ accidentia sunt relatiua, sed sermo est de accidentibus completis, & perfectis, vt sunt quantitas, albedo, frigiditas, & cœtera accidentia materialia, præsertim absoluta, ita notauit Tromb. 2. Met. q. 5. art. 2. in fine; & Canonicus 1. Phys. q. 9. art. 2. dub. 1. ad 1. Rursus cum duplex sit subiectum inhæsionis, cui nimirum proximè forma inhæret, ac denominationis, quod scilicet non formam immediatè in se recipit, sed tantum illius denominationem, quo sensu totum denominatur ab accidente parti inhærente, aut essentiali, aut integrali, nam homo dicitur formaliter intelligens per intellectionem animæ inhærentem, & simus, vel crispus ob simitatem, & crispitudinem naso, & capillis inhærentem; hic non est quæstio de subiecto denominationis, fatentur enim omnes hoc esse compositum, sed de subiecto inhæsionis; Quod iterum cum sit duplex, proximum, & adæquatum, cui scilicet proximè, & adæquatè accidentia inhærent; remotum, & inadæquatum, cui scilicet inhærent ratione proximi, & adæquati; quæstio vertitur de subiecto proximo, & adæquato.

4 Dicimus subiectum accidentium materialium Quod, proximum, & adæquatum esse corpus substantiale, siue simplex, vt multi probabiliter putant, esse Cœlum in sententia Arist. siue ex materia, & forma compositum. Materia verò, & forma dici possunt singula subiectum Quo, inadæquatum, & remotum, materia quidem subiectum Quo indeterminatum, forma verò determinatum. Conclusio est D. Thomæ, & Scoti locis citatis q. vltima, Disp. præcedentis art. 4. cum suis assecliis, quam ex antiquis Regent. Parisiens. 1. de Gen. & Cor. quæst. p. quæltiunc. collat. 4. ex Recentioribus egregiè tuentur Ruuius 1. de Gen. cap. 4. tract. 3. q. 8. & Ragus. disp. peripat. 18. Fab. theor. 75. cap. 5. & rursus 8. Met. disput. 3. cap. 2. Cauellus disput. 1. de An. sec. 17. & alij; explicatur prius Conclusio, deindè probabitur: cum ergo

ergo dicimus, compositum esse subiectum accidentium, non vtique accipimus totum syncathegorematicè, vt benè aduertit Raguf. cit. quasi singulæ partes totius accidentium partem in se recipiant, sed accipimus totum cathegorematicè, pro tertia nimirum entitate ex materia, & forma constituta; cum autem quicquid habet totum, id habeat ratione partium originaliter, & principiatiuè, consequenter etiam partes erunt ei rationes recipiendi accidentia, materia erit ratio recipiendi vniuersalis & indeterminata in ordine ad accidentia omnia, forma verò erit ratio determinata recipiendi hæc accidentia, & non illa, vt ex Scoto colligitur 2. dist. 18. vn. sub C. & in hoc sensu dicuntur subiecta quibus, inadæquata, & remota.

Solet hæc Conclusio probari varijs Aristot. auctoritatibus, & rationibus; Tum quia prima substantia primò substat accidentibus, & ea corrupta, nihil remanet ex cap. de substantia; Tum quia Aristot. 1. de Gen. text. 23. distinguit generationem ab alteratione, quia subiectum alterationis est compositum, generationis materia prima; Tum quia substantia à toto genere est prior accidente 7. Met. text. 4. Tum etiam quia totum per se supponitur toti per accidens, Tum denique quia maiorem affinitatem habet, & proportionem cum materia prima forma substantialis, quam accidentalis, atque adeò immediatiùs vniri debet; At quia rationes huiusmodi, & auctoritates facillimè euaduntur ab eis, qui asserunt, receptionem accidentium in materia dependere ab vnione eius cum forma, vndè fatentur, in materia prius recipi substantialem formam, & deindè accidentalem, aut ex indigentia materiæ, quam habet substantialis forma ad existendum, aut ex ordine naturali illarum formarum in informando idem commune subiectum; hinc rationes adducere conabimur, quæ contra omnes Aduersarios vrgeant.

5 Prima. Subiectum proximum, & adæquatum motus, est subiectum proximum & adæquatum accidentium, sed corpus & compositum est subiectum proximum, & adæquatum motus, non verò materia prima, ergo &c. probatur maior, nam idem est subiectum motus, & termini motus, vt idem est subiectum calefactionis, & caloris, quia subiectum mouetur propter terminum acquirendum, terminus autem motus, vt à mutatione substantiali distinguitur, est forma accidentalis ex ex 5. Phys. 8. Probatur quoque minor ex eodem 5. Phys. 3. vbi Aristot. explicans subiectum proprium, & adequatum motus cum suis terminis, ita loquitur, *alterum est, quod primum mouetur, & in quod mouetur, & ex quo, vt lignum, calidum, & frigidum*, & volens explicare, quodnam ex dictis sit subiectum motus, ait *motus manifestum est, quòd in ligno est*. Nec respondere valet subiectum motus esse compositum, non ratione totius, sed ratione partis, scilicet materiæ; Non valet, quia totum ratione partis est subiectum solum denominationis, non inhæsionis, at Aristot. ibi loquitur de subiecto inhæsionis, quia loquitur de subiecto, quod transit à termino quo ad terminum ad quem, hoc autem est subiectum inhæsionis, & ipsa verba Aristot. id apertè demonstrant, ait enim, *motus manifestum est, quòd in ligno est*, accidens autem non dicitur inesse subiecto denominationis, sed inhæsionis.

6 Secunda ratio deducitur ex Scoto in 2. dist. 18. quæst. vnic. sub D, quam cœteris solidiorem existimamus, & veluti fundamentum nostræ sententiæ statuimus, nec ab vllo Auctore adducitur, quem viderimus. Si materia prima est proprium subiectum inhæsionis omnium accidentium, ergo nullus erit motus violentus in rerum natura quod est contra omnem Philosophiam, probatur consequentia, quia ex dictis Disput. præcedenti, materia nullam formam recipit violenter, sed vel naturaliter, vel saltim neutraliter, ergo cùm motus dicatur neutralis vel violentus iuxta inclinationem, vel repugnantiam subiecti ad formam recipiendam, si materia ad nullam formam habet violentiam, sequitur manifestè, quemlibet motum futurum naturalem, vel saltim neutrum, & sic dum aqua calefit, motus ille naturalis erit, vel saltem neuter. Si dicatur motum illum in ordine ad materiam vtique esse naturalem, dici tamen violentum in ordine ad aquam, quæ est subiectum denominationis. Contra, ergo motus ille simpliciter, & per se naturalis erit, vel neuter, secundum quid tantum, & per accidens violentus, quia violentia, & naturalitas in motibus, simpliciter, & per se attenditur in ordine ad id, quod per se mouetur, non in ordine ad id, quod mouetur per accidens, & ratione alterius; si enim mobile per se habet inclinationem ad illam formam, motus est naturalis simpliciter; si repugnantiam, est violentus; sed mobile per se per aduersarios est materia, non aqua, quia caliditas recipitur immediatè in materia, vt in proprio, & adæquato inhæsionis subiecto, ergo motus ille simpliciter, & per se naturalis erit, non violentus.

Si dicatur, quod est violentus etiam in ordine ad materiam; non quidem nudè consideratam, sed quatenus formæ aquæ subiacet, & eius qualitatibus, quia calor formam incompossibilem in materia reperit, nempè frigus, ac proindè materiæ frigus sustinenti est quodammodo violentus. Contrà; Tum quia id est prorsus per accidens, vt monet Doct. loc. cit. naturalitas autem, & violentia per se, & simpliciter attendi debet ex eo, quod est per se in materia, non ex eo, quod ei accidit, vt est esse sub hac, & illa forma, sub his, & illis dispositionibus; Tum quia sic dicere posses eodem modo, dum ex aqua generatur ignis, materiam violenter transmutari ad formam ignis, quia hæc forma sibi repugnat, vt est sub illa, quod tamen à nemine dicitur, quia forma aquæ accidit ei, inquantum est susceptiua formæ ignis; Tum quia materia non est subiectum capax vnius formæ, quatenus est sub alia, sed absolutè, vt ab ea præscindit, ergo si est subiectum inhæsionis, omnium accidentium capax, non debet dici violenter calorem recipere modò, quia priùs erat sub frigore, quia accidit ei calor, vel frigus in ratione receptiui; Tum tandem motus dicitur violentus ob repugnantiam intrinsecam mobilis, seu subiecti ad formam, non ob extrinsecam, & accidentalem; at repugnantia, quam habet materia aquæ ad calorem, est solùm extrinseca, & accidentalis, proueniens nimirum à frigore, sub quo actualiter manet, ergo non sufficit ad hoc, vt motus dicatur ei simpliciter, & absolutè violentus.

Tertia ratio sumitur ex Scot. quodl. 9. G. vbi docet ex Aristot. in principio de sensu, & sensato, quamlibet operationem sensitiuam esse primò compositi ex materia, & forma, sicut proprij receptiui, non enim ipsa anima est immediatè receptiua visionis, sed ipsum organum, quod est compositum ex anima, & determinata parte corporis, est proximum susceptiuum visionis, idque docuit Aristot. 1. de An. text. 66. Respondent has operationes esse totius coniuncti, vt principij operatiui, non verò subiecti receptiui, ita enim sunt solius materiæ. Contra, huiusmodi operationes sensitiuæ sunt immanentes, ergo si sunt totius coniuncti, vt principij agentis, erunt etiam eiusdem, vt subiecti recipientis, probatur Consequentia, quia actio immanens per hoc à transeunte differt, quod recipitur in passo ab agente diuerso, at illa recipitur in eodem agente, à quo producitur. Respondent, ad hoc, vt dicantur immanentes, non esse necessarium, quod in eodem organo adæquatè recipiantur, sed satis esse, quod in materia recipiantur, quæ est illius pars intrinseca, nam sic dicuntur manere in operante, & non in passum extra illud existens transire, qui transitus propriè facit actionem transeuntem. Contrà, Tum quia, si ità foret, operationes sensitiuæ non dicerentur immanentes cum omni proprietate; quia & si non reciperentur in passo ab operante diuiso, reciperentur tamen in passo realiter distincto, scilicet in materia, quæ singillatim sumpta realiter distinguitur à toto coniuncto; Tum quia in eodem subiecto recipitur species impressa, & expressa, at species sensibilis impressa recipitur in toto coniuncto, vt species intelligibilis immediatè recipitur in intellectu, ergo & species expressa, siue sensatio; Tum tandem quia oculus ipse totus dicitur videns, non autem materia oculi, ergo visio non immediatè recipitur in materia oculi, sed in oculo toto, alioquin & materia ipsa oculi diceretur videns, nam forma necessariò denominat subiectum, in quo existit, talis, qualis ipsa est. Respondent, oculum solum denominari videntem, quia totum coniunctum est subiectum denominationis, & materia oculi est subiectum dumtaxat inhæsionis. Contrà, per hoc quòd aliquid sit subiectum inhæsionis alicuius formæ, non excluditur, quin etiam esse possit subiectum denominationis, etiamsi alicui toti, cuius est pars, possit eandem deriuare denominationem; anima v.g. est subiectum inhæsionis ipsius intellectionis, à qua etiam totus homo dicitur intelligens, sed adhuc & ipsa anima immediatè dicitur intelligens; nasus est subiectum simitatis, à qua totus homo etiam denominatur simus, sed adhuc & ipse nasus dicitur immediatè simus, ergo esse subiectum inhæsionis alicuius formæ, non excludit ab ea esse subiectum denominationis, quia impossibile est formam esse in aliquo subiecto, & illi effectum suum formalem non communicare.

8 Auctores tuentes oppositam sententiam in 2. sensu, ad tres rationes allatas occurrunt, dicendo, quòd ideò compositum & non materia prima, dicitur subiectum motus, ideò visio dicitur recipi in oculo, & non in materia oculi, quia materia prima non recipit formas accidentales, nisi sit priùs informata forma substantiali, & hac eadem ratione calefactio dicitur materia aquæ violenta, quia non priùs recipit calorem, quàm receperit formam aquæ, cui opponitur calor; at hinc inferre non licet, ideò accidentia recipi in toto composito, veluti in subiecto inhæsionis, quia forma substantialis non præcedit in materia, vt subiectum recipiens, sed potius, vt conditio recipientis. Sed hæc responsio ex dictis impugnata manet; Tum quia rationes allatæ nedum probant, formas substantiales in materia præcedere accidentales, sed absolutè probant, compositum esse subiectum inhæsionis. Tum quia etiamsi forma substantialis præcedens in materia accidentalem non esset subiectum capax accidentium, satis tamen subiectum capax, & idoneum illorum est compositum ex materia, & forma substantiali præcedente coalescens, nam licèt sit ens in actu vltimo substantiali, nec sit vlteriùs substantialiter perfectibile, & simpliciter, est tamen adhuc perfectibile accidentaliter: Tum denique conditio præcedens in subiecto receptionem formæ, non impedit denominationem eius circa tale subiectum, nec efficit, quòd denominatio debeatur aggregato per accidens ex subiecto recipiente, & conditione recipientis, vt inductione in omnibus potest deduci, sed per rationes allatas denominatio formæ accidentalis ita debetur composito, vt quandoque soli materiæ repugnet, vt patet de actibus sensitiuis, & motus aquæ ad calorem dicitur simpliciter violentus, ergo signum est, compositum esse subiectum inhæsionis, & non materiam primam.

Quar-

Quarta ratio specialiter vrget Auctores oppositam sententiam tuentes in secundo sensu, materia per eos non recipit formam accidentalem, nisi substantiali sit informata prius, sed statim, ac forma substantialis est in materia, componitur ex eis substantiale compositum, quod est subiectum capax accidentium, ergo in ipso immediatè recipiuntur, velut in proprio; & adæquato subiecto, non autem in materia, nisi mediatè, concomitanter, & inadæquate, maior patet, probatur minor, totum enim, quod ex partibus coalescit, vel est capax perfectionis accidentalis vel incapax; si primum, habetur intentum, quod accidentalis perfectio in eo recipitur immediatè; si secundum, oportet assignare rationem istius incapacitatis, quam reddere difficillimum erit, quia licèt sit incapax perfectionis substantialis, eò quia est subsistens, & in actu vltimato, adhuc tamen est vlterius perfectibile accidentaliter.

9 Quinta demum ratio vrget specialiter Auerroistas passim negantes in Cœlo materiam in Aristot. sententia, quia asserendo postea, materiam primam esse proprium, & adæquatum subiectum accidentium materialium, non videntur consequenter loqui, nam in Cœlo cernitur quantitas, lux, densitas, motus, & alia accidentia corporea, vbi tamen nulla reperitur materia in sententia istorum; & voluntarium esset dicere, accidentia illa posse subiectari in corpore, non ita hæc sublunaria, cum illa eiusdem prorsus sint rationis cum istis, vt dicimus in lib. de Cœlo.

In oppositum obijcitur 1. Si accidentia subiectantur in toto composito, ad quamcunque mutationem substantialem per destructionem subiecti omnia accidentia mutarentur, & fieret resolutio vsque ad materiam primam, quia nequeunt accidentia migrare de subiecto in subiectum, sed hoc est contra Aristot. qui 1. de Gen. 24. & 27. ait, multoties remanere eadem accidentia in genito, quæ erant in corrupto, vt quando ex aere fit aqua, permanet eadem diaphaneitas; & 2. de Gen. 25. ait, in elementis symbolis esse faciliorem generationem, quàm in dissymbolis, quia cum elementum symbolum generatur ex symbolo, vt aer ex aqua, non est necessarium, quòd omnes qualitates corrumpantur, sed illa tantùm, quæ dissimilis est, vbi quando generatio fit ex dissymbolo, omnes corrumpi necesse est. Est etiam contra rationem, quia si in instanti generationis remanet materia nuda, ergo remanet indifferens ad omnem formam, quare non erit maior ratio, cur hæc forma potius, quam illa inducatur in eo instanti, & falsum erit commune proloquium ex Aristot. sumptum, quòd *actus actiuorum non recipiuntur, nisi in bene disposito*. Et denique contra experientiam ipsam, quia videmus, in homine mortuo remanere eandem quantitatem, figuram, colorem, cicatricem, &c.

10 Respon. concessa maiori in compositis inanimitis, negando minorem, Ad primam probationem dicimus, Aristot. in primo loco non se explicare de qua identitate loquitur, an scilicet cùm generatur symbolum ex symbolo, maneat eadem symboli qualitas specie, vel numero, & ideò dicimus, manere non eandem numero, sed specie; in altero loco, cùm ait, faciliorem esse generationem symboli ex symbolo, quam ex dissymbolo, quia in ea non omnes qualitates intereunt, id intelligendum est de corruptione per se, quæ fit à contrario, non de corruptione per accidens, quæ fit ad corruptionem subiecti, hoc enim modo tot intereunt qualitates in vna, sicut in alia generatione, quia igitur facilitas, vel difficultas generationis attenditur ex qualitatibus per se corrumpendis, vtpotè ratione quarum inter se elementa pugnant, & non ex corrumpendis per accidens, quarum ratione non pugnant, sed conueniunt, ideò faciliùs dicimus, aquam ex aere generari, quàm ex igne, quia in priori generatione vna solùm qualitas corrumpitur per se, idest à suo contrario, nempè calor aeris à frigore aquæ, nam in humiditate conueniunt, in posteriori verò vtraque qualitas ignis per se corrumpitur, quia in nulla qualitate conueniunt ignis, & aqua; absolutè tamen loquendo, siue vno, siue altero modo, tot corrumpuntur qualitates in vna generatione, sicut in altera, ita significat Trombeta 8. Met. q. 2. art. vlt. ad 9. vide disput. 5. de Gen. & Corr. q. 3. art. 2. num. 93.

Ad 2. probationem eiusdem minoris ex professo dicemus disput. 5. quæst. 8. articul. 1. pro nunc dicimus, materiam sufficienter disponi pro receptione formæ, cum per præuias dispositiones expelluntur opposita accidentia, vnde dispositiones per accidens concurrunt ad generationem nouæ formæ, remouendo nimirum impedimenta, quia si generans reperiret materiam nudam, æque benè generaret sine dispositionibus præuijs, & diceretur inducere formam in passo benè disposito, ita colligitur ex Scoto 2. dist. 3. quæst. 4. & tenet P. Cauellus cit. num. 4. determinatur verò materia ad hanc potius, quàm illam formam recipiendam ex concursu determinati agentis, cuius actioni subest, vt colligitur etiam ex Scoto 2. d. 12. quæst. 2. F. vbi postquam docuit, quòd nullæ formæ circa materiam primam sunt simpliciter immediatæ, causam deinde inquirens, quare materia de se capax cuiuscunque formæ, potius hanc, quàm aliam formam recipiat, ipsam assignat ex parte agentis naturalis. Ad 3. probationem laborant negantes pluralitatem formarum in composito; nos eam admittentes, concedimus, eadem numero accidentia remanere, quæ formam mixti sequebantur, qualia sunt recensita in argumento, ex quo tamen sequitur subiectum horum accidentium esse materiam primam, sed totum ex materia, & forma mixtionis conflatum.

11 Secundò, Nisi accidentia in materia prima proximè inhærerent, sed in composito, sequitur, idem sui ipsius destructionem quærere, & moliri, quod est contra naturæ institutum, probatur consequentia exemplo caloris in aqua; Tum quia si calor est in composito aquę, ergo aqua in se recipit, sustinet, & conseruat id, quod tendit ad suam destructionem, atque ita propriè neci consentire videtur; Tum quia calor non est id propriè, quod agit, sed aqua, cui inhæret, & calor est eius instrumentum, ergo si calor est in aqua, vt in proprio subiecto, sequitur, aquam sui ipsius interitum procurare medio calore, vt instrumento; Tum tandem quia calor ipse, sui ipsius destructionem procuraret, dum interitum sui subiecti, scilicet aquæ procurat, eo modo, quo si quis parietem demolitur, cui innititur, sibi quoque interitum parat.

Resp. negando consequentiam; ad primam probationem concedimus, aquam, dum calefit, recipere, & sustinere id, quod tendit ad suum interitum, hac enim de causa dicitur calor esse violenter in aqua, & hoc non solùm non est absurdum, sed est prorsus necessarium, ne cogamur dicere, formam quamcunque in quocunque subiecto naturaliter quiescere, vel neutraliter; negatur tamen, aqdam, sicut recipit, & sustinet, ita conseruare calorem; etenim experientia docet, non tam citò calorem in aqua excitari, quòd statim aqua renititur, & calorem à se depellere conatur. Ad 2. negamus, calorem in aqua esse instrumentum illius, & aquam illo calore agere in seipsam, nam ignis est ille, qui agit in aquam, & vtitur calore, veluti instrumento ad aquæ destructionem. Ad 3. negatur assumptum, vel enim calor consideratur in ordine ad alterationem, in qua est agens principale, vel in ordine ad corruptionem aquæ in qua est solùm instrumentum ipsius ignis, velut agentis principalis, & neutro modo sui procurat interitum, nam primo modo potiùs se conseruare intendit, se diffundendo per varias aqu partes, & per hanc actionem non potest corruptionem sui subiecti scilicet aquę attingere, quia accidens nequit corrumpere substantiam vt fusè docet Doctor 4. dist. 12. q. 3. neque secundo modo est causa corruptionis aquæ, nam licet in actione corruptiua concurrat, velut instrumentum, actio tamen etiam ipsius instrumenti propriè attribuitur agenti principali, quod in proposito est ignis, & ideo ignipropriè, & non calor aquæ inhærens, dicitur causæ corruptionis aquæ.

12 Tertiò arguit Zab. Illud est subiectum inhærentiæ omnium accidentium, de cuius potentia educuntur, cum educi aliud non sit, quàm fieri dependenter à subiecto, at accidentia omnia, quæ generantur, de solius potestate materiæ educuntur, ergo illi soli inhærent, probatur minor, ignis calefacit aquam, ac proinde calorem educit de potestate ad actum, vel igitur educit ipsum de potentia aquæ, vt aqua est, vel de potentia materiæ, quæ est in aqua; non primum, quia aqua, vt aqua est, non solum non habet potentiam ad calorem, sed potiùs repugnantiam, ergo secundum.

Resp. concessa maiori, negando minorem, ad prob. dicimus, quod per potentiam aquæ ad calorem, intelligendo meram eius capacitatem, concedendum est, calorem educi de potentia aquæ, vt aqua est, & falsum est, aquam non habere potentiam in hoc sensu ad calorem, & talis potentia sufficit in subiecto ad eductionem formæ, vt patet ex dictis disp. præc. q. 7. art. 2.

Sed vrges. Calorem educi posse de potentia aquæ, est aquam posse materialiter causare calorem, sed aqua, vt aqua, non potest causare calorem, ergo calor de potentia aquæ educi non potest, vt aqua est, probatur minor, quia causa quælibet continet virtualiter effectum, vt illum in genere suo causare possit, sed aqua, vt aqua, calorem virtualiter continere non potest, cum potiùs oppositum contineat, nempè frigus, ergo, &c.

Resp. concedendo minorem de causalitate in genere causæ efficientis, negando in genere causæ materialis, & in hoc genere causæ aqua, vt aqua, continet calorem, quia tamen ad frigus, nedum habet potentiam pro mera capacitate, sed etiam inclinationem, nedum illud continet in genere causæ materialis, sed etiam in genere causæ efficientis, vnde remoto calefaciente, videmus, aquam redire ad pristinam frigiditatem. Verum tamen est, videmus non dici virtualiter contineri in subiecto, vt effectus in causa, sed tantùm potentialiter, quia continentia virtualis propriè spectat ad causam efficientem.

13 Quartò, Si accidens in composito residet, tanquam in subiecto, vel idem accidens est in materia, & forma secundum eandem sui partem, vel secundùm diuersas; si primum, ergo idem accidens secundum eandem partem est in duobus subiectis re diuersis: si posterius, iam illa pars accidentis, quæ est in materia, non sustentatur à forma, sed à sola materia, quæ proinde sufficiens erit ad sustentandum se sola accidens.

Resp. cum dicimus, totum compositum esse subiectum accidentium, non accipimus totum syncathegorematicè, idest pro qualibet eius parte, quasi quælibet pars totius accidentium partem in se recipiat, vel vtraq; eandem, sed accipimus cathegorematicè pro tertia entitate ex materia, & forma constata, dicimusq; quòd cum accidens vnũ primum expostulet subiectum, cui primò inhæreat, & adæquatè, itaut in multis inhærere primò, & adæquatè repugnet, hoc subiectum, cui primò inhæret, est totum ex materia, & forma constitutum, & ab eis reali-

realiter distinctum; argumentum igitur vrget non distinguentes realiter totum à partibus, & etiam nos vrgeret, si cum dicimus, totum esse subiectum accidentium, loqueremur de toto syncathegorematicè sumpto.

14 Quintò, vt aliquid sustineat aliud, velut eius subiectum, sufficit, vt habeat entitatem realem extra causam cum actuali existentia, & subsistentia, sed hæc omnia habet ex se materia, & non à forma, vel composito, vt in superioribus habitum est, ergo sufficiens de se est ad sustinenda accidentia; Quod adhuc ex formis substantialibus confirmari potest, quas materia sustentat, tanquam proprium subiectum earum, & hoc ratione propriæ existentiæ, & subsistentiæ, ergo hæc eadem sufficiens erit fulcimentum omnium accidentium.

Respond. maiorem deficere, vt enim vnum recipiat aliud, veluti eius subiectum, & sustentet, præter existentiam, & subsistentiam eius, vlterius exigitur, quòd tale existens, & subsistens sit idoneum receptiuum illius, quale non est materia, respectu accidentium, vt probatum est, alioquin dicere possemus, animam esse subiectum caliditatis, vel albedinis, quia est existens, & subsistens. Ad Confirm. negant aliqui paritatem ea ratione, quia vniuersaliter forma, quò plus habet inhærentiæ, eò est minoris consistentiæ, & ideò plus requirit subsistentiæ in subiecto ad sui fulcimentum, quare cum accidentia minorem habeant consistentiam formis substantialibus, non sequitur, quòd si existentia, & subsistentia materiæ sufficiens est fulcimentum istarum, etiam & accidentium esse debeat, & possit, & Ragusæus loc. cit. putauit, hoc argumentum, validissimum esse pro nostra sententia, cum enim accidentia plus dependeant à subiecto, quàm formæ substantiales, consequenter exposcunt subiectum maioris existentiæ, & subsistentiæ, quàm formæ substantiales, & hoc erit compositum ipsum. Verùm hæc ratio nullius est momenti, cùm in materia subiectentur multa accidentia incompleta, multique respectus, qui sunt magis dependentes à subiecto, quàm cœtera accidentia perfecta, & absoluta, de quibus hic loquimur. Dicendum igitur est etiam ad Confir. materiam esse idoneum subiectum formarum substantialium, non accidentalium, non quidem ob defectum existentiæ, & subsistentiæ, sed ob rationes allatas in decisione quæsiti.

15 Sextò tandem obijcitur; Tum quia in mortalibus quidquid est prius origine, est ignobilius, cum natura tendat ab imperfecto ad perfectum, ergo forma accidentalis in materia præcedit substantialem. Tum quia si caliditas tori aquæ inhæreret, tunc idem esset agens, & patiens, nam eadem aqua in se reciperet calorem, & à se repelleret, ad pristinam frigiditatem redeundo. Tum denique, si canis ex turri decidat, & in itineris medio moriatur, motus ille vsque ad terram vnus est, & continuus, atque ideò vnum, & idem, subiectum habet, à quo numericam sumit vnitatem, sed hoc esse nequit totum compositum, quia canis viuus est vnum compositum, eiusdem cadauer est aliud, ergo subiectum istius motus, à quo dicitur vnus, & idem, à summitate turris ad terram vsque, erit materia prima.

Resp. ad 1. assumptum esse verum de formis eiusdem generis, vt Scotus docet quodl. 13. sub R. in illo extra, vnde videmus in animatis, formam mixti, quæ est ignobilior, animam præcedere, at falsum est in formis diuersi generis, quales sunt in proposito forma accidentalis, & substantialis, quin potius res opposito modo se habet, nam substantia secundum totam suam coordinationem præcedit accidens, vt Scotus docet in 2. dist. 3. quæst. 4. ex Aristot. 7. Met. text. 4. Ad 2. non est inconueniens, idem esse agens, & patiens, sed non secundùm eandem rationem, neque eodem modo inspectum, & ita est in proposito, nam aqua patitur recipiendo calidi tatem ratione materiæ; agit verò, dum conatur eam à se repellere ratione propriæ formæ, & qualitatis ipsam consequentis. Ad 3. Thomistæ laborant in solutione, quia negant pluralitatem formarum in composito animato; sed nos facili negotio respondemus, motum illum esse vnum, & eundem numero propter mobilis vnitatem, quod quidem non est materia prima, sed corpus pro altera parte compositi ex materia, & forma mixtionis conflatum, cum enim corpus mixtum moueatur motu elementi prædominantis vt 1. de Cœlo Aristot. docet motus deorsum conuenit animali ratione corporis pro altera parte compositi, quod idem numero manet, & ante, & post obitum animalis, motus verò progressiuus conuenit ei, vt animal est; alia ad hoc quæsitum spectantia vide disput. 5. de Gen. & Cor. quæst. 3. art. 2.

QVÆSTIO II.

An potentia substantiæ corporeæ ad formas accidentales sit de eius essentia, vel passio, an potius accidens ei realiter superadditum.

16 MOuetur quæsitum præsens, eò quia non videtur penitus decidi posse iuxta decisionem eiusdem quæsiti de potentia materiæ ad formas, nam materia respicit formas substantiales, vt per se actus, & in vniuersum respicit omnes, tam substantiales, quàm accidentales naturaliter, quia vniuersaliter ad omnes inclinatur, quod de potentia passiua substantiæ corporeæ in ordine ad formas accidentales dici nequaquam potest, quia nec eas respicit, vt per se actus, cum quibus faciat vnum per se, nec ad omnes est in potentia naturali, immò quamplurimas respicit violenter, vt patet de aqua respectu caloris, vnde etiamsi iuxta decisionem quæsiti de potentia materiæ, nunc diceremus, potentiam substantiæ corporeæ ad formas accidentales sibi conuenientes esse illius connaturalem proprietatem, tamen id omninò non videtur asseri posse de potentia eius in ordine ad formas sibi disconuenientes.

Tres sunt sententiæ in hac quæstione extremæ, & vna media, Prima opinio extrema est Thomistarum asserentium, nullum accidens recipi in substantia, nisi media potentia accidentali realiter distincta à substantia recipiente, ac proinde volunt, esse accidens realiter superadditum, ita Sonc. 12. Met. q. 26. Iauellus eodem lib. 8. Caiet. 1. p. q. 77. art. 1. Suessans 1. Phys. c. 9. Masius ibidem q. 7. nuper Auersa quæst. 21. sect. 6. Conclus. 2. vbi declarat, hanc potentiam esse de secunda specie qualitatis.

Secunda sententia extrema huic opposita est Nominalium asserentium, substantiam immediatè secundùm suam absolutam entitatem esse accidentium receptiuam, nihilque omninò mediare inter substantiam recipientem, & accidentia recepta ab ipsa substantia, aut realiter, aut saltim ex natura rei formaliter diuersum, quam sententiam sequitur Suarez in Met. disput. 14. sect. 2. & fuit Ruuius 1. de Gen. c. 4. tr. 13. quæst. 10. & Moris. in Phys. disput. 1. quæst. 3. & alij.

Tertia demum sententia media est Scotistarum, qui contra Nominales negant, substantiam immediatè penitus per se ipsam recipere accidentia, & constituit potentiam mediam, non tamen à substantia realiter disiunctam, vt faciebant Thomistæ, sed tantùm ex natura rei formaliter, quæ sententia colligitur ex Doctore pluribus in locis, sed præsertim in 2. d. 16. q. vn.

17 Dicendum est substantiam corpoream media potentia recipere accidentia, quæ non est accidens ei realiter superadditum, sed naturalis aptitudo ad ea recipienda, si sunt eius naturæ consentanea, vel potentia neutra, aut violenta, si talia non sunt, ex natura rei formaliter ab ipsa substantia recipiente distincta, vt eius naturalis proprietas. Conclusio est Scoti cit. & quòd non sit huiusmodi potentia accidens realiter distinctum à substantia, probat Doctor sub lit. A. Tum quia si necessaria foret talis potentia realiter distincta, daretur processus in infinitum, deberet enim adhuc ad hanc potentiam recipiendam alia constitui potentia, & sic in infinitum; Tum quia comparando substantiam ad totam collectionem accidentium non potest illi vniri media aliqua re realiter ab ipsa distincta, nam hæc vel esset substantia vel accidens; si primum habetur intentum, quia saltim illa substantia media immediatè vniretur accidenti; secundum verò dici non potest quia loquimur de substantia in ordine ad totam collectionem accidentium.

Resp. Auersa loc. cit. concedendo, quòd comparando substantiam ad totam collectionem accidentium, oportet, vt aliquod illorum immediatè suscipiat, & ait, hoc accidens ita substantiæ immediatum esse huiusmodi potentiam accidentium receptiuam, neque idcircò cœtera accidentia eodem modo ad substantiam se habitura dicendum est, aut concedi debere aliam potentiam ad istam potentiam, etsi realiter distinctam, quia ipsa secundum se proximè est proportionata, vt insit substantiæ, & substantia, vt ipsam recipiat. Sed hæc responsio non soluit, Tum quia si hoc accidens recipi potest immediatè in substantia, & ita proportionatum proximè, vt insit substantiæ, quod non indiget alia media potentia realiter distincta, idem quoque dici poterit, & debebit de alijs accidentibus, vel saltim de quantitate, quæ proximior est substantiæ, quàm potentia ista, quæ est de genere qualitatis; Tum quia reddi nequit ratio tantæ proportionis, & affinitatis huius accidentis cum substantia, & cur hac proportione careant cœtera accidentia; Tum tandem quia quando etiam admitteremus huiusmodi potentiam, quantitas valdè aptior est, & magis idonea ad alia accidentia immediatè, & proximè recipienda, quàm huiusmodi potentia, vt constabit ex dicendis, qu. seq.

18 Resp. Auersa, rationem discriminis inter hanc potentiam, & cœtera accidentia esse, quia hæc potentia est accidens quoddam per se primò à natura institutum ad recipiendum, non ad inhærendum, & ideo potest, ac debet inhærere immediatè, & est ita ex suo munere medium, quo cœtera inhærent, vt non possit esse extremum, quod inhæreat alio medio, quæ Responsio est Caietani loc. cit. vbi rationem discriminis inter hanc potentiam, & reliqua accidentia ex eo explicat, quia talis potentia est ratio congenita, & est essentialiter potentia, ad hoc principaliter ordinata, vt actum recipiat; quod vero sit actus substantiæ; solùm habet ex communi ratione accidentis, & ideo non requirit aliam potentiam, qua mediante inhæreat substantiæ; alia vero accidentia primò, & per se sunt actus, & ideo proprias requirunt potentias, quibus mediantibus substantiæ inhæreant.

Sed hæc Resp. non satisfacit; Tum quia in ea committitur manifesta petitio principij, hoc enim est, quod in proposito quæritur, an detur accidens quoddam à substantia realiter diuersum, per se primò à natura institutum ad recipiendum, non ad inhærendum, tantùm ipsum immediatè inhæreat substantiæ, cœtera vero mediante ipso, & ita sit quo, vt non possit esse quod; Tum quia ex hac ipsa doctrina colligitur accidens, vt sic non per se requirere potentiam mediatam realiter distinctam, sed substantiam per se ipsam esse sufficiens receptiuum accidentis, vt sic, nam recipit illam potentiam, quæ est essentialiter accidens absque vllo prorsus medio; Tum etiam falsum est, quod huiusmodi potentia sit actus substantiæ solùm secundum communem rationem accidentis, & secundùm talem rationem generalem dumtaxat inhærere, quia forma est actus subiecti, secundum omnem suam realitatem, excepta illa, per quam conuenit cum subiecto, & forma accidentalis secundum omnem suam rationem etiam specificam, & indiuiduam petit inhærere subiecto, & ideò indigebit potentia alia media, sicut cœtera accidentia, qua inhæreat substantiæ; Tum tandem si relatio prædicamentalis à fundamento realiter distinguitur, cum talis potentia realiter inhæreat substantiæ, saltim secundum communem rationem accidentis, vtique talis inhærentia potentiæ ab ea realiter distincta, vel igitur hæc ipsa inhærentia potentiæ ab ea realiter distincta, immediatè recipitur in substantia, vel mediatè; non secundum, quia nulla prorsus præsupponitur potentia; si primum, ergo aliud quoque accidens, præter huiusmodi potentiam, immediatè recipitur in substantia, quare idem admitti poterit de quibuscunque alijs. Nec dici potest, modum inhærentiæ recipi in ipsa potentia, quia immediatè inest subiecto, vt ait Auersa quæst. 21. sect. 3.

Quòd verò ista potentia poni debeat saltim ex natura rei formaliter distincta à substantia recipiente, probatur ex dictis de potentia materiæ disput. præcedenti, quia siue huiusmodi potentia susceptiua accidentium sumatur pro naturali aptitudine ad accidentia naturæ rei consentanea, siue pro mera dumtaxat capacitate, semper in sua formalitate dicit relationem transcendentalem ad id, cuius est capacitas, ac proindè ex natura rei formaliter distinguuntur à substantia, quæ secundum se est essentialiter entitas absoluta; Denique probari potest Conclusio quo ad hanc vtramque partem ex dictis loc. cit. de potentia materiæ.

19 Quoad tertiam partem etiam faciliter probatur, nam si potentia substantiæ consideretur in ordine ad accidentia sibi connaturalia, erit vtique potentia naturalis, sed potentia naturalis passiua coincidit cum inclinatione, & aptitudine rei ad propriam perfectionem recipiendam, ergo, &c. & planè quis negabit, aquam calidam appetere naturaliter suam pristinam frigiditatem, & in eam semper manere naturaliter propensam, etiam si nunquam eam denuò resumeret? immo, & Aristot. ipse talem appetitum in nobis posuit ad scientias acquirendas 1. Met. ab initio, quando dixit, quod omnis homo natura scire desiderat.

Si verò consideretur substantia in ordine ad accidentia, vel ei contraria vel neutra, tunc eius potentia, seu capacitas, naturalis dici non debet, nec potest, sed erit potentia violenta, vel neutra; & huiusmodi potentia ahuc dici poterit naturalis proprietas huius, vel illius substantiæ corporeæ, non minus quàm ipsamet potentia naturalis, & ratio huius est, quia sicut potentia naturalis aquæ ad frigus recipiendum dicitur connaturalis eius proprietas, quia ratione propriæ formæ substantia aquæ petit, & exigit talem qualitatem sui conseruatiuam, ita quia ratione eiusdem formæ habet repugnantiam ad calorem, vt sui destructiuum, ideo potentia violenta ad illum poterit dici connaturalis proprietas eius, & idem dicatur de potentia neutra ad accidentia sibi indifferentia.

20 In oppositum obijcitur 1. ad probandum, hanc potentiam esse realiter distinctam; Tum auctoritate Aristot. 12. Met. 25. dicentis, eadem esse principia omnium generum, atque ideo sicut in genere substantiæ est forma propria, & propria priuatio, & potentia eiusdem generis, idest substantialis ad illas, sic erit quoque in alijs generibus; & 9. Met. text. 7. inquit actum, & potentiam esse eiusdem generis, & 2. de Anim. ait, potentia specificari per actus, vnde si actus est accidentalis, potentia quoque ad illum accidentalis erit; Tum etiam ratione, quia si ad agendum requiritur potentia actiua distincta ab agente realiter, etiam ad patiendum distincta potentia necessaria erit. Hinc videmus in cera mollitiem, quæ est potentia ad recipiendam impressionem sigilli, & in columna duritiem quæ est potentia ad sustentandam domum, quæ ponuntur in secunda specie qualitatis; Et denique actus semper est nobilior potentia ipsum respiciente, ergo actus est accidens, multò magis potentia.

Resp. ad 1. Aristot. auctoritatem non esse in eo sensu intelligendam, sed secundum proportionem, & analogiam, vt ex ipso contextu colligitur, non enim dicit ibi Philosophus, illa omnia principia in eodem prædicamento collocari, immo ponens exempla, ait, in coloribus, album esse principium, vt formam, nigrum, vt priuationem, superficiem, vt materiam; in illuminatione, lumen esse formam, tenebras priuationem, aerem subiectum; & in sanatione, sanitatem esse formam, morbum priuationem, corpus subiectum; non est igitur necessarium tria hæc principia esse eiusdem generis, & prædicamenti secundum entitatem, sed solum hoc habet vnitatem in substantia, quia ipsa est primum genus, vt docet Scotus 2. dist. 12. quæst. 1. infra C, in cœteris verò prædicamentis dicetur potentia ad formam esse eiusdem generis secundum aliquam tantùm denominationem, vt nimirum superficies ad genus qualitatis pertinebit, quatenus est illius susceptiua, non quia actu sit in illo. Ad 2. ait Doctor sup. cit. Philosophum ibi loqui de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, non verò de subiectiua, & actu formali, nam nec substantia est quantitas, licèt sit eius susceptiua, nec quantitas est qualitas, etsi illius receptiua. Ad 3. ait Doctor quodl. 13. & alibi sæpè, dictum Philosophi intelligi extrinsecè, non intrinsecè, sicut in vniuersum omnes relationes per suos terminos extrinsecè distinguuntur, nec tamen sequitur, relationem poni in eo prædicamento semper, in quo est eius terminus.

21 Ad rationem, Scotus loc. cit. sub A, nedum negat in substantia potentiam passiuam realiter distinctam accidentium receptiuam, verùm etiam potentiam actiuam ex verbis expressis Aristot. 7. Met. 32. & quando etiam admitteretur potentia actiua realiter distincta, non sequitur, pariter admitti debere passiuam, quia à toto genere plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum. Ad illud de mollitie ceræ, & duritie columnæ, inquit Doctor sub litt. P, quod potentia naturalis actiua, vel passiua non ponuntur in secunda specie qualitatis, sed facilitas indita à natura ad vtendum illis, agendo, vel patiendo, & in hoc sensu mollities ceræ, & durities columnæ sunt de secunda specie qualitatis, quatenus illa est facilitas ceræ innata ad recipiendum sigilli exemplar, &c. Denique cùm dicitur, actum esse nobiliorem potentia, verum est de potentia respiciente actum essentialem, & primarium, non autem actum accidentalem, & secundarium, nisi secundum quid, nempè si vnum consideretur, quatenus actus, & perfectio, aliud quatenus potentia, & perfectibile, quo sensu accidens potest esse nobilius substantia.

22 Secundò obijcitur. Tum quia secundùm communem ponitur quantitas accidens immediatum à substantia realiter distinctum, quo cœtera accidentia corporea recipiuntur in substantia, ergo à pari poterit admitti eiusmodi potentia de genere qualitatis ad idem munus obeundum. Tum quia rationabile est, vt accidentia mutabilia, & variabilia debeant recipi in substantia mediante aliquo accidente, quod sit immutabile, & inuariabile, & eiusmodi accidens inuariabile rationabilius aliud esse non potest, quàm potentia ista substantiæ congenita. Tum tandem quia potentia, qua formaliter substantia denominatur potens recipere accidentia, vel est potentia substantialis, vel accidentalis: non substantialis, quia hæc respicit actum substantialem, ergo erit accidentalis.

Resp. ad 1. poni vtique communiter quantitatem accidens intermedium inter substantiam, & cœtera accidentia corporea, non tamen eo modo, quo ponitur ab Aduersarijs hæc potentia accidentium susceptiua, quantitas enim non ponitur per se primò potentia receptiua, sed naturaliter instituta est per se primò ad extendendas partes substantiæ materialis impenetrabiliter, & ad constituendam hanc corpoream molem, merito cuius apta sit occupare locum, indè verò consequenter habet, vt sit medium ad recipiendum cœtera accidentia, & ideò non sequitur, quòd eadem facilitate admitti possit eiusmodi potentia ab Aduersarijs excogitata, qua ponitur quantitas. Ad 2. ait Doctor sub B, argumentum nil penitus concludere, nam cùm substantia sit ita inuariabilis, sicut ista potentia, ipsa poterit immediatè recipere actus variabiles. Ad 3. dicimus, quod potentia, qua substantia denominatur potens formaliter recipere accidentia, est substantialis realiter, & entitatuè, quia non est aliquid realiter à substantia diuersum, extrinsecè tamen, & terminatiuè denominatur accidentalis, eò quia per eam substantia ordinatur ad formam accidentalem: quomodo autem possit substantia per potentiam substantialem in hoc sensu ordinari ad actum accidentalem, constabit ex solutione sequentis.

23 Tertiò obijcitur. Tum quia potentia substantialis exigit actum substantialem, ergo potentia substantiæ ad accidentia non est substantialis. Tum quia si hæc potentia conuenit substantiæ per se in secundo modo, ergo ex substantia, & accidente fit vnum per se, nam ex per se actu, & per se potentia fit per se vnum ex Aristot. 8. Met. 15. & 16. Tum tandem quia, vt docet D. Thom. p. p. q. 67. art. 1. ad 2. ideò potentia materiæ ponitur communiter indistincta realiter ab ipsa, potentia verò compositi ad formas accidentales realiter distincta, quia potentia materiæ instituta est à natura ad faciendum per se vnum cum formis substantialibus, non ita potentia compositi cum accidentalibus.

Resp. ad 1. potentiam substantialem posse sumi dupliciter, vel pro ordine alicuius substantiæ ad formam, à qua petit perfici secundum quid, vel pro ordine substantiæ incompletæ ad formam, à qua petit essentialiter compleri, & substantialiter perfici, verum est assumptum de potentia substantiali secundo modo, non autem primo, alioquin inclinatio rei in propriam perfectionem accidentalem poni deberet accidens realiter distinctum à substantia. Ad 2. quando inquit Philosophus, ex materia, & forma fieri vnum per se, quia hoc est per se actus, illud per se potentia, intelligit, illa duo esse debere res eiusdem generis, & prædicamenti, vt explicat Scot. 3. d. 22. qu. vn. F. & illam formam vocat per se actum, quæ nata est dare esse per se simpliciter, & primarium, & illam vocat actam per accidens, quæ nata est dare esse secundum quid, & secundarium, & illud subiectum vocat per se potentiam, vel potentiam per accidens, quod natum est hoc, vel illud esse à forma recipere, in quo sensu patet, substantiam non habere per se potentiam ad accidens, quantumcunque hæc potentia sit ei realiter identificata; posset etiam dici, quod cum Philosophus inquit,

q. materia, & forma fieri vnum per se, quia hoc est per se potentia, illud per se actus, ly per se potentia, non accipitur pro aliquo ordine ad formam, nec ly per se actus, pro aliquo ordine ad materiam, sed pro gradu determinato entis, materia enim prima, & forma substantialis sunt entitates in tali gradu, quod possunt vnum per se constituere, non ita materia secunda, seu compositum, & forma accidentalis. Ad 3. patet ex modò dictis, ex materia, & forma fieri vnum per se, non ita ex composito, & accidente, non quia potentia materiæ ad formam sit realiter indistincta ab ipsa, potentia verò compositi ad formas accidentales sit realiter distincta, sed quia potentia materiæ ad formam substantialem est per se potentia, potentia verò compositi ad accidentalem est per accidens potentia, modo iam explicato, etiamsi in secundo modo dicendi per se illi conueniat.

24 Quartò objicitur; ad probandum, quòd potentia substantiæ nullo prorsus modo sit ex natura rei distincta ab illa; Tum quia præciso à substantia corporea omni eo, quod est extra eius essentiam, adhuc in tali statu esset accidentium capax; Tum quia si mediaret potentia aliquo modo distincta, ad hanc potentiam alia foret ponenda potentia.

Resp. quod in tali statu foret capax fundamentaliter, non formaliter, nec ad potentiam istam formaliter à substantia distinctam est necessaria alia potentia, quia potentia non datur, nisi ad recipiendum aliquod realiter distinctum, cætera vero ad hanc partem Conclusionis spectantia videantur disp. præc. q. 5. ar. 5. Argumenta vero, quæ contra hanc partem congerit Ruuius, concludunt contra opinionem realiter distinguentem hanc potentiam à substantia, non contra distinguentem formaliter tantum.

Quintò tandem objicitur contra tertiam Conclus. partem ratio dubitandi initio quæst. allata, quamuis enim potentia substantiæ ad recipienda accidentia sibi connaturalia possit poni proprietas eius, id tamen non videtur asseri posse de potentia eiusdem in ordine ad accidentia ei disconuenientia, vel saltim indifferentia; nam tunc natura non solùm esset principium motus naturalis, sed etiam violenti, & neutrius, probatur consequentia, quia natura est principium omnium passionum rebus conuenientium, ergo si capacitas omnium accidentium in substantia, etiam disconuenientium, vel neutrorum, est passio consequens ipsam substantiam, natura erit principium omnium passionum talis cuiuscunque capacitatis, ergo erit etiam principium motuum, quibus talis capacitas exercetur, & actuatur, nam ita est in omnibus, quod si natura est principium passionis, est quoque principium motus, quo talis passio exercetur.

25 Resp. capacitatem accidentium materialium esse passionem consequentem corpora ea ratione, qua corpora sunt, ex ratione autem specifica eorum oritur, vt quorundam accidentium capacia sint cum inclinatione, quorundam verò cum repugnantia, aut indifferentia; itaque huiusmodi potentiæ, scilicet naturalis violenta, & neutra inditæ sunt rebus à natura, cum hoc tamen discrimine, quod naturalis indita est per se, & primò, violenta verò, vel neutra secundario, concomitanter, & per accidens, nam natura directè quærit, & per se conseruationem rei, & ideo per se, & directè dat ei potentiam ad recipiendas qualitates conseruatiuas eius, & quia concomitanter etiam, & secundariò quærit expulsionem eorum, quæ conseruationi rei obesse possunt, ita concomitanter, & secundariò dat repugnantiam rei, & renitentiam ad recipiendas huiusmodi qualitates obnoxias, vel indifferentiam ad recipiendas indifferentes, & in hoc sensu etiam dici potest principium actuum, vel motuum, quibus exercentur huiusmodi potentiæ: vt nimirum sit principium motus naturalis per se, & primò, motus verò violenti secundariò, & concomitanter; nam illa eadem natura, quæ facit aquam inclinatam, ad frigus recipiendum, facit eandem repugnantem, & renitentem ad recipiendum calorem, nam licèt aqua, vt corpus, sit capax caloris, tamen vt tale corpus, est capax cum repugnantia, vnde capacitas oritur ex ratione generica corporis, repugnantia verò, inclinatio, vel indifferentia ex ratione specifica. Sed quia natura 2. Phys. definitur esse principium motus primò, & per se, ideò propriè loquendo, dicitur tantùm principium motus naturalis, quia est principium eius primò, & per se, non autem motus violenti, vel neutrius, quia est principium eorum concomitanter tantum, & per accidens.

Sed dices, Motus violentus est contra naturam rei, vt motus sursum lapidis, ergo nullo modo dici potest à natura oriri. Resp. in motu violento considerari debere principium eius actiuum, & passiuum, & licèt in remota assignari nequeat principium actiuum, quia nulla res habet in se principium actiuum motus sibi violenti, possumus tamen assignare passiuum, quia motus est in mobili, & forma, quæ acquiritur per motum non quidem passiuum cum inclinatione, sed cum repugnantia, & renitentia, quæ à natura rei oritur, sicut inclinatio ad accidentia connaturalia; dicitur ergo motus violentus esse contra naturam rei, quia est contra eius inclinationem, & quia natura talis denominatur per ordinem ad motum, cuius est principium per se, & primò, qualis est tantùm motus naturalis.

QVÆSTIO III.

An corpori omnia accidentia proximè inhæreant, vel quædam non nisi medijs alijs.

26 HIc non quæritur, an substantia corporea ita sit subiectum immediatum accidentium, vt omnia sibi inhæreant nullo prorsus inter se ordine seruato; perspicuum est enim, quòd licèt accidentia omnia ordinentur ad substantiam, hoc tamen non fit sine aliqua subordinatione accidentium inter se, ita quòd vnum respiciat substantiam mediante alio, quemadmodum qui ponunt materiam primam subiectum immediatum omnium formarum, tam substantialium, quàm accidentalium, adhuc tamen dicunt, talem inter eas seruari ordinem, quod priùs substantiales, accidentales deinceps in ea recipiantur. Constituto igitur, quod accidentia insint substantiæ corporeæ ordine quodam, & vno mediante alio, vt verbi gratia qualitas mediante quantitate, similitudo mediante qualitate, & sic de alijs, in dubium vertitur, an accidens medians inter substantiam, & aliud accidens ita recipiat posteriùs accidens, vt dici possit illi propriè inhærere, veluti subiecto, an potius mediet tantùm vt dispositio ad recipiendum, & mera conditio subiecti recipientis) quæ ab aliquibus subiectum Quo appellari consueuit) nullatenus autem, vt subiectum recipiens, & Quod eo modo, quo Aduersarij dicunt, formam substantialem recipi in materia, media quantitate, & qualitate disponente. Sicut autem quæsitum celebre de subiecto accidentium nuper excitauimus, vt indè subiectum proprium, & adæquatum motus pateret, qui est prima passio physica, vel saltim actus illius, ita in præsenti hoc aliud excitamus dubium, an substantia corporea sit immediatum subiectum totius collectionis accidentium corporalium, an potius vnum accidens possit esse proximum, & immediatum per se subiectum alterius, vt quantitas qualitatis, si enim ita est, sicut substantia corporea potest esse per se subiectum motus accretionis, quia quantitatem per se, & in se immediatè recipit, ita quantitas posset esse per se subiectum alterationis, quia qualitatem in se recipit immediatè, & sic non solùm corpus de genere substantiæ, sed etiam corpus de genere quantitatis per se mobile foret, ac proindè illud nec subiectum adæquatum foret motus, nec Philosophiæ naturalis contra sancita superiùs in quæstione procemiali ad vniuersam Philosophiam, vt igitur hic nodus maneat vndequaque explicatus, mouetur quæsitum præsens.

In quo sunt duæ sententiæ oppositæ, quarum prima asserit, substantiam solam esse subiectum omnium accidentium, ita quod, licèt vnum accidens possit inter substantiam, & aliud accidens mediare per modum dispositionis, vel necessariæ conditionis ad recipiendum, omnia, tamen proximè, & immediatè inhærent substantiæ, vt vero, et proprio subiecto, ita Gregorius 1. d. 12. quæst. 1. art. 2. Maior in 4. d. 12. quæst. 2. Marsilius 4. d. 9. art. 2. Rubion. 4. d. 12. quæst. 3. 4. 5. et 6. et est communis Nominalium sententia, quos citat Suarez 3. p. to. 3. d. 16. sect. 3. et seq. Hurt. disput. 6. Phys. sect. 6. Arriag. disput. 5. nu. 37.

Altera sententia affirmat, vnum accidens posse esse verum, et proprium subiectum alterius, ita Scholastici Antiquiores, Alensis, Henricus, D. Bonau. Ægidius, D. Thom. 3. p. quæst. 67. art. 1. et Scotus in 4. d. 12. q. 2. Sed Auctores huius sententiæ non concordant in assignando hoc primo accidente, quo mediante, veluti subiecto proximo, et immediato, cætera substantiæ inhæreant, nam aliqui Thomistarum, et præsertim Auersa ex Recentioribus loco supra cit. contendunt, hoc primum accidens esse potentiam quandam de genere qualitatis ex natura sua ad hoc institutam vt sit commune subiectum aliorum accidentium, quo mediante, cætera omnia substantiæ inhæreant.

Scotistæ verò, et alij communiter affirmant, hoc primum accidens esse quantitatem, et ipsa media, cætera accidentia inhærere substantiæ, ita Scotistæ omnes in 4. circa d. 12. Aretinus ibi qu. 2. artic. 4. Bannes disput. 48. sect. 2. Faber disput. 48. et 8. Met. disput. 3. Rada 4. p. Contr. 10. Canonicus 1. Phys. quæst. 4. art. 4. dub. 4. et Alij passim.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, vnum accidens posse esse subiectum alterius quo mediante insit substantia.

27 PRo decisione huius articuli, Notandum est ex Scoto loc. citat. §. *Ad quæstionem*, &c. duplex esse posse subiectum accidentis, vnum vltimatè terminans dependentiam illius, alterum proximè, & non vltimatè terminans ipsam, qua distinctione præmissa.

Dicimus, vnum accidens posse naturaliter esse subiectum alterius, licèt non vltimatè terminans dependentiam illius, hoc est, vnum accidens posse esse subiectum, in quantum sustentatum ab alio, scilicet à substantia, non autem tanquam per se sustentans illud independenter ab alio. Conclusio est communis omnium sensus contra Nominales; Et quod nequeat vnum accidens esse subiectum alterius vltimatè terminans dependentiam illius, probatur euidenter ex ratione intrinseca ram substantiæ, quam accidentis; nam sola substantia est ens per se tertio modo, & ei soli debetur existentia & subsistentia per se, ratione cuius ei soli conuenit substare cæteris, hoc est, in se cætera sustentare. Accidens etiam ab intrinseco habet esse in alio, & ideò in rerum natura esse non potest, nisi alteri inhærendo, & ab eo sustentatum, naturaliter loquendo; ergo nullum accidens potest esse subiectum per se primò sustentans aliud accidens, sed hoc soli substantiæ conuenit. Et confirmatur, nam quod non habet esse per se, sed in alio, non potest sustentare aliud, nisi ipsummet ab alio sustentetur; sed nullum accidens habet esse per se, sed inhæret substantiæ, ergo non potest sustentare aliud per se primò, nec proinde esse subiectum eius, nisi ab ea sustentatum, quod est sustentare non per se, & vltimatè, sed per aliud, & dependenter ab alio.

Potest tamen accidens esse subiectum alterius non vltimatè terminans dependentiam illius, quia hoc nec repugat ex parte ipsius substantiæ, neque ipsorum accidentium, non ex parte substantiæ, quia ex parte eius sufficit, quod principaliter, & vltimatè dependentia accidentis ad illam terminetur, hinc enim dicitur substare propriè, principaliter, & maximè; neque ex parte accidentis assignari potest repugnantia; non enim est contra naturam accidentis sustentare aliud, eò quia ipsum priùs sustentatur ab alio. Probatur idipsum à posteriori, nam velocitas, & tarditas subiectantur in motu, æqualitas in quantitate, similitudo in qualitate, quæ omnia sunt accidentia accidentibus innixa, ita argumentatur Scot. loc. cit. Rursus actus vitales, habitus, species intentionales debent inesse immediatè potentijs, quæ secundùm communiorem, licèt minus probabilem, sunt accidentia. Demum probatur ex Mysterio Eucharistiæ, vbi concedere oportet vnum primum accidens, quod sit subiectum, in quo cætera vniantur, nisi enim qualitates sacramentales in vno tertio vnirentur subiecto, sed quelibet per se existeret, sequeretur, quod ad motum vnius qualitatis aliàs qualitas non moueretur, vt puta ad motum coloris in vino non moueretur dulcedo, cuius tamen oppositum experimur. Nec est dicendum, hoc prouenire, quia inter se habeant aliquod vinculum, quoniam qualitates immediatè inter se non habent aliquam connexionem, neque enim vna est actus, & altera potentia; remanet ergo, vt vniantur in aliquo tertio accidente, quod sit earum commune subiectum.

28 In oppositum obijcies 1. plures Arist. auctoritates, quibus insinuare videtur accidens subiectum accidentis esse non posse, nam 7. Met. c. 3. definit substantiam, quod sit primum omnium accidentium subiectum; & c. 4. vult, substantiam ingredi definitionem accidentis, velut additum in ratione subiecti, & 4. Met. ait, accidens non accidere accidenti, sed vtrunq; accidere tertio, quod explicat exemplo albedinis, & Musicæ, quorum vnum non accidit alteri, sed vtrunque homini, & in prædicamento substantiæ docuit, esse maximè proprium solius substantiæ posse contraria recipere. Nec respondere iuuat, Arist. per hoc voluisse, solam substantiam esse subiectum primum accidentium, sed non propterea negasse, accidens esse subiectum proximum, & secundarium; Nam si talis esset mens Philosophi, ad obiectionem, quam ibi facit de oratione modò vera, modò falsa, potuisset faciliter respondere, orationem esse tantum secundarium, & minus principale subiectum veritatis, & falsitatis, primum verò, & principale esse substantiam, hanc tamen responsionem Philosophus non adhibuit, quin potius ibi absolutè negauit, orationem esse contrariorum susceptiuam.

Resp. primum Arist. locum secum afferre responsionem, nimirum substantiam esse subiectum primum, & principale cuiuscunque accidentis, nec vnum accidens esse posse ita subiectum alterius. Ad 2. locum ait Sco. cit. sensum Arist. esse, omne accidens per substantiam definiri debere tanquam per subiectum primum, & principale. Ad 3. locum ait idem Scot. vel Arist. fuisse locutum de accidentibus tantùm concomitanter se habentibus, siue disparatis, vt patet ex eius exemplis, non verò subordinatis, qualia sunt quantitas, & qualitas. Vel Arist. negasse, vnum accidens alteri accidere, tanquam subiecto primo, & principali, nam hoc modo ambo accidunt tertio scilicet substantiæ, Vel tandem dici potest cum alijs, Philosophum non tam locutum fuisse de inhesione, quam de modo prædicandi omninò per accidens vnius accidentis de alio, vt cum Musicus dicitur albus, & hunc modum prædicandi ait non procedere ex eo, quod vnum accidens alteri accidat, sed potius ex eo quod casu coniunguntur in aliquo tertio, vt in homine, ob id tamen non vult negare, quod vnum accidens substantiæ inhærens medio alio possit de illo prædicari, dicimus enim, superficiem esse albam, calidam &c. Ad 4. locum substantiæ est maximè proprium esse contrariorum susceptiuam, vt primum, & principale subiectum, quod accidenti conuenire non potest, hanc vero responsionem non dedit ibi Philosophus ad difficultatem allatam de oratione, quia denominationes veritatis, & falsitatis secundùm communem loquendi modum, non attribuuntur substantiæ, quæ est subiectum orationis, & opinionis, sicut alia accidentia, quæ insunt quantitati, substantiam denominant, vt rectè notauit Auersa in explicatione huius proprietatis in sua logica.

29 Secundò, Arguitur ratione. Tum quia nihil potest esse subiectum alterius, nisi sit per se subsistens; quia posse alijs substare prouenit ex eo, quod res in se, & per se existit, quod soli substantiæ conuenit, ergo &c. Tum quia sicut substantiæ conuenit esse per se, & alijs substare, ita accidenti conuenit inhærere, ergo sicut repugnat substantiæ inhærere, ita accidenti repugnabit per se esse, & alteri substare. Tum deindè, quod terminat dependentiam aliquam vnius generis, non dependet à dependentia illius generis, alioquin dependens, & independens esset eodem modo, sed accidens quodlibet dependet à substantia, vt à subiecto, ergo nullum potest hanc dependentiam terminare. Tum denique omne accidens est forma, inquit Greg. ergo non potest esse subiectum receptiuum alterius accidentis, nam sicut materia esse nequit principium informandi, siue forma perfectiua alterius subiecti, sic neque forma esse potest principium patiendi, siue subiectum passiuum, alioquin confunderentur munera materiæ, & formæ.

Resp. ad 1. assumptum esse verum de subiecto primo, & omninò independente ab alio, sicut est substantia, & de substare eodem modo, hoc tamen non impedit, quin accidens aliquod possit esse subiectum alterius, vt sustentatum à substantia & dependenter ab ea. Ad 2. per se esse, & alijs substare, veluti subiectum primum, est ita substantiæ proprium, vt nequeat accidenti vllo modo conuenire, sed substare alijs proximè, & dependenter ab alio potest accidenti conuenire, quia non excludit inhæsionem accidentis aliud in se recipientis, in subiecto primo, & remoto. Ad 3. ait Doctor, maiorem non esse vniuersaliter veram, Sol enim dependet à Deo in genere causæ efficientis, & tamen Sol terminat dependentiam multorum effectuum in eodem genere. Filius dependet à Patre per filiationem, & tamen esse potest Pater alterius Filij, & eius dependentiam terminare; vel concessa maiori, dicatur ad minorem, accidens quodlibet à substantia dependere, vt à subiecto primo, & basi omnium, & vtique nullum accidens potest huiusmodi dependentiam terminare, ex quo infert Doct. diuersam, & alterius quodammodo rationis esse dependentiam subiectiuam prioris accidentis à substantia, & posterioris accidentis à priori, illa enim est à substantia, vt à subiecto primo, hæc vero est ab accidente, vt à subiecto non primò, & independenti, sed proximo, & sustentato in alio. Ad 4. negatur consequentia, ad probationem dicimus, munus proprium materiæ primæ esse, quod sit primum principium patiendi, siue primum subiectum, & hoc non potest competere formæ, nihil tamen impedit, quin forma aliqua possit esse forma sui subiecti primi, & ipsa deinde secundarium alterius formæ subiectum, sic dicimus euenire de forma corporeitatis in viuentibus in ordine ad animam in serie formarum substantialium, & idem dicemus de quantitate respectu qualitatum in serie accidentalium art. seq.

30 Tertiò, si vnum accidens esset subiectum alterius, ergo substaret illi, substare verò alteri non est aliud, quam sustentare illud, ergo si ita est, vnum accidens sustentat aliud, quod dici non potest, quia nullum accidens potest sustentare se ipsum, sed necesse habet sustentari ab alio, sed aliud sustentare non potest, quod non valet sustentare seipsum.

Resp. ex hoc probari solum, vnum accidens esse non posse subiectum primum & independens alterius, quod est verum, non enim potest quantitas sustentare qualitatem, nisi ipsa priùs substantiæ innixa maneat, vt basi fundamentali & qualitatis, & sui ipsius, & ideo vnum accidens non sustentat aliud per se, idest quasi virtute propria ab alio penitus independenti, sed per accidens, idest, vt sustentatur ab alio, & virtute aliunde sibi communicata, vel virtute propria, sed ab alio suffulta, quod ita verum est, vt quantitas etiam separata dicatur in virtute alterius sustentare qualitates, quia nimirum ipsa prius sustentatur à Deo in genere causæ efficientis. Et in hoc sensu benè loquuntur aliqui, dum aiunt, accidentia accidentibus innixa ab his dependere tantum instrumentaliter, quasi ilta in sustentando sint instrumenta substantiæ; rectè loquuntur si per hoc tantum insinuare velint, accidens sustentare non posse per virtutem propriam independenter à substantia, sicut nec instrumentum operari potest independenter ab agente principali; at non benè loquuntur, si præter hoc velint, substantiam solam concurrere per modum causæ materialis principalis in eductione accidentis immediate illi inhærentis, & accidens immediate inhærens per modum dumtaxat meri instrumenti; hoc enim falsum est, vt patebit ex solutione seq. argumenti.

31 Quartò, si vnum accidens recipi potest in alio, vt in proximo subiecto, v. g. albedo in quantitate, vel sola quantitas exercet genus causæ materialis circa illam, vel sola substantia, vel vtrumque simul; si primum, ergo cætera accidentia educuntur de potentia solius accidentis, quo medio substantiæ inhærent, immò verè, & propriè illi immediato accidenti inhærebunt, & non substantiæ, quod videtur falsum; si secundùm, ergo sola substantia est verè, & propriè subiectum omnium accidentium, & accidens prius se habebit ad posterius, vt præuia dispositio tantum, vel conditio recipientis, non vt subiectum: si tertium, ergo non solum accidens prius erit subiectum proximum posterioris; sed etiam substantia, cum æquè immediate concurrant ad eiusmodi causalitatem subiectiuam.

Resp. accidens posterius immediatè dependere ex concursu materiali prioris accidentis, non autem ex concursu substantiæ, nisi mediatè, & præsuppositiuè, quatenus nimirum substantia concursum materialem exercet circa accidens immediatum & hoc manifestè deducitur ex Scot. dist. illa 12. q. 2. dum inquit, accidens posterius in suo

suo esse, fieri, & conseruari immediatè dependere à priori, & non dependere à substantia, nisi mediante priori; ex quo apertè dedit Doct. intelligere, concursum materialem substantiæ non attingere immediatè, nisi accidens prius, hoc idem significauit Doct. dum q. 6. in alterationibus circa species consecratas contingentibus inquit noua accidentia educi de potentia quantitatis, nullo interueniente nouo miraculo præter illud primum transubstantiationis, & conseruationis quantitatis sine subiecto, sed etiam expresè tenuit Bassol. 4. d. 12. q. 1. a. 3. §. *Aliter videtur*, &c. in fine; immo hoc fateri debent omnes, qui in Eucharistia nihil noui accidere tenent, nisi circa quantitatem, neq; Deum supplere concursum materialem substantiæ, nisi in ordine ad illam; nam si immediatè attingebantur accidentia illa omnia à concursu materiali substantiæ, oportebit in desitione substantiæ, Deum supplere concursum, nedum in ordine ad quantitatem, sed etiam in ordine ad qualitates; Et gratis concedimus talia accidentia substantiæ, propriè loquendo, non inhærere; nisi remota quadam ratione, in quantum ei inhæret tanquam proximo subiecto illud accidens prius, quod est subiectum proximum cæterorum.

32 Quintò tandem obijcitur difficultas initio quæst. facta, ex hac enim nostra determinatione videtur sequi, corpus de genere quantitatis esse per se mobile motu, tum alterationis, tum lationis, cum possit esse, immo de facto sit subiect. proximum, & immediatum termini vtriusque, quod destruit subiectum Philosophiæ naturalis iam à nobis statutum. Et ex doctrina iam tradita in præcedenti responsione augetur difficultas, si enim qualitates propriè non inhærent substantiæ, neque de illa educuntur, sed quantitati, & de eius potentia propriè educuntur, consequens est, vt subiectum motus ad qualitatem propriè sit corpus de genere quantitatis, & non substantiæ.

Resp. negando conseq. immo ex hac nostra determinatione difficultas illa remanet omninò soluta, cum enim accidenti non conueniat esse subiectum alterius, nisi dependenter à substantia, & in virtute substantiæ, veluti in genere causæ materialis, quasi instrumentalis, consequenter dicendum est, corpus de genere quantitatis nullo modo per se subiectum alterationis esse posse, atque lationis, sed potius per accidens, & ratione alterius, modo iam explicato, & quod sicut actio non tribuitur instrumento, sed principali agenti, in cuius virtute agit, sic etiam motus alterationis, & lationis quantitati non erit adscribendus, tanquam subiecto in se recipienti terminum eius, sed substantiæ potius, in cuius virtute recipit illum, atque sustentat; Et per hoc etiam diluitur, quod ex præcedenti responsione adducebatur, licèt enim accidentia alia corporea propriæ quantitati inhæreant, & substantiæ solum remotè, in quantum scilicet ei inhæret tanquam proximo subiecto illud accidens, quod est proximum subiectum eorum, & ab ea sustentatur, hoc solum sufficit, vt dicatur substantia primum, & per se subiectum omnium accidentium, & motuum, per quos acquiruntur, & vt eorum prædicationes, & denominationes, suscipiat potius, quam accidens immediatè illi inhærens, eo vel maximè quia accidentia hęc per motum acquisibilia per se directè debentur substantiæ, & propter substantiam in alijs accidentibus intermedijs recipiuntur & sola denique substantia corporea est mobilis, vt quod, ac per se subsistens.

ARTICVLVS II.

Quantitatem esse subiectum immediatum aliorum accidentium per quod substantiæ inhærent, demonstratur.

33 DIcimus, quantitatem esse primum accidens immediatè substantiæ inhærens, per quod reliqua accidentia corporea dicuntur deinceps inhærere substantiæ. Conclusio est Scoti, & Scotist. loc. cit. & est communis sententia omnium veterum Theologorum, quos refert, & sequitur Suarez d. 14. Met. sec. 4. Ruuius 1. de Gen. cap. 4. tract. 3. q. 10. & alij passim, & probatur primò, quia non est necesse, vt diximus art. præced. omnia accidentia immediatè inhærere substantiæ, sed & cætera vno mediante in ratione subiecti conuenire possunt substantiæ; aut igitur hoc accidens immediatè substantiæ inhærens gerens subiecti munus erga cætera, est potentia illa accidentalis aliorum susceptiua, quam inuehit Auersa, aut quantitas, aliud enim hucusque non ponitur à Doctoribus tale proximum subiectum admittentibus, sed potentia illa non potest constitui tale subiectum, ergo erit quantitas, probatur minor; Tum quia potentia illa passiua à natura ad hoc instituta, vt cętera accidentia recipiat, & per eam inhæreant substantiæ, admitti non potest, vt diximus art. præced. Tum quia si daretur, longe minus idonea foret ad tale munus obeundum ipsa quantitate, eò quia quantitas magis participat conditionem materiæ, quam qualitas de cujus genere ponitur ista potentia; Tum quia quantitas est propinquior substantiæ, quam qualitas in ratione substandi, vt docet Scot. 4. d. 12. q. 2. & constat ex ordine ipso prędicamentorum ab Arist. constituto; Tum tandem quia huiusmodi potentia non ita manifestè cadit sub sensum, sicut quantitas, ergo rationabilius quantitas aliorum accidentium sensibilium statuitur subiectum.

34 Secundò principaliter probatur experientiâ, nam albedo in superficie extenditur, & calor similiter, cum diffunditur per corpus, in quantitate eius extenditur, ergo qualitates huiusmodi in quantitate recipiuntur immediatè.

Resp. Aduersarij, hinc solum sequi, quantitatem esse dispositionem necessariam in subiecto, vt alia accidentia corporea in ipso recipiantur, non tamen esse proximum subiectum, cui talia accidentia verè inhæreant, recipiuntur enim solum in materia, vel in composito quanto; & hinc extensa denominantur, vndè sicut nos huiusmodi qualitates contendimus extendi per inhæsionem in quantitate, ita ipsi dicunt extendi per inhæsionem in materia, vel composito quanto.

Sed Resp. hæc refellitur 1. per dictum Philosophi in prædicamentis cap. de quantitate dicentis, *quanta fuerit superficies, tantum album fores dices*, ex Scot. loc. cit. colligit, albedinem esse quantam per inhæsionem in quantitate pręcis è, non autem in corpore quanto, quia superficies non est pars corporis quanti. Deindè quando aliquid mediat inter subiectum, & formam recipiendam, an istud mediet in ratione subiecti recipientis, vel tantum conditionis, aut dispositionis ad recipiendum, colligitur, & dignoscitur ex effectu formali formę receptæ, nam si eius formalis effectus non communicatur illi medio, sed tantum extremo, signum est, illud mediare tantum in ratione conditionis, & dispositionis, si verò ei quoque communicatur, signum est, illud mediare in ratione subiecti, sic quia in sententia ponentium quantitatem coæuam materiæ, forma substantialis v. g. ligneam denominat materiam, quam informat, non autem quantitatem intermediam, hinc deducunt, quantitatem mediare inter formam substantialem, & materiam, in ratione dispositionis tantum, & conditionis, non in ratione subiecti; sed in proposito albedo inhæret substantiæ media superficie, & nedum substantiæ, sed etiam ipsi superficiei communicat effectum suum formalem, nam & substantia dicitur alba, & superficies alba cum omni proprietate, ergo qualitates inhærent substantiæ media quantitate, vt subiecto, & non tantum, vt conditione, vel dispositione ad recipiendum.

Respondent Alij in hac probatione peti principium, dum supponimus quantitatem dici albam, quia subiectat albedinem, sicut enim albedo dicitur quanta, licet quantitatem non subiectet, sic & quantitas poterit dici alba, etiamsi illam non sustineat, ex sola concomitantia albedinis in eodem subiecto. Hęc non est instantia noua, sed antiquum Marsilij argumentum, cui mox occurremus, & ostendemus solam concomitantiam formarum non sufficere, vt se in eodem subiecto denominet.

35 Tertiò probatur ex Mysterio Eucharistię, nam albedo existens in Hostia est ita extensa in loco, quod non potest penetrari ab alio corpore, vt experientia docet, vel igitur hoc euenit, quia sunt realiter idem quantitas, & qualitas, vel quia quantitas est in qualitate, vt in subiecto, vel è contra, qualitas in quantitate, cui deinceps coextenditur; non primum vt fusè probamus disp. de Continuo q. 1. neque secundùm, quia quantitas se tenet ex parte materiæ, & qualitas ex parte formæ, & in ratione substandi quantitas est proximior substantiæ, ergo tertium. Neque ad hoc respondere valet cum Marsilio, & Auersa cit. sufficere concomitantiam formarum, & vnionem earum in eodem communi subiecto, sic enim vnitæ se inuicem denominant; *Nam* præterquam quod hoc falsum est, quia albedo, & frigiditas vniuntur in niue, nec ob id se inuicem denominant, non enim dicimus, albedinem in niue esse frigidam, nec frigiditatem albam, & sic de alijs; Adhuc tenentur Auctores isti ostendere hoc commune subiectum, in quo qualitates Eucharisticæ vniantur, hoc enim esse non potest, nisi vel potentia illa accidentalis, quam ab hoc munere iam exclusimus, vt prorsus ineptam, vel quantitas, vt contendimus.

In oppositum objicitur 1. ex Auersa; Tum quia ex natura ipsarum rerum non apparet ratio, cur cętera accidentia debeant inhærere quantitati, nam omnia sunt per se ordinata ad perficiendum idem commune subiectum ex æquo cum quantitate nam idem subiectum æquè dicitur extensum per quantitatem, calidum per calorem, album per albedinem, & sic de alijs accidentibus; Tum 2. cętera accidentia dici non debent inhærere qaantitati, eo quia non recipiuntur, nisi in substantia quanta, nam ex hoc tantum inferri potest, quod quantitas mediet, vt conditio ad recipiendum; non vt verè subiectum, sicut forma substantialis non recipitur, nisi in materia quanta, nec idcircò dicitur subiectari in quantitate; Tum 3. non oportet, quantitatem ponere aliorum accidentium subiectum, vt per ipsam dicantur extensa, ad hoc enim sufficit concomitantia, siue coniunctio quantitatis, & aliorum accidentium in vno communi subiecto, etenim si ad hunc effectum necessaria esset inhæsio, potius inferri deberet, qualitatem subiectari in ipsis accidentibus, quam è conuerso, quia extendi est effectus formalis quantitatis, & forma substantialis extenditur vtique per quantitatem, & tamen nec forma subiectatur in quantitate, nec quantitas in forma; Tum denique neq; propter mysterium Eucharistiæ oportet alia accidentia in quantitate subiectari, nam quæcunque munia dicimus in hoc Mysterio à quantitate exerceri, magis commodè exerceri possunt à potentia accidentium susceptiua, quæ est qualitas de secunda specie, quod eo, vel maximè dicendum est, quia in speciebus sacramentalibus fiunt mutationes etiam quantitatis, nempe per condensationem, & rarefactionem, & plerique volunt hanc mutationem fieri per veram productionem, & deperditionem quantitatis, ergo quantitas non est ibi primum subiectum, sed potius inueniendum est aliquod aliud accidens, quantitate prius, in quo, & ipsa quantitas, & reliqua accidentia subiectentur, hoc autem non est, nisi præfata potentia.

36 Resp. ad 1. negando assumptum, quamuis enim accidentia omnia per se ordinentur ad perficiendum idem commune subiectum, hoc non impedit, quin vnum possit illud perficere mediante alio, tanquam subiecto, immò videtur hoc satis naturæ legibus consentaneum, ne cogamur dicere, omnia accidentia confusè, nullo prorsus inter se ordine seruato, substantiam perficere. Ad 2. debemus arguere, alia accidentia recipi in quantitate, veluti in subiecto, quia nedum substantiæ, sed etiam quantitati effectum suum formalem communicant, vt deductum est in secunda ratione; forma verò substantialis, etsi reciperetur in materia quanta, non idcircò dici deberet recipi in quantitate, vt in subiecto, quia non communicat illi effectum suum formalem substantialem, vnde argumentum potest contra ipsum Auersam retorqueri. Ad 3. negatur item assumptum, non enim ad saluandam extensionem aliorum accidentium quantitatiuam sufficit concomitantia quantitatis, & aliorum accidentium in vno communi subiecto; Tum quia oppositum videmus in frigiditate, & albedine niuis, quæ se inuicem non denominant, quamuis vnita in eodem communi subiecto; Tum quia præsertim in Eucharistiæ mysterio difficile assignari potest hoc commune subiectum, in quo cætera accidentia cum quantitate vniantur; Neque ad hoc necessarium est, vt potius quantitas subiectetur in cæteris accidentibus, quam è conuerso, vt postea dicemus soluendo argumentum Marsilij; Nam quantitas æque benè extendit, & accidentia sibi superuenientia, & compositum substantiale, cui ipsa superuenit, ratione cuius, nedum compositum, sed etiam materia, & forma dicuntur extendi, & falsum est, quantitatem non recipi in materia, & forma, velut in subiectis inadæquatis, & quibus, licet subiectum adæquatum, & quod sit ipsum compositum, vt constat ex quæst. 1. huius disp. Ad 4. negatur assumptum, nam sententia nostra magis accommodata est ad Mysterium Eucharistiæ explicandum, immo hac de causa præsertim testatur Coninch. de Sacram. q. 77. ar. 2. se illam sequi, neque munera, quæ à quantitate exercentur in Eucharistia, ita connaturaliter, & aptè exerceri possent à potentia ista, si daretur, sicut à quantitate, quia munera illa sunt ferè omnia causæ materialis, cuius causæ conditionem magis participat quantitas, quam huiusmodi potentia. Quod verò rarefactio, & condensatio fiant per acquisitionem, vel desitionem quantitatis, non est ita certum, vt assumitur, immò in sententia Scoti præsertim probabilium oppositum putamus, vt dicimus in lib. de Gen. pro nunc videatur Doctor 4. d. 12. q. 4.

37 Secundò obijcitur argumentum Marsilij, quod multos vexauit, quia nulla potest assignari ratio sufficiens, ob quam quantitas sit subiectum aliorum accidentium, si enim assignetur illa frequentior omnibus, quia videmus, superficiem esse albam, cum igitur esse album sit effectus albedinis in genere causæ formalis, oportebit fieri per inhæsionem ipsius in superficie; Contra arguit Marsilius, nam ex opposito videmus quoque, albedinem esse quantam, & ideo pari ratione possumus dicere, quantitatem inhærere qualitati, nam extendi est effectus formalis quantitatis, & sic vel mutuò sibi inhærebunt, quod est absurdum, vel neutrum inhæret alteri, sed ambo tertio, in quo vnita, se mutuò denominant propter talem vnionem.

Resp. Suarez disp. 14. sec. 3. ex eo quod albedinem videmus esse quantam, non debere inferri, quod quantitas inhæreat qualitati, quia quantificatio formarum, vel qualitatum corporalium non pertinet ad effectum formalem quantitatis, interdum enim resultat effectus hic ex quantitate, non vt ex forma, sed vt ex subiecto, quantitas autem non dat suum effectum formalem, vt exercet munus subiecti, sed vt est forma inhærens quare quod albedo quantitati inhærens extendatur, non est per informationem, seu formalem causalitatem quantitatis, sed est conditio, & denominatio, quam participat à subiecto suo, in quo inhærendo ei coextenditur.

Sed difficultatem Suarez non sedat, sed potius auget, & principium petit, hoc enim est, quod quærit argumentum, quomodo scilicet sit possibile, quod denominatio quanti proueniat à quantitate gerente munus subiecti, & non formæ, nam si ita se habet esse quantum ad quantitatem, sicut esse quale ad qualitatem, cur igitur esse quale à qualitate deriuari non potest, nisi tanquam à forma, benè tamen esse quantum à quantitate, Ratio igitur, quare vt qualitas dicatur extensa, non est necessarium, vt quantitas subiectetur in ea, sed potius è contra, est, quia duo sunt genera denominationum, vt insinuat Scot. quolib. 18. inf. C. & sequitur Hurtad. in Phys. disp. 2. sec. 2. §. 6. quædam formales, quæ scilicet à formis in sua subiecta deriuantur, quædam verò materiales, quæ à subiectis in suas formas redundant, videmus enim, dum forma est in materia, varias denominationes sibi inuicem communicare, vbi enim albedo corpus informans illud denominat quale, coloratum, & album, & corpus è contra illam formam denominat subiectatam, corpoream, & materialem, albedo quidem informando, inhærendo, & actuando, corpus vero subiectando & recipiendo, talis enim est natura formæ, & subiecti. Cum igitur duo inter se vnita se inuicem denominant, attendere oportet, quodnam eorum sit aptius ad gerendum munus subiecti erga alterum, quodnam scilicet sit magis potentiale, & materiale, & quod magis aptum ad gerendum munus formæ idest quodnam sit actualius; & formalius, & inde licebit inferre, quod hoc insit illi, illudque denominet informando, & inhærendo, denominetur autem ab illo per inhesionem, & receptionem in ipso, & sic in proposito, dum dicimus, albedinem esse quantam, non hinc iudicare debemus, ita denominari, quia qualitas informetur à quantitate, sed potius quia informat eam, quia qualitas à toto genere est actualior quantitate, & habet rationem formæ, quantitas vero est potentialior, & habet rationem materiæ, & ideo cum è contra dicimus albedinem esse quantam, denominationem hanc debemus iudicare materialem, hoc est, à quantitate tanquam à subiecto procedentem. Possumus etiam, vt notat Faber in 4. disp. 48. cap. 2. num. 14. ex inde arguere, superficiem esse subiectum albedinis, & non è contra, & pariter etiam aliarum qualitatum, quia videmus, in eadem quantitate qualitates mutari, accedere, & recedere, non è contra, quæ est vera methodus, & via inuestigandi subiectum formarum.

38 Tertiò arguit Hurtadus disp. 6. sec. 6. subsec. 2. vbi, & si apertè non ponat potentiam aliquam accidentalem subiectum proximum aliorum accidentium, apertè tamen negat, quantitatem esse tale subiectum; Tum quia quantitatis munus est materiam disponere ad recipiendam formam, & extendere ad impenetrabilitatem, & ad actionem materialis agentis, ergo eius munus non est qualitates recipere. Patet consequentia, quia sine tali receptione primum munus exercet, vt patet respectu formæ substantialis, ad quam disponit, & tamen eam non recipit; Tum quia qualitates primæ disponunt materiam ad formam substantialem & sunt causa secundarum qualitatum, & tamen secundæ non recipiuntur in primis, cur ergo omnes recipientur in quantitate? Tum demum dispositio debet esse in eodem subiecto, quod disponit ad formam, & in quo est ipsa forma, nam si non est in subiecto illo, non videtur, quomodo cum veritate dici possit illud disponere, præsertim cum talis dispositio fiat per informationem, sed qualitates sunt dispositiones materiæ recipientis formam, & non quantitatis, ergo sunt in sola materia, & non in quantitate.

Resp. ad 1. negando assumptum, quia, vt vidimus, quantitas immediatè inhæret composito, & illud per se primo extendit, partes vero eiusdem concomitanter tantum, & per se secundo; sed dato etiam antecedente, adhuc negatur consequentia, quia licet munus, ad quod per se primo quantitas instituta, fuit, sit substantiam extendere, hoc tamen non obstat, quin secundario, & ex consequenti exercere possit munus subiecti recipientis in ordine ad formas, quæ secum aliquam habent proportionem, vt sunt alia accidentia; quare autem etiamsi in materia præexisteret quantitas, non ita formas substantiales recipere posset, sicut recipit accidentales, docet Scot. 4. d. 12. q. 6. A. quia nimirum actus præsupponit potentiam, saltim prioritate originis, actus autem generis prioris, vt est forma substantialis, nec origine nec perfectione aliquid præsupponit de genere posteriori, & demum accidens non est aptum sustinere substantiam, sed potius è contra. Ad 2. ex eo, quod secundæ qualitates non recipiantur in primis, à quibus originem ducunt, non benè deducitur, qualitates similiter in quantitate non fore recipiendas, quia vna qualitas respectu alterius non habet rationem potentiæ, sicut quantitas respectu qualitatis. Ad 3. distinguimus cum Scoto in 4. dist. 1. q. 5. E. de duplici dispositione ad formam, alia enim est, quæ disponit in genere causæ materialis, velut ratio recipiendi sicut est organizatio in corpore respectu animæ & alia quæ disponit in genere causæ efficientis, auferendo impedimenta, quæ obstant introductioni nouæ formæ, & licèt maior concedi possit de dispositione primi generis; de dispositione tamen secundi generis nullatenus est admittenda, inquit Doctor, sufficit enim quod dispositio huius generis, & forma sint in eodem supposito; tales autem dispositiones sunt qualitates respectu materiæ, disponunt namque in genere causæ efficientis, auferendo impedimenta, quæ obstant introductioni nouæ formæ, & quando etiam admitteremus, qualitates esse dispositiones in genere causæ materialis, adhuc non sufficienter probat Hurtadus, qualitates non disponere materiam, quantùm sufficit ad recipiendam formam substantialem, per receptionem earum in materia, media quantitate.

QVÆSTIO IV.

An substantia possit à quolibet accidenti communi separari, & è contra, & quid necesse foret, vt ita separata conseruaretur.

39 QVæstio est de quacunque forma accidentali, tam absoluta, quam respectiua à suo subiecto realiter distincta, vt excludamus relationes transcendentales sui subiectis realiter identificatis; & circa primam partem quæsiti tenent quamplures, posse substantiam

dam à quocunque accidente communi, nedum absoluto sed etiam respectiuo separari per potentiam Dei absolutam, & eam sequuntur Scotistæ plurimi, vt Scoti sententiam, qui in 2.d.12.qu.2.§. *Respondeo, &c.* inquit, materiam posse esse sine forma quacunque substantiali, & accidentali, ita Bassolius 4.d. 12. qu. 1. art. 1. Fuentes 1. Phys. difficul. 4. art. 7. Alij verò tenent, posse Deum separare à subiecto formam accidentalem, & illud expoliare quocunque accidente absoluto, non tamen respectiuo, ita Recentiores quamplurimi, qui nolunt, ppsse substantiam expoliari vbi, seu præsentia locali quacunque, licèt distributiuè possit esse sine hac, vel illa, & in hoc sensu defendit hanc sententiam Trombeta 7. Met. q. 3. art. 2.

De separatione verò accidentis à subiecto, dimissa opinione Philosophorum, qui nullum accidens agnouerunt posse à substantia separatum existere, vt constat ex Arist. 7. Met. tex. 3. ex Theologis, & Catholicis Philosophis quidam dixerunt, omnia accidentia, tum absoluta, tum respectiua posse per Dei potentiam sine subiecto existere, & conseruari, ita ex nostris Canon. 1. Phys. qu. 4. art. 5. Alij è contra negarunt, nedum omnia accidentia respectiua, sed etiam absoluta posse conseruari sine subiecto, ita Ægidius Thcorem. 36. Hernæus quol. 11. q. 29. negantes, posse qualitates per se existere sine subiecto, & solùm id concedentes de qualitate. Recentiores distinguunt de accidentibus, quædam enim sunt res, & quædam sunt modi rerum, quia nimirum ex natura sua instituta sunt, non vt per se sint, sed semper alijs affixa sint, res illas determinando, & specificando, vt sunt vbi, figura, vnio, & alia huiusmodi; accidentia primi generis realiter distinguunt à subiecto, vt rem à re, & ideo inquiunt, posse ab illo separata conseruari, accidentia verò secundi generis distinguunt modaliter, vt rem, & modum rei, & inquiunt, accidentia huiusmodi nullatenus esse posse sine subiecto suo. Scot. tandem 4.d. 12. q. 1. & sequent. resolutè determinat omne accidens absolutum posse esse, & conseruari sine subiecto, nullum autem respectiuum, & ita Scotistæ ibidem, præsertim Bass. art. 2.

Circa alteram quæstiei partem, & si fateantur omnes, substantiam nouo concursu, aut nouo perfeitatis modo non indigere, vt separata conseruetur; de accidentibus tamen controuersia est non leuis, Aliqui enim volunt, in tali casu nouum perfeitatis modum accidenti separato fore concedendum loco actualis inhærentiæ, & ei oppositum, cuius virtute per se existeret sine subiecto; Alij concedunt quidem, Deum talem formam conseruaturum absque additione alterius modi positiui, non tamen eadem actione, qua prius eandem conseruabat in materia, sed influxu alterius omnino rationis; Alij vtrunque asserunt, in tali scilicet casu accidens fore à Deo conseruandum, tum per nouum modum positiuum, tum per nouam actionem; Alij demum vtrumque negant, vt Scot. cit.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ostenditur, à quo accidentæ substantia queat, & nequeat separari.

40 DICIMVS 1. quod licèt substantia non possit naturaliter separari à quocunque accidente, tamen supernaturaliter potest separari à quocunque absoluto, licet non à quocunque respectiuo. Conclusio est Scoti in 2. d. 12. q. 2. §. *Respondeo ad Quæst. &c.* vbi quando ait, subiectum esse posse sine quacunque forma accidentali per Dei potentiam, loquitur de forma absoluta vt eius rationes indicant, & præsertim prima, quæ est illa; Absolutum distinctum, & prius alio absoluto, &c. & iuxta hunc sensum intelligit Doctorem Trombeta loc. cit. Et in primis, quòd substantia non possit naturaliter expoliari quocumque accidente, probatur. Tùm quia Agens naturale inuertere non potest ordinem ab Auctore naturæ institutum, vt docet Scot. in 2.dist.2.q.2.C.& ideo dum substantia ita fit Ab auctore naturæ constituta, vt semper sit accidentibus associata, non poterit agens naturale illam omnibus, & singulis expoliare. Tum quia omnes substantiæ suaptè natura, ita sunt quorundam accidentium exigitiuæ, vt eo ipso, quod in lucem prodeunt, accidentia illa ab eis per naturalem resultantiam dimanent, vnde per naturalem dimanationem lux egreditur à Sole, calor ab igne, &c. & ità necessariò huiusmodi accidentia petunt, vt illis deficientibus, corruant secundùm communem naturæ cursum, vnde necessaria connexio harum substantiarum cum talibus accidentibus secundùm communem naturæ cursum, non tam ex constitutione, & ordine vniuersi est intendenda, vt superiùs dicebamus de connexione materiæ cum forma substantiali, quàm ex interna indigentia substantiarum huiusmodi, ac naturali exigentia talium accidentium, quæ tamen indigentia tanta non est, vt suppleri nequeat ab Auctore naturæ, absolutè loquendo.

Quòd verò supernaturaliter possit esse sine quocunque accidente absoluto, probatur ex Scoto loc. cit. Tum quia omne absolutum prius alio absoluto, & realiter ab eo distinctum, potest per potentiam Dei absolutam ab eo separari, cum ex nullo capite deprehendi possit necessaria connexio illius cum isto, quam rationem fusè declarauimus disp. 2. qu. 3.art. 2. Tum quia potest subiectum separatum existere ab omni forma, à qua distinguitur, & est independens, tam à priori, quàm à posteriori, veluti à conditione concomitanti, sed substantia distinguitur realiter à quocunque accidente, & licèt dependere possit ab aliquo respectu, tanquam à conditione præuia, vel concomitanti, vt docet Scotus de composito substantiali respectu vnionis 3.d.2.q.2.F. tamen à nullo absoluto sic dependere potest simpliciter, & absolutè loquendo, ita quod eius indigentiam saltim Deus supplere nequeat. Tum tandem quia plus dependent posteriùs à priori, quam prius à posteriori, & maiori ratione potest prius existere sine posteriori, quam è contra, sed substantia est prior quocunque accidente, saltim absoluto; tempore, natura, & definitione 7. Met. tex. 4. & accidens absolutum conseruari potest, immò de facto conseruatur à Deo sine substantia in Eucharistia, ergo tanto magis poterit substantia conseruari sine omni tali accidente.

41 Postremò quod nequeat separari substantia, & separata conseruari sine quocunque respectu, etiam ab ea realiter distincto, hoc est, non ei realiter identificato, (vt vitemus quæstionem de nomine cum Recentioribus, qui talem non identitatem nolunt appellare distinct. realem; sed tantum modalem, de quo inferiùs) probatur. Tum quia substantia composita necessariò coexigit, vel præexigit vnionem partium, & ita ab ea dependet, veluti à conditione præuia, vt sine ea prorsus implicet compositum conseruari, vt docet Doctor cit. 3. d.2. q.2. F. & quamuis Recentiores velint, hunc vnionis modum esse substantiam, & non accidens, tamen inferiùs demonstrabimus, quod formaliter, & entitatiuè est accidens, & tantum denominatiuè est substantialis, quo sensu etiam mutationem ad substantiam vocare solemus substantialem.

Bassol. cit. in solut. principalium fatetur, hoc esse argum. difficillimum, conatur tamen respondere, dicendo, quod licèt compositum esse nequeat sine vnione, tamen materia, quæ est subiectum vnionis suæ ad formam, potest esse sine tali vnione, & forma similiter sine sua, compositum verò non est subiectum talis vnionis. Sed ista responsio non valet; Tum quia sic dicendo, non absolutè defenditur, posse substantiam sine quocunque accidente existere, in quo sensu motum est quæsitum, sed tantum posse esse sine quocunque accidente, cuius ipsa sit subiectum; Tum quia dum quæritur, an homo possit existere sine quantitate, certum est apud omnes, quantitatem in toto homine non subiectari, cum quantitas animam non attingat: Tum tandem quia etiam in hoc sensu non potest substantia à quocunque accidente separari. Idcò Bassol. subdit ibid. posse Deum conseruare compositum de potentia absoluta sine vnione, quæ certè responsio prorsus incapibilis est, & suo Auctore indigna.

Rubion in 2.dist. 1. qu. 10. art. 5. ait, vnionem non esse accidens distinctum à partibus vnitis, & eodem modo soluit aliud argumentum pro concl. nostra non minùs efficax, quod Deus non potest facere totum sine maioritate, & partem sine minoritate, negat enim maioritatem, & minoritatem esse relationes extremis superadditas iuxta communem Nominalium, negantium, relationes esse entitates extremis superadditas. Sed relationes admitti debere, nedum transcendentales, sed etiam prædicamentales, fusè probauimus in Log. disp. de Relatione, & vnionem aliquid superaddere extremis vnitis, ex professo probamus infra contra Nominales disp. 5. *qu. 8.* art. 2.

42 Deinde etiam substantia corporea essentialiter differt à spirituali per compositionem partium integralium, & impossibile est, substantiam corpoream conseruari sine vnione illarum partium ad inuicem, & sine tali ordine earum inter se vt quælibet certa pars immediatè vniatur alteri certæ parti, & non immediatè omnibus, vt v. g. homo conseruari non potest sine tali ordine, quo caput sit immediatè vnitum collo, & mediatè pectori, & non potest substantia corporea habere pluralitatem partium integralium, quæ est de eius essentia, sine distinct. reali illarum partium ad inuicem, sed talis partium vnio, ordo, & distinctio important respectus realiter dist. à partibus substantiæ corporeæ, quia vna pars potest ab alia diuidi, & ita sine vnione ad illam manere, & vna potest annihilari, altera remanente, in quo casu distinctio, quæ inter illas versabatur, periret manente fundamento, & hoc insinuauit Scot. ipse 2. dist. 12. q. 2. D. vbi loquens de materia spoliata quacunque forma, à qua separari potest, & extra vniuersum posita, inquit, quod adhuc haberet partes substantiales, quod vtique esse non potest sine vnione, ordine, & distinct. earum adinuicem. Denique quamuis possit substantia corporea separari à quolibet vbi, & præsentia in ordine ad locum, vt ait Scot. loc. nunc cit. tamen probabile est non posse expoliari quocumque præsentia in ordine ad spatium, etenim semper erit verum dicere, substantiam illam esse alicubi, si non localiter, saltim præsentialiter, quatenus diffusa non foret per totum spatium imaginarium, vt est diuina substantia, vt fusè dicemus disp. 11. num. 58.

43 In oppositum obijcies 1. probando, substantiam posse naturaliter esse sine quocunque accidente. Tum quia in genere artificialium potest substantia esse sine quacunque forma artificiali naturaliter, ergo & in genere naturalium; Tum quia explicari non potest, ex quo cap. oriatur necessaria connexio inter substantiam, & accidens, saltim absolutum, ergo saltim sine omni tali esse poterit. Tum tandem quia virtute propriæ existentiæ, & subsistentiæ potest anima separari, & separata existere à corpore, & hoc naturaliter, licet sit in corpus naturaliter propensa, ergo tantò magis substantia corporea ab

ab accidentibus poterit seiungi, licèt illorum naturalem habeat exigentiam, cum maiori gaudeat subsistentia.

Resp. ad 1. negando paritatem, nam ad conseruationem substantiæ naturalis, parum, aut nihil facit forma artificialis, qua de causa negat Doct. 2. d. 18. q. vn. B. substantiam habere potentiam naturalem ad formas artificiales. Ad 2. negatur assumptum, nam natura substantiæ taliter est constituta, vt suaptè natura petat pro eius conseruatione accidentia quædam absoluta, vt quantitatem, & qualitatem, quibus deficientibus, secundùm communem naturæ cursum statim corrueret, quod genus dependentiæ vocant à posteriori, quæ meliùs & aptius naturalis coexigentia dicetur. Ad 3. negatur paritas, quamuis enim substantia corporea sit magis subsistens, quàm anima, non tamen eadem necessitate appetit anima vnionem ad corpus, & substantia corporea vnionem ad accidentia; non appetit anima vniri corpori, quia corpus sit conditio ad naturalem existendi modum simpliciter, & absolutè requisita, sicut substantia corporea appetit vniri accidentibus, sed appetit vnionem ad corpus, vel ob solam cognitionem sensitiuam, quam extra illud habere non potest, vel ob solam perfectionem totius ex ipsa cum corpore consistentis, vt Scot. in 4. dist. 45. q. 2. ad 1.

44 Secundò obijcies è contra ad probandum, nec etiam supernaturaliter posse substantiam à quocunque accidente absoluto separari; Tum quia explicari non potest imò nec concipi, qualis foret status substantiæ corporeæ in ordine præsertim ad locum, ablata quantitate, num flueret in punctum, an potius esset adhuc in toto loco, vbi priùs erat, non tamen ampliùs diuisibiliter, sed modo spiritali ad modum Angeli, tota in toto, & tota in qualibet parte, vel adhuc remanere in loco diuisibiliter vt prius, quod non videtur esse possibile sine quantitate. Tum quia homo est essentialiter corpus organicum, sed corpus organicum esse nequit sine quantitate, & qualitate, nam illa facit partes extensas, & hæc alterius rationis. Tum denique corpus, & humanum præsertim, esse nequit sine figura, sed figura est de prædicamento qualitatis, ergo, &c.

Resp. ad 1. quod substantia spoliata quantitate, remaneret extensa in loco adhuc diuisibiliter, vt prius, non tamen impenetrabiliter, nam hic est formalis effectus quantitatis, vt infrà dicemus Disp. de Continuo qu. 1. vbi n. 23. fusè explicatur status substantiæ corporeæ ablata quantitate. Ad 2. ait Trom. cit. & Bassol. corpus organicum, quod ponitur in definitione animæ, non dicere quantitatem, & qualitatem, sed totum habens plures partes eterogeneas inter se specificè distinctas per partiales formas corporeitatis, nec quantitas facit partes corporis absolutè extensas, sed tantùm extensas, ad impenetrabilitatem; nec qualitas facit partes corporis, vt os, neruum, & carnem essentialiter alterius rationis, sed tantùm accidentaliter. Ad 3. ait idem, figuram dupliciter accipi posse, positiuè nimirum, & priuatiuè, primo modo dicit determinationem quandam extrinsecam corporis, vt esse triangulatum, vel quadrangulatum, & hæc figura est in prædicamento qualitatis; secundo modo dicit determinationem quandam intrinsecam, quæ nihil positiuum addit vltrà corpus de genere substantiæ, sed tantùm priuationem ad vlteriores partes, & quamuis corpus separari nequeat à figura sic inspecta, separari tamen potest à figura positiuè sumpta; sed vt in Log. notauimus disp. 7. qu. 3. art. 2. figura propriè non importat quid absolutum, nec est in prædicamento qualitatis, vt monet Doctor 4. d. 12. q. 4. F.

45 Tertiò obijcitur contra 3. partem, probando, posse substantiam à quocunque accidente, etiam respectiuo separari. Tum quia prius inquantum prius esse potest sine posteriori realiter distincto, à quo essentialiter non dependet, sed à toto genere substantia est prior accidente 7. Met. tex. 4. ergo esse potest sine quocunque accidente, etiam respectiuo. Tum quia accidens respectiuum magis accidit substantiæ, quàm absolutum, sicut inter respectus magis accidit extrinsecus, quam intrinsecus adueniens ex Scot. 4. dist. 10. quæst. 2. §. *Dico ergo, &c.* ergo si per potentiam Dei potest esse substantia sine quocunque absoluto, tantò magis esse poterit sine respectiuo. Tum denique Scot. 2. d. 12. q. 2. D. cum ait, materiam esse non posse sine quocunque respectu, quia saltim esse nequit sine dependentia ad Deum, respondet ita esse, quia respectus hic est ei realiter idem, per quod insinuat, substantiam separari posse à quacunque forma accidentali, dummodò realiter distincta, & talis videtur etiam esse eius intentio 2. dist. 3. quæst. 4. D, vbi ex hoc, quòd substantia est prior natura, & tempore omni accidente, arguit, posse substantiam, quantùm est de se, ab omni accidente separari.

Resp. ad 2. quicquid sit de maiori, quæ non est vniuersaliter vera, vt notat Lichet. 2. dist. 1. qu. 5. ad 3. Ocham, d. 12. q. 2. ad instantias Caiet. & 3. dist. 2. qu. 2. & quodl. 11. soluendo obiectiones contra tertium Dictum ad 6. in proposito dicimus ad minorem, quòd cum Arist. inquit substantiam esse priorem accidente, tempore, natura, & definitione 7. Met. 4. non debet in quacunque substantia intelligi copulatiuè respectu cuiuslibet accidentis, sed disiunctiuè, vt sensus, sit, substantiam semper præcedere accidens, vel tempore, vt cum in aliquo temporis momento existit sine aliquo accidente, vel natura, quia si non existit sine eo, potest tamen, quantùm est de se, existere, vt Sol sine luce, etsi in nullo vnquam temporis instanti fuerit sine illa, vel saltim definitione, quia vniuersaliter verum est, substantiam ingredi definitionem accidentis, non è contra, vndè hac saltim prioritate substantia semper accidens præcedit non tamen semper prioritate naturæ, vel temporis, nam compositum nec tempore, nec natura præcedit vnionem suarum partium, sed potius è contra vnio partium præcedit compositum, vt conditio necessariò prærequisita ex Scot. cit. 4. d. 2. qu. 2. F. Ad 2. si per magis accidere intelligatur esse minus necessarium ad constitutionem substantiæ, saltim vt conditionem præexactam, vel coexactam, negatur assumptum ex Scot. modò cit. si per maagis accidere intelligatur esse magis extraneum à ratione formali substantiæ, ita omne accidens æqualiter videtur accidere substantiæ, quia nullum ingreditur eius definitionem, Doctor autem in 4. loc. cit. specialiter loquitur de vbi, quod inquit importare respectum fortè cæteris accidentaliorem. Ad 3. vtique declarat ibi Doctor, non posse esse substantiam sine respectu realiter ei identificato, at non declarat, esse posse sine quocunque distincto; & in 2.d.3.qu.4. dum ait, substantiam secundùm totam sua coordinationem præcedere accidens, loquitur de substantia in ordine ad accidentia perfecta, & completa, & præsertim de quantitate, quam ibi contendit non esse indiuiduationis principium, non autem de accidentibus imperfectis, & incompletis, quæ sunt via ad substantiam, vt generatio, & vnio, nam sine his constituere compositum substantiale in prædicamento substantiæ prorsus repugnat; verum tamen est, substantiam etiam his accidentibus esse priorem, saltim definitione, quia nullum accidens ingreditur definitionem substantiæ, sed potius è contra, vt modò dictum est; ex his quoque soluta manent argumenta, quibus Bassol. cit. contendit probare, substantiam posse à Deo separari à quocunque accidente, etiam respectiuo.

46 Dicimus 2. Omne accidens absolutum per absolutam Dei potentiam esse potest sine subiecto, nullum respectiuum. Ita Scot. 4. dist. 12. q. 1. §. *Ad quæst. &c.* quamuis hæc conclusio quoad primam partem ratione naturali demonstrari non possit, quia, vt docet Sco. quodl. 7. per totum, & 1. d. 43. ex puris naturalibus demonstrari non potest, neque à priori, neque à posteriori, Deum esse omnipotentem, vt Theologi ponunt, vt scilicet immediatè se solo possit quicquid efficit cum causis secundis, vndè & inquit, axioma illud: *Quicquid Deus efficere potest cum causa secunda, potest etiam sine secunda se solo efficere*, non esse ex terminis notum, sed tantùm lumine fidei, quo docemur, ordinem essentialem causarum non esse simpliciter necessarium, vnde Philosophi quia putabant, hunc ordinem esse simpliciter necessarium, vnanimiter negarunt, accidens esse posse sine subiecto, etiamsi ex alia parte cognoscerent, subiectum non esse de essentia accidentis, quia videbant ex eis non fieri vnum per se, vt notat Doctor 4. d. 12. qu. 1. sub E. & subiectum esse causam illius materialem, non intrinsecam sed extrinsecam tantùm. Adhuc tamen suaderi potest aliqua probabili ratione ex natura accidentis absoluti deducta, nam accidens absolutum, vt absolutum, non requirit terminum, alioquin absolutum non esset, si igitur requirit subiectum, id erit ob dependentiam ab eo alterius rationis, quam vt à termino, sed nulla est dependentia simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliud, quod non est de eius essentia, sed tantùm causa extrinseca, nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam; subiectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc ex eis fieret per se vnum, & quamuis sit causa materialis accidentis, tamen non est causa materialis intrinseca, sed extrinseca, & licèt sit causa extrinseca, non tamen est causa simpliciter prima, quia hæc est solus Deus, ergo à primo ad vltimum non est tanta dependentia accidentis absoluti à subiecto, quin à Deo suppleri possit, ita discurrit Doctor loc. cit.

Deinde supposito Eucharistiæ Sacramento, validissime probari potest conclusio quo ad hanc partem, vbi constat, inhærentiam actualem ab accidentibus panis, & vini separari, & hæc existere sine subiecto, quia nec ibi sunt in corpore Christi, cum non sit capax huiusmodi accidentium præsertim in eo statu, nec etiam in aere circumfuso, cum nec ipse sit illorum accidentium idoneum susceptiuum. Nec respondere valet, ex hoc Eucharistiæ mysterio tantum haberi, quod quantitas specierum sit sine subiecto, & sine actuali inhærentia, non autem qualitates, quia hæ adhærent quantitati, & ab ea sustentantur, tanquam à proximo suæ inhæsionis subiecto. Non valet, nam licet ex hoc mysterio actualis existentia sine subiecto de sola quantitate concludi possit, tamen existentia possibilis sine subiecto pariter de qualitatibus concludi potest, Tum quia qualitas non est minus absolutum ens quantitate; Tum quia, vt arguit Doctor cit. qu. 2. loquendo de accidentibus absolutis, semper dependentia ad prius est essentialior, quàm dependentia ad posterius, sed qualitas habet dependentiam ad substantiam, tanquam ad 1. subiectum, ad quantitatem tanquam ad posterius, ergo essentialior est dependentia, quę dependet à substantia, quam ea, quę dependet ad quantitatem, sed ex hoc mysterio docemur, qualitates in Sacramento remanentes esse sine actuali dependentia ad substantiam, ergo docemur ex eodem mysterio posse saltim esse sine dependentia ad quantitatem, quamuis non doceamur, esse actu sine illa.

47 Quoad alteram partem de impossibilitate separationis accidentis respectiui, probatur à Scoto loc. cit. in hunc modum; Respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema, ergo sicut tollere terminum, ad quem est respectus, est tollere, vel destruere respectum, ita

ita tollere illud,cuius est respectus,nempe subiectum, vel fundamentum,est tollere respectum,& destruere rationem respectus:non igitur quia accidens respectiuum est accidens , ideo requirit subiectum , vel fundamentum , sed quia respectus est respectus, ideo requirit cuius sit , & ad quod sit etiam in Diuinis , ita Doctor loc. citato .

In oppositum arguitur 1.absolutè probando, in vniuersum nullum accidens posse à subiecto separari : Tum quia sicut substantiæ conuenit esse per se,ita esse in alio accidenti, at impossibile est, substantiam esse in alio, & non per se, ergo & accidens esse per se , & non in alio. Tum 2. quia posterius essentialiter non potest esse sine priori essentialiter 5.Met.cap.de priori,sed accidens est posterius essentialiter ipsa substantia,7.Met.4.Tum 3. impossibile est, definitum esse sine definitione,& quacunque parte illius,at substantia ingreditur definitionem accidentis ex 7.Met.tex.4.Tum 4.quia inhærentia actualis est de essentia accidentis,nam ex Philosopho accidentis esse est inesse,& accidentia dicuntur entia, quia entis 7.Met.tex.2. per quod insinuatur, rationem formalem entitatis accidentium esse inhæsionem actualem ad substantiam . Tum 5. si actualis inhærentia non identificaretur accidenti, tunc alia inhærentia media inhæreret illi, & tunc de ista inhærentia inhærentiæ quærendum est , quomodo se habeat ad primam inhærentiam, & sic daretur processus in infinitum . Tum tandem, ait Auersa cit. neque omnis quantitas esse potest sine subiecto , nam nec tempus potest esse sine motu , cum tempus sit quantitas successiua , nec numerus esse potest sine rebus numeratis,cum tamen sit quantitas discreta .

48 Resp. ad hæc omnia ex Scoto loc.cit. Ad 1.tenet paritas, vt per se esse, & esse in alio dicunt aptitudinem, sic enim vnum ita conuenit vni,vt prorsus alteri repugnet,at non omninò tenet, vt dicunt actum, nisi quoad hoc quod substantia carere potest actuali subsistentia in proprio supposito,& esse in alio,sicut patet de natura in Verbo, & accidens actuali inhærentia,vt patet de accidentibus Eucharistiæ. Ad 2. ait Doctor, substantiam esse accidente priorem aptitudinaliter , sed non semper actualiter,& in proposito accidentia panis in Eucharistia adhuc talem retinent posterioritatem aptitudinalem in ordine ad substantiam panis, licet,actualem non retineant ob desitionem panis, & ita verum est semper,accidens,vt posterius non posse esse sine respectu ad substantiam vt aptitudine priorem. Ad 3.valet assumptum de illo, quod ingreditur diffinitionem, vt genus, vel differentia , non vt additum, quo modo substantia ingreditur diffinitionem accidentis ; & si dicas, etiam correlatiuum ingredi definitionem relatiui tantum , vt additum , & tamen adhuc relatiuum sine correlatiuo esse non posse, subdit Doctor,hoc ideo euenire, quia relatiuum est, & non quia accidens præcisè . Ad 4. negatur assumptum, accidentis esse dicitur inesse, non quidem actualiter, sed aptitudinaliter solum, quatenus per hanc aptitudinem essentiam accidentis solemus circumscribere , & cum accidentia dicuntur ab Arist.entia , quia entis,inquit Doctor ly, *quia* non semper dicere notam causæ formalis , sed quandoque efficientis tantum,vel causæ materialis extrinsecæ, vt in proposito.Ad 5. inquit Doctor, albedinem inhærere inhærentia realiter distincta, idest vniri subiecto media vnione accidentali, quæ dicitur inhæsio , at hæc non inhæret alia inhærentia realiter distincta , sed se sola vnitur albedini, quia quod alicui est ratio essendi tale,illud seipso est tale, & ideo sicut actionis non datur alia actio, qua producatur , ita nec vnionis datur alia vnio, qua vniatur subiecto. Ad 6.nec tempus re vera est propriè species quantitatis,nec si esset, à motu realiter distincta poni deberet, idem dicendum de numero,quod non est vera species quantitatis,nec si esset, à rebus numeratis realiter distincta poni deberet, vt suo loco diximus in Log.disp.7. q.2. art.1.

49 Secundò probatur specialiter de qualitatibus, non posse separatas existere à quocunque subiecto. Tum quia si albedo esset separata à quantitate,esset sensibilis,& insensibilis, corporea, & spiritualis; sensibilis esset, quia adhuc foret qualitas tertiæ speciei,esset, insensibilis, quia quod non est quantum , non est sensibile; esset spiritualis, quia in tali statu esset indiuisibilis , esset corporea quia est qualitas de tertia specie.Tum quia etiam Canonicus ipse, qui omnium accidentium separabilitatem à subiecto conatus est tueri , loc.cit.1. concl.1.fatetur , esse quædam accidentia absoluta ex innata eorum conditione ita subiecto alligata,vt nec Deus ipse supplere posse eorum exigentiam,sanitatem affert pro exemplo , quæ est adæquatio humorum ita corpori animalis alligata, vt à corpore separatam existere , repugnet prorsus. Tum denique huius quoque generis videntur in vniuersum omnes actus vitales, quorum tanta est dependentia à principio vitali , vt ab eo petant necessariò produci, & in eodem recipi,alioquin nec vitales actiones forent , nec immanentes .

Resp.ad 1.ex Scot.4.d.12.q.2.negando sequelam, nam albedo separata à subiecto adhuc in se foret sensibilis, quia apta mouere sensum, & corporea, ac diuisibilis, quia haberet adhuc pluralitatem partium integralium;quia tamen non esset sub modo quantitatiuo, qui est necessaria conditio ad exercitium sensationis , & diuisionis, subdit Doctor , quod in tali statu ob quantitatis defectum non foret sensibilis, & diuisibilis potentia proxima,ita sub B.Ad 2.ait Scot. quodl.18. sub I.sanum , & pulchrum , cæterasque qualitates de quarta specie non esse propriè qualitates , & accidentia absoluta , sed potius relatiua, poni tamen in prædicamento qualitatis , quia habent modum denominandi , & prædicandi qualitatis quatenus prædicant de subiecto modo quodam absoluto , non referendo illud expressè ad aliud , sicut esse partem,vel esse simile. Ad 3.possunt etiam actus vitales secundùm absolutas eorum entitates à potentijs vitalibus separari , & conseruati,& adhuc actus vitales dice deberent, ac immanentes, quatenus ex natura sua adhuc exigerent produci à principio vitali,& in eodem recipi ex vitalis productionis, vt fusius in lib.de Anim.

50 Tertiò arguit specialiter Canonicus pro separabilitate accidentis respectui; Quæcunque essentialiter distinguuntur , sunt mutuo separabilia,relatio prædicamentalis, & fundamentum sunt huiusmodi, ergo,&c.minor patet,probatur maior,quia sicut ad identitatem essentialem sequitur necessariò impossibilitas separationis , ita ad distinctionem essentialem sequitur separabilitas .

Resp. valere maiorem cum sua probatione, quando vnum ab altero essentialiter non dependet , at in proposito relatio dependet essentialiter à fundamento,& termino, cum sit essentialiter habitudo inter duo extrema. Contra vrget Canon.Tum quia dependentia relationis ab extremis intrinseca , & essentialis esse nequit , qualis est totius à partibus, quia nec fundamentum, nec terminus sunt de intrinseca ratione , & essentia relationis , cum sint entia absoluta . Tum quia primum simpliciter independens , vt est Deus, potest terminare omnem dependentiam, & supplere vicem cuiuslibet terminantis eam .

Resp.quod licet extrema non sint de essentia accidentis relatiui,tamen habitudo inter illa est de essentia , vel potius ipsamet essentia illius,& falsum est, primum simpliciter independens posse omnem dependentiam immediatè terminare, nec eam propositionem simpliciter , & absolutè concedit Scotus 3.d.1.qu.1. & quodl.19. immo nec ipse Canon. qui fatetur art.1. propositionem illam , quicquid Deus potest cum causa secunda, potest sine illa , intelligi tantùm in genere causæ efficientis.Contra vrget Canon. vel fundamentum in ordine ad relationem se habet,vt causa efficiens,vel finalis,vel formalis,vel materialis;si vt efficiens,& finis, ergo potest Deus supplere causalitatem eius , cum supplere possit causalitatem extrinsecam præsertim efficientis, & finis;si vt materialis,(quia in genere causæ formalis non videtur concurrere posse) vel concurrit, vt materia ex qua,vel in qua; non primum,quia materia non est pars intrinseca relationis; si secundùm, iam in hoc conuenit cum accidente absoluto, quare sicut in absolutis potest supplere Deus eorum dependentiam talem à subiecto, cum sit causalitas materialis extrinseca , ita etiam poterit in respectiuis.

Resp. relationem prædicamentalem pendere à fundamento in genere causæ efficientis, & materialis in qua, alia tamen ratione,ac accidens absolutum , nam accidens absolutum pendet à suo subiecto præcisè in ratione subiecti, sed respectiuum pendet ab eo etiam in ratione fundamenti;vndè quamuis cum fundamento in ratione subiecti non habeat maiorem connexionem accidens respectiuum , quàm absolutum,quia sic est causa materialis extrinseca vt iusque, quæ à Deo suppleri potest,tamen cum fundamento in ratione fundamenti maiorem habet connexionem accidens respectiuum, quam absolutum,& hoc ex sua specifica differentia, quatenus respectus est, quia etiam relatio diuina,quamuis non sit accidens, nec esse potest nec concipi sine fundamento,quia est essentialiter habitudo inter duo extrema, vnius, vt fundamenti,alterius,vt termini,ita colligitur ex Scot.cit.4.d.12.q. 1. ad tertium principale, & q.2.ad 4.

51 Sed contra,adhuc instat Canon.Tum quia dependentia relationis à fundamento etiam in ratione fundamenti adhuc est in genere causæ extrinsecæ,quam Deum supplere potest.Tum quia relatio in ratione relationis non videtur indigere fundamento , nisi vt sustentetur, sed causalitas materialis , licèt in ratione recipientis suppleri à Deo nequeat ob imperfectionem annexam,potest tamen suppleri in ratione sustentantis . Tum tandem quia relatio potest esse sine tali dependentia,cum hæc sit respectus extrinsecus adueniens,& alterius prædicamenti, ac proindè ab ea separabilis .

Resp.negando,quod dependentia relationis à fundamento in ratione fundamenti,etiamsi sit in genere causæ extrinsecæ,possit suppleri à Deo, & cum communiter dicitur, omnem talem posse à Deo suppleri , & nullam talem esse simpliciter necessariam , nisi sit ad causam simpliciter primam,ait Doct.4.d.12.q.1.& supra E.& sub S.id intelligi debere in absolutis,non in respectiuis , quia accidens respectiuum in hoc distinguitur ab absoluto , quod vbi absolutum esse potest sine quocunq; quod non est de illius essentia , & ideo dicitur absolutum; accidens respectiuum pendet essentialiter etiam ab eo, quod non est de eius essentia, & sine ipso prorsus esse nequit, & ideo dicitur respectiuum,idest,necessario aliud à se essentialiter respiciens.Ad 2.negatur assumptum, quia relatio diuina nulla indiget sustentatione, cum sit per se subsistens, & tamen indiget fundamento, ista igitur indigentia oritur ex intrinseca ratione relationis, quatenus relatio est . Ad 3. falsum est, dependentiam relationis à fundamento esse alterius generis à relatione, cùm potius sit differentia constitutiua eius ; vt distinguitur ab absoluto,cum esse in fundamento,ita sit de essentia relationis , vt esse ad , velut ad terminum sicut in prædicamento Relationis distinctum est .

52 Quartò arguit ad idem Rubion 4. d. 12. q.3. Tum quia per hoc solùm ostendi potest separabilitas accidentis absoluti,quia est realiter à subiecto distinctum, ergo pariter dicendum erit de respectiuo, si à subiecto ponatur realiter distinctum . Tum 2. quia oppositorum causæ

causæ debent assignari oppositæ , ergo si causa inseparabilitatis duorum est realis eorum indistinctio , causa separabilitatis erit realis distinctio; Quod si dicatur , accidens absolutum non ideò præcisè esse à subiecto separabile, quia est realiter distinctum , sed etiam quia est accidens absolutum , respectiuum verò esse inseparabile , non quia realiter indistinctum, sed potius quia respectiuum ; Tunc objicit Rubion , se dicturum è contra , quod accidens respectiuum est separabile, quia respectiuum,non autem absolutum, quia absolutum. Tum 3. quicquid Deus potest se solo facere , potest etiam se solo conseruare, sed potest se solo facere respectum sine extremorum concursu , ergo & se solo conseruare,probatur minor,quia Deus continet virtualiter causalitatem cuiuscunque causæ secundæ , & eius effectum perfecto modo, sed non perfecto modo contineret , si tantùm virtualiter partialiter contineret . Item Deus dicitur causa prima , quia in nullius effectus productione pendet essentialiter à concursu causæ secundæ, ergo respectu omnium est causa totalis quantum est de se , & potest quemcunque effectum se solo producere immediatè , si placet, & si non potest quemcunque effectum se solo immediatè producere , respectu alicuius effectus erit causa partialis necessariò,quod maximam dicit imperfectionem . Tum 4. quia ratio Scoti superius adducta ad probandam separabilitatem accidentis absoluti à subiecto , vel nihil concludit , vel æquè concludit etiam de respectiuo ; ratio erat , quia nullus effectus dicit dependentiam essentialem à causa extrinseca , nisi simpliciter prima , & ideò cum accidens absolutum habeat subiectum pro causa extrinseca , quia subiectum non est de essentia eius , & non sit causa prima , consequenter dependentia accidentis ab eo non erit essentialis simpliciter ; planè tota hæc ratio currit pari passu de accidente respectiuo , vt per eam discurrendo patebit .

53 Resp.ad 1.Neoterici,negando, quòd accidens respectiuum realiter à subiecto distinguatur , quia nequit ab eo separatum existere , quod inquiunt necessariò requiri , vt aliqua duo dicantur realiter distingui; sed præterquamquòd sic respondendo videtur committi manifesta petitio principij, quia hæc est lis de nomine , & per distinct. realem hic aliud non intelligimus , quàm solam negationem realis identitatis,siue ita realiter distinctum ab aliquo possit se solo existere, siue non , ideò concedimus , accidens respectiuum esse aliquid extremis realiter superadditum, & ab eis realiter distinctum,sed negamus, indè posse deduci realem separabilitatem , neque accidentis absoluti separabilitas à subiecto præcisè deducitur ex eius distinct. reali ab eo, sed etiam ex independentia essentiali ipsius ab eo, quia absolutum est. Ad 2.valet assumptum in causis, præcisis, sed negant, realem indistinctionem esse causam præcisam inseparabilitatis duorum , est vtique causa sufficiens, sed non præcisa , potest enim aliunde prouenire, vt ex dependentia essentiali vnius ab alio, vel necessaria coexigentia; & cùm inquit Rubion, si nos dicimus, accidens absolutum esse posse sine subiecto, quia absolutum, ipsum è contrà dicturum de respectiuo; prorsus irrationabiliter loquitur, nam in hoc distinguuntur ens absolutum, & respectiuum, quòd absolutum esse potest, & concipi sine omni eo, quod non est de eius essentia, at non respectiuum, quod hac ratione præsertim respectiuum dicitur , quia secundùm suam quidditatem non solùm respicit sua prædicata intrinseca , sed etiam aliqua, quæ sunt extra eius essentiam. Ad 3. dicendum est ex Lichet.3. dist.1. q.1. paulò supra. §. *Ad arg.principalia, &c.* quòd aliud est loqui de accidente absoluto, aliud de respectiuo, quia etsi Deus posset immediatè causare vtrumque (maximè loquendo de respectu extrinsecus adueniente , qui propria factione fieri potest) non concurrente aliqua causa secunda in genere efficientis causæ,est tamen differentia, quia accidens absolutum non de necessitate determinat sibi aliquod subiectum,à quo actu dependeat,sed respectiuum quodcumque determinat sibi de necessitate aliquod subiectum,à quo actu dependeat, velut à fundamento ex sua intrinseca ratione ; nec propterea dicetur Deus imperfectè continere , & per modum causæ partialis effectum causæ secundæ , Tum quia per allatam responsionem ponitur Deus causa totalis respectus , & extrema interuenire dicuntur solùm in ratione recipientis, vel terminantis; Tum quia etiamsi ponatur aliquis effectus ex sua peculiari ratione necessariò simpliciter exigere concursum causæ secundæ, vt est de composito , quod necessariò petit concursum materiæ , & formæ, nec sine tali concursu potest à Deo fieri,& de actibus vitalibus in sententia multorum, qui postulant necessariò concursum potentiæ vitalis , non idcircò Deus dicit debebit causa partialis, & sufficiens respectu horum effectuum, neque id arguit in Deo defectum virtutis , quia huiusmodi effectus non sunt alio modo factibiles,sicut eò quia Deus facere nequit, quod implicat, non ideò dicimus,eum importentem,quia potentia est solum respectu possibilis,non impossibilis.Ad 4.negatur,rationem Scoti æquè concludere de accidente respectiuo,sicut de absoluto,nec verum est,Doctorem absolutè dixisse , nullum effectum dicere dependentiam essentialem à causa extrinseca , nisi simpliciter prima , sed dixit , nullius effectus absoluti dari dependentiam essentialem ab aliqua causa extrinseca , nisi simpliciter prima ; neque ita arguendo committit petitione principij , vt infert Rubion , quia non gratis assumit Doctor ibi hanc propositionem , sed pluribus eam ibi probat .

54 Quintò demum arguitur ; Tum quia in omnibus dependentijs magis est necessaria dependentia à primo, quam à secundo, sed accidens relatiuum dependet à substantia, vt à subiecto priori , ab accidente verò,vt à subiecto posteriori, vt patet de similitudine, & æqualitate, ergò si potest esse sine dependentia priori, quæ est magis necessaria,vt de facto contingit in Eucharistia,tanto magis esse poterit sine posteriori ; Tum etiam quia si accidenti respectiuo repugnat esse sine subiecto, vel hoc repugnat sibi quatenus accidens, vel quatenus relatio;non primum , quia tunc repugnaret omni accidenti,neque secundùm, quia tunc non repugnaret relationi diuinæ inhærere .

Resp. Scot. ad 1. sub M. quod dependentia relationis à fundamento est essentialissima, itaquod sine ea non potest consistere ratio relationis , quare si substantia nequeat esse fundamentum immediatum relationis (quod tamen falsum est) sed tantum accidens, necesse erit, relationem magis dependere ab accidente, quam à substantia, & hoc non quia relatio est accidens,sed quia relatio.Ad 2.ait ibidem,quòd si subiectum accipiatur in ratione subiecti, hæc repugnantia oritur in relatione creata, non quia sit accidens , nec quia relatio , sed quia talis relatio, nimirum accidentalis; quod si subiectum accipiatur in ratione fundamenti,hæc repugnantia oritur ex natura relationis,vt relatio est , & ita etiam relationi diuinæ repugnat esse sine subiecto , hoc est, sine fundamento .

ARTICVLVS II.

Quomodo accidens separatum conseruaretur .

55 Dicendum est 1.accidens separatum non indigere nouo perfeitatis modo positiuo ad sui conseruationem . Concl. est Scoti in 4.d.12.q.1.& 6.§. *Ad argumenta &c.* vbi accidenti separato nullum concedit nouum perfeitatis modum positiuum pro eius conseruatione, & vt per se existere dicatur , sed tantum negatiuum , quatenus, scilicet , prosequitur Deus conseruationem accidentis secundùm suam entitatem , & subtrahit concursum , quo conseruabat subiectum , & inhærentiam accidentis in subiecto ; & sequuntur Scotistæ omnes illo loco , Aret. Faber , Iribarnes, & Alij . Constat magna ex partes hæc Conclusio ex dictis superiùs de forma substantiali disp. 2. q. 3. art. 3. nunc addenda sunt , quæ propria videntur formæ accidentali . Prob. itaque Concl. Primò , quia huiusmodi modus non videtur possibilis , nam vel esset substantialis , vel accidentalis ; non primum , quia accidens non est capax modi substantialis ; neque secundùm ; Tum quia cùm sit accidens , non minus erit dependens , quàm illud , cuius est modus , & sic non poterit facere ipsum per se esse . Tum quia cùm sit imperfectior accidente, cui additur , erit magis dependens illo . Tum tandem quia omnino repugnare videtur accidenti , vel modo accidentali facere rem per se existentem , & à subiecto independentem , nam accidentis esse , est inesse , & à subiecto semper aliquo modo dependere , & quidem implicat , modum accidentalem , qui est minoris entitatis , & maioris dependentiæ , quam accidens , cui additur , reddere illud per se existens .

Deindè etiam si talis modus possibilis foret , attamen nullo modo videtur necessarius , nam quidquid petitur ab hoc modo , saluari potest per actionem extrinsecam Dei , vt patebit discurrendo per singula. Caiet. 3. p. q. 78. ar. 1. iudicauit necessariam huiusmodi modum in quantitate specierum Eucharistiæ , vt redderet quantitatem aptam ab sustinenda cætera accidentia , vt faciebat substantia , & ideò appellauit hunc modum superadditum quantitati vicesubstantiam, vicemateriam . Sed frustra ad hoc munus obeundum excogitauit Caiet. hunc modum , nam vel ipsum ponit velut subiectum vltimate sustentans quantitatem , vt quantitas deinceps in virtute ipsius cætera sustineat accidentia , & hoc non est dependere accidens sine subiecto , sed potius esset tribuere illi aliud subiectum loco prioris , vt benè arguit Auersa q. 21. sect. 4. Si vero non vt subiectum quantitatis, sed potius , vt modus per se existendi , quantitatem coadiuuans ad fulcimentum aliorum accidentium ponatur , hoc totum haberi potest per actionem Dei conseruantem , & sustentantem , vndè quantitas diceretur alia accidentia sustinere , quia ipsa sustentatur à Deo in genere efficientis causæ , ergo potest haberi effectiuè per actionem Dei quidquid habetur formaliter per intrinsecum modum per se existendi .

Caiet.ibidem videtur iudicare,hunc modum esse necessarium in quantitate specierum , ne dicere cogamur quantitatem ibi existere violenter, & omnes actiones , & mutationes, quæ ibi interueniunt , esse miraculosas , quod tamen dicendum esset , negato huiusmodi modo , nam quamuis quantitas sufficiat ad saluandum , quod naturaliter fiant alterationes in Eucharistia contingenter , attamen sine tali modo, qui sit velut virtus substantiæ,non possemus saluare,illa accidentia posse nutrire, substantiam producere,& corrumpere,sicut poterant coniuncta .

56 Sed neque ob id necessarius est hic per se existendi modus;Tum quia accidentia ex sua natura nata sunt inhærere , & dependere à subiecto, ergo talis modus, quia ea reddit independentia, videtur ea constituere in statu magis violento , quam modus existendi per se negatiuus,vnde vt non dicantur violenter accidentia separata existere, sufficit, quod Deus in genere efficientis causæ illa sustentet, ità enim supplet eorum indigentiam,vt non dicantur violentiam simpliciter pati. Tum quia sicut accidentia,dum sunt coniuncta substantiæ,nec virtute propria,

propria, nec in virtute substantiæ possunt producere, vel corrumpere substantiam, ita neq; id poterunt separata in virtute istius modi, præsertim si ponatur accidentalis, & si quid tale euenit in Eucharistia, id euenit virtute diuina, & hoc est rationalibus, quàm tribuere accidentibus actionem eis repugnantem. Tum tandem falsum est, ablato tali modo, omnes actiones, quæ fiunt circa accidentia, fore miraculosas, & adhuc melius esset actiones illas ponere miraculosas, quam constituere illud maximum miraculum, quod accidens habeat modum substantiæ vt vult Caiet. & adhuc maneat accidens, ergo si conceditur actio, qua quantitas per se existit independenter à subiecto; iam superfluus est alius modus per se existendi; vnde Suar. Tom. 2. 3. p. disp. 56. sec. 2. & Vasq. disp. 19. 4. cap. 2. minus consequenter loqui videntur, dum præter nouam actionem diuinam, ex vi cuius quantitas existat independenter à subiecto, exposcunt nouum per se essendi modum. Neq; satisfacit, quod ait Becanus de Sacram. c 20. q. 1. in fine, actionem nouam, & à subiecto independentem sufficere quidem ad hoc, vt quantitas non indigeat subiecto, non tamen ad hoc, vt separetur ab eo, sed præter actionem requiri modum per se existendi actuali inhærentiæ repugnantem; Non sufficit, nam per hoc solùm, quod Deus prosequatur accidentis conseruationem secundùm entitatem suam, & cesset à conseruatione subiecti, vel inhærentiæ accidentis in eo, sufficienter intelligitur accidens sine subiecto existere absque productione alicuius noui modi, quia vt notauit Basso l. 4. dist. 12. q. 1. art. 2. in fine, separatio non est actio positiua termini alicuius, sed destructio inhæsionis.

57 Coninchius de Sacram. q. 77. ar. 1. dub. 2. ex alio cap. deducit necessitatem huius noui modi, inquit enim impossibile esse, rem aliquam existere, nisi in suo genere sit vltimo determinata, impossibile enim est, animal existere, nisi contractum ad certam speciem, & certum indiuiduum; item impossibile est, quantitatem existere extensam, nisi habeat certam figuram, & sic de aliis, ergo similiter accidens nequit conseruari sine inherentia, nisi accipiat alium modum, quo eius existentia terminetur, sicut per inhærentiam terminabatur priùs, aliomquin hæc vltimo maneret in determinata, & quasi vaga, ac incerta.

Sed neq; ob id necessarius est nouus per se existendi modus in accidente separato; verum vtique est, omnem rem necessario debere habere suum modum essendi, veluti terminum existentiæ eius; sed falsum est, hunc terminum necessariò importare entitatem positiuam, subsistentia enim quæ est terminus vltimatus substantiæ probabiliter in negatione consistit, vt docet Scot. 3. d. 1. q. 1. & idipsum confirm. exemplo quantitatis adducto à Coninchio: nam quantitas secundùm longitudinem terminatur puncto, secundùm latitudinem linea, secundùm profunditatem superficie, & tamen huiusmodi termini in multorum sententia non prorsus improbabili, non dicunt aliquid positiuum.

Auersa q. 21. sec. 4. ait, accidens separatum necessariò conseruari debere per aliquid positiuum superadditum. Tum quia conceptus essendi per se, est conceptus positiuus, & non merè negatiuus. Tum quia sicut datur positiuus modus essendi in alio, ita possibilis erit positiuus modus essendi per se illi oppositus. Tum demum, quia natura substantialis non potest existere absque omni modo positiuo essendi, vel per propriam subsistentiam, vel per vnionem ad alienam, ergo tanto magis id necessarium erit in natura accidentali, quia natura substantialis non indigit suo modo subsistentiæ per modum dependentiæ, sed tantum per modum terminationis, at forma accidentalis verè indiget inhærentia per modum dependentiæ. Sed neque Auersa sufficienter ostendit huiusmodi necessitatem, nam quamuis conceptus essendi per se independenter ab alio, tam actualiter, quàm aptitudinaliter diceret conceptum positiuum & non merè negatiuum, quod tamen non est omnino certum, tamen conceptus essendi per se cum independentia actuali à subiecto non est conceptus necessariò positiuum. Et quamuis detur modus positiuus essendi per se, oppositus modo positiuo essendi in alio, non ob id concluditur, hunc modum debere accidenti conuenire, cum potius substantiæ proprius videatur. Et denique ex hoc, quod natura substantialis, ablata propria subsistentia debeat existere necessariò per vnionem ad alienam, quod tamen non est omnino certum, non benè infertur, accidens è contra; ablata inhærentia actuali, non posse per se existere absque positiuo modo superaddito, nam naturam esse in alieno supposito formalissimè dicit respectum positiuum vnionis, at accidens esse per se, idest sine subiecto, non præsefert necessariò conceptum positiuum, sed saltuari potest per negatiuum. Et quamuis forma accidentalis indigeat inhærentia per modum dependentiæ, non probat sufficienter Auersa, hanc indigentiam suppleri debere necessariò in genere causæ formalis; per intrinsecum modum per se existendi, nam nos dicimus, suppleri posse in genere causæ efficientis per actionem Dei conseruantem, & sustentantem accidens extra subiectum.

58 Deniq; quando hic etiam existendi modus possibilis esset, & necessarius, adhuc ex eo cap. difficultatem ingerit, quia nec ipsi Aduersarij explicare sciunt, in quo consistat talis modus, quidue formaliter dicat, nam hoc positiuum esse non potest noua res, aut virtus substantialis, in sensu, quo loquebatur Caiet. vt supra probatum est; nec poni potest nouta accidentis existentia quasi prius existeret existentia subiecti, nam sicut accidens, dum est in subiecto, habet propriam entitatem à subiecto realiter distinctam, ita habet propriam existentiam licèt ab eo dependentem. Neq; potest poni modus absolutus per se existendi repugnans inhærentiæ actuali; Tum quia hic repugnare videtur naturæ accidentis, sicut caliditas naturæ aquæ. Tum quia non melius deuenire possumus in cognitionem huius modi necessarij ad conseruationem accidentis, quam ex Mysterio Euchar. vbi separatum conseruatur; at ex hoc mysterio non colligitur talis modus absolutus positiuus per se existendi, vt ipsemet Auersa fatetur loc. cit. vnde tandem elegit Auersa alteri, hunc modum, quo quantitas separata existit in Eucharistia, esse modum quendam vnionis ipsius quantitatis ad corpus Christi diuersum omninò ab inhærentia. Sed adhuc difficilius est explicare hunc modum vnionis accidentis peculiarem ad substantiam qui non sit inhærentia, nam accidens intrinsecè vniri substantiæ aliud non videtur esse, quam illi inhærere; vnde Auersa declarat ignotum per ignotius.

In oppositum præter obiecta disp. 2. q. 3. art. 3. objicies iterum ex Suar. Tum quia modi positiui communiter resultant in rebus, quando modus oppositus destruitur, nam in naturalibus non aufertur talis situs à corpore, nisi detur alius; non aufertur à linea recta rectitudo, nisi detur obliquitas vel similis alius modus; In supernaturalibus non aufertur à corpore Christi modus circumscriptiuus essendi in loco in Euchar. nisi detur modus sacramentalis; ab humanitate eiusdem non aufertur modus subsistentiæ, nisi posita vnione ad Verbum, ergo etiam in proposito, non aufertur inhærentia ab accidente, quin detur modus oppositus. Tum etiam quia modus essendi, qui est vltimatus terminus rei non potest auferri, quin alius modus essendi resultet loco illius, diuisa enim linea, & ablato puncto continuante, resultant alia puncta terminata, ergo ablata inhærentia ab accidente, quæ est terminus existentiæ illius, necessariò resultabit alius modus positiuus.

59 Resp. negando paritatem assumptam à Suar. quia modi, quos recenset Suar. vel sunt absoluti, & connaturales, vt rectitudo, & obliquitas in linea, atque ideò necessariò pullulant à rebus, vel sunt respectus extrinsecus aduenientes, qui positis fundamento, & termino, & conditione, regulariter necessariò resultant, vt sunt vnio hypostatica, vbi, situs, &c. Modus verò existendi per se positiuus vel repugnat accidenti, vel saltim ei connaturalis non est, vt inde ad ablationem inhærentiæ, nenessariò in ipso debeat exoriri, nam ad ablationem inhærentiæ ex natura rei solùm haberi potest in accidente pura negatio existendi in alio, quæ à Scoto appellatur modus per se essendi negatiuus, & planè paritas in argumento assumpta, si valeret, plus probat, quam velit Suar. probat enim, & vnionem in humanitate Christi ad Verbum ablata propria subsistentia oriri ex natura rei in ipsa, & modum sacramentalem oriri ex natura rei in corpore Christi ad ablationem modi quantitatiui, quod falsum est, etiam in sententia ipsius in Met. disp. 40. sect. 4. Ad aliud patet ex iam dictis, non esse de ratione termini existentiæ rei, quòd semper consistat in aliquo positiuo, & in sententia Nominalium præsertim punctum terminans in linea dicit solam carentiam vlterioris longitudinis.

Secundò obijcies ex Coninch. Sicut figura vltimò terminat extensionem quantitatis, ita inhærentia, & subsistentia vltimò terminant existentiam accidentis, & substantiæ, ergo sicut impossibile est conseruare quantitatem extensam, & tollere ab ea vnam figuram, quin ei detur alia, ità videtur impossibile tollere ab accidente inhærentiam, nisi detur modus oppositus illi. Accedit, quòd sicut quantitas sine figura foret interminata, ità accidentis existentia sine inhærentia, nisi habeat alium modum, quo terminetur.

60 Resp. negando paritatem assumptam, quia figura est modus connaturalis quantitati, & relatio quædam necessariò resultans in re quanta ex varia dispositione, & terminatione partium eius, vt docet Scot. in 4. dist. 12. q. 4. F. at modus per se subsistendi positiuus non solùm non est connaturalis accidenti, verùm ipsi directè repugnat, sicut modus inhærendi substantiæ, neque propterea existentia accidentis interminata manebit, si ei non tribuatur modus hic subsistendi positiuus sed modo negatiuo terminabitur, Possemus etiam cum Trombet. 7. Met. q. 3. distinguere de duplici figura quantitatis, positiua, quę dicit determinationem extrinsecam, & reponitur in prædicamento qualitatis ab Arist. & priuatiua, quæ dicit determinationem intrinsecam, nihil positiuum addens vltra corpus de genere quantitatis, sed tantum priuationem ad vlteriores partes, & licet quantitas esse nequeat sine figura priuatiua, potest tamen esse sine positiua, ex quo concluditur solùm, data paritate non posse ab accidente auferri inhærentiam, quin ei tribuatur subsistentia negatiua.

61 Dicimus 2. accidens separatum non indigere ad conseruationem suæ entitatis nouo concursu diuerso à priori secundùm rem, quo conseruabatur in subiecto. Concl. satis probata manet disp. 2. q. 3. ar. 3. vbi ostendimus, esse de mente Scoli 4. dist. 12. q. 1. R. & iterum modò probatur, ostendendo, nullam vrgere necessitatem noui concursus; nam vel ponendus esset ad supplendam causalitatem subiecti, vt contendit Coninch, quia priùs influebat Deus, vt causa partialis, & conseruabat accidens cum subiecto, & modò influit, vt causa totalis, & conseruat sine subiecto; concursus prior erat de se insufficiens ad conseruandum accidens, posterior est sufficiens; prior erat concursus generalis; posterior est specialis. Sed hæc ratio non vrget ad ponendum nouum influxum à priori diuersum secundùm rem, quia, vt diximus loc. cit. disp. 2. n. 52. & fusè probat Vulpes to. 1. p. 2. disp. 7 ar. 6. concursus Dei, quem causis secundis exhibet, est de se sufficientissimus ad ponendum se solo effectum secundum rem, & solùm secundùm modum dicitur partialis, & insufficiens, vt ibi declaratum est, quia si esset insufficiens, & partialis secundùm rem, licet in actu primo esset independens à concursu causarum secundarum, tamen vt hic, & nunc exibetur in actu secundo esset essentialiter dependens à concursu illarum, quod est contra rationem influxus causæ primæ. Accedit ex ibi dictis, quòd quando modò Deus producit aliquem effectum cum causa secunda, & deinde ilium conseruat sine concursu causæ secundæ, fatentur etiam ipsi Aduersarij, influxum conseruatiuum Dei non esse secundùm rem diuersum à priori, ergo concursus ille, quo effectum producit cum causa secunda, sufficit se solo ad illum ponendo. Neque concursus, quo se solo conseruat accidens sine subiecto, dicitur speciali, quia sit diuersus secundùm rem ab eo, quo conseruabat illud in subiecto, & dicebatur generalis, sed tantum quia est diuersus ab eo secundùm modum, prior concursus dicebatur generalis, quia habitus erat de communi lege; posterior dicitur specialis, quia à Deo exhibetur in tali rerum ordine, in quo illum exhibere non tenetur de communi lege.

62 Vel necessarius esset nouus concursus, & alterius rationis à priori, quia ex vi prioris concursus conseruatur accidens in subiecto, ità quòd terminus adæquatus eius est accidens inhærens ex vi posterioris conseruatur sine subiecto, ità quòd terminus adæquatus ejiis est sola entitas accidentis, vt dicebat Beccanus sup. cit. Sed neq; id vrget ad ponendum nouum concursum à priori diuersum secundùm rem, quia falsum est, per eandem actionem conseruari entitatem accidentis, & inhærentiam eius, nam vnio accidentis est entitas diuersa ab entitate accidentis, & prorsus diuersa est productio accidentis, & vnionis, & manere potest entitas accidentis inuariata, variato modo vnionis, atque ideo cùm actio, quæ attingit præcisè entitatem ipsius accidentis, distincta sit ab actione, quæ attingit vnionem, cessante ista, perseuerante illa conseruabitur accidens extra subiectum eodem concursu, quo priùs secundùm rem, licèt diuerso secundùm modum.

Vel denique concursus iste, quo conseruat accidens sine subiecto, diceretur alterius rationis à priori, quia prior erat eductiuus, nam erat cum dependentia à subiecto, posterior est creatiuus, quia à subiecto independens; eductio autem, & creatio sunt actiones alterius rationis, ita dicebant Suar. & Vasq. supracitati. Sed neque hac ratione ponendus est nouus concursus alterius rationis à priori; Tum quia generatio, & creatio essentialiter non differunt, sed tantum ratione connotati, quatenus generatio connotat subiectum, ex quo fit forma, non autem creatio, sicut è contra eodem modo ratione connotati differunt annihilatio, & corruptio, vt Pater Vulpes disp. 8. de Angelis ar. 10. n. 1. notauit ex Scoto 4. dist. 11. q. 4. & quodl. 10. Tum quia, vt notauit Auersa q. 21. sect. 4. in fine, in formis, quæ fieri possunt per eductionem, & creationem, huiusmodi actiones possunt differre tantum per concomitantiam illius actionis, quæ terminatur ad inhærentiam, etiam si semper vna, & eadem sit illa actio, quæ attingit præcisè entitatem ipsius formæ.

In oppositum arguit Coninch. necessarium esse nouum concursum diuersum à priori. Tum quia in vniuersum loquendo, alius influxus primæ causæ, quo cum secunda influit in effectum, & alius, quo se solo illum producit, alius v. g: influxus quo producit Deus lumen vna cum Sole, & deinde absente Sole, solus illud deinceps conseruaret, quia tunc influeret modo quodam determinato ad hunc effectum in particulari, itaut spectato præcisè modo, quo Deus hic, & nunc influit, necessariò producatur hoc lumen, vbi antea influebat concursu indeterminato, itaut spectato præcisè modo, quo prius influebat non magis esset natus, siue determinatus producere lumen quam calorem, vel frigus; nam Deus quantum est ex parte sua eodem modo concurrit cum aqua frigefaciente, igne calefaciente, & Sole illuminante, sicut qui inflat organa, eodem modo concurrit ad omnes sonos, quos organa diuersimodè pulsata edunt. Tum quia nihil potest in conseruari ab aliquo pendere, sine quo æquè facilè conseruatur, sed potere Deum eodem concursu accidens separatum conseruare, quo prius quando erat in subiecto, est dicere, æquè facilè illud conseruare sine subiecto, ac cum subiecto, ergo prius non dependebat à subiecto in conseruari; Tum tandem quia quando conseruat independenter à subiecto, supplere debet causalitatem eius, sed hoc fieri nequit, nisi adhibendo maiorem concursum, sicut quando duo homines leuant aliquod pondus, si vnus poltea se solo leuat illud, nequit supplere causalitatem alterius, nisi adhibendo maiorem concursum.

63 Resp. negando assumptum, fore scilicet alium influxum secundùm rem, quando lumen conseruaret sine Sole, ab eo, quo conseruabat cum Sole, nam etiam de facto plurimi sunt effectus qui cum causa secunda efficiente producuntur à Deo, & deinceps sine ea conseruantur, & tamen Aduersarij fatentur, huiusmodi influxum Dei conseruatiuum non esse à productiuo diuersum & negatur, concursum Dei esse indeterminatum, genericum, & quasi confusum, ac determinabilem ad hunc, vel illum effectum specie; Tum quia hoc repugnat perfectioni concursus primæ causæ, quod satis ex Coninch. exemplo conuincitur, nam qui pulsat organa, vtique perfectiori modo concurrit ad sonum edendum; quam qui tantummodo inflat; Tum quia in communi sententia Aduersariorum indiuiduatio effectus pendet à Deo, & à Deo determinatur, ergo si concursus diuinus est determinatus ad hunc effectum in indiuiduo, tantò magis determinatus erit ad effectum in specie; Tum tandem quia vtique concursus Dei materialiter sumptus est illimitatus, ac virtualiter multiplex, tum specie, tum numero, nunquam tamen dici potest, vel debet determinabilis, indifferens, & confusus, quia hæc repugnant perfectioni eius, vt fusè probat Vulpes cit. disp. 7. art. 5. Ad 2. concedimus, nihil essentialiter simpliciter ab aliquo pendere in conseruari, sine quo æquè facile conseruatur, potest tamen pendere essentialiter secundùm quid, & adhuc absque eo æquè facilè conseruari ab agente infinitæ virtutis, qui proinde æquali facilitate omnia producit, & conseruat sine vllo omninò labore, vel conatu; iam verò, vt docet Scot. 4. d. 12. qu. 1. nullus effectus creatus essentialiter simpliciter dependet in esse à causa secunda, sed tantum à prima, & dependentia illius ad eam talis est, vt ipsa sola continuata sufficiat ad esse, & conseruari talis effectus, & ideò æquè facilè potest à Deo conseruari forma in subiecto, ac sine subiecto. Ad 3. dicimus, Deum se solo operantem, vel conseruantem supplere concursum causæ secundæ, non secundùm rem, sed tantum secundùm modum, non sinendo causas secundas secum agere, neque suppleret adhibendo maiorem concursum, quia diuinus concursus non potest recipere intensionem, vel remissionem, & paritas assumpta de duobus leuantibus pondus est prorsus dispar, quia concursus eorum est limitatus, & finitus, qui proinde intendi debet ad ponendum maiorem effectum; vide, quæ diximus disp. 2. q. 5. art. 3. nu. 52.

64 Sed quærit Coninch. loc. cit. nu. 11. hanc respons. euertere, dicendo, quod cum ipse inquit, Deum maiori influxu vti debere, dum effectum se solo producit, vel conseruat, non vult dicere, Deum debere magis laborare, & in agendo fatigari, & difficilius effectum producere; Sed tantum inquit, se velle insinuare, effectum in tali casu potentiorem influxum, siue causæ conatum requirere, & virtutem ipsius agentis magis applicari debere ad agendum, siue hoc faciat cum maiori, siue cum æquali difficultate, nam potest causa maiori conatu influere in effectum, & si non laboret magis; quod etiam in Deo locum habet, nam si ponatur se solo ex tribus lignis vnum calefacere, vt duo, secundùm, vt sex, tertium omninò non calefacere, vtiq; ex parte Dei debet huius rei reddi aliqua causa, nec alia reddi posse videtur, nisi quia diuersimodè Deus se habet circa hæc ligna, quatenus nimirum suam vim agendi erga vnum applicat, vt duo, ergo secundùm, vt sex, & erga tertium nullo modo, & in hoc sensu maiorem dicetur adhibere concursum calefaciendo lignum, vt sex, quam calefaciendo, vt duo.

Verùm ita explicando maioritatem, vel minoritatem diuini concursus benè loquitur Coninch. neque in hoc sensu illam negamus, nam vtique maior influxus ex parte Dei requiritur ad producendum totum vniuersum, quàm ad vnum tantum accidens, neque hæc maioritas, aut minoritas explicari debet per aliquam intensionem, vel remissionem in velle diuino conceptam aut per maiorem, vel minorem difficultatem ad agendum, sed dicitur maior, vel minor, quatenus ipsum velle diuinum, quamuis sit formaliter semper vnus, & idem actus, est tamen ob suam illimitationem virtualiter multiplex, atque ideo æquiualens maiori, & minori actioni. Attamen ex hoc non probat Coninch. debere Deum maiorem adhibere conatum, & concursum, quando conseruat accidens separatum, quia tunc tantum argui potest ex parte Dei maior influxus, quando maior est effectus, sed quando effectus est idem, arguit idem, quia non variatur actio circa eundem terminum absque vlla variatione ipsius termini; in casu autem nostro terminus diuinæ actionis est entitas ipsius accidentis, quæ intrinsecè inuariata manet, ac proinde eandem semper actionem terminabit; quod autem varietur extrinsecè ob defectum subiecti, non infert, in actione conseruatiua eius diuersitatem secundùm rem, sed tantum secundùm modum, vndè sicut est eadem entitas accidentis nunc, & priùs, & tantum diuerso modo se habent, ita est eadem actio diuina secundùm rem, & tantum diuersa secundùm modum.

65 Secundò arguit idem. Formam materialem extra subiectum existere, est omninò supernaturale, sed hoc esset falsum, si adhuc ei sufficeret idem omnino concursus diuinus, qui sufficit, vt existat in subiecto, ergo hic non sufficit, sed nouus est necessarius; maior patet, probatur minor, quia nihil est supernaturale, quod à causa naturali cum concursu ei debito fieri potest, per hoc enim differt præsertim effectus naturalis à supernaturali, quod ille à causa naturali cum concursu ei debito fieri possit, hic non possit; atqui secundùm sententiam nostram (inquit Coninch.) causa naturalis, Sol v. g. posset com solo concursu generali naturaliter sibi debitò lumen in aere productum (annihilatio aere) conseruare extra subiectum, ergo talis conseruatio, siue existentia luminis, non esset supernaturalis.

Resp. negan. minorem, ad cuius probat. iterum neg. minor, vtpotè in qua assumitur casus impossibilis, posse nempe Deum (annihilatio aere) adhuc adsistere Soli ad conseruandum lumen in posterum sine subiecto, quia conseruatio esset actio creatiua, quæ creaturæ conuenire non potest, vt fusè probat Doctor 4. d. 1. q. 1. Potest igitur se solo Deus conseruare lumen in aere iam à Sole productum, aere annihilato, eo concursu, quo priùs secundùm; concursus tamen iste conser-

conseruatiuus, etsi foret idem qui priùs secundùm rem, non tamen diceretur lumini connaturalis, quia influxus conseruatiuus non est lumini debitus, nisi in subiecto, eo modo, quo Aduersarij supernaturalem ponunt concursum, quo Deus materiam sine forma conseruaret, etiamsi idem foret concursus, quo priùs conseruabatur cum forma secundùm rem.

Sed contra hanc Respons. instat Coninch. Tum quia si vt aliquid dicatur existere supernaturaliter, sufficeret, ipsum existere alio modo ab eo, ad quam natura sua ordinatur, sequeretur, lapidem supernaturaliter in sublimi loco detineri, quod est falsum, sicut igitur eò quia lapis eodem concursu potest in eo statu conseruari, quo in suo statu naturali, hic concursus dicitur ei debitus, & connaturalis, nec dicitur vlla ratione in tali statu supernaturaliter existere; idem erit dicendum de accidente extra subiectum, si posset ibi eodem concursu conseruari, quo in subiecto conseruabatur; Tum quia nulla vnquam res in quocunque statu ponatur postulat sibi substrahi concursum diuinum, ergo falsum est, accidens extra subiectum concursum hunc non exigere. Probatur antecedens, quia nihil postulat sui ipsius destructionem, sed conseruationem, ad quam inter omnia concursus diuinus est summè necessarius. Alias instantias facit Coninch. contra allatam respons. quæ quia illi falso supposito innituntur, quòd Deus possit cum Sole concurrere ad conseruandum lumen, aere annihilato, consultò dimittimus, velut nullius momenti.

66 Resp. huiusmodi instantias vrgere etiam contra conseruationem materiæ sine forma, vt discurrenti patet, vndè etiam Aduersarij tenentur illas soluere; Ad 1. igitur dicimus, vt aliquid dicatur existere supernaturaliter, vtique non sufficere, ipsum existere alio modo ab eo, ad quem natura sua ordinatur, ita enim monstra producerentur supernaturaliter, aqua supernaturaliter ascenderet sursum ad replendum vacuum, & lapis denique supernaturaliter existeret sursum; Vt igitur aliquid modo supernaturali existat, debet existere alio modo ab eo, ad quem tam natura sua ordinauit, quàm natura vniuersi, si enim existat alio modo ab eo, ad quem natura sua particularis ordinauit, existat tamen eo, ad quem ordinauit natura vniuersalis, vtiq; non dicetur existere supernaturaliter, quia concursus Dei generalis adhuc est debitus, vnde si daretur Vacuum, aquæ sursum ascendenti ad illud replendum tenetur Deus concurrere de communi lege, & talis ascensus, naturalis foret non supernaturalis; Non igitur dicitur lapis sursum naturaliter existere eò præcisè, quia eodem concursu à Deo ibi conseruatur, quo priùs in centro, sed quia ille idem concursus adhuc in tali statu est ei debitus ob indigentiam naturæ vniuersalis. Ad 2. tota vis argumenti consistit in verbis, quando enim dicimus, accidens extra subiectum non exigere concursum Dei conseruatiuum, sed potiùs petere substractionem, non simpliciter, & absolutè hoc pronunciamus; sed dicimus, illum non exigere secundùm communem naturæ cursum, & ita non est natura particularis rei, quæ subtractionem petat diuini concursus, sed potiùs natura vniuersi. Accedit, quòd dum dicimus, res in tali statu, vel tali non exigere influxus diuini continuationem, aliud insinuare nolumus, nisi Deum de communi lege non teneri illis adsistere per suum illapsum generalem.

Tertiò objicit Becan. cit. Actiones distinguuntur essentialiter à terminis formalibus, sed productio rei ex nihilo, vel conseruatio eius sine subiecto, tanquam terminum adæquatum respicit rem ipsam solam, non autem inhærentiam eius in subiecto; productio verò, vel conseruatio rei dependens à subiecto, non solum respicit rem illam, sed etiam inhærentiam, vt terminum adæquatum, sicut ergo inter terminos adæquatos est formalis distinctio, ita etiam inter actiones concipienda est. Confirmari potest, quia eadem actione videtur conseruari forma in subiecto, qua conseruatur inhærentia illius; Deum enim conseruare formam in subiecto, non est, nisi conseruare inhærentiam illius in eo, ergo cessante inhærentia formæ, cessat illa actio, qua forma conseruabatur in subiecto, & ita forma deinceps per nouam actionem extra subiectum conseruabitur.

67 Resp. negando minorem quo ad 2. partem, quia vt sæpius dictum est, distincta est actio, qua producitur, & conseruatur entitas formæ, ab ea, qua producitur, & conseruatur inhærentia eius, sicuti enim respectus extrinsecus adueniens, qualis est inhærentia formæ, alia actione producitur ab ea, qua producuntur extrema, vt Scot. docet in 3. d. 1. q. 1. ità etiam alia actione conseruatur, licèt dependenter ab eis. Ad Conf. negatur assumptum ad Probat. dicimus, committi fallaciam secundùm plures interrogationes, vt vnam, dum enim dicimus, formam conseruari in subiecto, duo re vera dicimus; pronunciamus enim formam conseruari in rerum natura, & explicamus insuper modum, quo conseruatur, quæ duo diuersas actiones important, vnam, qua explicatur conseruatio accidentis in rerum natura, aliam, qua explicatur modus conseruationis eius, scilicet inhærentia.

Recentior quidam Scotista in doctrina Neotericorum enutritus, præsertim verò in materia de diuino concursu cum causis secundis, quod sit re vera de se insufficiens & partialis, proindeq; dependens essentialiter ab actione causæ secundæ in productione effectus, non minus quam ipsamet actio causæ secundæ vice versa ab actione primæ dependeat, capere non potest sententiam nostram de conseruatione formæ materialis à Deo extra subiectum eodem influxu secundùm rem, quo prius conseruabatur, dum erat in subiecto, & solum secundùm modum variato, & contra eam sic argumentatur, quia si concursus ille, quo etiam in subiecto conseruat, est se solo sufficiens ad conseruandam formam absq; subiecto, esset etiam sufficiens se solo ad conseruandam formam in subiecto, sed hoc est falsum, quia tunc forma materialis nullo modo à subiecto dependeret, nec in fieri, nec in conseruari. Tum quia optimè colligitur effectum non dependere ab aliqua causa, qua ablata adhuc poneretur effectus, immo hinc colligitur animam rationalem non fieri dependenter à materia, licet producatur materia, quia concursus, quo ponitur à Deo, est se solo sufficiens, & eo posito poneretur anima, quamuis non esset materia. Deniq; concursus Dei cum materia ad conseruandam formam est volitio, qua vult conseruare formam dependenter à subiecto; concursus, quo conseruat eam extra materiam, est volitio conseruando eam in dependenter à subiecto, ergo non est idem concursus. Nec sufficit dicere concursum, quo producit formam in materia, sufficientem esse secundùm rem, sed insufficientem quoad modum; Quia materia actu concurrit ad substantiam formæ producendam, ergo non sufficit concursus Dei quoad substantiam; tum quia ostendi non potest ad quem modum formæ requiritur concursus materiæ. Nec rursus valet dicere, quod quamuis concursus Dei sit sufficiens concursus, tamen creaturæ non sit superfluus, licet non sit necessarius; Nam illud est superfluum ad ponendum rem, sine quo res de facto poneretur, & quidem æquè facilè; sed si concursus Dei sit sufficiens, eo solo posito necessariò poneretur forma, & æquè facilè, ergo concursus materiæ esset superfluus.

Hæc argumenta coincidunt cum relatis ex Coninch. nec nouam ingerunt difficultatem; ad 1. iam diximus omninò distinguendam esse actionem, qua conseruatur entitas ipsa formæ à Deo, & qua conseruatur eius vnio ad subiectum; ex vi prioris conseruatur entitas formæ absolutè præscindendo à subiecto, & solum ex vi posterioris conseruatur in subiecto; & ex vi prioris actionis dumtaxat continuatæ dicimus formam etiam extra subiectum conseruari posse, non ex vi posterioris, quia tunc vtique, sequeretur formam materialem nullo modo à subiecto dependere; & gratis concedimus ex vi prioris influxus conseruari non posse formam in subiecto, quia influxus ille terminatur ad solam entitatem formę, & indifferens est ad conseruandam formam, dum est in subiecto, vel extra subiectum, sed præcisè conseruatur ex vi posterioris, qui terminatur ad vnionem, per quam formalissimè dicitur forma inhærere subiecto. Ad secundùm anima rationalis non dicitur conseruari dependenter à materia, quia eius vnio cum materia non est sustentatio, at vnio aliarum formarum est sustentatio, & ideò dependenter ab illa conseruantur; & hac sustentatione ablata, licet deinceps conseruaretur forma à Deo extrà subiectum, non indè benè deducitur formam à materia non dependere, quando illi inhærebat, quia licet illa ablata, adhuc remaneat forma, non tamen eo modo, quo prius, quia, non in subiecto sustentata, quod habebat beneficio materialis influxus. Ad 3. vtiq; non est idem concursus ille, quo conseruatur entitas absoluta formæ præcisè, & ille, quo conseruatur eius vnio cum subiecto, sed sunt diuersi, sicut diuersæ sunt entitates formæ, & vnionis; cæterum est idem concursus ille prior, qui terminatur ad solam entitatem formæ, tam dum est in subiecto, quàm dum est extra subiectum. Replicæ autem illæ, quas affert hic Auctor contra illam distinctionem nostram de sufficientia, vel insufficientia diuini concursus secundùm rem, vel modum, manifestè ostendit ipsum non percepisse sententiam nostram de natura diuini concursus; sed legat quæ de diuino concursu dicimus infrà disp. 8. q. 3. art. 2. in fine; breuiter enim indè illam capere poterit, si ei non sufficit explicatio in hac ipsa quæstione allata; falsum etiam est quod ait, si forma eodem diuino concursu extrà materiam conseruari potest, ostendi non posse ad quem modum formæ requiratur concursus materiæ; requiritur enim ad hoc, non vt conseruetur quoad substantiam, & suam absolutam entitatem, quia æquè benè conseruari sic potest per solum diuinum concursum; sed vt conseruetur modo materiali, & sustentatiuo; Neq; hinc sequitur concursum causæ secundæ esse superfluum ad ponendum effectum, quia aliàs à Deo poni posset per eundem concursum; nam esset idem secundùm rem, non tamen secundùm modum; quatenus licet sit idem, non tamen eodem modo applicatur, dum causas secundas assumit ad agendum, & dum agit sine ipsis, quod infrà disp. 8. in fine benè explicatur; immo per illam replicam posset probari causas secundas super fluere, quia absolutè loquendo, & æquè benè potest Deus facere se solo, quod facit cum eis.

QVÆSTIO V.

An omnes formæ accidentales educantur de potentia subiecti.

68 QVæsitum vertitur de formis naturalibus, & artificialibus, sed quia Philosophia nostra ad Theologiam est ordinata, ideò ad formas quoque ordinis supernaturalis illud extendemus. Circa formas naturales omnes conueniunt, illas, quæ per propriam actionem, subiectique transmutationem fiunt, educi de potentia subiecti; at quæ non fiunt per propriam actionem, aut subiecti transmutationem, à pluribus negantur educi; hac de causa negarunt Alens. 8. Met. 13. Sonc. 7. Met. q. 8. Ægid. in 2. d. 13. q. 2. & quidam Alij, lumen, & species intentionales educi de potentia subiecti, eò quòd fiunt in instanti sine resistentia, & abiectione contrarij, atque ideò sine trasmutatione subiecti. Rursus hac de causa negant Alij relationes omnes, & formas etiam absolutas, quas vocant modales, quarum ratio consistit in afficiendo actu entitatem aliquam, sine qua nullo modo esse possunt, cuius generis ponunt vnionem, figuram, & alia huiusmodi educi de potentia subiecti, quia per se resultant absque propria actione, vndè sicuti non dicuntur produci, sed comproduci, ità nec dici debent educi, sed coeduci, ità Conimb. 1. Phys. c. 9. q. 12. art. 6. & art. 7. & Alij quamplures, quod etiam affirmant de potentijs animæ, & cæteris qualitatibus à suis subiectis naturaliter manantibus.

Circa formas artificiales Conimb. modò cit. art. 7. negant, educi de potentia subiecti, quia subiectum ad eas habet potentiam obedientalem potius, quàm naturalem. Alij idem asserunt quod Conimb. sed alia ratione, quia nimirum formæ artificiales potius per se resultant, quàm propria actione fiant. Alij tandem id asserunt, quia formæ artificiales, vt sic supra naturalitatem non addunt, nisi denominationem quandam extrinsecam sumptam ab arte, quæ est in artifice, denominatio autem extrinseca non educitur ex subiecto denominato.

Circa formas supernaturales Alij in vniuersum affirmant, illas creari, vt Scholastici omnes Antiquiores ob earum eminentiam, Alij asserunt in vniuersum educi de potentia, vt Scholastici Recentiores ob earum accidentalitatem, ità Suar. disp. 15. Met. sec. 2. & 3. Tom. in 3. p. disp. 9. sec. 1. Vasq. 1. p. disp. 174. & alij passim, & declarant educi gratiam, & cætera dona supernaturalia ex potentia Animæ, non quidem naturali, sed obedientiali, & etiam hoc modo loquitur Io. de S. Th. q. 4. art. 2. cum tamen art. p. asseruisset ad eductionem formæ requiri, quod forma sit connaturalis, & proportionata subiecto, & subiectum in potentia naturali ad illam. Auersa concedit, gratiam, & virtutes infusas fieri dependenter à subiecto, cùm sint accidentia, attamen inquit, ad differentiam qualitatum naturalium meliùs dici infundi, quàm educi, ità q. 20. sec. 7. Scotistæ distinguunt de formis supernaturalibus, & actus supernaturales concedunt educi de potentia subiecti; nam id docet Scot. expresè 1. d. 17. q. 4. §. *Ad argumenta, &c.* ad 3. habitus verò supernaturales negant educi de potentia subiecti, & asserunt, produci per veram creationem, ità enim videtur loqui Scot. cit. quæst. 6. collater. in fine, & in 4. d. 1. q. 5. §. *Contra istam opinionem, &c.* & §. *Ad primam ergo quæstionem, &c.* Et alibi sæpè, ita Fuentes 1. Phys. q. 4. diff. 2. art. 4. Vulpes tom. 1. p. 2. disp. 3. art. 1. Faber in 2. disp. 6. c. vnico, & in 4. disp. 2. c. 3. & cæteri Scotistæ passim circa illum locum.

ARTICVLVS I.

Resolutio quæsiti de formis naturalibus, & artificialibus.

69 PRo decisione Quæsiti; Notandum est, varietatem opinionum in hac re oriri ex vario modo declarandi, quid sit, formam educi de potentia materiæ, nam Auctores plurimi ad libitum conditiones confingunt, & multiplicant ad veram eductionem requisitas, vt ab eductione has, vel illas formas excludant arbitratu suo, quod faciendum non est, alioquin quilibet posset confingere conditiones pro libito ad eductionem requisitas, & ab eductione, quas vult, formas excludere. Standum igitur est ad id, quod de eductione determinauimus disp. 2. q. 7. art. 2. quòd nimirum ratio formalis constitutiua eductionis consistat in dependentia à subiecto, quia per hanc formaliter distinguitur eductio à creatione, vnde si præter dependentiam à subiecto, aliæ postulantur conditiones ab Auctoribus, sunt penitus superfluæ, & ab eis confictæ, sicut etiam si ad creationem alias conditiones requirerent præter independentiam à concursu subiecti; hoc prænotato.

Dicimus, omnes formas accidentales tam naturales, quam artificiales in vniuersum educi potentia subiecti. Concl. sequitur ex dictis loc. sup. cit. de natura eductionis, tenet Ruuius 1. Phys. tract. 2. q. 3. Auersa loc. cit. in fine, & Prob. 1. vniuersim de omnibus ratione ex natura eductionis deducta. Formam educi de potentia materiæ nil aliud est, nisi quod fiat dependenter à materia illam sustentante, & formæ illæ dicuntur educibiles, quæ sunt talis naturæ, vt non possint per se existere separatæ, sed debeant à materia dependere, & sustentari, & debeant produci dependenter à subiecto, sed omnes formæ accidentales sunt huiusmodi, ergo omnes sunt educibiles, & educuntur de potentia subiecti. Maior probatur. Tum quia eductio formæ est fieri eius cum dependentia à subiecto, & per hoc distinguitur à creatione; Tum quia inter omnes formas, sola anima rationalis dicitur creari, quia suaptè natura subsistens est, neque ex indigentia intrinseca petit fieri in subiecto, & in subiecto conseruari, nam iuxta eius naturam potest etiam fieri extra subiectum, & conseruari, & ex hoc arguimus eius independentiam à corpore etiamsi in corpore ita producatur, vt in nullo prorsus instanti sit extrà illud; Probatur minor, quia accidentis esse, est inesse vnde ex intrinseca indigentia petit suaptè natura fieri in subiecto, & in eo conseruari, vndè si aliter fiat, & conseruetur, hoc est miraculum, & præter naturam.

Deindè Prob. specialiter de illis formis quæ ab Auctoribus excludebantur ab eductione, quia in earum productione carebant aliqua conditione, quam ipsi postulabant ad eductionem, nam in primis formæ intentionales educuntur de potentia subiecti, quia non producuntur ex nihilo, quòd autem fiant in instanti, & producantur sine transmutatione subiecti cum abiectione contrarij, non obstat, quin verè educantur, quia istæ sunt conditiones prorsus impertinentes ad eductionem, nam eductio non consistit in hoc quod fiat in tempore, vel cum habitudine ad alterationem præcedentem, sed consistit in dependentia actionis, quia fit forma, à subiecto, immò ad veram, & physicam mutationem non requiritur abiectio contrarij, sed sufficit sola priuatio præcedens in materia formæ subsequentis.

70 Neque in his formis, quæ non fiunt per propriam actionem, sed potiùs ad productionem subiecti per se resultare dicuntur, impedit talis resultantia, quin à suo subiecto educi dicantur. Tum quia tales formæ adhuc essentialiter pendent in esse, & fieri à subiecto, ita vt neque per Dei potentiam fieri possint extra subiectum, quod præsertim verificatur de formis relatiuis, & modalibus, quæ ita pestunt in Aduersariorum sententia esse subiectis affixæ, vt sine illis fieri, & conseruari prorsus repugnet. Tum quia licè propter hanc resultantiam dicantur comproduci, attamen ob hunc loquendi modum non intelligitur excludi qualiscunque actiuitas subiecti, quia subiectum re vera aliquo modo actiuè se habet ad illas, sed quia talis actio consequitur necessariò priorem, per quam subiectum producebatur, ideò non censetur propria, & per se actio, sicut ergo productio harum formarum non est sine aliqua actiuitate subiecti, ità non est sine aliquali eductione earum ex illo, Quod si ob necessariam sequelam huius actionis eductiuæ ad productiuam subiecti velit quis dicere, huiusmodi formas non educi, sed coeduci, non inficiamur, quia hoc magis spectat ad modum loquendi, quam ad rem; & nobis sufficit, vt fiant cum vera dependentia à subiecto. Tum etiam, quia ex supradictis de natura eductionis, ad causalitatem materialem sufficit prioritas naturæ subiecti ad formam, nec necessariò requiritur prioritas temporis, sed quantuncunq; effectus dicatur suæ causæ coeuus, semper tamen causa censetur illum præcedere natura, ergo quantumcunq; necessariò resultent formæ quædam accidentales ad productionem suorum subiectorum, semper tamen posteriores illis natura erunt, quod sufficit, vt ex eorum potentia dicantur eductæ. Tum tandem, quia etiam si relationes intrinsecus aduenientes fieri, & resultare necessariò dicantur ad productionem extremorum, vt docet Scot. 1. dist. 17. q. 2. P. relatione tamen extrinsecus aduenientes non ita necessariò resultant, sed actione propria produci possunt, immo & aliquæ motum terminare, vt docet Scot. 3. dist. 1. q. & quodl. 11. 1. vide disp. 7. q. 2.

71 Ex his denique sequitur, omnes formas artificiales educi de potentia suorum subiectorum, quia formæ artificiales, vt Scot. in 4. d. 1. q. 1. sub S. non sunt, nisi quædam relationes, & figuræ resultantes in materia artificis ex tali incisione, vel compositione partium, vnde de ipsis idem debemus ferre iudicium, quod de cæteris formis relatiuis, & parum refert, quod subiectum harum formarum non sit in potentia naturalis ad illas, sed obedientali respectu artis humanæ, nam quidquid sit de hoc, de quo Doct. videri potest 2. d. 18. q. vn. C. iam ex doctrina superius tradita de natura eductionis habetur, quòd necesse non est, subiectum esse in potentia naturali ad formam, quæ de ipso educi debet.

In oppositum obijcies 1. formas intentionales non fieri per eductionem, quia eductio est actio transmutatiua subiecti, & per hoc à creatione distinguitur, sed species intentionales fiunt in subiecto sine obiectione contrarij, & lumen in medio, ergo &c. Accedit, huiusmodi qualitates non solum fieri in corporibus elementaribus, sed etiam in cœlestibus, at nulla forma educi potest de potentia Cœli, aliàs Cœlum alterabile foret, & reciperet peregrinas impressiones. Demum plures formæ eductæ nequeunt esse in eodem subiecto, at plures formæ intentionales esse possunt, ergo &c.

72 Resp. neg. assumptum, nam transmutatio inpertinens est ad eductionem, vt docet Bassol. 2. d. 13. q. vn. a. 2. ad 3. & potest fieri vera actio, & passio etiam sine motu, vt Scot. docet. in 4. dist. 43. q. 5. I. & falsum est, eductionem distingui à creatione essentialiter per mutationem, distinguuntur enim per dependentiam, vel independentiam, vel independentiam à subiecto, & deniq; falsum est, productionem formarum intentionalium fieri sine transmutatione, etiamsi non interueniat abiectio contrarij. Ad 2. non est inconueniens, Cœlum esse alterabile alteratione, vt aiunt, perfectiua, talis autem est alteratio quæ fit per huiusmodi qualitates. Ad 3. assumptum non est vniuersaliter verum.

Secundò Obijcitur, quod qualitates connaturales, relationes, & aliæ formæ modabiles non fiant per eductionem, quia de ratione eductionis est, vt forma fiat per actionem distinctam ab illa, qua fit subiectum, terminet nempe propriam productionem pendentem necessariò à concursu materiali subiecti, sed qualitates connaturales, quæ in subiectis fiunt per meram resultantiam ad productionem subiectorum, non fiunt per actionem distinctam ab ea, qua fit subiectum, ergo &c. Deinde relationes, præsertim intrinsecus adue-

nientes, eadem actione producuntur, qua extrema, itaut non habeant aliam causam efficientem à causa efficienti extremor. ex Sco. 1. d. 17. q. 2. ergo à fundamento non educuntur. Tandem si formæ modales educerentur, etiam ipsa eductio deberet educi, & esset propriè effectus materiæ, quod tamen falsum est vt dicemus disp. de principijs in facto esse.

73 Resp. posse dupliciter intelligi, quod huiusmodi qualitates non habeant propriam actionem, & productionem diuersam à productione subiecti, primò in hoc sensu, quod nullam omnino terminent actionem, sed secundariò producantur per actionem substantialem, qua fit subiectum, & ex vi eiusdem actionis in eo resultent, & ita falsum est, quia ex vi actionis substantialis nunquam haberi potest terminus accidentalis, vt Scot. docet in 4. d. 10. q. 1. B. quia secundùm veram Philosophiam, substantia, & accidens diuersas semper terminant actiones, nec eadem actione fieri possunt, & ideò nec primariò, nec secundariò haberi potest accidens per actionem substantialem; vel ita intelligi potest, quod habeant quidem propriam actionem distinctam ab actione productiua subiecti, propria tamen, & per se actio censetur, quia natura sua consequitur, & resultat à termino alterius actionis, vnde nec propriam habet nouitatem, nec vt terminus potest acquiri per motum, sed tamen per naturalem resultantiam, & ita verum est, quod non habent propriam actionem, nec propriam terminant productionem, sed ex hoc non benè infertur, quod non educantur de potentia subiecti, quia ad veram eductionem sufficit, quod forma fiat per propriam actionem in hoc secundo sensu sic enim intelligitur interuenire concursus materialis subiecti. Ad 2. patet per idem, namq; relationes etiam habent propriam productionem in hoc secundo sensu, neq; Scot. cit. hanc denegauit extremis, sed tantùm illam, quæ sufficit ad motum, vt dicitur Disp. de Relat. Ad. 3. sicuti actio, & productio se ipsa dicitur ab agente dimanare, & non media alia actione, ita eductio eodem modo dici debet pendere à subiecto, vndè sicut productio dicitur fieri, vt Quo, ab agente, ita & eductio, vt Quo dicetur fieri ex subiecto, vnde & ipsa suo modo à materia pendebit, licèt non propriè, vt eius effectus, sed tantùm vt eius causalitas.

ARTICVLVS II.

Resolutio Quæsiti de formis supernaturalibus.

74 Dicimus, probabile esse, non solùm actus supernaturales, sed etiam habitus educi de potentia sui subiecti. Hæc concl. probari potest 1. ex dictis in Concl. præced. Tum quia omnis forma accidentalis, cum sit apta inhærere subiecto, nata quoq; est fieri, & conseruari dependenter ab eo, & ideò cùm omnes formæ supernaturales in ratione accidentis conueniant cum formis naturalibus, poterunt & ipsæ, ac debebunt educi de potentia suorum subiectorum, sicut & naturales, cum hoc discrimine tantum, quod habitus supernaturales immediatè educentur à Deo. Tum quia ideò anima rationalis dicitur creari, & non educi de corpore, licèt in nullo instanti, etiam naturæ priùs sit in se, quam in corpore, cum existentia rei non mensuretur per instans naturæ, quia de se nata est subsistere, vnde quantumcumque in corpore producatur, semper independenter ab eo producitur, & illud respicit, vt subiectum merè in quo, non ex quo, ergo cùm habitus supernaturales non sint formæ natæ per se subsistere si in primo instanti, quo fiunt, fiunt in subiecto, planè ex eo educentur, nam hoc est formam educi de potentia materiæ, non prius in se produci, quam in subiecto, si est forma nata inhærere. Tum etiam si gratia poneretur in vno instanti creata, deinde animæ infusa, etiam si in fieri à subiecto non dependeret, adhuc tamen dependeret in conseruari, quia non est forma subsistens, vt anima, atq; ita consequenter eius desitio erit corruptio, & non annihilatio, quia desinit in subiecto, à quo dependebat in conseruari, ex quo postea sequitur, quod etiam per eductionem incipere debeat, si desinit per corruptionem. Tum deindè, quia Scot. ipse 4. dist. 1. q. 1. Hh. omnem illam formam vocat materialem, idest ex materia eductam, vel educibilem, quæ ex natura sua necessariò inclinatur naturaliter, vt fit actus materiæ, ita quod suaptè natura aliter nequeat existere, sed per hoc excluditur sola anima rationalis, quæ non cum tali necessitate inclinatur, vt fit actus materiæ, quia suaptè natura, & secluso miraculo potest extra illam existere. Tum deniq; actus supernaturales educuntur de potentia subiecti ex Scot. 1. d. 17. q. 2. Pp. ergo idem dici poterit, & debebit, etiam de habitibus nam nulla ratio potest adduci de habitibus, quæ non elidatur in actibus.

Deindè Prob. post Concl. eo quia nulla suppetit ratio conuincens ad oppositum, vt patebit discurrendo per singulas rationes, & capita, ex quibus solent Scotistæ probare, gratiam, & cæteros habitus supernaturales creari. Vel enim probaretur ex existentia, & excellentia horum habituum vt probant Fuentes, & Faber, nam ita excellentes sunt habitus isti in ordine gratiæ, & gloriæ, sicuti anima rationali in serie naturæ, ergo petunt à Deo creari sicut anima. Item habitus isti eleuant animam, & eius potentias supra totum esse naturæ, & præsertim gratia est participatio quædam diuinæ naturæ, ergo non possunt huiusmodi formæ tam excellentes virtualiter contineri in causis naturalibus, cùm principium naturale habere nequeant, qua de causa dicitur in Psal. 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus, &c.*

75 Sed ratio hæc non conuincit, & retunditur in actibus, nam etiam actus sunt ordinis superioris, & gratuiti immò sunt formæ excellentiores ipsis habitibus, vt omnes fatentur, & nos suo loco dicimus in lib. de Anim. & apud omnes certum est, visionem beatificam esse gratia excellentiorem, & etiam ipsi actus eleuant animam supra totum esse naturæ, ergo sicuti actus educuntur, ità dici poterit de habitibus, & quando ait Psaltes, gratiam, & gloriam dari à Domino, vtique negare non intelligit concursum materialem ex parte creaturæ; per gloriam enim intelligi visionem, & fruitionem, ad quas secundùm omnes concurrunt intellectus, & voluntas Beatorum, nedum in genere causæ materialis, sed etiam efficientis. Sic etiam quando communiter dicitur, formam supernaturalem non contineri in causa naturali, id totum intelligitur in genere causæ efficientis, quatenus homo non potest ex suis viribus attingere aliquem actum supernaturalem sine speciali auxilio Dei, non autem per hoc excluditur concursus creaturæ in genere causæ materialis. Immò maiori ratione videntur Scotistæ posse, ac debere defendere hanc Concl. quàm Thomistæ, quia gratia secundùm Thomistas est forma ex natura rei hominem iustificans, & Deo gratum reddens, & tantæ excellentiæ, vt negent in creatura potentiam etiam passiuam naturalem in ordine ad illam, sed Scotistæ inquiunt, hoc munus non competere gratiæ ex natura rei, sed tantum ex diuino decreto, & ponunt animam in potentia passiua naturali ad eam, sicut & ad cætera dona supernaturalia, ergo potiori ratione possunt hanc concl. asserere Scotistæ, quam Thomistæ, Paritas tandem assumpta à Fuentes de anima rationali in serie naturæ, & de gratia, & cæteris habitibus in ordine gratiæ, & gloriæ, non tenet, quia anima rationalis est forma substantialis, & spiritualis, & ideò attingi nequit à potentia generatiua in genere causæ efficientis, & est forma per se subsistens, & hac de causa concursum in genere causæ materialis etiam excludens, at habitus supernaturales, licèt ob eorum excellentiam excluderent omnem causam secundam efficientem, quia tamen sunt formæ accidentariæ, causam materialem non excludunt.

76 Vel oppositum Concl. nostræ probaretur ex supernaturalitate habituum, vt idem Fuentes sup. cit. insinuat, quia nimirum habitus isti ab intrinseco, & substantialiter dicuntur supernaturales, atque ideò petunt ab intrinseco à solo Deo produci, & creari. Sed hæc etiam ratio non valet, nam præterquamquod non est omninò certum, an gratia sit supernaturalis ab intrinseco, & secundùm substantiam, cum effectus supernaturalis eius reddendi hominem Deo gratum attendatur à Scotistis penes extrinsecum Dei decretum, non autem eius naturam; adhuc retunditur in actibus, quia etiam actus sunt supernaturales, & aliqui communiter asserunt supernaturales secundùm substantiam, vt visio, & fruitio beata, qui tamen adhuc ponuntur educi de potentia subiecti, ergo supernaturalitas non impedit eductionem habituum super naturalium ex suis subiectis.

Vel probaretur oppositum Concl. ex spiritualitate habituum supernaturalium, vt facit P. Vulpes loc. cit. disp. 3. art. 1. nu. 8. quia si gratia educeretur de potentia subiecti, & alij habitus supernaturales, non amplius essent formæ spirituales, sed materiales; Tum quia omnis forma educta de potentia materiæ dicitur materialis. Tum quia hæc præcisè de causa anima intellectiua est spiritualis, quia non educitur de potentia sui subiecti, quòd si ex eo educeretur, statim euaderet forma materialis. Accedit, quod si gratia, & cætera dona supernaturalia educuntur de potentia subiecti, poterit agens naturale, naturaliter, & immediate sua virtute attingere prædictas formas, cum limitatio suæ potentiæ solùm prohibeat aliquid simpliciter de nihilo producere, seu independenter ab omni subiecto.

Sed neq; hæc ratio vrget, quia falsum est qualemcunque eductionem de potentia subiecti facere formam materialem, nam species intelligibiles, & actus intelligendi, & volendi educuntur de potentia animæ, & tamen materiales non sunt, hoc est formæ corporeæ, & extensæ; & in sententia ipsius Vulpes actus supernaturales educuntur de potentia subiecti, & tamen adhuc sunt spirituales; solùm ergo eductio formæ de potentia subiecti corporei, & extensi facit formam materialem corpoream, & extensam, & hac de causa rationalis anima extensa & corporea diceretur, si de subiecto educeretur, quia eius subiectum est corporeum & extensum. At eductio formæ de subiecto incorporeo non reddit ipsam materialem in hoc sensu, idest corpoream, & extensam, sed materialem in eo sensu, quo Scot. loquitur 4. d. 1. q. 1. Hh. vbi illam formam appellat materialem, quæ nata est à materia dependere, & non in se subsistere. Falsum est, quod subdit Vulpes, posse agens naturale attingere immediatè omnem formam educibilem de potentia materiæ naturaliter, & ex suis viribus, nam anima sensitiua, & vegetatiua formæ sunt materiales, & ex materia educibiles, & tamen à multis ponuntur immediatè à Deo educi; & actus supernaturales in sententia etiam istius Auctoris educuntur, & tamen naturaliter attingi nequeunt.

77 Deniq; quod Scot. inclinauerit in oppositam partem, nos deterrere non debet à Concl. posita, nam vbicunque ponit, gratiam, & cætera dona creari, vel loquitur conditionatè, vt in 1. d. 17. qu. 2. Pp. vel textus signatur pro extra, vt eadem distinct. propè finem, vel loquitur ad hominem, vt in 4. d. 1. q. 5. §. *contra istam opinionem, &c.* & §. *Ad primam ergo quæst. &c.* ibi enim ex eo præsertim probare con-

contendit contra D. Thom. Sacramenta non esse causas physicas gratiæ, nec principales, nec instrumentales, quia gratia in sententia D. Tho. creatur, & creatura nequit creare, nec principaliter, nec instrumentaliter, & quod loquatur ad hominem, patet præsertim ex §. *Contra istam opinionem, &c.* vbi arguendo contra D. Thom. inquit, animam esse in potentia obedientiali ad formas supernaturales, cum tamen in sententia Doctoris sit in potentia naturali passiua, vnum dumtaxat locum inuenimus non ab alijs citatum, quod videri mus in 3. d. 11. qu. 1. §. *Cui ista opinio, &c.* vbi ait Angelum, animam, & gratiam propriè creari, quia de nihilo producuntur, & ita loquitur, ne recederet à communi modo loquendi Scripturarum, & Patrum, qui dicunt, gratiam in nobis à Deo creari, vel concreari, quæ tamen auctoritates possent explicari, vt D. Tho. explicat 1. 2. qu. 110. art. 2. ad 3. vbi ita loquitur: *gratia dicitur creari ex eo quòd homines secundùm ipsam creantur, idest in nouo esse constituuntur ex nihilo, idest non ex meritis, secundùm illud ad Eph. 2. creati in Christo Iesu in operibus bonis:* itaque sensus Scripturarum, & Patrum est, gratiam creari, & de nihilo produci secundùm esse morale, non autem secundùm esse naturale illius, vt notauit Vasq. supra cit. Qui igitur vult sustinere cum communiori, & non minùs probabili, gratiam, & cætera dona supernaturalia creari, id tenere debet ob auctoritates Sanctorum, Scripturarum, & Scholasticorum antiquorum, quorum auctoritati maximè est tribuendum, non autem ob aliquam rationem cogentem, quia re vera nulla talis adest, immò potius vrget in oppositum.

78 In contrarium objicies, quòd sustinendo, gratiam educi cum Recentioribus, cogimur etiam cum eisdem ponere, Sacramenta physicè gratiam causare, & non moraliter, nam ideò ipsi dicunt, gratiam educi, vt destruant præcipuum fundamentum nostræ sententiæ de morali causalitate Sacramentorum, quia scilicet gratia creatur, & ideò nequit physicè à creatura attingi.

Resp. negando assumptum, non enim desunt solidæ rationes ad probandum adhuc Sacramenta physicè gratiam non causare, quia nimirum nequeunt res corporeæ, & materiales, vt sunt Sacramenta, eleuari ad producendam gratiam, quæ est spiritualis, & etiam quia, excepta Eucharistia, Sacramenta quando producunt gratiam, physicè loquendo, non sunt, sed id, quod physicè non est, physicè operari non potest, quia operari supponit esse, quæ ratio validissima est, nec etiam desunt aliæ rationes ad idem, etiam si gratia ponatur educi de potentia animæ, & quando Scot. vtitur illa ratione, Sacramenta scilicet non posse physicè gratiam causare, quia gratia creatur, loquitur ad hominem, vt diximus & ex communiter concessis.

DISPVTATIO QVARTA.

De priuatione.

1 *PRiuatio potest sumi dupliciter, propriè, & communiter; propriè dicit negationem formæ, quam res aliqua nata est habere secundùm se, seu secundùm propriam naturam, sic homo cæcus dicitur priuatus visu, quia secundùm quòd homo, natus est videre; quòd si addatur, subiectum esse priuatum formâ, cuius secundùm naturam suam est capax, oppositis conditionibus* quando, *&* vt oportet *talem formam habere, adhuc magis proprie subiectum dicetur priuatum, nam in hoc sensu catulus ante nouum diem non dicitur cæcus, vel visu priuatus, etiamsi secundùm quòd canis sit capax visionis. Communiter verò sumpta priuatio dicit negationem formæ, quam res nata est habere, non secundùm rationem propriam, & specificam, sed secundùm rationem genericam, proximam, vel remotam, quo sensu talpa dici potest cæca, quia visus est capax secundùm quòd animal; & quo communior erit ratio generica, ratione cuius subiectum dicitur forma priuatum, communior etiam erit priuationis acceptio; ita notauit Scot. 1. d. 23. q. vn. H. & fusius d. 28. qu. 1. sub B. ex Arist. 5. Met. c. 22. Disputatio itaque præsens de priuatione propriè dicta, hæc enim est, quæ ponitur tertium principium rerum naturalium in fieri.*

QVÆSTIO PRIMA.

De natura Priuationis.

VT Priuationis naturam attingamus, tria sunt videnda, An sit, Quid sit, & An à subiecto, in quo est, realiter distinguatur. Circa 1. quæsitum dixerunt Aliqui, priuationem non esse à parte rei in rebus, sed tantum ab intellectu nostro fingi, ita Soncin. 10. Met. q. 15. vbi docet priuationem secundùm id, quod dicit in recto, & vt negatio est, esse formaliter ens rationis, & solùm fundamentaliter ens reale, quem dicendi modum multi sequuntur in Disput. de Ente rationis. Alij distinguunt ens reale in positiuum, & priuatiuum, & inquiunt, quòd licèt non detur priuatio à parte rei, vt ens reale positiuum, est tamen ens reale priuatiuum, & est valdè frequens dicendi modus inter Recentiores, quem sequitur ex nostris Fuentes 1. Phys. q. 3. difficult. vlt. Manca 1. Phys. qu. 8. dub. 1. & alij.

Circa 2. quæsitum communis est opinio, priuationem in recto, ac de principali significato importare negationem formæ, in obliquo, & de connotato subiectum aptum ad formam, cuius est priuatio, ita Tatar. 1. Phys. q. de Priuatione notab. 1. Parisienses ibid. Canonicus 1. Phys. q. 10. art. 2. Tromb. 12. Met. q. 6. §. *Ex his conclusionibus &c.* propositione 3. Bassolius 2. d. 34. qu. vn. art. 1. & sequuntur Recentiores omnes. Non defuere tamen qui putauerint, priuationem etiam in recto dicere quid positiuum, per quod sibi determinat subiectum, ita tenuit Thomas Angl. apud Canonic. vbi suprà, & tueri conatur ex Recentioribus P. Sghemma 1. Phys. digress. 6. qu. 2. & Arriag. disp. 2. Phys. nu. 177.

Circa 3. Burlæus 1. Phys. super tex. 79. inquit, fuisse opinionem Platonis in Timæo, Plot. in 2. Ænead. lib. 4. cap. 13. & 14. quòd priuatio non sit realiter à materia distincta, sed ipsamet substantiæ materia, quam ex Latinis videtur secutus Ocham 1. Phys. c. 10. & 11. & Scotus 1. Phys. q. vlt. Cæterum communis opinio distinguit realiter priuationem à materia, non quidem distinctione positiua, quæ non nisi inter extrema positiua versatur, sed priuatiua, qualis versatur inter ens, & non ens.

ARTICVLVS PRIMVS.

Ostenditur, priuationem dari à parte rei.

DIcendum est, priuationem quatenus est negatio formæ, non esse ens rationis, sed dari à parte rei in subiecto, nullo cogitante intellectu, at ob id nec posse, nec debere dici ens reale priuatiuum. Concl. colligitur ex Scoto 1. d. 23. q. vn. distinguit enim ibi duplex negationum genus, quædam sunt negationes reales, quædam rationis; negationes rationis competunt rebus per solum intellectum, & ita negatio subiecti in homine posito à parte prædicari, cum dicimus, Petrus est homo, competit ei per solum intellectum; negationes verò reales nullo considerante intellectu adhuc in rebus reperiuntur, vt negatio asinitatis in homine, quia homo est non asinus ex natura rei, & non quia ita cogitet intellectus, ita Doctor loc. cit. D. & E. Sed sic est, quòd priuatio importat negationem primi generis, quia secluſa omni operatione intellectus, verè à parte rei homo est cæcus, aer est tenebrosus, ergo priuatio est in rebus independenter omnino ab intellectu; & tota hæc doctrina tradita fuit ab Arist. 4. Met. 2. vbi inter entia realia recenset etiam negationes, & priuationes, quia nimirum sine vlla fictione intellectus *ipsum non ens* (inquit ipse) *esse non ens dicimus*, ergo per Arist. priuatio, quatenus est negatio, & non ens, datur à parte rei, & est à parte rei, non quidem sumendo esse propriè, vt significat existentiam rei positiuam, sed abusiuè tantum, quatenus licèt non existat realiter positiuè, tamen nullo cogitante intellectu apta est verificare propositiones, nam quando dicimus, Petrum esse cæcum, aerem tenebrosum, propositiones istæ sunt veræ, quia verè à parte rei res ita se habet, & non quia ita fingit intellectus.

Respondere solent, propositiones huiusmodi à parte rei verificari fundamentaliter solùm, non formaliter, vt de alijs enunciationibus entium rationis dicere solemus. Sed contra. Tum quia falsum est, dari tantum fundamentum à parte rei, vt homo non sit asinus, quia formaliter, & actualiter ità est à parte rei, quod homo non est asinus. Tum quia ex duabus contradictorijs realibus altera tantum debet esse vera à parte rei formaliter, sed hæ sunt contradictoriæ, hic paries est albus, hic paries non est albus, quod est esse priuatum albedine, & ambæ intelliguntur formaliter, ergo &c. Tum tandem quia dicere, aerem esse tenebrosum, non est aliud, quam dicere, aerem non habere lucem, sed hoc secundùm omnino verum est à parte rei formaliter, ergo & primum.

Hoc itaq; modo dicimus, dari, & reperiri priuationem à parte rei, non quidem quasi sit, & ponat aliquid in subiecto, sed quia remouetur, & tollitur aliquid, nempè forma, idq; potest explicari, tam modo negatiuo, dicendo, subiectum non habere formam, vel formam non esse in subiecto, quam modo affirmatiuo, dicendo, subiectum esse forma priuatum, carere forma, habere priuationem formæ, & in hoc eodem sensu dici solet, priuationem esse à parte rei

rei in subiecto, hoc est, à parte rei non esse in eo formam; hoc modo declarat Tataret. loc. cit. dari priuationem in materia seclusa quacunque operatione intellectus; & in hoc sensu eandem concl. defendunt Parisiens. Trombet. & Canon. loc. cit. vbi præsertim probant, priuationem, nec posse, nec debere dici ens rationis; Tum quia termini mutationis realis sunt reales, priuatio autem est terminus à quo physicæ mutationis; Tum quia oppositio priuatiua est realis, & extra animam, ergo debet habere extrema realia, & extra animam; Tum tandem quia forma physica non remouetur à subiecto, nisi per aliquod positiuum, vel negatiuum extra animam sibi incompossibile.

381 Sed neq; idcirco debet dici priuatio ens reale vllo prorsus modo, nec etiam negatiuum, aut priuatiuum; Tum quia hoc implicat in adiecto, nam ens reale dicit entitatem positiuam in suo conceptu formali, per quem primò distinguitur à non ente & ab ente rationis. Tum quia, vt bene ait Hurt. disp. 3. sec. 1. eadem ratione ægritudo posset dici valetudo priuatiua, & peccatum iustitia priuatiua. Tum quia si datur verè hoc esse in subiecto priuato, iam priuatio aliquid ponit reale in subiecto, quod tamen nequit admitti, nam priuatio solùm negat, & tollit. Tum tandem quia Philosophus semper appellauit priuationem non ens, vt constat 1. Phys. 75. non autem ens reale priuatiuum.

Respondent neg. quod ens reale, vt sic, dicat entitatem positiuam, hoc enim est reale positiuum, & concedendo, quod priuatio ponat aliquid reale in subiecto, sed reale priuatiuum, & quod Arist. vocauit priuationem non ens, idest non ens positiuum. Sed Contrà. Ideò hoc esse priuationis in subiecto esse reale priuatiuum appellatur, quia tollit formam oppositam, sed hoc non obstat, quin intrinsecè sit esse positiuum, ergo priuatio in hac sententia diceret in re quid reale positiuum, Probatur minor, quia etiam calor v.g. tollit frigus, & tamen, quia secundùm se habet suum esse, est verum ens reale positiuum, ergo similiter priuatio, quamuis ea ratione, qua tollit formam, esset ens priuatiuum, ea tamen ratione, qua aliquod esse ponit reale, esset ens positiuum. Deinde dum diuiditur ens reale in positiuum, & priuatiuum, vel hæc est diuisio vniuoci in sua vniuocata, vel æquiuoci in æquiuocata; si primum, ergo priuatiuo, & positiuo ens est vniuocum, quod communiter, & recta ratione negatur; si secundùm, ergo priuatio non est verè ens, sed tantum abusiuè, & metaphoricè, sicut homo pictus dicitur homo, & potius re vera non est ens, nec quid reale, sed priuatio cuiuscunq; talis, & ità non melius priuatio dicitur ens, quam homo mortuus, homo.

Ex hoc igitur, quod priuatio est à parte rei ante operationem intellectus, & nihil est positiuum, inferre non debemus, esse ens reale priuatiuum, sed tantum esse priuationem realem, esse negationem realem, & non rationis, nam quando dicimus, priuatio est, homo est cæcus, nihil reale affirmatur, sed potius negatur modo compositiuo, nam supra diximus, remotionem formæ à subiecto vtroq; modo explicari posse, & ly est adiunctum priuationi, vel cæcitati nullam significat existentiam, sed potius formæ realis absentiam eo modo, quo dicere solemus; nihil esse extra mundum, cuius sensus est, extra mundum aliquid non existere.

In oppositum obijcitur 1. ad probandum, quod priuatio formaliter sit ens rationis; Tum quia inter ens reale, & rationis non datur medium, ergo cùm priuatio non sit ens reale, erit ens rationis. Tum quia si priuatio est à parte rei citra operationem intellectus, ergo est aliquid reale. Tum quoque si negationes essent à parte rei citra opus intellectus, sequeretur, negationem esse de essentia entis, quod est falsum, quia non ens nequit esse prædicatum essentiale entis, probatur consequentia, quia in conceptu v.g. hominis essentiali inoluieretur negatio lapidis, negatio bruti, nam cum oppositæ affirmationes repugnent sibi in primo modo, consequenter negationes istæ conuenient ei in primo modo, si sunt reales, & à parte rei formaliter. Tum tandem, quia experimur, nos non concipere priuationem, nisi per modum entis positiui, vt v.g. tenebram ad modum tenebricosæ qualitatis, per aerem extensæ, ergo formaliter est ens rationis, & nullo modo à parte rei formaliter.

Resp. ad 1. concedimus, nullum ens dari medium inter ens reale, & rationis, ex hoc tamen non sequitur, negationem realem mediare non posse, quæ formaliter nec sit ens reale, nec ens rationis. Ad 2. negari etiam debet conseq. quia priuatio dicitur esse, seu dari à parte rei, non quasi habeat aliquod esse, sed quia à parte rei, & realiter non est forma negata in subiecto, & in hoc sensu verbum essendi sumi posse docuit Arist. ipse 4. Metaph. 2. dum ait, ipsum non ens esse quodammodo dicimus, quod est esse abusiuè. Ad 3. Canon. & Tromb. cit. distinguunt de duplici negatione, alia est remotio formæ realis à subiecto, quæ illi infuit, vel saltim inesse potest, alia est remotio formæ, quæ nec infuit, nec inesse potest, vt negatio lapidis in homine, quia oppositæ affirmatio omninò in esse nequit; & negationem primi generis tantum inquiunt esse negationem realem, & talem esse negationem, quam importat priuatio, negationem verò secundi generis dicunt esse negationem rationis, vnde inquit Tromb. propositionem istam, homo est non lapis, esse tantum fundamentaliter veram, quia est res, cui non competit esse lapidem. Sed doctrinam horum Scotistarum libenter non recipimus, vt pote alienam à Scot. & à veritate, nam Scotus pluribus in locis distinguit de duplici negatione, vna, quæ rei conuenit contingenter, altera quæ rei conuenit necessariò, quatenus affirmatio eidem simpliciter, & absolutè repugnat, & inquit, negationem huius secundi generis rei conuenire per aliquam affirmationem, ita est videre in 2. d. 3. q. 2. & 3. d. 1. quæst. 1. G. & quodl. 19. Y. & in 1. d. 23. qu. vn. E. inquit quod sicut Sortes est homo ex natura rei, ita est non asinus ex natura rei; sed Sortes est homo à parte rei, non tantum fundamentaliter, sed etiam formaliter, ergo & formaliter erit non asinus, & quidem falsum est dicere, hominem non esse asinum à parte rei, nisi fundamentaliter, nam sicut subiectum esse formaliter tale, est habere talem formam, sic formaliter non esse tale, est non habere talem formam, & non minus verum est à parte rei formaliter parietem nigrum non esse album, quam hominem non esse asinum. Quare potius dicendum est, negationes etiam secundi generis verè & formaliter à parte rei rebus inesse, & ex natura rei consequi ad illas entitates, cum quibus incompossibilis est opposita affirmatio, & quamuis huiusmodi negationes sint à rebus inseparabiles, & illas necessariò consequantur, inde non sequitur, essentias rerum ex his negationibus fore constituendas, & esse illarum prædicata essentialia, cum prorsus implicet, ens constitui per non ens, sed tantum esse aliquid necessario consequens essentias rerum iam constitutas, ex eo enim quod Sortes est homo, consequitur ex natura rei, vt non sit lapis, vel brutum, & cum sint aliquid consequens rerum essentias, sequitur, quod possunt concipi prædicata positiua, per quæ constituuntur rerum essentiæ, non conceptis huiusmodi negationibus, vnde huiusmodi negationes erunt de essentiali conceptu rei, non constitutiuè, sed consecutiuè, tradit hanc doctrinam Sco. quodl. 4. infrà E. Ad 4. verum est, negationes, & priuationes, cum non concipiantur à nobis, nisi per modum alicuius positiui, quoad hoc positiuum, quod ab intellectu illis tribuitur, esse entia rationis formaliter, sed licet in hoc sensu ens rationis dici possint, & debeant, sumendo tamen priuationem præcisè, quatenus subiectum non habet talem formam, aer non habet lucem, oculus visum, id certè non fit ab intellectu considerante, sed circa quodcunque opus intellectus, verè à parte rei, aer non habet lucem, oculus caret visu, quare priuatio secundùm se considerata ens rationis materialiter tantum dici potest, quatenus per opus intellectus potest acquirere esse rationis formale, cum scilicet eam apprehendit ad modum formæ realis, vt dictum est in Log. disp. de Ente rationis.

583 Secundò obijcitur ad probandum priuationem esse ens reale priuatiuum. Tum quia est à parte rei ante opus intellectus, & de ipsa prædicatur verbum est secundùm adiacens, vt patet ex Genesi, quod tenebræ erant super faciem abyssi, ergo est ens reale, saltim priuatiuum. Tum deinde, quia multa attributa priuationi conueniunt, quæ necessario aliquam entitatem in ea videntur arguere, dicitur enim fieri de nouo, atque deleri, dicitur operari maleficium in materia, dicitur principium omnium mutationum, neque ad hoc sufficit dicere quod habeat esse à parte rei abusiuè tantum, sic enim fundare non posset relationem principij, cum hæc sit relatio realis. Tum tertiò cæcitas, & quæcunque alia priuatio concipiuntur ab intellectu, & explicantur per definitiones, immo & aliquæ percipiuntur sensu, vnde 2. de Anim. 138. docuit Arist. visum discernere lumen, & tenebras, sed quod sensu percipitur, habet aliquod esse à parte rei, item quod intellectu concipitur, nam 1. de Interpretatione cap. 1. conceptus est imago, & similitudo rei. Tum tandem, quia bene sequitur, paries est realiter albus, ergo albedo, seu esse album dicit aliquod esse reale in eo, sic igitur à simili, benè sequitur, paries est realiter albedine priuatus, ergo priuatio albedinis ponit aliquid reale in ipso, realiter enim vtrunque disiunctim conuenit parieti.

Resp. hæc, & similia argumenta, nedum probare, priuationem esse ens priuatiuum, sed etiam positiuum, vnde ad 1. dicimus ex hoc, quod priuatio sit à parte rei, inferri non debere, esse ens reale priuatiuum, sed solum esse priuationem realem, & negationem non fictam, & cum verbum est tribuitur priuationibus; id fit abusiuè, non propriè, eo modo, quo dicimus, extra mundum esse vacuum, & inane, & sensus est, non esse ibi aliquid; Addit Tatar. & Tromb. loc. cit. terminos priuatiuos semper esse connotatiuos, siue in concreto, siue in abstracto sumantur, & ideo cum illis tribuitur verbum est secundùm adiacens, supponunt pro subiecto priuato, & sic cum dicimus, cæcitas est, cæcitas supponit pro oculis visum non habentibus. Ad 2. neg. assumptum, non enim dicitur fieri à causa effectiua per verum influxum, sed tantum per subractionem formæ, quæ erat in subiecto, nec similiter dicitur deleri, quasi per ablationem alicuius influxus in eam, sed tantum per introductionem formæ, quæ non erat; Pariter dicitur malefica formæ, quatenus materia per priuationem alias formas appetit, quod vergit in damnum formæ in materia existentis, ad hoc autem non est necesse, quod dicat priuatio entitatem realem, sed sufficit, quod dicat remotionem formæ realis. Demum est principium generationis per modum termini à quo, ad quem modum principiandi non exigitur vera entitas realis nec realis influxus, vt dicemus q. seq. sed sufficit, quod sit vera negatio realis. Ad 3. sicut priuationes proprias essentias non habent, ita nec habent propriè diffinitiones essentiales, sed solùm aliquos conceptus, quibus manifestatur, cuius sint priuationes, & conceptus dicuntur rerum imagines, non accipiendo rem in rigore, vt venit à ratus rata ratum, se communiter, prout etiam conuenit negationibus præter intellectum existentibus; Nec Arist. 2. de Ani. priuationem de iis percipi per se, & positiuè, quasi actus videndi ferretur in tenebras ipsas, sed negatiuè, & per accidens, non videndo, scilicet, lucem in aere, nam cùm ibi dixisset, visu discerni lumen a tenebris, subdit, sed non similiter, quia, scilicet, lumen discernimus positiuè, tenebras verò negatiuè. Ad 4. Resp. ex Scot. 1. d. 30. q. 2. ad vlt. prin. vbi docet, quod realitas aliquando determinat prædicatum, seu inhærens, aliquando inhærentiam tantum, seu compositionem prædicati cum subiecto, & quidem in primo sensu denotat, prædicatum importare esse reale in subiecto, sed in secundo sensu nil aliud dicit, quam, quod illud verè est, sicut cum dicimus, hæc propositio, homo est Asinus, est realiter falsa, hoc est, est verè falsa, quando ergo dicimus, quod paries est realiter albus, tunc ly realiter determinat vtrumque, & inhærens, & inhærentiam, sed quando dicimus, quod paries est albedine realiter priuatus, ly realiter determinat inhærentiam tantum, & nil aliud denotat, quam quod in pariete verè non reperitur albedo.

ARTICVLVS II.

Formalitas Priuationis declaratur.

6 Dicendum est, priuationem in recto, & pro formali importare negationem, pro connotato vero, & in obliquo aptitudinem in subiecto, ita Scotist. supracitati; & colligitur manifestè ex Sco. 2. dist. 37. & quodl. 18. vbi ex eo, quia statuit, peccatum esse priuationem rectitudinis debitæ actui secundo, deducit, peccatum, priuationem in sua formalitate includere. Prob. 1. ex Arist. 5. Met. tex. 27. vbi ait, idem esse negationem contradictoriam, & priuatiuam, & solum differre subiecto, & 10. Met. tex. 15. inquit, priuationem esse ipsammet negationem contradictoriam positam in subiecto. 1. Phys. 65. & 69. dicit priuationem esse per se non ens.

Deinde Prob. ratione. Tum quia in diffinitione eius tradita à Philosopho 5. Met. 27. non ens, seu negatio ponitur in recto, & subiectum aptum in obliquo, diffinitur enim quod sit negatio formæ in subiecto apto. Tum quia recta ratione dicimus, quod cæcitas est negatio potentiæ visiuæ, & non rectè dicimus, quod cæcitas sit capacitas potentiæ visiuæ, sed solum in obliquo, quod est negatio potentiæ visiuæ in subiecto habente capacitatem illius potentiæ, ergo in recto dicit negationem formæ, in obliquo capacitatem eius in subiecto. Tum 3. quia priuatio formaliter sumpta est incompossibilis cum forma, & per eam expellitur à subiecto, aptitudo verò non est incompossibilis cum forma, nec expellitur à subiecto, ergo priuatio formaliter, & in recto non est aptitudo: Et prorsus falsum est, quod ad hoc ait. Sghem. cit. ad 9. quod præsente forma est aptitudo, non quæ est priuatio, & causatur à priuatione, sed quæ est proprietas materiæ, & quod præsente forma manet aptitudo ad bonum præsens, sed non aptitudo boni absentis, quam dicit priuatio; Nam aptitudo, quam petit priuatio in subiecto, est aptitudo, & proprietas ipsius subiecti, quæ etiam remanet ad formam præsentem recedente priuatione licet non sub ratione desiderij. Tum 4. quia, vt inquit Tromb. & Canon. cuilibet entitati positiuæ, quæ potest recipi in aliquo subiecto, est priuatio opposita, sed priuationi non est priuatio opposita; Et omnis entitas positiua nouiter acquisita est terminus alicuius actionis positiuæ, sed priuatio est terminus solius corruptionis; Et omne positiuum dicit quendam habitum, sed priuatio non dicit habitum, immo potius habitui opponitur. Nec respondere valet ad ista, priuationem non includere in sua formalitate solum positiuum, sed ipsam quoque negationem formæ, quia nulla entitas (ait Canonicus) simul constitui potest ex duobus extremis contradictorijs, ergo priuatio statui nequit talis entitas, quæ simul constituatur ex positione, & negatione. Tum tandem quia peccatum, stante hac doctrina de priuatione, includeret in sua ratione formali aliquid positiuum; nec refert, quod sit priuatio moralis, & non physica, quia in ratione communi priuationis carentia moralis, & physica non differunt, & prorsus falsum est, quod ait ad hoc Sghemma cit. peccatum esse aliquod positiuum pro substrato, & materiali, & in entibus connotatiuis connotatum, & materiale esse de eorum quidditate; Planè est implicantia in terminis, substratum, & materiale esse de formali conceptu entis connotatiui, quia ideò appellatur substratum, & materiale, quia excluditur à formali, & principali significato.

7 In oppositum obijcitur 1. Ratio formalis distinctiua rei est etiam constitutiua eiusdem, sed priuatio distinguitur essentialiter à simplici negatione per aptitudinem subiecti, ergo hæc erit intrinseca & essentialis. Resp. Canonicus, & Tromb. priuationem non distingui per intrinseca à negatione simplici, sed solùm penes connotata, & inquiunt maiorem illam valere in positiuis, non in priuatiuis, sed nos hanc regulam ampliamus, & dicimus, maiorem illam valere tantum in absolutis, non autem in connotatiuis; nam ista essentialiter, & in principali significato non differunt, sed tantum penes connotata, sic dicimus, generationem formæ, & eius creationem in principali significato non differre, nam vtraque est productio formæ, sed tantum penes subiectum connotatum à generatione, non à creatione. Posset etiam dici, priuationem per hoc differre à negatione simplici, & extra genus, quia dicit intrinsecum ordinem ad aptitudinem subiecti, vel potius terminat ordinem eius ad ipsam, subiectum enim dicit ordinem, tam ad formam, cuius est susceptiuum, quàm ad negationem formæ, negatio autem extra genus, nec ordinem dicit ad subiectum, nec terminat ordinem eius ad ipsam.

Sed Arriag. cit. n. 177. acerrimus connotatorum hostis allatam reijcit solutionem, quia si capacitas subiecti est sola conditio, vel extrinsecum priuationis connotatum, ergo tota priuationis essentia consistet in carentia ipsius formæ, ergo si per impossibile cætera manent, solaque capacitas subiecti auferatur, adhuc remanebit tota essentia priuationis, quia nulla ipsius essentiæ pars intrinseca est ablata, sed solum extrinsecum connotatum, quo argumento vtitur vbicunque in connotata impingit. Resp. hanc non esse peculiarem difficultatem contra priuationem, sed communem omnibus connotatiuis, iam verò disp. 8. Log. quæst. 3. art. 1. in fine declarando naturam connotatiuorum diximus, hæc nomina talis esse conditionis, vt ex eorum impositione plura simul significent; quæ quidem quia sunt diuersæ naturæ, nec apta facere conceptum per se vnum, ideo non æquè primò importantur, sed vnum primariò, illud nimirum, quod datur intelligi ex institutione imponentis illud nomen, alterum vero secundariò, quod nimirum datur intelligi ex modo consignificandi principalis significati, vndè quia totale eorum significatum ex principali, & minus principali conflatur, ideo cessante connotato, statim variatur significatum illius nominis, & sic in proposito ablata capacitate subiecti aufertur essentia priuationis, non quidem directè, sed indirectè & in obliquo, quia principale significatum in exercitio suæ significationis ex minus principali dependet; quod quidem commune est omnibus nominibus connotatiuis; vide infra disp. 7. q. 3. art. 3. in fine.

Secundò obijcit Anglicus, tum quia quod nihil est, nihil sibi determinat, ergo cum priuatio sibi determinet subiectum, formaliter erit aliquid. Tum quia oppositio contradictoria & priuatiua sunt species oppositionis distinctæ formaliter, cum ergo ex parte habitus non differant, distinctio earum penes priuationem, & negationem attendi debebit, ergo in priuatione aliquid plus includitur, quam in simplici negatione. Tum tandem quia de priuatione prædicatur extremum contradictionis positiuum, scilicet ipsum esse, dicimus enim, cæcitas est, tenebræ sunt, &c. Resp. ad 1. valere assumptum de nihilo prorsus, tam in recto, quam in obliquo, sicut est negatio extra genus, priuatio autem est aliquid in obliquo. Ad 2. concedimus, opposita contradictoriè, & priuatiuè, non distingui, nisi ratione vnius extremi, quod in contradictorijs est negatio simpliciter, in priuatiuis est negatio subiectum connotans, ob quam differentiam inter priuatiua datur medium, non inter contradictoria ex 4. Met. 27. Ad 3. patet ex dictis art. præced.

8 Tertiò arguit Sghemma. Tum quia priuatio est terminus mutationis realis, scilicet corruptionis, & est principium generationis. Tum quia generat appetitum in materia, qui est aliquid positiuum in ea. Tum quia priuationis esse essentialiter est inesse subiecto, nam prorsus implicat, priuationem esse & in subiecto non esse, ergo, coexigentia subiecti erit de intrinseca ratione priuationis. Tum tandem quia essentia priuationis est priuare subiectum forma, ergo essentialiter, & intrinsecè respicit subiectum, quod priuat. Resp. ad 1. negando consequentiam, quia est terminus corruptionis, quæ est mutatio deperditiua, non acquisitiua, & est principium generationis, quæ est acquisitiua, per modum termini à quo, ex quibus deduci potest solum, priuationem esse negationem realem, non autem entitatem realem, & positiuam. Ad 2. priuatio generat appetitum, non per se directè, sed per accidens, indirectè, & occasionaliter, & ipsum generat non in ratione appetitus, & aptitudinis, in quo sensu importat positiuum, sed tantum in ratione desiderij, in quo sensu nil positiuum dicit, sed solum connotat absentiam formæ, vt fusius dictum est disp. 2. q. 6. Ad 3. ex hoc quod priuatio essentialiter exigat subiectum aptum, non rectè infertur, subiectum, vel aptitudinem subiecti esse de essentia priuationis, sicut ex hoc, quod relatio essentialiter coexigit extrema, non bene deducitur, extrema esse de essentia relationis, potius ergo deduci debet, intrinsecum ordinem ad subiectum aptum esse de essentia priuationis, qui ordo est negatiuus, & explicari debet per hoc, quod priuatio est talis negatio, quæ nata est terminare ordinem subiecti ad ipsam. Et per hoc etiam patet, quid sit dicendum ad quartum.

ARTICVLVS III.

Realis distinctio priuationis à subiecto declaratur.

9 Dicendum est priuationem realiter à subiecto distingui distinctione reali priuatiua. Concl. est communiter recepta, quam tenet, & probat Canon. loc. cit. art. 4. Quæcunque ita se habent, quod vno manente, reliquum non manet, illa realiter distinguuntur, vel saltim non sunt idem realiter, sed subiectum manet, priuatio recedit, ergo subiectum, & priuatio realiter distinguuntur, non quidem distinctione reali positiua, quæ inter extrema positiua versatur, sed negatiua, qualis est inter ens, & non ens; Minor patet, prob. maior, nam quæ ita se habent, vnum existat sine alio, realiter distincta censentur, si

Anim essent idem realiter, vnum non esset absque alio à parte rei, nec ad distinctionem realem semper necesse est; vt mutuò possint separata existere extrema, inter quæ versatur realis distinctio, alioquin creatura realiter non distingueretur à Deo, vt fusius suo loco dicetur contra Neotericos.

In oppositum obijcitur 1. Quod inest materiæ circumscripto ab eo omni eo, quod non est cum ea realiter idem, realiter identificatur cum ea: sed priuatio est huiusmodi, ergo &c. Maior patet, probatur minor, nam circumscripto à materia omni eo, quod non est ipsa, nec in primo, nec in secundo modo, materia non habet formam, & est capax illius, ergo est formaliter priuata. Nec respondere valet cum Canonico, negando minorem, quia data hypothesi, tunc materia, nec esset priuata, nec non priuata formaliter, sed tantum fundamentaliter, idest esset fundamentum, quod denominari potest à priuatione formaliter sumpta. Non valet, quia in tali statu materia formaliter non habet formam, & est formaliter capax formæ, ergo est formaliter priuata forma, nam priuatio formaliter est negatio formæ in subiecto apto. Resp. solutionem Canonici esse sufficientem, si rectè intelligatur, sit enim in argumento transitus à propositione negatiua de prædicato finito ad affirmatiuam de prædicato infinito, quæ est manifesta fallacia, vt si dicatur, homo essentialiter non est albus, ergo essentialiter est non albus, non valet consequentia, quia nec albedo, nec negatio albedinis, est de essentia hominis, alioquin nunquam homo posset esse albus, vel sine albedine, sic arguitur in proposito, materia secundùm se, secluso quocunque realiter distincto, habet formam, seu non est informata, & est capax eius, ergo secundùm se est priuata forma, seu non informata, non valet, quia nec reformatio, aut forma, nec negatio informationis, aut formæ conuenit illi in primo, vel secundo modo, sed omnino contingenter inest.

10 Sed vrges. Priuatio conuenit materiæ ex se, forma verò per agens extrinsecum illam introducens, vt docet Scotus 3. d. 3. q. 1. §. *Si autem, &c.* ergo est secundùm se priuata, & necessario, non contingenter. Resp. negando conseq. ex eo enim tantum inferri potest prioritas naturæ priuationis ad formam in ordine ad commune subiectum, non autem identitas, & quidem prioritas naturæ, non positiua, quia potuisset ab æterno materia ereari eum forma, in quo casu priuatio non præcessisset formam; sed priuatiua, quatenus priuatio, quantum est ex se, semper inesset materiæ, nisi adesset extrinsecum impediens, nimirum agens formam oppositam introducens, & in hoc sensu loc.cit. ait, materiam esse ex se priuatam, non autem in sensu, quem intendit argumentum.

Secundò obijcitur. Si priuatio distinguitur, ità quod accederet, & recederet à subiecto, non secus quàm forma, sequitur quòd sicut formæ est priuatio, sic etiam ipsius priuationis esset priuatio, & ità subiectum dum amittit aliquam priuationem, acquireret priuationem eius. Confirm. quia si priuatio, quatenus est negatio, distincta est à subiecto, daretur processus in infinitum in negationibus, nam vna negatio non est alia; ergo dicit negationem illius, & rursus hæc secunda negatio non est alia, ergo dicit negationem eius, & rursus hæc negatio non est alia, ergo dicit negationem alterius, & sic in infinitum.

11 Resp. ex Simplicio negando conseq. quia sicut absentiæ non est absentia, nec præsentiæ præsentia, ità neque priuationis est priuatio, sed priuationis priuatio est formaliter, & immediatè illa forma, quam negat, & in hoc sensu dicere, materiam recedente priuatione acquirere priuationem priuationis, est idem, ac dicere materiam acquirere formam oppositam, quod est verissimum. Ad Confirm. negatur sequela, hoc enim interest inter negationes, & res positiuas, quod negatio se ipsa negatur formaliter, & non per aliam negationem, quæ ipsam consequatur, at res positiua se ipsa dicitur non alia fundamentaliter, sed formaliter dicitur non alia per negationem, quæ ad ipsam consequitur ex natura rei, sic homo se ipso fundamentaliter non est asinus, sed formaliter dicitur non asinus per negationem asinitatis, quæ humanitatem consequitur.

Tertiò obijcitur. Tum quia materia non potest per absolutam Dei potentiam à priuatione separari, nam materia aquæ v.g. est priuata infinitis formis, quæ non possunt simul, & semel in materiam induci, cùm sint incompossibiles, ergo priuationem sibi realiter identificat. Tum quia distinctio realis cadit inter rem, & rem, sed priuatio non est res. Tum etiam quia Philos. 1. Phys. tex. 79. ait, priuationem esse vnum numero cùm materia. Tum tandem quia si priuatio esset à materia distincta, darentur actu infinitæ priuationes in materia, sicut sunt infinitæ formæ possibiles.

12 Resp. ad 1. negan. sequelam, quamuis enim non possit materia omnibus priuationibus simul denudari collectiuè, potest tamen omnibus denudari distributiuè, idest modò hac, modò illa, quod sufficit ad inferendam distinctionem realem priuationis à materia; repugnantia verò, ob quam non possunt omnes priuationes simul à materia auferri, non est petenda ex incompossibilitate formarum, nam plures formas disparatas potest Deus ponere in materia, vt posteà dicemus; sed petenda est ex hoc, quod multitudo formarum possibilis est syncategorematica, & indeterminata, ac proindè non tota simul producibilis. Ad 2. valet assumptum de dist. reali positiua, non negatiua, quod si contendas restringere nomen distinctionis realis ad extrema realia, rem, & rem importantia, licebit vti in proposito nomine non identitatis, dicendo, quod priuatio, & subiectum sunt non idem realiter; & ità loquitur Canonicus loc.cit. Per quod soluitur aliud argumentum, quod fieri solet, quia, nimirum realis distinctio importat realem relationem, hoc enim propriè verum est de dist. reali propriè sumpta, non autem sumpta pro non identitate; dici etiam potest, quod realis distinctio talem importat relationem realem, qualis est realitas ipsius dist. vndè cum in proposito distinctio priuationis à materia non sit realis in rigore, sic neque relatio per ipsam importata. Ad 3. aliqua possunt dici vnum numero dupliciter, vnitate nimirum intrinseca, vel subiectiua; primo modo dicuntur vnum numero, quæ vna hecceitate indiuiduantur, secundo modo dicuntur vnum numero, quæ sunt in eodem subiecto, quo sensu albedo, & dulcedo in lacte dicuntur vnum numero, quia sunt in eodem subiecto. 6. Top. cap. 1. materia, & priuatio dicuntur à Philosopho loc.cit. vnum numero, non primo, sed secundo modo, vt ibi. Expositores notant; vel dicuntur vnum numero negatiuè, quatenus priuatio non superaddit materiæ entitatem positiuam. Ad 4. Resp. cum Canonico, non esse inconueniens, tot priuationes actu admittere in materia, quot sunt formæ possibiles in ea, quia cum istæ non sint infinitæ, sed finitæ in infinitum, ita & illæ; absurdum autem est admittere infinitum actu, & categorematicum, non autem infinitum syncategorematicum, seu finitum in infinitum, vt disp. de Infinito dicemus.

QVÆSTIO II.

De Oppositione priuationis cum forma.

13 PRiuationem opponi formæ, & tolli per formam, fatentur omnes, verum de modo sunt quædam dubitationes. Primò enim dubitatur, an immediatè opponatur formæ, multi enim Theologi, & præsertim ex nostratibus, vt defendant Scoti sententiam de essentia peccati, quod in priuatione consistat, admittunt priuationem priuationis, quam eadem de causa etiam admittit Salas p. 2. tract. 13. disp. 2. nu. 3. & consequenter inquiunt, priuationem non immediatè opponi formæ, sed suæ priuationi, vt cæcitas non immediatè opponitur visui, sed priuationi cæcitatis. Deinde dubitatur, an priuatio ita immediatè opponatur formæ, vt per positionem illius in subiecto solummodo tolli possit non aliter, nec alio modo, & Hurtad. in Phys. disp. 3. sec. 1. §. 12. tenet, priuationem nedum tolli posse per formam positiuè oppositam, verum etiam per negationem ipsius priuationis, quando, scilicet, subiectum redditur ineptum ad formam suscipiendam, & sequitur Arriag. disp. 2. Phys. num. 176.

Dubitatur demum, an priuatio ita opponatur formæ, vt vna sit priuatio in materia omnium formarum, vel eiusdem formæ multæ priuationes, an potius tandem ad numerationem formarum numerandæ sint priuationes, & tot præcisè ponendæ, quot formæ possibiles haberi in materia, & aliqui absolutè dicunt, in materia esse vnam priuationem omnium formarum, sicut est vna potentia, & quod adueniente forma, non corrumpitur priuatio secundùm se, sed solùm secundùm denominationem respectu illius formæ. Alij vero distinguunt de priuatione, sicut distingui solet de potentia quod nimirum sicut potentia materiæ est duplex, vna remota, & vniuersalis, alia proxima, & particularis, quæ, scilicet, connotat proximam dispositionem ad hanc, vel illam formam, ita duplex est priuatio, vna remota, & vniuersalis omnium formarum, alia proxima, & particularis huius, & illius; prima est vna respectu omnium, altera multiplicatur ad multiplicationem formarum, & inquiunt, quod sicut in materia, non dantur simul duæ potentiæ proximæ, & particulares ad duas formas, sed tantum successiuè vna post aliam, quia dispositiones ad formas specie diuersas sunt incompossibiles, ita in materia non dantur simul plures proximæ priuationes, sed tantùm successiuè vna post aliam iuxta successionem variarum dispositionum, ita sentire videtur Ruuius 1. Phys. tract. 3. q. 2. Sghemma 1. Phys. digress. 6. q. 4. eadem vtitur doctrina, & solùm in hoc differt, quod etiam priuationem vniuersalem, & remotam multiplicat ad multiplicationem formarum.

Alij è contra negant huiusmodi priuationem ad omnes formas, & volunt, priuationes non solùm ad multitudinem formarum multiplicari debere, verum etiam respectu eiusdem formæ plures dari posse priuationes, ita multi Theologi loquuntur p. 2. in materia de peccatis, vt declarent malitiam vitiorum extremorum. Alij verò adæquatè multiplicant priuationes & distinguunt specie, & numero iuxta multitudinem, & distinctionem numericam, & specificam habituum oppositorum, quæ est verior, & communior sententia. Ad has tres dubitationes breuiter respondemus per tres Concl. sequentes.

14 Dicimus 1. Priuatio immediatè opponitur formæ, non autem suæ priuationi, vt cæcitas immediatè opponitur visui, non autem priuationi cæcitatis. Concl. colligitur ex Scot. 2. dist. 2. q. 1. §. *Hic dicitur, &c.* Vers. *Et confirmatur ista ratio, &c.* & q. 9. paulo sup. M. & seq. multi Theologi in materia de peccatis, & Prob. Quia, vt ait D. cit. vniuersaliter loquendo, negatio negationis est affirmatio positionis, vt negatio negationis entitatis est ipsa entitas, negatio negationis humanitatis est ipsamet humanitas. Tum quia adhuc id euidentius est in priuationibus, nam priuatio cæcitatis est visus, priuatio tenebræ est lux, & vniuer-

vniuersaliter nihil priuat priuationem, nisi sit formaliter positiuum. Tum etiam experientia docet, priuationem immediatè non tolli à subiecto, nisi per formam oppositam, tenebra immediatè excluditur ab aere per lucem, cæcitas ab oculo, per visum. Tum etiam Aristot. cap. de Oppositis clarè docet inter priuatiuè opposita, sicut est forma, & priuatio, non dari medium, ergo priuatio immediatè opponitur formæ, non autem suæ priuationi. Tum deindè, esse, & non esse immediatè opponuntur, ergo etiam immediatè opponitur lux tenebræ, cæcitas visui, nam lux est esse lucis, & tenebra non esse lucis, visus est esse visus, & cæcitas non esse visus. Tum præterea priuatio verb. grat. cæcitas erit non esse cæcum, at in subiecto capaci visus, esse non cæcum, formalissimè est esse videntem, ergo nullus conceptus mediat inter cæcum, & videntem in subiecto capaci. Tum tandem, quæ non opponuntur immediatè, possunt per absolutam Dei potentiam esse simul in eodem subiecto, vt suo loco dicemus de contrarijs, sed prorsus repugnat, priuationem, & formam esse simul, ergo, &c.

Sed contra hanc Concl. obijcies 1. Si non datur priuatio priuationis, sed priuatio immediatè opponitur formæ, ergo peccatum commissionis in positiuo consistit, quod est contra Scot. Probatur sequela, quia peccatum commissionis solum opponitur præcepto negatiuo, vnde rectitudo debita, in cuius carentia consistit malitia commissionis, est carentia furti, vel homicidij, hæc enim est rectitudo præcepta per præceptum non furandi, & non occidendi, ergo si priuatio priuationis est quid positiuum, peccatum commissionis in positiuo consistit, scilicet, in actu ipso furandi, vel occidendi, quia per ipsum furtum, & homicidium affertur carentia illius rectitudinis, quam habet qui non furatur, vel occidit, vt ergo sententiam Scoti defendamus de essentia peccati, priuationem priuationis admittere debemus.

Respon. neg. sequelam, ad probat. negatur assumptum, vniuersaliter enim in violatione præcepti negatiui rectitudo debita non est carentia furti, vel homicidij, sed conformitas ad præceptum negatiuum, quæ super has negationes fundatur, sicut è contra rectitudo debita in violatione præcepti affirmatiui, v.gr. audiendi Missam non est auditus Missæ, nisi materialiter, sed conformitas ad præceptum affirmatiuum nata super hunc actum fundari: concedimus igitur, quod carentia negationis furti, homicidij, &c. quid positiuum est, ipsa scilicet positiua entitas furti, & homicidij sed hinc non sequitur, malitiam horum actuum pro formali in positiuo consistere, quia sicut illæ negationes furti, & homicidij non sunt bonitates, & rectitudines formales, sed tantum materiales, ita quæ illis opponuntur sunt tantùm materialiter malitiæ morales, & ita adhuc benè saluatur, quod peccatum commissionis formaliter in priuatiuo consistit.

Secundò. Cæcum immediatè opponitur non cœco, sed non cæcum, & non videns non dicunt formaliter conceptum eundem, ergo cæcum non opponitur immediatè videnti, sed non cæco, maior patet, & minor probatur, quia lapis non est videns, & tamen est non cæcus. Resp. in subiecto capaci visus, & cæcitatis non cæcum, videns dicere eundem conceptum, quia priuatio, & forma sunt circa idem subiectum, at in subiecto incapaci, sicut est lapis, non sunt idem, quia ibi non est priuatio visus, sed negatio, visus autem, & eius carentia, non opponuntur priuatiuè in subiecto incapaci, quia cæcitas non est sola negatio visus, sed priuatio, & hic de priuatiua oppositione est sermo, non de negatiua, igitur in lapide cæcum, & non cæcum non opponuntur priuatiuè, sed negatiuè tantum, & ita sequitur solùm, quod in ipso datur negatio priuationis pro connotato, id est negatio aptitudinis, qua de causa dicitur non cæcus, nullo autem modo priuatio priuationis.

Tertiò, cæcitas est priuatio, & qui habet visum, dicitur carere cæcitate, ergo cæcitatis potest esse carentia, & priuatio simplex. Respond quod sicut negationem per positiuum sæpius explicamus, vt patet de tenebra, & cæcitate, sic è contra positiuum sæpè per negationem explicamus, & ita fit cum dicimus habentem visum, cæcitate carere, sed reuera hæc carentia quid positiuum dicit scilicet visum.

16 Dicimus 2. Priuatio per solam formam illi oppositam positiuè, vel per aliam superiorem virtualiter illam continentem tollitur à subiecto. Concl. est Scot. 2. d. 14. q. 1. B. & d. 32. q. vn. & 4. d. 49. q. 13. sub B. & Prob. Quia, vt diximus, priuatio priuationis formalissimè non est, nisi forma positiuè opposita, vel formaliter, vel virtualiter, ergo non tollitur à subiecto, nisi per positionem illius in eodem, Confirm. ex definitione priuationis, priuatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo quando ponitur forma, tollitur priuatio, nec alio modo videtur tolli posse, & à subiecto deleri, nisi per positiuum proprium oppositum, vel per aliud virtualiter continens illud oppositum, vt ait Doctor cit. 2. d. 32. q. vn. F.

Sed contra hanc concl. instat Hurtad. cit. concedens, priuationem posse à subiecto tolli, non tantum per formam positiuè oppositam, verum etiam per negationem; quando scilicet subiectum redditur ineptum, quod probat ex definitione priuationis, nam priuatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo quando ponitur forma positiua, vel subiectum redditur ineptum ad eam formam, tollitur priuatio, sed aliquando subiectum recipit formam oppositam, aliquando redditur ineptum ad eam recipiendam, ergo priuatio tolletur, vel per formam positiuam, vel per negationem, Probat minorem, quoad 2. partem, quia nisi Deus pactum inijsset de conferenda in pueros iustitia originali, eius carentia, quæ modo est priuatio, esset in pueris mera negatio, sed validius probari potest ex Scot. loc. proximè citato, vbi ait, in Baptismo per infusionem gratiæ, peccatum originale auferri, quod consistit in priuatione iustitiæ originalis debitæ, non per hoc, quod gratia virtualiter contineat effectum formalem iustitiæ originalis, sed per hoc præcisè, quod soluitur debitum habendi donum iustitiæ, & commutatur in debitum habendi donum gratiæ, vnde licèt maneat carentia iustitiæ originalis, tamen non est amplius culpa, quia non remanet debitum in puero; debitum verò in moralibus æquiualet aptitudini in naturalibus, & ideo sicut in moralibus tollitur priuatio per hoc solum quod auferatur debitum habendi formam oppositam, ita in naturalibus tolli per hoc poterit, quod subiectum reddatur ineptum.

Resp. negan. minorem subillatam, quoad 2. partem, quod scilicet subiectum possit ineptum reddi in naturalibus ad formam suscipiendam, quia aptitudo suscipiendi formam, non potest tolli à subiecto manente natura susceptiui, cum talis aptitudo sit ei realiter identificata. Ad Prob. dicimus, debitum in moralibus vtique æquiualere aptitudini in naturalibus, attamen non valet paritas in omnibus, quia in moralibus potest per legislatorem induci, & auferri, non sic aptitudo in naturalibus, quia est realiter rebus identificata; hìc autem quærimus præsertim naturam priuationis physicæ. Accedit, quod Doct. in fine illius dist. ad arg. illud quæst. 4. aliam responsionem insinuat.

Sed contra instat Hurtad. probans, etiam in naturalibus posse subiectum reddi ineptum, & hoc modo posse tolli priuationem ab eo, nam Catulus Canis ante nonum diem sui ortus habet negationem visus, quia ante illum diem est incapax videndi, si posteà verò illi eruantur oculi, erit vtique priuatus visu, quia ex natura sua illum poterat habere post nonum diem, ergo idem subiectum potest effici de incapaci capax, aut incapax de capaci alicuius formæ.

Resp. Catellum etiam ante nonum diem esse absolute capacem visus, vnde non deficit ei intrinseca capacitas, sed tantum conditio quædam, vt proximè reducatur ad actum, scilicet determinatum tempus à natura, vnde post nonum diem non dicitur fieri de incapaci, capacem; sed de incapaci remotè, fieri capacem proximè, & eius capacitatem, reduci ad actum, & similiter si postea in oculo eriatur humor noxius, visum tollens, non reddit oculum absolutè incapacem visus, sed tantum in sensu compositi, stante nimirum humore illo in oculo, sicuti materia per hoc, quod habet vnam formam, non redditur incapax alterius.

17 Dicimus 3. In eodem subiecto nec sunt plures priuationes eiusdem formæ, nec vna priuatio omnium formarum, sed tot priuationes præcisè, & adæquatè, quot formæ possibiles haberi in illo subiecto. Concl. colligitur ex Scoto quodl. 18. §. *Ex isto sequitur &c.* vbi docet, priuationes distingui, & multiplicari, sicut formæ quibus opponuntur, siue specie, siue numero; *priuationes enim distinguuntur, sicut habitus nati essent distingui, puta surditas, & cæcitas suo modo differunt specie priuatiua sicut auditus, & visus specie positiua, & hæc cæcitas, & illa numero priuatiuè, sicut hic visus, & ille differunt numero positiuè*, hæc Doctor, & sequuntur Hurtad. loc. cit. §. 8. & Amicus tract. 7. de Priuatione q. 1. dub. 5. art. 3. & alij communiter, & Prob. quo ad omnes partes, & 1. quo ad primam, non posse scilicet esse in eodem subiecto plures priuationes vnius formæ, probatur. Tum quia dum forma adeuenit, vna priuatio recedit, & nulla alia remanet, ergo vnius formæ tantum specie, est vna specie priuatio, & vnius formæ numero vna priuatio numero. Tum quia, si essent plures, vna recedente per aduentum formæ, non viderur, cur aliæ debeant necessariò recedere, & si aliæ necessariò recedunt, tunc eiusdem mutationis specie, & numero plura erunt principia specie, & numero per modum termini à quo. Tum tandem quia, si priuationes non aliam agnoscunt distinctionem specificam, quam illam, quæ sumitur ab habitibus, vt docet Doctor loc. cit. & 2. d. 37. q. 1. §. *Ex hoc patet, &c.* non videtur quomodo eiusdem formæ specie, & numero esse possint plures priuationes specie, & numero distinctæ; Nec valet dicere cum quibusdam Theologis in materia de peccatis, ad distinguendas plures priuationes specie, & numero eiusdem habitus, sufficere diuersum priuandi modum, & ita prodigalitas est diuersa specie priuatio ab auaritia, quia licèt priuent eadem rectitudine liberalitatis, tamen diuerso modo priuant, prodigalitas nimirum per excessum, auaritia per defectum. Non valet, quia isti modi non diuersificant alias priuationes cæcitatis, surditatis, &c. eadem enim specie est cæcitas, siue per excessum, siue per defectum humorum deficiat virtus videndi, & de distinctione vitiorum extremorum posteà dicemus.

18 Deinde prob. quoad 2. partem, nimirum in materia non esse vnam priuationem omnium formarum. Tum quia si priuationum distinctio, & multiplicitas solum attendi debet penes distinctionem, & multiplicitatem formarum, quibus priuant, ergo cum non detur vna forma vniuersalis nata pro omnibus informare, sed sint multæ numero, specie, non poterit dari vna priuatio in materia pro omnibus formis; Tum quia ex hoc sequeretur, priuationem manere simul cum forma, sicut manet potentia, nam adueniente forma aliqua, non propterea desinit secundum se in materia hæc vniuersalis, & remota priua-

priuatio, sed solùm secundum denominationem respectu illius, sicut relatio paternitatis manet secundùm Thomistas secundum se corrupto vno filio, & alijs remanentibus, & solùm corrumpitur secundum denominationem respectu filij mortui, hoc enim exemplo declarare solent Aduersarij hanc priuationem vniuersalem in materia respectu omnium formarum. Quòd si dicant, vt alij insinuare videntur, priuationem illam vniuersalem in aduentu particularis formæ etiam secundum se definere, & verè minui, in quo distinguitur à potentia, quæ in aduentu formæ non minuitur. Neque hoc satis facit, quia explicari non potest hoc augmentum, & decrementum priuationis in materia, accedentibus, & recedentibus formis, vnde præstabit dicere, quòd adueniente vna forma tollitur priuatio particularis illi correspondens, & remanent priuationes aliarum, nec præter istas datur aliqua vniuersalis omnium formarum priuatio. Tum tandem, quia priuatio admittitur in materia, vt sit principium per modum termini à quo, & per modum abiectionis, sed priuatio, quæ ita ad generationem concurrit, est priuatio particularis, nam hæc in aduentu formæ recedit, in recessu formæ accedit, priuatio verò vniuersalis secundum Aduersarios perpetuò in materia manet, ergo solùm priuationes particulares ponendæ sint in materia, & nulla vniuersalis.

Si verò singulas huiusmodi priuationes singulis formis correspondentes velimus appellare remotas, quousque materia proximè disponatur ad hanc, vel illam formam, & in hoc sensu dicere, non esse in materia simul plures priuationes proximas, & distinctas secundum speciem, sed vnam tantum, quia non potest simul materia esse disposita ad plures formas, & hanc priuationem proximam esse, quę in generatione concurrit per modũ termini à quo, modus hic loquendi potest admitti, sed necessarius non est; Tum quia non in omnibus mutationibus est necessaria præuia alteratio disponens subiectum, vt patet in illuminatione. Tum etiam quia quando necessaria est præuia alteratio, & proxima priuatio dicitur principium mutationis, non per hoc excluditur remota, immo est illa eadem, quæ recedit, & dicitur proxima, quia ob dispositiones introductas proximè expelli debet per formam.

In oppositum Objicitur 1. probando, quòd plurium formarum possit esse vna priuatio in subiecto. Tum quia in materia est vna tantum potentia ad omnes formas, ergo & vna priuatio. Tum quia eadem relatio esse potest ad plures terminos, si sint inadæquati, ergo, & eadem priuatio plurium formarum. Tum etiam genus est vnum indeterminatè dicens negationem huius, & illius, ergo etiam materia erit subiectum commune omnium formarum indeterminatè dicens negationem omnium. Tum tandem, quia hac ratione videtur dixisse Philosophus 1. Phys. 79. priuationem esse vnam numero cum materia, ita quòd sicut materia est vnum indeterminatum subiectum respectu omnium formarum, ita quoque habeat vnam indeterminatam priuationem.

19 Resp. ad 1. negan. paritatem de potentia, & priuatione; Tum quia potentia materiæ formaliter dicit aptitudinem, quæ vna esse potest ad omnes formas, priuatio verò dicit formaliter non esse formæ, quod necessariò multiplicari debet ad multiplicationem formarum; Tum etiam quia adueniente forma, non tollitur potentia materiæ respectu illius, sed stat cum illa, at perit vtique priuatio, quia nunquam priuatio potest simul consistere cum forma, cuius est priuatio. Ad 2. negatur paritas de priuatione, & relatione ad plures terminos inadæquatos, relatio enim non tollitur per terminum inadæquatum, quando definit, nisi secundum denominationem, sed priuatio verè tollitur. Ad 3. Respond. genus continere vtiquè confusè, & indeterminatè differentias continentia potentiali, sed distinctè, & determinatè continent negationes earum continentia actuali, & singulæ negationes excluduntur à genere per determinatas differentias, & non per quamlibet promiscuè, & sic etiam in proposito materia confusè, & indeterminatè continet omnes formas, continentia potentiali, sed distinctè, & determinatè negationes earum continentia actuali, & priuatio excluditur ab ea, non per quamlibet formam, sed per formam determinatam. Ad 4. patet ex dictis quæst. præced. nu. 12. quo sensu Philosophus dixerit, priuationem esse vnum numero cum materia.

Secundò obijcitur, probando, eiusdem formæ posse plures esse priuationes. Tum quia in naturalibus tenebra est vna priuatio, & tamen priuat multiplici limine, quo tolli potest, tenebræ enim quauis luce pelluntur, siue Solis, siue candelæ. Tum quia in moralibus omnia vitia extrema, vt prodigalitas, & auaritia, pusillanimitas, & temeritas habent diuersam specie malitiam, & tamen opponuntur eidem habitui virtutis, ergo eiusdem formæ specie, & numero possunt esse diuersæ specie, & numero priuationes.

Resp. ad 1. negan. antec. tenebræ enim non sunt vna sola priuatio huius, & illius lucis, sed aggregatum priuationum cuiuscunque luçis, & Solis, & ignis, vt benè aduertit Hurtad. cit. §. 9. vnde sublata vna sola priuatione per vnam lucem, statim pelluntur tenebræ, & si aliæ priuationes remaneant, quia tenebræ consistunt in illo aggregato omnium priuationum cuiuscunque lucis. Ad 2. neg. assumptum, nam probabilius est, vitia extrema eidem virtuti opposita non distingui specie in genere moris, sed tantum in esse naturæ, vt olim dicebamus in materia de peccatis, & concedendo, specie distingui, tunc negandum est, virtutem inter vitia extrema consistentem esse formaliter vnam, licèt enim liberalitas sit vnica tantum virtus materialiter, vna scilicet physica qualitas, est tamen duplex virtus formaliter, cum hæc vnica qualitas duplicem habeat coexistentiam ad duplicem regulam rationis specie diuersam, propter diuersitatem obiectorum formalium, nam quidem prohibentem superfluos sumptus, alteram verò necessarios, & honestos præcipientem, cum ergo habitus formalizentur in ratione virtutis per prædictam coexistentiam ex Scoto 1. d. 17. q. 2. sequitur, quòd ad eius multiplicationem multiplicetur etiam ratio formalis virtutis moralis in eadem physica qualitate; eumque ex alietate regulæ attendatur alietas virtutum ex Scoto 4. d. 36. quæst. vn. & 4. d. 45. quæst. 2. sequitur, quod cum hic duplex habeatur regula, geminetur etiam virtus super idem absolutum, & ideo non sequitur, prodigalitatem, & auaritiam esse priuationes specie diuersas eiusdem formaliter habitus virtuosi.

20 Tertiò obijcitur, quod non sint actu tot priuationes in materia, quot formæ possibiles in ea. Tum quia priuationes inter se opponuntur sicuti formæ, quod saltim negari nequit de priuationibus contrariorum immediatorum, & formarum circa idem se necessariò sequentium, vt priuationes sanitatis, & ægritudinis. Tum quia in materia iam à Deo creata extant omnes formæ substantiales in vniuerso productæ, & quæ sunt de integritate vniuersi, specie, & genere differentes, ergo saltem priuationes omnium harum formarum non sunt in materia. Tum tandem quia si loquamur de priuationibus formarum, possibilium, nec ipsæ videntur actu admittendæ in materia quia essent infinitæ actu, & cathegorematicè, sicut formæ, possibiles sunt infinitæ in potentia, & syncategorematicè.

Respond. ad 1. ex Scoto in 2. d. 12. quæst. 2. F. quod licet respectu agentis naturalis aliquæ formæ, se immediatè sequantur in materia quia agens naturale non potest tollere vnum oppositum, nisi ponendo reliquum, absolutè tamen nullæ formæ ita se habent immediatè circa materiam, quod necessariò se consequantur, & ideo nullæ priuationes in materia sunt oppositæ, absolutè loquendo. Ad 2. licet in tota materia non sint priuationes genere, & specie distinctæ, sunt tamen in vna portione materiæ vt in materia, quæ subsistat formæ lapidis, adunatæ sunt priuationes omnium aliarum formarum substantialium in alijs præced. art. 3. ex hoc non sequi, priuationes omnium formarum possibilium actu existentes in materia fore cathegorematicè infinitas, sed tantum syncategorematicè, seu finita in infinitum, si non datur status in speciebus possibilibus, de quo disput. de Infinito.

Quæres. An priuatio suscipiat magis, & minus. Respond. ex Scoto cit. 2. d. 37. quæst. vn. & quodl. 18. priuationem formæ substantialis non suscipere, magis, & minus, quia nec ipsa forma suscipit, intensiuè loquendo, & ideo sicut substantialis forma consistit in indiuisibili, & eo posito, tota forma habetur, ita priuatio eius consistit in indiuisibili, & eo sublato, tota priuatio tollitur. Priuatio verò formæ accidentalis suscipit magis & minus, sicut ipsa forma, & ideo sicuti introducto in aqua vno caloris gradu, non habetur tota forma, intensiuè loquendo, ita non est ablata ab aqua per illum gradum omnis priuatio caloris, vnde sicut tot gradus caloris vnum integrum efficiunt calorem, & quilibet gradus est partialis calor, ita priuationes omnium graduum constituunt integram priuationem totius caloris, & priuatio partialis singulorum graduum constituit priuationem partialem.

QVÆSTIO III.

Quo sensu priuatio dicatur principium generationis.

21 Dictum est in disp. de Principijs in communi q. 3. & 4. priuationem esse principium generationis per modum termini à quo, quatenus est illa, à qua agens naturale progreditur ad formam, verum quia generatio accidentalis fieri potest ab agente creato eodem instanti, quo fit subiectum, nam Sol producit in se lucem eodem instanti, quo fuit ipse productus, in quo casu priuatio non præcedit formam in subiecto, & eodem modo fuerunt ab initio mundi producta à Deo corpora cœlestia, & elementa, tam quo ad formam, quàm quoad materiam, hinc dubitatur, quomodo priuatio fuerit harum generationum principium per modum termini à quo, cum nunquam præcesserit in subiecto.

Quidam, vt referunt Hurtad. disputat. 3. de Priuatione sect. 2. & Auersa quæst. 10. sect. 3. dixerunt, in his casibus priuationem fuisse generationis principium, quia materia est prior natura, quam forma, & Sol, quam lux, & hanc prioritatem sufficere ad rationem priuationis, quem dicendi modum acriter impugnant relati Auctores.

Auersa ibidem inquit, quod quamuis ante formam in his casibus non præcesserit priuatio in subiecto, tamen absolutè verum erat, quod antea non dabatur forma, itaque præcessit etiam in his casibus non esse formæ, & non esse totius compositi postea simul producti, & ab hoc non esse siue ab hac negatione, formę tanquam termino à quo, factę sunt generationes illæ. Sed quia vlterius dubitari potest de generatione facta ab æterno, quia tunc non esset verum dicere, quod antea præcessisset non esse formæ, & non esse totius compositi, subdit Auersa; non esse per se de ratione generationis, vt ante ipsam re vera præcedat priuatio, aut non esse rei ordine naturæ positiuo, sed sufficere prioritatem naturæ negatiuam, quatenus nimirum priuatio præcessisset formam in materia, quantum est de se, si ab agente extrinseco impedita non fuisset introducente formam in materia in eo instanti, quo debebat inesse priuatio, & eodem modo verum est dicere de creatura ab æterno producta, de non esse ad esse transisse, & in hoc sensu inquit Auersa, priuationem esse principium necessarium per modum termini à quo in omni prorsus generatione; & trahit in hanc sententiam Scotum in 2. d. 1. quæst. 2. §. *Respondeo, &c.* & quæst. 3. §. *Tenentes autem, &c* quia in his locis, & etiam in 3. q. 1. G. talem admittit prioritatem inter non esse, & esse creaturæ ab æterno producto, & inter priuationem, & formam productam cum materia in eodem instanti.

22 Dicendum tamen est, vt priuatio dicatur principium generationis per modum termini à quo, sicut locutus est Philos. 1. Phys. non sufficere prioritatem naturæ negatiuam priuationis ad formam, immo neque positiuam per modum negationis extra subiectum, neque sufficere prioritatem naturalem materiæ ad ipsam formam. Concl. sequitur ex dictis disput. de Principijs in cor, & est contra relatos dicendi modos, & primò contra Auersam; quoad 1. partem probatur, quia Aristot. in 1. Phys. & cum illo tota peripatetica schola assignant principia generationis, prout à creatione secernitur, sed principium per modum termini à quo in sensu, quo loquitur Auersa, quod nimirum non esse rei præcedat esse rei extra subiectum ordine naturæ positiuo, vel priuatiuo, etiam in creatione reperitur, per quam res totaliter transit de non esse, tanquam ex termino à quo, ad esse, tanquam ad terminum ad quem, ergo priuatio non potest assignari principium generationis rerum naturalium per modum termini à quo in hoc sensu; Nec valet, si dicat Auersa, creationem, & generationem differre ex principio concurrente per modum subiecti, non per modum termini à quo, vel ad quem, nam vt docet Scot. 4. d. 11. q. 4. & quodl. 10. generatio, & creatio differunt etiam ex termino à quo, quia terminus à quo generationis est negatio in genere, & in subiecto, terminus à quo creationis est negatio extra genus, ergo non eodem modo assignari debet terminus à quo hìc, & ibi, vt facit Auersa.

Accedit, quod secundum hunc dicendi modum non saluatur, priuationem in illis casibus concurrere per modum termini à quo, sed tantum meram negationem, quia, etsi negatio formæ præcedat, non tamen præcedit in subiecto, ergo non saluatur, quod concurrat priuatio. Respond. Auersa, quod cum priuatio principiet ratione negationis, & non ratione aptitudinis, si ratione illius præcedat, sufficit ad hoc, vt concurrere dicatur per modum termini à quo. Contra, quia etsi priuatio concurrat ad generationem ratione negationis, necessariò tamen, & intrinsecè, quatenus principium generationis est à creatione distinctæ, petit subiectum in quo fit, ita vt isto deficiente, nec amplius dicatur priuatio, neque principium generationis, sed creationis, ergo sine subiecto non saluatur vera priuatio, nec terminus à quo generationis, vt à creatione distinguitur.

53 Respond. Auersa, saluari rationem priuationis etiam in his casibus, vel nempè quatenus ea negatio præcedens connotat subiectum, & aptitudinem materiæ, saltim possibilem, vel quatenus prius quidem dabatur negatio, postea in eo instanti in priori naturæ datur realiter materia cum aptitudine. Contra, priuatio est negatio in genere 5. Met. 27. sed negatio dicitur in genere, quia in ente existente, & rato reperitur, non vero solum possibili, ergo ex hoc, quod illa negatio præcedens connotat subiectum possibile, non sibi verè vendicant rationem priuationis, immo hoc modo creatio alicuius formæ materialis posset verè dici generatio, quatenus connotat etiam ipsa subiectum possibile, ex quo educi posset. Neque etiam quod subdit Auersa, satisfacit, nimirum postea dari materiam cum aptitudine in priori signo naturæ, quia, vel intelligit Auersa, quod in eo instanti, in quo creatur materia cum forma, in priori signo naturæ sibi copulet negationem formæ, quæ prius in nullo subiecto reperiebatur, & ita vera priuatio euadat; vel intelligit, quod vtrumque reperitur disparatè, aptitudo quidem in materia tunc producta, negatio autem adhuc extra subiectum, si primo modo, iam sibi contradicit, quia etiam ipse fatetur, in eodem instanti durationis dari non posse formam, & priuationem in materia pro diuersis naturæ signis: si vero intelligit secundo modo, hoc nihil facit ad id; quòd illa negatio euadat vera priuatio, quia nunquam fuit, nec est in subiecto, immo in eodem instanti quo subiectum cum forma creatum fuit, ipsa euanuit.

24 Quoad 2. partem, quod nimirum prioritas naturæ materiæ ad formam non sufficit ad rationem priuationis, Prob. ex Scoto in 3. dist. 3. q. 1. E. vbi dicit, quod quando opposita comparantur ad idem secundum ordinem naturæ, non simul ambo insunt, quia tunc contradictoria simul inessent, nam instantia naturæ in eodem temporis instanti includuntur, sed tantum alterum idest, reliquum autem, quod dicitur prius natura, non inest, quia in eodem instanti oppositum inest, sed dicitur prius natura, quia tunc in esset, quantum est ex parte subiecti, nisi aliquod extrinsecum impediret; affert exemplum de materia comparata ad formam, & priuationem, prius enim naturaliter est materia non habens formam, quam habens, non quod in illo instanti, in quo habet formam, realiter non habeat eam, quia tunc contradictoria essent simul, sed quia tunc materia quantum est ex se dimissa sibi, non haberet formam, si agens extrinsecum non daret. Similiter subiectum est prius naturaliter vtroque opposito, & ita materia prius est aliquid in se, quam priuata, vel formata, sed sicut ex hoc non sequitur, quod aliquando sit in se, ità quod nec sub priuatione, nec sub forma reperiatur, ità licèt materia prius naturaliter sit priuata, quam formata, non tamen sequitur, quod aliquando sit non sub forma, quia hoc modo non est aliud esse prius, nisi quod secundum propriam rationem eius, quod dicitur prius, neutrum includit, & vnum oppositum esse prius alio natura, non positiuè, sed priuatiuè. Materia ergo in illis casibus vtique dicetur natura præcedere formam, non tamen ob hoc dicetur non habere formam, vel esse forma priuatam, quia contradictoria referuntur ad idem omnino instans, ita vt vnum dicatur in esse pro eo signo, pro quo inesset alterum, & non inest; cum ergo in illo primo signo forma non sit nata illi competere, sic etiam neque priuatio competere potest, loquendo enim de illo omnino primo instanti naturæ, subiectum ita naturaliter præcedit ipsam priuationem, sicut formam ipsam, vnde ex hoc inferri tantum potest, quod in ratione subiecti non includitur nec forma, nec priuatio.

Et si dicas, in illo primo signo naturæ materia verè intelligitur non formata, seù non habere formam, ergo verè intelligitur priuata. Negat Doctor assumptum, nam potius dici debet, quod pro eo signo materia non intelligitur formata, & hoc est verum, quia abstrahentium non est mendacium, intelligere autem illam non formatam, non est præscindere, sed diuidere, ex quo deducitur, quod licet in illo priori possimus concipere materiam non concepta forma, eam tamen non possumus concipere cum priuatione formæ, quia re vera nunquam est materia cum priuatione.

Præstat ergo dicere cum communi, sermonem hìc esse de principijs generationis physicæ quæ fit interueniente mutatione, ita enim principia inuestigauit Aristot. 1. Phys. supponens, priuationem præcessisse formam in materia, vt patet ex text. 43. & 44. si enim priuatio ita in materia formam non præcederet, generatio fieret, sed non cum mutatione, quia non interuenit generatio in ratione mutationis, nisi priuatio in susceptiuo præcedat duratione formam, vt sæpius docet Scot. 2. d. 5. q. 2. I. 3. d. 2. q. 3. E. & d. 7. qu. 2. E. & clarissimè in 4. d. 43. qu. 5. H. Hinc gratis admittimus, in illis casibus priuationem non esse principium generationis, quia ibi non interuenit generatio in ratione mutationis. Verum tamen est, quod si priuationem assignare velimus principium generatim in quacunque productione formæ de subiecto, in eo sensu assignari debebit, quem docet Auersa, & Scotus significauit ab ipso relatus, sed sensus hic, nec fuit ab Arist. intentus, neque ab alijs Philosophis, dum priuationem statuerunt principium in fieri rerum naturalium.

25 In oppositum obijcit 1. Auersa loc. citat. Tum quia sic dicendo, admittitur, priuationem non esse principium absolutè necessarium ad naturalem generationem corporis, seu formæ, nam præsertim cùm forma produceretur ab agente naturali, ea esset vera generatio naturalis, sicut est, quæcunque alia generatio. Tum deinde, si semel sic saluatur generatio sine priuatione, iam de ratione generationis tantum erit, vt detur materia in eo instanti, & omnino per accidens erit, quod materia tempore præcesserit, neque hoc quicquam confert ad ipsam generationem. Tum præterea eiusdem prorsus speciei est illuminatio, qua aer illuminatus fuit in primo instanti suæ existentiæ, ac quando postea illuminatur, & similiter generatio, qua ignis induceret formam in materiam de nouo creatam, ac quando materia præfuit, immo posset eadem numero generatio fieri vtroque modo, sed generationis, ad quam materia non præcessit, priuatio non est principium, nec pertinet ad rationem eius ergo neque cuiusqiam generationis, quam materia, cum priuatione præcedebat.

Resp. ex doctrina iam tradita loc. citat. de Principijs in communi, quod generatio rei naturalis potest considerari in ratinne mutationis, & productionis, & quod quando Aristot. assignat principia generationis, loquitur de illa in ratione mutationis, & ideò argumenta Auersæ ex falso fundamento procedunt, quod habet, & sæpius repetit in illa q. 10. de rerum principijs, Arist. nempè assignare principia generationis, vt sic, prout à quacunque acceptione particulari præscindit, non autem in ratione mutationis tantum, Vnde Ad 1. gratis admittimus priuationem non esse principium generationis sub ratione productionis, qualis tantum interueniret, si materia non præcederet duratione formam, & quamuis forma in illo casu ab agente naturali produceretur, generatio illa diceretur naturalis ratione agentis, & ratione subiecti interuenientis, sed non diceretur naturalis ratione modi, quia non fit naturali, & ordinario modo, qui est cum interuentu mutationis, materia præcedente formam duratione. Ad 2. pariter dicimus, priuationem nullatenus esse de ratione generationis in ratione productionis, sed tantum in ratione mutationis. Ad 3. concedimus, eiusdem rationis esse illas duas illuminationes in ratione productionis, & generationem numero eandem fieri posse, materia præcedente formam duratione, & non præcedente in ratione productionis, sed in hoc sensu non constituimus priuationem principium

pium intrinsecum eius, sed in ratione mutationis dumtaxat, quo sensu duæ illæ illuminationes, & ignis generationes sunt alterius rationis.

26 Secundò objicitur, quod nec etiam in generatione per modum mutationis concurrere possit priuatio, vt principium per modum termini à quo, quia priuatio principiat generationem per suum non esse, ergo principiat per modum termini ad quem, non à quo. Consequentia patet, quia non esse priuationis acquiritur per generationem, non amittitur, nam vel est ipsiusmet esse formæ, vel saltem illud necessario concomitatur. Probatur assumptum, quia priuatio per suum esse impedit potius generationem, ne fiat, nam quando priuatio est in materia, forma non fit in ea, nec in eam introducitur, alioquin contradictoria verificarentur de eodem, quod fit, & non fit, sed cum forma non fit in materia, non fit generatio, quia generationem fieri, est formam fieri in materia. Accedit, quod priuatio cùm duo dicat, negationem formæ, scilicet, & aptitudinem subiecti, in quo est, concurrit constituendo in principiando non tantum ratione negationis importatæ, sed etiam ratione aptitudinis connotatæ, sed in aduentu formæ aptitudo subiecti non tollitur, ergo concursus priuationis ad generationem non est præcisè per modum termini à quo, & per modum abiectionis. Denuò in actuali exercitio generationis terminus à quo recedit, ergo priuatio non potest esse eius principium per modum termini à quo, quia, vt docet Arist. 1. Phys. text. si de ratione principij est, quod manet semper in generatione.

Resp. ad 1. negando assumptum, nam priuatio principiat generationem per suum esse; per illud enim habet priuatio rationem principiandi per modum termini à quo, per quod opponitur formæ, & excludit terminum ad quem, hoc autem facit per suum esse, non verò per suum non esse, ad probat. dicendum est, priuationem principiare generationem per suum esse, non quomodocunque, sed per suum esse recedens, & quatenus aufertur, ac tollitur, impedit verò generationem per suum esse permanens, sed per suum esse recedens confert ad generationem, & est principium eius per modum termini à quo. Ad 2. neg. assumptum quo ad 2. partem, quia priuatio, quantum est ex parte sua, concurrit ad generationem ratione negationis tantum, ratione enim negationis opponitur formæ, & est illi incompossibilis, non verò ratione aptitudinis, quæ per aduentum formę non tollitur à subiecto, & subiectum non transit ex aptitudine ad formam, sed ex non esse formæ ad formam, immo aptitudo subiecti in generatione se tenet potius ex parte principij materialis.

Sed dices. Cur igitur hoc principium concurrens per modum termini à quo assignatur potius sub nomine priuationis, quàm negationis? Resp. id optima ratione factum fuisse, quia cùm ex vna parte hic sermo sit de principio per modum termini à quo generationis naturalis per modum mutationis, & ex alia negationis nomen communiter sumatur pro pura negatione distincta à priuatione, non prout communis ad omnem carentiam etiam priuatiuam, ne daretur ambiguendi locus, conuenienter assignatum est hoc principium per modum termini à quo sub nomine priuationis, quia cùm re vera hæc negatio formæ, à qua progreditur agens naturale ad formam, in subiecto reperiatur, & formam duratione præueniat, planè nomen priuationis sibi vendicat, quamuis non formaliter, & reduplicatiuè, quatenus priuatio sit principium per modum termini à quo. Ad 3. concesso antecedente, neg. conseq. ad probat. dicimus, Aristot. dixisse, principia semper manere, non quia sint æterna, vel in re genita singula remanere debeant, sed quia ad quamlibet generationem in ratione mutationis omnia concurrunt, vt ibi exponunt grauissimi Expositores, præsertim Parisienses nostri in quo sensu dici potest & debet priuatio in omni generatione permanere.

Tertio objicitur, probando absolutè, priuationem principium generationis nullo modo constitui posse. Tum quia priuatio intrinsecè est non ens, & generatio est ens, sed ens non potest à non ente dependere, ergo, &c. Nec respondere iuuat, posse dependere, tanquam à principio in fieri, & per modum termini à quo, quia principium, quatenus principium, est nobilius principiato, & relationem dicit ad illud, sed relatio, quæ est ens, non potest fundari in non ente, nec potest esse nobilior mutatione. Tum quia terminus è quo nequit esse intrinsecus mutationi, nam mutationes non specificantur ex termino à quo, quia diuersi motus, & mutationes secundum speciem possunt habere eundem terminum à quo, vt ab eodem loco potest incipere motus deorsum terræ, & motus sursum ignis. Tum tandem quia Arist. 1. Phys. duo tòcet de priuatione, quæ omninò eam videntur excludere à numero principiorum generationis, ait enim priuationem machinari rei naturalis interitum, & text. 66. specificat, non esse principium, nisi per accidens.

Resp. ad 1. generationem posse pendere à priuatione, & non ente, tanquam à termino à quo formaliter quidem extrinseco, ad quem tamen dicat ordinem essentialem, quomodo in simili cognitio, quæ habetur de negationibus terminatiuè dependet à non ente, & cum dicitur, ens non posse à non ente dependere, hoc sensu verum est, quia non potest intrinsecè ex non ente componi, neque ab illo recipere esse per verum, & positiuum influxum; & concedimus, principium, quatenus principium, dicere relationem ad principiatum, sed negatur, hanc semper importare entitatem aliquam realem, quia, vt diximus disp. de Principijs in communi, non est de ratione principij, vt distinguitur à causa, quòd influat in rem, cuius principium constituitur, realiter, & positiuè, sed satis est, vt ad ipsum habeat principiatum necessariam, & per se habitudinem, talem autem habet vtique habitudinem generatio ad priuationem, quia intrinsecè respicit illam, vt terminum, à quo necessario procedit, vnde à parte rei secluso opere intellectus nullus ordo principij fundatur in priuatione, sed tantum mera terminatio ordinis, quem fundit generatio ad ipsam, & hæc terminatio sufficit, vt verè dicatur principium generationis à parte rei nullo intellectu considerante. Concedimus etiam, principium esse nobilius principiato, reduplicatiuè loquendo, in ratione principij, quia in hoc sensu terminat habitudinem principiati, & in hoc sensu potest dici priuatio nobilior generatione, sed non est semper verum specificatiuè, alioquin materia, quæ est principium compositi, deberet esse nobilior composito, & vniuersaliter pars toto.

28 Ad 2. terminus à quo est extrinsecus mutationi, sicut terminus ad quem, subiectum, non quidem, vt quid componens illam, aut pars intrinseca constituens per modum generis, vel differentiæ, sed vt id, ad quod ordinem dicit essentialem ipsa mutatio, sicut vniuersaliter extrema relationis non sunt ei formaliter intrinseca, nec de eius conceptu quidditatiuè per modum generis, vel differentiæ, sed sunt sibi intrinseca solùm, quatenus relatio est necessario, & per se ordo inter illa, & quamuis species mutationis sumi formaliter debeat ex intrinsecis principijs eius, principiatiuè tamen potest sumi etiam ab extrinsecis, qualia in relationibus sunt extrema. & in proposito terminus à quo, & ad quem, & ita de facto sumitur suo modo species mutationis à termino à quo, seu, vt alij dicunt, ex termino ad quem cum respectu ad terminum à quo vnde falsum est, duas mutationes posse habere eundem terminum à quo priuatiuum, licèt possint habere positiuum, vt probat exemplum illud de motu ignis sursum, & terræ deorsum ab eodem loco. Nec miretis, nos hic appellare priuationem, & terminum à quo extrinsecum generationi, quia in hoc sensu etiam terminus ad quem, & subiectum sunt illi extrinseca, quatenus nec terminus à quo, nec ad quem illam intrinsecè componunt, aut conceptum eius ingrediuntur per modum generis, vel differentiæ, licèt vterque sit intrinsecus, quatenus intrinsecè, & per se petit generatio inter vtrumque reperiri, & ab vno in alterum progredi.

29 Ad 3. neg. assumptum, cum enim inquit Philosoph. priuationem machinari rei naturalis, & formæ interitum, loquitur de forma actu existente in materia, cuius vtique destructionem molitur, generando appetitum in materia alterius formæ illi incompossibilis, sed non negat, esse principium rei naturalis generandæ, & formæ educendæ, respectu cuius sanè non operatur interitum, quare hoc Aristot. dictum probat solùm, priuationem non esse principium rei naturalis in facto esse, in quo sensu etiam intelligi debet aliud Aristot. dictum, cum inquit, esse principium per accidens, id enim intelligi debet respectu compositi, & rei genitæ, non autem generationis, vt Scot. exponit. 2. d. 12. q. 1. I.

Quomodo autem sit principium per accidens rei genitæ, communiter responderi solet, ita dici, quatenus materiæ, quæ subest formæ, & cum illa componit totum, accidit habere in se priuationem aliarum formarum. Sed Canon. 1. Phys. q. 10. art. 3. instat, non posse priuationem dici principium per accidens rei genitæ, ex eo quia coniuncta est illi, quod est principium per se, quoniam huiusmodi sunt multa, quæ tamen non habent rationem principij, sicut priuatio, sed tantummodo debere dici principium per accidens ex eo, quia ad generationem requiritur necessariò, & per se, non tamen tanquam aliquid remanens in re genita; ita etiam exponunt Regent. Parisienses 1. Phys. q. 7. quæstiunc. 1. collat. §. *dico primo*.

Concludimus itaque priuationem respectu generationis in ratione mutationis esse per se principium, & cum omni proprietate, adeo vt definitio principij tradita ab Aristot. 1. Phys. 42. competat ei vniuocè non minus, quam materiæ, & formæ, vt docuimus disp. 1. q. 1. conclusione secunda seruata tamen analogia. Sed contra illud assertum postea vrserunt aliqui, quia vel illa ratio communis per principium importata, esset ens, & tunc sequeretur quod non ens, sicut est priuatio, cui ponitur vniuocè conuenire, esset ens; aut esset non ens, & tunc sequeretur quod ens, sicut est materia, & forma, quibus itidem vniuocè conuenit, esset non ens, quod est absurdum, & aiunt argumentum sic propositum non posse elidi, &, declinari. Confirmatur, quia vel illa ratio communis vniuoca principij à nobis posita aliquid importat, vel non, & tunc quodcunque dicatur, sequitur idem, quod prius.

Resp. tamen facilè, si aduertatur, quod nuper dicebamus, non esse de ratione principij, vt à causa distinguitur quod importet relationem propriè realem, & positiuum influxum, sed satis est, vt ad ipsum habeat principiatum necessariam, & per se habitudinem; cum ergo quæritur, num ratio illa communis principij sit realis & importet aliquid reale, dicimus, vt ait Doctor ad simile argumentum 1. d. 30. q. 2. in fine, quod si realitas, ac entitas accipiantur, vt important positiuum quid, & verè ens, ratio communis principij quid reale non importat; si vero accipiantur, vt excludunt fictionem intellectus, & quicquid habet esse per solam eius negationem; sic important reale quid, & est conceptus realis, quatenus non habet esse per solam intellectus operationem, sed verè exprimit id, quod est à parte rei, quo sensu

sensu dicere solemus (ait Doctor cit.) hæc propositio, *homo est asinus*, est realiter falsa, non quod ly realiter importet in falsitate formalitatem realem, & positiuam, sed quatenus idem sonat, quod verè falsa.

QVÆSTIO IV.

Quando Priuatio mutationem principiare dicatur.

30 PRima sententia est, Priuationem esse principium, seu actum principiandi exercere, quando ipsa est, pro qua sententia stat Bacconus in 3. d. 3. qu. 2. art. 3. sed non eodem modo defenditur ab omnibus, Aliqui enim dicunt, ita principiare mutationem, vt coexistat cum ipsa mutatione, & sit simul in eodem temporis instanti cum ipsa forma in subiecto, licèt pro diuersis naturæ signis, vt euitetur contradictio, ita Tromb. tract. Formal. p. 4. art. 4. agens de prioritate naturæ. Alij in eo sensu explicant principium principiare, dum ipsa est, vt tamen tunc explicant priuationem principiare, dum ipsa est, vt tamen tunc temporis mutatio non existat, quia quando est mutatio, est forma in fieri, cùm igitur priuatio non sit compossibilis cum forma, planè mutationem principiare non poterit coexistendo illi, sed tantum immediatè ante illam præcedendo, sin quo sensu hanc sententiam tuetur probabiliter Amicus tractat. 7. quæst. 2. dub. 3. artic. 2. pro qua ait esse Ocham p. 1. Phys. c. 13. & Sax. quæst. 13. ad 4. & Fer. qu. 10. Concl. 1.

Altera sententia asserit absolutè, priuationem principiare, cum mutatio est, & ipsa non est, ita Hurtad. disput. 3. Phys. sect. 2. Auersa q. 10. sect. 6. & probabiliorem iudicat Amic. loc. cit. & modò communis est.

31 Dicendum est cum communiori; Priuationem principiare mutationem, quando ipsa priuatio non est. Concl. colligitur ex Scoto in 2. d. 1. quæst. 5. T. vbi inquit mutationem esse respectum subiecti ad formam, vt nouum, & in 4. d. 11. q. 1. E. vbi ait, esse respectum informationis ad non informationem immediatè præcedentem, seu successionem termnii ad quem posterioris, post terminum à quo priorem; per quod satis apertè significat, mutationem habere pro principio priuationem quatenus, in materia præcessit immediatè antea, & non quia tunc in materia existat, & Probatur quia priuatio tunc principiat mutationem, quando actu est ipsa mutatio, sed quando est actu mutatio, non est priuatio, ergo priuatio principiat, quando non est. Maior patet, quia actu principiare, & actu principiari sunt correlatiua, nec vnum esse potest sine alio, Probatur minor, quando est mutatio, est etiam forma, quæ acquiritur, nam subiectum mutari est aliter se habere nunc, quam priùs, per nouam formam, sed quando est forma, non est eius priuatio, alioquin eadem res esset simul, & non esset, quod implicat.

Respond. aliqui, formam, & priuationem non posse esse simul in eodem subiecto permanenter, & in esse quieto, posse simul transeunter, hoc est, formam in fieri posse esse simul cum priuatione in corrumpi; Sed facilè refellitur hæc responsio. Tum quia esse in fieri dicit esse, & esse in corrumpi dicit esse, ergo forma in fieri, & eius priuatio in destrui, seu in recedere non possunt esse simul, quia adhuc verificaretur contradictio, eandem scilicet formam simul esse, & non esse, cum sit idem esse priuationis, & non esse formæ, Tum quia hac ratione Aristot. 8. Phys. text. 66. habet pro manifesta contradictione, quod idem simul fit, & non fit in eodem tunc temporis, ad quam contradictionem euitandam inuenere Philosophi duos modos incipiendi, & desinendi in rebus, nempè intrinsecè, & extrinsecè, & nunquam admittere voluerunt, rem simul in eodem instanti intrinseco generari, & corrumpi, ne cogerentur admittere contradictoria, ergo contradictoria nullo prorsus modo possunt consistere simul, nec in tempore, nec in instanti, nec permanenter, nec in transitu, & veritas primi principij: *De quolibet verum est affirmare, vel negare, de nullo vtrumque simul*, semper inconcussa manet, & nullam prorsus patitur exceptionem. Tum tandem quia eadem ratione dici posset, in eadem anima simul esse gratiam, & priuationem gratiæ, seu peccatum, & sub speciebus panis simul esse substantiam panis, & corpus Christi, & alia inconuenientia in rebus theologicis sequerentur ex hac sententia, vt probat Auersa loc. cit.

32 Alij proindè ad euitandam contradictionem recurrunt cum Trombeta ad diuersa signa naturæ in eodem instanti temporis inclusa, & priuationem dari in priori signo naturæ, & in posteriori formam, & hæc duo signa saluare, quin contradictio sequatur.

Sed præterquamquod prioritas naturæ non sufficit ad rationem priuationis, vt ex Scoto probauimus quæst. præc. vnde in hoc videtur Tromb. à Doctore deuiasse, adhuc hæc diuersa signa naturæ contradictionem non tollunt, & semper sequitur in eodem instanti temporis eandem formam simul esse, & non esse, hæc enim talis est contradictio, quæ ad instans durationis refertur, non ad instans naturæ, & ratio huius est id, quod docuimus in Log. disputat. 9. quæst. 2. art. 1. nullius scilicet rei existentiam mensurari per instans naturæ, sic quòd pro aliquo instanti existat id, quod dicitur natura prius, in quo non existat, quod est natura posterius, vnde licèt homo sit prior natura risibilitate, & vniuersaliter quodcunque subiectum sua passione, non tamen est in aliquo instanti in quo non sit, vel existat risibilitas, licet verum sit, quod in aliquo instanti intelligitur homo, in quo non intelligitur risibilitas, cum ergo existentia rei per naturæ instantiam non mensuretur, nec prioritas naturæ exponatur cum verbo *est*, & *in quo*, sed per verbum *potest esse*, & *in quo*, si est prioritas naturæ essendi, vel per verbum *intelligitur*, & *in quo*, si est prioritas naturæ intelligendi, necessariò dicendum est, esse, & non esse respicere instans temporis, & illo mensurari, ac proinde contradictionem de esse, & non esse eiusdem rei per diuersa signa naturæ euitari non posse, licèt alia quædam contradictoria euitari possint per diuersa signa naturæ. Accedit etiam, per hunc dicendi modum non euitari inconuenientia theologica iam allata, quòd idem homo simul, & semel in eodem temporis instanti esset in gratia, & in peccato.

33 Hic Amicus cit. ad euitandam contradictionem ait, priuationem vtique principiare, dum ipsa est; sed tunc non dari mutationem, quia adhuc subiectum est priuatum forma, quam immediatè post habebit, vnde hæc propositio de præsenti, *priuatio est principium*, æquiualet huic de futuro, *principiatum immediatè post erit ex vi priuationis*, iuxta quem dicendi modum euitantur contradictoria, quia tunc non datur forma simul cum priuatione.

Sed neque in hoc sensu hæc sententia defendi potest. Tum quia omnia principia, etiam priuatio, tunc principiant, quando generatur compositum, siue id, quod fit ex ipsis principijs, & concipi nequit principium principiare, & aliquid tunc non principiari, nam tunc principium propriè dicitur exercere actum principiandi, quando aliquid fit ex ipso, & quamuis omne principium sit prius natura, ipso principiato, etiam dum est sub actuali ratione principiandi, nulla tamen intercedit prioritas durationis, ergo non benè dicitur priuatio esse actu principium, quia immediatè post erit principiatum, sed in eodem instanti simul esse debebunt principium, & principiatum, in hoc enim sensu causa in actu, & effectus in actu simul esse dicuntur. Tum etiam priuatio principiat mutationem, vt terminus à quo, sed principiare, vt terminus à quo, est principiare, vt à quo destructo, ergo principiat, quando non est, non autem quando est. Tum tandem quia hæc sententia omnes ferè difficultates incurrit, quibus opposita subiacet, nam sicut tota nostræ sententiæ difficultas consistit in explicando, quomodo aliquid possit esse principium, si non est, quia omnis principiatio supponit, principium esse, ita, & ipsi explicare tenentur, quomodo aliquid possit esse principium, & nihil actu principiare; quod si ipsi dicant, propositionem, de præsenti, *priuatio est principium* æquialere propositioni de futuro, *principiatum immediatè post erit, ex vi priuationis*, sanè præstabit dicere, & erit magis propria locutio, principiationem actualiter exerceri à priuatione immediatè post suum esse, & non quando actu erat in subiecto.

34 In oppositum objicitur 1. Si priuatio potest principiare mutationem, quando ipsa priuatio non est, sequeretur, pari ratione mutationem posse principiari à priuatione, quando ipsa mutatio non est, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de altero, sed quando mutatio non est, non potest à priuatione principiari, ergo, nec priuatio principiare, quando ipsa non est. Resp. negando sequelam, & disparitas de priuatione, & mutatione est, quia priuatio, vt diximus, principiat mutationem, vt terminus à quo, de cuius ratione est, vt præextiterit immediatè ante mutationem, mutatio verò principiatur, non vt terminus à quo, sed vt realis transitus à termino à quo ad terminum ad quem, principiari autem transitum, nihil aliud est, quam transitum incipere esse, & consequenter, nisi vt mutatio, principiari non potest.

Secundò objicies tum Tromb. Mutatio instantanea non est sine suis terminis, cum sit habitudo inter terminum à quo, & terminum ad quem, & habitudo, seù relatio non est sine extremis, ergo in eodem instanti temporis erit terminus à quo ipsius mutationis, & terminus ad quem, licèt non pro eodem signo naturæ. Confirm. quia si Deus crearet subiectum vltimatè dispositum ad ignem, & igni esset applicatum, vtique ignis produceret in eo formam substantialem in instanti, at non posset produci sine priuatione existente in materia, ergo in eodem instanti esset priuatio, & forma ignis; per quem casum excludit Trombet. responsionem, quæ dari posset, priuationem nimirum dari in toto tempore præcedente mutationem instantaneam, seu generationem, & formam dari in instanti vltimo totius temporis mensurantis alterationem præcedentem.

Resp. argumentum etiam vrgere Trombetam, probat enim terminum à quo, & terminum ad quem debere esse simul, non solùm in eodem temporis instanti, sed etiam in eodem signo naturæ; relatiua enim sunt simul natura, & naturali intelligentia, quatenus relatiua, & extrema relationis sunt prorsus simul natura, nam si vnum extremum sub illa habitudine conceptum, præcedit aliud, vel tunc concipitur in illo priori terminatum ad aliud, vel non; si primum, ergo non est prius natura, sed simul cum eo; si non, ergo non concipitur, vt relatiuum, & relationis extremum, quare argumentum probat plus, quam ipse velit, et ideò dicendum, mutationem vtique respicere priuationem, vt terminum à quo, sed non vt actu existentem, sed vt immediatè antea præcedentem, eo modo, quo dicimus, ipsum non esse rei, vt immediatè præcedens, esse terminum creationis, qua ratione ait Scot. cit. mutationem esse respectum infor-

informationis ad non informationem non quomodocunque, sed vt immediatè præcedentem. Ad Confirmat. negatur, in eo casu priuationem in materia præire formam prioritate naturæ positiua, quia re vera nunquam materia fuit sine forma, vt patet ex præcedenti quæstione.

35 Tertiò objicitur. Tum quia nullum principium principiare potest, quando non est, & nulla principiatio esse potest, si principium non est. Tum quia effectus in actu, præsertim cuius esse in fieri consistit, supponit causam, & principium in actu, sed generatio est effectus, cuius esse consistit in fieri, ergo suum principium supponit esse in actu. Tum demum, quia principiare maiorem connexionem dicit cum principiante, quam cum principiato, sed non potest esse sine principiato, ergo multò magis sine principiante. Resp. ad 1. assumptum valere de principio, quod positiuè influit in principiatum, non de eo, quod tantùm negatiuè concurrit, & est terminus à quo, immo de ratione huius principij est, quòd tunc auferatur, & primo non sit, quia aliam rationem principiandi non habet, quàm vt præcedat immediatè mutationem, & ideò non principiat coexistendo cum re principiata, sed immediatè anteà præcedendo. Ad 2. & 3. ait Auersa, quantùm ad existentiam maiorem connexionem habere hunc modum principiandi cum principiato, quàm cum principiante. Sed hæc. Respons. non videtur, vt par est saluare simultatem relatiuorum naturalem, dum admittit, rem actu principiari, & actu non esse principium, ad quod referatur. Præstat ergo dicere, aliud esse loqui de priuatione secundum esse priuationis, & aliud secundum esse principij, vtique quando generatio est, priuatio non est, secundum esse priuationis, immediatè enim antè instans generationis euanuit, benè tamen est priuatio in ratione principij; nec valet dicere, priuatio tunc non est, ergo non potest esse principium; valere enim argumentum, si ipsa principiaret per suum esse, quatenus permanet, & super illud, quatenus tale fundaretur relatio principij, at non est ità, quia non principiat per suum esse permanens, sed per suum esse immediatè recedens, principiat enim per modum termini à quo, idest à quo destructo, & talis ratio principiandi non potest concipi actu fundari super priuationem, nisi quando primò non est, & antea immediatè abijt.

36 Quartò objicitur. Tùm quia priuatio principiat per suum esse, non verò per suum non esse ex quæst. præced. ergo principiat, quando est, non quando non est. Tùm quia principiat, quando expellitur à forma, sed expellens, & expulsum debent existere simul in pugna, & expulsum debet esse, dum expellitur. Tùm etiam, quia priuatio principiat, dum recedit, & dum ab ea transit subiectum ad formam, sed id, quod recedit, debet esse, & terminus, à quo quis recessit, non enim benè quis diceretur recedere ab vrbe, quæ non est. Tum tandem, si fieri posset transitus à termino non existente, ergo posset semper cum veritate dici, post abiectionem priuationis subiectum transire ab ipsa ad formam, & ità semper mutari, quod est falsum.

Resp. ad 1. negando sequelam, aliud enim est quærere, per quid priuatio principiet, & quando; principiat vtique per suum esse, sed quia principiat per illud, quatenus tollitur, ideò principiare dicitur, vt immediatè præcedens, & quatenus primò non est. Ad secundum dicimus, formam non expellere priuationem per aliquam actionem, quam exerceat in illam, vel per aliquem contactum, sicut quando clauus clauum trudit, nam in hoc sensu vtique oporteret esse simul; sed illam expellit per formalem sui positionem in subiecto, forma enim collocando se in subiecto, expellit priuationem in eodem instanti, itaet cum primò ponitur forma, tunc primò tollatur priuatio, hoc autem benè intelligitur, si dicatur, post ipsam priuationem sequi immediatè formam in subiecto; nec est necesse, vtrumque esse simul. Ad 3. neg. minor, quia recedere non est esse, sed fuisse, quare cùm priuatio recedat, quando principiatur mutatio, consequenter priuatio tunc non est, sed immediatè anteà fuit, ità quod idem instans mensurans primum esse generationis, mensurat etiam primum non esse priuationis, & generationi est intrinsecum, priuationi extrinsecum, & sic cum primò est mutatio, primò non est priuatio, & in hoc sensu fieri potest transitus à termino non existente, tunc scilicet quando primò non existit: & verè quis diceretur ab vrbe aliqua discedere, si vrbs anteà immediatè fuisset. Ad 4. neg. sequela, tunc enim tantum verum est dicere, subiectum transire, atque mutari, cum priuatio primò non est, quia mutatio est respectus subiecti ad formam, vt nouus, seù respectus informationis ad non informationem immediatè præcedentem.

37 Quintò objicitur, quia tunc priuatio principiat, quando est terminus à quo, sed est actu terminus à quo, quando vltimò est, ergo principiat mutationem, quando vltimò est: Probatur minor, nam de ratione termini à quo est, vt sit immediatè ante viam, ergo tunc priuatio est actu terminus à quo, cum est immediatè ante mutationem, quæ est quædam via, seu transitus à priuatione ad formam, sed priuatio est immediatè ante mutationem, cum vltimo est, ergo priuatio est actu terminus à quo, cum vltimo est. Confirm. priuatio principiat mutationem, quando fit ipsa mutatio, sed in eo instanti, in quo primo priuatio non est, mutatio non fit, sed facta est, quia tunc adest formà, qua præsente cessat omnis motus, & mutatio 1. de Genes. 55. ergo priuatio principiat mutationem ante illud instans, sed ante illud instans priuatio vltimò est, ergo non principiat, quando primò non est.

Resp. priuationem principiare mutationem, cum est terminus à quo, non in actu signato, sed in actu exercito, est autem ità terminus à quo, non quando vltimò est, sed quando primò non est, tunc enim exercet rationem termini à quo, quia tunc recedit, & abit, & recedere priuationis non est vltimum esse illius, sed potius primum non esse, & in hoc sensu dicitur terminus à quo esse ante viam, quatenus immediatè antea præfuit. Ad Conf. neg. minor, quia cum primò est forma, tunc primo intelligitur subiectum mutari, & postea tempore immediatè frequenti facta dicitur, & completa mutatio, & sic intelligitur dictum Philosophi 1. de Gen.

Sed Dices. Non magis intelligitur priuatio recedere, & abijci, & rationem termini à quo exercere, cum primò non est, quam cum vltimò est, sic enim adhuc saluatur, quod si terminus à quo mutationis immediatè præcedens, & non coexistens cum re principiata, quatenus mutatio tunc non est, sed immediatè postea. Ad hoc patet ex resp. ad 1. quare priuatio cum vltimò est, non possit adhuc dici terminus à quo in actu exercito, quia tunc non est mutatio, cum forma non adsit, non potest autem intelligi priuatio actu principiare, nisi mutatio intelligatur etiam tunc principiari.

48 Sextò Aristot. 5. Phys. 13. videtur docere, id, quod fit, nondum esse, dum fit, & text. 14. esse oportere id, quod corrumpitur, nec posse corrumpi prius, vel posteà, & 4. Met. 22. ait, *abijciens habet aliquid eius, quod abijcit*, ergo priuatio principiat, quando est. Resp. vel Aristot. in illis text. 5. Phys. loquitur de eo, quod fit, vel corrumpitur subiectiuè, vt volunt Auerr. Burl. Vicom. Simpl. vel loquitur de eo, quod fit, vel corrumpitur terminatiuè, vt alij; si de 1. loquatur, intelligendus est Philosophus quod non fit id, quod fit, in esse perfecto, & completo, quatenus in illo omninò primo instanti adhuc est sub fieri, & sub actuali mutatione, & quod fit quod corrumpitur, quia in omni corruptione materia remanet; si de 2. loquatur intelligendus est Philosophus, quòd non fit, quod fit, non quidem simpliciter, sed quod non fit in tali esse, quale requirit, vt dicatur terminus, & finis motus, quia forma in illo primo instanti verè non complet motum, nec est finis motus, nec mutationis, cùm potius tunc incipiat, sed tantum in tempore sequenti, & intelligendum est, quod fit, quod corrumpitur, in eodem sensu, quo esse dicebatur illud, quod fit, dum fit, non quidem, quod fit simpliciter, sed quod fit, quatenus in illo iustanti non adhuc intelligitur habere esse deperditum in esse quieto, sed tunc primò non est. 4. autem Met. 22. loquitur Aristot. de mutatione successiua, in qua subiectum abijcit aliquam formam per partes post partes, durante enim mutatione semper habet aliquid formæ, vt benè notat Auersa loc. cit.

DISPVTATIO QVINTA.

De Principijs intrinsecis in facto esse.

1 *EGimus hucusque de Principijs corporis naturalis in fieri cum Aristot. 1. Phys. Nunc de Principijs eiusdem in facto esse cum eodem in 2. agendum est; quemadmodum autem principia generationis in communi indicauit, considerando principia quarumcumque mutationum, & præsertim accidentalium, quæ magis obuiæ sunt sensibus, hinc inductione probando ternarium numerum principiorum generationis in communi, ita in hoc 2. naturam assignat, vt principium vnicum, corpus naturale constituens intrinsecè in esse naturali, & præsertim hoc ostendit considerando naturam corporum sublunarium, quæ magis sub sensum cadunt, & constant materia, & forma, vt hinc insinuaret, in omni corpore naturali rem ita se habere, quod natura est principium eius intrinsecè constitutiuum in tali esse; sic igitur & nos, Philosophi vestigia sectantes, principia corporis naturalis in facto esse inuestigabimus, & præsertim ex his caducis rebus deducemus, tale principium esse naturam, vt hinc intelligatur, ita etiam de cœlestibus corporibus esse loquendum, quæ, certum est apud omnes, natura constare, non tamen materia, & forma in sententia Philosophi.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quænam sint principia in facto esse corporis naturalis in communi, & duarum specierum eius, cœlestis, & sublunaris.

2 QVI componunt cœlestia corpora ex materia, & forma, hæc pariter statuunt principia essendi, seu in facto esse corporis naturalis in communi. Qui hanc compositionem remouent à corporibus illis, remouent quoque à corpore naturali in communi principia essendi, & tribuunt tantum principia cognoscendi, ita Zab. lib. de const. Philosophiæ naturalis c. 11. & Faber in sua Philos. Theor. 4. Nos alia via incedentes, remouemus in sententia Philosophi à cœlestibus corporibus materiam, & formam cum Doctore in 2. d. 14. q. 1. adhuc tamen agnoscimus in eis principia essendi, seu in facto esse.

Dicimus 1. principium in facto esse, & constitutiuum corporis naturalis in communi esse naturam. Prob. Tum auctoritate Aristot. qui in calce 1. Phys. postquam dixit, se demonstrasse in illo 1. quot sint principia **corporis** naturalis in fieri, & quæ, promittens se in 2. actum de principijs in facto esse, ait, *Rursus autem aliud principium capientes dicamus*, principium nimirum corporis naturalis in facto esse, & immediatè postea incipiens 2. Phys. loquitur de natura, vt de tali principio, ergo natura est vnicum principium corporis naturalis in communi; Tum quia ibi definit text. 4. quod corpus naturale sit illud, quod habet naturam, seù natura constat, ergo natura in communi est principium constitutiuum corporis naturalis in communi; Tum quia, vt constat ex definitione naturæ ibidem text. 3. tradita, natura non solùm est principium operationum corporis naturalis, verùm etiam principium constitutiuum corporis naturalis in esse tali, siue constituat per modum partis, & per veram compositionem, vt est in sublunaribus, seu vt quidditas constituere solet id, cuius est quidditas, vt est in superioribus, ergo principium essendi corporis naturalis in communi 2. Phys. definita, Probatur assumptum, quia natura definitur, quod *sit principium motus, & quietis eius, in quo est, &c.* vbi per *principium motus, & quietis* vnum insinuatur naturæ munus, principiandi nimirum operationes, & motus connaturales corporis naturalis: per alteram verò particulam *eius in quo est* alterum indicatur munus naturæ, constituendi, scilicet, id, in quo est, in esse tali, siue in eo sit, vt quidditas, & essentia in eo, cuius est, siue, vt pars constitutiua ipsius essentiæ; Tum tandem, quia natura 2. Phys. definita consideratur ibi, vt per illam, tanquam per medium competunt corpori naturali mobilitas, & aliæ physicæ passiones, sed non possumus cognoscere, aliquid esse medium ad concludendam passionem de aliquo subiecto, nisi cognoscamus, esse quidditatem, vel de quidditate illius subiecti, atque ita principium constitutiuum eius, ergo consideratur natura in 2. Phys. vt principium essendi, & constitutiuum essentialiter corporis naturalis.

3 Contra hanc Concl. obijcies, quod si corpus naturale in communi habet principia in facto esse, constabit ex materia, & forma, quia hæc sunt principia in facto esse rerum naturalium; Et quod natura diuiditur in materiam, & formam 2. Phys. 10. Et ideo si principium essendi corporis naturalis in communi est natura, iam hæc principia erunt materia, & forma.

Resp. neg. vtramque sequelam, quia hìc per principia essendi, & in facto esse, non intelligimus principia verè componentia per modum partis, sed principium constitutiuum rei in tali esse, siue hoc fiat mediante physica compositione, siue non, & hoc modo admittere principia essendi, etiam in Cœlo, ita necessarium est, quemadmodum in ipso admittere naturam. Nec sequitur, materiam, & formam esse principia in facto esse corporis naturalis, si est natura, quia illa non sunt membra adæquatè diuidentia naturam in communi, sed debet addi tertium, essentia nimirum, & quidditas, in eo, cuius est, quod tertium membrum satis clarè insinuauit ibi Philosophus, dum ait text. 10. *vno igitur modo natura dicitur prima vnicuique subiecta materia, alio autem modo forma, & species, quæ secundum rationem*, & statim text. 11. explicans, quid intelligat per speciem, quæ secundum rationem, subdit, *quam definientes dicimus, quid est caro, aut os*. Quid verò significat quidditatem, & essentiam rei. Quòd si quis dicere vellet, text. 10. & sequentibus Aristot. verba facere de natura mortalium, illamque diuidere præcisè in materiam, & formam, hoc etiam admitti potest, cùm enim textibus superioribus de natura in communi verba fecisset, illamque descripsisset; vt in his, quæ magis sensui subiacent, illam declaret, assumpsit pro exemplo naturam corruptibilium, sicut etiam in 1. Phys. licèt de principijs mutationis in communi ad substantialem, & accidentalem ageret, frequenter tamen mutationis substantialis principia tantum comminiscitur, quandoque accidentalis tantum, vt his exemplis minus à sensu remotis à posteriori demum in cognitionem deueniremus principiorum mutationis in communi, sic igitur fecit, etiam in 2. Phys. dum principia corporis naturalis in facto esse voluit edocere.

Deindè contra eandem Conclusionem instant Recentiores quidam apud Arriag. disp. 5. Phys. sect. 3. probantes implicare dari tale corpus completum simplex, quale nos ponimus Cœlum in sent. Arist. quia tale corpus non posset esse vegetatiuum, quia vegetatio fit in subiecto contrarijs affecto; neque sensitiuum, nam sensatio fit medio calore, & alij primis qualitatibus, quarum non esset capax illud corpus; nec posset esse non viuens, nam esset actus completus subsistens, & esset perfectius animo rationali, quod est impossibile. Tum 2. quia nulla substantia materialis potest produci, quæ non sit capax formæ accidentalis, ergo, & quæ non sit capax formæ substantialis. Tum tandem quia illud corpus non constaret ex materia, ergo materiale non esset.

Respon. de hoc nobis disputandum esse disputat. 2. de Cœlo quæstion. 2. quicquid ergo sit, num tale corpus possit esse viuens, de quo Arriag. citat. dicimus esse posse non viuens, quale modò ponimus Cœlum, nec sequitur perfectius fore animo rationali, quia non esset cognoscitiuum, qui conceptus absolutè perfectior est, quam non dicere ordinem ad compartem. Ad 2. neg. conseq. Angelus enim capax est accidentalis formæ, non tamen substantialis. Ad 3. licet materiale non esset ex eo capite, adhuc tamen esset materiale, quatenus haberet pluralitatem partium integralium, quibus caret spiritus, quo sensu corpus etiam de genere quantitatis materiale dicitur, quamuis non constet ex materia, & forma, de quo plura loc. cit.

Dicimus 2. Principium in facto esse corporis sublunaris esse naturam, vt diuiditur in materiam, & formam, cœlestis verò, vt dicit essentiam, & quidditatem in eo, cuius est. Concl. quo ad 1. partem communis est, & Scot. 2. dist. 15. qu. 1. Prob. Tum quia principia in facto esse corporum sublunarium ea dicuntur, ex quibus ipsa constant, & à quibus internè dependent per realem influxum, in hoc enim distinguuntur à principijs in fieri, talia verò sunt materia, & forma, quia hæc duo tantum illa intrinsecè constituunt, & in eis permanent, priuatio autem recedit; Tum quia si consideremus alias causas, quæ etiam influunt per positiuum influxum in esse compositi, vt est efficiens, & etiam finis secundum communiorem, nequeunt dici principia in facto esse intrinseca corporis naturalis, quia ab extrinseco influunt, & deriuant esse in compositum; Tum quia sicut natura in communi est principium essendi corporis naturalis in communi, ita hæc, vel illa natura principium erit in facto esse huius, vel illius corporis, atque ita natura caduca erit principium essendi corporis sublunaris, hæc verò diuiditur in materiam, & formam; Tum tandem, quia etiam in compositis artificialibus, veluti principia in facto esse non inueniuntur, nisi materia, & forma, vt in statua lignum, & figura, ergo idem erit etiam in compositis naturalibus. Altera verò pars de corporibus cœlestibus probatur ex eo, quòd si ponamus Cœlum corpus simplex, carens materia, & forma, vt tenent Peripateticigrauiores, & in Aristot. via magis versati, cum alioqui sit corpus naturale, nullum aliud principium essendi eidem assignare valemus, nisi naturam in eo

sensu, quo dicitur de quidditate, & essentia rei. Sed quia natura horum corporum inferiorum nobis est familiarior, vt sensibus propinquior, de illa in hac disputatione plura dicemus, vt proportione seruata, hinc manu ducamur in cognitionem, & naturæ cœlestis, & naturæ in communi ad omnia corpora, quæ est intentio, & scopus Philosophi in 2. Phys.

5 Contra hanc concl. obijcitur ex vna parte, quòd materia, & forma non sint principia in facto esse, seu essentialiter constitutiua corporis, seu compositi naturalis, quia compositum naturale, sicut est per se vnum, ita vnum tantum principium illius constitutiuum habere debet, & non plura, & præsertim tam diuersa, sicut est materia, & forma. Ex altera, quòd sint plura duobus, quia præter materiam, & formam, etiam vnio pertinet ad intrinsecam compositi naturalis constitutionem, & manet in composito, ergo sunt tria, non duo principia in facto esse.

Resp. ad 1. ex Scot. 1. dist. 2. q. 7. Hh. multos esse gradus vnitatis in entibus. Primus gradus, qui est minimus, dicitur aggregationis. Secundus, ordinis, quæ vnitas addit aliquid supra vnitatem aggregationis. Tertius est vnitas per accidens, vbi vltra ordinem, est informatio, licèt accidentalis, vnius ab alio, eorum, quæ sunt sic vnum. Quartus est vnitas per se compositi ex principijs essentialibus, ex per se actu, & per se potentia. Quinius est vnitas simplicitatis, quæ est verè identitas; Nunc dicimus, compositi essentiam esse vnam, non vnitate simplicitatis, sed totalitatis, & compositionis in quarto gradu, cui vnitati non repugnat pluralitas, & distinctio partium, immo hoc genus vnitatis per se resultat ex partibus distinctis, atque diuersis, proportionem tamen inter se habentibus, actus, & potentiæ, vt coire possint ad constituendam vnam per se essentiam. Ad alterum dicimus, vnionem partium in composito non posse poni tertium principium in facto esse, quia vnio non est pars intrinseca compositi, non enim dicimus, compositum constare ex vnione, sed tantum ex partibus vnitis; & veluti in causis extrinsecis, approximatio agentis ad passum non dicitur esse distincta causalitas à causalitate efficientis, sed tantum applicatio illius, ita in causis intrinsecis, vnio, quæ se habet veluti approximatio in extrinsecis, non est distincta causalitas, seu distinctum principium à causis intrinsecis, quas vnit, sed tantum applicatio causalitatis illarum, atque ità ad summum concurrit vt prærequisita conditio ad causalitatem principiorum in facto esse; ità Doctor in 3. d. 2. q. 2. F. Sed vrges, hanc respons. saluare solùm, vnionem non posse poni principium compositi in facto esse, non tamen saluat, quòd non sit principium illius saltim in fieri, sicut de priuatione etiam dicimus, non esse principium compositi in facto esse, sed tantum conditionem sine qua non, & tamen postea ponitur principium in fieri. Respon. alia ratione adhuc excludi à numero principiorum in fieri, quia nimirum vnio non habet diuersum principiandi modum à materia, & forma, veluti priuatio, nam vnio, quæ se tenet ex parte formæ, pertinet ad ipsam formam, quia forma non quomodocunque dicitur terminus ad quem, sed vt vnita, & pariter vnio, quæ se tenet ex parte materiæ, pertinet ad ipsam materiam, non enim materia dicitur principiare per modum subiecti, nisi vt est sub forma de nouo, per quam dicitur aliter se habere quam priùs, vt supra dictum est disp. 1. quæst. 4.

QVÆSTIO II.

Vbi nam principia in facto esse habeant rationem causæ; occasione cuius declaratur, quid sit causa in communi, & quid causalitas eius.

6 Rectè determinari non potest, in quibus corporibus principia in facto esse rationem causæ exerceant, nisi prius videamus, quid sit causa physica in communi, & quid causalitas eius. In assignanda formalitate causæ non est magna difficultas inter Doctores, quamuis enim varij varias assignent definitiones, omnes tamen recidunt in vnam, & explicant naturam physicæ causæ, si rectè intelligantur, de quo vide Fabr. 5. Met. disp. 1. At maior est difficultas in declarando, quid sit causalitas seu actualis influxus ipsius causæ, per quem dicitur formaliter causans. Negant aliqui, causalitatem addere aliquid supra entitatem causæ, vel effectus, & asserunt, formaliter dicere virtutem causatiuam causæ, & connotare effectus existentiam, ita Nominales omnes. Alij videntes, vt ipsa experientia docet, multoties manere entitatem causæ, ac entitatem effectus producti, postquam causa desijt influere, & communicare esse effectui, non tamen dici amplius causantem, dixerunt, causalitatem connotare effectum, vel potius esse ipsummet effectum, vt est via, seu vt pendens actu à causa; quam sententiam tenet, loquendo tamen de causalitate solùm fundamentaliter inspecta, Fuentes lib. 2. Phys. q. 4. diff. 4. art. 2. Cœteri communiter contendunt, causalitatem esse modum quendam realem absolutum, solum transcendentaliter relatiuum, ex natura rei modaliter à causa distinctum, natura priorem ipso effectu, vt potè qui per illum accipit esse; volunt itaque, hunc influxum esse re vera quid medium inter effectum, & causam, causa posteriorem, quatenus illi aduenit, vt actus secundus actui primo, at effectu priorem, quia per illum accipit esse; ita Conimb. 2. Phys. c. 7. quæst. 6. Suar. disput. 12. Met. sect. 2. Auersa qu. 21. sect. 2. & alij passim Thomistæ. Scotistæ communiter statuunt formalitatem causalitatis in relatione prædicamentali, quæ inter causam, & effectum de nouo resultat, vnde & fatentur, causalitatem pro formali sequi absolutum effectus; & non præcedere. Solus Pater Sghemma 2. Phys. dig ress. 10. quæst. 5. conatur defendere, in sententia Doctoris influxum causæ efficientis (de hac enim ibi loquitur) non consistere formaliter in solo respectu prædicamentali causæ ad effectum, quem dicendi modum inferius examinabimus, cum de causa efficienti verba fient; & quidam alij quamuis concedant in prædicamentali respectu consistere, adhuc affirmant, hunc respectum natura præcedere effectum, quia est respectus quidam per modum actus secundi, & per modum influxus, ita Nolanus in sua Pinacotheca quæst. 18. quæ fuit opinio Canonici 3. Phys. quæst. art. 1. ad 1. secundæ opinionis, & Bassol. 1. dist. 7. quæst. 4. Rursus Faber. 1. Met. disput. 2. cap. 3. ait causalitatem importare relationem extrinsecus aduenientem.

7 Dicimus primo, sufficienter explicari naturam causæ pgysicæ in communi, si dicamus esse *principium per se positiue influens esse in aliud, cum dependentia huius ab illo*. Concl. ab omnibus recipitur, & Prob. explicando singulas particulas *Principium* ponitur loco generis, quia latius patet quam causa, vt enim aliquid cum omni proprietate dicatur alterius principium, sufficit, vt ad illud hoc habeat intrinsecam aliquam habitudinem adeò vt dici possit per se oriri ab eo, siue hoc sit per se positiuum influxum, siue non: & per influere hic intelligitur idem, quod causare, dare, tribuere, & communicare esse, quod est commune causis omnibus physicis, alioqui in sensu quodam peculiari appropriari solet causalitati efficientis. Additur particula, *per se*, non solum, vt excludantur causę per accidens, quæ impropriè dicuntur influere, ratione scilicet cuiusdam connexionis accidentalis, quam habent cum causa per se, vt monet Doctor 1. d. 2. qu. 2. I. sed etiam conditiones causandi, quæ vtique facere possunt ad facilius, vel citius operandum, vel etiam necessariæ possunt esse ad simpliciter operandum, & tunc dicuntur conditiones sine quibus non, vt approximatio causæ efficientis ad passum, intellectio respectu actus voluntatis; adhuc tamen valdè differunt à vera ratione causæ, quia causa per se, & directè exercet actum causandi, conditio autem tantum concomitanter requiritur, vt nimirum causa suum exerceat actum causandi, ita in calefactione, ignis per propriam virtutem exercet actum calefaciendi, non autem propinquitas, quæ potius se habet veluti conditio requisita. Additur, *positiuè*, ad excludendam priuationem, quæ cum nil importet positiuum, positiuè influere neque in generationem, neque in rem genitam. Additur *in aliud*, quia quidditas in re, cuius est, vt quo dicitur principium essendi illius, influens, & communicans illi rei tale, vel tale esse, vt humanitas esse humanum homini, at quia non distinguitur realiter ab illa, non potest verè dici illius causa physica, quia nihil est causa sui ipsius. Demum ponitur, *dependentia huius ab illo*, ad excludendas diuinas personas, in quibus licèt Filius dicatur generatus à Patre, Spiritus sanctus ab vtroque productus, non propterea Pater dici potest causa Filij, nec Filius cum Patre causa Spiritus sancti, quia non illis communicatur esse distinctum, & diuersum in natura, sed eadem prorsus ac indiuisa natura, vnde, & illud esse non dicitur causatum, sed communicatum tantum. Nam, vt docet Scot. in 1. d. 2. q. 7. ad 2. princ. q. 6. influxus cum dependentia producti, qui dicitur causalitas, exigit, vt esse, quod causa influit, sit saltim numericè diuersum ab esse, quod est in causa, hac enim ratione Deus dicitur independens, quia vt sit, non indiget influxu alterius, à se essentialiter siue specificè, siue numericè distincto, dependentia enim semper infert aliquam naturæ alietatem specificam, vel numericam; quod si ly *aliud* positum in definitione capiatur in rigore, vt dicit alietatem saltim numericam in natura producti à producente, quem accipiendi modum docuit Scot. 1. d. 4. q. 1. & ita accipiunt, Compl. 2. Phys. disp. 8. q. 1. tunc addere non oportebit *cum dependentia huius ab illo*, nisi ad maiorem explicationem, quæ ex vi illius particulæ rigorosè sumptæ sufficienter exprimitur alietas in natura producti à producente, & modus prius influendi causæ, qui secum affert dependentiam rei causatæ à sua causa.

Quæres, quid dicat essentialis conceptus causæ in actu primo? Resp. dicere entitatem ipsam causæ, quatenus potentem causare effectum, quæ quidem potentia in causa dicit relationem transcendentalem ad effectum, vt possibilem ab ea; vnde colligitur conceptum causæ, vt sic, non includere solam entitatem absolutam causæ, sed etiam inuoluere relationem transcendentalem ei realiter identificatam; idque docuit nedum Aristot. 5. Met. 20. dicens relationes secundi modi, quæ sunt causæ, & effectus, fundari super potentiam actiuam, & passiuam, sed etiam Scotus 1. d. 7. quæst. vnic. litt. L. vbi significat, quod virtus absoluta in causa non est ei ratio agendi, nec eam constituit in actu primo, seu potentem agere, nisi includendo respectum transcendentalem ad effectum, & hoc ipsum suadet quoque manifesta ratio, nam causa in actu primo idem sonat, quod causa potens agere, at potentia, & virtus causandi importat directè relationem transcendentalem ad effectum possibilem, ergo, &c. in hoc puncto nullum est inter Auctores diffidium de causa saltim creata.

Sed non leuis est difficultas, num hic respectus transcendentalis sit ad effectum dumtaxat in communi vel potius ad omnes, & singulos in particulari à causa producibiles, itaut si vnus ex his esset impossibilis, causa quoque impossibilis esset. Hæc difficultas communis est potentijs animæ respectu suorum actuum, & obiectorum, in quo sensu in lib.

in lib. de Anim. discutitur, nunc de potentijs physicis discutienda est: Hurt. disp. 8. Phys. sect. 3. & Arriag. disp. 7. sect. 3. secundum affirmant. Alij verò ab eisdem citati opinantur respectum causæ esse solum ad effectum in communi quod idem asserunt se potentijs animæ respectu actuum, & obiectorum, vnde consequenter nolunt ex impossibilitate particularis effectus rectè deduci impossibilitatem causæ; quam opinionem Auctores præcit. acriter impugnant, primò quia ipsi non admittunt præcisiones obiectiuas à singularibus, vnde consequenter hic admittere nolunt aliquam formalitatem abstractam ab omnibus effectibus, vel obiectis, quæ adæquatè respiciatur à potentia animastica, vel causa physica; Deindè quia causa physica respicit terminum, vt producibilem à parte rei, sed terminus vt producibilis est singularis, quia actiones sunt singularium, & ad singularia terminantur, non ad rationes communes, ergo. Item singuli effectus sunt partes termini adæquati potentiæ productiuæ, ergo mutato vno solo, mutatur ordo potentiæ ad illum, sicut in actuali cognitione repræsentante tria obiecta, si alterum deficiat, perit tota cognitio, licet cœtera maneant, ergo causa physica æquè respicit singulos effectus in particulari, ac in communi. Demum à parte rei causa amitteret respectum ad vnum effectum, si talis effectus esset impossibilis, sed ordo ad alios effectus est à parte rei idem cum ordine ad hunc effectum, quia omnes, & singulos respicit per propriam virtutem, & non per aliquid superadditum, ergo cum ordine ad hunc effectum singularem periret ordo ad alios.

8 Pro huius Dubij resolutione notandum est, quod Scotus docet 2. d. 3. quæst. 11. E albedinem, & nigredinem non tantum secundum rationem genericam coloris, sed etiam secundum rationes specificas esse obiecta visus vnde insinuat obiecta prima, & adæquata potentiarum ita constitui debere, non vt commune genus obiectum potentiæ constituatur, vt supponit simpliciter, quia tunc potentia tendere non posset in particularia obiecta secundum rationes specificas, neque vt supponit personaliter pro omnibus, & singulis, quia tunc non haberetur vnum per se obiectum potentiæ specificatiuum, & ratio generica coloris v. g. à visu non esset perceptibilis, sed vt supponit absolutè pro gradu generico, specifico, & indiuiduo obiectorum à potentia attingibilium, vt supra diximus disp. 2. nu. 85. & fusius in libr. de anim. sic in proposito de causa ad suos effectus relata philosophari debemus, quod non dicat respectu ad effectum dumtaxat in communi, vt verbi gratia ignis ad calorem à singulis caloribus abstractum, quemadmodum dicebat optimo secunda, quia calor est ab igne producibilis nedum secundum rationem genericam caloris, sed specificam quoque ac indiuidualem; sed neque ità poni debet effectus suos respicere, vt omnes, & singulos respiciat in particulari, & collectiuè, quasi omnes collectim, & indiuisibiliter sint adæquatus terminus potentiæ causatiuæ, vt asserebat altera opinio, adeout si hic calor v. gr. esset impossibilis, esset etiam impossibilis ignis, licet enim causa non respiciat tantum effectum in communi, sed etiam singulos in particulari ab ea producibiles non tamen respicit hunc, & illum determinatè, sed indeterminatè omnes, & vagè, quod quidem exemplo satis obuio manifestari potest, nauis v. g. est necessaria ad conficiendum iter ad insulam, non tamen hæc, & illa determinatè: sed indeterminatè omnes, & vagè, qua de causa vna naui existente impossibili, non idcircò fit impossibile iter ad insulam, nec perit ordo exigentiæ, quem dicebat ad illas; quamuis enim singulæ essent partes termini adæquati illius ordinis, quia tamen non constituebant terminum illum adæquatum collectim sumptè, sed disiunctim, & vagè, ideò vna naui deficiente, non propterea perit ordo ille, nec iter ad insulam redditur impossibile, sic igitur in proposito causa physica respicit transcendentaliter omnes suos effectus, non tantùm in vniuersali sub communi ratione effectus, sed singulos quoque in particulari, sed sub disiunctione, vndè suppositá impossibilitate vnius effectus, non benè deducitur impossibilitas causæ, dummodo alij sint possibiles; & sic etiam pariter dicendum de potentia materiæ ad omnes formas, quas respicit tam in vniuersali, quam in particulari, quod suppositá impossibilitate vnius formæ, non propterea perit potentia eius, quia singulas respicit sub disiunctione, & non collectim sumptas.

Hinc facilè occurritur argumentis pro 2. sent. adductis. Ad 1. falsum est non dari naturas communes, & precisiones obiectiuas à singularibus, vt diximus disput. 4. Log. qu. 1. art. 1. & ex professo in Met. ostendemus, nec nos asserimus causam respirere tantum effectum in communi. Ad 2. inquit Doctor 3. d. 22. 1. vn. G. rationes quoque communes esse generabiles, & corruptibiles, non quidem proximè, sed remotè, quatenus existunt in singularibus. Ad 3. singuli effectus sunt partes termini adæquati potentiæ productiuæ, non collectim sumpti, sed sub disiunctione, idcircò variato vno solo non variatur potentia in causa intrinsecè, & realiter, sed extrinsecè solum, & per accidens, nec est ad rem exemplum in argumento allatum de cognitione tria obiecta repræsentante, quia talis actus attingit tria illa obiecta collectim sumpta, & non sub disiunctione, & ideo vno ex illis partialibus obiectis mutato perit tota cognitio. Ad vltimum vnus vtique idemque ordo est causæ ad omnes, & singulos effectus ab ea producibiles, sed illos non attingit hic ordo nisi sub disiunctione, & ideò deficiente vno effectu possibili non perit ordo ille intrinsecè, et realiter, quia manet adhuc eadem virtus productiua in causa, sed extrinsecè solum, et per accidens. Dices causam respicere singulos effectus suos etiam cum copulatione sumptos, de singulis enim copulatiuè sumptis verificari potest quod hic est producibilis à causa, et hic rursus, & ille, et sic de alijs, quod idem argumentum de potentia maeeriæ ad formas confici potest, ergo singuli effectus etiam cum copulatione sumpti constituunt terminum adæquatum potentiæ productiuę suæ causæ. Respond. fortè ob hoc argumentum secundam sententiam esse probabilem, quia tunc collectio omnium effectum à causa producibilium esset indiuisibilis, et adæquatus terminus potentię causatiuæ, vnde vno solo mutato, totus mutaretur ordo ad illos, verum cum illorum effectuum collectio non sit certa, ac determinata, quia est syncathegorematicè infinita, sed indeterminata, et confusa, probabilius videtur causam effectus suos in particulari, respicere, vagè, et sub disiunctione, et pariter materiam formas, licet oppositum quoque sua non careat probabilitate ob rationem allatam, quod proinde, vt probabile admittimus de potentijs animæ respectu obiectorum disput. 2. de An. quæst. 4. nu. 54.

Dicimus 2. causalitatem formaliter sumptam necessariò aliquid superaddere entitatibus absolutis causæ, et effectus, hoc autem non est aliquid præcedens naturæ ordine entitatem effectus, et re vera medians inter effectum, et causam, sed est sola relatio causæ ad effectum, vbi talis pullulare nata est, ac proinde natura posterior ipso. Concl. est Scot. in 2. dist. 1. quæst. 2. F, vbi ait, quòd fallit nos imaginatio, dum putamus, relationem causalitatis mediare, veluti viam inter causam, et effectum, quia re vera sequitur, sicut vniuersaliter nulla relatio ponitur, nisi positis extremis, et etiam in 4. dist. 13. quæst. 1. D. vbi simili modo loquitur de respectibus actionis, et productionis, quem Scotistæ omnes sequuntur, Lichet. 2. d. 1. quæst. 1. et qu. 4. et 5. ad argumenta Ocham, Fuentes loc. cit. Vulpes to. 1. part. 2. disputat. 1. art. 5. et alij passim; Prob. quoad omnes partes, & quidem in primis, quod causalitas formaliter sumpta ex natura rei distincta sit ab entitate causæ, & effectus, Probatur, quia etsi loquendo de causalitate fundamentaliter sumpta, idest de principio, & ratione producendi effectum, hoc vtique non distinguatur ab ipsa entitate causæ, quia hæc est virtus absoluta causantis, & dici solet ratio causandi; loquendo tamen de causalitate formaliter sumpta, qua causa constituitur formaliter in actu secundo, & denominatur actu formaliter causans, omninò distingui debet à causa, quia ista causalitas accidit causæ, vt actus secundus actui primo, & causa reperiri potest, & sæpè reperitur sine actuali causalitate.

9 Nec respondere valet, causalitatem importare entitatem causæ, vt connotantem effectum; quia multoties extat causa, & eius effectus in rerum natura, fluxa causalitate, & actu causandi transeunte, vt patet de calore permanente in aqua, vel manu post remotionem ab igne. Nec iuuat dicere, causalitatem connotare existentiam effectus, non quomodocunque, sed in fieri, & conseruari, nam hoc est quod quærimus fieri enim ita ex parte effectus permanentis transit, sicut facere, & causare ex parte causæ, ergo neutrum est omnino idem cum entitatibus causæ, & effectus, quæ permanere supponuntur sine actuali dependentia huius ab illo. Neque adhuc satisfacit responsio Rubion in 2. d. 1. qu. 1. articul. 5. ad 2. tolli posse denominationem, quod effectus fiat, & causa causet absque destructione alicuius positiui, entitatibus causæ, & effectus superadditi; Nec enim Deus modo dicitur creare mundum, nec mundus creari, & tamen nec in ipso, nec in Deo præexistens aliquod positiuum esse definit, ratione cuius, mundus nunc creari non dicitur, nec Deus creare, sed hæc denominatio per hoc solùm ponitur, quod mundus sit nouiter productus, & tollitur sublata tali nouitate, quæ nihil reale dicebat, nec in Deo nec in mundo. Non satisfacit, quia dependentia creaturæ à Deo est illi realiter identificata quantùm ad omne id, quod inuoluit reale, & ratione istius continuæ dependentiæ posset etiam mundus dici modo creari, vt ipse Rubion concedit; at non est talis dependentia cuiuscunque effectus creari à sua causa, potest enim ab ea pendere in fieri, & non in conseruari, quo casu in primo instanti vtique dicetur effectus existere ex vi causæ, at non in tempore sequenti, ergo paritas à Rubione assumpta non valet, immo retorqueri posset ex hoc capite, quod sicut ex hoc, quod dependentia essentialis creaturę à Deo est prorsus à creatura inseparabilis, arguimus identitatem realem eius cum creatura, ita è contra, quia videmus dependentiam effectus à causa creata ab eo separari, existente adhuc effectu, concludere debemus, & huiusmodi dependentiam passiuam in effectu, & actiuam in causa aliquid reale superaddere entitatibus illorum, quod additum, siue dici debeat realiter distinctum, siue modaliter tantum, & vt res à modo quia nequit per se existere separata, vt Recentiores loquuntur, parum curamus, quia hæc est quæstio de nomine, vt diximus in Logic. disputat. 8. qu. 3. art. 1. propè finem ex Scot. 2. d. 1. q. 5. sub D. an ad distinctionem realem inter aliqua duo requiratur, vt vnum possit esse sine alio mutuè, vel potius talis mutuitas necessaria non sit, quod probabilem putamus, quia sufficiens signum realis distinctionis est, quod vnum possit esse sine alio quomodocunque.

10 Immò, quod magis est, nec fundamentaliter etiam causalitas constituens causam actu causantem potest poni effectus in fieri, vt tendit in factum esse, vt aiebat Fuentes loc. cit. citans Doctor. 4. d. 13. qu. 1. §. *Ex dictis &c.* vbi formam in fieri actionem pro materiali vocat,

Tum quia causalitatem fundamentalem etiam in actu secundo statuit Scot. in 2.d.1. q.2. E. illud idem absolutum, quod constituebat causam potentem agere in actu primo, ait enim ibi, quod secundum illud absolutum, secundum quod prius fuit causatiua, est nunc causans & ita etiam loquitur 1. d.7. q. vn. ad 1. & quol. 1. & alibi sæpè. Tum quia etsi Doct. loc. cit. in 4. formam, & effectum in fieri actionem vocet, ibi se declarat, actionem in hoc sensu extendi æquiuocè ad significandam rem actam, quatenus includit respectum essendi ab alio, at res acta, nec etiam fundamentalis actio dici potest, sed potiùs id, quod habet esse per eam; idest per virtutem absolutam causæ, ad quam sequitur immediatè. Tum tandem, quia effectus in fieri est potius terminus ipsius causalitatis fundamentalis, per quam accipit esse, ergo non est causalitas ipsa etiam fundamentaliter sumpta, sed hæc est eadem virtus absoluta causæ, solùm transcendentaliter relatiua, quatenus dicit ordinem ad effectum possibilem, quæ sicut in actu primo est ratio, cur causa dicatur potens agere, ita in actu secundo est ratio fundamentalis, vel formalis remota, vt loquitur Doctor 4. dist. 13. q.1. ad 1. cur dicatur actualiter causans. Quod autem non consistat formalitas causalitatis in modo illo à Recentioribus inuento, medio inter causam, & effectum veluti viam, ac proindè ordine naturæ, effectum præcedente, ita euidenter probatur. Si influxus præcederet effectum saltim natura, & esset medium, & via inter absolutum causæ, & absolutum effectus, vel hoc medium esset substantia, vel accidens; non primum, vt omnes concedunt; non accidens, quia vel absolutum, vel respectiuum; non secundum, quia foret natura posterius fundamento, & termino, & sic posterius absoluto effectus; non absolutum in causa, quia fatentur omnes, hunc modum se tenere ex parte effectus, cum Deus verè causa rerum dicatur sine tali modo; non absolutum in effectu, quia implicat, quod sit accidens inexistens absoluto effectus, & quod natura præcedat ipsum absolutum effectus, cum omne accidens sit natura posterius suo subiecto, & modus posterior re modificata.

Respondent, hunc modum in effectu residere, & esse priorem eo, ac posteriorem in diuerso causandi genere, priorem in genere causæ quasi efficientis, quatenus est via ad illum, & acquisitio eius, posteriorem in genere causæ materialis, quatenus ei inhæret; Sed hæc respon. implicat. Tum quia influxus, & modus iste, cum sit accidens, in nullo instanti potest poni sine subiecto etiam sub ea ratione, qua est via, quia adhuc in hoc sensu est accidens; ergo nullo modo esse potest, quin prius subiectum existat, cum omne accidens à subiecto dependeat. Tum quia si modus ille est prior effectu in genere causæ efficientis, ergo in illo priori existit, quia existentia est conditio præsertim causæ efficientis, & assignari nequit, in quo existat veluti in subiecto.

11 Respondent Scotistæ, qui concedunt, causalitatem esse purum respectum, aiunt tamen, adhuc mediare veluti viam inter causam, & effectum, quod duplex est respectus, quidam per modum actus primi, ac in esse quieto, vt filiatio, æqualitas, & id genus alia, alter per modum actus secundi & fluxus, vt productio, actio, & similia, & quod quamuis omnis respectus primi generis sit naturaliter posterior termino, & fundamento, respectus tamen secundi generis, licèt sit posterior fundamento, est tamen ordine naturæ prior ipso termino, quem producit, seu ad quem est via.

Sed doctrina hæc omninò aliena est à Scoti doctrina, & à veritate; est aliena à Scoti doctrina, siquidem ipse etiam vbi loquitur de respectibus secundi generis, scilicet de actione, productione, causatione, & similibus, dicit, absolutum in effectu immediatè sequi ad absolutum in causa, respectum autem causationis sequi postea, ita loquitur in 2. dist. 1. q.2. E vbi etiam ait, quod fallit nos imaginatio, dum putamus, relationem causalitatis mediare veluti viam inter causam, & effectum, quia sequitur positis extremis, & etiam in 4. dist. 13. q.1. D. vbi similiter loquens de respectibus actionis, & productionis, ait, quod relatio, actualis sequitur extrema in actu posita. Est etiam aliena à veritate hæc responsio, quia destruit naturam relationis, natura siquidem eius est, vt sit habitudo inter duo extrema, ergo nisi sint extrema, non erit hæc habitudo, sicut non potest esse vnio nisi sint partes vnitæ, & vno extremorum deficiente, vnio euanescit. Deinde repugnat, dari relationem, quæ non terminetur ad aliquid, cum esse eius sit ad aliud esse, repugnat, dari relatiuum absque correlatiuo, ergo non est excogitabilis relatio, quæ natura terminum præcedat in fundamento, quia tunc in eo signo relatio intelligeretur esse, nec tamen intelligeretur terminus eius, qui non nisi in posteriori signo intelligitur esse, & fundamentum in eodem signo intelligeretur in esse relatiuo absque correlatiuo, quod non nisi in posteriori signo esse concipitur, cùm tamen relatiua sint simul natura, & naturali intelligentia. Dixerunt aliqui, relationem causationis etiam in eo signo terminari ad effectum, non quidem productum, sed quem actu producit. Contra, quia vel effectus etiam in fieri sequitur causationem ipsam, vel præcedit: si secundum, habetur intentum; si primum ergo in aliquo signo intelligi debet causatio, in quo effectus non intelligitur habere esse, quare in eo ad effectum terminata non intelligetur neque in facto esse, neque in fieri, quia in vtroque sensu ponitur.

12 Ex his demum concluditur, causalitatem formaliter importare respectum causæ ad effectum, vbi talis pullulare nata est. Tum quia causa, vt causa formaliter est concretum relatiuum respiciens effectum pro termino, ergo constitui debet in tali esse per relationem causalitatis. Tum quia effectus formaliter sumptus nil aliud dicit, nisi relationem effectus ad causam, quæ est dependentia passiua, quia formaliter effici aliud non est, quam ab alio dependere in esse, ergo causa formaliter relationem oppositam dependentiæ importabit. Tum quia aliud est inquirere, per quid causa causet, aliud verò, per quid denominetur formaliter causa, quamuis ergo non causet per relationem, vt per rationem agendi, quia relatio non est de genere actiuorum, adhuc tamen potest, ac debet per eam denominari formaliter causans, & influens. Tum tandem quia Deus dicitur causa rerum omnium ad extra formaliter per terminationem essentialis dependentiæ rerum omnium ad ipsum, vt Scot. docet 4. d.12. q.1. ad 2. principale, eò quia non est capax mutuæ relationis correspondentis, ergo in causis creatis relationum capacibus causalitas; earum formaliter in alio consistere nequit, quàm in respectu opposito dependentiæ passiuæ effectus supponit autem tota hæc quæstio, dari in rerum natura relationes prædicamentales, quod fusè in Log. probauimus disp. 8. q.3. Verum hæc relatio, quam importat causalitas non est extrinsecus adueniens, vt perperam putauit Faber 5. Met. disp. 2. c.3. sed intrinsecus adueniens, vt Scot. sæpè docet, & præsertim 4. d.13. q.1. G. & H. vbi respectus productionis, & eductionis, qui important causalitatem efficientem, & materialem; vocat intrinsecus aduenientes quia necessariò consequuntur fundamentum posito termino, & quidem paternitatem, & filiationem, quæ sunt relationes causalitatis, omnes in schola nostra agnoscunt velut intrinsecus aduenientes, & ad quarum prædicamentum spectantes, atque ità nos iam notauimus in Log. disp. 8. q.8. & q.10. art.2. declarando secundum modum relatiuorum, & q. 12. art.2. & rursus infrà dicemus disp.7. q.3. art.1. & ratio à priori est, quia causalitas importat dependentiam actiuam, vel passiuam causæ, & effectus, per quam causa dat esse, & effectus recipit esse, quæ quidem dependentia sequitur necessariò extrema in esse posita, & ideò est intrinsecus adueniens.

Sed contra hanc Concl. primò obijciunt Nominales, præsertim Rubion. loc. cit. probando, causalitatem formaliter sumptam, nihil reale superaddere entitatibus absolutis causæ, & effectus. Tum quia id esset vel absolutum, vel relatiuum; non primum, quia causalitas non potest concipi sine ordine ad causatum; non relatiuum, quia omnis relatio actualis sequitur extrema posita in esse, at causalitas præcedit effectum. Tum 2. quia si est quid reale nouiter adueniens, vtique indigebit alia noua causalitate distincta, vel certè si causalitas seipsa immediatè pendet à causa, idem etiam de effectu dici poterit, cùm effectus in sua ratione includat esse à causa. Tum 3. quia causa est immediatè virtualiter contentiua suorum effectuum, ergo nulla indiget actione media ad eos eliciendos. Tum 4. quia ita omnis creatura processit à Deo, nulla causalitate media inter Deum, & creaturam ab entitatibus eorum realiter distincta, ergo similiter dicendum de causis creatis.

13 Resp. causalitatem pro formali esse relationem causæ ad effectum, nec talis causalitas præcedit effectum, sed tantum causalitas fundamentalis. Ad 2. non indiget noua causalitate, vt sit in rerum natura, quia non dependet à causa vt quod, seu vt effectus, qui ab ipsa sit, sed vt quo, idest tanquam actualis ipse influxus, quo effectus intelligitur fieri: non enim intelligi potest, effectum actu pendere à causa sine aliquo influxu illius causæ, vnde causa dicitur causare causalitate, & non causalitatem, nec est eadem ratio de causalitate causæ, & eius effectu, quia est trita regula in scholis; quòd rationes formales non sunt tales per aliam rationem superadditam, sed se ipsis, sic quantitas non dicitur extensa per aliam quantitatem, sed se ipsa, vnio se ipsa vnita, non per aliam vnionem, & sic de alijs. Ad 3. causa dicitur immediatè continere virtualiter suum effectum, quatenus non requirit aliam formam mediantem in ratione principij productiui, sed non ob hoc excludit actualem influxum, quo dicitur actu causare effectum. Ad 4. non valet paritas assumpta de causa creata, & increata, quia enim illa est incapax relationis, ideò non dicitur causa realis formaliter, nisi per extrinsecam terminationem dependentiæ essentialis creaturæ, & quia dependentia creaturæ à Deo est illi realiter identificata, ideò non dicimus, à Deo pendere per causalitatem realiter distinctam, neutrum reperitur in causa, & effectu creato, quia illa est capax relationis, cum sit finitæ entitatis, & dependentia effectus ab ipsa est ab eo separabilis, cùm existere queat ex vi solius causæ primæ, à qua solùm essentialiter simpliciter dependet, vt ait Doctor. 4. dist. 12. q.1. ad 2. principale.

Secundò arguunt Recentiores vnanimiter probantes, influxum, in quo consistit formaliter causalitas, præcedere effectum, & esse quid medium inter ipsum, & causam, & nullatenus in illa relatione consistere posse. Tum quia causalitas actualis est via, quia effectus acquiritur, & ipsa media dicitur effectus causari etiam secundùm Scot. quæst. vlt. Prol. §. *Contra istud, &c.* vbi inquit, voluntatem elicere praxim media elicitione, & 2. dist. 3. q.6. Y & quodl. 13. art. 3. ait actionem causatiuam esse sui termini, at relatio non est de genere actiuorum, nec prior effectu, ergo non consistit causalitas in tali relatione. Tum 2. quia influxus actualis causæ est ratio fundandi relationem illam prædicamentalem, quæ resultare dicitur posito effectu, siquidem causa ideò refertur ad effectum quia in ipsum in-

influit esse, ergo in relatione consistere nequit, sed in influxu præuio. Tum 3. quia sicut se habet causalitas causę efficientis ad relationem causę efficientis in ordine ad suum effectum, ita res habere se debet in vniuersum in omnibus causis, sed in genere causæ efficientis causalitas est actio, super quam deinde fundatur relatio causæ efficientis ad suum effectum, 5. Met. text. 20. ergo vniuersaliter in omni genere causalitas erit ratio fundandi, vel fundamentum relationis causæ ad effectum. Tum 4. quia Deus realiter influit in creaturas, vero, & reali influxu, & tamen non refertur ad creaturas relatione reali, ergo causalitas formaliter in relatione non consistit. Tum 5. quia secundum actualem influxum causa est prior natura suo effectu, cùm tamen secundum relationem sint simul natura.

14 Respond. ex dictis causalitatem sumi posse fundamentaliter, vel formaliter, quando dicimus, causam media causalitate influere esse in effectum, intelligendum est de causalitate fundamentali, quia re vera causa non causat, nisi mediante virtute absoluta, quæ sibi est ratio agendi, & talis vtrtus præcedit natura effectum, etiam in instanti, quo causat, at si formaliter sumatur, non est verum, nisi in ratione formę denominantis, non autem formæ productiuæ, quia relatio non est actiua, vt docet Scot. 4. dist. 13. quæst. 1. P. quatenus entitas causæ nunquam intelligitur formaliter talis, nisi habita relatione, & in hoc sensu dici potest via ad effectum, & etiam prior effectu, sicut albedo dicitur prior pariete albo, vt sic. Via etiam est duplex ex Doctore citat. altera est medium quo, & est acquisitio ipsa, qua habetur forma, vel effectus, & hæc non præcedit; altera est per quam, vel in quam, & est id, ad quod mobile primò peruenit, vel per quod primò pertransit, antequam ad extremum perueniat, & hæc præcedit, sed talis via non est causalitas, licèt nostra falsa imaginatio etiam ita concipiat in ratione viæ. Ad 2. falsum est, influxum esse rationem proximam fundandi relationem causæ ad effectum, cum enim dicimus, causam referri ad effectum, quia in ipsum influit, ly quia est nota causæ formalis, & sic sensus est, causa dicitur formaliter causans ipso influxu formaliter sumpto, quòd si notet causam materialem, sensus erit, causa est formaliter causans, idest fundans relationem causæ, quia influit, idest quia habet virtutem causatiuam. Ad 3. relatio causę efficientis non fundatur super actionem, sed super potentiam actiuam, & passiuam, & talis est mens Philos. in eo textu, vt ibi Doctor exponit, & in 4. dist. 13. quæst. 1. V. *actiua enim, & passiua* (inquit Philos.) *secundum potentiam actiuam, & passiuam sunt*, addit tamen, & *secundum actiones earum*, quia relationes intrinsecus aduenientes huius secundi modi relatiuorum supponunt actionem, & passionem veluti dispositiones præuias, & conditiones prerequisitas, vt insurgant, ex Scoto quodl. 12. C. nequit enim agens naturale producere formam in materia, & ex vtraque compositum, nisi præcesserit actio alteratiua, & transmutatiua subiecti. Ad 4. non currit paritas de Deo, & alijs causis, & ratio disparitatis assignata est in præcedentis argumenti solutione, quia Deus dicitur causa tantùm per denominationem extrinsecam, formaliter loquendo, hic autem loquimur de causis formaliter talibus per intrinsecam denominationem. Ad 5. secundum actualem influxum fundamentaliter sumptum, causa est prior natura suo effectu, non secundum formalem.

Tertiò antecedenter ad relationem prædicamentalem istam, quæ causam denominat formaliter causantem, ad absolutum in causa sequitur absolutum effectus, ita causa fit de non operante operans, & transit de actu primo ad secundum, sed hic transitus fieri nequit sine aliqua mutatione ex parte causæ, & non potest fieri sine aliquo de nouo, per quod causa aliter se habere dicatur nunc, quàm priùs, quia vniuersaliter transitus de contradictorio in contradictorium præsertim realis, & physicus, non fit sine aliqua mutatione reali, at istud nouum, per quod de causa fit non causante causans, nequit esse relatio, quia loquimur de causalitate fundamentali, ergo erit modus de nouo se ipso à causa dimanans, per quem ponitur in actu secundo. Conf. quia causa in actu secundo aliquid superaddit sibi in actu primo, hoc additum in illo priori signo antecedenter ad relationem nequit esse relatio, vt patet, neque esse potest effectus, quia effectus non est actualis operatio causæ aut exercitium, sed potius terminus talis operationis, ergo erit influxus ille medius inter causam, & effectum, veluti actus secundus, & exercitium causæ. Postremò manet relatio causæ ad effectum, & quia transit influxus, causa non denominatur amplius actualiter causans, ergo causalitas actualis in illa relatione non consistit, Probatur antecedens, quia cum sit relatio intrinsecus adueniens, manet quandiu extrema manent, vt patet de paternitate, & filiatione, hæ namque sunt relationes secundi modi, & relationes causę ad effectus, quia hic fecit, & ille factus est, vt loquitur Philos. 5. Met. 20. & tamen pater non amplius dicitur actualis causa filij, quia non amplius actualiter illi communicat esse, ergo causalitas actualis non consistit in illa relatione prædicamentali, sed in actuali influxu, quo causa actu communicat esse effectui.

15 Respond. operationem causæ non attendi, vel mensurari per instans naturæ, sed per instans temporis, si est momentanea; vel per tempus, si est temporanea, & absolutum in causa non priùs prioritate temporis, sequitur absolutum effectus, quàm relationes mutuæ hinc inde, sed hæc omnia habentur in eodem temporis instanti, quare non potest præscindi relatio ab eo temporis instanti, in quo causa ponitur in exercitio, & in actu secundo, atque ita beuè per relationem nouam dicetur mutari, & aliter se habere modò, quàm priùs, immo & in ipso naturæ signo, quo ad absolutum in causa ponitur immediatè sequi absolutum in effectu, potest notari in causa aliqua variatio, quia vbi in toto tempore antecedenti erat in potentia tantùm remota ad hunc peculiarem effectum ob aliquod impedimentum, vel absentiam passi, vt ait Doctor 1. distinct. 1. quæst. 2. ad 2. principale, in eo signo dicitur esse in potentia proxima, & veluti proximè determinata ad hunc effectum, quæ proxima determinatio in causa habetur ex concursu omnium necessariò requisitorum, quod præsertim locum habet in causis naturalibus; & potentia actiua in tali statu est proxima ratio fundandi relationem prædicamentalem, quæ sequitur deinceps in alio naturæ signo. Ad Confirm. dicimus pariter, causam in actu secundo inuoluere etiam relationem ipsius ad effectum, quia ponitur in actu secundo per instans temporis, non per instans naturæ, sicut & eius operatio non potest minus durare, quàm per instans, & ideò additum illud, per quod dicitur esse in actu secundo, est actualis relatio causæ ad effectum. Ad aliam, negatur assumptum, si enim effectus permanere potest post causalitatem, transeunte ipso actu causandi, quamuis adhuc causa remaneat, non amplius inter hanc, & illam intercedit vera relatio dependentiæ, spectans ad secund. modum relatiuorum, sed tantum mera denominatio extrinseca remanet ex actu causandi preterito, quòd id fecit, & illud factum est, qua ratione negamus in Log. disput. 8. q.10. paternitatem, & filiationem diceres veras relationes dependentiæ post actum generationis præteritum, id enim tantum in diuinis veritatem habet, vbi actus generandi, & paternus influxus in Filium perpetuò manet, quando verò effectus etiam in conseruari à causa dependet, vt lumen à Sole, tunc vtique manet semper mutua relatio causalitatis, & dependentiæ.

16 Dicimus tandem, secundum rem ipsam naturam esse principium in facto esse per modum causæ physicæ in omnibus corporibus, at in sententia Philosophi exercere munus causę solum in corporibus sublunaribus. Conclus. est Scoti 2. dist. 14. quæstio. 1. vbi ait, secundum veritatem corpora omnia, etiam cœlestia constare ex materia, & forma, at in sententia Philosophi solum corpora sublunaria, quod si verum est, vt suo loco probabitur, Conclus. de se patet quo ad vtramque partem, si enim secundum veritatem etiam natura in Cœlo diuiditur in materiam, & formam, cum ista sunt principia in facto esse corporis compositi per modum verę causę physicę materialis, & formalis, etiam natura in Cœlo erit principium in facto esse per modum causę physicę, at si Cœlum est corpus simplex, carens materia, & forma, & habens naturam, vt quidditatem, & essentiam, manifestè sequitur, naturam in eo non esse principium essendi, & in facto esse per modum causę physicę, quia vbi causa est realiter causa, hoc est, realiter causat effectum, omninò debet esse effectus aliquid preter causam & aliud a causa, hac enim ratione causa dicitur influere in aliud: at constat, naturam sumptam pro essentia, & quidditate rei, non ita distingui, posse à re, cuius est quidditas, & ideò cum in hoc tantum sensu natura sit in Cœlo secundum Philosophum, non potest asseri in eius sententia, esse principium in facto esse illius per modum causę intrinsecę, poterit solùm cogitari quidam modus causalitatis per rationem, eo modo, quo inter ea, quę à parte rei idem sunt, vnum concipimus sequi ex alio, & vnum communicare esse alteri, sic dicere solemus, humanitatem communicare homini esse humanum, & humanitatem esse principium essendi, & constitutiuum ipsius hominis. At in sublunaribus, vbi natura verè habet rationem partis materialis, et formalis, quia in eis secernitur in materiam et formam, habebit rationem verę causę, et exercendo veram causalitatem physicam, isthęc corpora constituent, et quia hęc preserim pre manibus habemus, de principijs in facto esse istorum, quę habent rationem causarum intrinsecarum, deinceps disputabimus, de causis enim agere spectat etiam ad physicum, quatenus concurrunt ad constitutionem corporum naturalium.

QVÆSTIO III.

Quid causent materia, & forma, & per quid.

17 SEnsus est, quinam, et quot sint effectus materialis, et formalis causę, et per quid causent huiusmodi effectus, an se ipsis, num potius per aliquid ipsis superadditum. Circa primam quęst. partem Albert. 2. Phys. tract. 2. et Maior 2. dist. 12. qu. 1. quos sequitur Fuentes, 2. Phys. qu. 3. diffic. 2. et Faber 5. Met. disput. 2. cap. 3. asserunt, materiam, et formam propriè esse causas solius compositi, cuius sunt partes intrinsecę, et principia in facto esse. Suarez in Met. disput. 13. sect. 6. ponit effectus materiæ, compositum, formam materialem, vnionem formę cum materia, et generationem compositi. Conmbr. 2. Phys. c. 7. quęst. 7. art. 1. addunt, etiam animam rationalem esse effectum materię, quia licèt non educatur de potentia eius, in informatione tamen pendet à materia. Sghemma digress. 12. quęst. 1. Auersa qu. 12. sect. 2. negant, vnionem, et generationem esse propriè effectus materię, concedunt alij. Formę verò

verò ibidem præter compositum assignat Auersa pro effectibus proprijs denominationem subiecti à forma, qui dici solet effectus primarius,& positiuus eius, ac expulsionem alterius formæ ab eodem subiecto, qui dici solet effectus secundarius,& negatiuus. Circa alteram quæsiti parrem Thomistæ passim aiunt materiam,& formam præfatos causare effectus per suas proprias entitates; Scotistæ verò asserunt causare proximè per aliquid superadditum, saltim ex natura rei distinctum, quod in materia sit potentia eius passiua ad formas,& in forma aliquid instat potentiæ actuandi. Et Auerroistæ facientes quantitatem coæuam materiæ, vt sit idonea ad recipiendas formas, consequenter dicunt proximam rationem causandi in materia esse quantitatem.

ARTICVLVS I.

Recensentur effectus causæ materialis.

18 DIcimus, quatuor esse, quæ à materia causari possunt propriè generationem compositi, vnionem eius cum forma, formam materialem,& compositum ipsum. De generatione,& vnione videtur concedere Doctor in 2.d.1.qu.5.S. & planè negari non potest. Tum quia materia est principium generationis in ratione mutationis per modum subiecti,& etiam est subiectum propriæ vnionis, quæ nectitur formæ,& in ipsa, veluti in subiecto, sustentantur, ac in esse dependent huiusmodi formæ relatiuæ, itaut ex natura sua existere, & conseruari non possint, nisi dependenter ab ea, ergo propriè à materia causantur, quia causalitas materialis consistit in tali dependentia formæ ab ea, vt sine ea naturaliter fieri, & conseruari non possit, vt posteà dicemus; Tum quia omnes formæ accidentales, tam absolutæ, quàm relatiuæ, petunt subiectum, à quo educantur, & pendeant in suo esse, fieri, & conseruari, ergo similiter generatio, & vnio. Tum quia generatio ita fit in materia, vt non possit fieri, nisi in illa. Tum quia, vt Sghemma ipse concedit, generatio, & vnio non sunt ex nihilo, & ideò sunt in materia, & eius causalitatem participant, & quamuis non admittant materiam, ex qua componantur, exigunt tamen necessariò materiam, in qua recipiantur,& ex qua educantur. Tum tandem quia si materia est principium, & causa compositi in fieri, iam quoque fatendum est, esse principium, & causam generationis eius, notanter verò diximus, esse causam materialem propriæ vnionis, qua nectitur formæ, quia duplicem nos astruimus vnionem, alteram ex parte materiæ, alteram ex parte formæ, & ambas putamus necessarias, vt materia, & forma intrinsecè vnita dicantur; si enim vna tantum asseratur vnio sufficere, & hæc se tenere ex parte formæ,& ad materiam terminari cum Suarez, sanè defendi non potest, huiusmodi vnionem à materia pendere in genere causæ materialis, cùm in ipsa nec recipiatur, nec sustentetur, sed in forma; quòd verò ad materiam terminetur, hoc non facit ipsam à materia pendentem, vt à subiecto in quo, sed vt à termino ad quem, quæ habitudo omninò impertinens est ad causalitatem materialem.

10 Quòd verò materia exerceat adhuc magis propriè causalitatem suam respectu formæ materialis, & compositi, tam in fieri, quàm in facto esse, manifestè docuit Philosoph. 1. & 2. Phys.& Doctor 2.d.12. q.1.C, & d.1.q.5.S.& 4.d.13.q.1.sub B, & alibi sæpè,& Prob. Tum quia vtrunque fit ex materia suo modo, in qua habitudine, *ex quo aliud*, consistit formaliter, vt postea dicemus, causalitas materialis, forma quidem tanquam ex subiecto, compositum tanquam ex parte intrinseca potentiali, & nedum pendent ab ea in fieri, sed etiam in conseruari, quia & forma materialis sustentatur cum continua dependentia à materia, velut à subiecto, & compositum conseruatur cum continua dependentia essentiali à materia velut ab altera comparte. Tum quia verè materia influit in esse formæ, & compositi, in illam veluti subiectum ex quo, in istud velut pars ex qua, & si necessario non influeret, posset agens naturale, & formam creare, & totum sine partibus constituere. Tum tandem, quia formæ materiales omnes, vt superius dictum est, educuntur de potentia subiecti, & materia est pars etiam quidditatis ipsius compositi materialis; dici etiam debent hæc duo effectus distincti ipsius materiæ. Tum quia sunt entia diuersa, forma & compositum: Tum quia diuerso modo fluunt, seu causantur à materia, forma enim fluit à materia vt à subiecto, ex quo educitur, & compositum tanquam à parte potentiali, ex qua constituitur; Conclusio autem restringatur ad formas materiales, quia ipsæ solæ educuntur de potentia materiæ, & ab ea pendent in fieri,& conseruari, quo sensu non pendet anima rationalis à corpore.

Nec valet dicere cum Conimb. saltim à materia pendere, vt à terminio sui esse, ad quem essentialem habitudinem habet, vnde naturaliter non debetur illi esse, nisi in materia; Tum quia hoc est absolutè falsum, cum naturaliter etiam extra corpus existat vt in libr. de Anim.dicimus disput. vlt. Tum quia si id etiam concedatur, hæc dependentia à corpore non erit à priori, veluti à causa, sed à posteriori, veluti à conditione necessaria pro suo esse naturaliter perfecto, quod tamen non infert veram causalitatem materialem respectu eius, sed solam connexionem necessariam naturalis exigentiæ, adhoc, vt ipsa habeat esse omninò perfectum naturæ, quemadmodum dicimus etiam naturale compositum ab aliquibus formis accidentalibus pendere sibi necessarijs pro eius naturali conseruatione. Nec minus potest ex hoc inferri, animam, saltim quo ad informationem, à materia pendere in genere materialis causæ; quod enim vnio animæ fit ad materiam, non sufficit ad inferendam materialem causalitatem respectu eius, quia respicit materiam, vt terminum ad quem, non vt subiectum ex quo, & est ad materiam, non est in materia; quare materia respectu illius ad summum eam causalitatem exercere potest, quam habent cœteri termini respectu relationis.

20 Sed contra obijcies; Tum quia generatio, & vnio sunt relationes, relatio autem non pendet ab extremis in genere causæ materialis, sed vel efficientis, vel formalis. Tum 2. quia causalitas est respectu eius, quod propriè fit, generatio autem est via, vt aliquid fiat, & vnio est medium, quo aliquod factum est, & constitutum ex partibus. Tum 3. quia vnio respicit materiam, vt ad quam copulat formam, non vt ex qua, vel in qua, cùm tamen in hac habitudine, non in illa materialis causalitas consistat, & est causalitas ipsa materiæ, qua causat formam, & compositum. Nec etiam forma videtur esse posse effectus materiæ. Tum primò, quia materia est causa intrinseca, est enim id, ex quo aliquid fit, cùm insit, at non ita se habet respectu formæ, sed tantum compositi. Tum 2. quia materia est vna causa, ergo vnus tantùm effectus sibi correspondebit in tali genere, & hic erit compositum. Tum tandem, quia quamuis hæc omnia à materia causarentur, hoc totum fit in ordine ad compositum, & propter compositum, & ideò non debet augeri simpliciter numerus effectuum materiæ, quia vbi est vnum propter aliud, ibi est vnum tantum. Nec tandem videtur esse causa compositi, quia materia est causa per modum subiecti, at respectu compositi nequit esse subiectum. Insuper causa distinguitur realiter ab effectu suo, at materia non distinguitur realiter à composito, si ponitur eius pars essentialis,

Respond. relationes prædicamentales esse in fundamento, etiam tanquam in subiecto, cui inhærent, & ex cuius potentia educuntur, quare pendent ab eo, etiam in genere causæ materialis. Ad 2. licèt generatio, & vnio viæ sint, & media ordinata ad compositum constituendum, non proindè subterfugiunt rationem effectum materiæ, sicut etiam dicimus de forma, quæ fit vt terminus partialis, & quo; Ad 3. nec generatio, nec vnio sunt causalitas materiæ, qua compositum causat, vt sequenti quæst. videbimus (nisi fortè per generationem intelligatur habitudo, qua aliquid ex alio componitur) neque qua causat formam & quando enumeramus vnionem inter effectus materiæ, non loquimur de vnione, quæ formæ insidet, sed quæ insidet materiæ,& hæc vtique respicit materiam, vt subiectum, in quo est, & ex quo educitur.

21 Ad id de forma dicimus, ipsam quoque esse effectum materiæ vt benè Zerb. notat 7. Met. quæst. 3. 8. *propter tertium*, quia respicit eam vt subiectum, ex quo fit, dicitur verò materia causa intrinseca respectu compositi, & gratia compositi additur in definitione materiæ ly, *cum insit*, quia etiam formam respicit propter compositum. Ad 2. ad hoc, vt vnitas materialis causæ saluetur, sufficit, vt tam respectu formæ, quam respectu compositi consimilem habeat habitudinem causandi, ex quo aliud tanquam ex subiecto, vel educitur, vel constituitur. Ad 3. quamuis generatio, vnio, & forma sint ad constitutionem compositi ordinata, non propterea dici debent vnus effectus, quia sunt effectus ex natura rei inter se distincti, sed solùm inferri potest vnitas ordinis; & quod compositum sit primarius effectus materiæ, prioritate intentionis, & dignitatis, licèt prioritate executionis prius intelligantur causari, quæ ordinantur ad ipsum; verum tamen est, quod si cum Recentioribus concederemus, generationem, & vnionem esse ipsam materiæ causalitatem in ordine ad formam, & compositum, propriè loquendo, duo tantum forent effectus materiæ, scilicet forma, & compositum, causalitas enim non dicitur effectus comparatione illius, cuius est causalitas, vt actio non dicitur agentis, sed actus ipse, quo agens producit effectum.

Ad vltimum de composito dicimus, ipsum etiam esse effectum materiæ, qua licèt materia respectu eius non sit subiectum sustentans, est tamen subiectum, ex quo aliquid fit, cum sit, per modum partis potentialis; & realiter distinguitur à suo effectu, nimirum composito, licet maneat in ipso per modum causæ intrinsecæ, vt fusius infra contra Recentiores. Arriag disp.8. sect.1. inquit, difficile probari posse causalitatem materiæ in formam, hanc enim auspicamur ex eo, quod aliquæ formæ naturaliter nequeant sine subiecto conseruari, quod non conuincit subiectum illud debere causare materialiter prædictas formas, anima enim rationalis in primo instanti suæ creationis, naturaliter loquendo, nequit esse extra materiam, & tamen in illo instanti causatur à materia. Sed iam disput.2. qu.7. art.2. fusè ostendimus adeò necessariam esse dependentiam formæ materialis à materia, & à priori, vt nedum ab ea pendeat, velut à conditione concomitante, sicut anima rationalis à corpore, sed velut à vera causa per modum præiacentis subiecti, adeò vt ex eius necessaria à materia dependentia, optimè arguatur causalitas materiæ in formam; vide dicta ibi.

QVÆ-

ARTICVLVS II.

Recensentur effectus causæ formalis.

22 DIcimus, varios, ac diuersos effectus formales formæ assignari solere, inter quos primus primitate intentionis, ac dignitatis est compositum substantiale; nam si ponebatur effectus materiæ, eò, quia concurrit per modum partis potentialis ad eius constitutionem, tantò magis effectus formæ iudicari debebit, quo illi tribuit esse specificum, & completum intrinsecè, veluti pars dignior, & principalior quidditatis eius, vt docet Scot.3. dist.22. qu. vn. Sed qua illud idem esse specificum, & determinatum, quod habet intrinsecè, & essentialiter compositum à forma, vt homo esse animatum ab anima, habet etiam materia extrinsecè, & denominatiuè, quia etiam corpus pro altera parte hoc modo dicitur animatum, qua ratione dicitur actuari, & compleri per formam, vt docet Scot.2.dist.8.quæst.4.X. & 4.dist.13.quæst.1.F. Alter effectus tribui solet formæ, & quidem prior composito prioritate executionis, & est esse formatum, & completum ipsius materiæ, quæ actuatio, & completio necessariò præcedit constitutionem compositi, vel vt causalitas eius vel certè, vt quid necessariò prærequisitum, & quidem materiam in hoc sensu esse effectum formæ, negari non potest quamuis enim subiectum, vniuersaliter loquendo, formæ præsupponatur, & ideo suam existentiam simpliciter ab ea non recipiat, qua ratione superiùs probatum est, materiam suam existentiam non meutione indicare à forma contra Thomistas; tamen quatenus affectum, & informatum tali forma pendet à tali forma, & ab ea esse tale, vel tale cognoscit, & vt sic causatur à tali forma, & à tali forma constituitur in esse; communicat autem hoc esse materiæ media informatione, seu vnione sui ad subiectum; quare cum ista vnio, & informatio sit causalitas ipsa, qua causat materiam in esse tali, non est recensenda inter effectus formales formæ, sicut nec actio recensetur inter effectus formales agentis,& ad hunc effectum reuocari debet limitatio illa, seu determinatio, quam forma materiæ præbet per informationem, & aliqui enumerant, velut effectum distinctum ab actuatione. Solet autem hæc denominatio subiecti à forma appellari effectus formalis primarius,& positiuus,ad differentiam alterius effectus eiusdem formæ secundarij,& negatiui, qualis est expulsio vnius formæ ab alia ab eodem subiecto; quando enim vna forma expellit aliam à subiecto sibi incompossibilem,hæc expulsio fit in genere causæ formalis, vt docet Doctor 4.d.1.qu.5.sub F. & sequuntur Recentiores omnes, non autem in genere causæ efficientis, vt putauit Scotus 2.Phys.qu.4. hæc enim forma expellit illam ab eodem subiecto, media sua informatione; sed quod fit à forma media sua informatione dicitur ab ea pendere in genere causæ formalis; expulsio autem actiua velut effectus in genere causæ efficientis spectat ad agentia introducentia formas incompossibiles in subiecto; generationem denique etiam à forma pendere in genere causæ formalis, vt à termino ad quem concedunt omnes.

23 Sed obijcies in oppositum, quòd non benè assignentur effectus causæ formalis, nam in primis negatur existentia materiæ à forma pendere in genere causæ formalis cum tamen verissimum sit, materiam talis esse naturæ,vt nequeat esse in rerum natura,nisi sub forma, ex alio cap. esse completum, & formatum ipsius materiæ assignatur pro effectu formali, cum tamen hoc esse formatum, & actuatum aliud non sit, quam ipsa forma communicata materiæ, at nihil potest esse causa sui ipsius, ergo denominatio subiecti à forma propriè effectus formalis dici non poterit. Immo neque compositum videtur rectè assignari effectus eius quia effectus non est nobilior sua causa, sed compositum est nobilius forma, cum eam contineat, & aliquid aliud.

Respond. quod licet materia nequeat naturaliter esse sine forma, adhuc tamen hæc indigentia saluari potest sine causalitate, nimirum vt sit dependentia à posteriori, tanquam ab aliqua conditione, quam naturaliter coexigit, vt cum ea veluti comparte, compositum constituat, ad quod est naturaliter ordinata iuxta dicta, disput.2.quæst.3. art. 1. Quomodo autem effectus formalis denominationis in subiecto deriuatæ à forma distinguatur, non est spernenda difficultas; vt aliquam distinctionem inter illum & formam astrueret Vasq.to.1.in 3.p.disput.19.nu.26. dicit, ex forma substantiali deriuari in materiam quoddam esse substantiale distinctum à forma, & à modo, seu vnione, qua forma est in materia, quia vnio est quid relatiuum, at effectus formalis debet esse quid absolutum simili formæ, alioqui forma daret formaliter esse sibi oppositum; & hac ratione humanitas (ait Vasq.) non est forma Verbi, nec è contra, quia licèt sit vnio substantialis inter ea, non tamen dat hoc esse distinctum à forma, sed tantum vnit vnum cum alio sine informatione.

At hæc opinio singularis est quam benè refellit Scot. 8. Met.quæst. 4. & Arriag.disput.5.Phys.nu.8. contra communem, quæ hunc effectum formalem formæ, de quo loquimur, non facit entitatiuè distinctum à forma existente in subiecto, & quidem in pariete albo, vt sic, nihil aliud inueniri potest, quam albedo cum vnione ad parietem, & quoad hoc eadem est prorsus ratio de forma accidentali, & substantiali: solent igitur distingui est, formalis, & forma, vt notat Auersa loc. citat, sicut concretum, & abstractum, nam causa sumitur secundum se, vt anima, at effectus, vt includit vnionem, scilicet esse animatum, qua ratione Auctor sex principiorum posuit in prædicamento habitus album esse, & quantum esse, quia nimirum concreta harum formarum includunt etiam vnionem earum ad subiectum, quam pertinere ad prædicamentum habitus probabiliter diximus in Log. vnde quamuis effectus formalis resultans ex forma in materia sit quid absolutum secundum denominationem, verè tamen includit aliquam relationem, quia parietem esse album aliud non est, quam ipsum habere albedinem, quæ habitio est relatio de prædicamento habitus; humanitas verò licet sit vnita hypostaticè Verbo, non tamen inter illa est vnio per informationem, & ideò nec humanitas est forma Verbi, neque è contra, vt docet Scot. 3.d.1.quæst.1. quare autem munus denominandi potius formæ,quam subiecto conueniat, iam dictum est disputat. 3. quæst. 3. nu.37. hinc factum est, quod inter effectus formalis causæ recenseatur. Compositum denique optimè statuitur effectus formæ, quia propositio illà, quòd effectus nequit esse nobilior causa, vt notat Scot. dist. 3. quæst.10. infra I. est vera de effectu alicuius, vt causæ totalis, non partialis, vt est forma respectu compositi, quia possibile est, effectum alicuius causæ partialis excedere suam causam partialem, hunc enim excessum habere potest ab alijs causis cum illa partiali concurrentibus.

24 Secundò obijcitur, quòd expulsio vnius formæ ab alia in eodem subiecto non sit effectus eius formalis, cum potius ab ea procedat in genere causæ efficientis; Tum quia hæc expulsio fit à forma causando negationem oppositæ formæ in subiecto, at hęc causatio negationis videtur effectiua. Tum 2. quia expulsio hæc potest à Deo impediri, at non effectus formalis. Tum 3. quia ita duæ qualitates se ab eodem subiecto expellunt, sicut duæ quantitates ab eodem spatio, vt ait Doctor 4.d.1.q.5. F, at vnum corpus aliud expellit à spatio in genere causæ efficientis. producendo in eo motum impulsiuum. Tum 4. quia si forma expellit aliam solùm se ipsam collocando in subiecto, & sic se ipsa immediatè oppositam excludendo absque productione alterius effectus distincti, calor v.gr. frigus, vel expellit illud, quando est in subiecto, vel quando non est in eo; si primum ergò simul sunt in eodem subiecto frigus,& calor; si secundum, ergo nihil erit in subiecto expellendum, ergo præstat dicere, quòd calor expellat frigus per aliquem effectum à seipso distinctum, & frigori impressum ad instar impulsus, quem corpus expellens imprimit corpori expellendo. Tum tandem quia nulla reddi potest conuincens ratio, cur expulsio hæc dici potius debeat effectus formalis, quam effectiuus.

Respon. negationem formæ oppositæ oriri in subiecto ex sola positione formę nouę, & ideò ab ea solùm in genere causę formalis prodire. Ad 2. quando dicitur effectus formalis à Deo in impedibilis, hoc intelligi debet de effectu formali primario, & positiuo, qualis est denominatio subiecti à forma sibi vnita, non de effectu negatiuo, & secundario,qualis est ista expulsio. Ad 3. exclusio vnius corporis ab eodem spatio facta ab alio est formalis,non effectiua, cùm fiat ratione quantitatis, quę non est forma actiua, & quamuis in expulsione corporum quandoque efficientia interueniat, & motus ille impulsiuus,id certè non oritur ex ipsis quantitatibus, aut occupatione loci, & vbicatione, sed ex virtute motiua innata corpori, vel aliunde impressa.

Alia difficultas petit solutionem illius quęsiti, An sit prior introductio nouæ formę, vel expulsio antiquę; de quo licet ex professo agamus disp.5. de Gen.& Cor.qu.4. nu.106. vt in proprio loco, adhuc tamen libet hic nonnulla cursim tangere pro argumenti solutione; dici solet, vtranque esse priorem secundum diuersas rationes, & in diuerso genere causæ, vtrunque enim dicimus, et formam priorem expelli,quia noua aduenit,et nouam aduenire,quia prior recedit; quare vt ambę istę causalitates verificentur, oportet dicere, introductionem formę nouę esse priorem in genere causę formalis, et expulsionem antiquę esse priorem in genere causę materialis, et dispositiuè, quod declarant exemplo venti fenestram aperientis, et aulam ingredientis,nam in genere causę efficientis prior est ingressus venti, quàm aperitio fenestrę, sed in genere causæ veluti materialis prior est aperitio fenestrę.

25 Sed absolutè dicendum est, introductionem formę nouæ priorem esse natura expulsione antiquæ, Tum quia absolutè hæc causalis est vera; ideò antiqua forma expellitur, quia noua aduenit, non è contra. Tum quia cum hæc expulsio fiat à forma in genere causæ formalis ex Doctore loc.cit. & quælibet forma in causando debeat præsupponi existens, vtique forma noua in subiecto præexistens, supponi debet. Tum tandem quia cum hæc expulsio dicatur effectus secundarius formæ, debet necessariò præsupponere primarium, nempè introductionem formæ in subiecto, & implicabit intelligere effectum hunc secundarium, etiam in genere causæ, ante primarium, quia hic effectus, absolutè loquendo, supponit primarium, & à primario procedit, & quando causæ comparantur non ad inuicem, sed ad communem effectum, simul natura causant, & non vna prior altera, vt docet Scot.2.dist.37. V. & planè intelligi nequit, expulsionem esse dispositionem præuiam ad formæ introductionem,à qua ipsa procedit; & denique exemplo illud venti fenestram aperientis, et aulam intrantis, ostendit illius modi dicen-

dicendi vanitatem, distingui enim debet, vt notat Auersa q.10.sect.5. in fine impulsus venti in fenestram, & ingressus in aulam, sic enim videbimus, non ingressum aperire fenestram, sed impulsum; & ingressum postea sequi fenestræ aperitionem, alioqui intelligi non potest, quomodo idem omninò ingressus venti præcedat, & sequatur fenestræ aperitionem.

Quamuis igitur introductio nouæ formæ, & veteris expulsio fiant in eodem temporis instanti, eum hoc tamen stat, quod introductio nouæ sit prior expulsione prioritate naturæ, & causalitatis formalis; nec sequitur, materiam habere simul duplicem formam, quia in eodem instanti temporis incipit vna forma, & alia desinit; neque per instans naturæ mensuratur existentia formæ, nam per ordinem, & prioritatem naturæ explicatur solùm dependentia posterioris à priori; vel talis præsuppositio vnius ab alio, vt illud concipi possit, isto non concepto, vt diximus in Log. disput.9.quæst.2. art.1. atque ita est in proposito, quod expulsio veteris formæ, dependet ab introductione nouæ, & introductio istius concipi potest, non expressè concipiendo expulsionem illius; at non è contra, & Aduersarij ipsi hoc fateri coguntur, quia cum secundum eos expulsio præcedat introductionem formæ in genere causæ materialis, in illo priori naturæ vrgere possumus, quod materia sit denudata omni forma, sicut contra nos vrgetur, quod in illo priori introductionis formæ duplex forma sit in subiecto: Hanc respons. amplectitur quoque Fuentes 2.Phys.diff.2.art.4. cui addit, quod simul esse nequeunt duæ formæ in facto esse, & completo, benè tamen vna in fieri, scilicet quæ producitur, & alia in facto esse, scilicet quæ expellitur; quod additum est falsissimum, & contra omnem Philosophiam vt disput. 4.num.31. ostensum est, quia priuatio nequit stare cum forma, nec in fieri, nec in facto esse, at vna forma secum defert priuationem alterius.

Postremò falsum est quod vltimò addebatur in argumento principali, nimirum assignari non posse rationem, cur hæc expulsio dicatur potius formalis effectus, quàm effectiuus, nam illa causa dicitur expellere formam à subiecto effectiuè, quæ producit formam in subiecto cum ea incompossibilem, quia ex vi causalitatis effectiuæ fit aliquid distinctum; sic calor existens in igne est causa expulsionis frigoris in aqua mediante calore, quem in ea producit; at forma, quæ non per productionem alterius effectus distincti, sed immediatè per se ipsam in subiecto collocatam, excludit aliam, dicitur expellere formaliter, & ita calor existens in aqua dicitur ab ea frigus expellere, & talis expulsio dicitur effectus eius formalis. Et per hoc soluuntur quæ obijcit Rubion 2.d.12.quæst.4.art.2. contra ordinem à nobis statutum inter introductionem nouæ formæ, & expulsionem antiquæ, ex hoc enim duo sequerentur absurda (ait ipse) vnum est, quod forma proposita, & opposita in aliquo instanti essent simul, si illa prius introduceretur, quam ista expelleretur; alterum est, quod nunquam vnum, & idem agens esset generans, & corrumpens quia si ignis agit in aquam, & forma aquæ expellitur à forma ignis introducta in passo, non esse formæ aquæ, sequitur immediatè, non ad actionem ignis generantis sed formæ in eodem passo introductæ. Hæc argumenta procedunt ex falsa imaginatione Rubion, quod idem instans, in quo vna forma incipit, & alia desinit, vt vtrique formæ intrinsecum, & quod vna forma aliam expellat ab eodem subiecto in genere causę efficientis per aliquam actionem, quam exereeat in eam, eo modo, quo clauus clauum trudit, quod est prorsus falsum, vt constat ex dictis disp.4.q.4.n.32.

26 Tertiò obijcitur, quia non benè negari videtur, vnionem formæ ad subiectum esse effectum eius formalem; nam si vnio, quæ se tenet ex parte materiæ, est effectus materialis illius, vt dictum est, cur illa, quæ se tenet ex parte formæ, non erit pariter effectus eius formalis? Et quando non ponatur effectus eius in genere causæ formalis, debet saltim admitti in genere causæ efficientis, casu, quo applicaretur materiæ sufficienter pro ea dispositæ, vnde inquiunt Conimb. quod si Deus per miraculum corpus iam extinctum iterum disponeret ad animæ receptionem anima se ipsa, & propria virtute se illi vniret, quod probatur; Tum quia anima inclinatur naturaliter ad tale corpus perficiendum, vltimò dispositum, ergo necessariò, præcisa omni alia virtute, sequitur informatio illius corporis, nam ad totalem, & vltimam dispositionem sequitur necessariò illud, ad quod facta fuit dispositio. Tum 2. quia anima separata agit, & principium agendi esse potest, ergo & sibi informationem facere. Tum 3. quia poterit propria virtute facere se præsentem intimè corpori sit dispositio, sed anima sic præsens non videtur impediri posse ab actu proprię inclinationis. Tum 4. quia circa materiam dispositam, præcisa omni extrinseci agentis actione, non est minus potens causa formalis ad præstandum suum concursum, quam causa effectiua ad suum, ergo sicut hęc præciso omni alio circa illam materiam præstat suum concursum, ita causa formalis, & maiori ratione, quia in genere causæ formalis non potest reperiri virtus suspendendi concursum, vt reperiri potest in genere causę efficientis. Tum 5. quia non minus necessariò effectus, & causalitas formalis à sua causa fluit, quam passiones ab essentia. Tum tandem quia si aliqua actio ex parte agentis extrinsecè desideratur, videtur in tali casu sufficere actio dispositiua. His rationibus moti Henr. Riccardus, Varro, Conimbr. & alij, tenent, vnionem posse esse effectum formę in genere causę efficientis, addunt tamen, hinc non sequi, naturaliter fieri posse hominum resurrectionem, quia non potest naturaliter idem corpus redire cum eisdem dispositionibus.

27 Respond. vnionem, quę se tenet ex parte materiæ, poni effectum eius, quia non est eius causalitas nec in ordine ad formam, nec compositum, at vnio ex parte formę, seu informatio est causalitas formę in ordine ad materiam, vt quæstion. sequenti. Et cum dicitur, saltem debere poni effectum eius in genere causę efficientis.

Respond. hanc difficultatem petere solutionem illius quęsiti, Num forma propria virtute vniri possit materię pro ea dispositę, cui Doctor negatiuè respondet 4.dist.12. quęst.1. sub Q, & ex professo probat 4.dist.43. quęst.3. O. Tum quia 2. Phys.71. forma, & efficiens, licet coincidere possint in idem specie, non tamen in idem numero. Tum quia causa totalis, præsertim æquiuoca, est nobilior suo effectu, compositum verò nobilius est, tum corpore, tum anima, ergo non potest ab anima prouenire, propria virtute se vniente ad corpus, quia non videtur, à quo possit sumi excessus compositi super animam, & corpus. Tum quia licet causa quęlibet naturalis sit naturaliter inclinata ad proprium effectum præstandum in proprio genere, ita vt in eo nullo alio indigeat ad exeundum in actum, nihilominus indiget alijs causis in diuerso genere, vt patet de igne, qui quantumuis dispositus sit ad proprium effectum producendum, non tamen illum ponit in esse, nisi adsit concursus materię, approximatio, & cœtera requisita. Tum quia diuersę sunt aptitudines ad informandum, & ad efficiendum, neque vna infertur ex alia; sicut etiam materia est ad vnionem propensa in suo genere, & tamen illam in se efficere non potest. Tum quia sicut natura ordinauit formam, vt causam intrinsecam compositi, non extrinsecam, ita dedit ei virtutem informatiuam, non actiuam. Tum quia si anima posset in resurrectione sibi vnionem efficere, posset, & de facto illam sibi efficeret modo in productione prima compositi, quod tamen communiter negatur. Tum tandem, quia hoc præsertim formis corruptibilibus nequit conuenire, quia per eandem actionem, & ab eodem agente simul, & semel e materia educuntur, & eidem vniuntur, quę Scoti sententia his suffulta rationibus, commmuniter recipitur à Suarez, Ruiio 2. Phys.tr.3. Amico trac.2.q.7.dub.5.Shemma 2.Phys.digress.13. quęst. 4. & alijs.

28 Nec rationes pro parte opposita vrgent; Ad 1. dicimus, quod sicut anima inclinatur ad informationem per virtutem informatiuam, ita precisa alia virtute eiusdem generis informationem sequi in genere causę formalis, sed non efficientis, quia non habet à natura virtutem ad hoc actiuam; & illa dicitur vltima dispositio, quatenus ab ea necessitatur agens ad introductionem formę, & necessariò sequitur informatio ab vnaquęque causa in proprio genere. Ad 2. anima separata est principium agendi in ordine ad operationes in genere causę efficientis ab ea prodeuntes, non in genere causę formalis, qualis est informatio. Ad 3. potest vtique anima facere se intimè præsentem localiter corpori disposito per virtutem actiuam, quam habet ad Vbi; at inde virtute sola eiusdem animę sequi nequit vnio informatiua, quia ad hanc vnionem non habet virtutem actiuam, sed solam informatiuam, quę non reducitur ad actum, nisi virtute efficientis extrinseci. Ad 4. inde probatur solum, formam, precisò quocunque alio, habere sufficientem virtutem informatiuam in suo genere, at sine concursu efficientis extrinseci non potest forma suam exercere causalitatem, sicut etiam causa naturalis efficiens non potest exire in actum sine alijs necessariò requisitis, & his positis, vtique impediri nequit concursus formalis. Ad 5. non currit paritas de efficientia passionum, quę fiunt per resultantiam ab essentia, & de informatione formę, ibi enim passiones dimanant, quia adsunt necessariò requisita, non autem hic, precisò agente extrinseco, & subiectum habet virtutem effectiuam sibi inditam à natura in ordine ad proprias passiones, at forma in ordine ad informationem non habet, nisi virtutem informatiuam. Ad vltimam, falsum est, productionem substantialis formę, & vnionis illius ad materiam ab actione dispositiua non distingui, com hęc actio prorsus sit accidentalis, & illa substantialis, & ideo actio dispositiua precisè non sufficit pro introductione formę.

ARTICVLVS III.

Declaratur ratio proxima, & immediata causandi materialis, & formalis causæ.

29 Dicimus, materiam, & formam causare prefatos effectus, tanquam per rationem proximam, & immediatam, non per aliquid realiter superadditum entitati eārum, nec per suam entitatem absolutam precisè sumptam, sed per suam entitatem includentem respectum transcendentalem potentię, vel actus, itaut materia causet formam, & compositum, quatenus ens per se in potentia, & forma exerceat causalitatem suam in ordine ad materiam; et compositum, quatenus ens per se in actu. Concl. sumatur ex Aristot. 2. de Anim.text.7. et 8. Met.15. et Scoto 2.dist.14. quęst. 1. D. et 4. dist. 11. qu. 3. Gg. et quodl.9. B. et vbicunque dicunt, ex materia, et forma fieri per se vnum, quia hoc est per se actus, et illud per se potentia, sic enim satis apertè significant rationes formales causandi in his causis esse entitates absolutas earum, includentes respectus transcendentales actus, & potentiæ, & probatur discurrendo per omnes partes. Non enim exercere possunt causalitates suas per entitatem aliquam eis superadditam, sicut est calor igni, quia sunt causæ intrinsecæ compositi; ergo si per entitatem eis superadditam in hoc sensu causarent, iam compositum foret aggregatum per accidens, quia illud superadditum includeretur in essentia compositi, veluti per se, & proxima ratio causandi illud. Sed neque exercere possunt suas causalitates per suam entitatem absolutam præcisè sumptam, respectum transcendentàlem actus, & potentiæ excludendo; Tum quia tunc non intelligerentur concurrere ad compositi constitutionem, vt potentia, & actus. Tum quia vt sibi inuicem causæ, & compositi se inuicem respiciunt vt compartes, non verò vt entitates absolutas, sic enim considerantur tantum in prima notione, & secundum prædicatà primi modi. Tum quia essentia materiæ; in eo quod ens, non dicit per se ordinem ad actum, sed absoluta est in se, & non ad aliud, pariter, & forma in eo, quod ens, non dicit per se ordinem ad potentiam, vt in superioribus probatum est.

30 Remanet igitur, vt suas exerceant causalitates, tanquam per rationes proximas, & immediatas agendi, per suas entitates, includentes respectus transcendentales actus, & potentiæ. Tum quia ita semper explicuit Philosophus rationes causandi materiæ, & formæ, quia nimirum hæc est per se actus, illa per se potentia. Tum quia 5.Met.text.20. dixit, relationes secundi modi in vniuersum fundari super potentiam actiuam, & passiuam, quas vtique significauit esse relationes transcendentes, rebus à natura inditis. Tum quia in vniuersum virtus absoluta causæ non est ei ratio agendi, nisi includendo respectum transcendentalem ad effectum, vt notauit Doctor 1.d.7.qu. vn. sub L. & planè in hoc nulla est dissensio inter Thomistas, & Scotistas, dum enim illi negant, materiam, & formam causare per aliquam entitatem superadditam, quæ sit illis veluti proxima ratio causandi, per hoc excludere intendunt aliquod accidens superadditum materiæ, veluti est calor igni, quasi scilicet radicale, & primum principium causandi esset ipsa entitas materiæ, & formæ, immediatum verò, & proximum, illa entitas super addita, ita colligitur ex D.Tho. 1. Phys.text.79. & 1.p.q.5.art.3.ad 3. idque solum probant rationes, quibus excludere conantur hanc entitatem superadditam, qualiscunque ista ponatur. Dum vero ex alia parte dicunt, materiam, & formam causare per proprias essentias, ac entitates, veluti per proximas, & immediatas rationes causandi, vtique non excludunt ab eis rationem actus, & potentiæ, sed ita loquuntur, quia putant, respectum transcendentalem potentiæ constituere essentiam materiæ, & actum constituere formam, quare in decisione quæsiti huius conuenimus, & solum in hoc differimus, qnod rationes veluti specificantes concursum materiæ, & formæ ipsi censent esse differentias intrinsecas earum, nos antem proprietates ab entitatibus absolutis earum dimanantes.

Sed in oppositum obijcitur 1. Tum quia materia, & forma per se immediatè, & non per aptitudines superadditas constituunt compositum per exhibitionem suarum entitatum. Tum 2. quia reddens rationem Philosophus, cur ex materia, & forma fiat per se vnum, inquit, quia hæc est per se actus, idest essentialiter actus, & illa per se potentia, idest essentialiter potentia, vt Scot. explicat 2. dist. 12.quæst.1. D. ergo ab earum essentia attendenda est ratio proxima, & præcisa causandi. Tum tandem, quia cum Doctor. in 2. d.1.quæst. 2. E. ait, ad absolutum in causa sequi immediatè absolutum in effectu, vtique pro ratione causandi, & virtute causatiua assignauit absolutam virtutem causæ, secludens quemcunque respectum, ergo ita etiam modò loquendum est de rationibus causandi materiæ, & formæ.

31 Respon. materiam, & formam dici se ipsis, & immediatè causare compositum, vt excludatur aliquod accidens medium realiter distinctum, quod illis sit ratio agendi, non autem ad excludendas earum passiones, potentiam, & actum. Ad 2. quando ait Philos. ex materia, & forma fieri per se vnum, quia hæc est per se actus, & illa per se potentia, idest essentialiter, vt explicat Doctor, debet intelligi de perfeitate, & essentialitate in secundo modo dicendi per se, & quòd ita intelligendus sit Doctor, patet ex eo, quod docet 3.d.2.quæst.2. E. & 4.d.11.quæst.3. Gg. & alibi sæpè, reddens enim rationem, cur ex materia, & forma fiat per se vnum, ait cum Philosopho quia hæc est per se actus, & illa per se potentia; quærens iterum, cur hæc sit per se actus, & illa per se potentia, veniens ad immediata, inquit, quia hoc est hoc, & illud est illud, signum euidens, quòd quando assignat rationem potentiæ, & actus pro rationibus causandi materiæ, & formæ, vtique non loquitur de earum essentijs præcisè sumptis. Ad 3. quando loc. cit. inquit, ad absolutum in causa sequi immediatè absolutum in effectu, excludit realitatem nouam, siue absolutam, siue respectiuam de nouo aduenientem causæ, quando actu causat, quæ verè mediet veluti via inter causam, & effectum, at non excludit respectum transcendentalem virtutis, seu potentiæ causatiuæ.

Secundò obijcitur. Tum quia materia per potentiam receptiuam respicit tantummodo formam, non compositum, quod tamen est effectus principalis eius, & pariter forma in ratione actus respicit materiam, non compositum. Tum 2. quia per potentiam receptiuam non

respicit formas, vt causabiles in ratione effectus, sed tantum vt receptibiles; immo per hanc potentiam respicit etiam animam rationalem, quam tamen non causat. Tum 3. quia intelligi potest materia esse causa formæ, absque eo, quòd sit potentia eius receptiua, vel eam recipiat, & hoc eueniret, si per potentiam Dei absolutam forma aliqua sustentaretur in materia tantùm, non tamen illam auctaret per receptionem, nec faceret cum illa vnum totum, vt de facto contingit in natura humana sustentata in Verbo, non tamen illud informante.

32 Respon. ad 1. & 2. materiam per potentiam receptiuam non causare formam, neque compositum, id enim causat per potentiam constitutiuam, vt diximus in disputat. 2. quæst. 5. in principio, illam vero per potentiam sustentatiuam, vt diximus eadem quæst. artic.4. & artic.3. quæst.7. in fine. Ad 3. ibi etiam negauimus, casum illum contingere posse, quòd forma sustententur in materia, & eam non informet, quia sustentatio in genere causæ materialis, licèt sit modus ex natura rei distinctus ab vnione, vel receptione, tamen necessariò illum coexigit, & in hoc distinguitur à sustentatione in genere causæ efficientis. Et quando hìc dicimus, materiam causare formam, & compositum, vt per se potentem veluti per rationem proximam causandi, & specificatiuam causalitatis eius, planè loqui non intendimus de potentia receptiua, sed de sustentatiua in ordine ad formam, & constitutiua in ordine ad compositum, quas potentias esse ex natura rei ab inuicem distinctas, ostendimus locis citatis.

Tertiò obijcitur, quia licet in multis ratio prima, & proxima agendi distincta sint, vt in his, quæ agunt potentia media, tamen sæpè ratio proxima agendi est eadem cum essentia, vt in igne ratio proxima ignitionis est sua essentia, ergo multò magis id asserendum in proposito, cum istæ sint causæ intrinsecæ, & non extrinsecæ. Accedit, quòd illa est proxima ratio causandi, per quam respondetur interrogationi factæ, propter quid causa causat, sed huic interrogationi in proposito respondetur, quia materia est talis naturæ, et forma talis, ergo, etc. Denique relatio non potest esse proxima ratio causandi ens absolutum, et substantiale, sicut est compositum.

Respond. nihil realiter distinctum esse rationem causandi in materia, et forma, sed sicut quando in igne dicimus, essentiam suam esse illi rationem proximam agendi, non ob id excludimus respectum transcendentalem imbibitum realiter in ea, velut in potentia actiua, ita in proposito dicimus, essentiam materiæ, et formæ esse illis rationem proximam agendi, seu causandi, includendo respectus transcendentales actus, et potentiæ. Ad 2. ita etiam intelligimus, dum illi interrogationi respondemus ideò ex materia, et forma fieri per se vnum, quia materia est talis naturæ, et forma talis, idest quia materia est talis entitas, cuius proprietas est potentia, et forma talis entitas, cuius proprietas est actus, seu aptitudo informatiua. Ad 3. vtique quando dicimus, rationem potentiæ specificare concursum materiæ, et rationem actus concursum formæ, non intelligimus relationem illam solam esse rationem proximam, et integram causandi, sed inuoluimus entitatem absolutam cum relatione, hoc enim totum est illud, quod dicitur potentia actiua, vel passiua, vel informatiua, iuxta diuersitatem causarum.

QVÆSTIO IV.

De causalitatibus materiæ, & formæ, & conditionibus causandi.

33 Difficultas præsertim est de causalitate materiæ circa formam, vtriusque circa compositum, nam pauci agnoscunt vnionem, et generationem pro effectibus materiæ, aut quia potius putant esse causalitates materiæ, quàm effectus, aut si ponunt effectus, non tamen ita propriè, vt sunt forma, et compositum, et communior modus dicendi Recentiorum, quibus præiuit Suar. in Met. disput. 15. sect. 4. nu. 3. et sect. 6. num. 9. et disput. 15. sect. 9. est, quòd causalitas materiæ circa formam, quæ de eius potentia educitur, sit vnio ad formam per modum receptionis, et passiuæ informationis, & causalitas formæ circa materiam sit vnio eius ad materiam per modum actiuæ informationis, et pariter communis vtriusque causalitas circa compositum sit earum vnio ad inuicem, et mutua communicatio, ex parte quidem materiæ per modum receptionis, ex parte verò formæ per modum informationis, ita Ruuius 2. Phys. cap. 7. tract. de causa materiali, et formali, Auersa quæst. 12. sect. 3. et 4. et alij passim; Hurtad. verò disp. 5. Phys. sect. 3. et Amicus tract. 10. de causa materiali q. 4. dub. 1. art. 3. etsi cum cœteris conueniant quantum ad communem causalitatem materiæ, & formæ circa compositum, quod sit earum vnio ad inuicem, et mutua communicatio, negant tamen, causalitatem materiæ circa formam consistere in vnione, et informatione passiua, et asserunt, consistere in receptione actionis agentis, qua effectiuè producitur forma ex materia, et est passio, idem sentit Io. de S. Thom. quæst. 11. articul. 1. Fuentes 2. Phys. diff. 2. art. 1. concedit, formalem causalitatem materiæ, et formæ circa compositum consistere in aliqua relatione, qua respiciant effectum suum, at non exprimit, quæ, et qualis sit

sta relatio quod præsertim hic quæritur, & circa causalitatem fundamentalem sibi manifestè contradicit, inquit enim num.7. causalitatem materiæ, fundamentaliter loquendo, nihil esse præter encitatem ipsius materiæ actualiter recipientis formam, & num.8. ait, causalitates materiæ, & formæ, fundamentaliter loquendo, nihil esse præter influxum, seu formam in fieri totius. Sghemma similiter 2. Phys. digress. 12. qu. 2. & digress. 13. quæst. 2. postquam multos reiecit dicendi modos, & præsertim communem, asserentem, quòd vnio sit causalitas formalis, qua materia causat formam, & è contra, & vtraque compositum; tandem concludit, causalitatem materiæ in hoc consistere, quòd sit subiectum, ex quo forma, & compositum suo modo pendent, & in fieri, & in facto esse, quod nemo negat, at non explicat formalitatem causalitatis materiæ circa formam, & vtriusque circa compositum; subdit postea, causalitatem formæ circa materiam, & compositum non esse vnionem, sed potius informare, & componere, in quo consequenter non loquitur, nam actiua informatio formæ formalissimè nil aliud est, quàm eius vnio substantialis ad materiam.

34 Est etiam dissensio inter relatos Auctores, an sit eadem causalitas materiæ erga formam, & compositum, & an vna, & eadem circa eandem formam, & tandem an eadem circa compositum in fieri, & in facto esse, Gab. 2. d. 1. q. 5. secutus Ocham q. 3. distinguit duplicem causalitatem materiæ, alteram extrinsecam circa formam, alteram intrinsecam circa compositum, & multi sequuntur. Fonseca 5. Met. cap. 2. qu. 3. sect. 2 & q. 12. sect. 2. adhuc circa ipsam formam duplicem distinguit materiæ causalitatem, vnam vniuersalem per modum simplicis receptionis, & passiuæ informationis, quam gerit materia erga quamlibet formam etiam animam rationalem, alteram particularem circa formas ex eius potentia eductas, & vocatur sustentatio, idest dependentia à materia in fieri, & conseruari. Suar. loc. citat. vult potiùs, eandem esse causalitatem materiæ erga formam, & compositum, quæ diuersas denominationes subeat, per eandem enim vnionem causat formam, & compositum, illam extrinsecè, hoc intrinsecè, vult etiam, causalitatem materiæ circa eandem formam geminari non debere, sed circa formam corruptibilem vnicam esse causalitatem, quæ simul dicatur receptio, & sustentatio, in quo differt à causalitate circa animam rationalem, quæ dicitur tantum receptio, & non sustentatio; ex quo num. 16. concludit in materia non distingui ex natura rei, nisi duas tantum causalitates, vnam respectu rei in fieri, quæ est generatio, alteram respectu rei in facto, quæ est vnio. Auersa loc. cit. conuenit cum Suarez in duobus primis dictis, in tertio discrepat, contendit enim eandem esse causalitatem materiæ circa formam in fieri, & facto esse, vtriusque circa compositum, huiusmodi enim causalitas est vnio, quæ considerari potest quo ad primum omninò esse suum, & ita dicetur causalitas in fieri, & in tempore sequenti, & ita dicetur causalitas in facto esse, & quasi continuata.

Circa conditiones etiam vtriusque causæ est disputatio, quæ, & quot sint; Alij enim requirunt existentiam veluti vniuersalem conditionem cuiuscunque causæ, finali excepta. Alij quantitatem, quam proindè ponunt materiæ coæuam; aut certè illi immediatè inhærentem. Alij sigillationem quandam materiæ comminiscuntur ad particularem effectum, idest ad particularem formam, & particulare compositum. Alij indistantiam localem exigunt inter materiam, & formam, ita necessariam, vt neque à Deo suppleri possit. Alij proportionem inter subiectum, & formam, cuius defectu non potest intellectio recipi in lapide. Alij demum conditiones alias assignant, aut superfluas, aut solum ex communi cursu naturæ necessaria, aut à ratione causandi non distinctas.

ARTICVLVS I.

Declarantur causalitates materiæ, & formæ in ordine ad seinuicem.

34 DIcimus. Et si causalitas formæ erga materiam consistat in vnione eius ad materiam, seu actiua, informatione, & actuatione, causalitas tamen materiæ erga formam corruptibilem, quæ solum causatur ab ea, in vnione ad eam, aut illius simplici receptione, consistere nequit neque in receptione actionis agentis, quæ producitur forma, sed in concursu eductiuo explicato per habitudinem ex quo aliud, scilicet forma, tanquam ex subiecto educitur. Concl. est contra præcitatos Auctores, & colligitur ex Doctore in 2. dist. 1. quæst. 5. litt. S. & 4. d. 13. qu. 1. infra B. quibus in locis multos enumerat respectus ad mutationem naturalem, & compositi constitutionem concurrentes, & ex illis multis, hunc solum respectum eductionis intrinsecus aduenientem significat esse causalitatem materiæ erga formam; respectum verò informationis actiuæ insinuat esse causalitatem formæ erga materiam, quantum ad illud esse specificum, & completum, quod extrinsecè ab ea recipit. Prob. verò Conclusio quo ad omnes eius partes; & in primis, quod causalitas formæ erga materiam quantum ad illud esse formatum, & specificum consistat in actiua informatione, seu vnione eius ad materiam, conceditur ab omnibus, & planè negari non potest, quia illa est formalis causalitas alicuius causæ, qua posita, ponitur effectus, & causa denominatur formaliter, & actualiter causa, at talis est informatio actiua ex parte formæ in ordine ad materiam, quatenus actuanus actuatam ab ea, seu quantum ad esse illud formatum, & completum, quod ab ea recipit, ergo in hac consistit formalis eius causalitas, maior patet, & probatur minor, quia posita hac vnione formæ ad materiam per modum formæ in subiecto, statim habetur denominatio illa in subiecto, à forma procedens iuxta eius naturam, quocunque alio secluso, & ipsa secluta, quocunque alio posito, non habetur. Quod autem causalitas materiæ erga formam corruptibilem nequeat consistere in vnione eius ad illam per modum simplicis receptionis, & passiuæ informationis, probatur. Tum quia causalitas, per quam materia causat formam, est vera causalitas, & forma verus effectus eius, ac proindè importat iuxta Scoti principia respectum intrinsecus aduenientem, at vnio materiæ ad formam est respectus extrinsecus aduenienis spectans vel ad prædicamentum habitus, vel ad prædicamentum passionis, vt infra dicemus. Tum quia, ex vi causalitatis effectus dicitur recipere esse saltim in ratione formæ denominantis, at ex vi vnionis nullum extremorum dicitur produci, & recipere esse, sed potius supponuntur ante vnionem existentia, & per vnionem intelliguntur recipere esse, vnitum. Tum quia recipiens in eo, quòd recipiens, non dat esse recepto, sed potius ex vi talis receptionis aliquod esse extrinsecum recipit ab eo, ergo ex vi simplicis receptionis formæ in materia non potest dici forma effectus eius. Tum quia etiam anima rationalis verè in materia recipitur, verè materia illi vnitur, & ab ea informatur, nec propterea ab ea verè causatur per talem receptionem, & per talem vnionem.

36 Resp. Suar. loc. citat. & alij cum ipso, causalitatem materiæ circa formam corruptibilem consistere non in qualicunque vnione, sed in vnione sustentatiua, quæ est diuersæ rationis ab vnione cum anima rationali, putat enim in formis corruptibilibus receptionem earum in materia esse, formaliter ipsammet sustentationem, & potentiam receptiuam earum in materia non distingui ex natura rei à sustentatiua.

Sed hoc principium Suar. fusè confutauimus disput. 2. q. 5. art. 4. vbi ostendimus, potentiam receptiuam materiæ in ordine ad formas corruptibiles esse ex natura rei distinctam à sustentatiua, & pariter modum receptionis à modo sustentationis, & iterum q. 7. eiusdem disp. art. 3. in fine, & quando etiam concederemus, modum vnionis non esse specificè distinctum à sustentatione, sed tantum se habere, vt rationem genericam, ex qua cum dependentia constituatur species quædam vnionis informatiuæ, quæ dicatur substantialis inhæsio, vel sustentatio, & cum independentia constituatur simplex receptio, qualis est informatio animæ, vt Suarez contendit; adhuc non rectè explicatur causalitas materiæ erga formam per receptionem, & vnionem, quia vnio, & receptio secundum suam rationem formalem à causalitate præscindit; quare melius loquuntur, qui causalitatem materiæ erga formam explicant per sustentationem. Quamuis nec isti absolutè benè loquantur: Tum quia sustentatio absolutè sumpta est communis tam causæ materiali, quam efficienti, & in vtrnque genere exerceri potest; nam modo de facto in sacramento Altaris quantitas sustentatur à Deo in genere causæ efficientis, & si accidens assumeretur à Verbo, sustentaretur ab ipso absque receptione. Tum quia, vt docet Scotus 3. d. 1. q. 1. sub A. respectus sustentati ad sustentans ex vi vocabuli non dicit propriè ordinem causati ad causam, Verbum enim dicitur humanam sustentare naturam, & tamen nullum esse in eam influit. Tum præterea quia sustentatio, si significat dependentiam causati à causa, vt modò communiter est in vsu, potius significare videtur dependentiam formæ à materia in facto esse, non in fieri, cum nomen sustentationis pertineat ad rei conseruationem, non factionem.

37 Nec etiam rectè hanc dependentiam formæ in fieri explicat Suar. per generationem. Tum quia, ex Philos. 5. Met. 2. fl. & ex communi modo loquendi, generatio sumpta pro causalitate pertinet ad agens, non ad materiam, & in potentia actiua agentis fundatur, non in passiua materie. Tum quia generatio propriè est compositi, non formæ, 1. Phys. 64. & ideò huiusmodi causalitas ex parte materiæ, ne confunderetur cum causalitate agentis, consuetè à Philosophis vocari eductio formæ ex materia, non autem generatio.

Quod nec etiam consistere possit in receptione actionis, quæ effectiuè producitur forma, & pertinet ad prædicamentum passionis, vt asserebant Hurtadus, & Amicus; probatur. Tum quia causalitas materiæ erga formam, vt dicebamus, est vera causalitas, & respectus intrinsecus aduenienis, at passio est respectus extrinsecus aduenienis. Tum quia causa per suam causalitatem refertur ad effectum, at materia, vt recipit actionem agentis, & vt ab eo patitur, non refertur ad formam, sed ad agens directè, ergo in tali passione non consistit eius causalitas. Tum quia per hanc receptionem actionis agentis potius explicatur dependentia ipsius actionis materialis à materia, quam formæ per eam productæ. Tum quia etiam si per hanc actionem in materia receptam explicetur etiam dependentia formæ à materia concomitanter, directè tamen explicatur dependentia eius ab agente materiali, & non à materia, non enim aliter explicari potest dependentia formæ à materiali agente, quà per hoc, quod ab eo procedat per actionem in materia receptam. Tum tandem quia tran-

transeunte passione simul cum actione agentis, adhuc remanet forma cum dependentia à materia, & materia adhuc dicitur causa formæ, saltim in facto esse, ergo non benè explicatur causalitas materiæ in ordine ad formam per passionem.

38 Remanet igitur, quod causalitas materiæ formaliter consistat in concursu eductiuo materiæ ad existentiam, formæ qui explicatur per habitudinem, ex quo aliud, tanquam ex subiecto, fit, vel educitur. Tum quia per talem habitudinem, quasi semper significauit Philosophus materiæ causalitatem, definiendo materiam 2. Phys. & 5 Met. materia est, ex quo fit aliquid. Tum quia particula *ex* melius indicat prioritatem naturæ causæ materialis ad existentiam formæ, quàm particula *in*, quia etiam anima rationalis dicitur esse in materia, non tamen ex materia. Tum quia ex opposito si causari materialiter ex parte formæ non est vniri materiæ, non est generari, quia sic refertur ad causam efficientem, non est causari per actionem in materia receptam, quia sic etiam refertur ad generans, sed est dependere ab alio, vt ex subiecto, ergo causare materialiter dicet illam habitudinem, ex quo aliud tanquam ex subiecto. Tum quia illo conuenienter explicatur causalitas respectu causati, quo formaliter intelligimus, absolutum causæ influere esse in absolutum causati, & virtute cuius nequit intelligi absolutum causæ, quin præintelliguntur tanquam natura præcedens absolutum causantis, sed respectu illo, ex quo tanquam ex subiecto forma educitur, verè intelligimus subiectum influere esse in formam, & ex vi illius eductionis implicat intelligere absolutum formæ, quin præ intelligatur tanquam natura prius absolutum subiecti, ergo &c. Tum tandem, quia etiam si in mutatione naturali, & constitutione compositi omnes illi respectus interueniant, in quibus statuebant alij causalitatem materiæ erga formam, nimirum respectus vnionis materiæ ad formam, seu passiuæ informationis, respectus receptionis actionis agentis, & multi alij, quos Doctor adamussim enumerat 2. d. 1. q. 5. S. non tamen in hoc vel illo promiscuè ponenda est formalitas materialis causalitatis, sed inuestigare debemus, quinam illorum à nobis concipiatur, vt via ad esse formæ, & per quem directè respiciat subiectum, at dupliciter intelligi potest ad subiectum referri, vel vt inducta in illud, vel vt educta ab illo, & solum per hunc secundùm respectum refertur ad subiectum, vt ad prius natura, à quo accipit esse, ergo in hoc solo respectu consistit materialis causalitas erga formam.

39 Sed contra hanc Concl. obijcitur. Primò; quod non benè explicetur causalitas formæ erga materiam per respectum vnionis siue actiuæ informationis, quia causalitas dicit respectum intrinsecus aduenientem, at informatio actiua respectum dicit extrinsecus aduenientem, ergo in tali respectu causalitas formæ consistere nequit, vel in respectu opposito poterit etiam consistere causalitas materiæ erga formam nimirum in passiua informatione, & receptione.

Resp. causam referri posse, & ad effectum productum, & ad subiectum, in quo producit illum, nam & subiectum dicitur causari tunc in tali esse extrinseco, quod recipit à forma in ipso producta, vt ignis referri potest ad calorem, quem producit, & ad aquam, quam calefacit, quæ in esse calidi dicitur ab igne produci; Prima relatio veram importat causalitatem, quia terminus eius recipit esse intrinsecum per eam, & ideò est intrinsecus adueniens; secunda relatio non importat causalitatem propriam, quia subiectum formam recipiens, recipit esse extrinsecum ab ea, non autem intrinsecum, & primum, & ideò est relatio extrinsecus adueniens. In proposito causalitas materiæ erga formam est vera, & propria causalitas, quia in genere materialis causæ dat illi esse primum, & intrinsecum, & ideò est relatio intrinsecus adueniens, sed non ità forma causat materiam in suo esse primo, & intrinseco, sed tantùm illi tribuit esse extrinsecum, & aduentitium, & ideò eius causalitas sicut non est vera causalitas, ita importat solùm respectu extrinsecus aduenientem.

40 Secundò obijcitur, quòd causalitas materiæ erga formam benè explicetur per vnionem, & receptionem, præsertim si in facto esse consideretur, & per generationem, si in fieri. Tum auctoritate Philosophi, qui pluribus in locis per habitudinem *in*, & receptionem explicat materiæ causalitatem in formam, quod etiam fecit Scot. 1. d. 3. q. 7. S. & 4. d. 12. q. 1. E. & q. 4. infra H. vbi ait, quòd causalitas subiecti est receptio formæ, & quod agens naturalis requirit passum, vt concausa, & hoc in ratione recipientis formam, & in 3. d. 1. q. 1. A. ait, accidens habere subiectum pro causa materiali, & hoc est, inquantum informat ipsum, & non inquantum sustentatur ab ipso, quod etiam repetit d. 1. q. 4. infra, A. Tum secundò præsertim in facto esse melius explicari non potest, quam per vnionem, nam forma non conseruatur in materia, nisi mediante vnione, & forma dependet à materia transeunte eductione, sola remanente vnione; Et adhuc meliùs explicatur materiæ causalitas per vnionem, si hæc vnio per modum sustentationis significetur, quia sustentatio ex vi nominis dicit, & indigentiam formæ, seu dependentiam eius à subiecto, & simul prioritatem naturalem subiecti ad ipsam formam. Tum denique benè explicatur in fieri per generationem, quia materia per generationem concurrit ad eductionem formæ non vt ipsa est ab agente, sed vt recipitur in materia, sed causalitas est concursus eius, ergo causalitas eius erga formam in fieri erit generatio; Accedit, quod causari rem in fieri, est, rem in fieri à tali causa pendere, vel fieri ab ea, at fieri formæ ex materia est generatio formæ ab ea.

Resp. quòd si habitudo in quo explicetur, vt nos explicauimus disp. 2. q. 7. a. 2. quòd scilicet sit talis habitudo formæ ad subiectum, vt necessariò petat in eo fieri, & conseruari ex sua intrinseca indigentia, sic per habitudinem, in quo optimè explicatur materiæ causalitas, & in hoc sensu per receptionem significarunt Arist. & Scotus causalitatem materiæ in formam, non autem accipiendo receptionem pro simplici informatione, vel vnione, quia hæc etiam reperitur inter animam, & corpus; explicant verò sæpiùs causalitatem subiecti in ordine ad accidens per habitudinem *in*, & non *ex*, vt insinuent, accidens non habere materiam ex qua, vt compositum, sed tantum in qua; Cum verò Scot. 3. d. 1. q. 1. expressit, accidens habere subiectum pro causa materiali, inquantùm informat ipsum, & non inquantùm sustentatur, id est intelligendum cum præcisione, vt ipse inferiùs se explicat d. 1. q. 4. sub A. nam per sustentationem præcisè sumptam verissimum est, non explicari causalitatem materialem præcisa vnione, vel receptione, nam vtraque ad causalitatem materialem constituendam necessariò exigetur, vt dictum est quæst. cit.

Ad secundùm, ex eo, quòd forma conseruetur in materia mediante vnione, non sequitur, materialem causalitatem etiam in facto esse benè explicari per vnionem, vel in ea formaliter consistere, sed vnionem necessariò comitari causalitatem materialem, nec etiam benè explicatur per vnionem nomine sustentationis appellatam nam falsum est, sustentationem ex vi nominis significare dependentiam causati à causa, aut saltim dependentiam formæ à subiecto, quia potest etiam exerceri in genere causæ efficientis. Et quamuis eductio transeat quò ad connotatum rationis, remanet tamen quo ad principale significatum, quod importat dependentiam essentialem formæ à materia, ratione cuius semper verum est dicere, formam esse eductam de potentia materiæ; Ad tertium dicimus, generationem esse influxum efficientis, & educentis formam, non subiecti, ex quo educitur, qua ratione negatur etiam, quòd à fieri formæ ex materia sit generari ab ea, est enim potius educi ex ea.

41 Tertiò Obijcitur, quòd causalitas materiæ erga formam explicari debeat per receptionem actionis ab agente, qua producitur forma. Tum quia concursus causæ passiuæ, vt est materia, est pati ab agente, & pati non est aliud quàm actionem recipere. Tum 2. quia eductio nequit intelligi sine habitudine subiecti ad agens, ex ipso formam educentis, ergo si causalitas materiæ in eductione consistit, idipsum ostendit consistere in receptione actionis, per quam forma educitur; Tùm 3. quia in hoc distinguitur receptio animæ rationalis in materia, & formæ corruptibilis, quòd actio, per quam recipitur anima rationalis, est independens à materia, ista verò dependens.

Respond. concursum materiæ dici passiuum, etiam præciso ordine ad agens, vnde si forma posset se ipsam vnire materiæ, adhuc concursus eius esset passiuus, quia est per modum receptionis, & sustentationis. Ad 2. ex parte formæ, vtique considerari possunt respectus educti, ad agens educens, & ad subiectum, ex quo educta est, præscindendo hunc respectum ab illo, vti in mutatione contingit, vbi consideratur respectus informationis, & eductionis formæ sine respectu ad agens. Ad 3. distingui etiam potest receptio animæ in materia, & aliarum formarum absque recursu ad agens ex solo concursu subiecti; nam receptio animæ est sine dependentia ab eo, receptio aliarum formarum cum dependentia.

Quartò; Obijcitur, quòd causalitas materiæ non consistat in illa habitudine, ex quò aliud educitur, tanquam ex subiecto; nam ità sequeretur, formam esse causam sui ipsius, illud namque dicitur causa alterius, quod est principium causalitatis, qua res causatur, sed hæc habitudo, ex quo aliud, pendet à materia, & forma, vt ab extremis suis, ergo si forma pendet ab hac habitudine, vt causalitate, pendebit à se ipsa, vt causa.

Resp. argumentum hoc vrgere vniuersaliter, quòd causalitas nequeat consistere in relatione prædicamentali, quia tunc effectus foret principium sui ipsius, cùm ponatur principium causalitatis, qua dicitur accipere esse, Vrget etiam contra Recentiores, statuentes causalitatem materiæ in vnione, quæ etiam à forma dependet, cùm existere nequeat in rerum natura ex vi solius causæ receptiuæ; quapropter dicimus, causalitatem, quæ in causa resultat, & eam denominat formaliter causantem, non dependere ab effectu, vt à causa, sed vt à conditione sine qua non, quia relatio solùm à fundamento pendet, vt à causa, à termino verò sicut à conditione sine qua non, vt diximus non Log. disp. 8. q. 3. art. 2. ad 3. principale.

ARTICVLVS III.

Explicantur causalitates materiæ, & formæ erga compositum.

42 DIcimus primò. Causalitatem materiæ, & formæ erga compositum non consistere in substantiali earum vnione ad inuicem, seu in mutua communicatione per modum receptionis ex parte materiæ, & actuationis ex parte formæ, sed in relationibus earum, vt principiantium, & componentium ad compositum, vt principiatum, & constitutum, à nobis explicatis per habitudines, ex quibus aliud componitur, tanquam ex partibus actuali, & potentiali. Concl. est contra Recentiores omnes; quoad primam partem est Scot. 3. dist.

2.qu.2.F.vbi expresse affirmat,vnionem materiæ,& formæ in composito non esse causalitatem earum in ordine ad illud, sed tantum conditionem sine qua non, quòd verò in præfatis relationibus consistat, docet 9.Met.q.4.§.*Sciendum,&c.*& Theor.22. & non obscurè colligitur ex eodem loc.cit. & in 2. d.12. q.1. & in primis, quòd in vnione consistere nequeat earum causalitas in ordine ad compositum, Prob. 1.quia estò materia,& forma non causarent compositum, nisi vnirentur, tamen priùs nostro naturali modo intelligendi concipimus illas vnitas, quàm causantes,ergo in earum vnione non consistit earum causalitas.Prob. assumptum; Tum quia compositum dicitur resultare ex partibus vnitis; Tum quia, vt notat Doctor loc. cit. ita se habet vnio ad causas intrinsecas,vt approximatio ad extrinsecas,sicut enim istæ per approximationem præparantur ad agendum, ita illæ per vnionem, at approximatio in extrinsecis non est earum causalitas, sed tantum conditio sine qua non, ergo sic etiam vnio se habebit in causis intrinsecis. Secundò, si vnio est earum causalitas,& non potius effectus, nil remanet Recentioribus assignandum pro termino huius causalitatis,quia non causant vnionem,cum potius hæc sit causalitas, & via ad effectum,materia non causat formam mediante hac vnione, vt probatum est conclusione præced. & concedunt Amicus,& Hurtadus;nec forma causat materiam,nec ambæ causant se ipsas, vt vnitas, quia hoc est dicere, quòd causent vnionem in se ipsis, at vnio non est effectus,sed causalitas per ipsos. Tertiò causalitas se ipsa pendere debet à causa, quam denominat causantem, & si non pendet ab ea, nequit dici causalitas eius,at vnio ista communiter à Recentioribus vna statuitur inter materiam,& formam,aliqui in materia eam reponunt, aliqui in forma,sed quocunque modo dicatur, illa pars, quæ non fundat vnionem, non fundabit causalitatem in ordine ad oppositum, & parum refert,quòd eam terminet, quia hinc non infertur dependentia vnionis à tali parte velut à causa,sed tantùm velut à conditione,quia, vt supra diximus, relatio non pendet à termino, vt à vera causa sui ipsius. Quartò, iste modus vnionis, vt patet ex prædictis, & magis etiam constabit ex dicendis, est respectus extrinsecus, & adueniens, & refert materiam, & formam ad inuicem, non ad compositum, & eas denominat vnitas, non causantes, ergo non erit causalitas earum in ordine ad compositum, quia talis causalitas, cum sit proprijssima, importat relationem secundi modi fundatam super potentiam causatiuam ex 5.Met.20. & refert materiam, & formam, vt causas ad compositum, vt ad effectum, & eas denominat formaliter causantes.

43 Remanet igitur,vt materiæ, & formæ causalitas explicetur per habitudinem, ex quibus aliud, nempè compositum constituitur, ex hac quidem tanquam ex parte actuali, ex illa verò tanquam ex parte potentiali; Tum quia per has habitudines explicuit earum causalitates Doct.in 4.d.1.q.1 *Alio modo &c.* vbi Landulphi discursum in hoc approbat. Tum quia vbicunque eas appellauit Philosophus principia in facto esse compositi, addens huius rei rationem, inquit, quia compositum ex his est.Tum quia id manifestè colligitur ex definitionibus earum,quas ad finem huius articuli explicabimus,& colligitur etiam ex definitione elementi tradita ab Arist. 5.Met.c.3.vbi ait, elementum esse,ex quo res componitur primò inexistente,at materia, & forma sunt compositi elementa. Tum quia per huiusmodi habitudines præcisè materia,& forma denominantur causantes,& referuntur ad compositum,vt ad effectum, & in vniuersum omnia habent accommodata,vt sint causalitates compositi. Tum tandem quia intantùm constituuntur materia, & forma causæ compositi, inquantùm eius partes euadunt,at constituuntur partes,compositi per habitudines illas, non per vnionem,ergo in illis, non autem in vnione consistit earum causalitas,Probatur minor,quia per vnionem ad summum dicuntur vnitæ,& materia simul esse cum forma,non verò aliquid ex his,cuius sint partes, nisi per illas habitudines, dici fieri.

Contra hanc Concl. arguunt primò. Causalitas est ea,per quam causa denominatur actualiter causans; sed ab vnione partes denominantur actualiter causantes;ergo.Maior patet,probatur minor;Tum quia hæ causæ constituunt compositum, communicando se ipsas composito,at hæc communicatio non consistit in alio,quàm in vnione mutua, nam dum forma se communicat materiæ, & hæc formæ, constituitur compositum; Tum quia forma constituit compositum, informando materiam, & hæc recipiendo formam, qua ratione dixit Scot.4.dist.1.q.1.sub B.formam esse in materia, est compositum habere esse, at informatio, & receptio, non est nisi ipsamet vnio, quæ ex parte materiæ dicitur receptio, & ex parte formæ informatio.

44 Resp.negan.minorem, quia per vnionem partes denominantur vnitæ, & ad inuicem referuntur, non ad compositum, ad quod solùm referuntur in ratione causarum per illas habitudines ex quibus aliud, tanquam ex partibus; Ad primam Probat. neg. minor, quia per vnionem vna communicatur alteri,non ambæ composito,verum tamen est, ex hac mutua communicatione adinuicem sequi postea communicationem earundem composito per illas habitudines;& dum forma communicatur materiæ, & hæc formæ, per hanc communicationem non constituitur formaliter compositum;sed præsuppositiuè tantum, quatenus hæc communicatio necessariò præsupponitur constitutioni compositi. Ad alteram probat.respondemus simpliciter,maiorem esse veram præsuppositiuè, quatenus scilicet materia, & forma compositum non causarent, nisi ista informaretur,& illa informaret,non verò formaliter; falsa est etiam minor, quòd per informationem actiuam, & passiuam significetur idem respectus vnionis, cum importent duos respectus, vnum in forma, alterum in materia alterius, & alterius rationis, quod postea patebit; Doctor autem loc. cit. ideò dixit, formam esse in materia, est, compositum habere esse, vt significaret non priùs tempore partes esse vnitas, quam compositum existat, non autem, quia putaret, vnionem esse causalitatem compositi.

Dices, potissimum colligimus causalitatem efficientis esse realiter distinctam ab applicatione ad passum,& vnionem formæ,ac materiæ esse distinctam realiter ab indistantia, ac dispositionibus, quia saltim per Dei potentiam potest esse causa efficiens applicata absque causalitate, & materia indistans à forma, ac disposita ad ipsam absque vnione; ergo cum vnio neque per Dei potentiam possit esse absque causalitate materiæ,& formæ circa compositum,non debet dici, quod causalitas earum circa compositum sit distincta ab vnione. Resp. neg. conseq. nam eadem ratione possemus inferre totum esse idem realiter cum partibus vnitis, quia non possunt dari sine toto, sicuti ergo ex hoc non rectè infertur identitas istorum, vt constabit ex dicendis qu. vlt.huius disp.ita nec in præsenti ritè infertur realis identitas vnionis, & causalitatis compositi:Ratio autem,quare vnio materiæ,& formæ, quæ est applicatio earum ad causandum compositum, separari nequeat à causalitate ipsa compositi, sicut separatur, vel separari potest applicatio causæ efficientis, est, quia materia, & forma sunt causæ intrinsecæ necessariò, & indispensabiliter suum causantes effectum, vt ibidem dicemus, secus est de causa efficiente, quæ est causa extrinseca.

Secundò. Posita vnione formæ cum materia, & præcisis omnibus alijs,intelliguntur forma,& materia suas exercere causalitates,& sine hac vnione,omnibus alijs remanentibus, non possunt intelligi exercere suas causalitates, ergo earum causalitas in hac vnione consistit. Antecedens patet in anima rationali, quæ licèt sit intrinsecè præsens corpori, non tamen constituit hominem, nisi mediante vnione substantiali, eaque posita, non potest non constituere hominem. Confir. quia causalitas partium in compositione consistit, sunt enim causæ totius, inquantùm illud constituunt per modum partium, at hæc compositio formaliter aliud non est,quàm partium vnio seu partium simul positio, & implicat intelligere materiam formæ vnitam, & non compositionem. Demum non alia ratione materia, & forma compositum causant, nisi quia constituuntur partes illius, at non constituuntur partes eius, nisi per vnionem, ergo vnio est earum causalitas.

45 Resp.negan.assumptum,quia intellecta vnione materiæ,& formæ,præcisis habitudinibus ex quibus aliud,nulla intelligitur causalitas, nulla earum communicatio alteri, sed tantum ad se inuicem, intelligitur, materiam esse cum forma, non tertium aliquod ex his: verum tamen est,posita vnione partium,necessariò sequi earum causalitatem, quia tunc intelliguntur in vltima dispositione causandi omninò impedibili,eò quia sunt causæ intrinsecæ compositi. Ad Conf.dicimus, compositionem posse sumi dupliciter, vel grammaticaliter, vt sonat nominis ethymologia,vel philosophicè, vt significat causalitatem partium in ordine ad totum;in primo sensu est vera minor,at falsa in secundo, quia compositio ita insecta non versatur inter partes, vt vnio; sed inter partes, & totum, & vbi compositio in primo sensu est tantum respectus extrinsecus adueniens, in secundo est respectus intrinsecus adueniens. Ad alteram dicimus,materiam, & formam constitui partes totius per vnionem solum præsuppositiuè, & veluti per conditionem præuiam, & necessariam, non verò formaliter, nisi per illas habitudines ex quibus aliud. Esse enim partem physicam est, esse id, ex quo aliud,non verò id, cum quo aliud, vt per vnionem materia, & forma denominantur, id cum quo aliud est coniunctum præcisè, non ex quo aliud.

Tertiò causalitas principiorum intrinsecorum non consistit in productione alicuius rei à causis distinctæ, talis namque causalitas est principiorum extrinsecorum,sed tantum consistit in quadam exhibitione interna, quia secundùm suas entitates intimè exhibentur suo effectui, scilicet composito, ergo nihil aliud à suis entitatibus vnitis causabunt realiter distinctum, & per consequens non poterit earum causalitas consistere in tali habitudine ex quo aliud, distincta ab vnione partium ad inuicem, sed in ipsamet vnione præcisè.

Respond. negando assumptum quoad 1. partem, non distinguuntur cause intrinsecæ ab extrinsecis per hoc, quòd istæ causant quid distinctum à suis entitatibus causatiuis,non illæ,quia de ratione causæ in vniuersum est, quòd influat esse in aliud inquantùm aliud, ac proinde quòd realiter distinguatur ab effectu causato, sed consistit in hoc, quòd vbi extrinsecæ causantes effectum remanent extra illum, intrinsecæ causantes effectum, exhibent illi suas entitates, manendo in illo, quare sicut causalitas extrinsecarum consistit in habitudine illa formaliter, qua respiciunt effectum, non verò alias concausas, sic causalitas intrinsecarum in consimili habitudine consistet.

46 Quartò, causalitas præcedit effectum, vt via ad ipsum, saltim prioritate naturæ, at illa duplex habitudo materiæ, & formæ, ex quibus aliud, subsequitur, velut relatio extrema; ergo: item ante istas habitudines iam compositum præsupponitur causatum; Nec respondere valet, ante illas intelligi causatum fundamentaliter tantùm,

tantùm, non formaliter, quia hoc gratis dicitur, habet enim tunc effectus quidquid necessarium est, vt dicatur esse extra suas causas,existens. Demum causalitas compositi debet esse substantialis, at hæc relatio ex quo aliud, est accidens, ergo non potest esse causalitas compositi, sed potius erit vnio, quæ est modus substantialis.

Resp. ex supradictis de causalitate in communi, assumptum valere de causalitate fundamentali, non formali, & ante illas habitudines intelligitur totum fundamentaliter causatum, non formaliter, sicut duæ albedines intelliguntur similes ante resultantiam similitudinis, & substantia subsistens ante modum subsistentiæ, & si concediturmodus subsistentiæ, cujus munus sit reddere substantiam formaliter subsistentem, debent etiam pari ratione concedi relationes,prædicamentales, quæ res absolutas faciant formaliter relatas, non enim magis obuia sensibus est subsistentia, quàm relatio, vt dictum est in Log. disp. 8. q. 3. art. 2. & quælibet causalitas entitatiuè est accidens, & solùm terminatiuè dicitur substantialis, quatenus est ad substantiam, sicut eadem ratione mutatio dicitur substantialis, quamuis in se sit accidens. Et denique etiam ipsamet vnio materiæ, & formæ hac ratione dicitur substantialis, quia nimirum vnit substantias sub ratione substantiali, licèt in se sit accidens, vt infra dicemus.

47 Dicimus 2. vnam,& eandem esse causalitatem materiæ in formam, & vtriusque in compositum in fieri, & in facto esse, & sola connotatione, seu habitudine rationis diuersam, & solum ex natura rei geminari debere causalitatem materiæ erga formam, & compositum, & formæ pariter erga materiam, compositum. Concl. est conformis doctrinæ, quam tradidit Doctor quodl. 12. de Creatione, & conseruatione, & quoad 1. partem Prob. Tum quia creatio, & conseruatio non sunt diuersæ realiter actiones, & in vniuersum prima rei productio, & eiusdem conseruatio, quando res ab eodem causatur, & conseruatur, sunt vna, & eadem actio, vt Aduersarij ipsi fatentur, ergo causalitas materiæ erga formam, & vtriusque in compositum in fieri, & in facto esse, est causalitas vna, & eadem realiter, quia ita contingit in proposito, quòd forma pendet ab eadem materia, & compositum ab eisdem partibus in fieri, & conseruari. Tum quia hac ratione dicimus, eadem actione Solem illuminare hunc aerem, cum ei primò applicatur, & deinceps, ergo sic in proposito. Tum quia si istæ sunt duæ causalitates ex natura rei, prima in fieri transiens, & solùm durans per istans, altera permanens, & durans tempore sequenti, hæc inciperet per vltimum sui non esse immediatè post illud instans, quod est contra naturam permanentium. Tum tandem quia relatio realis, qualis est hæc causalitas, non multiplicatur realiter, nisi multiplicatis, aut termino, aut fundamento, sed cùm forma fit ex materia, & cum in materia facta est, cum compositum fit ex partibus, & cum ex ipsis factum est, nec fundamentum multiplicatur, nec terminus, ergo neque relatio causalitatis. Quia tamen diuerso modo loquimur de forma, & composito in fieri, & in facto esse, hinc deducimus distinctionem per connotata rationis, quæ distinctio oritur ex hoc, quia cum forma primò educitur de potentia materiæ, & compositum primò coalescit ex partibus, nedum est respectus materiæ ad formam, vt causæ ad effectum, & è contra, item respectus amborum ad compositum, vt ad effectum, & è contra, sed etiam respectus alij illorum respectuum ad non esse ipsorum immediatè præcedens, ex Scoto in 2. d. 1. q. 5. S. qui cùm sint ad non esse, dicuntur rationis, quia non sunt simpliciter reales, & quorum respectuum adiunctione causalitas materiæ in formam, & vtriusque in compositum, dicitur in fieri, & eorundem cessatione, & aliorum inceptione ad esse idem præhabitum, eadem causalitas dicitur in facto esse.

48 Deinde debere ex natura rei distingui causalitatem materiæ in formam, & compositum, & formæ pariter erga materiam, & compositum probatur; Tum quia forma, & compositum sunt effectus ex natura rei diuersi, ergo terminant diuersas causalitates, quia ad multiplicationem relationum sufficit multiplicatio terminorum. Tum quia causalitas materiæ erga formam est extrinseca, erga compositum intrinseca; est causa formæ, vt subiectum, ex quo educitur, est causa compositi, vt subiectum, ex quo inexistente res fit. Tum quia forma priùs prioritate naturæ fit, quàm compositum, & forma verè causat compositum intrinsecè, non ita causat materiam; Neque hæc inferunt diuersas tantum denominationes, sed diuersas causalitates ad diuersos effectus terminatas, quarum vna est alteri præuia.

Sed contra hanc Concl. obijcies primò, quòd alia sit causalitas materiæ in formam in fieri, & vtriusque in compositum, alia in facto esse; quia illa causalitas est instantanea, hæc vero coexistit tempori. Deinde quòd sit eadem causalitas materiæ ergo formam, & compositum, quia nec esse nec intelligi potest, materiam recipere formam, & non componere totum, aut è contra, ergo idem ipse actus recipiendi formam est actus componendi totum, & è contra. Tum quia vnus est terminus adæquatus causalitatis materiæ, & formæ, nimirum compositum, in quo includitur forma, vt terminus inadæquatus, ergo & vna est causalitas adæquata ad compositum terminata, in qua includitur causalitas materiæ erga formam.

Resp. ad 1. vniuersaliter vrgere argumentum, quòd prima rei productio, & conseruatio sint diuersæ actiones, & ideò solùm debet iuxta communem, quod tantum inferat distinctionem penes connotata rationis, quatenus prima formæ, & compositi causatio ex materia connotat negationem esse prius non habiti, conseruatio verò eorundem connotat affirmationem esse prius habiti, & coexistit tempori, de quo plura inferius suo loco. Ad 2. licèt diuisiuè, intelligi nequeat, materiam recipere formam, & non componere totum, præcisiuè tamen intelligi potest, possunt enim concipi partes, vt vnitæ, & veluti in vltima dispositione constitutæ ad causandum totum, & licèt actus recipiendi formam præsupponatur necessariò in materia ad actum componendi totum, idem tamen actus formaliter non sunt. Ad aliud gratis concedimus, causalitatem materiæ in formam claudi in causalitate totius, sicuti forma includitur in toto, vt termino adæquato, neque enim volumus, has duas materiæ causalitates esse inter se adæquatè distinctas, quasi vna ad aliam non pertineat; sed talem intendimus inter eas ponere distinctionem, qualis reperitur inter earum terminos, penes quos distinguuntur.

Ex dictis faciliter colligi potest, quid sit causa materialis, quid formalis, & quæ harum causarum rationem participare possunt, *Causa materialis est principium, ex quo, tanquam ex subiecto, aliquid sit principium* ponitur loco generis, *ex quo vt ex subiecto*, significat modum proprium causandi materiæ, & ab alijs causis secernitur, res enim dicitur fieri ab efficiente, & propter finem, & quamuis compositum dicatur ex forma constitui, non tamen tanquam ex subiecto; additur *fit aliquid*, quod dupliciter contingere potest, vel per eductionem, & sic explicatur causalitas materie respectu formæ, vel per compositionem, & sic explicatur respectu compositi; vnde rationem causæ materialis sic explicatam non solùm participat materia prima respectu formæ substantialis, & compositi, sed etiam subiectum receptiuum formarum, accidentalium, qualescunque sint, siue materiales, siue immateriales, nam & formæ accidentales de potentia educuntur suorum subiectorum, & cum eis compositum accidentale suo modo constituunt; & ad hoc genus causæ materialis, licèt minus propriè, spectare dicimus partes integrantes respectu totius, elementa respectu mixtorum, literas respectu syllabarum, terminos respectu propositionum, & propositiones ipsas respectu syllogismi. *Causa vero formalis est principium, per quod materia determinatur, & constituitur compositum in certa specie; principium* ponitur loco generis; *per quod*, explicat proprium ~~modum~~ causandi formæ, non efficiens dicitur à *quo*, finis dicitur *propter quod* materia principium *ex quo*, forma propriè *per quam*; per ipsam si quidem, & materia perficitur, & compositum in esse completo, & specifico constituitur qui duo effectus formæ per sequentes particulas indicantur; & rationem formalis causæ sic explicatam nedum participat substantialis forma respectu materiæ primæ, & substantialis compositi, verùm etiam forma accidentalis respectu sui subiecti, quod suo modo afficit, & determinat ad certam speciem accidentalem, & cum eo constituit compositum per accidens in certa specie accidentali, & ad hoc genus causæ formalis minus propriè reduci solent continuatiua respectu partium in toto integrali, copula in propositione, forma extrinsecè denominans subiectum per simplicem terminationem, vt visio denominans parietem visum; & demum ad hæc duo genera causæ materialis, & formalis reduci solent genus, & differentia, illud enim in compositione metaphysica appellatur pars materialis, ista formalis, minùs tamen propriè, & per similitudinem quandam, quia sicut nec genus realiter distinguitur à differentia, nec totum metaphysicum à suis partibus, ita vera causalitas inter ea adinueniri non potest.

ARTICVLVS III.

Explicantur conditiones vtriusque causæ, tam in ordine ad se inuicem, quam ad compositum.

50 SVpponimus ad causandum, præter rationem proximam causandi, quasdam etiam conditiones interuenire solere, quæ non includuntur in ratione proxima causandi, necessariò tamen prærequiruntur, vt causa per rationem proximam causandi exeat in actum; sed hic aduertendum est, discrimen esse inter conditionem causantis, & conditionem ad causandum prærequisitam, nam conditio causantis, etsi non includatur in ratione causandi, est tamen aliquid ipsius causæ, sine quo non causaret, & talis est singularitas, quæ proinde à Doctore sæpè sæpiùs vocatur conditio causantis; quia licèt non includatur in ratione proxima causandi, constituit tamen eam in esse singularis, cuius tantum sunt actiones; conditio vero ad causandum necessariò prærequisita, nedum includi non debet in ratione proxima causandi, sed omninò nihil debet esse ipsius causæ, necessaria tamen, vt causa in ordine suo completa in actu exeat; ex quo colligitur, ad conditionem causandi duo requiri, vnum, quòd nec includatur in ratione proxima causandi, nec fit aliquid causæ, pertinens ad complementum eius in ordine suo, alterum, quod non fit aliquid posterius ipso effectu, aut

aut sine quo effectus esse possit, sed necessaria sit ad exercitium causæ; si eius necessitas est absoluta, nec etiam à Deo supplebilis, erit conditio sine qua non absolutè necessaria ad exercitium causæ, si non est absolutè necessaria, sed tantum regulariter, & secundùm communem naturæ cursum, erit conditio sine qua non, secundùm quid, & non simpliciter; hoc prænotato.

51 Dicimus, quod existentia materiæ, & formæ, licèt necessariò prærequiratur ad earum causalitatem, tam in ordine ad se inuicem, quàm in ordine ad compositum, si enim materia non actu realiter existit, non potest realiter recipere formam; si forma non actu existat, non potest informare materiam, nec vtraque simul possunt compositum constituere; si existentes non supponantur, adhuc tamen conditio causandi earum appellanda non est, quia deficit ei primum requisitum ad conditionem, quod scilicet sit extra rationem proximam causandi, cum enim ratio causandi in vtraque sit earum entitas, vt per se actus, & potentia extra causas existens, iam patet, existentiam pertinere ad rationem causandi, & ita res se habet vniuersaliter in omni causa physica, quia existentia non est realiter distincta ab entitate rei, sed eius modus intrinsecus Quantitas verò è contra, neque etiam appellari potest conditio causandi earum, quia deficit ei alterum requisitum, est enim in composito, & sequitur formam cum cæteris accidentibus, vt determinatum est in superioribus; & quando etiam in materia resideret, posset adhuc Deus materiam quantitate expoliare, & formam ex ea educere: & denique si quantitas in materia præexigitur, id non est ex indigentia materiæ, quasi ea indigeat ad recipiendam, vel sustinendam formam, cum ad hoc sufficiat extensio eius entitatiua, sed potius ex indigentia agentis creati, quod cum quantum sit, nequit disponere non quantum, vnde potius erit conditio in materia pro causalitate efficientis, quam ipsius materiæ.

Insuper quamuis intima præsentialitas & indistantia localis prærequiratur inter materiam, & formam, vt forma materiam informet, & vtraque compositum constituat, non enim anima à corpore loco distita animat corpus, neque cum eo distanti hominem constituit, attamen non prærequiritur ad causalitatem, quam materia exercet erga formam. Tum quia antequam materia, & forma sint intimè præsentes, necesse est, formam esse, intima enim præsentialitas supponit esse eorum, quæ præsentia dicuntur. Tum quia antequam forma fundet intimam præsentiam cum materia, præintelligitur existere, siquidem fundamentum natura præcedit relationem fundatam. Tum tandem quia nulla causa antequam causet, potest dici intimè præsens suo effectui, & prius intelligi debet influere esse in illum, & postea illi coexistere in eodem loco, ergo huiusmodi præsentialitas, nequit esse conditio in materia prærequisita ad causandam formam; immo neq; dici potest conditio formæ, quæ illam constituat in vltima dispositione ad exercendam causalitatem suam erga materiam, nec conditio vtriusq; in hoc sensu ad exercendam causalitatem erga compositum, quia potest forma esse intimè præsens materiæ, vt anima corpori, & tamen non animabit illud, neque cum eo hominem constituet, quia deficit vnio substantialis, quæ est conditio constituens partes in vltima dispositione ad constitutionem totius.

Illa verò sigillatio materiæ ad peculiarem formam aliud non est, quam præparatio eius per præuias dispositiones ad hanc, vel illam formam, non enim omnes formæ eandem petunt dispositionem, vnde videtur hæc necessaria conditio, non solum ex parte materiæ ad recipiendam formam, sed etiam ex parte formæ ad formandum; verum quia huiusmodi dispositiones præuiæ potius in genere causæ efficientis concurrunt, vt infrà dicemus, quam materialis, & si etiam concurrerent in genere causæ materialis, potest Deus introducere formam in materia sine præuijs dispositionibus, ideò autnon est censenda conditio causæ materialis huiusmodi materiæ sigillatio, aut certè non simpliciter necessaria, sed tantum secundùm quid, & secundùm communem naturæ cursum. Nec demum proportio illa, quam alij exigebant inter subiectum, & formam ita necessariam, vt nec à Deo suppleri possit, qua ratione subiectum spirituale formam corpoream recipere nequit, nec è contra, benè appellatur conditio causæ materialis, & formalis, cum potius pertineat ad rationem causandi vtriusque ideò enim in lapide nequit intellectio recipi, aut albedo in Angelo, quia nec Angelus virtutem habet, aut potentiam passiuam recipiendi albedinem, nec albedo virtutem informatiuam Angeli; vndè patet, huiusmodi proportionem non esse meram conditionem harum causarum; sed quid intimius illis.

52 Remanet igitur, quod materia, & forma duas habeant conditiones ad exercitium earum necessarias, vnam communem omnibus causis, tam intrinsecis, quam extrinsecis, alteram peculiarem, prior est ordo, dispositio, & applicatio materiæ cum alijs concausis pro necessitate effectus, ita Scotus lib. de primo principio cap. 2. cum enim materia causare nequeat formam, vel compositum, nec forma educi de potentia materiæ, & illi vniri, nisi per actionem extrinseci agentis, rectè indigent prædicta dispositione, & applicatione cum cæteris concausis, prout postulat existentia effectus; & cum huiusmodi applicatio sit prior effectu, nec includatur in ratione causandi, optima ratione conditio huiusmodi causarum appellabitur. Altera conditio causis intrinsecis peculiaris est vnio, hac enim indiget vtraque ad causandum compositum; itaut sine vnione partium implicet compositum fieri, & conseruari, & cum ex alio capite, nec sit causalitas partium, nec ad rationem causandi earum pertineat, vt constat ex dictis, optima ratione conditio causarum intrinsecarum sine qua non appellabitur, & ita significauit Doctor 3.dist.2.q.2.F. vbi ait, ita se habere vnionem in causis, intrinsecis, sicut se habet approximatio in extrinsecis, & sicut approximatio ponit extrinsecas in vltima dispositione ad causandum, in eodem statu ponit intrinsecas vnio, hinc faciliter soluuntur rationes, quę pro alijs, conditionibus solent adduci à Recentioribus.

QVÆSTIO V.

An Deus supplere possit causalitatem materialem, & formalem, & in quo genere causæ.

53 SVpponimus ex dictis, materiam, & formam, duplicem exercere causalitatem, alteram intrinsecam respectu compositi, cuius sunt partes, alteram quasi extrinsecam in ordine ad se inuicem modo iam declarato; causalitas earum in ordine ad compositum dicitur intrinseca, quia semetipsas illi communicant per exhibitionem suarum entitatum, se constituendo partes eius intrinseca; causalitas earum in ordine ad se inuicem dicitur quasi extrinseca, quia materia causando formam, non semetipsam illi præbet, sicut dum causat compositum, sed quasi ad modum causæ efficientis ab extra influit esse, & quamuis forma materiani suo modo causet, seipsam illi communicando, & exhibendo, non tamen se intimè illi communicat, sicut quando constituit compositum, quia non constituitur pars eius; sed tantum in ipsa subiectatur, & extrinsecè suum esse formale ei communicat, vndè, & illud esse per formam materiæ communicatum dicitur esse extrinsecum sibi, & aduenticium, hoc prænotato.

Dicimus 1. in nullo genere causæ posse Deum supplere causalitatem intrinsecam, quam materia, & forma exercent erga compositum. Concl. est communis, & colligitur ex Scot. 1. d. 5. q. 2. C. & d. 8. q. 4. X. & alibi, vbi docet causalitatem materialem, & formalem dicere imperfectionem, & præsertim eam, quam circa compositum exercent, illam enim exercent per modum partis, at habere rationem partis imperfectionem dicit, ergo non potest Deus supplere causalitatem intrinsecam materiæ, & formæ; hæc est ratio, qua communiter Doctores vtuntur ad huius Concl. probationem. Verùm hæc ratio non probat vniuersaliter, Deum huiusmodi causalitatem supplere non posse, sed probat solum, supplere non posse, in eodem genere causæ materialis, & formalis, quia hoc imperfectionem inuoluit. At non probat, quin supplere possit in eminentiori genere causæ nimirum efficientis, posset enim quis dicere, posse Deum hanc causalitatem supplere in genere causæ efficientis sublatis imperfectionibus, quemadmodum Concl. sequenti dicemus, posse hoc modo supplere causalitatem extrinsecam materiæ in formam, & de facto supplet in Sacramento Eucharistiæ sustentando accidentia, & gerens vicem materiæ in genere efficientis causæ. Addendum igitur est, neque in genere causæ efficientis posse à Deo hanc causalitatem suppleri, eo quia materia simul cum forma includuntur in composito quidditatiuè, & sunt de essentia illius, qua de causa, nec efficere potest Deus, nec conseruare compositum sine partibus: vndè non solùm ratione imperfectionis, sed etiam ratione implicationis hoc denegatur omnipotentiæ Dei.

Sed objicies, omnis causa secunda pendet à Deo in essendo, & causando, ergo cum quacunque concurrit iuxtà specialem modum causandi illius, atque ideò cum materiali, & formali, in genere causæ materialis, at quicquid agit cum causa secunda potest se solo facere, ergo, &c. Resp. negando consequentiam, concurrit vtique cum quacunque causa secunda, sed non semper in eodem genere causæ, præsertim quando imperfectionem inuoluit, tunc enim concurrit modo eminentiori, nimirum effectiuo; & verum est, Deum se solo facere posse, quicquid agit media causa secunda generis efficientis, & etiam alterius generis, vbi tamen non interueneris speciali repugnantia, sicut est in proposito de causalitate intrinseca materiæ, & formæ. Sed vrgebis Scot. in 1. d. 5. q. 2. loc. cit. dicentem, totum genus causæ materialis reduci in Diuina Omnipotentia ad genus causæ efficientis, & in 4. d. 12. q. 1. E. inquit, Deum continere eminenter effectus aliarum causarum, & posse causare perfectiori modo scilicet effectiuo, quod ipsæ causant modo imperfecto, & loquitur præsertim de effectu in genere causæ materialis. Respondetur Doctorem loqui loc. cit. de causalitate extrinseca materiæ in ordine ad formam, non autem de intrinseca in ordine ad compositum, quia in hac interuenit specialis repugnantia, vnde cogitari nequit modus, quo à Deo suppleri possit in genere causæ efficientis, sicut cogitatur de causalitate extrinsec.

54 Dicimus 2. in nullo genere causæ, posse Deum supplere causalitatem extrinsecam formæ in materiam. Est communiter receptu, & colligitur ex Doctore loc. cit. præsertim 1. d. 8. q. 4. X. vbi inquit,

inquit, imperfectionis esse, quòd forma in creaturis sit forma informans aliquid; cuius ratio est, quia esse causam formalem alicuius subiecti in hoc sensu, formaliter importat esse actum, & perfectionem ordinatam ad perficiendum aliud realiter distinctum, quæ etiam perfectio non potest à forma communicari subiecto à se realiter distincto, nisi medio vnionis modo in ipsa recepto, sed vtrumque istorum importat imperfectionem, vt patet, ergo non potest Deus hanc formalem causalitatem extrinsecam erga materiam supplere. Sed hæc ratio, si benè ponderetur, probat solum, non posse Deum supplere hanc formæ causalitatem in eodem genere causæ, & ideò addenda est alia ratio, quæ etiam conuincat, id fieri non posse in genere causæ efficientis; Effectus istius causalitas, non est quid entitatiuè distinctum ab ipsa forma existente in subiecto, & parietem esse album, nil aliud est, formalissimè loquendo, quàm habere in se albedinem, nec alius modus excogitabilis est, quo subiectum tale denominetur per intrinsecam denominationem, nisi recipiendo in se formam, sed talis effectus præstari nequit in genere causæ efficientis, ergo in nullo genere potest à Deo suppleri; probatur minor, quia modus causandi causæ efficientis fit per productionem effectus ab ea realiter distincti, & non per communicationem suæ entitatis subiecto, in quod agit. Hinc etiam est quòd repugnat separari causam formalem à suo effectu formali primario, quia implicat, dari calorem in aqua, & aquam non esse calidam, & è contrà aquam esse calidam, & non habere calorem, hoc enim est esse calidum, quòd habere calorem.

Sed contra obijcies. Tum quia secundùm communem, forma vnitur materiæ per vnionem ipsam, quæ est in materia, ergo poterit Deus semetipsum vnire subiecto absq; vlla mutatione, & imperfectione receptionis per solam extrinsecam terminationem vnionis materiæ inexistentis. Tum 2. quia licèt de essentia subsistentiæ creatæ sit aliqua imperfectio scilicet ratio modi, potest tamen Deus seclusis imperfectionibus supplere vices illius etiam in eodem genere, & de facto supplet Verbum diuinum in natura assumpta, ergo à simili licèt sit aliqua imperfectio inuoluta in essentia formalis causæ, poterit tamen Deus sublatis imperfectionibus eam supplere. Tum tandem quia in forma, quod ipsa sit, quo aliquid est tale, non est imperfectionis, sed potiùs perfectionis, vt docet Doctor loc. cit. vndè per sapientiam dicitur sapiens, per iustitiam iustus, ergo potest Deus supplere causalitatem formæ, cum hæc nullam inuoluat imperfectionem, quantùm attinet ad denominandum subiectum tale.

55 Resp. negan. assumptum, vt enim infrà patebit, non Potest forma vniri subiecto sine aliqua mutatione sui, & hæc mutatio non fit, nisi per receptionem vnionis, qua intrinsecè virtute agenti dicitur formaliter vnita subiecto, quod informare debet; & sanè si per solam terminationem potest forma vniri subiecto, & illud informare absque vlla prorsus sui mutatione, non apparet aliunde ratio conuincens, cur Deus non possit seipsum vnire subiecto per modum formæ informantis. Ad 2. negatur paritas de subsistentia, & causa formali, si enim subsistentia aliquam inuoluit imperfectionem, hoc habet ea ratione, qua creata est, non qua subsistentia est, & ideò potest à Verbo suppleri in ratione subsistentiæ, at causa formalis in suo conceptu essentiali, quatenus talis, imperfectionem inuoluit, nimirum esse actum ad alterius perfectionem ordinatum, cui vniri debeat ad talem perfectionem elargiendam. Ad 3. ex Scoto loc. cit. resp. causam formalem, seu formam informantem duo habere; & quòd sit informans, idest pars componibilis cum subiecto, quod informat, vt cum eo faciat compositum per se, vel per accidens; & quod sit id, quo aliquid formaliter est tale, & licèt hoc non sit imperfectionis, illud tamen primum imperfectionem importat & hinc est, cur Deus nequit dici causa formalis, nec eius causalitatem subire.

Dicimus 3. neque posse Deum supplere causalitatem extrinsecam materiæ in formam in proprio genere, benè tamen in alio genere, scilicet efficientis causæ. Colligitur ex Doct. loc. cit. & est communis, Quòd suppleri nequeat in genere causæ materialis etiam extrinsecæ, Prob. Quia hæc causalitas est eductio, & sustentatio formæ, quæ omninò exerceri non potest, nisi per subiectionem rei sustentantis ad rem, quam sustinet, si enim exercetur sustinentia subiecti respectu accidentis, quod subiectum habet in se accidens, & accidens illi inhæret, & hoc se habet vt potentia, illud vt actus, hoc vt receptiuum, illud vt receptibile, hoc vt perfectibile, & illud sit perfectiuum; at Deum hoc modo in seipso formam recipere, & sustinere, est prorsus impossibile, ergo non potest causalitatem hanc materialem in eodem genere supplere.

Resp. Fonseca, qui oppositum sustinet. 5. Met. cap. 2. q. 8. sec. 4. & q. 12. sec. 2. posse causalitatem materiæ, quæ dicitur sustinentia, etiam ab ipsa materia exerceri erga formam distantem, vel saltim non in se receptam, & in hoc sensu concursum materialem sustentatiuum nullam dicere imperfectionem, atque ideò posse à Deo suppleri, etiam in eodem genere causæ. Sed certè responsio hæc implicatoria est, nulla enim vt nunc dicebamus, esse potest sustinentia materiæ erga formam, nisi in se recipiat illam, & illi subijciatur, nam si forma est ab ea loco distita, quem influxum, quæso, potest materia in eam exercere in genere causæ materialis? & sustinentia ex parte subiecti ita se habet, quòd ei correspondet inhærentia actualis ex parte formæ, at hæc dari nequit sine vnione intima formæ ad subiectum, ergo nec illa.

Quod autem supplere possit Deus hanc causalitatem in genere causæ efficientis, probatur. Tum ex venerabili Sacramento, vbi quantitas existit, licèt non subiectetur in materia, quæ ibi non est; Tum ostendendo modum, quo potest à Deo fieri tale supplementum in genere efficientis causæ; potest enim fieri conseruando formam sine vnione ad materiam per solam actionem conseruatiuam, qua formam illam in subiecto anteà conseruabat, & cessando ab influxu conseruatiuo subiecti, vel vnionis, hæc enim sola actio cõtinuata sufficit, vt forma substantialis, vel accidentalis etiam sine subiecto existat in rerum natura.

56 Sed contrà obijcies, quòd possit Deus, & debeat supplere causalitatem materialem extrinsecam in eodem genere causæ. Tum quia causalitas efficientis causæ, nec formaliter, nec eminenter continet causalitatem materialem, ergo si hanc supplet Deus, supplere debet in proprio genere. Tum 2. quia causa materialis est essentialiter subordinata Deo, non minùs, quàm efficiens, ergo sicut ratione istius subordinationis causalitas efficiens suppleri potest à Deo in proprio genere, ita causalitas materialis. Tum tandem quia sustinentia formæ exerceri potest absque vlla prorsus imperfectione receptionis; Verbum namque Diuinum naturam humanam sibi vnitam dicitur sustinere absque vlla prorsus imperfectione inde contracta.

Resp. negan. assumptum ex Scoto 4. d. 12. q. 1. E. & iam insinuauimus modum eminentiorem, quo potest à Deo suppleri materiæ causalitas in formam, ita nimirum, vt forma, quæ prius à Deo conseruabatur in subiecto, incipiat deinceps sine concursu subiecti sustentantis à sola causa efficiente dependere, & sola eius virtute in rerum natura existere. Ad 2. satis censetur essentialiter subordinata Deo hæc materialis causalitas, dum possit à Deo suppleri in eminentiori genere causæ. Ad 3. est manifesta disparitas, quia Verbum longè diuerso modo sustinet humanam naturam, ac materia sustineat formam, & alterius omninò rationis est vnio, quæ reperitur inter naturam, & Verbum, ab ea, quæ reperitur inter materiam, & formam; concurrit enim subiectum ad formam recipiendo, & subiectando illam, Verbum verò tantum terminat vnionem naturæ ad seipsum, & vnio naturæ ad Verbum dicitur hypostatica, vnio subiecti ad formam dicitur materialis, scilicet potentialis ad actum, perfectibilis ad perfectiuum.

Sed vrgebis, causalitas materiæ in formam est extrinseca, sicut causalitas efficientis, ergo si hanc supplere potest in proprio genere, etiam & illam. Resp. non valere paritatem, quamuis enim hæc materiæ causalitas assimiletur efficienti in hoc, quod vtraque causa est suo effectui extrinseca, quatenus eum intrinsecè non componunt; causa tamen efficiens quodam peculiari modo dicitur etiam extrinseca effectui, quòd non indigeat vnione naturali cum ipso, quod materiæ conuenire non potest, quæ potius suapte natura vnionem efflagitat cum suo effectu, scilicet forma, etiam in se recipiendo, & sustinendo.

QVÆSTIO VI.

An possit eadem materia simul informari pluribus formis substantialibus.

57 MOuetur quæsitum de formis substantialibus tam subordinatis, quam disparatis, duobus enim modis cogitari possunt plures formæ se habere in eodem subiecto vel ita vt vnaquæque immediatè vnita sit materiæ primæ, vel vna mediante alia, veluti præuia dispositione quo sensu docuimus supra disp. 2. q. 4. art. 2. formam corporeitatis in quolibet viuente præcedere animam; primo modo, quia nullum inter se ordinem seruant, dicuntur formæ disparatæ in ordine ad idem subiectum; secundo modo, quia ordinem seruant perfectioris, & imperfectioris formæ dicuntur subordinatæ.

Recentiores ferè omnes, quibus præiuit Suarez in Met. disp. 13. sec. 3. & disp. 15. sect. 10. tenent, non posse dari in materia plures formas ita inter se ordinatas, vt vna sit dispositio ad aliam, quia repugnat formæ substantiali esse dispositionem ad susceptionem alterius, vnde insinuant, neque hoc possibile esse per absolutam Dei potentiam; de formis verò disparatis aiunt, quòd licèt naturaliter sit impossibile, quod simul informent eandem numero materiam, supernaturaliter tamen concedunt esse possibile, ita Hurt. disp. 4. Phys. sec. 3. Ruuius tract. 2. de forma q. 7. Auersa q. 20. sec. 3. Amicus tract. 6. de forma qu. 6. dub. 5. Complut. 1. Phys. disp. 4. sect. 6. Arriag. disp. 3. Phys. sec. 6. & alij quamplures. Opposita sententia de formis subordinatis est Scot. in 4. d. 11. q. 3. art. 2. vbi tenet, non solùm impossibile non esse, plures formas subordinatas in eadem materia reperiri, sed de facto ita esse in omnibus viuentibus, in quibus præter animam necessariò est admittenda forma mixti, & hanc esse dispositionem in genere causæ materialis, velut ratio recipiendi in ordine ad animam, specificat Doctor in 4. d. 1. qu. 5. E. & d. 11. qu. 3. sub Hh. De formis verò disparatis Thomistæ passim docent esse prorsus impossibile, quod plures simul eandem informent materiam; ita Complut. cit. Io. de S. Th. qu. 10. Phys. art. 5. Manca 2. Phys. q. 8. dub. 5. & alij, sed in schola nostra est contentio inter Scotistas de mente Doctoris, alij siquidem volunt, id esse possibile de potentia Dei absoluta, ita Sghemma

Phys.digr.7. q.14. concl.2. & videtur consentire Tromb.8.Met.q.2. §. *Dico ergo aliter ad quæst. &c.* vbi dum ait, incompossibiles esse plures formas specificas, & vltimatas in materia, specificat, id esse intelligendum naturaliter. Alij negant, id esse possibile, etiam supernaturaliter, ita Fuentes 1. Phys. qu.4. diff. 3. art. 1. citans Aretinum 1.Phys.q.24. & ait, esse communem inter Recentiores Scotistas. Arriag. è contra disp.3. Phys. nu. 112, ait non videre rationem efficacem, cur id repugnet naturaliter.

ARTICVLVS I.

Resolutio Quæsiti de formis subordinatis.

58 DIcendum est, plures formas substantiales subordinatas posse simul informare eandem numero materiam & ita de facto contingere naturaliter in compositis animatis. Concl. est Scot. loc. cit. quem sequuntur omnes Auctores citati disp.2. q.4. art.2. & est ita euidens, vt quamuis omnes Patres Societatis vnanimiter oppositum defendere solerent, hac tempestate incipiunt nostram sequi sententiam, quam egregiè defendit Pater Coninch. de Sacram. q. 76. art. 2. & P.Dandinus 2. de Anj. tex.11.digress.8. p. 3. testatur, esse peripateticam sententiam, & quia ibi satis fusè probata est, hic solùm ostendemus, formis substantialibus talem subordinationem non repugnare, immo de facto in ipsis reperiri, & Primò probari potest hæc subordinatio formæ mixti ad animam ex definitione ipsius tradita ab Arist.2.de An.tex.6. Anima est actus corporis physici, organici, ex quo deducitur animam esse perfectionem corporis, & non immediatè materiæ primæ, & materiam primam per formam mixti præcedentem disponi, & præparari ad animæ receptionem.

Deinde prob. Nam priusquam anima corpori infundatur, ipsum debet esse organizatum, vt omnes concedunt, at illa organizatio non est in pura materia prima, sed in composito, quod dicitur Embrio, in quo postea tanquam in proprio, & adæquato perfectibili anima infusa recipitur, ergo forma Embrionis subordinatur animæ veluti præuia dispositio, quia materiam primam disponit, & proportionatum perfectibile animæ constituit.

Respondent formam Embrionis expelli formaliter per animam introductam, cui formaliter repugnat, Sed contra, quia forma vna non expellit aliam, nisi quia ei contrariatur, vt patet in formis accidentalibus, sed formæ substantiales non contrariantur sibi mutuò, nisi ratione dispositionum, quas requirunt, & qualitatum, quas secum deferunt, ergo si anima expellit formam embrionis, hoc erit ratione dispositionum, quas ad sui introductionem requirit, sed hoc esse non potest, quia eædem penitus qualitates embrionem conseruant, & perficiunt, ac materiam disponunt ad animæ introductionem. Deinde etiamsi forma embrionis in aduentu animæ expelleretur, quamuis non foret tunc dispositio ad animæ introductionem in ratione receptiui, esset tamen præuia dispositio in eo sensu, quo nos ponere solemus qualitates præuias dispositiones ad introductionem formæ, etiamsi ponamus illas corrumpi in aduentu formæ substantialis, ergo saltim euitare nequeunt, quòd in hoc sensu vna forma substantialis non sit de facto præuia dispositio ad aliam formam substantialem. Denique hanc concl. tenent, quicunque asserunt, tres animas in homine formaliter reperiri, dicunt enim vnam esse alteri subordinatam, vt rationem recipiendi aliam, non enim rationalis reciperetur in corpore, nisi priùs actuato per sensitiuam, nec sensitiua reciperetur in eo, nisi priùs actuato per vegetatiuam.

Contra hanc Concl. præter rationes, quæ directè faciunt contra formam corporeitatis, relatas disp.2. cit. sunt aliæ, quæ directè faciunt contra hanc subordinationem formarum in eadem materia, ac proinde sunt hic soluendæ. Primò igitur objicitur, quòd vnius entis est vnicum esse, ergo vnica forma, quia forma dat esse, ergo in eodem composito non sunt plures formæ subordinatæ.

Resp. Scotus loc.cit. pluralitatem formarum subordinatarum non obstare vnitati compositi, sufficit enim ad hanc vnitatem, vt tantum vna sit forma vltima, & completa, quæ solutio est Philosophi 4.Meteor. in fine vbi dicit, solam vltimam formam esse absolutè formam, & actum; intermedias autem esse etiam materias. Contra objicies 7. Met.c.de vnitate diffinitionis ait Philos. quòd in substantijs non est ordo, ergo vna forma substantialis non ordinatur ad aliam. Resp. negan. conseq. solum enim ibi ait Philos. vt notat Bassol. 2.d.17. q.1. ad 3. quòd addere priorem differentiam posteriori, vt dicendo, homo est animal, rationale, sensitiuum, in definitione substantiali non est ordo, sed potius nugatio, & deordinatio. Contra respons. Scot. objicit Caiet.p.1. q.76. art.4. hinc sequi, quod vna res absolutè, & simpliciter sit, & adhuc fiat, sit per primam formam, quæ substantialis est, ac proinde dat esse simpliciter, & fiat simpliciter etiam per aduenientem, nam, & hæc est forma substantialis. Respond. non esse inconueniens, eandem rem esse simpliciter, sed incompletè per formam præcedentem, & fieri, simpliciter completè per vltimam, & si per esse absolutè, & simpliciter intelligit vltimum esse non amplius substantialiter perfectibile, negatur, quòd res sit simpliciter & absolutè per formam præcedentem. Contra, replicat Caiet. quòd Scotus abutitur terminis, quia apud Philosophos ly simpliciter significat sine addito, vnde quòd simpliciter est apud Philosophos, habet suum complementum substantiale. Respond. Doctor ipse, etiam apud Aristot.1. de Gen.12. sumi ens simpliciter, & pro omni entitate, cuius oppositum, scilicet non esse simpliciter, est purum nihil, & pròut oppositum enti secundum quid, quo sensu omnis forma substantialis est ens simpliciter, & in hoc sensu plura esse simpliciter in eodem composito esse possunt.

60 Secundò, sequeretur, quòd forma substantialis daret esse accidentale, quia aduenieret enti in actu, & ita à forma accidentali non distingueretur. Resp. Scot. cit. esse, quod aduenit enti in actu completo per vltimam formam, est esse accidentale, quia iam tota rei essentia constituta est, vndè aliud essentialiter ad ipsam pertinens addi non potest; sed quod aduenit enti in actu incompleto quod adhuc substantialiter perfici potest, non est accidens, sed vltima forma. Contrà 5. Phys. tex.8. quod mouetur, est, quod generatur, non est, sed eductio vltimæ formæ est generatio, ergo id, ex quo educitur, vel in quod inducitur, non est simpliciter, alioquin haberet esse, sicut & illud, quod mouetur. Resp. Doctor, sensum illius propositionis assumptæ à Philosopho esse, quòd subiectum generationis necessariò caret esse simpliciter completo, eo quòd substantialiter perfici potest, quo non caret necessariò id, quod mouetur, vel alteratur, cum non petat substantialiter perfici, quatenus est subiectum motus, vel alterationis.

Sed iterum contra allatam respons. obijcit Hurtad. §. 30. materia cum illa forma est ens completum, ergo forma subsequens dat esse accidentale & constituit ens per accidens, Probat antecedens, quia quæuis forma, cùm sit indiuidua, pertinet ad physicam speciem athomam, ergo constituit speciem completam; Tum quia est materia, & actus eiusdem generis; Tum quia neque lapis neque inanimata essent species completæ, Tum tandem quia nihil deficit illi formæ, vt non sit actus speciei completæ, sicut est forma lapidis præsertim, cum sit nobilior, & perfectior illa. Resp. negan. assumptum. Ad probat. negatur conseq. cum suis probationibus, quia materia, & actus eiusdem generis reductiuè non constituunt speciem completam, nisi sit actus vltimus, & completus; lapis verò, et inanimata sunt species completæ, quia eorum formæ sunt vltimæ, et completæ, non ordinabiles ad vlteriorem actum in eodem genere; et hæc vltimitas est illa, quæ deficit formæ embrionis, v. g. vt non sit actus speciei completæ, sicut est forma lapidis, nec oportet, ait Bassol.cit. ad 2.formam perfectiorem dare esse magis completum nisi in formis vltimis, sed tantum esse perfectus.

61 Tertio, repugnat, vnam formam substantialem esse dispositionem ad susceptionem alterius, et aptam esse ad aliam suscipiendam: Tum quia tunc forma esset materia, et materia posset informare aliam materiam, quod est confundere munera actus, et potentiæ substantialis. Tum 2. quia hoc modo præcluditur via refellendi opinionem ponentem formam corporeitatis materiæ coæuam, et tres animas formaliter in homine, dicent enim isti, formam corporeitatis subordinari omnibus formis, et vnam animam alteri. Tum tandem quia de ratione formæ substantialis est, vt constituat rem in esse certo, et determinato, perfecto, et completo, et propterea dicitur quodquid est rei, ergo repugnat sibi esse alteri subordinatam, quia tunc daret esset imperfectum, et incompletum.

Resp. negando assumptum, videmus enim formam embrionis disponere materiam ad susceptionem animæ. Ad primam probat. dicimus, non esse inconueniens, eandem formam substantialem esse formam sui subiecti, et recipere aliam formam sicut in accidentalibus, quantitas est forma substantiæ, et subiectum qualitatis; neque ob id confundunt munera materiæ, et formæ; munus enim materiæ primæ est, vt sit principium primum patiendi, siue primum subiectum, quod munus nunquam potest competere formæ, et munus vltimæ formæ in aliquo ordine est, vt non sit subiectum alterius formæ in eodem ordine, quod materiæ primæ conuenire nequit, materia enim prima non potest esse forma alterius subiecti, benè tamen dari potest forma veluti media quod sit subiectum alterius formæ, et simul sit forma sui subiecti prioris iuxta doctrinam Philosophi relatam 4. Meteor. in fine. Ad 2. negatur, præcludi viam referendi illas opin. licèt enim ex hoc capite non præcludatur, præcluditur tamen ex alijs, quia scilicet forma corporeitatis in non viuentibus superuacanea est, vt fusè probatum est disp.2. cit. et vegetatiua, ac sensitiua superfluæ ponuntur in homine; cum virtualiter contineantur in intellectiua, vt dicitur in lib. de Anima, quod dici nequit de forma mixti respectu animæ. Ad 3. negatur, esse de ratione formæ substantialis in communi, quòd constituat rem statim in esse perfecto, et vltimo, sed de ratione illius est, quòd det constituto esse simpliciter, vt est simpliciter contradistinguitur ab esse secundum quid, quod à forma accidentali tribuitur, vt Scot. docet 4. d.11. q.3. Dd. quando vero communiter dicitur, formam esse quodquid est rei, et illam completè constituere, & specificè ab alia re distinguere, hoc intelligi debet de forma vltima, quæ sola absolutè est forma, & forma nuncupatur, intermediæ enim & subordinatæ dicuntur potius materiæ ex Arist.cit.4. Meteor.& definitio formæ, quòd sit quodquid est rei, licèt per se primò conueniat formæ vltimæ, quæ absolutè dicitur forma, potest tamen commodè applicari etiam istis formis subordinatis, quæ etiam dant esse simpliciter, & per se, licèt non vltimum, & perfectum vide dicta disp.2.qu.1.ar.5.

62 Quartò arguitur; Tum quia materia, & formæ sic adinuicem ordinantur, vt vnica materia ad vnicam ordinetur formam, ergo plure

plures recipere non potest. Tum 2. quia forma mixti non facit cum materia, si in ea præcedit animam, vnum ens completum, alioquin non posset materia rursus actuari per animam, ergo abeunte anima non potest materia manere naturaliter cum sola illa forma, sicut non potest manere sine vlla prorsus forma, ratione suæ incompletionis. Tum tandem quia quando à diuersis formis sumitur prædicatio, vel est prædicatio per accidens, vtpote si formæ non sunt per se ordinatæ, vt homo est albus, vel si formæ sint per se ordinatæ, est prædicatio per se secundo modo, vt superficiatum est coloratum, ergo si genus accipitur ab vna forma, & species ab alia, quod oportet dicere, ponendo plures formas in homine, sequitur, quòd prædicatio generis de homine non erit prædicatio per se primo modo.

Resp. ad 1. vnicam materiam immediatè recipere formam, quæ si incompleta sit ad perfectionem ordinari potest, & sic ipsa non dimissa, sed retenta quasi præuia dispositione, potest materia aliam suscipere formam. Ad 2. licèt forma corporeitatis non faciat cum materia ens completum, & in actu formaliter vltimato, perficit tamen illam substantialiter, quia vltra actum entitatiuum, quem de se habet, constituit eam in actu formali, & ideo abeunte anima, benè potest manere materia naturaliter cum sola illa forma, quia non remanet in rerum natura materia pura, sed constitutum ex materia, & mixtionis forma, & quidem longè diuersa est conditio materiæ nudæ, & constituti ex materia, & forma mixtionis, materia enim nuda est pura potentia omninò subiectiua, excludens quemcunque actum formalem, & ideo naturæ viribus per se consistere non potest, cum ordinata sit, vt semper sit cum forma: illud verò, quod ex materia, & forma mixtionis constitutum est, quamuis dum ordinatur ad animam, habeat rationem materiæ, re tamen vera non est materia sola, sed compositum, & ideò recedente anima per se consistere potest. Ex qua doctrina soluitur instantia, quæ à quibusdam fieri solet contra id, quod diximus de necessitate naturali connexionis materiæ cum forma disp. 2. q. 3. art. 1. quod nempè aliquo modo oriatur ex incompletione materiæ; ex hoc enim deducunt eadem ratione, neque corpus pro alia parte animata compositi posse naturaliter anima exui, vel si hoc fieri potest, etiam, & illud, nempe materia sine forma; non est enim par ratio de materia & corpore pro altera compositi parte, vt etiam dicimus in lib. de Gen. disp.5. q. 3. art. 1. nu.81. Ad 3. ait Doctor, per hoc non probari, nisi quòd prædicatum acceptum à forma posteriori non dicitur per se de prædicato sumpto à forma priori, sicut hæc non est per se, homo est albus, & animal est homo, quia vna harum formarum non includit aliam; non sequitur tamen, quòd genus per se non prædicetur de specie, quia hæc, etsi importet prædicatum sumptum à posteriori forma idest differentiam, non tamen præcisè illud, sed etiam genus includit.

63 Quintò tandem obijciunt quædam axiomata philosophica, quibus præsertim Suarez, & alij inducti sunt ad negandam pluralitatem formarum in composito 1. de Gen. c. 3. inquit Phil. quòd generatio vnius est corruptio alterius, & è contra, ergo in aduentu animæ corrumpitur forma embrionis, & cum corrumpitur animal, statim generatur cadauer. & 1. de Gen. tex. 23. ait, quòd generatio est mutatio totius in totum nullo sensibili manente vt subiecto eodem, in quo differt ab alteratione, ergo cum generatur animatum, nullum sensibile, quod præfuit, manet, & idem dicendum, quando corrumpitur.

Resp. primum axioma Arist. esse verum, vel mediatè, vel immediatè, vt notat Tatar. 1. de Gen. tract. 2. qu. 1. not. 4. in inanimatis verum est immediatè, in animatis mediatè, vt enim notat Cauellus disp. 1. de An. sec. 4. Arist. hanc maximam inducit ad probandam æternitatem generationum sine infinita materia, vnde sufficit sibi, quòd ad quamcunque corruptionem sequatur saltim mediatè generatio, & ad quamcunque generationem præcedat saltim mediatè corruptio, & vtrunque habetur sine generatione cadaueris in interitu animalis, & sine corruptione embrionis in eiusdem ortu, sic enim nunquam cessabit generatio, & sufficit finita materia, quod solùm intendit Philos. Vel 2. dicitur cum Tromb. 8. Met. qu. 2. art. vlt. ad 5. & Bassol.cit. ad 1.principale, valere Arist. dictum de corruptione, & generatione totali, non partiali; vel quòd corruptio vnius est generatio alterius, aut in fieri, aut in facto esse, & ita nihil corrumpitur quacunque corruptione, siue partiali siue totali, nisi aliquid generetur, vel in fieri, vel in facto esse, quæ responsio colligitur ex Scoto 4. d. 2. qu. 3. sub Hh. Vel 3. dicatur cum Mercenario, & Zab. in generatione animalis embrionem corrumpi secundùm quid, & in eiusdem interitu generari cadauer secundùm quid, quatenus scilicet adueniente anima, forma embrionis non amplius fungitur officio formæ, sed potiùs materiæ, & anima recedente, incipit denuo fungi officio formæ, & in hoc sensu solùm verificatur hæc propositio in animatis. Vel demum cum Ragus. Resp. Arist. illud dixisse, vt ostenderet, materiam nunquam reperiri nudam, quare generatio subsequens semper est necessaria, quotiescunque imminet periculum, ne materia maneat sine forma, quòd periculum non adest in animalis interitu, cum remaneat materia sub forma mixti. Quòd autem non sit vera vniuersaliter illa propositio, patet in accidentibus multis, quorum generationem nulla comitatur corruptio; nec corruptionem generatio, eiusmodi sunt lumen in aere, species in medio &c. de quo agimus disp. 5. de Gen. & Corrup. nu. 103.

Ad aliud axioma, generatio est mutatio totius in totum &c. dicatur cum Tat.cit.dub.1.Philos.ibi loqui de sensibili completo, aut de generatione inanimatorum, quorum tantum exempla ibi affert. Vel dicendum est, Philosophum intelligere velle, quòd in nulla substantiali generatione potest idem remanere commune subiectum vtriusque formæ, scilicet recedentis, & subsequentis aut remanentis, nisi sola materia prima, quæ sensibilis non est, & ita contingit etiam in ortu, & interitu animalis, quòd idem sensibile non manet vt subiectum vtriusque termini, hoc est, formæ corporis, & animæ, aduenente enim anima, corpus est subiectum, sed recedente, fit totum, & sola materia remanet subiectum formæ mixti, ita respondet. Zab. Vel tandem dicatur, Philosophum loqui de generatione totali compositi animati; sed hoc axioma in lib. de Gen. & Cor. ex professo exponimus disp.5.cit.n.32. vide ibi & Bassol.2.d.17.q.1.vbi non tantum soluit rationes allatas, sed etiam subtilissimè retorquet ex compositione metaph.

Postremò Arriag.cit.disp.3.Phys. sec.6. nedum hanc nostram sententiam impugnat, verum etiam irridet contra quem seriò agimus disp.cit.de Gen.& Cor.qu.3. art.1. vbi fusè eius dicacitati, & argumentis occurrimus, quæ non oportet hic repetere.

ARTICVLVS II.

Resolutio quæsiti de formis disparatis.

DIcendum est quod licet naturaliter nequeant plures formæ substantiales disparatæ specie, vel numero diuersæ in eadem materia coniungi, possunt tamen de potentia Dei absoluta; Conclusio quoad primam partem colligitur ex Scot.2. d.15. q.vn. infra A. & licet probatione non egeat, suaderi tamen potest, quia naturaliter formæ diuersæ, & disparatæ diuersas requirunt dispositiones, ac incompossibiles, ergo naturaliter simul coniungi nequeunt, sicut neque earum dispositiones prærequisitæ, & in eiusmodi formis naturaliter verum est generationem vnius semper esse corruptionem alterius; Cæterum Arriag.cit.disp.3.Phys.nu.98. & 112. inquit hanc rationem non valere, quia opus non est, vt formæ disparatæ petant oppositas dispositiones, sufficit enim si disparatas, quæ inuicem non repugnent: imò probabile putat in ferro cadente de facto reperiri simul formam ignis, & ferri, quod pluribus ibi probat, quod si hoc non admittantur, ait saltim non repugnare in rerum natura duas formas substantiales, quæ non petant contrarias dispositiones, & incompossibiles, posset enim esse forma substantialis media inter formam ignis, & ferri, quæ cum forma ferri sit compossibilis, & sicut in aqua feruenti consistit cum eius forma calor intensus; cur non posset consistere alia forma substantialis cum calorem exigens pro dispositione? quare num. 113. concludit rationem huius incompossibilitatis ex contrarietate dispositionum non esse desumendam, sed ex incapacitate materiæ ratione suæ virtutis limitatæ, quæ non potest duas formas substantiales, quæ maximam dicunt perfectionem, simul sustinere; potest autem plures accidentales, quia hæ non requirunt tantam virtutem, vt sustententur, quantam substantiales.

Verùm hæc sua ratio omninò vana est, tum quia falsum est, vt mox dicemus, potentiam materiæ esse ad hanc, vel illam formam limitatã cum potius quantum est de se, sit ad omnes prorsus illimitata, vndè cum vnam recipit, adhuc retinet capacitatem ad aliam, tum quia falsum est formas substantiales maiorem virtutem requirere in materia, vt sustententur, quam accidentales, quia vniuersaliter forma quo plus habet inhærentiæ, eo est minoris consistentiæ, & ideò maiorem requirit in subiecto virtutem, vt sustententur, cum igitur accidentia minus, quam formæ substantiales consistant, maiorem in materia requirent virtutem sustentatiuam, & formæ substantiales minorem, vndè argumentum potius est ad oppositum; retinenda itaque est ratio à nobis allata ex incompossibilitate dispositionum deducta, quamuis enim non omnes formæ contrarias petat dispositiones, eo tamen ipso quod sunt disparatæ, ideò diuersas petunt dispositiones, vt ea diuersitas ad istam possibilitatem sufficiat, etiamsi directè non repugnent, & ità docemur ex naturali rerum cursu, iuxta quem generatio vnius est corruptio alterius; & omnino falsum est in ferro candenti reperiri simul formam ignis, & ferri, vt ostendimus contra Aresium disp. 4. de Cœlo q.4. ar.3. ex quo loco dissolui possunt quæcunque hic affert Arriag. ad probandum oppositum, nam vero dari possit forma illa media inter ignem, & ferrum, quæ cum forma ferri sit compossibilis parum ad rem attinet; sufficit nobis secundùm communem naturæ cursum talem formam non dari, quæ sit cum alia compossibilis.

Quo ad alteram partem, in qua est tota difficultas, colligitur ex Scoto in 4.d.10.q.2.sub.P.vbi concedit, id fieri posse à Deo, quidquid ibi dicat Tataretus, neque in 2.responsione ad idem argumentum reuocat, quod dixerat in prima, sed inquit solùm, ex casu ibi posito non sequi, eandem materiam informari duabus formis disparatis. Hæc est communior opinio, & probabilior; & probatur euidenti ratione, quia, vt visum est disp.2.q.5.ar.3. licèt sit vnica potentia materiæ, non tamen est limitata ad hanc, vel illam formam, sed indeterminata, & illimitata ad omnes, vnde cum vnam recipit, adhuc retinet capacitatem

citatem ad aliam, non tamen potest aliam simul, & semel recipere, quia naturaliter vna forma disparata aliam expellit, ergo impedimentum, cur materia non possit informari simul, & semel duabus formis disparatis, non oritur ex natura illius ab intrinseco, sed proueniet ex parte formarum, quarum sicut effectus primarius est informare materiam, ita effectus secundarius est, vnam expellere aliam, siue impedire naturaliter, ne alia informet simul cum ipsa, sed sic est, quòd hic effectus secundarius impediri potest à Deo, sicut impediri potest in genere quantitatis, ponendo duas quantitates in eodem loco, & in genere qualitatis, ponendo duo contraria in eodem subiecto, quia vtrunque fieri potest à Deo, vt suo loco dicemus, ergo poterunt æquè benè poni in materia duæ formæ disparatæ.

Respondent aliqui, non quemcumque effectum secundarium formæ posse diuinitus impediri, nam ad positiuam entitatem lapidis sequitur necessariò negatio cuiuscunque alterius formæ disparatæ, sicut ad entitatem hominis sequitur necessariò negatio asinitatis, atque ideò posita forma lapidis in materia, non poterit simul poni forma panis, cùm forma lapidis secum deferat necessario in eodem subiecto negationem formæ panis. Negant etiam paritatem assumptam de duobus contrarijs in eodem subiecto, & duobus corporibus in eodem loco, nam cum contrariæ sint formæ accidentales, & non dent esse simpliciter, sed secundùm quid, non est inconueniens, quod simul informent idem subiectum, ex hoc enim solùm sequitur, quòd idem sit in pluribus speciebus accidentalibus, quod nec etiam naturaliter inconuenit, si sint accidentia disparata, & non opposita, at positis in materia duabus formis substantialibus disparatis, idem esset simul, & semel in duplici specie essentiali, quod implicat.

65 Hæc responsio nihil prorsus valet alioquin etiam probaret duas formas accidentales disparatas, vt albedinem & dulcedinem in eodem subiecto esse non posse, nam albedo secum defert negationem cuiuscunque alterius formæ, atque ita cum ipsa nulla alia forma consistere posset in eodem subiecto. Aliud igitur est loqui de negatione essendi aliud, & de negatione essendi cum alio, quæliber forma in subiecto secum defert necessariò, & inseparabiliter primam negationem, quia hæ sequitur suam entitatem, per quam est talis forma, & non alia, & cum subiecto constituit tale compositum, & non aliud; Sed non defert secum necessariò negationem essendi cum alio, alioquin quæcunque forma in quocunque subiecto esset incompossibilis cum alia forma, quod patet esse falsum. Ita igitur in proposito forma lapidis in materia duplicem modò defert negationem formæ panis, nimirum negationem essendi illam, & negationem essendi cùm illa, prima negatio à Deo impediri non potest, nam fieri nequit vt entitas formæ lapidis non sit distincta, & alia ab entitate formæ panis, altera tamen negatio benè potest à Deo impediri, quia consistit in expulsione, & actuali incompossibilitate vnius formæ cum alia.

Paritas etiam in argumento assumpta de duobus contrarijs in eodem subiecto, & corporibus in eodem loco omninò negari non potest, nam sicut expulsio contrariorum ab eodem subiecto, & quantitatum ab eodem spatio est effectus secundarius illarum formarum, & ideo à Deo impedibilis, ita etiam expulsio, & actualis incompossibilitas formarum substantialium disparatarum in eadem materia est effectus secundarius illarum, & à Deo impedibilis. Nec sequitur, idem esse in duplici specie essentiali, nam si eadem materia sit simul sub forma panis, & lapidis, ipsa semper foret in vna dumtaxat specie sibi intrinseca, & essentiali, scilicet sub specie incompleta materiæ, & reductiuè tantum, ac extrinsecè esset sub pluribus disparatis, scilicet lapidis, & auri, sicut substantia lactis est reductiuè sub specie albedinis, & dulcedinis; si verò loquamur de suppositis ex ipsa constitutis, vnumquodque esset in sua propria species lapis sub specie lapidis intrinsecè, & essentialiter, & panis sub specie panis.

66 In oppositum conantur Aduersarij ostendere, id implicare, sed non omnes ex eodem capite implicantiam deducunt. Primò communiter ex eo capite deduci solet implicantia, quia ex tali coniunctione compositum inde resultans esset simul, & semel vnum, & plura, specie, & numero, nam propter identitatem materiæ, vnum iudicari deberet, specie, & numero, specie quidem, quia materia non est minus pars essentialis compositi, quàm forma, numero verò, quia 5. Met. c. 9. ea sunt vnum numero, quorum materia est vna; propter diuersitatem verò formarum deberet dici plura numero, quare compositum istud esset veluti Chymera, & Hircoceruus, quia nec propriè posset dici plura, nec propriè vnum, quia duæ formæ completæ non possunt per se vnum constituere.

Resp. nullam ex hoc sequi implicantiam, ex tali enim coniunctione constituerentur simpliciter plura composita, & suppofita inter se simpliciter distincta, vt colligitur ex Scoto cit. 2. d. 15. q. vn. sub A. quia sicut de facto, quamuis materia panis, & lapidis sit eadem specie, non propterea lapis, & panis dicuntur eadem specie, quia identitas specifica attenditur solum penes integram rei essentiam non penes partem illius, aut si etiam penes partem attenditur, non attenditur penes partes determinabilem, & potentialem, qualis est materia, sed determinantem, & actuantem, qualis est forma, huius enim propriè est constituere in specie, & specie distinguere vnum constitutum ab alio, & sicut etiam de facto, quamuis eadem numero materia transeat à forma aquæ ad formam aeris, non idcirco aer, & aqua dicuntur idem compositum numero ob identitatem materiæ sed adhuc dicuntur numero, & specie diuersa ob solius formæ diuersitatem, ità etiam in casu nostro, quamuis eadem foret materia vtriusque compositi, scilicet panis, & lapidis, composita tamen forent inter se simpliciter diuersa specie, & numero, & solum secundùm quid eadem dici possent ob identitatem materiæ; quando verò Philos. ait, illa esse eadem numero simpliciter, quorum materia est vna, non loquitur de materia partis, sed de materia sumpta pro differentia indiuidualj, vt docet Scot. 2. d. 3. q. 6. Q. R. quæ in proposito essent diuersæ, nam vnitas materiæ partis non infert vnitatem materiæ totius, alioquin genitum deberet dici idem numero cum corrupto, cum habeat eandem numero materiam.

Hinc patet, Sghemmam loco citato minus rectè dicere, quòd tale constitutum esset simpliciter vnum. Tum quia implicat, lignum, & aurum, hominem, & leonem esse simpliciter idem numero suppositum. Tum quia Scot. 2. d. 15. inquit, quòd si essent plures formæ elementares in eadem materia mixti, cum hæ sint suapte natura completæ, quælibet constitueret proprium suppositum, & sic in mixto essent plura suppofita. Tum quia ex Scoto 3. d. 8. q. vn. & quol. 11. sub Ff. & alibi sæpè, multiplicatio formæ, & suppositi necessariò multiplicat concreta, ergo cum hic adsit multiplicatio formæ, & suppositi, debebunt necessariò multiplicari concreta, & licèt adsit vnitas subiecti, hoc non refert, quia concreta substantialia sunt absoluta à subiecto & solum connotatiua respectu suppositi. Nec materia sic informata esset Chymera, vel Hircoceruus, hæc enim sunt merè impossibilia, quia cogitantur velut composita per se resultantia ex duabus naturis completis, vt Hirci, & Cerui, quod implicat omninò, at in casu nostro composita, quæ fierent, coalescerent ex naturis incompletis, scilicet materia, & forma, ex materia enim cum hac forma resultaret vnum per se compositum, & ex eadem cum alia disparata aliud quoque compositum disparatum.

67 Secundò alij ex alio cap. implicantiam ostendunt, quia ex tali coniunctione sequeretur, duo suppofita posse de se inuicem dici, nam ideò dicitur, hoc album est dulce, quia duo accidentia sunt in eodem subiecto, scilicet in lacte, ergo si duæ formæ substantiales sunt in eadem materia, suppofita inde resultantia, dicerentur de se inuicem, vt quòd lapis est panis, & è contra, homo est asinus, &c. suppofito, quòd huiusmodi formæ disparatæ sint in eadem materia, sed hoc implicat, quia de ratione suppositi est, esse incommunicabile vt quo, & vt quod.

Resp. negan. conseq. ad cuius probat. dicimus, diuersam esse rationem de duabus formis accidentalibus in eodem subiecto, & duabus substantialibus in eadem materia, cum enim formæ accidentales in subiecto eodem explicentur nominibus connotatiuis, vt patet de albedine, & dulcedine in lacte, consequenter in eis potest fieri mutua prædicatio, vt quòd album est dulce, cum enim vtroque nomine idem connotetur subiectum, consequenter etiam verum est dicere, quòd album est dulce, at forma substantialis in materia non explicatur nomine connotatiuo, & adiectiuè tento, sed absoluto, & substantiuè tento, dicimus enim lapis, panis, asinus, &c. quare si plures inuenirentur in eadem materia, non posse fieri mutua prædicatio; quòd si nominibus connotatiuis, & adiectiuè tentis ipsæ quoque explicarentur, vt dicendo, equinatum, impanatum, humanatum, &c. in hoc sensu fieri potest mutua prædicatio, dicendo, humanatum est asinatum, sensus enim est, quòd subiectum informatum forma humana, est etiam informatum asinina, sicut è contra, si composita accidentalia nominibus absolutis possent appellari, non posset vtique fieri mutua prædicatio, quia licèt sit idem subiectum, quod afficitur albedine, & dulcedine, non tamen est idem compositum accidentale, quod resultat ex lacte cum albedine, & ex eodem cum dulcedine.

Sed vrges Deus, & homo sunt nomina absoluta, & tamen quia sunt vnitæ istæ duæ naturæ in eodem suppofito, dicuntur de se inuicem, vt patet in Christo, ergo pariter in proposito. Resp. negan. sequelam, quia hæc nomina significantia naturas integras substantiales sunt absoluta subiecto & connotatiua respectu suppositi, vnde cum in Christo sit vnum, & idem suppositum vtriusque naturæ, valet mutua prædicatio, at in casu nostro duo suppofita forent, & ideò fieri non posset mutua prædicatio, quia vt duæ naturæ essentialiter diuersæ prædicentur de se inuicem etiam in concreto, non sufficit habere eandem materiam, sed oportet, esse in eodem suppofito.

Sed adhuc instat. Fuentes cit. art. 1. in fine, ex hoc sequi, vnum suppofitum alteri suppofito communicari, quia pars essentialis, & numerica vnius, scilicet materia, est actualis pars alterius. Resp. negando, hinc sequi communicationem suppositi, nam etiam modo de facto materia vnius suppositi est alteri communicabilis disiunctim; nec propterea suppofitum, cuius actu est pars, dicitur communicabile, quia aliud est loqui de suppofito, aliud de partibus eius; suppofitum enim est id, quod dicitur alteri incommunicabile, non vero partes eius.

68 Tertiò, Ex alio cap. alij huius coniunctionis repugnantiam ostendunt; nam si idem corpus humanum duabus animabus rationalibus informaretur, vel operante vno suppofito aliud quoque operaretur, vel non, primum dici non potest, tum quia forma est ratio, & principium actionis, cum igitur sint diuersæ formæ, poterit forma vnius

vnius suppositi esse principium actionis in suo suppofito, & non alia in suo, nec videtur vnde peti debeat hæc necessaria connexio operationum; tum quia si operante vno suppofito, etiam necessariò operaretur & aliud, neutrum erit agens liberum, & alterum sæpè sæpiùs aget inuitum, quod repugnat rationali suppofito. Sed neque potest dici secundùm, cùm enim maior pars actionum humanarum sint organicæ, operante vno suppofito, operabitur etiam & aliud, cùm organum, per quod exercet. actio, sit commune vtrique ex hypothesi.

Deinde adhuc maior repugnantia apparet si ponatur idem corpus informari anima ouis, & canis, nam viso lupo, non potest determinatè dici, quid ageret, num persequeretur, vel fugeret; immo si idem corpus informaretur anima ouis & lupi, explicari non potest, quomodo se haberent hæc duo suppofita in agendo; & adhuc incredibilia magis sequerentur; si idem corpus informaretur anima rationali, & brutali.

Resp. ex doctrina, quam tradit Scotus in 4. d. 10. qu. 2. infra R. loquens de corpore eodem in pluribus locis existente, quomodo se haberet in operando, & patiendo, quòd cum homo duo actionum genera exerceat, organicas, vt videre, audire, dormire, &c. & inorganicas, vt intelligere, & velle, dicendum est, quòd si idem corpus informaretur duabus formis humanis, vt v.g. anima Francisci, & Antonij, quo ad actiones inorganicas vno operante, non necessariò operaretur & alter, quare Francisco considerante aliquod obiectum posset Antonius non illud considerare, sed aliud, præsertim in secunda motione, in qua non indiget anima phantasmatibus tanta necessitate, vt in prima, quia ad considerationem requiritur attentio ex parte animæ, quæ attentio vt plurimum pendet à voluntatis imperio; similiter posset Franc. aliquod obiectum velle, & Antonius non velle, immo illud odire, & sic posset vnus mereri, alter demereri, vnus esse doctus, alter ignarus. Quo autem ad operationes organicas, dicendum est, quòd vel illæ duæ animæ sunt æqualis virtutis, vel inæqualis in mouendo potentias exteriores per voluntatis imperium; si sunt inæqualis virtutis, itaut anima Francisci vincat in mouendo potentias exteriores animam Antonij, tunc ambulante Francisco, etiam Antonius ambulabit, licèt inuitus, ob resistentiam tamen factam à voluntate Antonij, Franciscus tardiùs ambulabit, & in hoc ostendit Antonius propriam libertatem, nec vllum est inconueniens, quòd violentiam patiatur in actibus externis, quo enim ad huiusmodi actus imperatos concedunt, omnes voluntatem posse vim pati; si verò anima Francisci, & Antonij sunt æqualis virtutis, & vnus ambulare velit, alter non, vnus huc ambulare, alter illuc, tunc, vt ait Scot. cit. in simili, vel vnus impediet alterum, vel ambo agent ad quendam effectum medium, & quod dicitur de ambulatione, etiam de alijs operationibus externis, & organicis dici debet.

Ad Confirm. quando dicimus, eandem materiam posse pluribus formis specie disparatis informari, loquimur de formis in animatorum, quibus omnibus commune est idem specie subiectum, & perfectibile, & sæpè sæpiùs idem numero successiuè eadem nempè materia prima, non loquimur autem de animalibus specie diuersis, quæ corpora, & perfectibilia specie diuersa exposcunt, neque enim corpus, quod est aptum perfectibile pro anima hominis, est aptum perfectibile pro anima bruti, nec corpus perfectibile pro anima agni est aptum pro anima lupi, quia huiusmodi perfectibilia inter se specie distinguuntur, vt dicimus in lib. de Ani. vnde repugnantia, cur corpus lupi non possit informari simul, & semel anima ouis, non solùm ortum ducit ex repugnantia formarum adinuicem, quam Deus posset impedire in actu secundo, sed etiam ex incapacitate materiæ, quæ suapte natura determinata est ad illam formam specie. Sed si daretur hoc etiam fieri posse, vt concedunt Amicus, & Sghemma loc. cit. tunc considerandum esset, quæ nam anima esset maioris virtutis in agendo, & dicendum, feruata proportione, quod nuper dicebamus de actionibus organicis Francisci, & Antonij, si informarent eorum animæ eandem materiam.

69 Quartò ex alio cap. conatur Fuentes cit. num. 36. ostendere repugnantiam, pro qua ostendenda adducit doctrinam Sco. in 3. dist. 1. q. 2. §. *Ad quæstionem &c.* vbi docet implicare; quòd eadem natura humana triplici diuina personalitate dependeat, quia in dependentibus essentialiter implicat, vnum dependens à pluribus dependere, alioquin à singulis dependeret essentialiter, & totaliter, & non dependeret, cum igitur vna personalitas adæquatè terminet dependentiam naturæ in ratione communicabilis, non potest eadem natura simul alia personalitate personari; cum igitur in casu nostro (subinfert Fuentes) quæuis forma fit completum principium, & totale informatiuum materiæ, appetitum eius satians, & adæquatè actuans implicabit, eandem materiam alia adæquata forma simul actuari, aliàs materia in informatione totaliter dependeret, & non dependeret.

Resp. negan. paritatem, nam natura verè dependet ad suppofitum in ratione communicabilis, sed materia non dependet à forma, cum forma non det esse materiæ, sed composito, vnde positi in materia pluribus formis, non sequitur, idem dependere à pluribus causis totalibus, cum materia secundùm suam entitatem non sit effectus formæ, vt patet ex superioribus; Et prorsus falsum est, quamcunque formam satiare appetitum materiæ, & esse actum adæquatum eius, cum omnes oppositum doceant, præsertim Doctor 1. d. 1. q. 1. propè finem, & 2. d. 14. q. 1. B. & alibi sæpè.

Sed instat Fuentes num. 37. non obstare, quòd forma non det esse materiæ, sed composito, quia neque, subsistentia dat esse naturæ, sed suppofito, & tamen secundùm Doctorem nequeunt tres substantiæ eandem numero naturam terminare. Rursus materia existit completè ratione formæ, nam quamuis habeat suum proprium actum, completè tamen non existit sine forma ergo saltim quantùm ad hunc effectum existendi completè, & formaliter, dependeret totaliter ab vna forma, & non dependeret totaliter, quod implicat.

Resp. hunc Auctorem secum pugnare, nam paritatem de forma respectu materiæ, & subsistentia respectu naturæ, quam tenere contendit n. 37. negat postea n. 42. vbi docet ex Doctore, suppofitum se habere vt causam respectu naturarum, & ideò tres subsistentias eandem naturam terminare non posse, sed non ita se habere formam respectu materiæ, & si natura nullo modo dependet à suppofito; iam argumentum Doctoris vanum prorsus est. Et ex eo quòd materia existat completè, & formaliter ratione formæ, non sequitur ob id, vnum, & eundem effectum à pluribus causis totalibus dependere, si pluribus formis simul informaretur, quia tunc materia non haberet vnam tantum formalem, sed tot, quot formas haberet, & vnaquæque formalis existentiam formalem, quæ est materiæ extrinseca, penderet totaliter à sua propria forma.

70 Quintò objicitur; Tum quia si materia posset suscipere duas formas disparatas simul, vel talis potentia esset naturalis, vel obedientalis; non primum, quia tunc naturaliter posset plures recipere formas; neque secundùm, quia potentia dicitur obedientalis in ordine ad agens, non in ordine ad formam. Tum 2. quia si potest simul duas recipere formas, ergo pari ratione tres, quatuor, & infinitas, quod infinitam argueret perfectionem in materia. Tum 3. quia ex duobus entibus in actu completo non fit vnum per se, ergo materia informata duabus formis disparatis, non constituet cum eis duo entia per se, nec vnum per se, sed tantum vnum per accidens. Tum denique quia non potest eadem forma simul informare plures materias, vt dicemus qu. seq. ergo nec eadem materia pluribus formis.

Resp. ad 1. potentiam materiæ in ordine ad formas disparatas esse naturalem, quia ab illis etiam simul suaptè natura nata est perfici, & quòd simul non perficiatur, non est ex materiæ incapacitate, sed ex formarum incompossibilitate; in ordine verò ad agens est obedientialis, quia talis potentia simultatis non potest ad actum reduci, nisi ab agente supernaturali, quod solum vincere potest actualem repugnantiam vnius formæ cum alia. Ad 2. conceditur sequela de infinitis formis in potentia, hoc est, non tot, quin pluribus, & negatur, hoc arguere infinitam perfectionem in materia, quia potentia passiua à toto genere nullam dicit perfectionem, vt Scot. docet in 3. d. 14. q. 2. in fine. Ad 3. concesso antecedente, negatur consequentia, quia in casu nullum ens completum alteri vnitur, vt ab illo perficiatur, quia neutra forma recipit aliam, sed vnaquæque recipitur immediatè in materia, & cum ea constituit vnum ens completum, vnde resultant duo entia completa per se, nec vllum hic interuenit ens per accidens, sed ad summum erunt duæ formæ per accidens vnitæ, seu coniunctæ in eadem materia. Ad 4. negatur paritas, & rationem disparitatis assignamus.

71 Postremò Complut. cit. cum alijs Thomistis sic arguunt: effectus formæ secundarius est à Deo indispensabilis, sicut primarius; nam habet cum primario tam intimam connexionem, vt non foret primarius, nisi subsequatur secundarius, non enim ob aliud priuatio vitæ intimè, & indispensabiliter sequitur ad formam cadaueris, nisi quia si semel non sequeretur, non daret primarium effectum, scilicet esse cadaueris, implicat enim idem esse viuum & vita priuatum. Confir. quia de ratione formæ substantialis, vt actus primus, est, quod componat vnum per se, & det primum esse, seu esse simpliciter, sed nisi subsequatur effectus secundarius, scilicet expulsio præexistentis formæ, non posset forma duo illa præstare, quæ spectant ad effectum primarium, ergo effectus secundarius est cum primo indispensabiliter connexus, Probatur minor, quia enim materia per primam formam est in actu, non potest cum sequenti vnum per se constituere, nisi prior expellatur; quod enim aduenit enti in actu completo, non facit vnum per se cum eo, & cum per illam formam habeat iam materia esse simpliciter, & primum, non potest aliud esse simpliciter à se quenti recipere, nisi prior expellatur, illud enim vnicum est, cùm illius rei vnicum sit esse simpliciter, & completum.

Resp. negando assumptum, Ad probat. dicimus, in viuentis intentu nullam formam cadaueris de nouo gigni animæ incompossibilem, sed sola corporeitatis forma remaneret sine anima; quòd si daretur hæc forma cadaueris, tunc negandum esset, quòd non sit compossibilis cum anima in eadem materia de potentia Dei absoluta, nec sequitur, idem tunc futurum simul viuum, & mortuum, quia, vt diximus, ex talibus formis disparatis cum materia coalescerent diuersa simpliciter composita, non vnum; & quando etiam concederetur, has duas esse prorsus incompossibiles ob specialem oppositionem inter eas versantem, non idcircò idem quoque de cæteris asserendum est, quia in eis non talis oppositio reperitur. Ad Confir. neg. minor, Ad probat. dicimus, etiam formam posteriorem constituere cum materia, in qua manet adhuc prior, vnum per se, quia forma posterior non recipitur in toto constituto

ex priori cum materia, sed in eadem materia immediatè, vnde resultat nouum ens completum à priori diuersum, & quamuis vnius rei vnicum sit esse simpliciter, & completum, quando hoc est ei intrinsecum, & essentiale, non tamen quando est extrinsecum, & aduentitium, sicut est esse simpliciter, & substantiale, quod forma materiæ tribuit.

QVÆSTIO VII.

An vna, & eadem forma substantialis possit informare simul plures materias.

72 LOquimur de vna, & eadem forma, siuè hæc sit diuisibilis, vt sunt omnes formæ substantiales eductæ de potentia materiæ, siue indiuisibilis, qualis est anima rationalis, & non dubitatur de pluribus materijs inadæquatis, & partialibus coniunctis, clarum enim est, quòd sic vnitæ constituunt vnum adæquatum perfectibile vnius numero formæ, & ita de facto in animantibus eadem numero anima informat plures materias inadæquatas, & partiales, carnem, ossa, neruos, &c. vnam totalem, & adæquatam constituentes. Dubium igitur est de pluribus materijs, quarum singulæ sunt adæquatæ vni animæ, an v.g. vna, & eadem anima possit informare plura corpora, quorum quodlibet est adæquatum perfectibile ipsius; & potest esse etiam dubitatio de pluribus inadæquatis, si forent ab inuicem diuisæ, & disiunctæ, an scilicet vna, & eadem anima informare possit simul plures eiusdem corporis partes ab inuicem disiunctas, & loco dissitas. Partem affirmantem sustinent de potentia Dei absoluta Ruuius loc.cit.q.præc.& Amicus ibidem, & iterum tract.11. de causa formali q.7.dub.2.vbi pro hac sententia refert Fonsecam in Met.Suar. in 3.p.Murciam 2.Phys. & alios, & sequitur ex nostris Sghemma cit. Negantem sustinent quamplures Thomistæ, Complut. Io.de S.Thoma, Manca, sed cæteris accuratiùs Masius 1.Phys.disp.de principijs sect.3. q.4. & etiam communiter Scotistæ cum Scoto in 3.d. 1.q.2. §. *Contra hoc obijcitur, &c.* vbi tenet de quacunque forma in vniuersum tam substantiali, quam accidentali, plures materias adæquatas simul informare non posse, vbi etiam sequitur Lichet. & Fuentes loc. sup.cit. art.3.

ARTICVLVS I.

Resolutio quæsiti quo ad potentiam naturalem.

73 DIcendum est, naturaliter vnam, & eandem formam, nedum non posse simul informare plures materias adæquatas & totales, verùm nec etiam partiales, & inadæquatas, si sunt ab inuicem diuisæ, & separatæ. Concl. quo ad vtranque partem communis est assertoribus vtriusque sententiæ, & quo ad 1. partem Prob. Tum quia informatio non potest fieri sine existentia in loco, sed vna forma non potest existere naturaliter in pluribus locis adæquatis, ergo nec informare simul plures materias adæquatas. Tùm quia maior est dependentia formæ à materia, quàm corporis à loco, ergo si idem corpus nequit esse naturaliter in pluribus locis, minus eadem forma in pluribus subiectis adæquatis esse poterit. Tum etiam quia naturaliter posset corrumpi in vna materia, & non in alia, si v.g. in vno loco adsit agens contrarium dispositiones corrumpens, & non in alio. Tum tandem quia id non est supernaturaliter possibile, ergo nec naturaliter.

Petes, an saltim successiuè hoc sit naturaliter possibile, idest an possit naturaliter contingere, quòd eadem numero forma successiuè plures materias informet, vt art. præc. dicebamus de materia, quod eadem numero successiuè informatur pluribus formis. Negatiuè etiam ad hoc respondendum est, immo talis transmigratio non solùm est naturaliter impossibilis in formis omninò à materia pendentibus, quæ proindè eo ipso, quod à materia diuelluntur, corrumpuntur 2. Phys. 12. sed etiam impossibilis est in formis à materia independentibus, quales sunt animæ rationales, vnde dogma illud, vel potius paradoxum pythagoricum de transmigratione animarum, non solùm ab Ecclesia damnatum est in Concilio Later. sub Leone X. sess. 8. sed etiam in vera Philosophia ab Aristot. 1. de Anim.tex. 53. Nec est eadem ratio de materia, & forma, materia enim potest successiuè plures habere formas, quia ad id munus instituta est à natura, vt scilicet sit idem commune subiectum omnium formarum, at formæ institutæ sunt ad varietatem compositorum constituendam, vnde, & variæ sunt, & pro earum varietate varias etiam postulant dispositiones in materia, à qua ita pendent in sua existentia, si ab illa eductæ fuerint, vt illas diuellere à subiecto sit eas destruere. Verum est, in nutritione diuersas materiæ portiones successiuè eadem anima informari, at hæ non sunt plures materiæ totales, & adæquatæ, de quibus hic loquimur nec informantur vt plures; sed vt efficientes, & integrantes, cum alijs vnam numero totalem, & adæquatam.

74 Quo ad 2. partem etiam Prob. nostra Concl. nam continuatio partium materiæ est peculiaris quædam dispositio necessaria ad informationem, vnde in animalibus perfectis videmus, quod membrum abscissum eo ipso, quod separatur à toto, cessat informari ab anima, in insectis verò, alijsque naturalibus compositis, quorum formæ sunt prorsus diuisibiles, si materia diuidatur, diuiditur etiam & forma, vnde non amplius remanet eadem numero forma, quæ prius, sed per talem diuisionem, sicut fiunt plures numero materiæ, ita fiunt plures numero formæ, vnde in tali casu dici nequit, quòd eadem numero forma informet plures materias inadæquatas ab inuicem diuisas, sed potius, quod quælibet numero particula formæ totalis prioris iam diuisæ, informat suam particulam materiæ sibi adæquatam.

In oppositum obijcitur 1. quòd possit eadem forma naturaliter informare plures materias adæquatas, & totales. Tum quia quælibet forma habet naturalem aptitudinem ad informandam quamlibet materiam, sicut è contra quælibet materia distincta ab alia, & ex se capax cuiuscunque formæ, etiam earum, quæ sunt in alia materia, ergo sicut per agens naturale hæc aptitudo formæ in ordine ad hanc materiam totalem reducitur ad actum, ita poterit reduci simul in ordine ad aliam. Tum 2. quia de facto anima rationalis informat corpus pueri, vt perfectibile adæquatum, & quando peruenit ad ætatem virilem, informat corpus duplo maius, ergo tunc informat plures materias adæquatas, & totales. Tum tandem, quia quo causa est perfectior, eo se pluribus communicare potest, sed forma est perfectior materia, ergo si materia naturaliter potest successiuè communicari pluribus formis, poterit naturaliter forma eadem pluribus materijs totalibus se communicare.

Resp. ad 1. formam habere illam aptitudinem disiunctim, sicut etiam è contra habet materia capacitatem plurium formarum disiunctim, & ideo ab agente naturali non potest nisi disiunctim forma applicari ad hanc, vel illam materiam informandam. Ad 2. negatur assumptum quo ad 1.partem, quia anima rationalis determinat sibi naturaliter materiam quo ad maximum, quem terminum non attingit homo in pueritia, & ideo quamuis corpus pueri dicatur adæquatum perfectibile animæ illius, vt contradistinguitur à suis partibus integralibus, non tamen dici potest adæquatum perfectibile, quasi sit terminus, circa quem tota, & totaliter exhauritur virtus informatiua illius animæ. Ad 3.resp.maiorem esse veram cæteris partibus, sed in proposito est omnino disparatio de materia, & forma, vt supra dictum est, potest enim materia plures habere formas successiuè naturaliter, quia à natura instituta est, vt sit idem commune subiectum omnium formarum, at formæ institutæ sunt pro varietate compositorum, vnde nec simul, nec successiuè potest naturaliter eadem forma plures informare materias.

75 Deinde obijcitur, quod eadem forma naturaliter informare plures materias inadæquatas diuisas, & discontinuas. Tum quia dum homini caput amputatur, experientia docet, caput illud nedum moueri sed sæpè sæpiùs loqui, sed huiusmodi operationes nequeunt esse nisi ab anima, ergo naturaliter pars abscissa informatur ab anima. Tum 2. quia potest Angelus naturaliter esse in pluribus locis discontinuis inadæquatis, ergo etiam anima rationalis in pluribus materijs inadæquatis, etiamsi diuisæ sint, & separatæ. Tum tandem experientia docet, quasdam partes animalis abscissas, vt nasum, & auriculas, denuo animari, si iterum toti conglutinentur, ergo &c.

Resp.ad 1.neg.cons.fatentur enim omnes, in his casibus motum illum, & locutionem non ab anima prouenire, quæ caput abscissum adhuc informet, sed à spiritibus animalibus, qui cum adhuc calidi sint, & impetum de recenti sibi ab anima impressum retineant, motum illum efficiunt, & alias actiones, quæ videntur vitales, licèt verè tales non sint, vt fusiùs in lib.de An. Ad 2.neg.etiam conseq. vnio enim partium materiæ est dispositio quædam naturaliter necessaria, vt exerceatur informatio cuiuscunque formæ, non autem vnio partium loci, ad hoc vt Angelus sit in loco, præterquamquod assumptum non est omnino certum; præsertim verò ad informationem animæ naturaliter exercendam præter vnitatem partium materiæ requiritur integritas organorum, quia est actus corporis organici, at in casu præter defectum vnitatis, adest etiam defectus integritatis organicæ necessariò requisitæ ad informationem animæ, quæ naturaliter non est apta informare corpus sine capite, nec è contra. Ad 3. dicimus, potius oppositum probare, quia ostendit, nasum, & auriculam debere corpori coniungi, vt iterum animentur, signum enidens, continuationem partium materiæ esse necessariam dispositionem naturaliter pro animæ informatione.

ARTICVLVS II.

Resolutio quæsiti quo ad potentiam supernaturalem.

76 DIcendum est, quòd licèt per diuinam potentiam possit vna numero forma plures informare materias diuisas, & discontinuas, nequaquam tamen informare potest plures adæquatas, siue diuisas, siue vnitas. Concl. quoad 1. partem, est ferè communis Auctoribus vtriusque sententiæ, & Prob. 1. ex illo miraculo Diui Dionysij, cuius corpus sine capite viuens ambulauit per aliquot miliaria, gestans illud proprijs manibus, in hoc enim casu verisimile est, diuina virtute fuisse factum, quòd anima informaret corpus, & caput inter se diuisa, nec enim motus ille tamdiu durans rationabiliter referri potest in virtutem spirituum adhuc retinentium calorem, & motum, non enim tamdiu durare solet impetus in illis receptus, vel illis impressus ab anima, quæ de recenti recessit à corpore, nec etiam rationabiliter referri potest in extrinsecam virtutem alicuius Angeli tunc illum motum causantis, cum nulla ostendi possit implicantia, cur non potuerit causari ab anima adhuc informante illas partes diuisas. Accedit etiam ratio, quia continuatio partium corporis, & materiæ pro informatione est tantum quædam dispositio necessaria ex naturali rerum constitutione, neque alio modo concurrit ad informationem, quàm vt præuia dispositio, sed Deus de potentia absoluta facere potest, quòd forma materiam informet nulla præcedente dispositione in materia, dummodo illa sit capax formæ, & in proposito materia supponitur capax, licèt sit inadæquata, ergo &c.

77 Quo verò ad alteram partem, in qua sita est tota difficultas, Prob. 1. vniuersaliter de quacumque forma tam materiali, quàm immateriali, ratione à Scoto loc.cit. allata. Quantò aliqua forma est illimitatior ad perficiendum plura perfectibilia, tanto in se est perfectior, hinc est, quòd arguimus animam intellectiuam inter omnes formas perfectiorem, quia vna, & eadem simul perficit omnes partes compositi, & si eadem anima posset simul plura corpora perficere, adhuc perfectior iudicaretur, ergo si eadem forma numero posset plures, & plures materias adæquatas in infinitum (quod dicendum est, si semel dicamus posse tres, vel quatuor simul informare, quia non esset maior ratio de tribus, vel quatuor, ac pluribus in infinitum) informare, iam illa forma esset perfectionis infinitæ, sed virtus infinita, vel infinita perfectio creaturæ communicari non potest, ergo &c. Consequentia prima de se patet, & adhuc probari potest per illam maximam Scoti in 2.d.3.q.10. A. qua sæpiùs vtitur; vbi pluralitas numeralis requirit maiorem perfectionèm, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, vt si posse portare simul sex pondera, requirit maiorem virtutem, quàm posse portare quatuor, vtique posse portare non tot pondera, quin adhuc plura, requirit infinitam virtutem; sic in proposito, quòd hæc anima det huic corpori esse humanum, dicit perfectionem, quod det huic, & alteri simul idem esse, arguit in ea maiorem perfectionem; & ita supputando, quod det pluribus in infinitum, vel dare possit, arguit in ipsa infinitam perfectionem, & virtutem informatiuam.

Confir. Continens virtualiter, vel eminenter infinitas perfectiones vel non tot, quin plures; est formaliter infinitum, sed si daretur anima, quæ simul, & semel informare posset infinita corpora, seu non tot, quin plura, virtualiter contineret perfectionem infinitarum animarum, quia quodlibet corpus natum est perfici præcisè per vnam animam. Quod adhuc magis declaratur, quia forma suam materiam adæquatam informans, & etiam alteram natam informari per aliam formam, tunc suppleret vicem illius, si ergo potest informare plures, & plures materias in infinitum, iam virtualiter contineret perfectionem infinitarum formarum, quia suppleret perfectè vicem illarum. Demum virtus informatiua cuiuscunque formæ creaturæ est finita, & limitata, ergo nulla eleuari potest ad informandas simul plures materias adæquatas in infinitum, quia tunc esset illimitata.

78 Resp. Ruuius, quòd posse informare plures, & plures materias adæquatas spectat ad virtutem extensiuam, non terminatam termino intrinseco, non verò ad intensiuam, quæ completur per informationem vnius materiæ, vnde vult, quod in tali casu vtique forma non eleuaretur quo ad substantiam informationis, nec virtus informatiua illius vllo modo augeretur, sed solùm quod eleuaretur formæ aptitudo quo ad simultatem illam plurium informationum, quas poterat habere diuisim, & successiuè, sicut à pari materia, dum per potentiam Dei reciperet simul plures formas disparatas, vtiquæ non augeretur eius potentia receptiua, vel sustentatiua, sed solum eleuaretur quo ad illam simultatem recipiendi simul formas, quas potest naturaliter recipere diuisim. Huc recidit responsio aliorum, qui aiunt, non requiri nouam virtutem in forma, vt aliam informet materiam, sed solam sufficere replicationem eiusdem in pluribus materijs adæquatis, sicut supposita replicatione corporis, non requiritur alia virtus, vt alia loca occupet. Et potest confirmari hæc responsio, quia in isto casu non exerceret forma diuersas causalitates, nec diuersas numero informationes, quia idem specie, & numero compositum cum omnibus materijs constitueret secundùm communiorem opinionem Auctorum primæ sententiæ, quare non esset necessaria noua virtus informatiua. Accedit, quod si etiam hoc faceret per diuersas numero informtiones, non ideo arguere debemus virtutem informatiuam infinitam in forma, quia tunc tantum hoc sequitur, quando quodlibet producibilium requirit aliam, & aliam perfectionem in causa pro eorum productione, vt notat Lichet. 2.d.3.q.10. quod non contingit in proposito, quia per eandem virtutem informatiuam potest forma exercere plures numero informationes, vnde non indiget eleuatione, nisi quo ad simultatem informandi, non vero quo ad substantiam informationis.

Sed hæc resp. falsa est. Tum quia omnino requiritur noua virtus in forma, vt plures informet materias, quia hic intercedit aliqua causalitas, & exercitium virtutis in genere causæ formalis, vt benè notat Amicus 1.loc. cit. num.7. Tum quia eadem forma numero apta informare materiam trium palmorum, perfectio censetur illa, quæ sola apta est informare vnum palmum, qua ratione anima cæteris fomis perfectior iudicatur, quia plures partes materiæ eadem numero informat, ergo maior virtus requiritur in forma etiam intensiuè. Tum quia eleuatio quo ad simultatem informationum in casu posito fieri nequit sine eleuatione quo ad substantiam informationis, & virtutem informatiuam, ex hoc enim quod eadem forma simul informet plures materias, statim arguimus in ea maiorem virtutem informatiuam, sicut Scotus in 1.d.2.q.1. Z. ex simultate intellectionum plurium, & plurium etiam eiusdem rationis in infinitum, arguit in eo intellectu infinitam virtutem intellectiuam. Tum denique non valet paritas assumpta de materia simul plures formas recipiente, & de corpore in pluribus locis replicato, quia potentia materiæ ad recipiendum simul plures formas, & corporis ad essendum in pluribus locis, est merè passiua, nullam dicens perfectionem, at non est talis potentia, seu virtus informatiua. Dices, eatenus corpus merè passiuè se haberet ad plura loca, quia haberet esse in illis formaliter à pluribus Vbi productis à solo Deo in genere causæ efficientis, sed etiam forma in pluribus materijs haberet esse per plures vniones à solo Deo productas, ergo merè passiuè se haberet, sicut corpus in pluribus locis; Et si maioris est perfectionis in forma plures informare materias, sic etiam maioris erit virtutis in materia informari pluribus formis, & sicut illud fieri nequit sine exercitio nouæ virtutis informatiuæ, ita neque istud fine exercitio nouæ virtutis sustentatiuæ, quæ etsi ad potentiam passiuam pertineat, adhuc tamen non merè passiuè exercetur per simplicem receptionem, sed per verum influxum positiuum in formam sustentatam. Contrà, quia licet forma in tali casu replicaretur à Deo in pluribus materijs, non tamen informaret ex vi simplicis illius replicationis in pluribus materijs, vt est corpus in pluribus locis, sed per verum exercitium virtutis suæ informatiuæ; Nec etiam valet paritas de virtute informatiua formæ, & sustentatiua materiæ, quia ista semper passiuitatem dicit, atque ideo imperfectionem dicit, non perfectionem, vt notat Doctor 3.d.14.q.2. in fine, & 1.d.38.q.5. H.

79 Ex hoc refellitur confirmatio allata pro responsione. Tum quia nec ipsi Aduersarij dicunt, in casu interuenire vnam tantum numero informationem sæpius replicatam, nec vllo modo potest dici, quia licèt sit idem numero fundamentum informationis actiuæ, termini tamen sunt diuersi pro diuersitate materiarum, & certum est apud omnes, relationes multiplicari ad multiplicationem terminorum adæquatorum quales ponuntur in casu illæ plures materiæ. Tum etiam falsum est, quod si hoc fit per diuersas numero informationes, adhuc non sequatur illimitatio in virtute informatiua, quia etiam quando quodlibet producibilium non requirit aliam, & aliam perfectionem in causa productiua, sed eadem sufficit ad quodlibet producendum diuisim, tamen ex simultanea productione illorum sufficienter arguitur maior, & maior virtus in causa, vt v.g. quamuis eadem virtus sufficiat ad portandum pondus vnius libræ, & aliud pondus simile, & aliud in infinitum, disiunctim tamen non sufficit eadem ad portandum illa, vel aliqua illorum simul, sed ex hac simultate arguitur maior virtus, & tantò maior, quantò plura simul portare potest, & si plura simul posset portare in infinitum, arguetur infinita virtus, qua ratione Scot. cit. 1.d.2.q.1. Z. ex simultanea intellectione plurium obiectorum in infinitum etiam eiusdem rationis, arguit infinitam virtutem intellectiuam.

Quod vero compositum resultans ex illa forma in pluribus materijs sit vnum numero, vel multiplex, parum refert, quia etiamsi ponatur vnum numero, attamen debet poni causatum per plures numero causalitates, sicut sunt plures numero informationes, præsertim in sententia Aduersariorum, qui volunt, causalitatem formæ in ordine ad compositum consistere in informatione, & vnione ad materiam, ad exercendum verò plures numero causalitates simul, maior virtus requiritur in causa, quàm ad exercendam vnam tantum. Accedit, non esse ita euidens, an compositum illud esset idem numero, vel diuersum, immo quamplures ex Auctoribus oppositæ sententiæ dicunt esse numero diuersum, saltim inadæquatè, propter diuersitatem materiæ, vt Fonseca, Murcia, Amicus, & alij, & ipsa ratio suadet, quia eadem anima numero informat plures materias inadæquatas, vt plures partes carnis, quæ tamen sunt diuersa numero composita, præsertim si ab inuicem diuidantur, & eadem anima adhuc sic diuisa informentur, quod est possibile saltim supernaturaliter, quia sunt materiæ inadæquatæ, vt dicimus in prima conclusionis parte.

Respondent proinde alij, in tali casu formam eleuari à Deo, nedum quo ad simultatem plurium informationum, verum etiam quo ad substantiam ipsam informationis seu virtutem informatiuam, ita Amicus loc.cit.n.7. vnde inquiunt, quòd sicut anima, esto naturaliter sibi determinet materiam quo ad maximum, tamen supernaturaliter eleuari potest, vt maiorem, & maiorem informet in infinitum, ita in proposito quamuis naturaliter determinet sibi vnam materiam adæquatam, tamen supernaturaliter eleuari potest, vt plures materias adæquatas informet.

80 Sed contra hanc respons. arguitur 1. quia explicari non potest, qualiter eleuari possit virtus informatiua animæ, aut enim hoc fieret in genere quasi causæ formalis, per qualitatem scilicet superadditam, qua augeatur eius virtus informatiua, vel in genere efficientis causæ, vt nimirum Deus speciali influxu influat ad informationem eiusdem formæ, his enim duobus modis excogitari potest talis eleuatio, vt ait Amicus; sed primo modo eleuari non potest; Tum quia

quia virtus informatiua formæ substantialis non est qualitas, ergo per qualitatem superadditam nequit augeri; Tum quia tunc forma substantialis media hac qualitate substantialiter informaret, quod est impossibile; Tum tandem quia si addita hac qualitate, vbi priùs forma poterat tres palmos materiæ informare, & non plures, potest ex hac additione informare alios tres, iam non informabit duas materias adæquatas, sed vnam sex palmorum sibi adæquatam in tali statu constituta. Sed neque etiam secundo modo videtur posse eleuari, quia causalitas formæ exercetur per actualem exhibitionem eius ipsi materiæ informando ipsam, & actuando, sed non videtur posse Deus supplere in genere causæ efficientis, sicut supplere nequit causalitatem materiæ, & formæ in ordine ad compositum ob eandem rationem.

Secundò, dato, quòd possit communicari formæ hæc noua virtus, vel ista sufficiens est ad informandam materiam sex palmorum tantum, vbi priùs forma informare non poterat sine tali addito, nisi tres palmos, vel sufficiens est ad informandas plures, & plures in infinitum: si primum, ergo materia sex palmorum erit adæquata formæ sic eleuatæ, & materia trium inadæquata, quia non informat materiam sex palmorum per eandem virtutem, qua prius informabat materiam trium, sed per maiorem, quare vt dicatur informare duas materias sibi adæquatas, deberet poni informare per eandem virtutem informatiuam, qua prius informabat, & non auctam secundùm substantiam; si secundùm, ergo hæc virtus informatiua erit infinita, vt est deductum contra Ruuium.

Tertiò, exemplum, quod affertur de anima facit contra Aduersarios, quia anima in informando eatenus potest excedere maximum, quod sibi nunc determinat, quatenus potest syncathegorematicè produci perfectior, & perfectior anima, quæ vna, & eadem numero informare possit maius, & maius corpus in infinitum, velut adæquatum perfectibile, ergo per potentiam diuinam solum fieri potest, quòd vbi anima nunc informare potest solùm materiam tantæ molis, vt sibi adæquatam, perfectior producatur, quæ possit informare maiorem in duplo, vt perfectibile sibi adæquatum.

81 Resp. alij, rationem Scoti non ostendere infinitatem in forma eleuata, nisi in casu, quòd eleuaretur ad informandas plures, & plures materias in infinitum, & ideò non probat, quòd non possit eleuari ad tres, vel quatuor tantum materias adæquatas informandas, & non plures. Sed contrà, Tum quia multi ex Aduersarijs concedunt, & ita omnes fateri tenentur, quod qua ratione forma eleuata posset informare duas, eadem ratione posset informare quatuor, quinque, centum, & sic in infinitum. Tum etiam facit contra alios, quia si eleuatio fiat modo illo determinato, qui insinuatur in superiori responsione, iam sequitur quòd forma sic eleuata determinat sibi quatuor illas materias, velut vnam adæquatam, & sic non defenditur, quòd eleuetur ad informandas plures adæquatas.

Resp. demum alij, non sequi infinitatem in forma data hypothesi, quia tunc non actuaret plures materias ex sua innata perfectione, sed hoc haberet omnino ab extrinseco, sicut à pari nulla sequitur immensitas in corpore ex hoc, quòd ponatur in pluribus locis, quia hoc non habet ex sua naturali perfectione, sed omnino ab extrinseco, vt docet Scot. in 4. d. 10. q. 2. Contrà, nulla sequitur immensitas in corpore posito in pluribus locis, quia respectu illorum merè passiuè se habet, nullumque habet exercitium virtutis in eorum acquisitione; sed forma, informando materiam, exercet suam virtutem informatiuam, nec concipi potest, quomodo fieri possit talis informatio sine exercitio virtutis alicuius, & cum informatio fiat per actualem exibitionem formæ ipsi materiæ, non videtur, quomodo hoc fieri possit per solum concursum Dei extrinsecum absque exercitio virtutis ipsius formæ, ergo diuersa est omninò ratio de corpore in pluribus locis, & forma in pluribus materijs, vt aduertit Lichetus loc. cit.

82 Secundò principaliter ex eodem Scoto loc. cit. Prob. specialiter concl. de formis à materia dependentibus in esse, & fieri, ea ratione, qua probari solet, eiusdem effectus plures causas totales esse non posse, nequeunt enim in eodem reperiri plures huiusmodi dependentiæ, sed si eadem forma materialis posset informare plures materias adæquatas, tunc à singulis dependeret totaliter in genere causæ materialis, ergo &c. Maior probatur, quia dependentia essentialis non datur in aliquo ad aliud nisi essentialiter indigeat illo. Tum quia si eo non indigeret, non dependeret essentialiter ab eo, alioquin posset quis pro libito dicere quodlibet à quodlibet dependere. Tum quia hæc est differentia inter dependentiam essentialem, & accidentalem, quòd sine illa nequit res esse, benè tamen sine illa; si ergo hoc dependet totaliter ab illo, ita ab eo dependebit, vt in tali genere alio non indigeat, alioquin ab isto non totaliter dependeret, Probatur minor, quia dependentia formæ materialis ad subiectum est essentialis causati ad causam, vt supra in hac disp. ostensum est, ergo si plures simul informaret materias adæquatas, à pluribus causis totalibus, & adæquatis in genere causæ materialis dependeret, Idem argumentum fieri potest de composito, quod ex illa forma cum illis pluribus materijs adæquatis resultaret, si enim hoc esset idem numero, vt quamplures concedunt, & ratio suadet, quia identitas numerica compositi, & specifica, aut à sola forma, aut ab ea præcipuè sumitur, iam idem numero effectus essentialiter dependeret à pluribus materijs, quarum singulæ sufficerent diuisim pro eius constitutiones. Negant Aduersarij maiorem illam absolutè, quòd idem effectus dependere nequeat à pluribus causis totalibus. Sed iam solidè probata est, & fusiùs probabitur infra disp. 8. quæst. 3. art. 2.

Respondent quidam ex nostris oppositum tenentibus concedendo maiorem, sed negando minorem, quia forma ità posset poni in pluribus materijs, vt dependeret totaliter ab vna, alijs autem vnita esset per modum simpliciter vnionis, qui non haberet rationem sustentationis, vel sic vt nec ab vna, nec ab alia dependeret, si nempè tali modo vtrique vniretur, sicut enim potest Deus formam materialem producere extra materiam, sic etiam posset illam in materiam inducere per modum simplicis vnionis, & non sustentationis, vel denique ità posset poni in pluribus materijs, vt dependeret ab omnibus, sed partialiter, & à nulla adæquatè. Hæc responsio in sententia asserente modum vnionis formæ materialis cum materia non posse à sustentatione præscindi, & posita vnione materiæ cum tali forma, statim intelligi dependentiam ex parte formæ, & sustentationem ex parte materiæ, nullatenus subsistere potest; verùm, quia nos oppositum docuimus disp. 2. q. 5. art. 4. fatemur dato casu, quod hoc modo poneretur à Deo in pluribus materijs euitari inconueniens allatum in argumento, verùm cum Doctor loc. cit. sic arguit, supponit, quod forma recipiatur in pluribus materijs iuxta connaturalem modum suæ dependentiæ à materia, & in hoc sensu argumentum non soluitur per allatam responsionem, & quòd ad hoc dicitur in tali casu posse ab omnibus partialiter dependere est inintelligibile, quia explicari nequit quo pacto concursus materialis illorum subiectorum attemperaretur, vt singula non nisi partialiter concurrant.

Tertiò, si est idem numero compositum, quòd forma cum hac materia constituit (vt est communior opinio) & rursus cum alia, & alia, sequitur, quòd eadem res existens, potest iterum substantialiter produci, quod est omninò absurdum, quia generatio substantialis est transitus de non esse simpliciter ad esse simpliciter, ita vt res, quę substantialiter producitur, supponitur antea non existere. Probatur sequela, si enim anima hæc cum hoc corpore hunc hominem constituit, scilicet Petrum, si per potentiam Dei eadem anima informat simul aliud corpus tunc cum illo constituet ex hypothesi eundem hominem, & ita ille idem homo, qui iam existit, adhuc existens reproducitur, quod licèt aliqui concedere non vereantur, tamen nullatenus est concedendum.

83 In oppositum obijcitur 1. ex Amico, & Fonseca. Tum ex miraculo iam relato D. Dionysij, nam si ibi anima informamabat duas partes materię ineptas ad recipiendam informationem ob carentiam debitæ integritatis, multò magis poterit informare duas materias, quarum singulę sunt aptę informari, cum sint integrę. Tum quia finitas, & limitatio formę, licèt impediat eam informationem fieri naturaliter, non tamen fieri per eleuationem, sicut virtus actiua finita potest eleuari ad plures effectus ijs, quos naturaliter posset, vt virtus intellectiua Patri determinata ad intelligendum decem, potest eleuari ad viginti, imo ad intelligendum Deum, & potentia visiua determinata ad videndum per viginti milliaria, potest eleuari ad videndum idem obiectum per triginta.

Respondetur primam rationem nihil vrgere, si cum multis negetur, motum illarum partium fuisse factum ab anima, & asseratur fuisse immediatè factum à Deo, vel mediante Angelorum ministerio; tenendo tamen, fuisse factum ab anima, vt supra diximus, neganda est paritas, quia in primo casu interuenit sola carentia dispositionis naturaliter necessarię, qualis est integritas, qui defectus benè potest à Deo suppleri, at in secundo casu interuenit carentia virtutis informatiuę, que limitata est ad vnam materiam, & à Deo suppleri nequit, vt probatum est, & dato, quod suppleretur per augmentum eius, iam tota materia illa, ad quam redditur apta informandam, per tale supplementum esset vna sibi adęquata, & non plures adęquatę. Ad 2. negatur assumptum, nec valet paritas adducta pro eius probatione de virtute actiua, virtus enim actiua potest vtique eleuari à Deo ad aliquid efficiendum supra vires suas, potest enim extrinsecè adiuuari per auxilium speciale, vel alio modo, vt suo loco dicemus; verùm forma ad informandum supra vires suas non videtur, quomodo possit eleuari, vt patet ex disp. nuper habita cum Ruuio, & Amico; & dato, quòd eleuaretur per augmentum virtutis informatiuę, iam materia, que priùs sibi erat adęquata, modò esset sibi inadęquata, & cum alia vnam adęquatam constitueret.

84 Secundò obijcitur ex Murcia. Tum quia potentia passiua materię potest eleuari ad plures formas simul recipiendas, ergo & potentia informatiua ad plures materias informandas. Tum 2. quia idem corpus eleuari potest ad plura loca occupanda sibi adęquata, & idem numero effectus pendere potest per potentiam Dei à pluribus causis totalibus, ergo &c. Tum tandem quia idem accidens potest esse in duobus subiectis adęquatis, nam casu quo duo corpora essent in eodem loco, haberent idem vbi.

Resp. ad 1. iam ex dictis patere, quòd non valet paritas de potentia passiua materiæ, & informatiua formæ, quia hæc dicit perfectionem, non illa. Ad 2. negatur, eundem effectum posse à pluribus causis totalibus pendere; conceditur, idem corpus esse posse in pluribus locis,

locis, sed inde nihil sequitur, quia non currit paritas de corpore in pluribus locis, & forma in pluribus materijs. Ad 3. resp. Doct. ipse cit. 3. d. 1. q. 2. D. quòd sint duo vbi in illis corporibus, quibus correspondent ex parte loci duæ circumscriptiones actiuæ, dicuntur verò illa duo corpora in eodem loco, quia eadem superficie ambiuntur, super quam duæ locationes actiuæ fundantur, quare dicuntur in eodem loco ratione materialis loci, non ratione formalis.

Tertiò tandem obijcitur ex Ruuio. Tum quia forma habet proportionem cum qualibet materia, quam non informat, ergo ex parte eius non repugnat, quin possit successiuè informare plures materias, si à Deo conseruaretur, sed solùm ex parte simultatis, at potest Deus hanc supplere, & in hoc nulla appareret repugnantia, ergo &c. Tum etiam quia maior in infinitum est virtus agentis supernaturalis, quàm naturalis, sed virtute agentis naturalis forma applicatur ad vnam materiam, ergo virtute supernaturalis potest simul, & semel pluribus applicari, sed eo ipso, quod forma est applicata materiæ per modum actus, illam informat, ergo &c.

85 Resp. ad 1. negan. sub illatam minorem, posse scilicet Deum eleuare formam ad illam simultatem; tum quia ex illa simultate contradictoria sequuntur; tum quia talis eleuatio quo ad simultatem fieri nequit sine eleuatione quo ad substantiam informationis, quam etiam Ruuius ipse inficiatur. Ad 2. concedimus, posse ab agente supernaturali eandem formam localiter applicari diuersis materijs adæquatis, ita vt singulis sit intimè præsens, negatur tamen, ex ista simplici applicatione simultanea sequi, quòd omnes illas informet, quia ex ista replicatione simultanea sequi, quòd omnes illas informet, quia ex ista replicatione non acquirit forma maiorem virtutem informatiuam, sicut igitur Scotus docet in 4. d. 10. q. 2. infra Q. quod si idem numero ignis applicetur, vel replicetur in pluribus siluæ partibus, non totam siluam comburet, quia non habet maiorem virtutem replicatus, sicut etiam idem homo millies replicatus non habet maiorem virtutem vno homine solo, sic à pari dicendum est in proposito, quòd illa eadem numero forma in pluribus materijs replicata non omnes informabit, sed vnam tantum, quam scilicet Deus voluerit, cæteris verò erit solum intimè præsens.

Sed instabis, non valere paritatem, quia in allatis casibus de particula ignis replicata, replicatio non infert effectum maiorem, vel plures effectus, quia pluralitas effectuum non pendet ex illa simplici replicatione, sed ex maiori, & maiori virtute actiua agentis, at in proposito pluralitas effectiuum formalium pendet ex simplici replicatione formæ in pluribus materijs, causalitas enim formæ non fit, nisi per actualem ipsius communicationem materiæ, ergo &c.

Resp. negan. minorem, quia causalitas formalis fit etiam suo modo per exercitium maioris, vel minoris virtutis informatiuæ, qua ratione videmus, quòd idem numero calor, quantò maiori materiæ communicatur, minus perfectè illam informat, & si per communicationem intelligatur vnio substantialis per modum actus ad potentiam, concedimus, causalitatem formæ in tali communicatione consistere, sed hæc non oritur ex illa simplici replicatione in pluribus materijs, sed oritur ex virtute informatiua eius, quæ in vna tantum materia exerceretur, & non in alijs, licèt eis supponatur intimè præsens; si verò per communicationem intelligitur simplex indistantia localis, tunc absolutè negatur, quòd in tali communicatione consistat causalitas formæ.

QVÆSTIO VIII.

An materia, & forma substantialis immediatè vniantur, an verò mediatè.

86 Tripliciter potest intelligi quæsitum sicut triplex medium inter materiam, & formam excogitari potest, primum in ratione subiecti recipientis formam, secundum in ratione disponentis subiectum ad formam recipiendam, tertium in ratione vinculi, seu nexus vnientis materiam, & formam; in primo sensu quæstio non habet difficultatem, fatentur enim omnes, formam substantialem recipi immediatè in ipsa essentia materiæ, & etiam ita loquuntur, qui volunt, quantitatem, & qualitates disponentes præcedere in materia formam substantialem, non enim volunt, huiusmodi accidentia ita intercedere inter materiam, & formam, quasi directè in se formam recipiant, sed tantum quatenus præparant ipsam materiam, quæ immediatè in se suscipit formam. In secundo sensu est magna controuersia inter Thomistas, & Scotistas ex vna parte, Nominales, & Auerroistas ex alia; isti enim asserunt, necessariam esse duplicem dispositionem intermediam, quantitatem, scilicet, & qualitatem, quantitatem quidem ad extendendam materiam, vt fiat subiectum idoneum, & formæ materialis, & agentis naturalis, quod non agit, nisi inquantum, qualitatem vero, vt materiam de se indifferentem ad omnes formas recipiendas disponat, ac determinet ad hanc, vel illam formam recipiendam, quam sententiam sequitur Suar. in Met. disput. 14. sect. 3. Morisan. disput. 1. de Gen. dub. 6. in fine, & omnes ferè Recentiores. Illi verò negant vtrunque, quantitatem enim ponunt immediatè inhærere composito, & similiter dispositiones necessarias pro introductione nouæ formæ recipi in toto composito præcedente, & nequaquam permanere in instanti, in quo introducitur forma, sed ad interitum compositi præcedentis interire, quia tales dispositiones non iudicant esse necessarias pro informatione nouæ formæ, sed tantum pro expulsione veteris. Verum tamen est adhuc inter Scotistas, & Thomistas esse discrimen; Thomistæ namque omnes, formas substantiales asserunt immediatè vniri materiæ primæ, excludendo non solùm media accidentia, sed etiam substantiales formas, quod non concedunt Scotistæ in animatis, vbi volunt, formam mixti precedere animam in ratione dispositionis materialis, vt patet ex dictis q. 6. huius disp. art. 1.

In tertio demum sensu non est minor controuersia inter Nominales, & cæteras scholas, an vnio substantialis, qua vniri dicuntur materia, & forma, sit aliquod medium distinctum ab vtraque, an potius sit prorsus idem cum essentia vtriusque, ita quòd seipsis immediatè vniantur. Nominales enim contendunt, præter indistantiam, siue intimam præsentiam materiæ cùm forma, non esse superaddendum aliquem modum realem, & positiuum, per quem formaliter dicantur adinuicem vniri, ita Greg. 1. dist. 28. q. 2. ad 17. & 18. Baccon. 3. dist. 1. q. 1. art. 1. Aureol. 4. dist. 44. art. 6. Ocham 1. dist. 30. q. 1. ad 2. & alij eiusdem scholæ. Communis tamen opinio oppositum docet, nimirum præter indistantiam, & intimam præsentiam admitti debere modum realem, & positiuum, per quem dicantur substantialiter ad inuicem vnita, quæ est opinio Scoti 1. dist. 30. q. 2. F. & 2. d. 12. q. 1. & 3. d. 2. q. 2. & 4. dist. 12. q. 1. & clarissimè 2. dist. 1. q. 5. sup. A. citatur etiam D. Tho. 3. p. q. 2. art. 7. & 1. part. q. 76. art. 1. ad 6. & sequuntur Recentiores omnes, Suar. disp. 15. Met. sect. 6. num. 6. Vasq. 3. part. disp. 19. num. 24. Ruuius, Murcia, Auersa, Hurtadus in Phys. Complut. disp. 6. Phys. q. 2. vbi ostendunt hanc esse communem in schol. D. Th. & Arriag. disp. 4. Phys. sec. 1.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, formam non vniri materiæ medio aliquo accidente absoluto.

87 Dicendum est, formam substantialem immediatè informare materiam nulla mediante quantitate, ac qualitate. Ita Thomistæ, & Scotistæ omnes, & quidem non mediare quantitatem docuit Scot. in 2. dist. 3. q. 4. sup. M. & d. 15. q. vn. A. & in 4. dist. 12. q. 4. G. quibus in locis negat, materiam primam esse subiectum inhæsionis quantitatis, & affirmat, esse compositum; non mediare verò qualitatem docuit ex professo in 4. dist. 12. q. 3. vbi docet, qualitatem corrumpentis nunquam producere qualitatem impossibilem formæ corrumpendæ, sed quando venitur ad vltimum gradum qualitatis compossibilis cum ea, tunc generans introducendo suam formam, corrumpit aliam, cuius corruptione perit qualitas eam sequens, quæ eò vsque mansit in gradu necessario ad conseruationem illius formæ, vnde ante aduentum ipsius formæ substantialis de nouo genitæ in materia non præcedit qualitas in gradu incompossibili formæ corrumpendæ, sed qualitas in tali gradu dimanat à forma eò ipso, quòd est introducta, quare dispositiones necessariæ pro conseruatione formæ in materia, non antecedunt ipsam, sed comitantur iam immediatè copulatam materiæ; Veritas autem huius Concl. dependet ex dictis, tum disp. 2. q. 8. art. 4. tum disp. 3. quæst. 1. vbi fusè probatum est, compositum esse subiectum accidentium, & non materiam primam, quam etiam ex professo defendunt Faber Theor. 35. Cauellus disput. 1. de Anim. sect. 17. Sghemma 1. Phys. digress. 7. qu. 5. & Ruuius 1. de Gen. c. 4. tract. 2. quæst. 4. & tract. 3. quæst. 8. & tract. 4. quæst. 11.

Et prob. 1. quia potentia substantialis prius respicit actum substantialem, quam accidentalem, ergo priùs etiam illi vnitur, quia eo ordine vniuntur actus potentijs, quo ab eis respiciuntur; Nec respondere valet, materiam respicere prius actum, quàm formam substantialem ordine intentionis, quia respicit illam, vt finem, ad quem ordinatur eius potentia; sed ordine executionis priùs respicere accidentalem, vtpotè quæ præparat, & disponit materiam ad recipiendam substantialem, & ideo priùs ordine executionis vniri accidentali, quam substantiali; Non valet. Tum quia materia de se est magis proportionata ad recipiendam formam substantialem, quam ad recipiendam accidentalem, quia est eiusdem generis cum illa, non cum ista, ergo immediatiùs, & prius vnitur illi, etiam ordine executionis. Tum quia non indiget forma accidentali, vt præuia dispositione in ratione receptiui, quia de se est immediatè capax formæ substantialis, sed potius in ratione effectiui auferentis impedimenta, quæ obstant introductioni nouæ formæ, vnde non est opus, vt remaneat in instanti generationis. Tum tandem quia, vt dicatur disponere ad receptionem formæ substantialis, sufficit, quòd recipiatur in composito præcedente, non autem immediatè in materia prima, vt docet Scotus 4. dist. 1. q. 5. E. vbi inquit, quòd licet forma disponens in genere causæ materialis velut ratio recipiendi, sicut est organizatio in corpore respectu animæ, recipi debeat in eodem subiecto, in quo introducenda erit forma, ad quam disponit, tamen non est necesse, quòd forma, quæ disponit tantùm in genere causæ efficientis auferendo impedimenta, quæ obstat introductioni nouæ formæ, recipiatur in eodem subiecto cum ea, sed sufficit, quòd recipiatur in eodem composito, vel supposito.

88 Secundò, dispositiones, quas agens inducit in materiam, vt formam contrariam expellat, & suam introducat, recipiuntur in toto

compositò præcedente, non autem in materia prima immediatè, ergo ruunt ad interitum compositi illius, nec permanent in instanti generationis, Consequentia patet, quia in eo instanti migrarent, si remanerent, de subiecto in subiectum, transirent enim de toto composito, cui adæquatè inhærebant, & de forma in materiam solam, Probatur assumptum, nam experientia patet, quod dum ignis calefacit lignum, vt ex hac alteratione postea inducat formam ignis, calor in toto ligno recipitur, vt testatur Philosophus 5. Phys. 5. vbi loquens de tali alteratione inquit, *motus manifestum est, quod in ligno est*; idque sensus ipse docet, nam experimur, non solam materiam, sed etiam formam ligni, & totum lignum fieri calidum, ergo æquè immediatè inhæret calor formæ ligni, sicut materiæ, neque enim dicendum est, formam ligni esse calidam calore existente in altera parte, scilicet, materia, quæ ab ea realiter differt, & quidem dum tangimus lignum, vel aquam feruentem sentimus calorem, sed tunc non tangitur sola materia ligni, vel aquæ, sed materia, & forma, & totum compositum, ergo totus ille calor est in toto composito, non in sola materia prima.

Tertiò, dispositiones incompossibiles cum forma corrumpenda, & quæ sunt necessariæ pro informatione, & conseruatione formæ genitæ, non præcedunt illam in materia, sed comitantur, & ab ea statim, ac est genita, dimanant, ergo aliæ dispositiones præcedentes corrumpuntur in instanti generationis, & non remanent in materia, & consequenter forma substantialis informat materiam nudam, Consequentia patet, Probatur assumptum, Tum quia huiusmodi qualitates; & affectiones rebus connaturales, dicuntur illi coæuæ, ergo non antecedunt illas, sed comitantur. Tum quia si huiusmodi qualitates necessariæ pro conseruatione formæ in materia antecedunt ipsam, & in virtute illarum forma substantialis educitur de materia, potius forma substantialis ab ipsis dimanabit, quam è contra. Tum tandem quia est commune proloquium, quod in generatione rei, qui dat formam dat consequentia formam, vt qui dat formam ignis, dat consequenter calorem, siccitatem, leuitatem, &c. ergo qualitates huiusmodi connaturales, siuè sint ab agente mediatè, vel immediatè, semper consequuntur formam substantialem.

89 Quartò, præuiæ dispositiones, quæ introducuntur ante formam substantialem, non introducuntur ex necessitate materiæ quia ipsa est de se proportionata ad actum substantialem, nec redditur proportionata per accidentalem, & cum est nuda, eo ipso est proximè disposita ad hanc, vel illam formam iuxta conditionem agentis, cuius actioni subest, nam tunc censetur proximè disposita, cum per præuias alterationes manet expoliata forma veteri, & dispositionibus contrarijs modo supra explicato, & subest tali agenti, quod non potest in eam, nisi talem formam inducere. Neque introducuntur ex necessitate formæ generandæ, nam qualitates necessariæ pro eius conseruatione ipsam comitantur in instanti generationis, & non antecedunt, ergo remanet, vt introducantur ex sola necessitate formæ corrumpendæ, quæ non potest expelli à subiecto, nisi præuijs alterationibus.

Resp. introduci præuias dispositiones ex necessitate materiæ, quæ de se indifferens est ad omnes formas, quare per præuias dispositiones determinari debet potius ad hanc, quàm ad illam, nec sufficit, inquiunt, quod determinetur ab agente, quia non tantum extrinsecè, sed etiam intrinsecè debet eius potentia vaga determinari, quòd fit à dispositionibus illi inhærentibus etiam in ipso generationis instanti.

Sed falsum est, non sufficere agens ad determinandam materiæ indifferentiam, & ad recipiendam potius hanc, quàm illam formam, nam in generatione accidentali videmus, agens sufficere, lignum enim de se est indifferens ad calorem, & frigus, si vero applicetur igni, recipit calorem potiùs, quàm frigus, non ob aliquam dispositionem præcedentem, sed propter determinationem, & naturam agentis, sic etiam intellectus, quamuis de se illimitatus ad multas intellectiones producendas, determinatur ad hanc, vel illam ex concursu huius, vel illius obiecti determinati, vt Scot. docet in 1.d.3.q.7. Bb. sic etiam lignum in artificialibus ab Artifice determinatur ad hanc potius, quam illam formam, nam statuarius inducit formam Statuæ, artis nauifactiuæ sciens formam nauis, & sic de alijs, ergo ita in naturalibus dicendum est de materia, quod cum de se sit illimitata ad omnes formas recipiendas, ad hanc, vel illam determinatur ex concursu determinati agentis, ita docuit Scot. in 2.d.12.q.2.F. vbi postquam dixit, quod nullæ formæ circa materiam primam sunt simpliciter immediatæ, causam deindè inuestigans, quare materia, quamuis de se capax cuiuscunque formæ, quandoque potius vnam, quàm aliam recipiat, ipsam assignat ex parte agentis naturalis.

90 Quintò tandem præcipuum fundamentum alterius sententiæ est penitus ruinosum, ipsa enim putat, dispositiones præcedentes in materia concurrere ad introductionem nouæ formæ in genere causæ materialis, materiam, scilicet, excolendo, & præparando veluti rationes recipiendi, quasi sine his subiectum ineptum materia foret formæ introducendæ, vt explicat Mercenarius in suis Dilucidat. vol. 2. pa. apud nos 72. re etenim ità se habente, vtique permanere deberent dispositiones in instanti generationis, nec posset forma substantialis informare materiam nudam, sed falsum est, quod in genere causæ materialis concurrant, cùm potiùs concurrant in genere causæ efficientis, ex Scot. cit. 4. dist. 1. q. 5. E. vtpotè instrumenta, quibus vtitur agens ad expellendam formam, & dispositiones contrarias eo modo, quo ipse declarat 4. dist. 12. q. 3. ad hoc autem munus obeundum, non est necesse, vt in instanti generationis permaneant, cùm ipsæ non attingant, nec corruptionem substantialis formæ, & consequenter, neque determinati gradus, quem forma vetus sibi præscribat pro sui conseruatione.

In oppositum obijciunt 1. præcipuum fundamentum, quod nisi in instanti generationis permaneant preuiæ dispositiones in materia, ipsa tunc indifferens remaneret ad omnem formam quia sine accidentibus non plus determinatur ad hanc, quam ad illam. Nec sufficit dicere, materiam remanere determinatam, & quasi sigillatam ad hanc formam, eo quia tales, vel tales dispositiones immediatè præcesserint in ipsa, vt quamplures Thomistæ respondent, quia talis sigillatio, & immediatus ordo ad dispositiones, quæ præcesserunt in materia nihil reale ponunt in ipsa, sed solam denominationem extrinsecam, vel respectum rationis, per quæ nec potest esse realiter, & physicè determinata ad talem formam, nec realiter pro ea disposita. Nec sufficit dicere cum Scotistis, quod determinetur ex determinatione agentis, nam instant Mercenarius, & Suarez loc. cit. quod licèt possit admitti responsio in generatione, quæ fit ab agente vniuoco, & particulari, nequaquam tamen procedere in generatione, quæ fit ab agente æquiuoco, & communi, nam si à sole ex putrida materia rana generari debeat, & dispositiones pro tali generatione introductæ in ipso generationis instanti incorrumpantur, tunc materia indifferens remanebit ad formam ranæ, & ad formam muris, & cùm Sol quoque sit generans differens, non solùm ad formam ranæ, sed etiam ad alias, vt vespæ, & muris, tum ratione materiæ, tum ratione agentis, quod præsens est, non magis rana, quam alterum animal poterit procreari, ergo præsentia agentis non sufficit ad determinandam materiam ad hanc formam, sed requiritur in materia aliquid ipsi inexistens & intrinsecè determinans.

91 Resp. responsionem Thomistarum non sufficere, sufficere tamen Scotistarum etiam in generatione. quæ fit ab agente æquiuoco, quia licèt agens huiusmodi indifferens sit, quantum est ex se, ad plures effectus, determinatur tamen ad hunc, vel illum effectum, ad hanc, vel illam formam introducendam ex hac, vel illa alteratione præuia, etenim alternando hoc modo materiam, postulat ordo naturæ, vt post talem alterationem precedentem sequatur talis forma, & alterando alio modo, sequatur alia forma, etiam si materia de se sit indifferens ad recipiendum, & virtus agentis illimitata ad agendum, sic videmus in artificialibus, ex vsu diuersorum instrumentorum idem agens efficere diuersos effectus, non alia ratione, nisi quia vnum instrumentum determinatè inseruit ad producendum hunc effectum, & non illum, vt serra ad secandùm, calamus ad scribendum, &c. ita suo modo dicendum in naturalibus.

Sed contra hoc arguit Suar. num. 33. tota alteratio, quę precedit, in sententia nostra per accidens est, ad tollenda, scilicet, impedimenta, quę sunt ex parte passi, ergo ordo, & successio inter illam alterationem, & sequentem actionem non potest esse per se, nec inde sumi potest sufficiens ratio determinationis. Resp. alterationem posse dupliciter considerari, vel in ordine ad agens, vel in ordine ad subiectum; si consideretur in ordine ad subiectum, vtique per accidens se habet alteratio ad generationem, quia inseruit solùm ad impedimenta tollenda, non autem ad determinandam materiam in ratione receptiui, sed si in ordine ad agens consideretur, tunc alteratio prçuia per se ordinatur ad talem actionem subsequentem, quia agens alterando hoc modo, non potest generare, nisi hoc modo, vt ignis v.g. non potest in lignum inducere, nisi formam ignis, si dispositiones precedentes sint calor, siccitas, & raritas; potest exemplo res declarari in artificialibus, potest enim lignum varias figuras, & formas recipere ab agente, determinatur tamen ad hanc, vel illam formam recipiendam, quia agens circa illud operando vtitur hoc vel illo instrumento, sic in naturalibus potest materia, quantum ex se varias recipere formas, & agens æquiuocum dare, sed agens vtendo hac prçuia dispositione, necessitatur potius ad hanc formam introducendam quàm illam, siquidem dispositio ista est instrumentum idoneum pro introductione istius tantum, & non illius formę.

Sed dices, prçuias dispositiones ad hoc nihil conferre, cùm actu non existant, sed præcesserint. Resp. nil vtique conferre ad determinandam materiam, vt volebant Thomistę, valdè tamen conferunt ad determinandum agens, cùm enim agens incœperit per tales dispositiones expellere à materia contrarias, cum ipsę non possint expellere formam substantialem, nec illum gradum vltimum, quem sibi prescribit, petunt naturaliter, expulsionem illius formę cum suo gradu determinato in instanti terminatiuo alterationis fieri debere à forma illis consentanea, vel cui ipsę sunt connaturales.

92 Secundò, Apud omnes Philosophos receptissima est distinctio illa materię in primam, & proximam, idest preparatam, & vltimò dispositam ad determinatam formam, & quòd vnaqueque forma recipitur in materia sibi accommodata, iuxtà illud Philos. 2. de Anim. tex. 24. & 26. actus, & formę recipiuntur in patiente benè disposito. Confirm. quia si materia in instanti generationis est nuda, iam est indifferens ad recipiendam actionem cuiuslibet agentis, vndè si agens v. g. aer, quod omnes dispositiones ad formam eiusdem speciei cum sua ante introduxerit in aquam, in illo instanti annihilaretur, & eodem

& eodem instanti propè istam materiam aliud agens, vt ignis collocaretur, induceret ignis formam suam sine vlla dispositione præuia, quia materia est nuda, & sine impedimento, & forma substantialis aquæ eo instanti corrumpitur, nec esset aliud agens, quod suam formam induceret, imo etiam agens fortius, ignis, v.g. si eo instanti applicaretur, quia fortiùs agit, induceret suam formam, non aer, quamuis permaneret, & si duo agentia æqualis virtutis essent eo instanti applicata, neutrum introduceret formam, licèt vnum præuias dispositiones ad formam induxisset, quæ omnia parum verisimilia sunt.

Resp. etiam nos admittere, & illam distinctionem, & dictum Philosophi sed non in eo sensu, quo volunt Aduersarij, vbi enim per materiam proximam intelligunt ipsi materiam accidentibus tectam, & adumbratam, nos intelligimus materiam spoliatam qualitatibus contrarijs vsque ad vltimum gradum, quem sibi forma vetus determinat, iam iam recepturam formam nouam consimilem dispositionibus, quæ proximè præcesserunt, vndè ex ordine, quem dicit ad agens, ad dispositiones proximè præcedentes, & ad formam de nouo recipiendam, dicitur materia proxima, & vltimò disposita. Admittimus etiam dictum Philosophi, volumus enim patiens posse dici benè dispositum, cum remota sint impedimenta, & qualitates contrariæ formæ generandæ, & adhuc probè dispositum ad hanc formam, & non illam, si per has dispositiones, & non illas expulsa est forma antiqua, quia vt diximus, dispositiones preuiæ sunt instrumenta naturalis agentis, per quæ determinatur ad hanc formam introducendam, & non illam, licèt enim respiciendo subiectum, possint inseruire pro introductione alteri formæ, quia illud omninò denudat, & proximè capax reddunt cuiuscunque formæ, tamen respiciendo agens, non possunt illi inseruire, nisi pro introductione huius formæ, quia sunt instrumenta accomodata ad hunc præcisè effectum.

Ad Confir. concedimus primum casum, cum enim dispositiones præuiæ non sint necessariæ, nisi ad expoliandam materiam qualitatibus contrarijs formæ venturæ, si agens repetit materiam nudam; in eo instanti planè poterit introducere formam, qua ratione concedimus etiam casus secundus, etiam si agens debilius introduxisset dispositiones pro forma suæ speciei, nam agens fortius tunc applicatum deleret illas dispositiones, & alias introduceret pro forma suæ speciei. Ad 3. casum dicimus, quòd si agentia sunt æqualis virtutis, vt supponitur, vel neutrum ageret, vel agerent ad quendam effectum medium, in quo passum nec perfectè assimilaretur vni, nec alteri, vt Scot. docet 4. d. 10. q. 2. k.

93 Tertiò, ex hoc sequitur, quòd agens semper efficere ex quacumque materia effectum sibi perfectè similem in omnibus qualitatibus sibi connaturalibus, quia si priùs omninò denudat materiam, & illam relinquit sine vlla repugnantia, & in illam introducit suam formam perfectè sibi similem in natura specifica, necesse est, vt ad illam formam consequantur omnes qualitates connaturales, quia nihil est, quod resistat formaliter in ipsa materia, sed experientia oppositum docet, videmus enim multa substantialiter generari cum admixtione peregrinarum qualitatum ob indispositionem, vel impuritatem materiæ, ex qua generantur. Nec respondere valet cum aliquibus, hanc admixtionem peregrinarum qualitatum non prouenire ex eo, quòd in materia aliquæ superfuerint reliquiæ qualitatis contrariæ, sed ex reactione, quæ interuenit in generationibus naturalibus inter qualitates contrarias, hinc enim procedit, quòd agens non potest introducere formam perfectè sibi similem quo ad gradus indiuiduabiles, & hoc obstat, ne consequantur eam omnes qualitates connaturales. Non valet hæc responsio, quia cùm agens tandem vincat pugnam, & expellat formam veterem cum omnibus qualitatibus contrarijs, cùm eius virtus nullum amplius habeat impedimentum, poterit formam quo ad omnes gradus indiuiduales (si istorum habet latitudinem, de quo aliàs) perfectè sibi similem producere, sicut aqua amoto impedimento se reducit ad pristinam frigiditatem.

Resp. argumentum etiam Aduersarios vrgere, quia si dispositiones præuiæ in sententia ipsorum agunt vsque ad expulsionem formæ substantialis inclusiuè, certè si corrumpunt formam substantialem, corrumpent etiam quemlibet gradum qualitatis eius, quod enim potest in maius, potest, & in minus, vnde materiam reddent omninò præparatam, & dispositam pro introductione nouæ formæ absque vlla penitus admixtione peregrinarum qualitatum, quia nihil est, quod resistat formaliter in materia, nam contrariæ qualitates penitus sunt expulsæ; Dicendum igitur, sæpiùs interuenire huiusmodi impuras generationes, quia non semper expellitur à quacunq; parte materiæ forma vetus, sed in aliquibus remanent adhuc particulæ quædam formæ veteris cum contrarijs qualitatibus quæ reddunt generationem impuram, exemplum sit de vino, in quo si admisceatur parum aquæ, illam in se ipsum conuertit perfectè, & totaliter, expellendo à partibus materiæ aquæ singulas formæ aquæ particulas cum suis qualitatibus, at si aqua misceatur magna quantitate, ita pugnat cum vino, vt vinum non possit perfectè illam in se ipsum conuertere, sed remanent in ipso aliquæ adhuc particulæ aquæ, quæ reddunt vinum impurum, vnde ex hoc non sequitur, in generationibus impuris remanere reliquias qualitatum contrariarum in materia geniti, sed remanere etiam aliquas particulas formæ veteris cum illis, in diuersis tamen partibus materiæ ab illis, in quibus introducta est forma noua.

94 Quartò, non repugnat, dispositionem manere cum forma, ad quam disponit; Tum quia in animatis organizatio est dispositio ad animam, & tamen manet cum ipsa anima. Tum 2. quia dispositio debet esse in eodèm subiecto, in quo forma recipitur, & in eo manere, vt forma dicatur esse in subiecto disposito. Tum 3. quia dispositiones non solum sunt necessariæ ad excludendam formam oppositam, sed etiam ad conseruationem nouæ, & ad informationem, nam si ad hoc necessariæ non forent, non esset ratio, cur destructis dispositionibus, destruatur & formam. Tum tandem quia non videtur rerum naturis consonum, quod perfectum, vt est forma substantialis, enti imperfectissimo, vt est materia prima, immediatè vniatur sine aliquo apparatu.

Resp. ad 1. ex Scoto cit. 4. d. 1. q. 5. E. quod duplex est dispositio ad formam, alia, quæ disponit in genere causæ materialis, velut ratio recipiendi, & sic est organizatio respectu animæ, quia anima est actus corporis organici, alia est, quæ disponit solùm in genere causæ efficientis, auferendo scilicet impedimenta, quæ obstant introductioni nouæ formæ, vt sunt præuiæ qualitates in proposito, & tales remanere cum forma non est opus. Ad 2. valet assumptum de dispositione prioris generis, non posterioris, hæc enim sufficit, quòd recipiatur in eodem supposito ex Scoto ibidem. Ad 3. dicimus, duo esse genera dispositionum, quædam faciunt pro introductione formæ, & hæ sunt præuiæ ad formam, & in eius aduentu recedunt cum forma veteri, quædam pro illius conseruatione, & hæ sunt concomitantes, quæ manent cum forma noua. Ad 4. dicimus, formam suaptè natura petere, vt immediatè coniungatur materiæ ad hoc vt fiat ex ipsis vnum per se, ad quod accidens medium nedum non iuuat, sed potius efficeret vnionem per accidens.

95 Quintò videmus, post instans generationis, formam nouam cum suis qualitatibus reperiri, ergo signum est, istas permansisse cum forma in ipso generationis instanti, dicere namque, præuias qualitates ab agente introductas in ipso generationis instanti perire, & nouas à noua forma dimanare, est prorsus vanum, quia nequit assignari, à quo illæ corrumpantur & à quo istæ generentur, Probatur primum, nam dum ignis in aerem suam formam inducit, siccitas, & calor in aerem introductus disponens ad formam ignis, non potest ab ipso igne corrumpi, cum habeat easdem qualitates, neque à forma, quæ inducitur, quia illa requirit istas dispositiones; Probatur quoque secundùm, quia dum frigore interit homo, manet adhuc post mortem aliquis calor in cadauere, sed calor ille nequit à generante produci, scilicet à frigore, neque à forma noua cadaueris, cum potius sit productiua frigoris.

Confir. quia nec etiam assignari potest tempus, vel instans, in quo qualitates illæ præuiæ corrumpantur, & nouæ generentur, Probatur primum, quia ista forma vltimatè disponens in eo instanti, in quo vltimò introducitur, aut simul est cum forma generanda (quia cum corrumpenda consistere nequit) aut tunc ab ea corrumpitur; si primum, habetur intentum; si secundùm, ergo in illo instanti simul esset, & non esset, nam in illo instanti terminatiuo alterationis perficitur vltima dispositio; Probatur secundùm, nam vel nouæ qualitates istæ introducuntur ab agente prius natura, quàm forma, & sic non materia nuda, sed vltimis dispositionibus affecta subijceretur formæ, vel posteriùs natura, & sic vocari non possent dispositiones ad formam, cum eam reperiant introductam.

96 Resp. negan. assumptum quò ad vtranque partem, Ad probat. primæ dicimus, calorem à nullo per se corrumpi, sed per accidens ad corruptionem subiecti, quod erat aer, Ad probat. secundæ dicimus, calorem illum non produci de nouo, sed esse eundem calorem, qui prius erat in animali interituro, vnde argumentum vrget Thomistas, non admittentes formarum pluralitatem in composito, ac proindè dicentes, calorem illum de nouo produci.

Ad Confir. neg. etiam assumptum quo ad vtramque partem, Ad probat. primæ ait Tromb. 8. Met. q. 2. §. *Hæc argumenta, &c.* argumentum vrgere Thomistas, qui ponunt, dispositionem ad formam substantialem terminari ad aliquem gradum ad quem necessariò sequitur corruptio formæ veteris, & generatio nouæ, nec iuuat si dicant, primum esse formæ generandæ esse primum non esse ipsarum dispositionum, nam cùm generatio formæ fiat secundùm eos in instanti terminatiuo alterationis, & in eodem etiam acquiratur vltimus gradus dispositionis incompossibilis formæ veteri, planè vel in eodem instanti terminatiuo alterationis simul erunt; & ambo primum esse habebunt, vel in illo eodem instanti simul esset, & non esset; immo cum secundùm ipsos vltima dispositio attingat productionem formæ substantialis, oportebit, illam esse in eo instanti, quo forma producitur. At ratio ista non vrget Scotistas, ait Tromb. qui ponunt tantum terminum extrinsecum alterationis, & non intrinsecum, & etiam quòd nullus est gradus in alteratione inductus ab alterante, vt alterans est, qui sit incompossibilis formæ corrumpendæ, sed talis inducitur, vel à generante, vel à forma genita, vnde generatio secundùm Scotistas est terminus extrinsecus alterationis, & ideò ipsi rationabiliter dicere possunt, qualitates præuias corrumpi in ipso generationis instanti, ita quòd primum esse formæ sit primum non esse illarum, si generatio fit in instanti, vel vltimum non esse formę sit vltimum esse illarum, si fit in tempore. Ad 2. probat.

2.probat. siue illæ nouæ qualitates ponantur à generante produci, siue à forma geniti, de quo in lib. de Gen. dicimus, posterius natura ipsa forma produci, & licèt dici nequeant dispositiones ad formam introductam, dici tamen possunt, & debent dispositiones ad formam conseruandam.

97 Sextò Trombeta loc.cit. vt probet contra Thomistas, formam embrionis non recedere in aduentu animæ, adducit rationes quasdam, quæ generaliter videntur concludere de omni forma disponente, & licèt principàliter concludant contra Thomistas, fatetur tamen, etiam aliquas esse à Scotistis soluendas, validiores iam sunt adductæ, & solutæ, vna adhuc restat soluenda, quæ confirmare videtur primam rationem adductam, quæ est fundamentum præcipuum aduersariorum. Agens nullam formam generat de materia, nisi ad quam materia determinatur per aliquod intrinsecum, vt ait Comment. 12. Met. com. 18. vbi vult, quòd agens nihil extrahat de materia, nisi in ipsa sint proportiones, & habilitates ad formam extrahendam, ergo forma non vnitur materiæ nudæ. Confirm. sicut se habet agens in causando effectiuè, ita materia in causando subiectiuè, sed agens non agit, nisi determinatum, ergo, &c. Nec sufficit dicere, quòd determinetur ab agente, quia agens physicum, sicut in generando præsupponit materiam, adhoc, vt producat formam, ità, vt producat determinatam formam, præsupponit determinatam materiam per præuias dispositiones.

Resp. ex dictis ad 1. negando assumptum, auctoritas Comm. parum refert, cum fuerit illius opinionis. Ad Confir. dicimus, quòd sicut agens naturale illimitatum fæpiùs ex materia subiecta determinatur ad agendum, sicut Sol, qui lutum indurat, & glaciem soluit eadem vi calefactiua, & intellectus determinatur ab obiectis, ità è contra poterit materia determinari extrinsecè ab agente ad talem causalitatem materialem. Neque quod contra hoc obijcitur, officit, nam vt ex materia extrahatur determinata forma, & non quodlibet fiat ex quolibet, sufficit, quòd tale agens agat in materiam, præuia hac, vel illa alteratione; nam qualis est alteratio præcedens, talis est generatio subsequens.

98 Septimò tandem arguit Rubion. 2. d. 12. q. 6. art. vlt. Tum quia dum aqua est calida, totum non est immediatius subiectum caloris, quàm vtraque partium, nam & materia, & forma est immediatissimè calefacta, ergo corrupto toto, & forma, licèt corrumpatur pars illa caloris, quæ erat in eis, remanet tamen adhuc pars illa, quæ erat in materia. Tum 2. irrationabile est ponere subiectum dispositionis illud, cui repugnat forma, ad quam disponit, sed forma ignis repugnat aquæ, ergo non in aqua recipitur calor immediatè sed in materia prima, Tum tandem quia accidentia formæ substantialis introducendæ, v.g. ignis, magis repugnant formæ substantiali aquæ, & toti composito, quàm materiæ, ergo magis conueniens est naturæ rerum quod recipiantur in eo, velut in subiecto cum quo minorem habent repugnantiam.

Resp. ad 1. neg. assumptum, calor enim, & cætera accidentia immediatè sunt in composito, tanquam in subiecto proximo, & adæquato, concomitanter solùm, & secundariò in partibus ratione totius, vt dictum est q. 1. disp. 3. Ad 2. valet assumptum de dispositione, quæ habet rationem receptiui, & concurrit in genere causæ materialis, non de illa, quæ concurrit tantum in genere causæ efficientis ad expellenda contraria, sicut sunt qualitates præuiæ. Ad 3. neg. conseq. cum enim materia nullam habeat repugnantiam cum hoc, vel illo accidente nisi per accidens, ratione huius, vel illius formæ, cui subest; tunc omnis motus foret per se naturalis, nullus violentus, nisi per accidens, vt diximus q.cit. non est autem rerum naturæ consonum, omnem motum ponere naturalem.

99 Petes, in quo genere causæ concurrant dispositiones præuiæ ad generationem nouæ formæ, & concomitantes ad conseruationem eiusdem. Respon. qualitates præuias non habere causalitatem in formam, nisi instrumentalem, quæ proinde non attingit illam, sed totaliter consummatur toto tempore antecedente illud instans, expellendo qualitates contrarias vsque ad gradum incompossibilem exclusiuè, iuxta vnum dicendi modum à Scoto insinuatum 4. d. 12. quæst. 3. quem communiter sequuntur Scotistæ, ac proinde & nos in hac quæst. amplexi sumus, licet, & alter ibidem à Doct. insinuetur non minus probabilis, qui disputat. 7. quæst. 6. articulo 3. à nobis ex professo tradetur, quia non obstat hucusque dictis, & æquè benè saluat Doctoris sententiam, quòd accidens non possit producere substantiam. An verò concursus iste dici debeat in genere causæ materialis, vel formalis, vel efficientis, est quæstio de nomine; nam inquantùm expellunt qualitates contrarias, & materiam præparant pro introductione nouæ formæ, concurrent in genere causæ materialis; quatenus in subiecto introductæ expellunt formaliter qualitates contrarias ab eodem subiecto, sic possunt dici concurrere in genere causæ formalis, vt notauit Ruuius 1. de Gen. cap. 4. tract. 3. q. 10. Et tandem vt sunt instrumenta, quibus vtitur agens ad expellendam formam, & dispositiones contrarias dici possunt concurrere in genere causæ efficientis instrumentalis, vt ait Scot. 4. d. 1. q. 5. E. calor enim in aqua est instrumentum separatum ignis, sicut calor inhærens igni est instrumentum coniunctum; dispositiones etiam concomitantes possunt dici concurrere in genere causæ efficientis ad informationem, & conseruationem formæ in subiecto, quatenus illam tuentur à contrarijs eo modo, quo vires, & milites Regis illum dicuntur in regno conseruare.

ARTICVLVS II.

Vnionem aliquid superaddere partibus indistantibus, quo inuicem nectantur, demonstratur.

100 Dicimus, materiam, & formam non vniri se ipsis formaliter, sed media vnione illius superaddita. Ita Scot. loc. cit. Bassol. 2. d. 12. q. 2. art. 4. Fuentes 1. Phys. q. 5. diff. 1. art. 1. & 2. neq. hunc vnionis modum negat Sghemma 1. Phys. digress. 7. q. 5. sed tantum in sensu, quo ponitur à Recentioribus, & Prob. 1. ex Scot. 2. dist. 1. q. 4. §. *Contra istam opinionem &c.* Si vnio materiæ, & formæ nihil prorsus superaddit earum entitatibus absolutis, ergo perpetuò manebit compositum substantiale ex eis, nam facta illarum separatione, manent adhuc secundum totam earum entitatem absolutam, ergo manent adhuc realiter vnitæ, atq; ita semper manet compositum, quamdiù manent entitates absolutæ illarum, vel vt ait Bassolius, materia, & forma numquam poterunt separari, quia vnio est eadem essentialiter illis.

Respon. Nominales, vltra entitates absolutas partium requiri etiã indistantiam & approximationem illarum, & non per se sumptas cõstituere totum, sed vt conjunctas, & vnitas. Sed contra. Tum quia, vt ait Liche. 2. d. 1. q. 4. approximatio secundum Nominales nihil reale importat vltra res approximatas, sed solam negationem medij interiecti. Tum quia potest Deus conseruare materiam, & formam intimè præsentes sine vlla informatione, & potest anima rationalis à corpore dissolui secundum informationem, & non secundum vnionem localem, in quo casu anima corpus non viuificaret, nec hominem constitueret, ergo ad constitutionem compositi, præter indistantiam localem, superaddendus est nouus modus vnionis substantialis. Tum denique quia ex partibus vnitis tale fit compositum, qualis est vnio illarum, sed approximatio, & indistantia localis est vnio prorsus accidentalis, & extrinseca, ergo non sufficit ad constitutionem compositi substantialis, immo neque accidentalis, quia vnio, quæ est inter accidens, & subiectum, præter indistantiam localem, addit respectum informationis, vt Scot. docet 2. d. 1. q. 7. Hh. ex Arist. 5. Met. 13.

Respondent, quòd cum dicunt, materiam cum forma intimè coexistentem constituere compositum, id non debet intelligi de materia nudè sumpta, sed debitè disposita, nam in hoc sensu forma illi localiter coniuncta constituit compositum. Sed contra. Tum quia dispositiones in materia non sunt simpliciter, & absolutè necessariæ ad constitutionem compositi, immo de facto tales non mediant in ratione receptiui inter materiam, & formam, vt visum est art. præc. atque ideò potest saltim Deus constituere compositum, copulando formam cum materia sine his dispositionibus, ergo vnio substantialis aliquid superaddit materiæ, & formæ cum indistantia, & accidentalibus dispositionibus. Tum etiam quia potest adhuc conseruare Deus animam corpori disposito intimè præsentem absque eo, quòd illud viuificet, ergo vnio aliquid plus importat, quam indistantia localis formæ à materia disposita. Tum tandem quia, vt dicemus quæst. seq. intima præsentia partium ad inuicem, quomodocunque ponatur, semper spectat ad prædicamentum vbi, vnio verò earum ad inuicem ad prędicamentum habitus, ergo hæc aliquid illi superaddit.

101 Secundò partes non constituunt totum nisi vnitæ, ergo non consistit vnio in sola entitate illarum, sed aliquid necessariò eis superaddit, Consequentia patet, quia si nihil superaddit, ergo etiam antea vnitæ erant. Accedit ex Bassol. cit. quod cum nunc sint vnitæ, & non antea, oportet, quod in illis, vel in aliqua illarum sit facta mutatio, sed realis mutatio non fit sine acquisitione alicuius de nouo in re, quæ dicitur mutari, ergo hoc, quod est, partes esse vnitas, dicit aliquid super entitates absolutas illarum, Probatur maior, quia non fit transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione illi proportionata, ergo cum hic transitus sit realis, & physicus, fiet cum mutatione reali, & physica, Probatur minor, mutari est rem aliter se habere nunc, quam prius, sed non aliter se habet res, si nihil prorsus sibi additur, vel detrahitur, ergo &c.

Respondent, fieri transitum realem, tum ratione indistantiæ localis, quia partes modò sunt approximatæ, & prius erant distantes; Tum ratione dispositionum, quia materia nunc est disposita, & prius erat indisposita. Sed contra; Tum quia falsum est, transitum de distantia ad indistantiam esse realem secundum Nominales, quia amittendo distantiam, nihil reale amittitur, & acquirendo indistantiam, nihil reale acquiritur. Tum quia licèt transitus materiæ de esse indisposito ad esse dispositum sit realis, tamen non est absolutè necessarius ad compositi constitutionem, sed tantum secundum communem naturæ cursum. Tum tandem quia potest conseruare Deus, vt dicebamus, per aliquod tempus animam intimè præsentem corpori, ita quod sit solum forma assistens, & postea illam vniri eidem corpori substantialiter, ita quod sit forma informans, & in hoc casu adhuc adhoc daretur transitus de contradictorio in contradictoriũ, quia anima prius non erat vnita corpori per informationem

nem, sed per simplicem assistentiam, postea est vnita corpori per informationem, nec potest hic transitus saluari per indistantiam localem, aut materiæ dispositionem, quia etiam priùs supponebatur præsens corpori disposito, ergo &c.

102 Tertiò tandem id probat Doctor loc. citat. argumento desumpto ex mysterio Incarnationis, quia si vnio hypostatica nihil superaddit entitatibus Verbi, & naturæ assumptę, semper natura humana illi foret vnita, etiamsi eam deponeret, quia facta tali depositione, adhuc saluatur tota realitas extremorum, cui nihil reale prorsus superaddit vnio hypostatica secundum hanc sententiam. Nec dici potest, vltra entitates Verbi, & naturæ exigi indistantiam amborum, vt natura dicatur à Verbo assumpta, quia Verbum ratione suæ immensitatis, semper indistans est à quacunque natura creata, ergo vnio hypostatica aliquid superaddit Verbo indistanti ab humanitate.

Respon. aliqui, concedendo, vnionem hypostaticam aliquid superaddere extremis visitis, quia extrema, illa scilicet natura, & Verbum, nullam habent inter se naturalem proportionem, & ideò indigent aliquo medio, quo vniantur, sed materia, & forma, cum inter se habeant naturalem proportionem, nullo indigent vinculo medio quo connectantur, sed se ipsis immediatè vniuntur. Sed contrà. Tum quia si Verbum quamuis infinitæ perfectionis non potest vniri naturæ, nisi medio vnionis vinculo, tantò minus, vt ait Amicus loc. cit. vniri poterunt materia, & forma sine medio, cùm sint extrema inferioris perfectionis; Tum quia potentiæ vitales cum suis objectis maximam habent connaturalem proportionem, & tamen illis vniuntur medijs actibus. Tum tandem quia proportio naturalis inter aliqua extrema non tollit necessitatem vnionis, sed tantùm facit, quòd vnio illa sit naturalis, vbi inter naturam, & Verbum est vnio supernaturalis.

In oppositum obijcitur primò. Tum quia Aristot. 8. Met. text. 15. & 2. de Anim. text. 2. ait, materiam, & formam immediatè vniri, quia sunt per se actus, & potentia, & ex eis fieri per se vnum, quia hoc est per se potentia, illud per se actus, nec meminit vnionis substantialis, ratione cuius fiat per se vnum, imò ibidem diuidens substantiam, recenset solùm materiam, formam, & compositum, & de ista vnione nec verbum quidem. Tum deinde si datur vnio medians inter materiam, & formam, ergo non erunt immediatè vnita, & sic non constituent per se vnum. Tum etiam 3. quia sunt se ipsis proportionata, ergo se ipsa vnibilia. Tum 4. quia partes integrales in continuo se ipsis vniri possunt sine indiuisibilibus, ergo etiam partes essentiales sine modo vnionis. Tum denique quia etiam iste modus vnionis alio medio vniri debebit partibus, vel si se ipso vniri potest, id etiam dicendum erit de materia, & forma, præsertim quia maiorem inter se habent proportionem, quàm cum vnione ipsa.

103 Respon. Philosophum non dicere, materiam, & formam immediatè vniri, sed ex eis fieri per se vnum, quia hoc est per se actus, & illud per se potentia, quod vtique verum est, nec necessaria est ista vnio velut causalitas, aut ratio causandi per se vnum, vt patet ex dictis de causalitate materiæ, & formæ, sed tamen requiritur, vt nexus earum; neque talis nexus tollit immediationem inter partes, imò est ratio, per quam immediatè dicuntur vnitę; Aristot. verè ibidem diuidendo substantiam, non meminit vnionis, quia vnio re vera non est substantia, sed accidens, licèt sit substantialis, vt dicemus qu. seq. Ad 2. neg. conseq. quia vnio non mediat inter extrema vt Quod, seu vt aliquid vnitum, sed solum vt Quo, & vt ratio formalis vniendi, hæc autem non tollit, vt dicebamus, immediationem rerum, quæ per illam vniuntur, sicut cum oculus videt parietem, licèt mediet visio, non tamen illum mediatè videt, quia visio non mediat nisi vt ratio formalis videndi. Ad 3. negatur etiam conseq. quia non indigent vnione, vt proportionentur ad inuicem, sed vt formaliter vniantur. Ad 4. negatur assumptum, vt patebit disput. de Continuo, imò Philos. c. de quantitate ait, continuam esse illam, cuius partes copulantur termino communi. Ad 5. negatur conseq. sic enim vnio vnit extrema inter se, vt illa copulando vniat se ipsam illis, quod explicari solet exemplo glutinis duas papiros glutinantis, ita enim glutinat eas inter se, vt etiam glutinet se ipsum illis; Nec tamen hinc sequitur, quod etiam materia, & forma debeant se ipsis immediatè vniri, quia quod est alteri ratio formalis essendi tale, ipsum non est tale vt Quod, sed tantum vt Quo, sic motus non mouetur, actio non agit, vbi non est in loco, quia sunt rationes formales, cur mobile moueatur, agens agat, &c. cùm igitur vnio sit ratio formalis, cur materia, & forma vniantur, se ipsa vnitur illis, & ita loquitur Scot. 4. d. 12. q. 1. de vnione accidentis ad subiectum, quòd nimirum se ipsa vnitur, & inhæret, & non media alia inhærentia.

104 Secundò obijcit Rubion. 4. d. 12. qu. 1. art. 2. (licèt ibi loquatur de vnione formæ accidentalis, sed quo ad hoc est eadem ratio de vnione vtriusque, quia vtraque vnio aliquid superaddit extremis vnitis) Tum quia hæc vnio vel præcedit formam in materia, vel est simul natura cum ea, cum incipit esse in subiecto, vel est posterior; primum, & secundum dici nequit, nam cùm vnio sit respectus, debet extrema præsupponere, si ergo præsupponit formam in subiecto, iam vnio ista prorsus erit superflua. Tum quia materia est immediatiùs perfectibilis per formam substantialem, quam per accidentalem, ergo non immediatius attingitur ab vnione, quàm à forma. Tum denique vel forma potest inesse materiæ circumscripto quocunque respectu, vel non, si primum, ergo superfluit, vnio, secundum dici non potest, quia nullum posterius sequitur necessariò prius, à quo realiter diuinguitur, hæc autem vnio ponitur posterius extremis, & ab eis ex natura rei distincta.

Resp. ad 1. vnionem supponere formam in materia prioritate naturæ, sicut vniuersaliter relatio supponit extrema, sed quia in priori signo non dicuntur vnita, nisi fundamentaliter, ideò in posteriori signo resultat vnio inter illa, ratione cuius dicuntur formaliter vnita, sicut à pari, substantia in priori signo intelligitur existens, & non subsistens, nisi fundamentaliter, & radicaliter, in posteriori verò in ea resultat subsistentia, ratione cuius dicitur formaliter subsistens, & hoc est commune omnibus extremis relationum conceptis præcisa relatione, sic enim duo alba dicimus fundamentaliter similia antecedenter ad relationem similitudinis, à qua posteà superueniente in posteriori signo naturæ formalem denominationem similis suscipiunt, vt latè docuimus in Log. disputat. de relatione; quod autem aiunt Scotistæ quidam, vnionem in materia præcedere formam, nec esse vniuersaliter verum, quod relatio supponat extrema, sed interdum præcedere, piaculum est, ac magnum nefas in Schola Subtilium, vt in hac disput. q. 2. demonstrauimus ex mente Doct. expressa. Ad 2. dicimus, vnionem non impedire, quin materia immediatè perficiatur à forma substantiali, quia vnio non est id, quod recipitur in materia, sed id, quo aliud recipitur, scilicet forma, neque est id, quod perficit materiam, sed quo forma perficit eam. Ad 3. dicimus, nec esse, nec cogitari posse formam subiecto formaliter vnitam sine vnione, & falsum est vniuersaliter, nullum posterius sequi necessariò suum prius, à quo realiter distinguitur, nam substantia sequitur substantiam, relatio extrema, &c.

Fuentes 1. Phys. q. 5. n. 12. & 14. inquit, vnionem non poni tantum, vt extrema dicantur formaliter vnita, sed etiam vt simpliciter vniantur, vnde præcisa vnione, inquit, extrema nec etiam fundamentaliter posse dici vnita, quo dato, argumentum Rubion. relatum non facilè solueretur, vnde præstat dicere, extrema ante illius resultantiam intelligi fundamentaliter.

QVÆSTIO IX.

Quid sit vnio substantialis, & Quomodo à partibus distincta.

105 Constat ex dictis, vnionem formæ cum subiecto aliquid eis superaddere vltra indistantiam amborum, & rationes æquè probant de vnione formæ accidentalis, ac substantialis. Hic verò præsertim quæritur de natura vnionis substantialis. Recentiores communiter aiunt, esse modum quendam substantialem, quo materia, & forma inter se substantialiter vniuntur, sed differunt in explicanda natura huius modi substantialis, volunt enim aliqui, esse entitatem absolutam, quæ sit terminus actionis vnitiuæ, quàm deinde consequitur relatio accidentalis vnionis, per quam partes denominantur vnitæ, talis videtur esse opinio Murciæ 1. Phys. disputat. 2. q. 3. vbi ait, vnionem esse modum absolutum substantialem, ex quo nascitur relatio quædam secundùm esse inter partes, pro qua citat Caietan. & Suarez. Alij verò ponunt, hunc modum substantialem esse modum essentialiter relationis transcendentalis, & hæc est communior opinio inter Recentiores, quam sequitur Suarez, & Vasquez cit. qu. præc. Ruuius 1. Phys. tract. 2. qu. 6. Hurt. disp. 5. sect. 4. §. 28. Auersa qu. 19. sect. 7. Amicus 1. Phys. tract. 11. q. 10. dub. 2. art. 3. & alij passim, vbi etiam pro hac opinione, & immeritò, citat Scotum, vt videbimus.

Antiquiores verò Scholastici vnanimiter docuisse videntur, hunc vnionis modum esse relationem prædicamentalem mutuam in vtroque extremo, merito cuius materia dicatur vnita formæ, & forma materiæ, & hæc præsertim fuit apertissima Scoti sententia in 3. d. 1. q. 1. §. *De primo dico, &c.* in 4. dist. 12. q. 1. §. *Ad quartum dubium, &c.* quibus in locis etiam, expressit, esse relationem prædicamentalem illius ordinis, quæ dicuntur præsertim in schola nostra extrinsecus aduenientes, quem sequuntur Scotistæ omnes, Bassolius 2. d. 12. qu. 2. artic. 4. Faber in 3. disputat. 3. cap. 2. Rada 3. par. contr. 3. art. 4. & alij passim, quam sententiam Lorca in 3. par. disput. 15. nu. 8. censet probabilem.

Dubitatur etiam, quonam distinctionis genere vnio à partibus vnitis distinguatur, certum est vtique apud omnes, vnionem ita à partibus distingui, quod partes sine illa existere possunt, non è contra; sed quia, & vnio est modus partium vnitarum, & præfata distinctio est propria modi à re, cuius est modus, hinc Recentiores distinctionem vnionis à partibus vnitis volunt esse modalem, & non realem, ita Auctores omnes citat. Alij verò, quamuis vnio nequeat esse sine extremis vnitis, adhuc contendunt posse appellari realem, imò & ipsam vnionem posse dici rem, quę est lis de nomine, vt postea dicemus.

106 Dicendum est, vnionem materiæ, & formæ non esse entitatem substantialem absolutam, aut etiam essentialiter relatiuam, sed esse merum respectum extrinsecus aduenientem de genere actionis, vel passionis, aut potius habitum distinctum ab extremis realiter, vel

vel modaliter iuxta variam acceptionem rei, & distinctionis realis. Conc. quo ad omnes partes est Scoti loc.cit. & Prob.1. quòd vnio non sit entitas substantialis, tum auctoritate Philos. qui 2. de Ani. tex. 2. & 8. Met. tex. 15. enumerans entitates substantiales, huius vnionis nullam mentionem facit nec ibi, nec alibi, tum etiam ratione; nam vel ponitur entitas substantialis, vt saluetur esse modum substantialem, & substantialiter vnientem extrema; vel ad terminandam actionem vnitiuam, quæ est actio substantialis, ideoque terminum substantialem habere debet: vel denique ponitur entitas substantialis ad fundandam relationem nouam prædicamentalem vnionis, his enim de causis poni solet entitas substantialis, sed nullum horum est sufficiens motiuum ad asserendum, vnionem esse entitatem substantialem, ergo &c. Probatur minor, vt incipiamus ab vltimo; Non est ponenda ad fundandam vnionem relatiuam prædicamentalem, ad quam consequatur; tum quia vnio non est relatio intrinsecus adueniens, quæ consequatur entitatem alterius, sed est extrinsecus adueniens per se producibilis per veram actionem, & per verum motum acquisibilis, vt docet Doct.3.d.1.q.1.k. tum quia ratio proxima fundandi vnionem relatiuam inter materiam, & formam, ex parte materiæ est per se potentia, ex parte formæ est per se actus, vt clarè docuit Philos. dum loc.cit. assignans rationem per se vnionis materiæ, & formæ, ait, quia hæc est per se actus, illa per se potentia; Tum etiam quia modus ille vnionis substantialis in vno tantùm esset extremo iuxta communiorem Recentiorum, ergo non potest poni sufficiens ratio fundandi vnionem relatiuam, quæ est relatio mutua, in vtroq; extremo existens rationem proximam fundandi; Tum denique quia frustra ponuntur duæ vniones, vna substantialis, & alia relatiua, cùm vna sufficiat, vnde Auersa loc. cit. negat cum alijs hanc vnionem relatiuam consequentem vnionem substantialem.

Neque ponenda est entitas substantialis ex 2. cap. ad terminandam scilicet actionem substantialem vnitiuam, quia hæc actio non dicitur substantialis intrinsecè, quasi terminum substantialem attingat, sed tantum extrinsecè eo modo, quo generatio sumpta pro præuia alteratione dici solet substantialis, nam si per eam produceretur terminus substantialis, sequeretur, materiam priùs substantialiter mutari, recipiendo in se vnionem, quàm mutetur per formam, quod falsum est, quia secundum omnes Philosophos, materia non mutatur substantialiter, nisi per formam, quòd si vnio ponatur in forma, sequitur, formam esse subiectum mutationis substantialis, quod etiam falsum est in bona Philosophia, Probatur consequentia quo ad vtramque partem, hæc enim vnio in sententia Aduersariorum per se producitur per veram actionem, & verè terminat motum, & distincta actione producitur ab illa, qua producitur forma, quod saltem in hominis generatione negare non possunt, in qua animam ponunt à Deo produci, vnionem verò substantialem ab homine, si igitur in forma recipitur, velut in subiecto, iam forma erit subiectum mutationis substantialis, acquirit enim in se per verum motum aliquid substantiale, quod priùs non habebat; si verò in materia immediatè recipitur, velut causalitas per quam forma in sua entitate à materia dependet, vel saltim quo ad esse vnitum, planè erit prior ipsa forma, atque ita priùs per vnionem materia mutabitur substantialiter, deinde per formam prius saltem prioritate naturæ, atque ita in qualibet transmutatione vnius entis in aliud duplex interueniret generatio substantialis, & duplex corruptio, vnionis scilicet, & formæ.

107 Nec demum ex alio cap. vnio poni debet substantia quia nimirùm est vnio substantialis, non enim vnio dicitur substantialis, quia formaliter sumpta, ac entitatiuè importet substantiam aut modum substantialem, sed sicut actio productiua termini substantialis entitatiuè est accidens, denominatur tamen substantialis à termino producto, qui est substantia, ita vnio dicitur substantialis, quia est inter substantias sub rationibus substantialibus, vt docet Scot.3.d.7.q.1. D. sicut à pari, relatio identitatis, & distinctionis, quamuis sint accidentia prædicamentalia, identificant tamen & distinguunt substantialiter extrema. Ratio huius in vniuersum est, quia vnio substantialis, sicut & accidentalis, non dicuntur tales, quia sint accidens, aut substantia, seu modus substantialis, vt Aduersarij fingunt, sed ea ratione dumtaxat, quòd sunt, vt ad substantiam in ratione substantiæ, vel ad eandem sub ratione aliqua accidentali, aut ad accidens ipsum, qui modus denominandi vniones in alijs etiam obseruatur, non enim dicitur vno hypostatica, vel naturalis, quia est per hypostasim, vel naturam, sed ad hypostasim, vel naturam; pariter nec corporalis, aut spiritualis dicitur vnio, quia sit per formam corporalem aut spiritualem, sed quia est ad formam corpoream, vel spiritualem, & sic de cæteris, vnde etiam vnio hypostatica humanitatis assumptæ non est dicta substantialis, quia per modum substantialem creatura facta sit, vt putant Aduersarij, sed quia est ad hypostasim, & personam diuinam, quæ substantia est; vt colligitur ex Concilijs, & præcipuè ex decreto 6. Synod. generalis, & hoc valdè notandum est in præsenti materia, nam hinc facile deducitur, quare materia, & forma substantialiter vniuntur, non sic substantia, & accidens, intellectus cum obiecto intelligibili, Orbis cum Intelligentia, materia enim vnitur formæ, qua ratione substantialis actus est, intellectus autem cum obiecto, qua ratione intelligibile, & Orbis cum Intelligentia, qua ratione ipse est mobilis, & ipsa motrix.

Respon. Hurt. Auersa, Amic. loc. cit. falsum esse, vnionem non esse intrinsecè substantialem, sed extrinsecè tantum, & terminatiuè, quia scilicet inter substantias reperitur, & ordinatur ad compositum substantiale, falsum est (inquiunt) quia non ordinatur ad compositum substantiale, vt terminum extrinsecum, sed vt terminum, in quo essentialiter includitur, & ideò debet esse secundùm essentiam substantiale quid, quia accidens non potest includi in conceptu substantiæ, cùm substantia non componatur ex accidentibus.

Sed falsum est, vnionem includi in essentia compositi, vt fusè probabimus infra, natura enim hominis, & leonis est absoluta, non relatiua, & essentialiter concipiuntur, si concipiantur ad se præciso quocunque respectu etiam transcendentali. Nec obstat, quod præexigatur, & coexigatur ad essentiam compositi, quæ est absoluta, nam vt docet Doctor 3. d.2. q.2. F. tota entitas potest esse absoluta, & tamen exigere respectum velut conditionem necessariam ad eius constitutionem & conseruationem, sic ad effectum requiritur ordo, & applicatio causæ, & tamen effectus est absolutus, & ratio huius est, quia non quicquid requiritur ad aliud, est illud idem esse, ad quod requiritur. Accedit, quòd, vt Amicus ipse concedit loc.c.a.1. Not. 2. vnio specificatur ab extremis formaliter sumptis, non materialiter, quia dum extrema possunt vario modo vniri, inspicienda est ratio formalis, secundum quam vniuntur, nam si materia v.g. & forma vniantur tantum, secundum locum, vnio erit accidentalis, quia vniuntur secundum rationes accidentales, licèt sint substantiæ, si verò vniantur secundum rationem actus, & potentiæ, vnio erit substantialis, quia fit secundum rationes substantiales, ergo hoc solùm sufficit, vt vnio materiæ, & formæ ordinata ad compositum constituendum, dicatur substantialis, nec ad hoc requiritur, quòd includatur in essentia compositi.

108 Secundò Prob. non esse entitatem absolutam, sed merè respectiuam ex Scoto 3.d.1.q.1. Tum quia vnio non est ad se, sed ad aliud, & vnio est vnitorum vnio: Tum quia intellecto in partibus quocunque absoluto, non intelliguntur vnitæ, nisi quousque concipiamus habitudinem vnius partis ad aliam. Tum etiam quia, vt ait Bassolius cit. omne absolutum potest intelligi quidditatiuè, non cointellecto alio extrinseco, sed implicat intelligere vnionem formæ ad materiam, non intelligendo materiam, & è contra, ergo vnio est essentialiter relatio.

Respondent, concedendo, vnionem non esse entitatem merè absolutam, sed intrinsecè includere habitudinem transcendentalem ad res vnitas, & ideò non est relatio prædicamentalis, sed transcendens, & potest vtique talis relatio esse de essentia absoluti. Sed contrà, quia, vt probauimus disp.2.q.5. art.5. propositio illa, quòd respectus non est de essentia absoluti, est vniuersaliter vera de quocunque respectu, semper enim contradictoria sequuntur, quòd idem secundum eandem formalitatem, & essentiam suam esset ad se, & non ad se, ad aliud, & non ad aliud; Nec iuuat dicere, hæc enunciari sub diuersis rationibus; nam est ad se quatenus entitas absoluta est, ad aliud, quatenus transcendentaliter relatiua; Tum quia vnio secundum totam suam realitatem est ad aliud, & ad aliud refert, & implicat concipere vnionem in ratione vnionis ad se, & non ad aliud, ergo nihil prorsus includit absoluti. Tum quia quælibet res est in vna duntaxat specie athoma constituta per vnicam, & vltimam differentiam specificam, neque aliqua res constare potest ex duabus realitatibus specificis, à quibus duo prædicata contradictoria sumantur, quia sicut prædicata contradictoria inter se incompossibilia sunt, sic realitates specificæ à quibus sumuntur, ergo impossibile est aliquam entitatem reperiri, quæ quidditatiuè considerata, & secundum rationem suam specificam, quæ vnica est, sit ad se, & non sit ad se, ad aliud, & non ad aliud.

Accedit, ita accidere materiæ, vel formæ esse vnitam, sicut accidit Petro esse similem, ergo non est relatio transcendens sed prædicamentalis. At dicunt, in relatione transcendentali considerari debere id, quod proximè, & immediatè denominatur ad aliud, non verò remotè, quia comparatione subiecti remoti etiam transcendentalis relatio dicetur accidere subiecto, sic scientia dicitur essentialiter referri ad scibile, relatione transcendenti, intellectus verò accidentaliter tantum, quatenus sibi accidit ipsamet scientia; quæ est subiectum immediatè relatum per relationem transcendentem; sic in proposito inquiunt, quamuis esse vnitum accidat subiecto remoto, scilicet materiæ, vel formæ, non tamen subiecto immediatè relato, quod est ipsamet entitas absoluta vnionis.

Sed contrà, quia prorsus falsum est, vnionem esse relatam, cùm potius sit ipsamet ratio referendi extrema vt vnita, quare cum eius subiectum proximum sit materia, & forma sub ratione actus, & potentiæ, & illis accidat non minus, quàm similitudo Petro, & paternitas Paulo, consequenter fatendum est esse relationes prædicamentales non transcendentales, per hoc enim distinguuntur huiusmodi relationes inter se, quòd prædicamentales penitus accidunt subiectis, non autem illæ, vt dictum est in Log. disp. 8. q.1.

109 Tertiò, quòd dicat respectum extrinsecus aduenientem, probat Doctor 4. d.12. q.1. N. quia non sequitur necessariò extrema posita in esse, potest enim Deus materiam, & formam separatas conseruare sine vnione, & potest vnio terminare per se actionem agen-

agentis, seù vnionem, vt docet ex professo 3.d.1.q.1. §. *Ad illud, &c.* & quol.11. ergo est relatio extrinsecus, non intrinsecus adueniens, quia ad nullam talem est motus 5. Phys. text.10. Cuius autem generis illorum sex sit vnio, ait Doctor 4.dist.12.q.1.C. quod fortè pertinet ad genus passionis, si passio dicat non tantum respectum passi ad agens, sed ad formam, vel ad genus actionis, si actio dicat, non tantum respectum agentis ad patiens, sed formæ informantis ad illud, quod informatur; Bassolius autem adhuc non minus probabiliter 4.d.12. qu.1. art.1. inquit, spectare ad prædicamentum habitus quod probat, quia talis habitudo est aliquo modo derelicta ex adiacentia formæ ad subiectum, vel est ipsamet adiacentia talis; quod etiam confir. potest ex ipso Auctore sex principiorum, qui ponit in eo prædicamento album esse, & quantum esse, quod non est, nisi habere quantitatem, & qualitatem inhærentem, cui consonat, quod ait Doctor 1.d.3.q.7.Y. vbi inquit, quod habere qualitatem, est esse quale, vndè in Log. præcipuè constituimus prædicamentum habitus in illa mutua habitudine, qua subiectum dicitur habere formam, & forma haberi à subiecto: quare meliùs constituitur vnio formæ ad subiectum in prædicamento habitus, quàm in prædicamento actionis, vel passionis; quia à passione verbi gratia dicitur subiectum calefactum, sed ab vnione caloris dicitur calidum, & in ista denominatione exprimitur sola receptio, non autem passio, quia cùm passio sit actus huius ab hoc, non dicit receptionem formæ quocunque modo, sed vt est in fieri ex vi agentis.

Quartò, Tandemquòd distinctio vnionis ab extremis possit appellari realis, & modalis iuxta variam acceptionem rei, & distinctionis realis, quæ erat vltima pars concl. Prob. ex Scoto in 2.d.1.q.5.D. §. *Quod si adhuc, &c.* vbi ait, quòd qui contendunt relationes, qualis est vnio, appellare modos, & non res, contendunt de nomine rei, & modi, licèt enim modus non sit ita res, sicut illa, cuius est modus, non tamen nulla res est, sicut nec vllum ens, quia tunc nihil esset, quod ex August. probat, vt est videre ibi; poterit igitur in vario sensu appellari distinctio ista realis, & modalis. Verum tamen est vt notauimus in Log. disput.1.q.5.art.2. in explicatione distinctionis realis, & disput.8.q. 3.art.1. versus finem, dum loqueremur de distinctione relationis à fundamento, quòd respiciendo naturam distinctionis in se, & non denominationem à modo desumptam, debet potiùs dici realis, quàm modalis, non enim ex hoc, quòd subiectum potest esse sine modo, & non è contra, hac præcisè causa talis distinctio debet dici modalis, nam etiam inter Deum, & creaturam non alia versatur distinctio, nisi hæc, quòd Deus sine creatura existere potest, & non è contra, & tamen cum omni proprietate hæc distinctio dicitur realis. Nec valet quod dicunt aliqui distinctionem hanc non posse dici modalem, quia creatura non est modus Dei, nec illum afficit in ratione modi; nam potiùs ex hoc confirmatur, quod dicimus, scilicet, quod respiciendo naturam huius distinctionis in se, quam moderni appellant modalem, realis potiùs dici debet, absolutè loquendo, & solùm denominari modalis, quando res quæ sine alia existere nequit, benè tamen è contra, est modus illius, & eam afficit in ratione modi, quod eò, vel maximè dicendum est, quia loquuntur de modo rei extrinseco, non autem intrinseco.

110 In oppositum objicitur 1. ad probandum, quòd modus vnionis sit substantia, & non accidens; Tum quia vnio debet esse proportionata composito, quod ea media fieri debet, quia qualis est vnio, tale est compositum ex ea resultans, ergo compositum substantiale exigit vnionem, quæ sit modus quidam de genere substantiæ. Tum 2. quia substantia non potest constitui in esse substantiæ, nisi per entitatem substantialem, sed talis est hæc vnio, quod per eam verè constituitur substantiale compositum, ergo verè erit substantia, & modus substantialis. Tum 3. quia si vnio est formaliter accidens, ergo accidentaliter vnit, quia causa formalis non producit effectum se ipsa perfectiorem. Tum 4. quia nulla vnio magis propriè est accidentalis quàm illa, quæ formaliter est per aliquod accidens, ergo si ista vnio est accidens, materia, & forma sunt accidentaliter vnita. Tum 5. si est accidens, ergo non potest esse ratio formalis ad faciendum vnum per se substantiale. Tum denique quia terminus formalis generationis substantialis debet esse substantia, hic autem terminus est ipsa vnio, quod præsertim nequit in homine negari, vbi nec materia, nec forma generatur, sed tantum vnio, & ideo homo dicitur generare hominem, quia attingit vnionem.

Respondeo ad primum negando consequentiam, quia vnio, quæ exigitur ad compositum substantiale, non dicitur substantialis, quia formaliter importat substantialem, aut modum substantialem de genere substantiæ, sed quia inter substantias intercedit sub rationibus formalibus substantialibus. Ad 2.neg.minor ex Scoto cit.3.d.1.q.2.F. vnio enim solum præexigitur, vel coexigitur, vt conditio necessaria ad constitutionem compositi, & conseruationem, vnde neque dicimus, compositum ex vnione constitui, vel constare, sed ex partibus; neque ex vnione fieri, sed per vnionem, qui dicendi modus indicat, vnionem, vel esse causalitatem partium in ordine ad totum, vel veriùs applicationem illius, nullum autem tale est de essentia effectus producti, licèt necessariò prærequisitum.

Ad 3. vnio accidentaliter vnitur, quando extrema vniuntur sub ratione aliqua accidentali, non autem quando vniuntur sub ratione substantiali, non enim vnio dicitur substantialis, vel accidentalis, eo quia sit substantia, vel accidens, semper enim est accidens, sed quia est ad substantiam sub ratione substantiæ, vel ad accidens, aut etiam ad substantiam, sub ratione tamen accidentali, neque in proposito causa formalis producit effectum se perfectiorem, quia hæc vnio verè est substantialis, & ideo substantialiter vnit, & effectus formalis vnionis est vnire præcisè, quod vero vniat accidentaliter, vel substantialiter oritur potius ab extremis, quæ ex innata eorum proportione nata sunt vniri sub ratione aliqua substantiali, vt est de materia, & forma, vel accidentali, vt de subiecto, & accidente. Ad 4. patet per idem. Ad 5. concedimus totum, neque enim vnio illa est ratio faciendi vnum per se, vt ex professo docet Arist.8.Met.16.Met.16. sed ideo hoc fit, quia materia est per se potentia, forma per se actus, nec enim Arist. vnquà aliam agnouit rationem fundandi hanc per se vnitatem compositi, quam rationem propriam materiæ, & rationem propriam formæ. Ad 6. ait Bassolius loc. citat. quod vnio non est per se terminus generationis, nec Quod, nec Quo, sed ipsum compositum est terminus Quod, & forma est terminus Quo generationis, vnio autem est terminus actionis distinctæ, quæ dicitur vnitiua, & in generatione hominis homo dicitur hominem generare, quia per actionem substantialem introducit formam mixti, in materia, quæ est veluti vltima dispositio, ad quam necessariò sequitur animæ infusio; an verò præter hanc attingat etiam vnionem animæ, suo loco dicemus.

111 Secundò objicitur ad probandum, non esse purum respectum prædicamentalem. Tum quia ad relationem non dantur per se motus, nec actio, sed vnio propria actione producitur. Tum 2. relatio non præsupponitur ad sub tantiam, nec ad eius esse est necessaria, sed vnio est necessaria ad esse compositi. Tum 3. quia omnis relatio prædicamentalis fundata est super vnum vel multa, aut super actionem, & passionem, aut super mensuram, & mensurabile, 5.Met.tex.20. sed ista vnio in nullo istorum fundatur, vt patet discurrendo, ergo &c. Tum 4. compositum substantiale est per se vnum, sed si vnio esset relatio, esset vnum per aceidens, quia compositum est vnum per vnionem. Tum 5. illa, quorum vnio est ordo, vel relatio, non sunt simpliciter vnum, sed materia, & forma faciunt vnum simpliciter, ergo vnio ipsarum non est relatio, nec ordo.

Respon. ad primum ex Scoto citato maiorem valere de respectu intrinsecus adueniente, non extrinsecus, qualis est vnio. Ad secundum resp. ex eodem, relationem non præsupponit ad substantiam, nec ad eius esse necessariam esse, vt principium constitutiuum illius, posse tamen præexigi, vel coexigi, vt necessariam conditionem. Ad 3. ait Bassol. cit. maiorem valere de respectu intrinsecus adueniente; posset etiam dici, quod fundatur super potentiam actiuam, seu informatiuam formæ, & passiuam materiæ. Ad 4. ait idem, compositum non esse vnum per illam vnionem, sed per propriam vnitatem, per vnionem vero materia, & forma, dicuntur vnitæ, & quidem per se, quia sub rationibus substantialibus actus, & potentiæ. Ad 5. denique respondet idem, illa, quorum veio est ordo, vel relatio, non facere per se vnum, si hoc non est per se potens ad illud: at in proposito materia est per se potentia, & forma per se actus.

Tertiò, obijcit Auersa q.21. sect.3. probans, vnionem formæ ad subiectum non esse in determinato prædicamento, & præsertim non in prædicamento actionis, aut passionis, vel habitus, (licet specialiter loquatur de inhærentia, quæ est vnio formæ accidentalis.) Tum quia actio, vt ex ipso nomine constat, solum denotat operationem agentis, nec possunt actio agentis, & inhærentia formæ in vno conceptu conuenire, vt vnum prædicamentum constituant, passio deinde consistit solùm in fieri, correspondens actioni agentis, non autem in facto esse per inhærentiam permanentem post transactam actionem, ergo constitui nequit in prædicamento actionis, vel passionis. Tum deinde prædicamentum habitus consistit tantum in denominatione consurgente à vestibus, & similibus, ac etiam si diceret modum positiuum distinctum, esset vtique ille, qui resultaret ratione vestis circa corpus, non formæ circa subiectum, quin etiam modus vnionis non resultat ex adiacentis formæ circa subiectum, sed potius constituit formaliter ipsam formam in subiecto.

112 Resp. ad 1. Doctorem in hoc dubitatiuè, & conditionatè fuisse locutum, & in prædicamento actionis, vel passionis vnionem posuisse, si actio, & passio dicant non tantum respectum agentis ad passum, & passi ad agens, verum etiam formæ ad subiectum, & subiecti ad formam, quare si Auersa contendit, actionem, & passionem hec non dicere, Scotus gratis concedet, in huiusmodi prædicamentis vnionem collocari non posse. Ad 2. negatur assumptum, quia, vt dictum est in Logic. declarando prædicamentum habitus, non tantum ex adiacentia vestis circa corpus, sed ex adiacentia etiam cuiusiibet formæ respectus consurgit per habitum importatus, ibi autem datur exemplum de vestibus, quia notius, imò Auctor sex principiorum non tantum dat exemplum de vestibus, sed etiam de alijs formis, quia in eo prædicamento non tantum ponit armatum esse, & calceatum esse, verum etiam album esse, quantum esse, &c. & quamuis modus vnionis constituat formaliter formam in subiecto, adhuc tamen resultare dicitur ex adiacentia formæ ad subiectum materiali, & fundamentali.

Quartò tandem obijcitur, quod distinctio vnionis à partibus non possit dici realis, sed tantum modalis, quia illa tantùm distinguuntur realiter, quorum vnum potest existere sine alio, & è contra, sed partes existere possunt sine vnione, non è contra; ergo &c. Resp. acceptionem

nem illam distinctionis realis, quæ est communis inter Recentiores, esse voluntariam, nam ad distinctionem realem cum omni proprietate sufficit, quod vnum possit existere sine alio, etiam si hoc nequeat existere sine illo, & cum omni proprietate dicimus, creaturam à Deo distingui realiter, licèt nequeat existere sine Deo, vnde impossibilitas illa ex parte vnius extremi existendi sine alio facit solum, vel quod illa distinctio realis non sit mutua, vel potius, quod dici nequeant mutuò separabilia cum retentione propriæ existentiæ, iuxta dicta de dist. reali disp. 1. Log. q. 5. art. 2.

QVÆSTIO X.

An sufficiat vnica Vnio inter materiam, & formam ad constituendum compositum.

113 PArum, vel nihil de hac re dixerunt Antiquiores Scholastici, cum enim omnes videantur vnionem hanc posuisse relationem prædicamentalem, & non modum quendam de genere substantiæ, consequenter supponebant, duas esse vniones inter materiam, & formam, omnis enim relatio vnionis est mutua, sicut relatio similitudinis, & æqualitatis, vbi ambo extrema sunt relationis capacia. At inter Recentiores, qui nouos modos substantiales inuenerunt, magna est contentio, asserentibus alijs, vnicam sufficere vnionem, alijs contendentibus, non sufficere, sed geminari debere, & quidem qui asserunt, vnicam sufficere, protestantur se loqui de vnione illa, quam vocant modum substantialem, non de vnione relatiua, ac prædicamentali, quam dicunt super illam fundari, hanc enim admittentes vltra illam, geminant eam in vtraque parte, quod certè non est consequenter dictum, quia hanc geminando, etiam & illam geminare tenentur, quia secundum ipsos, vnio substantialis, & transcendens, est fundamentum accidentalis, & prædicamentalis, fundamentum autem relationis præsertim secundum ipsos, debet esse distinctum in vtroque extremo.

Affirmantem igitur opinionem, quòd sufficiat vnica vnio, Recentiores communiter tenent, Suar. in Met. disp. 13. sect. 9. Vasq. 3. par. disp. 19. Murcia 2. Phys. disp. 3. q. 5. Ruuius 1. Phys. tract. 2. q. 6. Arriag. disp. 4. Phys. sect. 2. Auersa q. 18. sect. 6. Complut. 1. Phys. disp. 6. qu. 3. & alij passim, qui postea contendunt inter se de subiecto istius vnionis; Suarnamque, & Vasq. asserunt, vnionem esse in sola forma subiectiuè, & in materia terminatiuè, Ruuius, Murcia, Auersa è contra ponunt vnionem subiectiuè in materia, terminatiuè in forma, alij tandem ponunt vnionem subiectiuè in vtroque extremo, verè enim per vnionem agens attingit vtrunque extremum, & ad inuicem eodem modo connectit.

Negantem partem secuti videntur Antiquiores Scholastici, & præsertim Scotus manifestè geminauit vnionem inter materiam, & formam, nam in 2. dist. 1. q. 5. S. omnes respectus quos ponit inter materiam, & formam, asserit esse mutuos, & expressè loquitur de vnione, quam ibi significat per respectum subiecti ad formam sic etiam 8. Met. q. 4. & in 3. d. 1. q. 1. A. inquit, vnionem esse relationem, quæ concomitatur ambo extrema, si sunt relationis capacia, vel solùm vnum, si alterum non est relationis capax, vt est de vnione hypostatica, & in 4. dist. 12. quæst. 1. C, quærens, ad quod prædicamentum spectet inhærentia, seu vnio formæ accidentalis ad subiectum, inquit, quòd vnio ex parte subiecti se tenens reduci potest ad prædicamentum passionis, si passio dicat non tantùm respectum subiecti ad agens, sed etiam ad formam informantem, vnio autem se tenens ex parte formæ, raduci potest ad prædicamentum actionis, si actio dicat, non tantum respectum agentis ad passum, sed etiam respectum formæ informantis ad illud, per quod expressè significauit duas vniones, alteram se tenentem ex parte formæ, quæ dicitur informatio, & alteram ex parte materiæ, quæ dicitur receptio, ac proindè hanc sententiam vt Scoticam sequuntur Scotistæ omnes; tum recentiores, vt Fuentes 1. Phys. q. 5. diff. 2. art. 3. Sghemma 1. Phys. digress. 7. qu. 8. tum Veteres, qui licèt eam in terminis non tradiderint, videntur tamen supposuisse, solum Bassolium vidimus ab alijs discrepantem, nam quamuis in 4. dist. 12. quæst. 1. ad primum principale significauerit, materiam esse subiectum suæ vnionis, & formam similiter suæ, tamen in 2. dist. 12. q. 2. art. 4. docet ex professo, vnam sufficere vnionem, quam etiam exprimit in forma fundari, & ad materiam terminari.

114 Dicendum est pro Quæsiti resolutione, modum vnionis esse in vtraque parte geminandum, & vnum non sufficere. Concl. est Scoti loc. citat. quam præter Scotistas, ex Recentioribus tenent Hurtad. disput. 5. Phys. sect. 7. Amic. 2. Phys. tract. 11. q. 10. dub. 4. art. 2. Aresius 1. de Gen. disput. 2. q. 16. & alij non pauci, & Prob. validissimis rationibus. Primò, quia Arist. 5. Met. text. 20. distinguit tres modos relationum, primi modi relationes fundantur super vnum, & multa, secundi modi super potentiam actiuam, & passiuam, tertij modi super mensuram, & mensurabile, & illud præsertim discrimen ponit inter relationes primi, & secundi modi ex vna parte, & tertij modi ex alia, vt notat Scot. 1. dist. 31. qu. 2. §. *Ad quæstionem, &c.* quòd illæ sunt mutuæ, & mutuò extrema referuntur ad inuicem per relationes reales hinc inde fundatas, istæ verò non, sed vnum extremum dicitur referri ad aliud, quia illud ad ipsum, sed vnio vel est relatio primi modi, quia in eo ponuntur omnes relationes æquiparantiæ, quæ scilicet eodem nomine nominantur, vt simile simili simile, quo etiam modo vnionis extrema denominari solent, vt vnitum vnito vnitum, vel veriùs est relatio secundi modi, quia informatio, quæ non est, nisi vnio formæ ad subiectum, diuiditur in actiuam, & passiuam, & vnio, quæ se tenet ex parte formæ, fundatur super potentiam informatiuam, & quasi actiuam formæ, vnio verò quæ se tenet ex parte materiæ, fundatur super potentiam passiuam eiusdem, & nullo modo potest reduci ad tertium modum, ergo vnio erit relatio mutua in vtroque extremo. Et planè ita dicendum est in vera Philosophia, talis enim est harum relationum natura, quòd si extrema limitata reperiant, & potentialia, statim in eis insurgit mutua relatio, vnum ad aliud reciprocè referens formaliter, & intrinsecè, & hinc est, quòd inter Verbum, & naturam assumptam vnio realis mutua non intercedit, vt notat Scot. cit. 3. dist. 1. q. 1. quia scilicet Verbum non est potentiale, & subiectum capax relationis nouæ, ergo cùm in proposito vtrunque extremum, tam scilicet materia, quàm forma sint limitata, & nouę relationis capacia, non videtur ratio, cur in eis non sit geminandus vnionis modus.

115 Secundò, nulla est implicantia in hoc, quòd materia fundet propriam vnionem ad formam, & è conuerso; nec vlla superfluitas, quia, etsi terminatio ad formam vnionis fundatæ in materia sufficiat, vt forma dicatur extrinsecè illi vnita, vel è contra, non tamen sufficit ad hoc, vt dicatur vnita intrinsecè. Respon. Ruuius citat. quòd vnio, quamuis sit in vno extremo subiectiuè, tamen est in altero terminatiuè, non solum extrinsecè, vt visio est in obiecto, sed intrinsecè, non quidem per inhæsionem, sed per adhæsionem, sicut actio est in termino, subsistentia in natura, & punctum in partibus continui, qua ratione etiam inquiunt, quòd vnio hypostatica intrinsecè attingit Verbum per adhærentiam, & quòd ideò Verbum debet dici intrinsecè vnitum naturæ assumptæ, & non tantum extrinsecè; quam responsionem etiam admittunt Hurtad. & Amic. cit. etsi nobiscum sentientes, vnde & fatentur, rationem hanc sumptam ex terminatione non valere, nam aliqua terminatio intrinsecè attingit terminum attactum, & inquiunt, ita contingere in vnione hypostatica, nam Verbum est terminum vnionis hypostaticæ (ait Hurtad.) & cum illa componit intrinsecè personam humanam, quod non est Verbo extrinseca denominatio, sicut est esse visum; & cùm ex Verbo, & humanitate fiat vna per se natura (ait Amic.) necessariò debent esse intrinsecè vnita, nam extrinseca vnio non potest constituere vnum per se, nec dare denominationem substantialem subiecto, sed denominatiuam, quia homo non dicitur vestis, sed vestitus, at homo dicitur Verbum, & Verbum homo, vnde reprobatur Elipandi error, & dicentis Verbum fuisse extrinsecè vnitum humanitati vt homo indumento, neque hinc sequitur mutatio in Verbo, quia hic modus essendi intrinsecus non est per informationem, aut inhæsionem, sed per adhæsionem, quæ est terminatio quæda intrinseca, & in hoc sensu vnio intrinsecè denominat, nedum subiectum, sed etiam terminum, quia implicat, aliquid vniri alteri, quin & hoc sit illi vnitum physicè, vnio enim ex conceptu vnionis est nexus, implicat autem, vnam rem habere nexum cum alia, quin ille nexus nectat vtranque.

116 Sed certè modus hic essendi in alio per adhæsionem intrinsecè; nouus est, & commentitius, omnis enim modus essendi intrinsecus vnius rei cum alia, ad vnionem per informationem reducitur; quia denominatio intrinseca sumitur à forma intrinseca; at forma non est intrinseca rei denominatæ, nisi per informationem; & planè implicat in terminis, aliquid esse alicui intrinsecum in ratione termini, terminus enim ex sua ratione formali est extrinsecus rei, quam terminat, vt locus rei locatæ, & color visui. Et exempla adducta ad hoc figmentum probandum parum valent, nam actio non est in termino intrinsecè, sed in agente, & substantia est in natura subiectiuè, vt forma modalis, si ponatur quid positiuum, & punctum nec inhæret, nec adhæret partibus continui, sed immediatè se habet ad illas, vt suis locis dicemus.

Et Antiquiores Theologi, qui nostri fuere Magistri, nunquam dixerunt Verbum dici vnitum naturæ per denominationem intrinsecam, sed per extrinsecam tantum, & benè locuti sunt, quia falsum est, denominationem extrinsecam excludere semper connexionem intrinsecam inter formam denominantem, & rem denominatam, licèt enim id contingat in aliquibus, nam visio est in oculo, & obiectum denominatum est extra oculum, relatio est in fundamento, & terminus, quem extrinsecè denominat, sæpiùs est diuisus, & disiunctus, non tamen ita est in omnibus, & præsertim id non euenit in denominationibus, quæ sumuntur à relationibus extrinsecus aduenientibus, quæ exigunt intimam extremorum indistantiam, cuius generis est vnio, vnde quando dicimus, Verbum esse extrinsecè vnitum humanitati nolumus dicere, quòd sit ab ea diffitum, & disiunctum, vt paries visus ab oculo, aut quod sit solum ei accidentaliter vnitum vt vestis corpori, vt asserebat Elipandus, sic enim vtique nec Verbum diceretur homo, nec homo Verbum, sed dicere volumus, quod etsi Verbum sit humanitati intimè coniunctum, non minus quam materia formæ, id tamen non contingit per vnionem in ipso Verbo fundatam, sed per solam terminationem vnionis in natura fundatæ. Et sanè audiendi non sunt Hurtad. & Ami. qui vt defendant hunc nouum dicendi modum de vnione Verbi ad naturam per denominationem intrinsecam, parum Theologicè, imò nec catholicè loquuntur, dum ille §. 13. inquit, Verbum esse terminum vnionis hypostaticæ cùm illa componentem intrinsecè personam humanam; & ille dub. 3. art. 5. n. 9. ait, ex Verbo, & humanitate intrinsecè vnitis fieri vnam per se naturam: peius fanè loqui non poterant, nam nos Catholici vnam dumtaxat agnoscimus personam in Christo Domino & hanc diuinam, & duas agnoscimus naturas penitus imperuixtas, non autem vnam ex illis constitutam, igitur necessitas poncudi duas vniones ex hoc, vt materia, & forma dicantur intrinsecè vnita, optimè deducitur, & est argumentum efficacissimum.

117 Tertiò, forma vnitur materiæ per informationem, quia est actus, materia vero vnitur formæ per receptionem, quia est potentia, ergo distinctas relationes vnionis exigunt, & fundant. Respondent, quod licèt secundùm conceptus formales eadem non sit vnio materiæ ad formam, est tamen eadem entitatiuè, eadem vnio sumpta vt via formæ ad materiam, dicitur informatio, Sumpta vero vt via materiæ ad formam, dicitur receptio, sicut eadem via montis, si sumatur à radice ad summitatem, dicitur ascensus, si vero sumitur à summitate ad radicem, dicitur descensus.

Sed contra, nam quando dicitur, eandem esse vnionem entitatiuè materiæ ad formam, & è contra, vel intelligunt, quod eadem vnio vtrunque extremum attingat, & in vtroque reperiatur vt in subiecto, vel quod in vno solum sit subiectiuè, & in alio terminatiuè, in hoc secundo sensu iam impugnata manet responsio in præcedenti argumento; in primo sensu, nunc impugnatur. Tum quia eadem simplex entitas, indiuisa naturaliter esse nequit in duobus subiectis realiter distinctis, etiam inadæquati. Tum quia in homine id manifestè implicat, quia si hæc vnio ponatur corporea, non poterit esse in anima, vt in subiecto, si spiritualis, non poterit esse in corpore.

Complut. & Arriag. cit. tenent per hunc vnionis modum vtranque parte intrinsecè immutari, & compleri concedunt, vnionem in vna tantum parte non residere, quam intrinsecè afficiat, & alteram extrinsecè tantùm, & per modum solius termini, quia hoc est peculiare vnionis hypostaticæ ratione infinitatis, & immutabilitatis termini, quo impedimento remoto, nullus dicere dubitaret, quòd vnio Verbum afficeret, & illud intrinsecè immutaret, vnde cum in proposito forma sit capax vnionis, fatentur, vnionem ex parte vtriusque se tenere, & illas immutare, vnde in homine dicunt vnionis modum esse entitatiuè corporeum, & vtrique parti inhærere, & vtranque afficere intrinsecè, non tanquam subiectum totale, sed partiale, quod tamen non est sic intelligendum, vt sensus sit, quòd pars vnionis sit in materia, & pars in forma, tota enim entitas modalis vnionis, licet non totaliter, est in vtraque, sed est sensus, quòd nulla ex his partibus potest in se suscipere vnionem, nisi dependenter ab alia, vnde nihil refert, quòd modus ille sit corporeus ad hoc, vt nequeat in anima recipi, quæ est spiritualis, quia in re spirituali, quæ simul est forma corporis, benè potest recipi aliquis modus corporeus dependenter ab ipso corpore. Sed hæc solutio rejicitur ex dictis, & duo continet prorsus impossibilia; vnum est, quod corporeum, vt ab eis, ponitur vnio animæ rationalis cum corpore, & possit subiectari in re prorsus spirituali, & indiuisibili; alterum, quòd hoc ipsum sit totum simul, & semel in duobus subiectis realiter distinctis; primum planè repugnat, quia licet anima possit recipi in corpore, tota in toto, & tota in qualibet parte ob eius virtualem diuisibilitatem & extensionem, tamen quòd forma corporea, & quanta recipiatur in subiecto indiuisibili, ac entitatiuè in corporeo etiam naturaliter, nunquam auditum, & magnum Sacramentum est fidei nostræ, quòd corpus Christi sit in Eucharistia modo inextenso; quomodo igitur forma materialis poterit esse in subiecto spirituali etiam naturaliter modo inextenso, & præsertim cum ex illo subiecto educi debeat? alterum quoque non minus est mirabile, nam omnes dicunt, ideò animam rationalem esse totam in toto, & totam in singulis partibus corporis, quia est spiritualis, vnde alias animas extensas, & formas inferiores ponunt omnes in subiecto diuisibiliter, & quomodo igitur potest hæc eadem, & indiuisa vnio corporea esse tota simul in corpore, & anima, quantumcunque ponantur subiecta partialia?

118 Deindè probatur, esse diuersas vniones non solùm quo ad conceptus, sed etiam quo ad entitates; Tum quia receptio est modus afficiens formaliter materiam sub ratione potentiæ, & informatio formaliter formam sub ratione actus, ergo non sunt eadem vnio, & relatio, quia rationes fundandi sunt specie, & numero diuersæ. Tum etiam quia falsum est, quòd eadem via à radice ad cacumen montis dicatur ascensus, & à cacumine ad radicem descensus, propriè enim est motus à radice ad apicem, qui dicitur ascensus, & ab apice ad radicem descensus, hi autem motus si non sunt specie, sunt saltem numero diuersi, ergo pariter, & vniones materiæ, & formæ.

Quartò ostenditur leuitas præcipui fundamenti oppositæ sententiæ, quod est tale, vt testatur Auersa citat. Vnio essentialiter est duorum vnio, & vinculum, & nexus duorum, est prorsus impossibile: & inintelligibile est vnionem vnire, & non vnire duo, non vnire vnum alteri, ergo sufficit vna vnio ad vniendum duo, nam si vnum è duobus est coniunctum alteri, prorsus necesse est, hoc quoque esse coniunctum illi, vnio enim & coniunctio esse non potest nisi inter duo, quæ ambo sint sibi inuicem vnita, & coniuncta; Sed si hoc fundamentum est alicuius momenti, æquè probat, quòd in duobus similibus non fit geminanda relatio similitudinis, nec in duobus æqualibus relatio æqualitatis, sed vnica sufficiat, nam similitudo quoque est essentialiter duorum assimilatio, sicut vnio duorum nexus, & prorsus impossibile est, similitudinem assimilare, & non assimilare duo, non assimilare vnum alteri, sufficit igitur vna similitudo, nam prorsus necessarium est, quòd si vnum ex duobus est alteri simile, hoc quoque sit simile illi, sicut igitur per hoc argumentum non benè probatur, similitudinem, & æqualitatem geminari non debere in duobus æqualibus, & similibus; ita neque concludit de vnione.

Respondet Arriag. disput. 4. Phys. sect. 2. nu. 56. in similibus requiri duplicem relationem, quia extrema relata per similitudinem sunt in diuersis locis, vndè vnica relatio non potest esse in illis, secus in materia, & forma, quæ vt vniantur, debent esse penetratæ; subdit etiam vtrunque extremum relatum per similitudinem debere habere relationem distinctam, quia, cum extrema sint eiusdem omnino rationis inter se, vt sunt duæ albedines, non potest esse vlla ratio, cur in vno potius, quam in alio ponatur relatio, vnde vel in vtroque vel nullo poni debet, at verò cum materia & forma sint diuersæ in specie, posset excogitari aliqua ratio, vt vnio poneretur solum in vno extremo, & non in alio. Cœterum nulla istarum solutionum satisfacit, non prima, quia existentia relationum in diuersis locis potius oritur à distinctione relationum, quàm è contra, si enim plures non essent, in diuersis locis esse non possent, tum quia in multis extremis loco compenetratis multiplicantur relationes, vt constit de relatione potentiæ vitalis ad suum actum, & si pater ac filius essent simul compenetrati, adhuc inter se referrentur, ac si essent separati, distinctis relationibus, & ratio à priori est, quia localis compenetratio extremorum, vel disiunctio ad fundandas has relationes impertinenter se habet, & quamuis ad vnionem fundandam prærequiratur, parum tamen iuuat ad hoc quod sit vna; vel plures; tum tandem quia è contra interdum extrema, sunt loco diffita & tamen inter ea vnica tantum versatur relatio, vt constat de respectu attingentiæ fundato in visione ad parietem visum; Nec etiam altera solutio est ad rem, quia vel vnio ponitur relatio primi modi, & æquiparantiæ, sicut est similitudo, & tunc solutio potius argumentum roborat, quam soluat, quia cum ambo extrema scilicet materia, & forma sint intrinsecè, & formaliter vnibilia, non potest esse vlla ratio, cur in vno potius ponatur relatio, quam in alio, vel ponitur relatio secundi modi, & tunc etiam maior vrget necessitas multiplicandi relationes in extremis, quam si ponatur primi modi, quia vbi in hoc ratio fundandi in extremis, est eiusdem rationis, in illo est diuersæ rationis, vnde potiori iure videntur geminandæ in extremis relationes secundi, quam primi modi.

119 Quintò, si forma vniretur materiæ, quantùm sufficit ad constitutionem compositi ob solam terminationem vnionis in materia fundatæ, sequitur, formam absque vlla prorsus sui mutatione informare materiam, quam priùs non informabat, & constituere compositum, quod prius non constituebat, quod fieri nequit saltim naturaliter, cum in hoc consistat miraculum Incarnationis, quod Verbum sine sui mutatione vnitum est naturæ humanæ.

Respondent, negando conseq. quia licet forma non mutetur, recipiendo in se vnionem, mutatur tamen, quia tunc vnitur materiæ, quando trahitur, de non esse ad esse, in mysterio autem Incarnationis Verbum vnitum est humanæ naturæ sine sui mutatione, non solum, quia non recepit in se vnionem, sed etiam quia non fuit de nouo factum, sed ab æterno præsuppositum, & miraculum fuit in hoc, quod cum subsistentia trahatur de non esse ad esse quotiescunque vnitur naturæ, in Incarnatione subsistentia vnita est naturæ humanæ, immutata omnino permanente ipsa subsistentia, & nullo modo transeundo de non esse ad esse.

Sed contra, quia saltim in casu, quo forma vnienda materiæ præexisteret, vt erit in resurrectione, argumentum vrget, quod forma vniretur penitus immutata. Sic etiam si Deus reproduceret materiam sub accidentibus Eucharistiæ, vtique illa accidentia vnirentur de nouo subiecto absque vlla penitus sui mutatione, in his enim casibus forma neque mutaretur recipiendo in se vnionem, neque transeundo de non esse ad esse, cum supponatur existens.

At resp. Auersa, quod si sit accidens aliquod separatum, quod de nouo in subiecto ponatur, etiam si non amitteret alium modum in se præexistentem, nec alium de nouo in se reciperet, per hoc præcisè. quod de nouo reciperetur, vtique mutaretur, quia sicut recipere in se subiectiuè aliquid de nouo, est mutare, ita pariter de nouo recipi in aliquo informatiuè, est mutari. Contra ex hypothesi huiusmodi forma de nouo vnita non se habet aliter in ratione subiecti, quia nihil in se recipit de nouo, nec se habet aliter in ratione termini, quo sensu mutari dicitur, quod de non esse transit ad esse, ergo, etc. Respon. Auersa quod nunc recipitur in materia, cum priùs non reciperetur, et hac ratione potest dici mutari saltim in ratione termini. Contra, ista receptio passiua se omnino habet ad formam, sicut visio passiua ad albedinem, sicut enim parietem videri, aliud in re non est, nisi visionem ad parietem terminari, ita formâ recipi, aliud non est, quàm receptionẽ materiæ ad formâ terminari, sed paries transit de non esse visio, ad esse visum, absque vlla penitus sui mutatione, ergo similiter, & forma de

de non esse receptio ad esse receptum; ob hanc rationem dicimus, quòd si vnica poneretur vnio in altero extremorum, potiùs ponenda esset in forma subiectiuè cum Bassolio, Suar. & Vasq. quam in materia, quia adhuc materia mutaretur per receptionem formæ, si non vnionis.

120 Sextò tandem ex eo, quod Scot. docet quol. 9. M. & 2. dist. 14. q. 1. in fine, & 4. dist. 45. q. 1. §. *Ad argumenta principalia &c.* & 1. dist. 8. q. 5. sub K. vt ibi notat Bargius, qui etiam Doctorem cit. 2. dist. 12. qu. 2. ad vltimum pro opinione, & 3. d. 6. qu. 1. & 7. Met. qu. 6. & Antonium Andream q. 5. deducitur validissima ratio, ob quam solam Hurt. & Amic. fatentur, nostram sequi sententiam, docet enim ibi Doctor, quod partes acquirunt perfectionem in constitutione totius, quod optimè explicat quodl. cit. cum enim sint essentialiter imperfectæ, vniuntur in, vt composito perficiantur, id autem fieri nequit, nisi per receptionem alicuius perfectionis, qua separatæ carebant, & hæc esse nequit, nisi peculiaris cuiuslibet ad alteram vnio in toto, cùm enim sint compartes essentialiter imperfectæ, ordinantur ad propriam perfectionem, atque adeo vniuntur, vt media vnione perficiantur in toto. At talis perfectio haberi nequit in partibus, nisi subiectando vnionem, & sola terminatio non sufficit, nam omnis perfectio fit ex aliqua additione, sed mera terminatio nihil addit termino, hinc visio perficit potentiam videntem, non obiectum, quod est terminus; hypostatica vnio perficit naturam, non Verbum, ergo vt istæ compartes recipiant illam nouam perfectionem, quam expectant ex constitutione totius, oportet vt singulæ aliquid in se recipiant, quod priùs non habebant, & id ex parte formæ præsertim aliud poni nequit, quàm intrinseca vnio ad materiam.

Respond. Auersa, in partibus quando constituunt totum, non aliam perfectionem, & immutationem peni debere, quàm illam, quæ necessaria est ad constitutionem totius, & quæ infertur ex vi ipsius compositionis, & ex ratione concurrendi partium; ex parte autem formæ ad hoc solùm sufficit, quòd de nouo recipiatur in materia, in qua priùs non erat, & hoc sufficienter habetur per terminationem vnionis, quæ est in materia, & per hoc præcisè seclusa omni ratione, quæ recipiatur in ipsa forma, verè formaliter se habet, ac si non reciperetur in materia, & quidem aliter se habet intrinsecè, non in ratione partis materialis, & subiectiuæ, sed formalis, & sicut recipere in se subiectiuè aliquid de nouo, est mutari, ita pariter de nouo recipi in aliquo, est mutari; & si quis nolit hanc appellare mutationem, faciet quæstionem de nomine, & nos dicemus, non aliam mutationem requiri in forma, nisi hoc, quod est recipi in materia.

Sed hæc resp. explosa manet in præcedenti argumento, vbi ostensum est, quod in casu, quo forma præexistens vniretur materiæ, tunc illi vniretur prorsus immutata, & in ratione subiecti, quia nihil in se reciperet de nouo, & in ratione termini, quia non transfiret de non esse ad esse, & planè alius modus excogitari nequit, quo aliquid mutetur in ratione termini præcisè, nisi hic transitus de non esse ad esse. Accedit, quòd vnio terminata ad aliud, vel secundum suam essentiam intrinsecè immutat illud, vel non; si primum, ergo etiam Verbum immutaret; si secundum, ergo non immutat formam in composito. Et si dicatur immutare terminum, quando est mutationis capax, quòd Verbo non conuenit, sed formæ, tunc nos dicemus, Verbum nec esse capax terminationis, quia incapax effectus formalis est etiam incapax formæ, ergo si effectus formalis terminationis vnionis est immutare terminum, quem attingit, & Verbum est incapax talis mutationis, erit quoque incapax terminationis. Denique si Auersa concedit, partes in constitutione totius immutari debere, quantum sufficit ad concursum vtriusque, & compositionem totius, sanè cogitur concedere, formam perfici de nouo, & immutari, aliquid in se recipiendo, quia partes vniuntur in toto, vt vnitæ in illo participent perfectionem compositi, quare cùm vniantur, vt compartes essentialiter imperfectæ, debet vtrisque aliquid addi, quo perficiantur, & immutentur, quia sola terminatio nullam addit perfectionem termino. Et cùm vniantur ad constitutionem totius per mutuam causalitatem, & hæc in vtraque sit diuersa, sicut diuersæ sunt rationes fundandi, consequenter ex vi concursus vtriusq; debent aliquid de nouo acquirere in se, quod priùs non habebant.

Soluuntur rationes aduersæ.

121 IN oppositum objicitur primò fundamentum Aduersariorum, ex conceptu vnionis deductum, quia vnio essentialiter est nexus duorum, ergo vna sufficit ad vniendum materiam, & formam, nam vel per vnionem, quæ est in materia, & terminatur ad formam, forma est vnita materiæ, vel non; si primum, ergo alia superfluit, si secundum, ergo neque materia erit vnita formæ, quod est contra suppositum. Nec respondere valet, formam in tali casu esse vnitam materiæ, extrinsecè tantum, non intrinsecè. Tum quia partes vnitæ per vnam vnionem sunt intrinsecè vnitæ, & ex vi talis vnionis ambæ sunt in composito. Tum quia etiam si vnio fit in vna parte subiectiuè, & in altera terminatiuè, tamen non est in termino extrinsecè sicut est visio in pariete, sed intrinsecè illum attingit, vt generatio terminum, quia hæc attingentia vnionis ex sua intrinseca ratione petit indistantiam termini attacti, & ordinatur ad verè vnum. Nec item respondere valet, in tali casu formam vniri materiæ sine vlla sui muratione, quod naturaliter fieri nequit; non valet, quia licèt terminatio in re incapaci mutationis, & perfectionis non faciat intrinsecam mutationem in ea, & nouam perfectionem addat, tamen in termino capaci, sicut est forma, facit mutationem, & nouam addit perfectionem. Nec demum respondere valet, in casu vnionem esse nexum materiæ, & formæ, vnius formaliter, & subiectiuè, alterius terminatiuè solùm, & ad compositionem requiri nexum, vtriusque formaliter; non valet, quia hæc est petitio principij, & id est, quod probat argumentum, sufficere ad constitutionem compositi, quòd vna pars sit alteri vnita formaliter, & hæc illi terminatiuè solum.

Respond. hoc argumentum retundi in relationibus similitudinis, æqualitatis, &c. vt deductum est in quarta ratione, vnde sicut Aduersarij admittentes relationes prædicamentales, responderent ad argumentum istud, factum de similitudine, & æqualitate, sic & nos respondemus ad idem, factum de vnione, dicimus igitur, per vnam vnionem duo connecti, sed vnum intrinsecè, & aliud extrinsecè solùm, ad constitutionem autem compositi, tam materia, quam forma debent intrinsecè vniri, quia vtrunque extremum natum est ad alterum referri relatione reali, & sic patet, primam resp. valere, quia, etsi ex vi vnius vnionis forma diceretur intrinsecè vnita materiæ, quatenus esset simul cum ipsa in eodem composito, & non diffita, sicut paries ab oculo, in quo est visio, non tamen diceretur ei intrinsecè vnita, idest per formam vnionis in ipsa receptam, quod tamen necessarium est in relationibus mutuis, quando sunt ambo extrema relationis capacia, vt deductum est in secunda ratione: Dicimus etiam, in eo casu ambo extrema fore vnita sed vnum subiectiuè, & per sui mutationem, alterum terminatiuè, & sine sui mutatione, quod naturaliter fieri nequit, quia vtraque pars constituendo totum, quod prius non constituebat, debet suo modo intrinsecè immutari, & de nouo perfectionem totius participare, vt deductum est in quinta, & sexta ratione; nec sola terminatio sufficit ad inferendam mutationem in termino, & nouam perfectionem illi addendam, nam cum sola terminatio nihil ponat in termino, consequenter concipi nequit, quomodo illum immutet, et de nouo perficiat, ex quo patet, etiam secundam responsionem allatam esse bonam.

Denique dicimus, per vnicam vnionem ambo extrema esse vnita, sed non ambo formaliter, quod tamen necessarium est in constitutione totius, cum materia, et forma vt vnita nata sint referri formaliter mutuò, ex quo patet, tertiam quoque responsionem valere, neq; committi petitionem principij.

122 Secundò objicit Auersa, quia in alijs rebus vniendis ad constituendum completè, et perfectè vnum totum, vnica vnio sufficiens inuenitur, ita in Christo Domino perfectè sunt vnitæ natura humana, et subsistentia Verbi ad constituendum vnum Christum per vnicam vnionem in humanitate existentem, et ad Verbum terminatam. Item in rebus naturalibus vnicum punctum coniungit, et vnit duas partes lineæ, vnum gluten duas partes tabulæ, vna funis vnit, et ligat inter se duo corpora. Denique si alia vnio inesset formæ, ipsa se haberet vt medium inter materiam, et vnionem, nam mediante forma in materia recepta ipsa quoque vnio eidem materiæ in esset, ac magis proximè, et immediatè inesset materiæ forma, quàm vnio, sicut si albedo inest materiæ mediante quantitate; quantitas est medium, quod propinquius coniungitur materiæ, ergo vnica vnio sufficit se tenens ex parte materiæ, nam ea mediante, optimè forma coniungitur materiæ.

Respon. ad primum exemplum, nullam adesse parietem inter vnionem hypostaticam humanitatis, et Verbi, et vnionem materiæ, et formæ, quia Verbum, et humanitas vniuntur vt natura, et suppositum, non vt materia, et forma, et cum suppositum rationem habeat termini respectu naturæ, ideò vnio non debet esse in Verbo subiectiuè. Deinde partes vniuntur in toto, vt se inuicem compleant, et participent communem perfectionem totius, et ideò iuteruenire debet ex parte vtriusque aliqua immutatio, et additio nouæ perfectionis: at Verbum non vnitur naturæ, vt perficiatur, sed potius vt perficiat, & singulæ partes concurrunt vt causæ ad constituendum compositum, & non vt habent rationem termini. Denique non valet in omnibus à Diuinis ad humana arguere, quia Deus ob suam illimitationem potest aliquid immediatè præstare, quod nequeunt creaturæ, vnde Verbum est tantum vnibile, vt terminus, non vt subiectum. Ad 2. dicimus, aliam omnino esse rationem de vnione essentiali, & integrali, quæ enim essentialiter vniuntur, immediatè vniuntur inter se, quæ verò integraliter vniuntur, vt partes tabulæ, & lineæ, non vniuntur immediatè ad inuicem, sed vniuntur in aliquo tertio, cui tanquam termino communi copulari dicuntur, vt docet Aristot. in prædicamento quantitatis.

Ad 3. argumentum procedit ex falsa imaginatione, quam habent Aduersarij de his & similibus medijs, quos putant verè mediare inter extrema; cùm potius ea subsequantur, sicut dicunt, causalitatem mediare inter causam, & effectum, quæ tamen est falsa imaginatio, vt ait Doct. in 2. d. 1. q. 2. D. falsa imaginatio ex hoc procedit, quia concipiunt vnionem substantialem, vt medium quoddam materiale, & absolutum inter materiam, & formam, sicut est punctus inter partes lineæ, et gluten inter partes tabulæ, quæ tamen imaginatio falsa est, quia alia prorsus est ratio de vnione partium integralium, et essentialium, illæ enim vniuntur in tertio, istæ vniuntur prorsus immediatè, quare vnio intercedens inter formam, & subiectum, non est quid interiectum, in quo quasi in tertio vniantur, sic enim immediatè vnitæ non forent, sed potius est relatio subsequens partes prius natura inter se materialiter, & fundamentaliter coniunctas, vt illas denominet formaliter, tales, sicut similitudo sequitur albedines fundamentaliter similes, vt illas denominet formaliter tales; priùs ergo natura ponitur forma in subiecto, & statim sequitur relatio vnionis in forma, per quam denominatur formaliter vnita. Et cum dicimus, formam media vnione vniri subiecto, non est sensus, quòd vnio sit quoddam medium materiale, & absolutum inter extrema interiectum ad modum glutinis, sed istæ, & similes locutiones sensum faciunt formalem quòd scilicet forma denominatur formaliter vnita subiecto per relationem vnionis resultantem expositione materiali ipsius in materia; vnde in priori signo consideretur forma in subiecto, præcedit relationem vnionis, sed si consideretur in posteriori, relatio præcedit ipsam, quatenus vnitam sicut vniuersaliter forma suum effectum formalem præcedit. Est igitur vnio medium formale, & relatiuum, non materiale, & absolutum, & ideo non concludit argumentum, & hoc ipsum ostendit exemplum quantitatis ab Auersa adductum respectu albedinis, quantitas enim inter substantiam, & qualitatem mediat in ratione subiecti, sed vnio non mediat in ratione subiecti, sed in ratione medij relatiui, quo forma denominatur formaliter vnita.

123 Tertiò objicitur ex Ruuio, quia vnio partium ordinatur ad vnitatem compositi, ergo cùm in composito sit vna vnitas, erit inter partes vna vnio. Accedit, quòd si essent duæ vniones, per eas non perfectè vnirentur partes, quia non potest aliqua vnio vnire duo, nisi vtrunque attingat, at si essent duæ, vnaquæque suum extremum attingeret, in quo est, & non aliud, ergo non benè vnirent partes. Denique explicare oportebit, quomodò illæ duæ vniones vniantur inter se, quamuis enim singulæ vniantur se ipsis suis extremis, quia sunt rationes actuales vniendi illa, non tamen ita videtur dici posse de se ipsis ad inuicem.

Resp. ad 1. ex Scoto in 2. dist. 12. q. 1. & 3. dist. 2. quæst. 2. vnionem, & vnitatem non esse idem, nam vnitas importat negationem plurium, & vnio importat plura inuicem vnita, vnitas pertinet ad compositum, vt eius passio, vnio pertinet ad partes, vt earum nexus, & demum vnitas facit compositum per se vnum, & vnio facit partes per se vnitas, & ideò ex vnitate totius non benè arguitur vnica vnio inter partes. Ad 2. negatur assumptum cum sua probatione, nam singulæ vniones vtrunque extremum attingerent, subiectiuè vnum, & terminatiuè alterum, & ambo fundando proprias vniones dicentur formaliter vnita. Ad 3. cùm illæ duæ vniones sint rationes actuales vniendi, & non res vnibiles, propriè non dicuntur ad inuicem vniri, sed vnire extrema, ad quorum vnionem concomitanter, ipsæ quoque vniri dicuntur.

124 Quartò; Ex alijs obijcitur, quia materia per suam vnionem, quæ dicitur materializatio, recipit formam, ergo per illam forma recipitur, & materiam informat, quia informare, est formam in materiam recipi, ergo receptio, & informatio sunt eadem vnio, quæ ex diuersis extremis variè denominatur. Confirmatur quia si informatio, & receptio sunt diuersæ vniones, tunc vna saltim per Dei potentiam posset ab alia separari, quod implicare videtur, quia si materia recipit, & informatur, eò ipso format, & recipitur, ergo informatio actiua, & passiua sunt eadem vnio. Denique si est duplex vnio, poterit vna corrupta, alia manere, & saltim per intellectum hæc præcisio vnius ab alia fieri potest, tunc petitur, an ex illa resultet vnum compositum, vel nullum; non secundum, quia ibi sunt partes vnitæ, & ideò necessariò totum componunt; si primum, ergo superfluit alia vnio.

Resp. ad 1. materiali ratione vniri materiam vt subiectum, & intrinsecè, formam verò extrinsecè solùm, vt terminum, vnde necessaria est alia vnio, qua forma subiectiuè, & intrinsecè vniatur materiæ, & ideò necessaria est duplex vnio, non ad vniendas quomodocunque partes, sicut non requiritur duplex similitudo ad assimilanda quomodocunque extrema, sed requiritur specialiter ad hoc, vt partes vniantur modo physico, nempè informatiuè, & receptiuè, vt ambæ vniantur intrinsecè, & vt ambæ compositum constituant cum aliqua sui mutatione. Ex quo patet, informationem actiuam, & passiuam realiter distingui, si vtraque formaliter accipiatur, & intrinsecè, sed si vna accipiatur formaliter, & altera terminatiuè, ita esse possunt eadem vnio, quæ vnum extremum denominet actiuè, denominatione intrinseca, & alterum passiuè, denominatione extrinseca, sicut eadem est visio, quæ intrinsecè denominat oculum videntem actiuè & parietem visum passiuè. Ad 2. in relatiuis mutuis ob dependentiam vnius ab alio in esse relatiuo, vna relatio nequit ab alia separari, seu vna destrui, alia remanente, sed ex ista inseparabilitate non benè deducitur earum identitas, alioquin concludi posset, paternitatem esse eadem cum filiatione. Ad 3. retorqueri potest argumentum, tum in alijs relationibus æquiparantiæ; tum in ipsamet vnione, quæ, & si vna, & eadem ponatur inter extrema ab Aduersarijs realiter, ac entitatiuè, tamen ex hoc, quòd materiam attingit, sub ratione potentiæ, & formam sub ratione actus, distinguunt receptionem, & informationem ratione, & tunc vrgeri potest argumentum, an concepta receptione sola, non concepta informatione, habeatur compositum, nec ne, & ita argumentum vrgebit etiam distinctionem rationis; Admissa igitur possibilitate casus, dicimus, extrema manere adhuc, vnita, & compositum constitutum, sed non eodem modo, sicut priùs, priùs enim ambo erant vnita intrinsecè, & subiectiuè, & ambo participabant communem perfectionem totius, sed in casu manerent vnita, alterum vt subiectum, alterum vt terminus, alterum intrinsecè, alterum extrinsecè, & compositum non constitueretur cum mutatiooe, & perfectione vtriusque extremi, vt naturaliter constituitur.

125 Quintò; Tandem non videtur in homine hæc duplex vnio statui posse, vna ex parte corporis, altera ex parte animæ, nam hæc vtique spiritualis poni debebit, sicut est eius subiectum, atque ità in primis ab homine hæc vnio attingi non posset, cùm generando operetur, vt agens corporeum. Deindè in nutritione, & accretione hominis adduntur nouæ partes corpori, & è contra in decretione, & abscissione alicuius membri quædam partes auferuntur, vel igitur in his casibus, eadem prorsus vnio incipit de nouo esse in nouis partibus, & desinit esse in alijs, sicut dicimus de ipsa anima, vel tota vnio variatur, & prior abit, & alia aduenit; non primum, quia vnio est respectus, ac proindè variari debet ad variationem extremorum, cùm ab eis essentialiter pendeat, & prorsus implicat, eandem manere vnionem, si eadem extrema non manent; neque secundum, quia si tota vnio ex parte animæ variatur, ergo & tota compositio, atque ita homo toties videretur mori, & resurgere, quoties ipsa vnio variatur ex additione, vel detractione partium corporis.

Resp. negando assumptum, ad primam probat. dicimus, hominem sufficienter dici alium hominem generare, eò quia introducit formam mixti, ad quam necessariò sequitur animæ infusio, & si nulla attingeret vnionem animæ cum corpore, adhuc tamen saluatur, quod possit attingere vnionem materialem, quæ se tenet ex parte corporis; imò multi contendunt, ratione animæ posse efficere vnionem spiritualem in alia anima, de quo in libr. de Ani. Ad alteram probat. dicimus, non esse vnicam vnionem, qua anima indiuisibiliter vnitur corpori, sed tot sunt vniones quot partes corporis proportionales, indiuisibiles quidem ex parte subiecti, diuisibiles verò ex parte subiecti, sunt singulæ in toto subiecto, atque ita totam animam ponunt in singulis partibus corporis, ea verò ratione, qua sunt plures, & ex parte termini diuisibiles, sequitur, quòd remanet vnio, qua anima informat corpus, etiam si destruatur vnio, qua informabat manum, & in nutritione, & accretione noua vnio generatur in anima ad nouam partem corporis terminata, vt fusius in libro de Gener. & Cor. disput. 8.

QVÆSTIO XI.

An materia, & forma vnitæ constituant ens per se vnum, in quo maneant secundùm proprias entitates.

126 CIrca primam quæsiti partem nulla est inter Philosophos controuersia, omnes siquidem asserunt, ex materia, & forma fieri per se vnum, quia materia est per se potentia, forma per se actus, vt ex professo docuit Aristot. 2. de An. text. 7. 5. Met. text. 4. 7. Met. text. 42. & 8. Met. text. 13. quam veritatem sæpè etiam Scot. repetit pluribus in locis 2. d. 12. quæst. 1. D. 3. d. 2. quæst. 2. sub E. & d. 22. quæst. vn. sub B. & 4. dist. 11. quæst. 3. sub Y. & alibi: dubitatur solum, quo sensu intelligi debeat hæc ratio à priori, cur ex materia, & forma fiat per se vnum, non ita ex subiecto, & accidente, quia nmirum illa sunt per se potentia. & per se actus, ista per accidens potentia, et per accidens actus, et sunt varij modi dicendi, quos infra referemus.

Circa alteram quæsiti partem, an scilicet materia, et forma vnitæ maneant secundum proprias entitates in communi constituto, solum inter Scotistas lis esse videtur, nam inter omnes Pater Faber singularem habuit opinionem, siquidem in sua Phil. Theor. 21. c. 3. et 4. et in 3. disput. 6. c. 3. et nuper 7. Met. disput. 22. opinatur est, partes vnitas dum compositum constituunt, an tertiam entitatem omnino pertransire, itaut amittentes proprias entitates, fiant penitus illud tertium, quod ab ipsis sic in tertiam entitatem transactis nulla ratione realiter distinguatur, quem dicendi modum retulit, et reiecit Bassolius 2. d. 12. quæst. 1. art. 1. vt quorundam Antiquorum Theologorum, qui dixerunt, materiam, præsertim in generatione, transmutari in totum, in quo reseruetur entitas materiæ nobiliùs, et perfectiùs, quàm in se ipsa; et ideo materiam primam sic transire dicebant in generatum, quod non penitus corrumperetur, quia licet proprium esse non retineret in composito; habebat tamen esse nobilius, et perfectius, quod erat esse compositi, idque explicabant exemplo pastæ, quia dimensiones pastæ transmutabiles sunt in figuram, sic quod non sunt nisi figura ipsa post transmutationem.

Planè hæc est ipsissima Fabri sententia, nam si benè legatur loc. cit. nec ipse vult, partes ita verti in totum, quod nullo modo maneant in ipso, sed tantum vult, quod non maneat secundum esse suum, quod prius habebant, sed maneant in esse perfectiori, quod est esse compositi, sic enim loquitur Theor. cit. cap. 3. *desinunt esse, & tamen manent in composito, desinunt esse in suo esse, quod prius habebant, & manent in esse, & entitate compositi, in quod ab agente mutantur*, et panlò infrà repetit; *manent ergo, & non manent in priori esse, manent in esse compositi*,

siti, & in 3.disput.9.nu.23. inquit, *materia, & forma cum ingrediuntur totum, non corrumpuntur quo ad entitatem, sed quo ad esse, quod prius habebant, & recipiunt esse perfectius in toto*. Imò plures audiuimus, nedum à discipulis huius doctissimi viri, sed etiam à viua ipsius voce, hanc sententiam declarari exemplo pastæ allato, ità quod ex hoc modo dicendi illorum Veterum à Bassolio relato Patrem Fabrum suam excogitasse sententiam de toto, & partibus arbitramur, licet aliqui velint, motiuum habuisse ex eo, quod docuit Canon. 2. Phys.quæst.1.articul.1.dub.2. vbi explicans, quomodo forma fiat ex materia, cum tamen principia non fiant ex alterutris, respondet, principia fieri ex alterutris posse dupliciter intelligi, vno modo transitiuè, sic quod vnum transeat in alterum, sicut materia transit in compositum, alio modo intransitiuè, sic quod illud, ex quo fit, non transeat in tale factum, sed sit subiectum actionis eius, & isto modo forma fit ex materia. Sed certè casus Canonici de transitu materiæ in compositum non est casus à Fabro intentus, ea enim ratione Canonicus intendit materiam transire in compositum, quatenus materia est pars eius intrinseca, & extra illud non manet, sicut materia manet extra formam, quæ ex ipsa educitur.

ARTICVLVS I.

Ex materia, & forma fieri per se vnum, ostenditur, & quare.

127 PRo decisione articuli notandum est, vnitatem, à qua dicitur vnum, varijs modis sumi, vt docet Aristot.5.Met.14.& Scot. 1.dist.2. q.7.Hh. nam vno modo accipitur pro vnitate aggregationis quæ est in aceruo lapidum; alio modo pro vnitate ordinis, qualis est in exercitu, adhuc autem pro vnitate ordinis, qualis est inter accidens, & substantiam, & nullo ex his modis accipitur in præsenti, quia illi sunt modi vnitatis secundum quid, & per accidens, vt constat consideranti, sed accipitur pro vnitate per se, & simpliciter, quæ arguit naturam vnam, & essentiam vnam, vna definitione explicabilem, & in vna specie vnius prædicamenti reponibilem, & quia ista per se vnitas non est eiusdem rationis in simplicibus, & compositis, propterea quod cum vnitas immediatè sequatur entitatem, diuersas entitates sequuntur diuersæ vnitates; sciendum adhuc est, nos hic non loqui de vnitate ea per se, à qua dicitur vnum simplex, quia sic euidens est, ex rebus adeò diuersis non posse constare, quod simplex est, sed loquimur de ea per se vnitate, à qua dicitur vnum compositum per se, certum enim est, ens materiale, quod ex materia, & forma constat, compositum esse, & vnitatem eius non esse simplicem, sed compositam, hoc prænotato.

Dicimus, materiam, & formam, vt principia in facto esse, constituere compositum naturale per se vnum, & non alia ratione à priori, nisi quia materia est per se potentia, forma per se actus. Conclus. est Aristot. loc.cit. quam tenet tota peripatetica schola, & ex professo Scot.8.Met.qnæst.vltima, vbi & Ant. Andr. & Zerbius, ac Faber & insuper loc.omnibus cit. in lib.Sent. & quidem quo ad primam partem experientia patet, videmus enim ex materia, & forma substantiali composita omnia substantialia fieri, vt aquam, ignem, aerem, hominem, &c. quorum vnumquodque est per se vnum, quia vnam habent operationem, essentiam, definitionem, terminant generationem substantialem, quæ munera non conueniunt, nisi enti per se vni. Sed in declaranda ratione à priori huius veritatis, est magna varietas inter Interpretes.

Aliqui enim dixerunt, ideò materiam habere rationem per se potentiæ, formam per se actus, quatenus ambæ concurrunt vt compartes ad constitutionem sui totius, quod desumpserunt ex Aristot. in Anteprædic.cap.2. vbi dicere videtur, accidens in subiecto non habere rationem partis, neque respectu subiecti, cui inhæret, neque respectu compositi alicuius, quod constituat. Sed hic modus dicendi non satisfacit, ita enim albedo, & homo sunt partes vnius compositi, nempè hominis albi, sicut anima, & corpùs sunt partes hominis, ergo hac ratione non minùs accidens, & subiectum essent per se actus, & potentia, quàm materia, & forma, atque ita non minùs ex illis, quam ex istis compartibus compositum per se vnum fieri deberet; & Aristot.loc.citat. solùm intellexit, accidens non esse partem alicuius compositi per se vnius, sicut est forma substantialis, quod verissimum est, sed rationem huius non assignauit, quæ hic quæritur.

128 Alij dixerunt, intantùm formam, & materiam constituere per se vnum, & dici per se actum, & potentiam, non verò accidens, & subiectum, quia forma substantialis aduenit materiæ, quæ est ens in potentia, accidens verò aduenit compositio, quod est ens in actu, ex duobus autem entibus in actu non fit vnum per se 7.Met.49. & hic est frequens dicendi modus Thomistarum, Caietan.1.quæst.76. artic.1. Capreol. in 2.dist.18.quæst.2.ad 2. Scoti, Iauel.2.de Ani.quæst.5. & 7. Met.quæst.7. Sonc. quæst. 28. & aliorum. Sed neque his satisfacit, quia non satis explicant Thomistæ, quomodo intelligant, materiam esse ens in potentia, si enim intelligunt, quòd sit ens in pura potentia obiectiua, itaut nec actum entitatiuum, nec suam existentiam supponatur habere, id omninò falsum est, vt constat ex disput.2.si verò intelligunt, formam aduenire enti in potentia subiectiua, idest materiæ existenti in potentia ad ipsam formam, benè dicunt, sed etiam hoc modo accidens aduenit enti in potentia, quia aduenit subiecto existenti in potentia ad formam accidentalem. Deinde, quia etiamsi verum sit, ex duobus entibus in actu completo, & perfecto vnum per se fieri non posse, ratio tamen, cur accidens vnum per se non constituat cum subiecto, non est, quia illud est ens in actu perfecto, quia si accidens immediatè reciperetur in materia prima, vt multi tenent, adhuc cum ea faceret ens per accidens, vt docet Scot.4.d.11.q.3. Y. & fatentur ipsi Thomistæ.

Alij dixerunt, materiam, & formam habere rationem per se potentiæ, & per se actus, ex quibus fit compositum per se vnum, quatenus sunt actus, & potentia eiusdem ordinis, & prædicamenti, & hac de causa accidens, & subiectum non facere per se vnum, quia sunt res diuersorum generum, quem dicendi modum sequitur, & fusè declarat Suar.disput.16.Met.sect.1.nu.13. Sed licèt hic modus possit ad bonum sensum reduci, & à Scoto insinuetur 3.d.22.q.1.F. adhuc tamen sic absolutè probatus non satisfacit. tum quia potentia, & actus sunt in eodem genere qualitatis secundum Suar. et alios Thomistas, potentia scilicet vitalis, et actus vitalis, et talis potentia ordinatur ad talem actum, ergo ex eis fieri deberet vnum per se; tum quia id est, quod quæritur, quare hæc forma v.g. anima fit substantialis, et eiusdem ordinis, ac prædicamenti cum materia, quam informat, non autem quantitas, albedo, et aliæ formæ consimiles, quæ dicuntur accidentales.

Alij dixerunt, formam substantialem esse per se actum, materiam verò per se potentiam, quia potentia materiæ ad formas substantiales est substantialis, ei conueniens essentialiter in primo, vt saltim secundo modo, potentia verò subiecti ad formas accidentales est potentia accidentalis, quam multi ponunt in secunda specie qualitatis, hunc dicendi modum significauit D.Thomas 1.p.q.77.art.1.ad 2. quem recepisse videtur Auersa quæstion.21.sect.6. vbi hac de causa potentiam substantiæ ad formas accidentales ponit esse accidens de genere qualitatis. Sed neque hic modus satisfacit: Tum quia falsum est, potentiam substantiæ ad accidentia esse accidens ab ea realiter distinctum, vt ostensum est disp.3. q. 2. imò potentia substantiæ ad huiusmodi formas sibi conuenit in secundo modo, vt potentia materiæ ad substantiales, et forma accidentalis, ac eius subiectum sunt etiam hoc modo per se actus, et potentia, vt ibi probauimus. Tum quia ideò ab istis potentia materiæ ponitur substantialis, quia actus, ad quem ordinatur, est substantialis, potentia subiecti ponitur accidentalis, quia actus, ad quem ordinatur, est accidentalis, sed hoc est, quod quæritur, quare nimirum hæc forma, scilicet anima, sit forma substantialis, et per se actus, ideoque potentia materiæ ad illam sit per se, et substantialis, et quare hæc alia forma, vt calor, sit actus accidentalis, ideoque potentia ignis ad ipsum sit quoque accidentalis.

129 Alio igitur modo id declarandum est cum Scoto, et in primis quare hæc forma, scilicet anima sit per se actus, et actus substantialis, alia verò forma, vt calor sit actus accidentalis, et ideò adhuc dicatur ignis esse in potentia per accidens, et materia ad illam in potentia per se, optimè declarat Doctor in 4.d.11.quæst.3. Y. dum ait, formam substantialem in hoc ab accidentali secerni, quòd illa est actus primarius, idest nata dare esse simpliciter, et primum, quale est esse substantiale, ista verò est actus secundarius, idest nata dare esse secundum quid, et secundarium, quale est esse accidentale, et certè sic esse simpliciter, vt loquitur ibi Doctor, est primum esse naturale, esse secundum quid, est esse secundum naturale; natura enim dat priùs esse per se subsistens, et perfectum quod dicitur esse substantiale, dat deinde alia consequentia ad tale esse, et hæc dici possunt esse secundaria naturalia, dat enim priùs homini esse substantiale, et hoc est esse primum naturale, quod pertinet ad hominis conceptum, dat deinde esse album, et hoc est esse secundum quod est esse secundum naturale, dicitur ergo forma substantialis per se actus, quatenus nata est dare esse primum, et simpliciter, et è contra materia prima dicitur per se potentia, quia velut essentialiter, et simpliciter incompleta respicit actum dantem esse simpliciter, & primum, forma verò accidentalis dicitur actus per accidens, quia nata est tribuere dumtaxat esse secundum quid, & secundarium, & è contra subiectum, ideò dicitur potentia per accidens, quia respicit actum dantem esse secundum, expectatque ab eo perfici, & compleri, non in esse primo, sed tantum in esse secundo, quod discrimen inter formam substantialem, & accidentalem significauimus etiam disputat. 2. quæst. 1.artic.3. Et si quæras, quare forma substantialis sit actus primarius, seu natus dare esse primum, & simpliciter, accidentalis verò esse tantum secundarium, & secundum quid, ait Doctor citat. aliam rationem à priori assignari non posse, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud.

Adhuc autem clariùs explicat Doctor in 2.dist.12.quæst.1.D. quare ex materia, & forma fiat vnum per se, non autem ex subiecto, & accidente, ex Aristot.8. Met.text.15. quia nimirum sunt essentialiter partes & entia incompleta ad idem prædicamentum spectantia, et essentialiter inter se ordinata in ratione potentiæ, et actus, quod repetit 2.dist.22.quæst.vn.B. ac proindè ordinari possunt ad constituendum vnum per se, ex quo colligitur, tres præsertim conditiones requiri ad aliqua constituentia, vt vnum per se physicè constituere possint; prima est, quòd sint entia incompleta essentialiter; secunda, quòd sint inter se ordinata per modum potentiæ, et actus; tertia, quòd ad idem prædicamentum pertineant; Ratio primæ conditionis est, quia si non essent entia incompleta, haberent singula rationem specificam prædicamentalem, atque ita ex eis vnum per se fieri non posset; & hac de causa quantitas, & aliud quodcunque accidens cum materia per se vnum facere nequit, quia quantitas, & aliud quodcunque accidens est completum in suo genere, nam quodlibet accidens habet suum genus, & differentiam, quibus constituitur directè sub aliquo determinato genere; Ratio secundæ conditionis est; quia duæ formæ substantiales disparatæ, vt forma lapidis, & ignis, sunt vtique entia substantialiter incompleta, sed quia non sunt inter se subordinata in tatione actus, & potentiæ, ideò per se vnum constituere nequeunt, vnde præter incomplementum essentiale requiritur etiam vnibilitas constituentium; Ratio denique tertiæ conditionis est, quia si pertinent illa duo ad diuersa prædicamenta, iam ambo habebunt diuersas species, atque ideò naturas determinatas in specie prædicamentali, vel certè alterum illorum necessariò ita se habebit, quia erit accidens, nam præter genus substantiæ, cœtera sunt accidentium, quodlibet autem accidens, vt diximus, est ens completum in suo ordine, & constitutum sub determinato genere, vnde hæc tertia conditio virtualiter continetur in prima, & ortum ducit ab ea, quia si ambo constituentia essent alterius, & alterius generis, necessariò alterum illorum foret accidens, & ita ens completum.

130 In oppositum objicitur primò; quantò magis aliqua distant, tantò minus nata sunt facere per se vnum, sed materia & forma maximè distant, cùm sint alterius, & alterius rationis, & vnum habeat rationem potentiæ, aliud actus, ergo &c. Resp. ex Scoto 2.d.12.q.2.ad 1. princ. quòd duplex est vnitas, quædam vnionis, quædam identitatis, licèt maior illa sit vera de vno vnitate identitatis, quo modo passio, & subiectum sunt vnum, non tamen est vera de vno vnitate vnionis, sicut est compositum, imò quantò aliqua sunt magis alterius, & alterius rationis, tantò magis nata sunt facere tale vnum, vt idem Scot. docet 2. d.12.q.1.F. quia in illa constitutione non requiritur similitudo in natura, sed proportio conueniens, quæ potest esse inter primò diuersa, talis autem adest proportio, cum vnum habet rationem potentiæ, & aliud actus.

Sed instabis; partes homogeneæ continui magis efficiunt vnum, quàm partes heterogeneæ, quia illæ sunt eiusdem rationis, hæ autem diuersæ, & efficiunt magis vnum vnitate vnionis, ergo illa maior est vniuersaliter vera, & inter constituentia requiritur similitudo in natura. Respon. quòd sicut duplex est totum physicum per se vnum, aliud essentiale, aliud integrale, ita duplex est vnitas vnionis, alia essentialis, alia integralis, & sicut diuersa est ratio totius essentialis à ratione integralis, ita longè diuersa est vnitas essentialis ab vnitate integrali; ex materia, & forma dicitur fieri per se vnum, quia hæ partes essentiales immediatè inter se vniuntur in ratione actus, & potentiæ, sed ex pluribus particulis aquæ dicitur fieri vna per se aqua totalis, quia singulæ portiones aquæ vniuntur in tertio, quatenus copulantur termino communi indiuisibili, & quia continuatio non potest esse nisi inter partes eiusdem rationis, ideò quando partes heterogeneæ vniuntur, constituere non possunt vnum per se vnitate continuitatis, sed contiguitatis, vt Aristot. docet 6. Phys. cuius ratio est, quia inter illas partes heterogeneas terminus communis esse nequit, cùm singula habeant suum terminum; Non igitur valet assumpta paritas, quia hìc loquimur de vnitate essentiali, non integrali.

131 Secundò, si ideò ex materia, & forma fit per se vnum, quia interuenit ratio per se actus, & per se potentiæ, eadem ratione ex subiecto perfectibili, & accidente perfectiuo fiet compositum per se vnum, quia etiam ibi interuenit ratio per se actus, & per se potentiæ, nam subiectum ad tale accidens est potens in secundo modo, sicut materia ad formam, cùm talis potentia sit passio illi realiter identificata, vt ostensum est disput,3.quæst.2. Respon. neg. sequelam cum eius probat. quamuis enim subiectum sit potens secundo modo ad accidens ei connaturale, non idcircò potest dici per se potentia, & accidens illud per se actus in sensu, quo id asserimus hic de materia, & forma, hic enim materiam vocamus per se potentiam, quia est ens essentialiter incompletum, & essentialiter perfectibile, forma verò dicitur per se actus, quia & ipsa est ens essentialiter incompletum, & actus primarius materiæ, dans illi esse simpliciter, non vt distinguitur à non esse, sed vt distinguitur ab esse secundum quid, modo iam explicato, quo sensu subiectum, & accidens nequeunt dici habere rationem per se potentiæ, & actus, quia subiectum accidentis est ens completum, & etiam ipsum accidens, vt ostensum est.

Sed instabis, forma accidentalis est imperfectior substantiali, ergo si substantialis ratione suæ incompletionis potest cum subiecto constituere vnum per se, sic etiam accidentalis. Resp. quòd licèt forma accidentalis sit imperfectior substantiali, imperfectione simpliciter, quia substantia à toto genere simpliciter est perfectior accidente, potest tamen forma accidentalis dici perfectior substantiali perfectione secundum quid, quatenus in suo genere est ens completum quod de forma substantiali dici non potest.

ARTICVLVS II.

Ostenditur, materiam, & formam manere in composito secundum proprias entitates.

132 DIcendum est, materiam, & formam secundum proprias entitates manere in composito. Conclus. est contra Fabrum, & est communis omnibus, tam distinguentibus compositum à partibus vnitis, quàm non distinguentibus; & Prob.1. auctoritatibus Aristot. nam in 1.Phys. docet materiam, & formam non solùm esse principia in fieri, sed etiam in facto esse, quia remanent in composito, & priuationem, quia non manet, ait, esse principium tantum in fieri; 2.Phys. naturam definit, quòd sit principium eius in quo est text.3.& postea naturam diuidit in materiam, & formam text.10. & text.28. loquens de causis intrinsecis, ait, materiam esse, ex qua inexistente res fit, & formam esse quod quid est rei, & 8.Phys. ostendit, quædam à principio intrinseco moueri, quod est forma, quædam ab extrinseco, & 1. de Gener.text.23. docet, materiam eandem remanere in genito, & corrupto, & 2.de An.text.6. eam definit quòd sit actus corporis physici, & denique sæpiùs vocat, materiam, & formam elementa, quia composito inexistunt secundum proprias entitates.

Deinde Prob. auctoritatibus Scoti, nam in primis id docet ex professo in 2.d.12.q.1. vbi ostendit, in composito materiam et formam reperiri habentes proprias entitates ab inuicem realiter distinctas; in 1. d.1.q.1. in fine docet, materiam naturaliter quiescere sub forma, quod etiam repetit 4. d.43. qu.4. et certum est, non loqui de illo primo omninò instanti, in quo vniuntur, tunc enim forma non potest dici quiescere sub materia, sed tantum tempore sequenti, et in 2.dist.15. quæst. vn. propterea docet, mixtum fieri ex elementis, veluti ex termino à quo, et non vt ex partibus, quia non manent formaliter in mixto, ex quo patet minùs rectè Fabrum vti similitudine compositionis mixti Theor. citat. ex elementis ad declarandam compositionem compositi physici ex materia, et forma, quia in sententia Doctoris non manent elementa in mixto, sicut partes in composito, et in 3.d.22. quæst.vn. tenet, materiam, et formmam verè esse partes quidditatis, et materiam esse causam corruptionis compositi, quod vtique non esset, nisi in composito manerent secundùm proprias entitates in 4.d.11.quæst.3.I. et d.43.quæst.3.I. docet, in aduentu formæ non desinere potentiam materiæ, nec fundamentaliter, nec formaliter, et denique quol.9.artic.3.sub K. docet disertis verbis, animam, et cœteras formas materiales manere in composito secundum proprias entitates, et ibi habere proprium esse diuersum ab esse totius.

Postremò Prob. ratione. Tum quia id repugnat rationibus principii in facto esse, elementi, naturæ, quæ omnes conueniunt materiæ, et formæ; repugnat rationi causæ, quæ influit in effectum, sed non transit in entitatem eius; repugnat dependentiæ essentiali compositi à suis partibus, nam quod ab alio essentialiter dependet, non potest esse, quin et existat illud secundum propriam entitatem et repugnat naturæ ipsius compositi, quod planè compositum non esset, sed substantia simplex, si non continet in se duas entitates partiales realiter distinctas, vt arguit Doctor 2.d.12.q.1. contra opinionem, quæ vnam tantum realitatem ponebat in composito. Tum quia ex hoc dicendi modo multa sequuntur absurda, quòd scilicet materia toties esse desineret, quoties compositum contingeret generari; toties rediret, quoties compositum contingeret corrumpi; materia nunquam esset, aut existeret, quia in nullo instanti temporis extra compositum existit sub nulla forma quiesceret, quia vnita formæ transiret, et alia huiusmodi. Tum denique multa sunt composita naturalia, quæ fiunt ex materia et forma immateriali, ideòque incorruptibili, vt ex corpore, et anima rationali, et in Christo Domino verè fuit anima, et verè fuit corpus hypostaticè vnita Verbo, et de fide est, ipsum assumpsisse carnem, et animam.

133 Resp. Faber 3.disput.9.cap.3. nu.23. quòd et si anima rationalis sit incorruptibilis secundum substantiam, tamen est mutabilis, vnde aliud esse habet in corpore, aliud extra corpus, in corpore dat esse corpori, et facit vnum per se; extra corpus nullum horum facit, et ideò mutatur quo ad esse substantiale, licèt non quo ad substantiam suam; et addit, hanc explicationem haberi apertè apud Scot.1. dist.17.quæst.3.§. *Supposito, charitatem &c.* vbi circa medium inquit, *concedo ergo conclusionem istarum rationum, & quòd realitas illa positiua, quæ est in charitate realiter minore manet eadem in charitate realiter maiore, nec corrumpitur, nisi quantùm ad esse, quod habuit priùs per se, & manet in alio, vt pars in toto, exemplum de materia per se, & forma per se, quæ non corrumpuntur, vt sunt in toto, sed manent perfectiùs in toto, quàm quando habuerunt esse per se*. Secundùm Scotum ergo sicut charitas, quæ augetur, non corrumpitur quantùm ad entitatem, cum augetur, sed solùm quo ad esse, quòd priùs habebat, ita materia, et forma, cum ingrediuntur totum, non corrumpuntur quo ad entitatem, sed quo ad esse, quod priùs habebant, et recipiunt esse perfectius in toto.

Sed contrà, Tum quia esse non distinguitur ab entitate, ergo si corrumpuntur materia, et forma in generatione totius quo ad esse, quod priùs habebant, corrumpentur etiam quo ad entitatem, quam priùs habe-

habebant. Tum quia quando inquit Faber, animam in hominis generatione mutari quo ad esse substantiale, licèt non quo ad subsistantiam suam, non videtur intelligibile, quia sicut esse non distinguitur realiter ab entitate, ita nec esse substantiale à substantia, distingueretur autem, si entitas remaneret, & non esse, substantia remaneret, & non esse substantiale, quia nullum maius est signum distinctionis realis, quàm separabilitas ex 7. Topic. capitul. 1. & loc. 17. Tum quia Scot. citat. à Fabro non ait charitatem in augmento corrumpi quantùm ad esse, quod habuit priùs absolutè, & simpliciter, sed quod habuit priùs per se, & sic loquitur etiam de materia, & forma, per quod significare vult, non corrumpi quo ad entitatem, sed quo ad perfeitatem tertij modi, quo sensu per se dicitur esse, quod habet rationem totius, & solitariè existunt, sed vt partes in toto, quo sensu Scot. ait, formam in composito non habere esse, nisi per accidens, loquendo de entitate per se, quæ competit composito 2. dist. 17. quæst. 1. A. quod etiam repetit quol. 9. infra K. vbi ait, partem dici esse per accidens, vel magis propriè participatiuè loquendo, de esse totius, vnde auctoritas Scoti allata potius est pro nobis.

134 Sed resp. adhuc Faber loc. cit. ipsi. m non asserere, quòd partes omninò desinant esse in generatione compositi, se tantum quòd desinunt quo ad esse, quod priùs habebant, & manent in esse compositi, qua ratione non solùm dici non debent per generationem compositi esse corruptæ, sed potiùs esse perfectius recepisse in toto, quam priùs haberent in se ipsis. At hæc responsio non satisfacit. Tum quia rationes allatæ vrgent materiam, & formam manere in composito secundum proprias entitates, & non tantùm secundùm esse compositi, tunc enim compositum non esset verè compositum, quia non constaret ex duabus entitatibus partialibus formaliter in ipso existentibus, & generatio compositi ex materia, & forma esset veluti generatio mixti ex elementis, quæ virtualiter tantùm continentur in mixto, & hac ratione perfectius habent esse in mixto, quàm in se ipsis. Tum quia Doctor disertis verbis quol. 9. art. 3. docet, partes in toto habere esse totius participatiuè, & in hoc sensu habere perfectius esse in composito, quam in se ipsis, sed præter hoc dicit, habere etiam esse proprium, aliud ab esse totius, vnde de anima coniuncta inquit infra K. *Videtur ergo ista neganda, quòd esse animæ est idem, quod esse totius, quia anima habens esse, videtur pars totius habentis esse*, & paulò infra loquens de formis materialibus inquit, *formæ materiales non manent in suo esse, corrupto toto, non quia esse earum non fuerit aliud ab esse compositi corrupti, sed quia corrumpuntur per accidens*, ergo in sententia Doctoris partes manent in toto retinentes proprium esse, aliud ab esse compositi.

In oppositum objicit Faber in 3. loc. cit. Primò, quia materia, & forma constituunt compositum, quia fiunt ipsum, ergo transeunt in eius entitatem. Accedit, quòd materia, & forma sunt idem essentialiter composito, & in eo intrinsecè continentur, ergo in eius entitatem transeunt, propriam amittentes, Probatur consequentia, quia vnum ens reale non est intrinsecum, & essentiale enti reali realiter distincto ab ipso, Sortes enim non est quid intrinsecum Petro, quia est aliud ens realiter ab eo distinctum.

Resp. negando assumptum, quia partes non fiunt compositum, sed compositum fit ex eis, & constat ex illis, & ita loquitur Arist. ex quo non sequitur, quòd in eius entitatem debeant transire, sed potius manere per modum partium entitatem illam constituentium, & multum interest dicere, hoc fit hoc, aut transit in hoc, & ex hoc fit hoc, nam per primum loquendi modum significatur versio, & transubstantiatio, per secundum generatio compositi ex suis partibus. Ad aliud, negatur consequentia, quia etò vnum ens reale completum, sicut assumitur in exemplo, non includatur internè in alio ente reali completo, sicut neque ex entibus completis potest per se vnum fieri, tamen ens reale incompletum per modum potentiæ, & aliud incompletum per modum actus, includi possunt essentialiter in ente completo, quod constituunt, Ex quo sequitur, quòd in eo manere debeant secundum proprias entitates, vt partes in toto.

135 Secundò, si partes non transeunt in entitatem compositi, vt anima, & corpus in entitatem viuentis plura sequuntur absurda, 1. quòd compositum nihil esset, quia homo v.g. non esset corpus, cùm ab eo ponatur realiter distingui, non anima ob eandem rationem, ergo nihil, cum nil aliud sit in homine. 2. sequitur, quòd in animali nihil viueret, quia vita est effectus formalis, & proprietas animæ, quæ ponitur ab animali realiter diuersa. Sequitur tandem, quòd animal, nec carnem, nec ossa haberet, cùm istæ sint partes corporis, quod ponitur ab animali realiter distinctum.

Resp. negan. conseq. nam animal tertia quædam entitas est distincta ab anima & corpore, ex illis vtique constituta, non tamen illa, & animali competit viuere per animam, & per carnem, & ossa habere esse corporeum etherogeneum, proprietates enim conueniunt toti ratione partium radicaliter, & principiatiuè; imò si transirent verè illa sequerentur absurda, nam homo nihil esset, quia non esset corpus, nec anima, cùm hæc ponantur definere secundùm proprias entitates; nec viueret, quia anima, per quam animal viuit, desineret esse; nec tandem carnem, & ossa haberet, quia corpus, cuius istæ sant partes integrales, desineret.

Tertiò, si partes manerent in toto, certè tunc diuersam entitatem haberent à toto, sed hoc dici non potest, quia tunc totum posset esse sine illis, & istæ sine toto, quia ea est regula diuersitatis realis, quòd vnum possit esse sine alio. Nec respondere iuuat, totum esse non posse sine partibus propter essentialem dependentiam ab illis. Tum quia talis dependentia à Scoto nullibi ponitur. Tum quia saltim partes vnitæ poterunt esse sine toto, cùm sint natura priores.

Resp. negando minorem, ad probat. negatur vtraque conseq. totum enim nequit esse sine partibus ob dependentiam essentialem ab illis, quam Doctor agnoscit in 3. d. 2. qu. 2. F. vbi non solum inquit, totum necessariò coexigere partes, & à partibus dependere, sed etiam coexigere vnionem partium, quæ est respectus, & d. 22. q. vn. vbi §. *Quantum ergo &c.* docet, totum habere causalitatem intrinsecam per causas inexistentes, materiam scilicet, & formam, quod est dependere ab illis manentibus in ipso composito; partes verò vnitæ, & si natura priores, nequeunt esse sine toto, quia earum causalitas est intrinseca, quæ proinde à Deo impediri nequit, nec suppleri, vt in superioribus dictum est, & magis infra explicabitur, separatio autem, estò sit maximum distinctionis realis inditium, non tamen est adæquatum, vt postea dicemus. Imò ex opinione Fabri, illa sequerentur absurda, nam si transirent in tertiam entitatem, & proprias amitterent, compositum de facto esset sine partibus, quia illæ non ponuntur manere existente composito, & ipsæ ante transitum esent sine composito, quia hoc non ponitur fieri, nisi ex transitu earum in tertiam entitatem.

136 Quartò, si partes vnitæ manerent secundùm suas entitates in composito, sequeretur, quòd Verbum diuinum priùs assumpsisset animam, & corpus, deinde humanitatem, cuius oppositum docet Scot. 3. d. 2. q. 2. Probatur consequentia, quia si partes illæ manerent, priùs natura essent, quàm totum, ideoque priùs vnibiles, & priùs vnirentur, & vnionem haberent distinctam ab vnione, qua ipsa humanitas vnitur.

Respon. concedendo sequelam, neque hoc est alienum à Scoti doctrina cum enim ipse negat, partes prius fuisse assumptas, quàm totum, non loquitur de assumptione, & vnione simpliciter, sic enim partes fuerunt vnitæ priùs natura propria vnione, cum in morte Christi, secundum Scot. non fuerit facta noua vnio earum ad Verbum, sed loquitur de assumptione ad personalitatem vt patet ex responsione, quam ibi dat ad secundum, vbi inquit, non sequi quod per argumentum inferebatur, partes scilicet vniri priùs toto, nam benè stat, quod vnum sit origine, & natura prius alio, & tamen non sit prius illo in ordine ad tertium, vt in proposito contingit de partibus, & toto in ordine ad vnionem hypostaticam, & personationem, nam non partes sunt personabiles, sed totum, & ideo quicquid præcedit ipsum in personalitate, quia vt prius non est personabile; ex quibus patet ipsum non loqui de assumptione simpliciter, sed de assumptione ad personalitatem. Quòd si hoc esset absurdum, non minus sequeretur ex Fabri opinione, quia secundùm ipsum partes prius vniuntur inter se, deinde transeunt in tertiam entitatem, sed nunquam fuere inter se vnita, nisi in Verbo, ergo partes vnitæ, fuerunt priùs assumptæ ante humanitatis assumptionem, quia transitus partium vnitarum in tertiam entitatem non fit, nisi in secundo instanti.

Quintò tandem materia, & forma non causant compositum, nisi per conuersionem sui ipsarum in illud, ergo non manent in eo secundum proprias entitates distinctas, Consequentia patet, & Antecedens probatur; Tum ex differentia causarum intrinsecarum, & extrinsecarum, nam in nullo alio differre videntur, Tum ex ipsis rationibus causandi materiæ, & formæ, nam definitur causa materialis, quòd sit ea, ex qua fit quod fit, cum insit, & forma, quòd sit quodquid est rei, non possent autem ita se gerere materia, et forma circa compositum, nisi transirent in illud, et hoc est præcipuum Fabri fundamentum.

Resp. negando assumptum cum suis probationibus, non enim ea ratione differunt causæ intrinsecæ ab extrinsecis, sed potius ex hoc, quod intrinsecæ sunt inexistentes effectui suo, et illi se intimè communicant, vt Scotus docet loc. cit. 3. dist. 22. q. vn. §. *Quantum ergo &c.* quod non contingit in extrinsecis, vnde argumentum concludit oppositum, ideo enim materia, et forma dicuntur causæ intrinsecæ, quia manent in causato ex sua ratione causandi, quia alium modum non habent causandi, nisi exhibendo suas entitates intimè præsentes, et inclusas in suis effectibus, vt colligitur ex earum definitionibus, num forma est quod quid est rei, et materia est id, ex quo fit res, cùm insit, alia quædam adducit Faber 7. Met. disput. 22. in defensionem suæ opinionis, quæ soluuntur ex dictis, et præsertim vim facit in exemplo Arist. 7. Met. text. vlt. de syllaba B A, de quo dicemus infra nu. 161.

QVÆSTIO XII.

An compositum physicum materiam, & formam, & vnionem includat in sua essentia, & quidditate.

137 TRes de hac re extant sententiæ. Prima est Auerroistarum, dicentium, materiam esse vtique de substantia compositi, quatenus est pars intrinseca eius, et in hoc sensu etiam posset dici de essentia eius, si essentia accipiatur pro integra rei substantia, negant tamen esse de quidditate, seu partem quidditatis, quia hæc in sola forma consistit, non quidem solitariè sumpta, sed vt coniuncta materiæ vnde addiderunt, vtique materiam quoque ad compositionem totius concurrere, sed non nisi vt subiectum, & vehiculum ipsius formæ, siue vt deferens quidditatem compositi, ita significauit Auerr. 7. Met. text. 21. 34. & 35. Alexander 2. Met. tex. 12. Themist. 3. de Ani. tex. 9. Simplicius ibidem, & sequuntur Recentiores Auerroistæ, Iandun. 7. Met. q. 12. Achillinus lib. 1. de elementis, dub. 22. Zimara Theor. 39. Zab. Mercen. & alij.

Secunda sententia asserit, materiale compositum, nedum per se, & directè includere in sua essentia, & quidditate materiam, & formam, verum etiam & vnionem, cum hoc tamen discrimine, quòd materiam, & formam includit veluti partes, vnionem verò non tanquam partem, sed tanquam vinculum, nexum, & coniunctionem partium, ita Recentiores communiter, Auersa quæst. 19. sect. 4. id asserit de partibus, & sect. 7. de vnione, Amicus 1. Phys. tractat. 6. quæst. 6. dub. 7. id asserit de partibus, & tract. 11. quæst. 10. dub. 2. art. 3. de vnione, & tract. 14. qu. 10. art. 3. Ruuius 1. Phys. tract. de forma q. 6. Hurt. in Phys. disp. 6. sect. 3. qui addit, luce clarius esse; vnionem de essentia compositi existere, Arriag. disp. 3. Phys. sect. 2. & disp. 4. n. 17. & disp. 5. nu. 1.

Tertia sententia asserit, materiam, & formam esse partes quidditatis compositi, licèt cum aliqua analogia, quatenus forma est principalior, & præcipua pars quidditatis, materia verò minus principalis, in quo conuenit cum secunda sententia; Addit verò vnionem non esse de essentia, & quidditate compositi, sed solum esse conditionem simpliciter necessariam ad eius constitutionem, & conseruationem, in quo differt à secunda sententia, & hæc est Scoti, & Scotistarum, nam in 3. d. 22. quæst. vn. affirmant materiam esse partem quidditatis, & sequuntur ibi Bassolius, & alij eius Expositores, quod etiam priùs docuerat 7. Met. qu. 16. vbi Zerb. qu. 11. Antonius Andreas quæst. 12. sequitur Faber Theor. 28. Fuentes 1. Phys. q. 2. diff. 5. Sghemma 1. Phys. digress. 5. qu. 11. & passim alij Scotistæ, & Contaren. iunior to. p. quæst. 9. Perip. qu. 8. ostendit esse sententiam peripateticam: Vnionem verò non esse de conceptu essentiali compositi, sed tantum conditionem simpliciter requisitam docet in 3. dist. 2. q. 2. F. quod prius docuerat Theore. 22. nu. 18. & iterum in 4. d. 43. quæst. 1. ad vlt. principale; idem tenuit Soncin. 7. Met. quæst. 42. art. 1. & videtur Vasqu. 3. par. to. 1. disp. 19. nu. 20.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, materiam esse partem quidditatis compositi.

138 DIcimus, compositum physicum non solum formam includere in sua essentia per se, & directè, sed materiam, & formam simul. Concl. est communiter recepta contra Auerroistas, & Prob. 1. auctoritatibus Philos. qui 2. de Ani. text. 2. & 7. Met. 34. & 36. & 8. Met. 15. & 16. ait, quidditatem compositorum esse per se vnam, quia constat ex actu, & potentia, idest, materia, & forma, & 7. Met. 35. ponit materiam esse partem speciei, & 39. ait, esse superfluum auferre materiam à quidditatibus rerum, & 2. Phys. 18. & 17. 2. de Ani. text. 8. 6. Met. text. 2. ait, materiam poni debere in definitione rerum naturalium, vnde 8. Met. text. 6. commendat Architam definientem res naturales per materiam, & formam. Nec respondere iuuat, materiam poni in definitione rerum naturalium, non vt partem quidditatis, sed vt vehiculum, & subiectum quidditatis, tum quia loc. citat. Philos. intendit, materiam ingredi definitionem rerum naturalium, vt partem definitionis, vt notat Scot. 3. dist. 22. qu. vn. infra C. idque constare ait ex 7. Met. cap. de partibus diffinitionis, & 8. Met. capit. 5. tum quia, vt inquit Bassolius, substantia completa non definitur per additamentum, & ideò si materia ingreditur conceptum eius essentialem, ponitur vt pars intrinseca, non vt subiectum.

Deinde Prob. ratione. Tum quia substantiæ materiales, & composita physica non sunt simplices entitates, ergo eorum quidditas composita est, & materia est pars intrinseca illius. Tum quia substantiæ materiales per materiam quidditatiuè ab immaterialibus secernuntur. Tum quia essentia, & quidditas compositi materialis intrinsecè est material ter causata, ergo materia est de conceptu essentiali eius, & intrat eius quidditatem, per hoc enim causæ intrinsecæ distinguuntur ab extrinsecis.

Respondent, formam esse totam essentiam rei materialis, non quomodocunque sumptam, sed vt coniunctam, & inexistentem materiæ: vnde & ipsa materia necessaria est, vt subiectum, & vehiculum ipsius formæ, siue vt deferens essentiam compositi. Sed id parum iuuat; Tum quia rationes præfatæ, non solùm probant, materiam necessariò concurrere ad constitutionem compositi materialis, sed probant concurrere, vt essentialem partem illius. Tum quia, si ita solùm concurrit, vt subiectum nimirum, & vehiculum formæ, cùm Deus possit supplere vices subiecti, & conseruare formam sine materia, si ita fieret per potentiam diuinam, adhuc haberetur tota essentia compositi materialis, vnde ignis esset compositum materiale sine materia, quod est falsum, imò cùm anima rationalis non indigeat simpliciter corpore, vt subiecto, & vehiculo, ipsa separata foret quidditatiuè homo, nam vt inquit Scot. cit. in prima ratione, quidditatis cuiuscunque substantiæ est sibi sufficiens ratio essendi tale, circumscripta quacunque alia re ab ipsa. Tum denique, quia, vt ibidem arguit Doctor in tertia ratione, si ita foret, tunc forma adueniens materiæ, non faceret per se vnum cum illa, sed potius vnum per accidens, quia omne ens completum in genere nulli alteri vnitur ad faciendum vnum per se cum illo, si ergo forma ignis est integra, & completa ignis essentia, vtique erit ens completum in genere, atque ita cum iungitur materiæ, non faciet vnum per se cum ea, sed vnum per accidens.

139 Respon. alij, concedendo, materiam non concurrere tantum vt subiectum, & vehiculum formæ ad compositi constitutionem, sed vt veram partem, & intrinsecam eius, sed ex hoc non sequi, quod sit pars quidditatis, sed quòd sit pars substantiæ compositi, & etiam essentiæ illius, sumendo essentiam pro integra substantia rei. Sed hoc quoque parum iuuat. Tum quia malè distinguunt ista Auerroistæ inter quidditatem, & essentiam, seu substantiam compositi materialis; nam vt notat Bassolius citat. in prima ratione, quam conficit pro nostra sententia, nomen quidditatis est abstractum eius, quod est quid, vt humanitas est abstractum hominis, ergo sicut materia est pars intrinseca hominis, sic etiam erit pars intrinseca humanitatis, cum abstractum, & concretum quidditatiuè non differant. Tum quia hæc quidditas vtique est substantia, ergo si materia est pars substantiæ compositi, erit etiam pars quidditatis eius. Tum demum quia quidditas compositi vtique simplex non est, ergo materiam includet cum forma.

Addit tamen Scot. loc. citat. K. quòd licèt vtraque pars per se, & directè spectent ad quidditatem materialis substantiæ, potior tamen, ac principalior pars quidditatis est forma. Tum quia ita significarunt sancti Patres, vnde D. Aug. 19. de Ciuit. Dei c. 3. inquit, hominem non esse animam solam, vel corpus solum, sed vtrunque, meliorem tamen partem hominis esse animam. Tum quia Arist. hac ratione dixit 2. Phys. formam esse magis naturam, quàm sit materia. Tum denique quia intra essentiam compositi forma est actus, materia est potentia, materia est indeterminata, & communis omnibus, forma est determinata, & propria, atque ideò determinatè distinguens vnum ab alio, & hac ratione forma sæpius appellata est absolutè, & sine addito à Philosopho quidditas compositi materialis, & materia subiectum huiusmodi quidditatis, vt notauit Auersa q. 19. sect. 4. vbi etiam inquit, Auerroem ipsum se explicuisse 7. Met. com. 34.

In oppositum arguitur Primò innumeris auctoritatibus Arist. qui variis in locis visus est solùm formam agnoscere pro quidditate compositi; prima est 7. Met. cap. 9. vbi ait, quòd anima est substantia animati, & species, & quodquid erat esse. Secunda, eod. 7. cap. 2. ait, quòd partes, & materia non inerunt definitioni, seu quidditati substantiæ; Tertia, 5. Met. cap. de causis habet, quod partes definitionis sunt formæ; Quarta, 2. Phys. formam definit, esse quodquid est rei, absolutè loquendo; Quinta, 3. de Ani. text. 9. scribit, aliud esse carnem, aliud esse carnis, per carnem intelligens formam cum materia, per esse carnis formam simplicem secundum Thomist. esse autem carnis est quidditas carnis; Sexta, 7. Met. text. 9. diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum, postea dicit, prætermittendam esse materiam, & compositum, & agendum de sola forma. & mox in sequentibus agit de sola quidditate. Septima, 8. Met. 12. habet, si quis interroget, quæ sit materia hominis, respondendum esse, mentrua, quæ autem forma, quodquid erat esse rei; Octaua, 2. Phys. 19. inquit, res naturales definiri per materiam, sicut simitas per nasum, nasus autem ponitur in definitione simitatis, vt subiectum. Denique materia prædicatur de omnibus denominatiuè, non essentialiter, vnde 7. Met. inquit, quod arca non est lignum, sed lignea, & idem habet 9. Met. text. 12.

140 Respon. ad omnes istas auctoritates simul, distinguendo cum Scoto, Antonio And. Bassolio, & alijs Scotistis de duplici materia, & forma, forma enim duplex est, alia est forma partis, & physica, quæ cum materia partis constituit compositum, alia forma totius, & metaphysica, quæ est integra essentia, & quidditas resultans ex materia, & forma vnitis; duplex item est materia, totius, et partis, partis est, quæ cum forma partis compositum constituit, materia totius est differentia indiuidualis contrahens naturam communem ad esse hoc, vel illud, et dicitur materia pro quanto constituit rem in suo vltimo esse subijcibili, quæ distinctio communiter à Recentioribus recipitur, præsertim de forma, licèt Mercenarius valdè in illam exarserit, contra quem optimè disp. P. Faber citat. Quando igitur ait Philos. formam esse quidditatem, et quodquid est rei, dicendum est, quòd loquitur de forma totius, hæc enim verè est tota essentia, et quidditas rei; vel si loquitur de forma partis, illam appellat quidditatem per antonomasiam, quatenus est excellentior, et principalior pars quidditatis; Cum verò excludit materiam à quidditate, vel loquitur de materia totius, hæc enim verè est extra quidditatem rei, quia species est tota quidditas indiuiduorum, et pertinet ad quis est, non ad quid est indiuidui; vel si loquitur de materia partis, et eam excludit à quidditate, dicendum, quòd loquitur de materia contracta, & singulari comparata ad quidditatem compositi in communi; Vel demum si loquitur de materia contracta comparata ad quidditatem compositi in particulari, aut de non contracta comparata ad quidditatem compositi in communi dicendum est, illam excludere, quia est pars minus principalis, & longè deterioris conditionis, quàm sit forma. Adhuc tamen libet respondere ad singulas singillatim.

141 Ad 1. dicimus cum Scoto, animam appellari à Philos. speciem, & quodquid est, quatenus est principalior pars quidditatis. Ad 2. Philos. loqui de materia singulari, & contracta, & negare, esse partem quidditatis compositi in communi. Ad 3. partes definitionis, si conferantur inter se, non omnes habent rationem formæ, sed vna habet rationem formæ, altera materiæ, si verò referantur ad definitum, quia ambæ prædicantur formaliter de illo, vt partes essentiales eius, ambæ dicuntur formæ, nec inconuenit, materiam in hoc sensu dici formam. Ad 4. definitur esse quod quid est, quatenus forma est pars quidditatis determinans rem, & illam constituens in certa specie entis, & eandem distinguens ab omnibus alijs sub eodem genere. Ad 5. negatur assignata expositio, nam per esse carnis intelligit Philos. quidditatem carnis in communi, quam constituunt materia, & forma in communi, & per carnem intelligit singulare, & indiuiduum carnis in communi. Ad 6. falsum est, Philosophum immediatè posteà tractare de quodquid est, imò text. 10. præmittit aliam diuisionem substantiæ, quam superiùs innuerat text. 7. quia præmissa, incipit deinde tractare de quodquid est, vt ponderat Faber citat. tractatio verò de quo, quid est maximè confert ad notitiam formæ, quam ibi inquirebat Aristot. quia quidditas ab ea principaliter originem ducit. Ad 7. exponi potest Aristot. vel de forma totius, vel de forma partis modo explicato. Ad 8. exemplum non tenet in omnibus, sed in hoc solùm, quod sicut simitas nequit intelligi sine naso, ità nec quidditas rei sensibilis sine materia. Ad 9. æquè concludit de forma, sicut de materia, nam neque homo dicitur anima, sed animatus, ait igitur Scotus 2. dist. 12. quæst. 1. ad 1. princ. quòd duplex est prædicatio denominatiua, vna accidentis denominantis subiectum, alia formæ acceptæ in concreto per cadentiam ad suppositum naturæ propriæ, secundum quod dicimus, homo est animatus, & prædicatio denominatiua in hoc sensu est etiam essentialis.

142 Secundò objicitur rationibus. Tum quia, quidditas est incorruptibilis, 7. Met. 34. sed materia est radix corruptionis, 7. Met. cap. 3. Tum quia quodquid est, est principium cognoscendi id, cuius est 7. Met. 21. sed materia de se est ignota, & causa occultationis 7. Met. 35. Tum denique materia prohibet ne quodquid est sit idem cum eo, cuius est, ergo ad quidditatem non pertinet, quia nihil impedire potest identitatem, & inter rem, & quidditatem, nisi sit à quidditate rei extraneum, Probatur assumptum, quia 7. Met. cap. 4. in conceptis cum materia non est idem quodquid est cum eo, cuius est.

Respon. ad 1. ex Scoto citat. sub G. quidditatem compositi materialis esse corruptibilem ratione materiæ, imò, & corruptibilitatem esse passionem de quidditate materiali demonstrabilem, dicitur tamen incorruptibilis à Philos. quia actu non corrumpitur, nisi in singularibus, & vt ad existentiam contracta. Ad 2. Scot. sub. sub H. ait, materiam dici ignotam comparatiuè in ordine ad formam, nam hæc excellentius confert ad cognitionem compositi, absolutè tamen confert etiam materiam, & substantia materialis quidditatiuè nequit attingi sine materia. Ad 3. ait Doctor litt. I. quòd materia in communi impedit, quodquid est esse idem cum eo, cuius est per se primo in conceptis cum materia in communi, sed materia singularis, & contracta impedit, ne quidditas in communi conueniat per se primo conceptis cum materia singulari, vnde dicimus, quidditatem hominis in communi conuenire per se primo homini, Petro, vero, & Paulo non per se primo, sed secundario. Sed Vrges, Arist. 8. Met. text. 8. ait, quod anima, & animæ esse sunt idem, hominis vero esse, & homo non idem, ergo etiam materia in communi vetat identitatem quidditatis cum eo, cuius est. Resp. Scotus super illum text. Arist. loqui secundum mentem Platonis, vt patet ex ipso contextu.

143 Tertiò, quod ponit in definitione, debet definitum ab alijs distinguere, 6. Top. sed hoc non fit per materiam; tum quia per materiam potius res conueniunt; tum quia distinguere est proprium formæ 7. Met. 49. ergo &c. Item quod est de essentia rei, debet esse illi proprium, nec enim eadem esse potest essentia diuersarum rerum, sed materia est eadem in omnibus, saltim sublunaribus, ergo &c. Denique si materia esset pars quidditatis, sequeretur, eandem enim materia numero, quæ erat in corrupto, manet in genito 1. de Gen. 23.

Resp. ad 1. totam definitionem, & non singulas eius partes debere definitum distinguere ab omni, quod non est ipsum. Accedit, quod materia distinguit substantias materiales, & compositas ab immaterialibus, vnde hac ratione ei quoque conueniet, quod docuit Arist. 6. Top. Ad 2. maior intelligi debet de tota, & integra rei essentia, non de quauis illius parte, quamuis enim tota essentia debeat ei tantum conuenire, pars tamen potentialis, & indeterminata essentiæ potest esse sibi communis cum alijs, vt patet in compositione metaphysica. Ad tertium, nullum est absurdum eandem materiam singularem in essentia diuersorum includi pro diuersitate formarum in ea succedentium, quia materia est pars potentialis, & indeterminata ad plura composita constituenda, quod parti potentiali metaphysicæ conuenire non potest, quia non est realiter distincta à differentia contractiua.

Quartò, sicut se habet materia secunda ad artefacta, ita materia prima ad naturalia, sed illa non intrat quidditatem artefactorum, substantia enim qualis est materia artefactorum, in quidditate accidentium, qualia sunt artefacta, contineri non potest ergo &c. Confirm. tota quidditas hominis est esse animal rationale, sed hoc totum sumitur ab anima intellectiua secundum aliam, & aliam realitatem, ergo &c.

144 Respond. ad 1. negando maiorem, si teneamus, artefacta importare formam, & connotare materiam veluti vehiculum eius, sed si teneamus, etiam artefacta, vt sunt composita quædam accidentalia, adæquatè importare subiectum, & formam, vt insinuauit Aristot. 7. Metaph. 35. dum dixit, æs, & figuram esse partes statuæ, tunc est neganda minor, nam licèt substantia in essentia accidentis contineri nequeat, poterit tamen aliquo modo contineri in essentia eius, quod ex accidente, & substantia accidentaria compositione coalescit, sicut sunt artefacta. Ad Confir. maior est vera de quidditate hominis metaphysicè inspecta, non autem physicè; vel negatur minor, quia genus, & differentia sumitur a tota rei entitate proximè, & immediatè, vt dictum est in Logica disputat. 5. qu. 3. art. 2.

Quintò tandem quod fluit, & refluit in re materiali, non pertinet ad eius quidditatem, quæ inuariata manet, sed materia fluit, & refluit, vt patet in continuata hominis nutritione, ergo &c. Deinde si materia est de essentia, ergo pars materiæ erit pars essentialis, atque ita pars integralis v.g. manus, & caput erit pars essentialis, quia est pars quædam essentiæ, hoc autem falsum est, alioquin homo mutilus non haberet totam homini essentiam. Denique si materia in communi est de essentia compositi in communi etiam materia in particulari erit de essentia compositi in particulari, hoc autem est falsum; Tum quia variata tota materia per continuam nutritionem, semper manet idem numero homo, Tum quia in resurrectione, quamuis animæ non daretur idem numero corpus, quod antea habuit, sed ex alia materia confectum, erit idem numero homo, qui antea fuerat.

145 Resp. ad 1. Bassolius, æquè concludere de forma materiali, quæ in brutis fluis, & refluit cum carne, & ideò concedit, quidditatem in communi vtique semper inuariatam manere, sed quidditas in particulari fluit, & refluit, licèt non secundum omnes partes. Ad 2. non omnes partes materiæ integrales sunt essentiales, quia non omnes sunt necessariæ, vt forma complere possit cum materia compositum illud, v.gr. hominem, & ideò illa materia censeri debet simpliciter essentialis, quæ ad hoc necessaria est, reliqua verò potius spectat ad integritatem, & complementum rei, quàm ad eius essentiam. Ad 3. concedit ea ratione Duran. 4. dist. 44. qu. 1. materiam tantum in communi esse partem essentialem compositi in communi, non autem materiam particularem de essentia compositi particularis, quam sententiam iudicauit probabilem Fuentes loc. citat. sed Scot. 3. dist. 22. quæst. 1. docet expressè, quòd sicut materia in communi est de essentia compositi in communi, ita etiam materia in particulari de essentia compositi in particulari. Conceditur igitur conseq. & negatur falsitas, quia vt substantia materialis sit eadem numero, requirit non solùm eandem numero formam, sed etiam eandem numero materiam, vt docet Idem in 2. dist. 20. quæst. 2. B. Ad primam probat. negatur, in continuata nutritione variari totam animalis materiam, quamuis enim varietur quo ad aliquas partes impuriores, & fluxibiliores, semper tamen remanet eadem numero quo ad puriores, & solidiores, in quibus fundatur identitas indiuidui, vt docet Faber Theor. 28. & nos dicimus in lib. de Gen. disput. 8. quæst. 7. Ad alteram probat. negatur assumptum, quia ad vnitatem resurrectionis eorundem hominum, exigitur, vt eorum animæ eisdem numero corporibus vniantur, vt docet Scot. in 4. dist. 44. quæst. 1. §. *De secundo, &c.* & §. *Ad argumenta, &c.* cum cœteris Theologis.

Quo autem modo resurrecturus sit idem numero homo casu quo eadem materia fuerit successiuè plurium hominum nutrimentum, optimè Doctor declarat loc. ci. & vt notat Arriag. cit. argumentum hinc deductum non tam impugnat conclusionem positam de materia prima, quam resurrectionem hominum cum eisdem corporibus, quæ habuerunt iuxtà illud Iob, *& in carne mea*, vnde omnes tenentur illud soluere, licet Arriag. non rectè soluat, quia recurrit ad identitatem moralem, quæ non sufficit.

ARTICVLVS II.

Vnionem non esse de essentia compositi, demonstratur.

146 DIcimus, vnionem non esse de essentia compositi, sed solùm conditionem simpliciter necessariam, tam ad eius constitutionem, quàm conseruationem. Concl. est Scoti cit. initio qu. Cuius fundamentum est, quia respectus non est de essentia absoluti, nec entitas absoluta constituitur intrinsecè in tali esse per respectuam, quia esset simul ad se, & non ad se, sed vnio est respectus, & compositum substantiale est entitas absoluta, ergo, &c. Maior patet ex dictis, tum disp. 2. qu. 5. art. 5. tum disput. præsenti q. 9. vbi probatum est, illam maximam esse vniuersaliter veram de quocunque respectu, siue prædicamentali, siue transcendentali, Minor quo ad 1. partem patet

patet ex superiùs dictis q. 9. & quo ad 2. Prob. Quia nemo vnquam dixit, naturam hominis, vel equi esse relatiuam, & ex ipso conceptu hominis constat, ipsum non esse ad aliud, sed ad se, & si dicatur hominem, equum, & alia composita substantialia esse entia essentialiter relatiua, iam amplius assignari non poterit, quænam entia sint absoluta, & hoc est absurdum, quod intulit Arist. 4. Met. 26. contra Heracl. & Cratillum, ponentes omnia quidditatiuè ad aliquid, vt notat Scot. 2. d. 1. q. 3. P.

Resp. Amicus tract. 14. q. 10. art. 4. eodem argumento probari, nec materiam, nec formam esse de essentia substantiæ compositæ, quia tam materia, quàm forma sunt relatiua transcendentalia, quare sicut non est absurdum, huiusmodi relationes transcendentales includi in substantia compositi, ita neque vnionem, quæ est transcendentalis quidam ordo. Addit in rerum naturis alia includi explicitè, alia implicitè, quare in specie substantiali, vt explicatur peculiari nomine leonis, equi, &c. licet non includatur explicitè vnio, & compositio, aut alia transcendentalis relatio, tamen implicitè includuntur, cùm sint substantiæ compositæ. Sed hæc responsio non satisfacit; Tum quia loc. cit. ostensum est, nec relationes transcendentales includi in essentia absoluti, nec materiam, & formam esse tales relationes in primo modo, sed esse entia absoluta includentia illas in secundo modo. Tum quia quando etiam naturæ substantiales equi, & leonis concipiuntur quidditatiuè, vt substantiæ compositæ, non inuoluitur in tali conceptu respectus ille vnionis partium ad inuicem, sed sola consideratur materialis inclusio partium in toto, vt patebit in solutione argumentorum.

Secundò Prob. Concl. Tum quia vnio non est in composito, sed est in partibus, parteque denominat vnitas, non verò totum, quod potius dicitur vnum ab vnitate, quæ illud consequitur, vt propria passio, ergo non est de essentia compositi. Tum quia si est de eius essentia, & intrinsecè ad eius constitutionem pertinet, iam tria erunt principia compositi in facto esse, materia nimirum, & forma, & vnio. Nec respondere iuuat cum Auersa cit. vnionem non concurrere ad constitutionem totius per modum partis, sed per modum nexus, & vinculi eorundem, non habere autem rationem principij in facto esse, nisi id, quod concurrit per modum partis ad constitutionem compositi, & ex quo compositum constare dicitur. Non valet, quia illud censetur esse principium in facto esse compositi, quod illud intrinsecè constituit, & essentialiter, siue id fit per modum partis, siue alio modo, ergo admittendo, aliquid intrinsecè constituere compositum vltra materiam, & formam, necessariò admittitur tertium principium, cuius peculiaris modus principiandi in facto esse erit per modum nexus, & vinculi.

147 In oppositum objicit 1. Auersa qu. 19. sect. 7. De ratione compositi, & de essentiali conceptu eius est ipsa compositio, nec potest dici se habere tantum vt conditio, & velut extrinsecè, ergo, & ipsa vnio; quia hic de vnione est sermo, vt se tenet ex parte compositi, in quo sensu idem est quod compositio. Confirmat id Hurt. disputat. 6. §. 29. Compositum, & vnitum sunt formaliter idem, sed vnio est de essentia vniti, ergo & de essentia compositi, Demum ait Hurtad. si vnio non est de essentia compositi, ergo est extra eius essentiam, demus ergo existere illam essentiam sine vnione certè illa essentia erit simplex.

Resp. ad 1. ex Bassolio 2. d. 12. q. 3. art. 3. §. *Contra solutionem alterius, &c.* tam compositum, quàm compositionem posse dupliciter spectari, vno modo formaliter, compositum nempè prout illi denominationi relatiuæ subiacet, secundum quam intrinsecè partes respicit, & compositionem pro illo respectu vnionis partium ad inuicem; alio modo materialiter, compositum nempè pro illa tertia entitate absoluta ex partibus constituta, & compositionem pro ipsis partibus componentibus; vniformiter sumendo compositum, & compositionem semper compositio est de ratione compositi, & essentiali eius conceptu, compositio nempè formaliter sumpta de ratione compositi formaliter sumpti, sicut relatio de ratione relatiui, & materialiter sumpta de ratione compositi materialiter sumpti, quia partes intrinsecè includuntur in illa tertia entitate: At difformiter sumendo vtrunque compositionem nempè formaliter, & compositum materialiter, compositio in hoc sensu non est de ratione compositi, quia respectus non est de ratione absoluti.

Ad Confir. Resp. ex eodem Bassolio cit. negando maiorem, quòd idem sit formaliter esse vnitum, & vnum, seu compositum quod dicitur vnum, quia esse vnitum, est effectus formalis vnionis receptus in partibus, & illas afficiens, partes enim sunt, quæ denominantur vnitæ, esse autem vnum est effectus formalis vnitatis receptus in composito, illudque afficiens, compositum namque est illud, quod dicitur vnum, vnde sicut vnio, & vnitas non sunt idem, quia vnio est distinctorum, licet indiuisorum, vnitas autem est alicuius in se indistincti, & indiuisi, ita non sunt idem compositum, & vnitum, quia compositum non dicitur vnitum, sed vnum. Ad aliud dicitur, quod quamuis vnio non sit de essentia compositi, est tamen conditio necessariò simpliciter requisita, tam ad constitutionem compositi; quàm ad eius conseruationem, quod sufficit, ne vnquam dari possit compositum, imò nec concipi diuisiuè sine vnione partium.

148 Secundò objicit Hurtad. compositum non potest concipi sine vnione magis quam album sine albedine, vel animatum sine anima, ergo sicut albedo est de essentia huius compositi, quod est album, & anima animati, ita vnio est de essentia compositi, Antecedens patet, quia sicut album est formalis effectus albedinis, & animatum animi, ita compositum est formalis effectus vnionis, quia est formalis effectus compositionis; quæ est ipsa vnio. Confir. ex Amico tract. 11. quæst. 10. dub. 2. art. 3. quia omne concretum intrinsecè continet formam sui constitutiuam, vt album continet albedinem, sed compositum est concretum à forma compositionis, quæ est formaliter ipsa vnio, ergo intrinsecè continet compositionem idest vnionem. Denique materia, & forma sunt de essentia compositi, & quidem vt vnita, non vt separata, quia separata destruunt compositum, non constituunt, ergo vnio est de essentia compositi, Probatur consequentia, quia partes vnitæ, & vnio partium non differunt, nisi sicut concretum, & abstractum.

Respond. paritatem assumptam ab Hurtad. & Amico probare, vnionem esse de essentia compositi etiam veluti partem, sicut albedo est de essentia compositi albi, veluti pars, & anima animati; decipiuntur igitur Auctores isti, dum putant, compositionem passiuam, à qua totum denominatur compositum, esse idem, quòd vnio, hoc enim falsum est, quia vnio est in partibus, non in toto. & illas denominat vnitas, non totum, compositio verò passiua est in toto, & est dependentia ipsius correspondens compositioni actiuæ partium, quæ est earum causalitas, per quam denominantur formaliter componentes, per quod patet ad rationem Hurtad. & primam Confir. Amici. Sed dices, ergo saltim compositio passiua erit de essentia compositi. Resp. concedendo sequelam de composito formaliter sumpto, vt scilicet substat illi denominationi relatiuæ compositionis, non autem de composito materialiter sumpto. Rursus vrgebis, compositum pro tertia entitate non potest concipi quidditatiuè sine vnione partium, ergo vnio est de essentia eius. Respond. concedendo antecedens diuisiuè, negando præcisiuè, hoc enim modo potest quidditatiuè totum concipi, non considerato illo respectu inter partes, sed considerata sola inclusione partium in toto materialiter. Vel dicatur, quod sicut ad essentiam totius præsupponuntur partes vnitæ, & consequenter vnio partium, non est autem formaliter illa vnio, ita conceptus vnionis partium semper præintelligitur conceptui totius, non quòd illum formaliter ingrediatur, sed quia ad illum necessariò præsupponitur.

Ad vltimam Confir. resp. materiam, & formam, vt vnita, esse de essentia compositi, si particula, *vt*, sumatur specificatiuè, non reduplicatiuè, & tunc consequentia non valet, sicut neque valet, voluntas non fertur in obiectum, nisi vt cognitum, ergo cognitio est de essentia amoris, quia ly vt sumitur specificatiuè, & cognitio non est ratio amandi, sed tantum conditio sine qua non, & aliæ instantiæ passim afferri possunt de omnibus conditionibus, v.gr. causæ extrinsecæ non causant, nisi vt approximatæ, ergo approximatio est de ossentia effectus producti, vel illarum, vt producentium, non valet.

149 Tertiò, Ex Amico tract. 14. quæst. 10. vnio, vt se tenet ex parte compositi, est terminus Quo, seu formalis causalitatis materiæ, ergo includitur in essentia compositi, quia terminus Quod, seu totalis, includit essentialiter terminum Quo. Nec respondere iuuat, terminum formalem esse formam: tum quia quandoque forma non attingitur per generationem, vt patet in homine: tum quia si attingitur, non attingitur secundùm se, sed vt vnita, atque ideò semper in termino formali includitur vnio. Confir. quia non potest esse conditio sine qua non, nam conditio non concurrit ad effectum, sed requiritur, vt aliud principium concurrat ad effectum, at verò vnio ipsa immediatè concurrit ad constitutionem essentiæ compositi, materia verò, & forma non concurrunt, nisi mediatè, quatenus scilicet concurrunt ad hanc vnionem. Demum essentia vna per se distinguitur ab essentia vna per accidens, & non distinguitur ratione partium, quia licèt aliquando partes sint diuersæ, vt patet, quando in natura vna per se forma est substantialis, & in vna per accidens, & est accidentalis, tamen aliquando partes nullo modo distinguuntur, vt v.gr. cum corpus humanum, & anima rationalis sunt sicu vnita sine informatione, tunc ex illis fit vnum per accidens secundum locum & situm, at verò posita inter illa vnione informationis, fit vna essentia per se, & tamen inter illas naturas omnis distinctio est per vnionem, ergo vnio ingreditur essentiam, quia principium distinctiuum est etiam constitutiuum.

Respon. ad 1. negand. assumptum, quia, vt notat Bassolius citat. art. 4. vnio non est per se terminus generationis, nec Quod nec Quo, sed terminus formalis: & Quo, est ipsa forma; & dum dicitur, non esse formam, nisi vt vnitam, id verum est specificatiuè, non reduplicatiuè, quasi ipsa vnio formaliter in termino formali includi debeat; homo autem dicitur hominem generare, vel quia attingit per actionem substantialem formam mixti, ad quam necessariò sequitur infusio animæ à Deo, vt sæpiùs dictum est, vel quia attingit vnionem animæ ad corpus, non quidem vt terminum formalem generationis, sed vt conditionem simpliciter necessariam ad hominis constitutionem.

Ad 2. neg. assumptum cum sua probat. nam materia, & forma sunt quæ causant, & constituunt totum immediatè, & vnio non est illis ratio causandi, vel causalitas ipsa, sed applicatio causalitatis earum, sicut approximatio est applicatio causalitatis causis extrinsecis, vt docet Scot. 3. d. 2. quæst. 2. F. Ad 3. dicimus, constitutum ex ani-

anima, & corpore substantialiter vnitis essentialiter distingui à coniuncto per accidens, ex eis tantum localiter vnitis per suam tertiam entitatem, quæ ex illis resultat, quam non importat illud constitutum per accidens, & ideò falsum est, illas naturas essentialiter inter se distingui per vnionem.

Quartò tandem arguit Arriag.cit, quia totum, vt totum constituitur per vnionem, & qualis est vnio, tale denominatur totum, si est vnio per se fit totum per se, & substantiale, si est vnio per accidens, fit totum accidentale, etiamsi partes sint substantiæ, vt constat de aceruo lapidum; Rursus disp. 5. nu.1. probat non esse solam conditionem argumento, quo sæpius vnitur contra Connotantes, quia sola ablata vnione inter animam, & corpus omnibus licet alijs per possibile, vel impossibile manentibus, non manet homo, ergo sine vnione non manet tota essentia hominis, ergo vnio est aliquid de eius essentia.

Resp. vt supra totum, vt totum, non constitui formaliter per vnionem, sed tantum præsuppositiuè, quatenus constituitur ex partibus vnitis per ipsam vnionem, vnde vnio officit formaliter partes ipsas, non totum, quod dicitur vnum, non vnitum; & in eodem sensu dicitur vnio denominare totum per se, vel per accidens, qualis ipsa fuerit, quia ad constituendum totum per se præexigitur vnio per se partium eius; Ad aliud notauit Auerroes 8.Met.Com.5. illum arguendi modum, nisi benè intelligatur, fallaciam inducere, omnes enim proprietates, & necessariæ conditiones hoc habent, vt eis sublatis rerum substantia depereat; illud igitur quo sublato res per se primò formaliter, & immediatè tollitur, est vtique de substantia rei, & in hoc sensu valet ille arguendi modus; non autem illud, quo sublato tollitur mediatè, & consequenter, sic enim probari potest vbicationem esse de essentia rei, cum sine vbicatione esse non possit, animam esse temperiem primarum qualitatum, & sic de alijs.

QVÆSTIO XIII.

An compositum consistat in partibus vnitis, vel potius sit quid realiter diuersum ab ipsis.

150 VErtitur quæstio, non de toto logico, quale ponitur vniuersale respectu inferiorum, neque de toto metaphysico, vt est natura specifica, ex realitatibus generis, & differentiæ constituta, sed de composito physico, tam per se, quam per accidens, tam essentiali, quod constat ex materia, & forma, quàm integrali, quod constat ex partibus integrantibus, siue intensionis, siue extensionis, siue homogeneis, siue etherogeneis. Et dubium non est de partibus diuisim, & seorsim sumptis; sic enim concedunt omnes, compositum quodlibet à singulis partibus per se sumptis realiter distingui, quia compositum præter hanc partem includit etiam aliam ab ista realiter distinctam, vt totum essentiale, præter materiam, includit formam, totum integrale, præter hunc palmum, includit alium palmum, totum per aggregationem, vt aceruus lapidum, præter hunc lapidem, includit etiam alium realiter distinctum, atque ita compositum quodlibet ratione vnius partis distinguitur ab alia parte singillatim accepta, quam distinctionem vocant inadæquatam, imò neque dubium est de partibus simul sumptis, nam in hoc sensu etiam concedunt omnes; compositum quodlibet aliquo modo realiter ab omnibus partibus suis collectiuè sumptis realiter distingui, quia quodlibet totum dicit aliquid ex natura rei ab omnibus partibus distinctum, nam si est totum essentiale, dicit modum vnionis substantialis, qui est aliquid eis superadditum, vt patet ex præcedentibus; vnde quia præter entitatem omnium partium, includit quoque earum vnionem re ipsa à partibus distinctam, ratione huius vnionis distinguitur partibus omnibus sine vnione consideratis, si est totum integrale, dicit modum vnionis, quo partes continuantur: si est totum per accidens, præter entitatem omnium partium, includit quoque vnionem earum accidentalem; si est totum per aggregationem, vt cumulus lapidum, præter omnes lapides, addit coexistentiam, & tactum mutuum inter lapides, vnde singula tota distinguuntur à partibus suis collectiuè sumptis ratione qualiscunque vnionis, quam addunt super illas iuxta naturam, & coaditionem compositionis.

Quæstio igitur est de partibus omnibus sub vnione consideratis, num scilicet totum consistat in ipsis partibus sic vnitis an potiùs dicat tertiam entitatem à partibus vnitis, & sub vnione consideratis realiter diuersam. Et quidem, vt à toto essentiali incipiamus, prima sententia est, in composito nullam aliam dari tertiam entitatem distinctam à materia, & forma vnitis, sed compositum non esse prorsus aliud, quàm ipsas suas partes vnitas, ita ex Græcis senserunt Themist. Philop. Simplic. & Alex. & ex Latinis Aurel. Durand. Gregor. Ægid. Thomistæ passim, & sequuntur Recentiores ferè omnes. Suar. in Met. disput. 36. sect. 3. Ruuius 1. Phys. c. 3. quæst. 1. Amicus tractat. 11. quæst. vlt. dub. 4. & tract. 14. quæst. 4. dub. 3. Auersa q. 19. sect. 8. Arriag. disp. 5. sect. 1. Hurtad. in Phys. disp. 6. sect. 1. qui vltimi prætetea addiderunt, totum non solum re, sed nec etiam ratione à partibus secerni, omnes siquidem rationes, quæ probant, non distingui realiter, æquè benè probant, nec distingui ratione, quare volunt, solùm vocibus, & grammatico discrimine, non philosophico, idest penes diuersum modum concipiendi eandem rem, & totum, & partes vnitas distingui, quatenus eandem prorsus entitatem concipimus implicitè sub nomine totius, explicitè sub nomine partium vnitarum.

151 Secunda sententia huic opposita realiter distinguit totum à suis partibus vnitis, velut effectum à suis concausis, vnde dicunt, ex materia, & forma vnitis resultare tertiam entitatem totalem, illas partiales intrinsecè, & essentialiter includentem, ita Scot. 8. Met. quæst. 4. & in 3. dist. 2. quæst. 2, quem sequuntur Scotistæ omnes Mayron. in 3. dist. 1. quæst. 10. Parilienses 1. Phys. quæst. 4. Zerb. 7. Metaph. quest. 19. Bassolius 2. dist. 12. q. 2. Licher. in 3. dist. 2. quæst. 2. Anton. And. 7. Met quæst. 18. Sghemma 1. Physic. digress. 3. quæst. 4. Imò hanc sequuntur grauiores Thomistæ Heruæus quol. 2. quæst. 15. Capreol. in 3. dist. 2. quæst. 1. Caietan. 3. par. quæst. 6. art. 5. Ferr. 4. contra gentes cap. 81. & dicitur fuisse sententia Auicennæ 3. Met. cap. 4. Verùm inter Scotistas est aliqua varietas in modo dicendi, quidam enim volunt, hanc distinctionem realem non esse mutuam, affirmant enim partes vnitas distingui realiter à toto, sed non è contra, ita significauit Tromb. tract. form. art. 4. §. vltimo, Aretinus 3. sent. d. 2. art. 2. quæst. 2. & alij; Canonicus autem 1. Phys. quæst. 5. art. 2. & si concedat, distinctionem realem esse mutuam inter partes, & totum, id tamen negat de distinctione essentiali, quia partes sunt de essentia totius, atque ideò quidditatiuè, & essentialiter identificantur cum ipso. Alij tandem concedunt, vtranque distinctionem inter totum, & partes esse mutuam, quia ex diuersitate reali necessariò diuersitas essentialis sequitur, quia omnis res singularis suam habet propriam essentiam, si ergo totum, & partes vnitæ sunt distinctæ res diuersas etiam habebunt essentias, atque ideò erunt nedum realiter, verùm etiam essentialiter diuersa mutuò.

Tertia sententia est P. Fabri Theor. 21. cap. 3. vbi vt relatas oppositas sententias conciliaret, & pondus rationum vtriusque euaderet, dixit, partes vnitas compositi substantialis posse in duplici statu considerari, nimirum vel in illo omninò primo signo naturæ, quando vniuntur, antequam per generationem transeant in tertiam entitatem compositi, vel post huiusmodi transitum; totum distinguitur realiter, & essentialiter à partibus vnitis in primo statu, idest in illo priori ante transitum, tunc enim partes propriam seruant naturam, nec adhuc in naturam totius sunt conuersæ, at in secundo statu, scilicet post transitum, non amplius distinguitur ab eis, dicere enim totum distingui à partibus sic transactis, est, ac si diceretur, totum distingui realiter à se ipso. Et Amicus loc. cit. hunc dicendi modum P. Fabri refert, vt communem Scotistarum, cum tamen nullus Scotista ante Fabrum id dixerit, nec post Fabrum, Scotistam vidimus, qui typis dederit, tenentem hanc opinionem, nisi quod Raguseus disp. 14. c. 25. in fine obiter hunc partium transitum in totum significauit. Fuentes etiam in hac recedit à Scoto, nam 1. Phys. qu. 6. nu. 18. & 20. & 2. Phys. q. 2. diff. 2. art. 1. ait, totum esse partes vnitas actualiter causantes, & nihil partibus vnitis superaddere, nisi solam causalitatem, cum tamen ad mentem Scoti non causalitas ipsa, sed terminus huius causalitatis sit totum, de quo infra disput. 8. quæst. 9. art. 2. in fine. At peius omnibus loquitur Meurisse lib. 1. suæ Met. cap. 3. p. 4. q. 4. vbi ausus est 10 schola Scotistarum de mente Doctoris negare distinctionem realem totius à partibus contra quem egimus disp. 1. Log. q. 5. art. 2. in explicatione distinctionis realis.

De toto autem integrali sunt etiam diuersa Authorum placita, plures namque Scotistarum idem affirmant de omni toto integrali, quod de essentiali asserebant, nimirum distingui realiter à suis partibus integrantibus simul sumptis, et vnitis, ita Roccus 1. Phys. q. 6. et Regent. Parisiens. 1. Phys. q. 4. Zerb. 7. Met. qu. 19. Alij distinguunt de toto integrali homogeneo, ac etherogeneo, et distinctionem realem concedunt de toto etherogeneo à suis partibus, non de homogeneo, ita Tatar. 1. Phys. q. 2. dub. 2. et sequitur Sghemma cit. ex opposito, negant alij Scotistæ distinctionem realem totius integralis cuiuscunque à suis partibus ita Tromb. cit. et Fuen. art. 6.

De toto per accidens videtur communis omnium sensus, nullam dicere tertiam entitatem à partibus vnitis ex natura rei diuersam, et ita docuerunt Scotistæ omnes citati, vno dumtaxat excepto Fuentes, qui ar. 7. tentauit oppositum probabile demonstrare.

ARTICVLVS I.

Resolutio Quæsiti de toto essentiali.

152 DIcimus 1. totum, et partes vnitas distingui ratione, et plusquam ratione. Conclus. ponitur contra Recentiores illos, qui inter totum, et partes vnitas distinctionem rationis etiam ausi sunt negare, et Prob. Quia distinctio rationis duplex est, ratiocinantis, et ratiocinatæ, hæc fit, cum intellectus, occasione à re desumpta inadæquatè concipiens, format eiusdem rei plures conceptus, illa verò, cum ex sola negotiatione intellectus, nullo existente fundamento à parte rei, plures eiusdem rei conceptus efformantur, ita vt illa dicantur in vniuersum distincta ratione, quæ secundum aliquod esse rationis sunt fundamenta contradictionis, et si hoc esse diuersum rationis sit à re occasionatum, talia dicentur distincta ratione ratiocinata, si non sit occasionatum, sed merè ab intellectu fictum, talia dicentur distincta ratione ratiocinante, sicut contingit inter Petrum subiectum, et Petrum prædicatum; Sed sic est, quod totum, & partes simul vnitæ possunt secundum diuersum esse rationis vtroque modo fundare contradictionem, ergo vtroque modo ratione distinguuntur; Maior patet ex communi conceptu, quem omnes habet de distinctione rationis ratiocinantis, & ratiocinatæ, Prob. minor, & quidem quo ad 1. partem ab omnibus conceditur, etiam ab ipsomet Hurt. & Auers. qui non negant distinctionem rationis inter totum, & partes vnitas, nisi secundi generis, sed libenter admittunt, cum enim nomine totius, vt hominis, explicemus identitatem compositi implicitè, nomine verò partium vnitarum, scilicet animæ, & corporis, & vnionis, eandem entitatem explicitè exprimamus, iam totum, & partes vnitæ fundant aliquam contradictionem, saltim in diuerso modo eadem rem concipiendi fundatam. Quòdetiam possunt fundare contradictionem secundum diuersum esse rationis à re occasionatum, Prob. quia diuerso modo concipiuntur partes vnitæ, ac totum, nam primo modo materia, & forma concipiuntur, vt subiectum, & terminus vnionis, concipiuntur vt plures, vel plura vnita, at verò totum concipitur, vt vnum includens materiam, & formam, & vnionem, & hic diuersus modus concipiendi habet fundamentum in re vt patet, ergo inter totum, & partes non sola distinctio rationis ratiocinantis versabitur, penes tantum diuersum concipiendi modum, sed etiam distinctio rationis ratiocinatæ penes diuersos conceptus obiectiuos.

Ex hoc Prob. altera Concl. pars, quòd scilicet etiam plusquam ratione distinguantur; partes vnitæ, & totam fundant contradictionem sine vllo ordine ad intellectum, aut negotiantem, aut inadæquatè concipientem, ergo nedum apud intellectum, sed etiam à parte rei vnum non est aliud, Consequentia patet ex illa generali regula apud Formalistas in 2. art. quòd contradictio semper concludit distinctionem inter illa, de quibus verificatur, eo modo, quo verificatur; si verificatur ex natura rei nullo negotiante intellectu, concludit distinctionem ex natura rei, si verificatur per solum opus intellectus, concludit solam distinctionem rationis; Probatur assumptum, nam sine vllo ordine ad intellectum partes vnitæ constituunt, & causant totum, non tantum distributiuè, sed etiam collectiuè sumptæ, vt mox dicemus, totum verò constituitur, & causatur; illa sunt principia, hoc autem principiatum, à parte rei materia, & forma sunt plura, subiectant, & terminant vnionem, compositum est vnum, & non plura, nec subiectat, & terminat vnionem, sed includit vnionem, materiam, & formam.

153 Respond. Amicus loc. citat. art. 3. conclus. 5. distinctionem à parte rei inter res debere desumi ex diuersitate perfectionum, quæ includuntur in his, quæ distingui dicuntur à parte rei, qualis diuersitas non est inter totum, & partes vnitas, quia eandem perfectionem, quam dicit compositum, vt habet rationem vnius, dicunt partes, vt sunt vnitæ, vnde diuersitas illa prædicatorum supponit tantum obiectum diuerso modo concepcum. Sed contrà, Tum quia falsum est, distinctionem ex natura rei semper desumi debere ex diuersitate perfectionum inclusarum in rebus distinctis, licèt enim id valeat in his, quæ sunt disparata, nec vnum spectat ad integritatem alterius, non tamen verificatur in his, quæ distinguuntur, vt includens, & iuclusum vt continens, & contentum, vnde includens potest ex natura rei distingui à rebus inclusis per hoc solùm, quòd ex natura rei eas includat, & non includatur ab illis absque quòd aliam rem contineat præter illa. Tum quia falsum est, totum non importare aliquam perfectionem, quæ dici solet forma totius, quam non dicunt partes vnitæ, licèt dici nequeat, quòd eam includat, cum illa totalis perfectio sit entitas includens, non inclusa. Tum tandem, quia falsum est, etiam partes vnitas includere vnionem à parte rei, totum enim est, quod illam iucludit cum partibus, partes verò illam subiectant, & terminant, non autem includunt, & cum hæc vera sint à parte rei, falsum tandem est, hanc diuersitatem prædicatorum pendere ex diuerso modo concipiendi idem obiectum, & non potius ex diuersitate ipsorum obiectorum.

Resp. alij, concedendo totum includere partes vnitas, & non è contra, hinc tamen negant rectè deduci distinctionem ex natura rei inter includens, & inclusum quia homo, & humanitas, non nisi ratione distinguuntur, & ex diuerso modo concipiendi, quo modo vniuersaliter differunt concretum, & abstractum, & tamen homo dicitur habere, dicitur includere humanitatem, non è contra, & multa verificantur de humanitate in concreto, quæ non verificantur de ipsa in abstracto. Sed adest manifesta disparitas, quia cum in abstractis à materia singulari idem sit, quodquid est cum eo, cuius est 7. Met. c. 4. homo, & humanitas sunt omninò idem ex natura rei, & cum dicimus, hominem includere humanitatem, non è contra, hæc prædicatorum diuersitas pendet præcisè ex diuerso modo concipiendi idem omninò obiectum; at in proposito cum dicimus, totum includere partes vnitas, includere vnionem, &c. partes verò non includere vnionem, sed eam terminare, & subiectare, partes vnitas verè totum constituere, & causare, non autem ipsas causare, & hæc prædicatorum diuersitas omninò à parte rei originem ducit, quia ita est à parte rei, & non quia sic nos cogitamus.

154 Dicimus 2. Totum essentiale, & partes simul vnitæ realiter distinguuntur, vt res à re. Concl. est Scoti, & Scotist. loc. cit. & Prob. ex eodem 1. omnis entitas realis realiter causata ab aliquibus, est ab eis realiter distincta, quia causa est, ad cuius esse sequitur aliud, vel quæ influit in aliud, per quam particulam significatur, effectum alietatem in natura importare debere à sua causa, ita enim explicant omnes conceptum causę in communi, vt distinguitur à principio, vt patet ex dictis qu. 2. huius disp. sed entitas compositi substantialis est realiter causata à materia, & forma, sicut à causis intrinsecis, vt patet ex 2. Phys. text. 23. & seq. & etiam 5. Met. ergo &c.

Conf. ex regula distinctionis realis, nam ea distinguuntur realiter, quorum vnum, vel est, vel esse potest separatum ab alio, vel proportione correspondent his, quæ possunt separari, vt Scot. docet 2. dist. 2. quæst. 2. A. tanquam nullum aliud sit signum sufficiens, & adæquatum huius distinctionis, nisi separatio in esse, aut actualis, aut potentialis, qualis est inter accidens, & substantiam, aut proportionalis, qualis cadere nata est inter ea, quæ nec sunt separata, nec separabilia, tamen ex rationibus suis, muneribus, aut actionibus correspondent ijs, quæ verè separabilia sunt, vtputà, si se habent veluti producens, & productum, causa, & causatum, aut vnum ad aliud dependentiam habet, aut sunt in diuersis subiectis realiter distinctis, in quibus non habent sufficientem causam identitatis; & è contra illa erunt eadem realiter, quæ nec separata sunt, nec possunt separari, nec proportione correspondent his, quæ sunt separabilia, tanquam signum sufficiens, & adæquatum identitatis realis sit sola inseparabilitas aliquorum, tam actualis, quàm potentialis, & proportionalis, quali inseparabilitate gaudent ea solùm quorum vnum non est sine alio, nec esse potest, nec se habent vt producens, & productum, causa, & causatum, nec vnum ab altero dependet, nec sunt in diuersis subiectis, quia hæc inferunt separationem proportionalem, idest talia inferunt contradictoria in his, quæ ita se habent, vt scilicet producens, & productum, causa, & causatum, &c. qualia nata sunt verificari de his, quæ sunt separata, vel separari possunt seruata proportione; ita docent Formalistæ tract. Form. art. 4. cùm ergo compositum substantiale, & partes eius vnitæ, proportione correspondeant his, quæ separabilia sunt, quia habent inter se habitudinem causæ, & causati, & totum dependet essentialiter à partibus, consequenter distinctio realis inter ea debet intercedere.

155 Respondent, maiorem esse veram in causis extrinsecis, quæ producunt effectum extra quem manent, non autem in intrinsecis, quæ ex modo causandi, quem habent, remanent in effectu, quem constituunt, & causant. Sed optimè impugnatur hæc responsio à Bassolio citat. Tum quia illa maior fundatur in definitione causæ in communi ad intrinsecas, & extrinsecas, quatenus causa est, quæ influit esse in aliud, idest in effectum, qui sit alius in natura à causa. Tum quia habitudo inter causam, & effectum est vera relatio, & realis, quæ exigit esse inter extrema realia, & realiter distincta ex Scot. 1. dist. 31. §. *Ad quæstionem &c.* & quol. 6. Ll. Tum quia effectus quicunque, & cuiuscunque causæ, est posterior natura sua causa, & per se dependens ab ea, idem autem nequit esse posterius natura se ipso, in quocunque genere causæ. Tum tandem quia nihil potest causare se ipsum in nullo genere causæ, quia causa supponitur præexistens ad causatum, sed nihil præsupponitur sibi ipsi, antequam ponatur in esse, & hæc valet de quocunque genere causæ, quia sunt conditiones necessariæ causis cuiuscunque generis de quo fusè disp. 8. quæst. 2. art. 1. aut ergo negandum est, materiam, & formam verè esse causas intrinsecas compositi, vt vnitas, vel concedenda est distinctio realis inter ipsa. Hinc Hurt. cit. §. 13. & 15. quem sequitur Arriag. vi argumenti pressus, negauit causas intrinsecas causare propriè effectum suum, cùm potius illum constituant, ei se intrinsecè communicando. Sed hoc quàm malè sit dictum in Philosophia, de se patet, quia inter quatuor causarum genera enumerantur etiam materia, & forma respectu compositi cum omni proprietate, et compositum non minùs dependet cum omni proprietate à causis intrinsecis, quàm ab extrinsecis.

Resp. proinde frequentiùs alij, concedendo, partes vnitas verè esse causas compositi, et quatenus vnitas, non quatenus per se sumptas, sed partes vnitas, et sub vnione conceptas, inquiunt, dupliciter accipi posse, vel ambas vnitas collectiuè, vel ambas vnitas distributiuè; in primo sensu inuoluitur cum partibus ipsa partium collectio, in secundo sensu vna singillatim accipitur, vt alteri vnita. Itaque compositum causatur à partibus vnitis non in primo sensu, quasi ipsa partium collectio aliud quidpiam causet, nempè aliam tertiam entitatem, sed in secundo sensu, quatenus quælibet secundum se causat, non nisi tamen vt est vnita alteri, materia nempè vt informata, et forma vt vnita materiæ, et ipsamet collectio est, quæ causatur, et componitur; ita Ruuius, et Auersa loc. cit. Quam respons. explicat Hurt. exemplo acerui, quem nullus distinguit ab omnibus partibus, omnes enim lapides aceruati non sunt causa acerui, sed aceruus ipse, omnes autem lapides simul adunati, sed singillatim sumpti, vnus in ordine ad alium componunt aceruum, nam collectim sumpti sunt aceruus ipse.

156 Hanc respons. diligenter reuolimus quia plures eam reijcere solent, eò quia cum iaquiunt Aduersarij partes causare totum diuisim sumptas, non copulatim, putant, ipsos velle, totum causari à partibus disiunctis, vnde postea vrgent, totum non causari, nisi à partibus vnitis, et cum Aduersarij dicunt, causari à partibus vnitis diuisim sumptis, putant, hanc esse implicantiam. Sed re vera isti non intelligunt allatam responsionem, concedunt enim Aduersarij, totum non causari, nisi à partibus vnitis, et sub vnione conceptis, sed non sub collectione vtriusque, benè enim adhuc vnitæ capi possunt diuisim, vna

vna scilicet in ordine ad aliam absque vlla implicantia, & hoc manifestè ostendit exemplum acerui ab Hurtad. allatum, lapides enim constituunt aceruum, non loco dissiti, sed adunati, non tamen omnes collectim sumpti, quia sic sunt aceruus, sed singuli diuisim, hoc est, distributiuè accepti, vnus nimirum vt alteri coexistens. Quæ respons. sub terminis Logicis ab aliis tradi solet, idem materiam, & formam simul quidem vnitas causare totum, sed acceptas non copulatim, sed diuisim, vel copulatiuè, nam materia vt vnita formæ, causat compositum, & similiter forma vt vnita materiæ, non tamen materia, & forma vnitæ copulatim causant, sed causantur; nam ly totum, vt componitur ex suis partibus, dicit partes copulatim, & causatur à partibus vnitis, & diuisim.

Ex alio igitur c. respons. hæc refelli debet hoc modo; materia, & forma non sunt integra causa compositi substantialis, nisi vt vnitæ, & collectiuè, seu copulatim sumptæ, ergo non est collectio, quę causatur, aut partes sub collectione, sed alia tertia entitas, quæ partes includat cum collectione. Probatur assumptum, nam partes vnitæ, sed singillatim sumptæ, non sunt causæ compositi, nisi partiales, & collectiuè sumptæ integrant vnam causam totalem, ergo compositum, cum sit effectus causatus ab eis collectiuè sumptis, erit quid realiter distinctum ab ipsis etiam collectiuè sumptis.

Hurt fateur impugnationem hanc esse difficilem, & pro solutione multa dicit §. 14. & sequentibus, sed duo præsertim dicit, vnum est, materiam, & formam non esse propriè causas compositi, sed illud constituere intrinsecè se illi communicando, quod non est propriè causare; quia per hoc non influunt esse in aliud. Alterum, quod asserit, est materiam, & formam vnitas, & si sumptæ singillatim sint causæ partiales compositi, tamen collectiuè sumptas, non constituere causam totalem, quia causa totalis, & adæquata dicit ordinem ad effectum distinctum, sed vna pars alteri vnita non conficit causam totalem in ordine ad alium effectum, sed constituit ipsum totum.

Sed primum dictum Hurt. impugnatum est suprà, cum enim effectus, non minus essentialiter dependeat à causis intrinsecis, quàm ab extrinsecis, planè negari nequit, causas extrinsecas habere veram rationem causæ, alterum verò dictum impugnatur modò; causa partialis, vt partialis, respicit totalem, & causa inadæquata, adæquatam, sed forma vnita materiæ est causa partialis, & inadæquata compositi, materia item vnita formæ, est causa partialis, & inadæquata compositi, ergo simul, & collectiuè sumptæ integrant vnam causam totalem, & adæquatam.

Resp. Hurt. causam partialem respicere totalem in causis extrinsecis, sed in intrinsecis causa partialis non respicit aliam totalem, sed aliam compartialem, quæ collectiuè sumptæ non integrant vnam causam totalem, sed totum ipsum constituunt, non propriè causando, sed intrinsecè illi se communicando.

Sed hic Auctor, vt obstinatè suam defendat opinionem, omnia negat principia philosophica; planè negari non potest, quòd quando duæ causæ concurrunt ad aliquem effectum, quarum vna sine altera non sufficit, dicuntur causæ partiales, & inadæquatæ, & simul iunctæ, vnam integrant causam totalem, cùm igitur materia, & forma ita se habeant in ordine ad compositum, & per se sumptæ erunt causæ partiales, & collectiuè totales. Negat Hurt. materiam, & formam esse propriè causas compositi, & ideò etiam negat, quod collectim sumptæ integrant vnam causam totalem, & adæquatam. At ecce quòd negat aliud principium philosophicum, materiam nimirum, & formam esse propriè causas, & ideò dimittatur, quia sicut nil difficiliùs probatur, quam prima principia; ita difficillimè disputatur contra negantes ea.

157 Secundò principaliter arguitur ex Scoto; compositum substantiale per se primò terminat generationem, & corruptionem. 1. Phys. 64. & 67. & 7. Met. 27. per se primò. & adæquatè conueniunt ei passiones, & operationes proprię speciei, & per se directè ponitur in genere, ergo est aliqua substantia præter materiam, & formam simul sumptas. Probatur consequentia, quia nec materia, nec forma per se sumpta sunt adæquatus terminus generationis, vel corruptionis; nec eis per se sumptis per se conueniunt passiones, & operationes speciei, nec demum vt sic ponuntur in prædicamento directè. Neque hæc attributa eis competere possunt vt vnita simul, quia hæc vnio, licèt extrinsecè sit substantialis, intrinsecè tamen est accidens, vt superiùs probatum est.

Respondent, hæc omnia competere partibus vt vnitis, vnde generatur, & corrumpitur totum compositum secundum coniunctionem, & dissolutionem partium, ita Arist. 7. Met. 27. explicauit, totum fieri, per hoc, quòd fiat forma in materia, siue per hoc, quòd fit copulatio formæ cum materia, & D. Dion. c. 4. de cœlesti hyerarchia mortem in nobis, ait, non esse substantiæ consumptionem, sed vnitorum separationem. Item operationes, & passiones licèt immediatè conueniant vni tantùm parti, tamen denominant ipsum totum, eique tribuuntur, ad quod satis est, quòd ei conueniant ratione alicuius partis, & ita dicimus, homo videt, licèt tantum secundùm oculos videat, sic homo intelligit, licèt tantùm secundùm animam intelligat. Denique ponuntur in prædicamento partes ratione vnionis, quia cum illud coniunctum sit ex per se actu, & per se potentia, optimè reponitur in genere, ita soluit Auerra cum alijs.

Sed solutiones allatæ refelluntur à Bassolio loc. c. §. *Contra istas solutiones, &c.* Tum quia hæc vnio partium non est nisi respectus, sed per respectum nihil per se constituitur in genere absoluto, nec per se generatur, nec per se corrumpitur, nec per se habet propriam passionem conuenientem alicui absoluto. Tum quia per generationem substantialem vtique accipit aliquid esse simpliciter, etiam si vtraque pars præexisteret, & hoc sola vnio esse non potest, vt etiam Aduersarij ipsi fatentur, Hurtad. §. 17. & Auers. citat. in fine sect. nam hæc ad summum esset terminus formalis, & Quo, si cum eis poneretur modus quidam substantialis; nec dici potest, terminum totalem, & adęquatum esse ipsum vnitum, et compositum in sensu Aduersariorum, quia per talem vnionem partes non fiunt simpliciter, sed fiunt vnitæ, vt fatetur Hurtad. ergo præter vnionem, et partes vnitas debent aliquid aliud admittere, quod simpliciter fiat, vt Quod, et Aristot. 7. Met. 27. dum ait, formam non fieri, sed copulationem per copulationem, quam alia versio ponit sub nomine *Synodi*, expositores communiter intelligunt compositum, et præsertim Scot. ibi per *Synodum* explicat compositum, nam re vera Vnio etiam secundum Aduersarios non fit, vt Quod. Tum deindè sic etiam in corruptione aliqua substantia deperire debet, vt Quod, et hoc esse nequit, nec forma, quæ aliquando superstes manet, vt anima rationalis, nec vnio, quia sicut non est Quod in generatione, ita neque in corruptione; et quando D. Dion. dicit, mortem in nobis non esse alicuius substantiæ consumptionem, sed vnitorum separationem, loquitur contra quosdam, qnia in hominis morte putabant, animam desinere, sicut euenit in corruptione aliorum compositorum, atque ita loquitur de desitione alicuius substantiæ partialis, non totalis, ita notauit Bassol. cit. §. *Contra aliam solutionem, &c.* vbi et aliam congruam affert explicationem huius auctoritatis, et similium.

158 Deinde dum ait Auersa, operationes et passiones conuenire toti ratione partium, videre nimirum homini secundum oculos, intelligere secundum animam, ostendit, se argumentum Scoti non percipere, quia non loquitur Doctor de passionibus, et operationibus, quæ mediatè competunt toti ratione partium, sed quæ formaliter immediatè, et per se primò consequuntur speciem, vt ridere, et posse ridere in homine, ita notauit Lichet. 3. dist. 2. qu. 2. et ita Doctor expresè loquitur, hæ autem passiones, et operationes vtique habere debent vnicum immediatum subiectum, et adæquatum, et hoc esse non potest solùm corpus organicum, quia sine anima non ridet, nec esse potest sola anima, quia hæc separata non ridet, nec esse possunt ista duo simul vnita, quasi ambo sint subiecta inadæquata risibilitatis, et risus, quia per vnionem corpus, et anima remanent vtique indiuisa, non tamen indistincta; repugnat autem, eandem simplicem entitatem, et idem numero accidens, esse in duobus subiectis realiter distinctis, etiam si partialibus, et inadæquatis, vt ipsemet Auersa concedit quæst. 19. sect. 6. conclus. 2. de vnione loquens, quam proinde cùm asserat esse vnicam inter partes; non ponit in vtraque simul, sed in vna tantùm.

Denique, nec etiam benè dicitur, partes ratione vnionis directè in prædicamento reponi, quatenus coniunctum ex eis est ex per se actu, et per se potentia. Tum quia adhuc sub tali vnione materia, et forma manent distincta entia partialia, ergo vt sic nequeunt directè in prædicamento reponi. Tum quia vnio illa entitatiuè est accidens, et ideò ratione ipsius nequeunt materia, et forma in prædicamento substantiæ reponi; Tum tandem quia etiam si concedatur esse modus substantialis, adhuc ratione ipsius materia, et forma non benè in prædicamento ponuntur, quia potiùs modus ponitur in prędicamento ratione rei, cuius est modus, quam è contra.

159 Tertiò principaliter arguit Canonicus; Omnis per se vnitas habet aliquam per se entitatem propriam, tanquam proprium fundamentum, et subiectum diuersum à quibuscunque alijs; sed vnitas compositi per se vnius est vnitas per se vna, ergo habet aliquam propriam entitatem pro fundamento, sed illud fundamentum non possunt esse entitates partium, etiam vnitarum, quia propria vnitas requirit vnam entitatem, partes autem etiam sub vnione non sunt vna entitas, sed plures, et vt sic fundant vnionem, non vnitatem, ergo etc. Maior patet, omnis enim propria passio requirit proprium subiectum, tanquam proprium fundamentum, et ipsa multiplicata, multiplicat subiectum, cuius est passio. Confir. ex Scoto loc. cit. quia si compositum substantiale non esset nisi coniunctum ex materia, et forma, tunc non esset magis vnum, quàm compositum per accidens, quod non est nisi coniunctum ex subiecto, et accidente.

Respondent, quòd vnitas per se compositi respicit entitates partium vnitas per modum per se actus, et per se potentiæ, quæ vt sic sunt vna entitas vnitate per se compositi, et sicut compositum non est ens simplex, sed compositum, ita eius vnitas non est simplex, sed composita; neque vt compositum substantiale fit magis per se vnum, quam alia entia per accidens, requiritur maior distinctio illius suis partibus, sed maior vnitas, et maior proportio suarum partium, in hoc enim posuit Aristot. 8. Met. text. 15. et 2. de Ani. cap. 1. vnitatem per se compositi substantialis, et non illa maiori distinctione à suis partibus, quæ potius impedire videtur hanc maiorem vnitatem, quia eò ipso quòd aliquid est magis vnum, minus addit, quam illud, quod est minus vnum.

Sed impugnatur hæc respons. Tum quia, vt ait Bassolius, sicut alia est vnitas vnionis, alia vnitas identitatis, nam illa arguit duo indiuisa, sed distincta, hæc arguit vnum in se indiuisum, & indistinctum, ita quoq; arguunt diuersa subiecta, atque ideò cùm vnitas vnionis fundetur in partibus, vnitas identitatis in toto, hoc planè erit diuersum à partibus. Tum quia, vt ait idem & si partes compositi substantialis respiciant se inuicem, vt per se actus, & potentia, adhuc tamen per hoc non plus sunt vnum ens, nec minus distincta entia quàm substantia, & accidens, sed per hoc tantum sunt magis vnita, vnde si totum substantiale non diceret nisi partes ad inuicem proportionatas, vt per se actus, & per se potentia, non diceret aliquid absolutum, nisi materiam, & formam, atque ita quicquid de absoluto diceret, hoc totum dicerent partes etiam diuisæ, nam vnitas superaddita est purus respectus, vt supra probatum est. Tum denique (quod maximè notandum est) nunquam Arist. dixit, vbi de compositione substantiali locutus est, materiam, & formam in ratione per se actus, & per se potentiæ, esse per se vnum, sed facere per se vnum, aut per se vnum fieri ex his, vt sensus sit causalis, non formalis, per quod insinuauit, maiorem compositi vnitatem, maiorem etiam distinctionem arguere constituit à partibus constituentibus, cùm fiat per veram causalitatem. Neque hoc additum impedit maiorem vnitatem, vt benè notat Bassol. quia id, quod additur, non est per modum partis, sed modum vnius totius in se intrinsecè includentis partes, quibus additur.

Nec vnitas composita per hoc, quod est composita, & distinguitur à simplici, plura dicit adæquatè, & formaliter per se coniuncta, nam in hoc sensu compositum substantiale diceretur tantùm per se vnum vnitate vnionis, non autem vnitate identitatis; vnitas igitur identitatis composita, vt à simplici distinguitur significat, quod illud, quod dicitur sic per se vnum, plura partialia includit in sua entitate per modum per se actus, & per se potentiæ.

160 Respondent, idem esse à parte rei compositum dici per se vnum, & partes per se vnitas, quia ista diuersitas pendet solum ex diuerso modo concipiendi idem obiectum à parte rei, nam cum dicimus, hominem esse per se vnum, concipimus eius entitatem implicitè, cum verò dicimus, corpus, & animam esse per se vnita, & ex eis fieri per se vnum, concipimus eandem hominis entitatem explicitè, vnde nulla tertia entitas hinc potest inferri, alioquin etiam inferri deberet inter lapides, & aceruum lapidum, nam dicimus, aceruum fieri ex lapidibus, & ex lapidibus constare.

Sed contrà. Tum quia vnitas vnionis, & vnitas identitatis sunt diuersæ realiter vnitates, vt etiam Aduersarij concedunt, ergo non est idem à parte rei dicere compositum esse per se vnum, & partes per se vnitas, quia illud indicat vnitatem identitatis, hoc autem vnitatem vnionis. Tum quia Aristot. semper dixit, ex materia, & forma fieri per se vnum, nunquam dixit, esse per se vnum, signum euidens, hæc non esse idem à parte rei, alioquin saltim semel dixisset, materiam cum forma esse per se vnum. Tum denique exemplum de aceruo veritatem manifestat, quia enim aceruus non est totum à partibus distinctum, neque est verè totum ex his, sed, vt aiunt, cum his, ideò æquè benè dicimus, & lapides vnitos esse aceruum, & aceruum fieri ex lapidibus vnitis, sed quia totum substantiale est verè compositum ex his scilicet ex materia, & forma per veram causalitatem intrinsecam, ideò cum Arist. dicimus, semper compositum fieri ex his, non autem esse hæc duo vnita.

161 Quartò demum adsunt pro hac sententia manifestæ Arist. auctoritates, nam 2. de An. tex. 2. & 7. Met. cap. 3. & lib. 11. c. 3. diuisit substantiam in materiam, formam, & compositum, easque asseruit tres substantias; Nec valet dicere, quod per compositum intelligit materiam, & formam vnitas, vt sensus sit, alia substantia est materia, alia forma, alia materia cum forma, hæc enim esset manifesta nugatio; nã si illud compositũ aliud non est, quàm forma, & materia simul, nõ debet ab ipsis poni substantia condistincta; Item 8. Met. tex. 15. ait, omne, quod plures partes habet, & non est totum quasi coaceruatio, ipsum totum est aliquid aliud præter partes; & 7. Met. tex. vlt. ait, quòd caro non solum est ignis, & aqua, ex quibus componitur, sed etiam aliquid aliud.

Respondent, Arist. locutum fuisse de partibus per se sumptis, cum quibus totum comparat, asserens, aliquid aliud dicere præter illas, quod verum est, cum includat modum vnionis realem, quem non includunt partes, sed non fuisse locutum de partibus, vt vnitis, quia sic non sunt aliud nisi totum. Sed si benè ponderentur loca Arist. adducta, videbimus, mentem eius esse, quod totum supra partes non addit solùm simplicem vnionis modum, sed substantiam quandam tertiam à partibus vnitis realiter distinctam; in primis tribus locis, vbi diuidit substantiam in materiam, formam, & compositum, planè per compositum non intelligit modum vnionis, tum quia vnio non est compositum, vt ipsimet fatentur, tum quia vnio non est substantia, sicut asseritur ibi esse compositum, sed ad summum substantialis modus. In 8. Met. tex. 15. quærens, quomodo ipsum compositum sit vnum ex pluribus entibus, sub tex. 16. exclusit inter alios quendam dicendi modum, qui prorsus coincidit cum modo dicendi Recentiorum, ait enim. *Ob hanc autem dubitationem, quidam participationem aiunt, & causam quandam participationis, quidam copulam animæ, quidam compositionem, aut coniunctionem animæ, cum corpore*, & paucis interiectis, huius rei reddens rationem, ex propria sententia ait, quòd per se actus, & per se potentia vnum nata sunt facere, ergo in hoc loco non intelligit Arist. totum præter partes, dicere solùm coniunctionem illarum, immo nec vult, ratione huius vnionis, quasi sit modus quidam substantialis, fieri per se vnum, vt Recentiores passim loquuntur. Et 7. Met. text. vlt. postquam dixerat, quòd caro non solum est ignis, & aqua, sed aliquid aliud, declarans inferiùs, quod hoc additum sit, inquit, *videbitur autem esse aliquid tale, & non elementum, aut causam, sed hoc carnem esse*, ergo per Aristot. caro super ignem, & aquam non addit vnionem solam, quia hæc non est caro.

Sed instant, quòd Arist. ibidem adducit exemplum de syllaba B A. inquiens, quòd non est idem, quod A. & B. his enim dissolutis remanet B. & A. se non BA. sed quis non videt BA. super hæc elementa non addere, nisi solam eorum coniunctionem? ergo idipsum voluit Arist. de carne, & alio quolibet toto. Resp. neg. conseq. hoc enim adduxit Arist. vt exemplum materiale quoddam, sicut notat Bassol. in exemplis verò non attenditur omnimoda paritas, valet igitur paritas tantùm in hoc de syllaba, & carne, quòd sicut dissolutis A, & B, non amplius remanet BA. ita dissolutis partibus carnis, non amplius caro remanet, atque adeò vtrumque totum supra partes addit coniunctionem earum, sed ex hoc deduci non potest, quia caro aliquid aliud addat, quia præter coniunctionem aliquid aliud addit, vt infra declarat, nec multùm curandum est de exemplis.

162 Dicimus tertio, distinctionem realem, quæ versatur inter totum, & partes vnitas esse positiuam, & mutuam. Conclusio quo ad primam partem est contra Fabrum, qui inter totum, & partes vnitas posuit distinctionem negatiuam tantum vt se explicat in 3. disp. 9. c. 3. in fine, quatenus ponit, totum distingui à partibus vnitis, sed non transactis, in quo signo totum non adhuc extat, nec existere concipitur, sed tantum in posteriori, in quo partes non existunt secundùm proprias entitates, cum in tertiam abierint, ex quo patet, distinctionem partium vnitarum à toto, & totius à partibus esse negatiuam, nimirum inter terminos, quorum vnus est, & alter non est, Probatur autem. Tum quia ex dictis supra partes verè manent in toto, quamdiu existit, cum hic sit proprius modus causandi causarum intrinsecarum, ergo cum simul existant per modum causarum, & effectus, in quo intimè manent, & includuntur, distinctio realis inter ea erit positiua, quia est inter extrema positiua, & existentia. Tum quia transitus partium in totum in posteriori signo explicari nequit, quomodo fiat, & quidem si explicetur cum Fabro, quod fiat per conuersionem seipsarum in totum, quod constituunt, vt ait n. 23. hic transitus erit quædam transubstantiatio, id enim sonat vocabulum conuersionis, quo vtitur Faber ad explicandum hunc transitum; Quòd si hic transitus dicatur fieri per ipsammet generationem compositi, cum generatio sit mutatio exigens subiectum sub vtroque termino, iam materia in tali transitu manebit, & non amittet propriam entitatem, & hoc modo in generatione fieri transitum totius in totum docuit Scot. 4. d. 11. qu. 1. A ex Arist. 1. de Gen. 24.

Præterea dependentia totius à partibus, est realis, & positiua, ergo etiam & distinctio, nam nihil essentialiter à se ipso dependet. Probatur assumptum, quamuis enim dicat Faber. n. 21. apud Scot. non reperiri, quòd totum essentialiter dependeat à partibus vnitis, quæ actu sint in ipso, & cum ipso secundùm proprias entitates, tamen id manifestè docuit Doctor. Tum in hac q. in 3. dist. 2. q. 2. sub F. vbi inquit, totum non solùm præexigere, sed etiam coexigere partes sub vnione, & 3. dist. 22. q. vn. §. *Quantum ergo, &c.* ait, entia materialia composita habere causalitatem intrinsecam per causas inexistentes, materiam scilicet & formam, quas statim ait realiter esse distinctas à tali composito; nec dici potest, quòd loquatur de partibus vnitis tantum, & non transactis, quia loquitur de partibus, vt actu inexistunt composito; Et in 4. d. 12. q. 1. E, docet composita essentialiter dependere à causis intrinsecis, quamdiu existunt, & à nulla extrinseca sic dependere, nisi à prima.

163 Denique ait Faber. loc. cit. fundamentum, quo veteres Scotistæ moti sunt ad interponendam distinctionem realem positiuam inter totum, & partes vnitas, esse, quia sunt causæ intrinsecæ compositi, & effectus realiter distinguitur à partibus, & subdit, hoc fundamentum esse falsum, nam quòd effectus distinguatur à causa, verificatur solùm in causis extrinsecis. Sed certè hoc argumentum est Scoti 3. d. 2. q. 2. & eo præsertim vtitur ad concludendam distinctionem realem totius à partibus, quare igitur absolutè dicit, hoc argumentum nihil concludere, & communem Recentiorum solutionem amplectitur? dixisset saltim, in quo sensu Scoti argumentum teneat, vel non teneat. At fortè dicet, rationem hanc Scoti concludere distinctionem realem totius à partibus vnitis tantum, sed non transactis. Sed contra, quia argumentum concludit, quòd distinguantur in ratione causæ, & effectus, sed partes secundùm Fabrum in eo signo, quo sunt vnitæ tantum, non habent rationem causæ, sed tantum in posteriori signo, quando transeunt, & actu communicantur toti. Accedit, quòd siue dicuntur causare totum in priori, siue in posteriori signo, nunquam Scoticum argumentum secundùm Fabrum aliquid concludet, quia vnam propositionem assumit in causis intrinsecis, quæ valet tantum in extrinsecis, nimirum effectum realiter à sua causa distingui.

Quòd autem hæc distinctio realis totius, & partium vnitarum debeat poni mutua contra Trombet. & alios Scotistas, Prob. breuiter, quia

quia distinctio realis inter causam, & effectum est mutua, sed distinctio totius, & partium vnitarum est in ratione effectus, & causæ, ergo est mutua. Deinde quando inquit Tromb. hanc distinctionem realem inter totum, & partes non esse mutuam, sed totum distinguì à partibus terminatiuè tantum, vel id ita intelligit, vt cum veritate dici nequeat, totum esse tertiam entitatem à partibus vnitis realiter distinctam, & hoc est prorsus falsum, quia implicat, vnum esse realiter distinctum ab alio, & quod vice versa, hoc non sit realiter distinctum ab eo. Vel id intelligit in eo sensu, vt solùm terminet relationem distinctionis realis, fundatam in partibus vnitis, quo sensu dicimus, vnionem humanitatis ad Verbum non esse mutuam, quia non est realis in vtroque extremo. Sed neque in hoc sensu potest id asserere Tromb. quia totum, cum sit ens finitum, & limitatum, ac proinde capax relationis realis, poterit æquè benè fundare relationem distinctionis realis, sicut partes vnitæ.

Sed inquit Tromb. ideò totum distingui à suis partibus realiter distinctione non mutua, quia partes possunt per se existere sine toto, non tamen totum sine partibus. At hoc non sufficit, vt distinctio ista dicatur non mutua; quia nec ad distinctionem realem statuendam inter duo extrema, nec ad mutuitatem eius absolutè necessarium est, vt hoc existere possit sine illo, & è contra, id enim potiùs necessarium est ad inferendam mutuam separabilitatem inter illa, non autem mutuam distinctionem. Deinde quæstio hic est de distinctione reali, non inter totum, & partes per se sumptas sed inter totum, & partes vnitas, ergo si totum non ponitur mutuò distinctum à partibus, quia nequit esse sine illis, sic neque partes, vt vnitæ, erunt à toto distinctæ mutuò, quia nequeunt esse sine illo.

164 Dicimus tandem, loquendo, de identitate, & distinctione essentiali totius, & partium vario modo sentiendum est, iuxta varias acceptiones illius. Prob. & explicatur concl. quia identitas, & distinctio essentialis tripliciter sumi solet. Primo modo ea dicuntur idem essentialiter, quæ habent vnam essentiam, vel quæ sunt idem vni essentiæ singulari, & è contra ea dicuntur essentialiter diuersa, quæ non sunt idem vni essentiæ singulari, sed habent diuersas essentias, & isto modo identitas & distinctio essentialis est mutua. Secundo modo illud est idem essentialiter alteri, quod includit alterum in sua essentia, tanquam sui constitutiuum, & è contra illud distinguitur essentialiter ab altero, quod non includit illud in sua essentia, vt sui constitutiuum, & in hoc sensu locutus est Scot. de identitate essentiali sub nomine identitatis formalis in 1. dist. 2. q. 7. Hh. vbi in hoc sensu inquit, inferius esse essentialiter idem cum superiori. Tertio modo illud dicitur idem essentialiter alteri, quod constituit eius essentiam, & è contra illud distinguitur essentialiter ab alio, quod non constituit essentiam eius, qui modus frequentior est cæteris, & traditur à Scoto quodl. 1. D.

Iuxta igitur primum modum, totum erit essentialiter distinctum à partibus vnitis, & è contra, nam sicut partes, & totum sunt tres res, & tres substantiæ, ita tres essentias præseferunt inter se distinctas, quarum duæ priores incompletæ sunt, & tertia ex his completa. Iuxta secundùm modum, qui est minus frequens, partes vnitæ distinguuntur essentialiter à toto, & non è contra, quia totum includit partes in sua ratione formali, & quidditatiua, & non è contra. Iuxtà tertium denique modum, totum distinguitur essentialiter à partibus, sed partes identificantur essentialiter cum toto, vt Scotus docuit loc. cit. quodl. 1. D. quia sicut docuit Arist. 7. Met. tex. 7. principia intrinseca sunt constitutiua essentiæ totius, eamque definiunt, & ideò illi essentialiter identificantur. Accedit, quod tam materia, quàm forma sunt partes quidditatis compositi, & totum dependet à suis partibus dependentia essentiali actuali, ergo includit ea in sua essentia, atque ideò sunt illi essentialiter in hoc sensu identificata. Et quia hæc tertia acceptio identitatis, & distinctionis essentialis est magis frequens in scholis, & rerum naturis consentanea, ideò simpliciter, & absolutè dicendum putamus, quòd partes sunt idem essentialiter cum toto, non è contrà, & vniuersaliter inclusum cum includentete; atque ita etiam breuiter decidi poterit inutilis contentio inter veteres Scotistas de identitate essentiali inter gradus Metaphysicos superiores, & inferiores apud Formalistas.

Soluuntur Rationes aduersæ.

165 IN oppositum objiciunt vnanimiter Recentiores omnes, præcipuè Hurtad. & Auersa, probantes primò, quod totum neque ratione distinguatur à partibus vnitis. Totum quidditatiuè concipi nequit, nec præcisiuè, nec diuisiuè sine partibus, ergo neque per intellectum distinguitur ab eis. Resp. negan. conseq. quia nec etiam vnum relatiuum quidditatiuè concipi potest sine correlatiuo, & tamen non sequitur, quod nec etiam ratione distinguatur ab eo, non enim vt aliqua duo ratione distinguantur, exigitur, vt vnum possit concipi sine alio, sed illa dicuntur ratione distingui, quæ secundùm diuersum esse rationis possunt fundare contradictionem, quod vtique conuenit toti, & partibus, vt constat ex prima conclusione.

Sed contrà, in hoc relatiua distinguuntur ab absolutis, quod illa nequeunt intelligi sine alijs, benè tamen absoluta, quia sicut absolutum habet entitatem ad se, ita & intelligibilitatem, sed totum est entitas absoluta, ergo cùm sine partibus intelligi nequeat, dicendum est, partes vnitas non esse aliud ab eo. Resp. relatiuum distingui ab absoluto ex hoc, quod illud coexigit ad sui intellectionem, quod non est de essentia, at absolutum vel nullum coexigit, vel si aliquid realiter distinctum coexigit hoc est de essentia illius, neq; per hoc eundit relatiuum, sed adhuc eius intellectio est ad se, quia non coexigit aliquod extrinsecum.

Sed contrà, si totum coexigit partes ad sui intellectionem, quia sunt de essentia totius, ergo realiter ab eo non distinguuntur, Probatur consequentia, essentia non distinguitur, nisi ratione ab eo, cuius est essentia, sed tota hominis essentia sunt partes vnitæ, ergo &c. Probatur minor, definitio dicit totam rei essentiam, & est conceptus adæquatus definiti, sed definitio non continet nisi partes vnitas, aliter si aliquid aliud esset in homine, per hoc quod est animal rationale Metaphysicè, aut anima, & corpus physicè. non haberetur conceptus adæquatus hominis.

Resp. negand. conseq. ad cuius probat. negatur minor, quia partes vnitæ sunt de essentia hominis in obliquo, at tota essentia hominis in recto est tertia entitas includens partes vnitas, Ad Probat. Canonicus concedit minorem, & ad maiorem inquit, quod definitio dicit totam rei essentiam, & est conceptus adæquatus definiti non comprehensiuè, sed indicatiuè, & explicatiuè, quatenus enim explicat principia essentialia constituiua, consequenter etiam dat intelligere illam tertiam entitatem partes includentem; non enim requiritur, quod hæc tertia entitas explicetur cum partibus indefinitione, quia non est in toto, vt quædam compars concurrens, sed vt tota entitas ex illis constituta. Bassolius autem negat minorem, & inquit, quod anima, & corpus, materia, & forma non sunt tota definitio compositi, sed sunt partes definitionis, sicut sunt partes definiti, & ait, quod non benè explicatur, quid sit homo, dicendo, quod est corpus, & anima in recto, sed debet dici in obliquo, quod est subitantia constituta ex anima, & corpore.

Sed dices, benè explicatur metaphysicè, dicendo in recto, quod est animal rationale, ergo benè explicatur physicè, quod est corpus, & anima vnita. Respond. Bassol. negando paritatem, quia animal, & rationale, cùm in concreto sumantur, dicunt totam definiti essentiam, at partes physicæ, cùm in definitione sumantur etiam per modum partis, non possunt poni in recto.

166 Secundò ex Hurtado; vnitum nihil addit supra vnionem, & partes vnitas, quia partes denominantur vnitæ ab vnione, quæ in illis solùm recipitur, præter quas nihil aliud ab vnione denominatur vnitum, at vnitum idem est re ac ratione, quod compositum, ergo compositum nihil addit supra vnionem, & partem vtranque, nec differt à partibus vnitis, nisi vocibus, & grammatico discrimine, Probatur minor; Tum quia vnitum dicit partes simul sumptas cum vnione, hoc autem formalissimè est compositum, quia compositio est simul positio, vel coniunctio plurium rerum, ergo compositum erit partes illæ tali compositione affectæ. Tum 2. quia eadem realitas partium sub vnione denominatur vnitum sub nomine partium, & vnum sub nomine compositi, sed à parte rei formalissimè esse vnum est esse vnitum, & è contra, ergo partes vnitæ, & compositum vnum sola voce differunt, & in modo loquendi, vel concipiendi, Probatur minor, nam esse vnitum est esse indiuisum, esse autem indiuisum, est esse vnum. Tum 3. compositum est vtique vnum, non quidem vnum simplex, sed vnum compositum, sed non potest sic intelligi vnum sine partibus vnitis, ergo idem est formalissimè à parte rei, esse vnum compositum, & esse vnitum, Tum 4. dum intelligitur formam informare materiam, præcisa omni alia entitate, ibi intelligitur totum aliquod compositum, sed formam informare materiam, est esse sibi vnitam per informationem, ergo vnitum idem est in re quòd compositum, Probatur maior, quia vbi intelligitur compositio, ibi necessariò intelligi debet compositum, nam non potest intelligi forma in subiecto sine effectu formali, sed vbi intelligitur vnio informationis, ibi intelligitur compositio, cum compositio non sit aliud, quàm vnio partium, quæ per vnionem dicuntur componere compositum.

167 Resp. vim argumenti pendere ex æquiuocatione vocabulorum, & confusione vnionis, & vnitatis, vnionis, & compositionis, compositionis actiuæ, & passiuæ, si enim hæc omnia ritè distinguamus in composito, argumentum nihil penitus concludit; vnio igitur, & vnitas distinguuntur, quia vnio est partium, & in partibus recipitur, & illas denominat vnitas, vnitas verò est compositi, in illo recipitur, vt eius propria passio, & denominat illud vnum idest indistinctum in se, & distinctum à quocunq; alio, quod non est ipsum, vnio est relatio prædicamentalis, vnitas verò est passio realiter identificata cum composito. Item compositio est duplex, actiua, & passiua, compositio actiua, cum non sit nisi causalitas actiua, qua partes causant totum, quod componunt, recipitur in partibus vnitis, & illas denominat componentes, non compositas, cum sit actiua & terminatur ad totum, nec est formaliter, nec realiter idem cum vnione, quia vnio est inter partes, non inter partes, & totum, causalitas verò est inter partes, & totum, quia partes causant totum; vnio est respectus extrinsecus adueniens, causalitas verò intrinsecùs adueniens; compositio tandem passiua est compositi, in composito recipitur, & illud verè denominat compositum.

Ad

Ad argumentum igitur, concessa maiori, neg. minor, ad primam probat. concessa maiori, iterum neg. minor, ad probat. dicimus, hic nos accipere compositionem, non modo grammaticali sed Philosophico, vt idem significet, quod causalitas intrinseca, actiua quidem ex parte partium componentium, passiua verò ex parte totius constituit; modo autem grammaticali non solùm partes vnitæ, & simul positæ, vel coniunctæ dicetur compositum, sed vnaquæque singillatim dicetur composita, vt notat Bassol. in resp. ad 3. princ. quia vnaquæq; simul cum alia ponitur, vnde hic arguendi modus est puri grammatici, non philosophi. Ad secundam probat. negatur maior, licèt enim partes sub vnione denominentur vnitæ, id tamen quod dicitur vnum, non sunt partes, sed quod ex ipsis coalescit, negatur etiam minor, quod idem sit formaliter esse vnitum, & vnum, quia esse vnitum est effectus formalis vnionis receptus in partibus, & partes afficiens; esse autem vnum est effectus formalis vnitatis receptus in composito, illudque afficiens; ad Probat. verum est, esse vnitum idem esse, quod esse indiuisum, vnde eo ipso, quod duo sunt vnita, sunt etiam indiuisa, sed falsum est, quod esse vnum dicat tantum esse indiuisum, quia vlterius dicit esse indistinctum, quod verificari nequit de materia, & forma vnitis, sed solùm de toto ex his constituto. Ad tertiam, concesso assumpto, negatur conseq. solùm enim sequitur, quod vnum compositum non dicitur sic vnum, nisi per inclusionem plurium vnitorum ad inuicem. Ad quartam negatur maior. Ad probat. conceditur maior de compositione passiua, quia vbi hæc reperitur, ibi intelligitur compositum, quod est eius effectus formalis, negatur de actiua, nam effectus formalis eius est componens, non compositum, & conceditur minor de compositione actiua, non quod vnio informationis sit formaliter ipsamet actiua compositio, vt assummitur, in argumento, sed quia hæc necessariò concomitatur illam, vt docet Doct. in 4. d. 1. q. 1. B.

168 Tertiò omne absolutum, quod est res, potest esse sine eo, à quo realiter distinguitur, sed totum nequit esse sine partibus vnitis, nec è contra, ergo &c. Resp. ex Scot. 2. dist. 1. qu. 5. M. maiorem valere quotiescunque illud est prius, & non adest essentialis dependentia, vel saltim necessaria connexio ab intrinseco procedens, modo totum essentialiter dependet à partibus, & est posterius illis, vnde nec mente concipi potest sine illis, quia sunt de essentia eius. Contrà, vrget Auersa, accidens est posterius substantia, essentialiter ab illa dependens, tamen potest separari, ergo, sic etiam totum à partibus. Resp. negando paritatem, quia accidens non dependet à subiecto, vt à causa intrinseca, sicut compositum dependet à partibus, vnde forma dependet à subiecto in genere causæ materialis extrinsecæ solùm, non intrinsecæ, qua de causa non potest appellari dependentia essentialis simpliciter, sed tantum secundùm quid, vt ait Doctor 4. d. 12. q. 1. prope finem.

Sed iterum vrget Auersa, ergo saltim partes vnitæ, quia non dependent à toto, & sunt priores toto, poterunt separari, & vnitæ existere sine toto, Zerbius 7. Met. q. 19. soluendo quintam difficultatem id gratis concedit adhuc negans illud vnitum esse totum; sed melius Resp. vtique ex his capitibus non implicare, sed implicat ex hoc, quod habent necessariam connexionem cum effectu, cum sint causæ intrinsecæ, & quamuis Deus possit impedire effectus causarum extrinsecarum, non tamen intrinsecarum, ita Lichet. in 3. dist. 2. vbi notat, nec effectus per resultantiam posse à Deo impediri, vt est relatio similitudinis posita hac, & illa albedine, nec effectum formalem formæ in subiecto positæ, vt esse album. Contrà, instat Auersa, ideò non potest forma conseruari in subiecto sine effectu formali, quia hic est ipsa forma communicata subiecto ergo entitas totius non erit partibus distincta, si nequit esse sine illis. Resp. quicquid sit de antecedenti, de quo dictum est supra q. 3. art. 2. negatur consequentia, longe enim veriùs causatur physico modo compositum à materia, & forma, quàm effectus formalis extrinsecus à causa formali.

Sed adhuc instabis, inseparabilitas per Scot. ex triplici capite prouenire potest, vel quia sunt simul natura, vel quia vnum est prius, alterum posterius ab illo essentialiter dependens, vel ex identitate reali, ita in 2. d. 1. qu. 5. M. ex quo d. 2. q. 2. infert, quòd illud, quòd si esset distinctum ab aliquo, esset posterius eo naturaliter, necessariò est idem illi, si impossibile est, illud aliud esse sine isto, quòd nihil distinctum realiter ab alio, sine quo esse non potest sine contradictione, est prius eo, sed vel est posterius eo, vel simul natura, cum igitur partes vnitæ sint priores toto, vel esse poterunt sine eo, vel non distinguuntur ab eo realiter.

Resp. cum ait Doctor, quòd quando repugnat, vnum esse sine alio, quod non est priùs ipso, nec simul natura, id semper arguere inter ea realem idem, intelligit, si talis repugnantia ab entitate intrinseco veniat, ita se explicat sub N. non autem si sit ab extrinseco, vt est in proposito, quòd enim partes vnitæ esse nequeant sine toto, prouenit ex aliquo extrinseco, nempe ex earum vnione, quæ illis accidit, & ea supposita nequeunt [illegible] à causare totum, non autem talis necessitas prouenit ex absolut[illegible]rum entitate, ita Lichet. 2. d. 12. qu. 2. in responsione ad instantias Caiet. contra maximam Scoti, *omne absolutum prius alio, &c.* Dices, repugnat partibus vt vnitis ab intrinseco, ergo &c. Resp. antecedens includere implicantiam, idest ab intrinseco vt vnitis, dato enim, quod ly *vt* reduplicet rationem formalem, ab intrinseco non potest esse ista repugnantia, sed ab extrinseco ipsis partibus, vt repugnat, posita albedine in pariete non resultare effectum formalem, non tamen est illi identificatus, quia absolutè potest sine illo esse, si à subiecto separetur.

Petes, an partes vnitæ saltim concipi possint sine toto? Resp. hoc fieri non posse, quia talis conceptus esset diuisiuus, possunt tamen concipi præcisiuè non concepto toto, quod adhuc sano modo intelligendum est, quia cum partes vnitæ sint adæquata causa totius, possunt in tali statu dupliciter considerari, materialiter, & formaliter, vt de quacunque causa dicimus ad suum effectum relata; si secundo modo considerentur, nec etiam præcisiuè poterunt concipi, toto non concepto, quia sic sub relatione causæ considerantur; si tamen considerentur primo modo, poterunt concipi, toto non concepto, & tunc erit concipere omne id, quod concurrit ad constituendum totum physicum, non autem ipsummet totum physicum.

Sed contrà, vrget Auersa, hoc aggregatum, nimirum partes vnitæ, vt sic conceptæ, præcisè, non est per accidens; sed per se vnum, constat enim ex per se potentia, & per se actu, vt partibus, & causis intrinseci. Resp. negando, hoc aggregatum esse per se vnum, sed erit duo per se vnita, partes enim fundant vnionem non vnitatem; negatur etiam, quòd constet ex materia, & forma, vt causis intrinsecis, nam illud vnitum non est causatum, sed est omne id quod intrinsecè causat compositum physicum; de hac ipsa difficultate vide quæ diximus disp. 1. Log. q. 5. art. 2. in explicatione dist. realis contra Meurisse, qui ea perterritus descendit à communi Scotistarum sententia.

169 Quartò, si totum distinguitur realiter à partibus vnitis, vel distinguitur ab eis secundùm se totum, vel secundùm aliquam sui partem; non primo modo, quia sic secundùm omnes partes suas (hoc enim significat ly *secundùm se totum*) distingueretur ab omnibus partibus suis, quod implicat; nec secundo modo, quia tunc secundùm vnam sui partem distingueretur realiter ab omnibus partibus suis, quod pariter implicat, quia in illis omnibus inuoluitur etiam illa, secundùm quam distingui ponitur.

Resp. totum distingui à partibus suis vnitis se toto cathegorematicè sumpto, quia sua ipsius tertia entitas est se ipsa distincta à suis partibus, nec sequitur ex hoc, secundùm omnem sui partem ab omnibus suis partibus distingui, quia tunc fit transitus à toto cathegorematicè sumpto ad totum sumptum syncathegorematicè, quod supponit pro omni, & qualibet parte totius, quæ distinctio traditur à Scoto 4. dist. 11. q. 1. A. & est valde notanda. Contrà, hæc tertia entitas, vel est aliquid additum materiæ, & formæ illas excludendo à sua entitate, vel illas includendo; non primum, quia sic foret entitas simplex; si secundùm, ergo non potest vt sic ab illis distingui, quia tunc secundùm quod includit materiam, & formam, à materia, & forma distingueretur, quod implicat, quia vt à partibus contradistinctum eas includere nequit.

Resp. aliqui Scotistæ, concedendo, esse entitatem simplicem, si in abstracto sumatur, ita Roccus cit. ad 6. sed hoc implicat in terminis, & est manifestè contra Doctorem 3. dist. 2. qu. 2. §. *Quantum ad tertium, &c* & dist. 22. quæst. vn. §. *Quantum ergo, &c.* & 4. dist. 12. quæst. 3. B. quibus in locis docet, partes esse de essentia totius etiam in abstracto, quia nunquam totum præscindi potest à partibus, & ideò concedendum est secundùm membrum, & neganda consequentia, cuius probatio valeret, si diceremus, hanc tertiam entitatem secundùm se totam syncathegorematicè à partibus inclusis distingui, quod non asserimus, de quo vide Zerb.

Sed contrà, distinctio se totius, & adæquata cadit tantum intèr ea, quorum vnum non includit aliud, nec aliquid alterius, & eo ipso quod vnum includit aliud, vel aliquid alterius, non potest ab eo adæquatè distingui, sed tantum inadæquatè, & per aliquid sui, vnde communiter dicitur, quod includens ab incluso distinguitur inadæquatè, cùm ergo totum distinguatur à partibus, vt includens ab inclusis, non potest ab illis distingui se toto, & adæquatè, sed tantum per aliquid sui, & inadæquatè, ita arguit Amic. cit.

Resp. distinguendo antec. vnum potest dici se toto, & adæquatè distingui ab alio dupliciter, vel quia vnum non est alterum, nec aliquid vnius est aliquid alterius, & hac ratione se totius distinguuntur entia disparata, quorum vnum non spectat ad integritatem alterius, & ita totum non distinguitur à partibus se toto, quia partes sunt aliquid compositi, nec talis distinctio potest vnquam esse inter includens, & inclusum; secundo potest vnum dici ab alio distingui se toto, quia distinguitur ex sua ratione formali, ita quod vnum formaliter, & realiter non est aliud, licet vnum sit aliquid alterius, & ita compositum distinguitur à partibus per hoc præcisè, quod est entitas includens illas, & non è contra, qua ratione includens est semper se ipso ab omnibus inclusis distinctum, & non per aliquid eius, quod est ab illis distingui se toto cathegorematicè sumpto; & hoc valde notandum est contra Aduersarios, qui putant, includens nullo modo posse ab inclusis distingui se toto, & adæquatè, sed tantum inadæquatè, & per aliquid sui, quod falsum est, si ly *se toto* cathegorematicè sumatur.

170 Sed contra adhuc obijcit Ruuius, hæc tertia entitas cathegorematicè sumpta vel includit partes, vel non; si primum, ergo adhuc cathegorematicè sumpta non distinguitur ab illis realiter, quæ distinguuntur aliqua dist. non se includunt secundùm sensum eius, vt si aliqua duo distinguantur ratione formali, non possunt se formaliter includere, ergo ea, quæ distinguuntur realiter, non possunt se

realiter

realiter includere. Resp. quod eas includit, sed neg. conseq. cum probatur, dicimus ad anteced. quod si per inclusionem intelligitur identitas opposita illi distinctioni, sic conceditur antec. sed negatur vltima conseq. si vero per inclusionem intelligatur continentia vera, & realis vnius in alio, sic negatur antec. vnum enim eorum, quæ distinguuntur formaliter, vel realiter idest dicunt diuersas formalitates, vel res, potest realiter, & verè contineri in alio essentialiter.

Sed contra, additum aliquibus non includit illa, quibus superadditur, idem enim contra se ipsum non numeratur, nec sibi ipsi superadditur, ergo si totum cathegorematicè sumptum partibus superadditur, illas realiter non includit. Respondet Bassol. cit. art. 4. valere assumptum de addito per modum partis alteri comparti, non de addito per modum totius, quia hoc necessariò includit illa, quibus superadditur, nec sequitur idem sibi ipsi superaddi, vel contra se ipsum numerari, quia totum non superadditur sibi, sed suis partibus. Et per hoc soluitur argumentum Arriag. disp. 6. sec. 1. vbi sic arguit, vel enim quod addit compositum supra partes, & vnionem est aliquid compositi, vel non; si secundùm, impertinenter ponitur, si primum, ergo iam est pars compositi, & sic supra partes, & vnionem nihil addit; sed facile respondetur hoc additum supra partes non esse aliquod compositi, sed totam eius entitatem, non enim additur per modum partis, sed per modum totius. Sed dices, si compositum addit aliquid supra partes, non addit nisi se ipsum, sed ipsum intrinsecè includit partes, ergo addit partes super partes, ergo partes bis numerantur, & sibi ipsis superadduntur, Respondet Bassol. quòd vtique addit entitatem propriam, sed non ita quòd hinc intelligantur partes, & illinc totum superadditum partes includens, sic enim partes bis numerarentur, & sibi ipsis adderentur, sed sic intelligi debet, quòd superaddens intelligatur includere partes, quibus superaddit, & sic partes non habentur bis, sed tantum semel.

Sed dices, saltim ista tertia entitas integrabit cum partibus, quibus additur aliud compositum, quia ex vnione rerum distinctarum consurgit compositum, & ita dabitur processus in infinitum. Resp. negando conseq. quia tertia illa entitas non additur partibus per modum entitatis partialis, sicut forma additur materiæ itaut faciat compositionem cum illis, ex vnione enim talium entitatum partialium ad constitutionem alicuius totius ordinatarum fit compositio, sed est entitas totalis resultans ex illis, quæ proinde dum partibus superadditur, non debet dici vniri partibus, quia vnio inter partes versatur, non inter partes, & totum, & ideò tertia entitas non debet dici vniri partibus, sed ex illis constitui, ita D. 3. d. 2. q. 2. E. d. 22. sub L. & Regent. Parisiens. cit. 1. Phys. q. 4. ad 4. Dices, si ista tertia entitas non informat partes vnitas, dum ignis superadditur faciet aggregationem cum ipsis. Resp. quòd sicut compositionem non facit, quia non est pars, eadem ratione non facit aggregationem, sed est entitas tota ex partibus resultans, quæ sunt de eius essentia, & à quibus ipsa essentialiter dependet, quod in aggregatis minimè reperitur.

Sed vrges, quòd saltim faciet eus per accidens, quia quod aduenit enti in actu, est accidens, & cum eo facit ens per accidens, hæc autem tertia entitas ponitur aduenire materiæ actuatæ per formam, ergo &c. Resp. negando conseq. sensus enim illius propositionis est, quod aduenit materiæ actuatæ, vt actus, & forma informans, accidens est, sed non sic aduenit hæc tertia entitas materiæ iam formæ vnitæ, quia nec forma eius est, nec actus, nec informans, nec actuans, sed resultat; vt tota quidditas, & forma totius, qua scilicet totum dicitur quidditatiuè tale, vt Doctor cit. explicat sub E. & per hoc satisfit obiectis omnibus à Io. de S. Th. q. 6. Phys. art. 2.

171 Quintò obijciunt Hurt. & Auers. id, quod additur partibus, & vnioni, vel pertinet ad hominis essentiam, vel non, & si pertinet, vel est tota essentia, vel pars; si primum, ergo corpus, & anima non sunt de hominis essentia, quia hæc ponitur consistere in sola integritate distincta à materia, & forma; si secundum, ergo hæc integritas, & tertia entitas simul cum corpore, & anima hominem constituit, atque ita non erit totum, sed pars totius. Resp. additum partibus vnitis esse totam essentiam hominis, & negatur conseq. inde deducta, licèt enim directè hominis essentia consistat in illa tertia entitate, siue in recto sit illa tertia entitas, scilicet, humanitas, indirectè tamen, & in obliquo, etiam corpus, & anima spectant ad hominis essentiam, velut partes eam intrinsecè constituentes, vnde licèt essentia hominis dici nequeant in recto, benè tamen in obliquo dicuntur de hominis essentia, & ad Probat. consequentiæ dicimus, quòd licèt hominis essentia consistat in sola illa integritate à materia, & forma distincta, cum hac tamen distinctione à parte rei stat inclusio earundem à parte rei, vnde licèt essentia hominis consistat in illa sola tertia entitate prout à partibus distinguitur, non tamen consistit in illa sola, prout excludit partes, quia quamuis partes vnitæ realiter distinguantur à tertia entitate, non tamen essentialiter, & in hoc decipiuntur Aduersarij, dum putant, distinctionem realem duorum necessariò inferre exclusionem vnius ab alio, cùm tamen oppositum videamus contingere in toto continuo vbi vna pars proportionalis cum alia communicans ponitur realiter distincta ab illa, quam tamen includit.

Sed dices, licèt vnaquæque pars singillatim dici possit de essentia totius, tamen vtraq; videtur debere dici in recto tota hominis essentia, & quidditas, quod enim spectat tantùm in obliquo ad aliquius essentiam, spectat per modum partis, at corpus vnitum animo non spectat per modum partis ad hominis essentiam, ergo erit tota eius quidditas, & talis dici debet in recto. Accedit, quod vel corpus vnitum animo est tota hominis quidditas, vel pars quidditatis; si primum, habetur intentum; si secundùm, assignetur alia compars quidditatis, planè hæc non poterit assignari, nisi illa tertia entitas, quod Scot. non concedit.

Resp. neg. cons. vnaquæque enim pars dici potest de essentia hominis, idest constitutiua essentiæ hominis inadæquatè, & vtraque dici potest adæquatè de hominis essentia, idest adæquatè illius constitutiua, sed nullo modo in recto dici potest adæquata hominis essentia, quare etiam in obliquo spectat ad hominis essentiam totum id, quod concurrit ad eam adæquatè constituendam, & cùm quæritur, an corpus vnitum animo sit tota hominis quidditas, vel pars, dicimus, esse totam hominis quidditatem, non formaliter, & in recto, sed causaliter, constitutiuè & in obliquo, vt sensus sit, quòd corpus vnitum animo est omne id, quod concurrit ad constituendam hominis essentiam.

172 Sextò, entia multiplicari non debent absque necessitate, at nulla est necessitas ponendi hanc tertiam entitatem à partibus realiter distinctam, quia si supponamus, animam Petri informare materiam, quantitate, & cæteris accidentibus affectam, illud coniunctum seclusa omni tertia entitate poterit omnes administrare actiones vitæ, intelligere, sentire, &c. Resp. neg. minorem, nam materia, & forma vnitæ nequeunt præstare id, quod præstat tertia entitas, vt constat ex secunda ratione, nam nec possunt generationem substantialem per se terminare, nec esse subiectum idoneum illius per se vnitatis, quæ est composit, nec alia huiusmodi, quæ ibi dicebamus, quia materia, & forma simul propriè sunt per se vnita, non per se vnum; de illis verò actionibus vitalibus mox dicemus.

Sed contra, indiuiduum substantiæ compositæ ideò est per se vnum, quia constat ex per se potentia, & per se actu, at collectio materiæ, & formæ adempta omni tertia entitate, est ex per se potentia, & per se actu, ergo erit verè vnum per se. Resp. neg. minorem, collectio enim illa dempta tertia entitate ne quit propriè dici, quod sit ex per se actu, & per se potentia, sed potius est collectio, seu vnio per se actus, & per se potentiæ. Sed dices, vnio imperfecta, & secundùm quid, vt est in composito per accidens, non facit aliam entitatem vnam secundùm quid, sed tantum reddit partes secundùm quid vnitas, vnde dicimus vnum album, vnam domum, &c. ergo pari ratione vnio simpliciter, & per se, quæ cadit inter partes compositi substantialis, non facit aliam entitatem vnam simpliciter, & per se, sed tantum reddit partes simpliciter, & per se vnitas. Resp. disparem esse rationem; tum quia non inconuenit, duo entia dici vnum secundùm quid, vt vnum album, vna domus, sed benè implicat, duo entia quantumuis per se vnita dici vnum ens simpliciter; tum quia in composito accidentali non cadit vera causalitas inter partes, & totum, benè tamen in substantiali, ac proinde hic constituenda est tertia entitas.

Septimò ex Auersa, operationes non possunt competere huic tertiæ entitati, ergo ex hoc cap. non est admittenda, vt contendit Scot. Probatur assumptum, intelligere in homine, recipere accidentia, vt quantitatem, vel competit partibus tantum, nempe intelligere animæ, recipere quantitatem corpori, & sic tertia illà entitas non erit necessaria ex hoc cap. vel competunt tertiæ entitati tantum, & sic hæc tertia entitas in homine haberet potentiam intellectiuam, non autem anima rationalis, quæ est pars, & hæc intelligendi actum eliceret, non anima, hæc quantitatem reciperet, & non corpus pro altera parte. Accedit, quòd ista tertia entitas in homine, vel est spiritualis, vel corporalis; si primum, ergo non potest recipere, & exercere actum intelligendi; si secundùm, ergo non potest recipere quantitatem. Vel competent tertiæ entitati, & partibus simul, & tunc idem accidens esset in subiectis realiter diuersis.

173 Resp. varias esse operationes, quæ toti tribuuntur, quædam sibi competunt formaliter, & immediatè, de quibus vrget ratio Scoti, quædam sunt, quæ immediate competunt partibus, & ratione partis denominant ipsum totum, & sic se habent intelligere, & quantitatem recipere, vel esse quantum, illud enim conuenit toti homini ratione animæ, & istud ratione corporis, & ista tertia entitas in homine, estò sit corporea, potest tamen adhuc denominari intelligens, quia intellectio non recipitur formaliter in ipsa, sed ei conuenit ratione partis; operatione verò materiales, quales sunt omnes sensationes, formaliter, & immediatè conueniunt tertiæ entitati, quia vt sæpè docet Arist. 2. de Anim. similes operationes sunt totius coniuncti in ratione principij, & subiecti, quia ab ipso eliciuntur, & in ipso recipiuntur. & Aduersarij sunt, qui huiusmodi operationes ponunt simul in duobus subiectis realiter distinctis, non verò nos, si enim sunt, sunt in toto coniuncto, vt vult Aristot. & totum coniunctum non est nisi partes per se vnitæ, iam idem accidens erit in duobus subiectis realiter diuersis.

Sed vrgebis, si hæc tertia entitas in viuentibus est corporea, iam in quolibet viuente duo erunt corpora, corpus pro altera parte, & corpus

corpus totum, quod non videtur asserendum. Tum quia tunc duo corpora essent in eodem loco, cùm pars non sit extra totum. Tum quia omnia accidentia materialia geminanda forent, vt quantitas, cicatrix, color, &c. cùm hæc omnia videantur in animali mortuo, vel idem numero accidens, scilicet quantitas, & color, statuendum erit in duobus subiectis realiter distinctis. Tum tandem, quia non est maior ratio, cur hæc tertia entitas in homine poni debeat corporalis, quàm spiritualis, cum ad eius constitutione non minus anima concurrat, quàm corpus,

Resp. hanc tertiam entitatem esse corpoream, quia videmus, eam esse subiectum motus progressiui, sensationum, & aliorum accidentium materialium, nec propterea geminanda sunt corpora de genere quantitatis, quia hæc tertia entitas non dicitur corporea, & extensa ratione quantitatis sibi formaliter inhærentis, sed ratione quantitatis inhærentis corpori pro altera parte compositi vt Scot. docet in 3. d. 22. q. vn. prope finem, vnde sicut materia, & forma coextenduntur composito per quantitatem eiusdem compositi, & secundùm Auerroistas forma extenditur in materia per quantitatem materiæ inhærentem, ita in proposito dicimus de hac tertia entitate in viuentibus, quòd vtique sit corpus de genere substantiæ distinctum à corpore pro altera parte, verùm non habet quantitatem diuersam à quantitate corporis pro altera parte, sed per quantitatem eius extenditur, dum sibi compenetratur. Hinc ad primam probat. dicimus, non esse inconueniens, immo est necessarium, duo corpora esse in eodem loco, quorum vnum est pars alterius, vt benè ait Tataret. 1. Phys. q. 2. dub. 2. ad 2. præsertim cum non ambo sint quanta quantitate distincta ad 2. dicimus, non esse geminanda accidentia formam mixti consequentia, quia hæc sunt in corpore pro altera parte, & ratione ipsius conueniunt corpori toti. Ad 3. hæc tertia entitas est tota materialis, & corporea, sumendo totum cathegorematicè, quia tota hoc modo compenetratur parti corporeæ, & illi coextenditur, nec dici potest tota spiritualis, quia includit partem corpoream; quamuis autem hæc sit pars minùs præcipua hominis, non infert, quòd tertia entitas tota sit spiritualis, quia spiritus excludit omnem molem, & partem; potest tamen dici, immo de facto dicitur natura humana media inter merè corporalem, & spiritualem, quia componitur ex parte purè corporea, & alia merè spirituali.

174 Octauò, partes identificantur essentialiter cum toto, ergo etiam realiter, Antecedens patet ex quarta conclusione, Probatur consequentia, Tum quia, vt ait Auersa essentia non est aliud, quam ipsa realitas rei, ergo non possunt res realiter distinctæ habere indiuisam essentiam in creatis, si ergo tertia entitas non habet aliam essentiam ab essentia partium vnitarum, hoc planè est fateri non habere aliam realitatem distinctam. Tum quia ex identitate essentiali in hoc sensu, quatenus vnum est de essentia alterius, verè infertur quoque inter illa identitas realis, quia enim animal est de conceptu quidditatiuo hominis, ideò est etiam realiter cum illo, quia vniuersaliter partes diffinitionis identificantur realiter cum definito, cùm prædicentur in primo modo, & implicat, aliquid esse intrinsecum alicui in primo modo, & ab eo realiter distingui.

Resp. negando conseq. ad primam probat. dicimus, argumentum procedere de distinctione essentiali primo modo accepta, quo sensu concedimus, partes, & totum mutuò essentialiter inter se distingui, quia omnis res habet suam essentiam, & ex diuersitate rerum infertur in creatis diuersitas essentiarum, at dum nos affirmamus, partes non distingui essentialiter à toto, loquimur de distinctione essentiali in tertio sensu, quo vnum distinguitur ab alio, quando non pertinet ad constitutionem eius essentialem, nec ingreditur conceptum eius. Ad 2. probat. falsum est, identitatem essentialem in hoc sensu inferre identitatem realem, nec paritas assumpta de animali realiter cum homine identificato est ad rem, nam duplex est definitio rei, sicut duplex est constitutio, physica, & metaphysica, constitutio physica totius fit ex rebus per veram, & propriam causalitatem, & sic homo constituitur ex anima, & corpore, constitutio verò metaphysica fit ex realitatibus non per veram, & propriam causalitatem, sed quasi per naturalem quandam dimanationem eo modo, quo passio fluit ab essentia subiecti cum sola distinctione formali ab ipso, & ideò potest res definiri physicè, & metaphysicè, primo modo partes definitionis sunt res, vt corpus, & anima respectu hominis, secundo modo realitates, vt animal, & rationale respectu eiusdem, partes definitionis metaphysicæ vtique non distinguuntur realiter à definitio, non quia sunt de conceptu formali illius, & integrant eius essentiam, sed quia sunt realitates illam constituentes metaphysico modo, & non cum vera, & propria causalitate, at partes physicæ constituunt definitum cum vera, & propria causalitate, & ideò realiter distinguuntur ab illo, quare paritas de animali assumpta non est ad rem, quia est pars definitionis metaphysicæ, est realitas.

Sed instabis, ergo verior erit à toto genere propositio secundi modi, quam primi modi, quia in secundo modo prædicatum semper identificatur realiter subiecto, non autem in primo ex responsione allata. Respond. negand. consequentiam, quia veritas propositionis pendet ex necessitate connexionis prædicati cum subiecto, quæ maior est in primo modo, quàm in secundo ratione essentialis dependentiæ, quam definitum semper habet à partibus definitionis, vide Zerb. loco citato, vbi de hac materia mouet, & soluit plura dubia.

175 Nonò arguitur auctoritatib. Sanctorum, & Arist, D, Aug. 3. de Trinitate cap. 4. ait, homo nil aliud est, quàm anima, & corpus; Athan. in Symbolo, anima rationalis, & caro vnus est homo; Boet. de Trinit. cap. 5. ait, omne totum esse partes suas coniunctas; Dion. de cœlesti Hyerarchia ait, quòd mors in nobis non est substantiæ consumptio, sed vnitorum separatio; & D. Damasc. ait, Verbum, quod semel assumpsit, nunquam dimisit, at si daretur hæc tertia entitas, illam in morte dimisisset. Deinde Arist. 4. Phys. 23. ait, totum nihil esse præter partes, & 2. de Anima tex. 7. non oportet quærere, si vnum est anima, & corpus, sicut neque ceram, & figuram, & tex. 10. sicut oculus est pupilla, & visus, ita anima, & corpus est animal. Neque his auctoritatibus (inquiunt) satisfacit dicendo, sensum non esse formalem, sed causalem, quatenus totum causatur à partibus, planè enim verba allegata sensum reddunt formalem, quòd verè totum non sit aliud præter partes.

Resp. benè explicari præfatas auctoritates, si exponantur in sensu causali, non autem formali, & identico, & talem sensum expressit Boetius, cum dixit, totum esse partes coniunctas, quatenus, scilicet, habet (inquit) suum esse ex partibus, sic igitur explicandus erit D. Aug. dum inquit, hominem nil aliud esse quàm corpus, & animam, quamuis Bassol. neget, Aug. ita loqui. D. Dion. sup. explicatus est, quòd loquebatur de partibus essentialibus, volens contra quosdam insinuare, in morte hominis animam non consumi, sed tantum à corpore separari; auctoritas Damasc. varias habet explicationes, sed communis est, quod loquitur de partibus, ait enim, vt refert Amic. tract. 11. q. 10. dub. 1. art. 4. nullam naturæ partem Verbum deposuit, vel dicit, Christum non dimisisse aliquid, quod assumpsit post resurrectionem, & Amic. hunc esse sensum Damasc. ibidem, vt pater intuenti textum.

Ad primam Arist. auctoritatem re vera noluit ibi negare distinctionem totius à partibus, sed intellexit, totum non esse præter partes, idest non esse separatum à partibus, quia est in illis, & illis compenetratur, neque enim distinctio aufert illum modum essendi in, de quo ibi loquitur. Aliæ duæ auctoritates ex 2. de Anim. possent exponi in sensu causali, verè tamen Arist. ibi non induxit exempla illa ad declarandum, quale sit compositum resultans ex anima, & corpore, & qualis per se vnitas eius, sed tantum quòd non oportet quærere causam mediam, & intrinsecam, quare ex anima, & corpore fiat vnum, sicut nec talis causa media est, quare ex cera, & figura fiat vnum figuratum, estò hoc figuratum, & eius vnitas sit alterius rationis à viuente, & eius per se vnitate, exempla enim esse nequeunt in omnibus similia, sed satis est, si exprimant id, ad quod inducuntur. Manca p. Phys. q. p. dub. p. multa obijcit, quæ cum relatis argumentis coincidunt.

ARTICVLVS II.

Resoluitur quæstio de toto integrali, & per accidens.

176 Dicimus 1. nullum totum integrale, siue discretum, siue continuum, siue homogeneum, siue eterogeneum realiter distingui à suis partibus, Probatur primò Concl. de toto integrali continuo, de quo magis videtur esse distinctum, ex eo, quod Scot. docet in 4. d. 12. q. 4. sub L. vbi ex professo declarans constitutionem totius continui, ait, quòd in diuisione continui nulla quantitas diuersa à quantitate partium deperditur, sed solùm continuitas, & habitudo vnitorum ad inuicem, ac respectus quidam totalitatis resultans ex vnione partium, & similiter, quòd in appositione non acquiritur noua quantitas, sed noua continuitas, & habitudo vnitorum, & quidam respectus totalitatis ex tali habitudine resultans, sed si totum continuum esset quid distinctum realiter à suis partibus vnitis, planè in continuatione partium noua totalis quantitas, acquireretur, & in diuisione periret.

Deinde Prob. ratione. Tum quia ex hoc sequeretur materiam esse generabilem, & corruptibilem, cùm enim habeat partes entitatiuas, & integrales ex Scoto 2. d. 12. q. 2. vtique in diuisione materiæ corrumperetur tertia entitas illius totius integralis. & in continuatione denuò generaretur, vt vrgebamus disp. 2. q. 8. ar. 2. n. 166. & frustra laborat Canon. 1. Phys. q. 9. art. 2. dub. 1. ad hanc difficultatem effugiendam, si totum integrale realiter distinguit à partibus, vt ibi diximus. Tum quia quantitas totalis distincta à quantitatibus partialibus erit vtique extensa, alioquin quantitas non foret, & tamen diuisione quasi per modum indiuisibilis se haberet, nam per vnicam diuisionem factam in hac, vel illa parte, tota simul, & semel corrumperetur. Tum etiam addendo guttam aquæ mari, noua entitas substantialis per totum mare diffusa generabitur de nouo etiam in remotioribus partibus, & eam auferendo, similiter destruetur, quod est mirabile. Tum insuper tunc idem numero pluries, & pluries poterit naturaliter reproduci, nam si aliqua tota aqua in duas diuiditur medietates, tunc corruptum est compositum, quod ex illis constabat, quę si rursus reuniantur, idem totum redibit, cùm sint eædem partes, & quoties diuidentur, & reunientur, toties peribit, & redibit naturaliter idem indiuiduum aquæ & quamuis aliqui id non habeant pro inconuenienti, eò quia Scot. 4. d. 43. q. 3. concedit, posse naturaliter aliquando idem numero per successionem temporis reproduci, tamen re vera Doctor ibi non

non concedit id posse contingere tanta facilitate, quanta contingit reunio partium aquæ priùs diuisæ.

177 Accedit, quòd magis ponderarent duæ libræ coniunctæ, quàm diuisæ, quia coniunctæ causant tertiam entitatem, quæ haberet suam grauitatem distinctam à grauitate partium, quod tamen est contra experientiam. Et si ab aliquo ponderoso auferatur pondus vnius libræ, adhuc remanebit idem pondus, sit namque verbi gratia A. ponderosum vnius libræ, diuidatur in duas partes, tunc destruitur compositum illud, quod dicebatur A. & cum esset vnius libræ, ablatum est pondus vnius libræ, & tamen non minus ponderant illæ medietates, vt experientia docet. Rursus si animali addatur per nutritionem pars notabilis sequitur non esse idem animal post nutritionem, quod erat antea quia mutata est tertia entitas.

Resp. Tataret. cit. duas libras coniunctas non plus ponderare, quàm quando sunt diuisæ, quia alia libra, quæ additur ex coniunctione ipsarum, illas duas includit, & in hoc sensu inquit, non esse inconueniens, pondus duarum librarum esse æquale ponderi trium, quando tertia includit duas priores, sic etiam ablato ab illo ponderoso pondere vnius libræ, adhuc eiusdem ponderis remanebit, quia illa libra includebat duas remanentes semilibras. Sed contra, vel tertia libra resultans ex duabus coniunctis, & ab eis realiter distincta, habet aliam grauitatem à grauitate illarum, vel non; si secundum, ergo non est alia ab illis; si primum, ergo plus ponderabunt coniunctæ, quàm diuisæ; Neque inclusio duarum in ista tertia tollunt illius pondus, vel impedire possunt impetum impressum grauitatis eius; & probatur à simili de toto essentiali, nam hoc totum vtique includit partes essentiales, sed quia distinctam entitatem ponit ab illis, consequenter etiam non obstante tali inclusione habet tales passiones, & operationes, quæ non conueniunt partibus singillatim sumptis, immo ex his arguit Scot. totum essentiale esse distinctum à partibus suis, ergo pariter in proposito, totum integrale si aliam dicit entitatem à partibus realiter distinctam, aliquam passionem quoque, & operationem habere debebit, quæ partibus non competat singillatim sumptis, & in argumento proposito alia esse nequibit, nisi distincta grauitas, & distincta grauitatio, & cùm hanc non percipiamus in duabus libris coniunctis magis, quam in diuisis, consequenter hinc debemus arguere coniunctas non facere totum aliquod distinctum ab ipsis realiter.

Postremò ratio, quæ concludit distinctionem totius essentialis realem à suis partibus, non militat de toto integrali, nam licèt continuum sit per se vnum perfeitate continuitatis, non tamen est per se vnum perfeitate vnionis, quæ est ex per se actu, & per se potentia, & ex materia, & forma, vt veris, & proprijs causis, cùm ergo partes totius non sic se habeant inter se, non poterunt causare totum realiter distinctum. Respondent, quòd illud causant in genere causæ materialis, vt videtur docere Arist. 2. Phys. 31. verum enim est dicere, quòd ex hac parte aquæ, & illa, fit tota aqua. Sed falsum est, totum integrale verè causari à partibus, cùm eius compositio potius sit compositio cum his, quam ex his, vt dicere solent Philosophi, vnitas enim continuitatis aliud non dicit, quàm hanc, & illam partem copulari termino communi, non verò ex hac, & illa parte fieri vnum & Arist. cit. vtitur hac comparatione totius integralis, tanquam exemplo, in quo non debet attendi veritas, sed similitudo, vtitur enim etiam ibi exemplo syllabæ, & tamen constat, litteras non verè concurrere in genere materialis causæ ad syllabæ constitutionem, immo ibi solùm intendit Philos. recensere illa, quæ aliquo modo reduci possunt ad genus causæ materialis.

Resp. aliqui rationes allatas concludere de toto homogeneo, quod à partibus suis non distinguatur, non autem de etherogeneo. Sed certè, & si aliquæ præsertim de toto homogeneo concludant, solidiores tamen æqualiter de omnibus concludunt, vt per eas discurrenti patebit.

178 De toto autem integrali discreto, nempe numero, hoc idem Prob. Tum quia Arist. 3. Phys. 68. appellat numerum vna plura, & non vnum quid, hoc idem repetit 10. Met. tex. 4. & 8. Met. tex. 10. ait non posse dici, numerum esse vnum quid, sed esse quasi congeriem, aut si est quid vnum, sicut definitio, oportet assignare quid sit quod facit vnum ex multis; Et postea tex. 15. resoluens dubium de vnitate numeri, ac definitionis, ait, vnum ex multis constitui, quando se habent vt actus, & potentia, quare cùm partes numeri non ita se habeant, sequitur, numerum in sententia Philosophi non esse verè per se vnum. Tum etiam ratione, quia numerus non est verè ens per se vnum, sed potius aggregatum quoddam per accidens, quamuis per rationem à nobis consideretur per modum vnius, nec consequenter habet veras species, vt diximus in Log. disp. 7. q. 2. & quamuis Scot. 5. Met. q. 9. oppositum sentire visus sit, attamen in 1. d. 24. q. vn. idipsum in dubium reuocauit, & dum in eodem 1. d. 2. q. 7. Hh. enumerat gradus omnes vnitatis, in primo ponens vnitatem aggregationis, in secundo vnitatem ordinis, in tertio vnitatem per accidens, in quarto vnitatem compositi per se, & demum in quinto vnitatem simplicitatis, quæ est identitas, sanè insinuare visus est, numerum esse aggregatum per accidens, cuius vnitas pertinere non possit, nisi ad primum, vel secundùm gradum vnitatis.

In oppositum arguitur 1. auctoritate Arist. & Scoti, Aristot. enim 7. Met. tex. vlt. inquit, syllabam BA. non esse B. & A. sed esse quid ab ipsis distinctum, qua auctoritate motus Doctor dixit 2. d. 16. q. vn. F. quòd præter partes integrales, oportet dare aliquod tertium, quia semper partes integrales faciunt aliquod totum, aliud à qualibet partium per aliquod formale concurrens, idque probat exemplo syllabæ BA adducto à Philosopho. Et 5. Met. tex. 19. idem significauit Arist. de toto integrali discreto, ait enim sex non esse bis tria, sed semel sex, qua auctoritate motus Doct. 3. dist. 22. q. vn. L. docet, quòd quinarius non est vnitates quinque, sed est illud totum, quod resultat ex quinque vnitatibus, aliter si esset illæ vnitates, esset vnum, sicut aceruus, Denique 8. Met. tex. 15. ait, omnium, quæcunque plures partes habent, non est totum, quasi coaceruatio, sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes, & ibi etiam loquitur de numero. Et Scot. in 2. dist. 3. q. 4. H. & in 3. dist. 2. q. 1. §. *Cum arguitur &c.* ait, totum integrale non prædicari de partibus integrantibus sed tantum totum vniuersale, ergo signum est, esse quid distinctum realiter ab ipsis.

179 Resp. ad 1. auctoritatem Arist. sensum illius esse, quòd totum integrale distinguitur à suis partibus singillatim sumptis, quia totum integrale non est solùm hæc pars, vel illa, sed omnes simul vnitæ, inquit enim, quòd BA non est B. & A. sed non ait, quòd non sit B. & A. simul vnita, immo totum integrale non solùm distinguitur à suis partibus seorsim sumptis, sed etiam simul sumptis, & collectiuè, quia vltra omnes partes dicit vnionem ab eisdem realiter distinctam, vt diximus huius quæst. initio de quocunque toto, & ita intelligendus est Doct. 2. dist. 16. q. vn. Ad aliam auctoritatem ex 5. Met. per id, quòd sex non est bis tria, sed semel sex, solùm insinuare voluit, senarium componi ex sex vnitatibus vnitis, & non ex duobus ternarijs, qui sunt duo numeri, & essentiam numeri consistere in ipsa totalitate numeri, qualiscunque illa sit, alias verò comparationes, & proportiones, quas per considerationem partium numeri facere solent Arithmetici, dici potius qualitates numeri, quàm substantiam, voluitque ibi esse magis vnum, quàm sit aceruus, quia habet vnitatem ordinis, quæ caret aceruus, nec ingenuè aliam vnitatem super aceruum intendit ibi Philos. in numeris astruere, & sic etiam intelligendus est Scot. 3. d. 22. q. vn. qui solùm illud assumit, vt exemplum ad declarandum per se vnitatem hominis, quare affert similitudinem, non identitatem.

Similiter dicitur ad aliam auctoritatem ex 8. Met. tex. 15. omnium, quæcunque plures partes habent, non esse totum, quasi aceruum, sed aliquid aliud præter partes, quia vnitas acerui est minima vnitas, vt docet Scot. cit. 1. dist. 2. q. 7. Hh. vnde alia tota vltra vnitatem aggregationis addunt, vel vnitatem ordinis, vel vnitatem per accidens, vel per se, &c. Scot. autem cum ait loc. cit. totum integrale non prædicari de suis partibus, sed benè totum vniuersale, loquitur de illis singillatim sumptis, inquit enim quòd quælibet pars lapidis est lapis, sed non totus ille lapis, cuius est pars integralis, vnde per hoc infertur solùm distinctio totius integralis à partibus suis singillatim sumptis.

180 Secundò obijcit Tatar. multis rationibus, primò, quia totum integrale componitur ex suis partibus, vel igitur totum hic supponit pro aliquo alio à suis partibus, & sic habetur intentum, vel pro *suis* partibus simul sumptis, & tunc idem consonetur ex se ipso, idest partes ex partibus. 2. sequeretur, partes integrales esse partes essentiales, nam duæ medietates aquæ erunt hæc aqua, sed materia, & forma aquæ sunt hæc aqua, ergo materia, & forma aquæ sunt duæ medietates eius, 3. sequitur, finita esse infinita, nam duæ medietates baculi sunt ille baculus, & infinitæ partes proportionales illius baculi sunt ille baculus, ergo infinitæ partes illius baculi sunt duæ medietates eius.

4 Sequitur, idem esse simul, & semel intensè album, & intensè nigrum, capiatur enim scutum, cuius vna medietas sit intensè alba, & dicatur A. alia intensè nigra, & dicatur B. tunc sic arguitur, A. & B. sunt intensè album, & intensè nigrum, scutum est A. & B. ergo scutum est intensè album, & intensè nigrum. Demum sequitur, Petrum obuiam venientem videri à tergo, nam supposito, quòd tibi veniat obuius, sic arguitur; tu vides Petrum, Petrus est suæ medietates, ergo tu vides suas medietates, & tamen nihil vides in parte posteriori.

Resp. hæc, & similia argumenta procedere ex falsa imaginatione, quòd totum integrale non distinguatur à suis partibus diuisim, idest distributiuè, sumptis, aut etiam simul sumptis, idest collectiuè, sed non sub vnione conceptis, quod nos non asserimus, fatemur enim totum integrale distingui ab omnibus suis partibus distributiuè sumptis, quia præter hanc includit illam, & etiam collectiuè, quia vltra omnes, includit vnionem, seù coexistentiam earum, & solùm dicimus, non distingui realiter à partibus simul sumptis cum vnione, vnde ad singula respondendo.

Ad 1. dicimus, in illa propositione, *totum integrale componitur ex suis partibus* supponere totum pro omnibus suis partibus distributiuè sumptis, non collectiuè simul cum vnione, quia sic sunt ipsum totum, & sensus est, quòd singulæ partes, vna alteri coexistens, componunt totum integrale, & omnes collectiuè sumptæ cum vnione sunt ipsum totum; vnde soluitur hoc argumentum eo prorsus modo, quo soluebant Aduersarij primam rationem art. præc. allatam pro distinctione totius essentialis à partibus, quæ ibi non valebat, quia partes essentiales vnitæ non sunt ipsum totum, sed causa totalis illius, cùm inter totum essentiale, & eius partes vera intercedat causa-

causalitas, quæ hìc non intercedit, cùm compositio integralis potiùs sit cum his, quàm ex his; & planè si allatum argumentum concludit distinctionem totius integralis à partibus, concludet etiam distinctionem totius per aggregationem, nam de aceruo potest idem argumentum confici, & debet hìc solui, vt solueretur ibi. Ad 2. dicimus, ex puris affirmatiuis in 2. figura nihil sequi non enim valet dicere, Asinus est animal, homo est animal, ergo homo est Asinus, sic autem concludit illa secunda ratio, est enim ex puris affirmatiuis in secunda figura. Ad 3. negatur sequela, Ad probat. negamus etiam consequentiam, argumentum enim iterum est in 2. figura ex puris affirmatiuis, verum est vtique, illas duas partes æquales vnitas esse baculum illum, & etiam infinitas proportionales vnitas esse baculum illum, sed hinc non sequitur, infinitas partes proportionales esse illas duas æquales, & quando etiam id concederetur, vt sensus sit, infinitas proportionales contineri in duabus, hoc nullum est absurdum. Ad 4. negatur sequela, sequitur enim solum ex illo casu, illarum duarum mediatatum scuti vnitarum alteram esse intensè albam, alteram intensè nigram & in argumento committitur fallacia, nam in maiori A. & B. sumuntur distributiuè, & sensus est, hæc medietas est intensè alba, & illa intensè nigra, & in minori sumuntur collectiuè alioquin minor esset falsa. Ad 5. negatur sequela, ad Probat. dicimus, quòd Petrus est suæ medietates simul sumptæ, & collectiuè, & quando vides Petrum tibi obuium, non vides totum Petrum, idest omnes eius partes, sed tantum aliquas.

181 Tertiò arguitur specialiter de toto eterogeneo, quod si non esset quid vnum à partibus distinctum, non seruaretur vnitas animalis, & esset congeries potius plurium specie distinctorum, carnis, nerui, ossis, &c. quam vnũ ens per se. Arguitur deinde de toto discreto, scilicet numero, quia si non esset quid vnum, tunc vnus numerus specie non differret ab alio, si enim numerus ternarius non esset nisi tres vnitates, quaternarius verò quatuor, esset eadem vnitatum ratio solùm cum multiplicatione, quæ differentiam specificam non facit, sicut maior aqua à minori; specie non differt.

Resp. ad 1. negan. sequelam, ad saluandam enim vnitatem corporis animalis, ita vt informari possit ab anima, non requiritur, quòd totum corpus importet aliquid distinctum realiter à suis partibus, sed sufficit, partes corporis esse continuas inter se saltim secundùm aliquas partes, nam ossa continuantur carni per quosdam nexus, vel apparentes, & visibiles, vel immanifestos propter paruitatem, cerebrum etiam, de quo magis dubitari potest, est continuum cum medulla dorsi, quæ dicitur spinalis, quamuis sit discontinuum cum membranis, vel cranio capitis, vt ait Arist. 2. de pare. anim. c. 7. & talis continuitas sufficit ad saluandam vnitatem corporis animalis vt fusiùs in lib. de Ani. immo Ant. And. 7. Met. q. 6. insinuauit, ad hoc sufficere vnitatem ordinis in partibus corporis, nam cum anima sit forma in informando cæteris perfectior, & illimitatior, sufficit ei pro adæquato perfectibili aliquod vnum totum vnitate ordinis. Ad aliud de toto discreto dicimus, quòd sicut numerus deficit à vera, & per se vnitate, ac entitate, ita differt à vera ratione speciei, vnde plures, vel pauciores vnitates vtique specie non differunt, nisi quatenus ab intellectu accipiunt certam collectionem, & ordinem, atque collectionis, & ordinis vnitatem, vnde à parte rei secluso opere intellectus datur numerus tantum quo ad materiale, quia dantur multi entia numeralia, quæ ab intellectu in vnum colligi possunt, sed quia non habent vnitatem nisi ab intellectu numerante, & illa plura in vnum colligente, ideò quo ad formale non datur numerus nisi per intellectum; Neque etiam si numero aliquam per se entitatem, & vnitatem daremus, & varias species numerorum in rigore admitteremus, propterea cogeremur ponere illum distinctum à suis partibus, & vnitatibus, ex quibus constituitur, hæc enim omnia saluari possent sine tali distinctione.

182 Dicimus 2. totum per accidens, vt est homo albus, non distingui realiter à suis partibus simul sumptis, & vnitis. Concl. est Scoti 3. d. 2. q. 2. §. *Quantum ad tertium, &c.* vbi totum per accidens ex eo distinguit à toto per se, quia hoc dicit tertiam entitatem, illud non. Sed resp. Fuentes nu. 25. Doctorem ibi affirmare solùm partes per se constituere entitatem per se vnam, partes verò per accidens entitatem per accidens vnam, & per hoc distinguere totum per se, à toto per accidens. Sed legatur Doctor. § cit. vers. *Et si quæras, &c.* ibi enim quærens causam, quare ex materia, & forma constituatur entitas tertia alia ab illis, & aliæ partes non ita constituant sua tota realiter distincta; respondet ex Philos. 8. Met. tex. 15. quia partes essentiales sunt per se actus, & eer se potentia, non autem aliæ partes, vnde ex hoc, quòd partes essentiales constituunt entitatem per se vnam, concludit, illam esse realiter distinctam à constituentibus, quia constituitur ab eis per veram causalitatem physicam, ex quo sequitur, quòd si partes per accidens constituunt entitatem per accidens vnam, planè non constituunt illam à se ipsis vnitis realiter distinctam, quia non constituunt illam per veram causalitatem per se actus, & per se potentiæ.

Prob. etiam ratione ex Canon. 1. Phys. qu. 4. art. 4. hæc tertia entitas ex subiecto, & accidente constituta, & ab eis vnitis realiter distincta, vel est substantia, vel accidens à sufficienti diuisione; & neutrum dici potest, & quia neque accidens esse potest pars substantiæ, neque substantia accidentis, & tamen totum per accidens ex vtriusque constat. Accedit, quòd si ex substantia, & accidente resultat tertium compositum, hoc erit perfectius substantia, & accidente, quia omne totum est perfectius sua parte, atque ita dabitur entitas perfectior substantia completa, & subsistente, quod dici non potest. Denique fundamentum Fuentes, quo motus est ad hoc tuendum contra communem Scotistarum, est prorsus falsum, putat enim, inter totum per accidens, & eius partes intercedere veram causalitatem, sicut inter totum essentiale, & eius partes, quod prorsus falsum est, quia in subiecto, & accidente præter vnionem nulla reperitur causalitas, sicut in partibus essentialibus vnitis.

In oppositum obijcit 1. Fuentes, quòd Doctor ipse in hac q. §. *Quantum ad primum, &c.* apertè docet, vnum per accidens non esse suas partes, sicut vnum per aggregationem, & ex Philos. 7. Met. tex. 11. & 12. probat, hominem album esse vnum aliquid; & quoties Doctor tertiam entitatem ab inconuenienti vult probare, ponit exemplum non in toto per accidens sed in toto per aggregationem, vt patet in hac q. & 3. d. 22. q. vn. Resp. Doctorem cum Philosopho dicere, totum per accidens esse magis vnum, quàm vnum aggregatione, vt cumulus, & aceruus, quia vnitas aggregationis est infimus gradus vnitatis, & vnum per accidens addit super illud vnitatem informationis, vt docuit 1. d. 2. qu. 7. Hh. ait etiam cum Philosopho, totum per accidens non esse suas partes etiam simul sumptas, & collectiuè, quia super omnes illas addit vnionem, quod colligitur ex illis verbis Philosophi à Doctore cit. *in hoc homo albus est vnum aliquid, quia albedo inest homini, non autem esse tale totum, si non informaret*, Et demum quoties Doctor probat tertiam entitatem ab inconuenienti, ponit exemplum de toto per aggregationem, vt aduersarium adducat in maius inconueniens.

183 Secundò, supra intulimus distinctionem ex natura rei inter totum essentiale, & partes eius ex contradictorijs, quæ verificantur de illis; partes enim vnitæ constituunt totum, non è contra, partes fundant vnionem, non vnitatem, totum fundat vnitatem, non vnionem, totum constat ex partibus vnitis, non item partes vnitæ constant ex partibus vnitis; at hæc omnia adamussim verificantur de toto per accidens, & eius partibus, vt discurrenti patet, ergo &c. Accedit, nos etiam intulisse distinctionem totius essentialis à suis partibus, quia est terminus generationis substantialis, quæ requirit terminum per se vnum, at generatio accidentalis etiam est mutatio per se vna, & compositum accidentale est terminus primus, & adæquatus illius, sicut substantiale mutationis substantialis ex 1. Phys. 64. & 7. Met. 27.

Resp. negando minorem, duplex enim est compositio physica, alia cum his, alia ex his, inter quas hoc præsertim versatur discrimen, vt Canon. notauit loc. cit. quòd in prima compositionem idem est componens, & compositum, in secunda minimè, quia in prima compositione non intercedit vera causalitas partium in ordine ad totum, at bene in secunda, quare subiectum & accidens verè vnam rem non constituunt, vt materia, & forma; & hinc est, quòd contradictoria illa prædicata verè enunciantur à parte rei de partibus, & toto essentiali, quia fundantur in causalitate partium vera, & reali, quæ quia deficit in toto integrali, & per accidens, ideò metaphoricè solum enunciantur de totis istis, & partibus eorum per analogiam ad partes physicas verè per se componentes, & tandem diuersitas illa omninò procedit ex diuerso nostro concipiendi modo hominem, & albedinem per modum vnius, vel plurium, explicitè, ve implicitè; concipiendo namque per modum vnius, dicimus, album constare ex subiecto, & accidente, concipiendo per modum plurium, dicimus, albedinem cum subiecto constituere album, ratione cuius diuersitatis etiam in modo concipiendi totum per aggregationem dicimus, lapides adunatos aceruum constituere, aceruum constare ex lapidibus vnitis, non è contra, ex quo tamen loquendi modo non arguimus in aceruo tertiam entitatem à partibus ex natura rei distinctam.

Ad 2. negatur paritas, quia mutatio accidentalis non dicitur per se vna à termino primo, & adæquato, vt substantialis mutatio, quia nullus talis acquiritur per mutationem accidentale, sed dicitur per se vna à termino formali, ita Canon. cit. & si talis dicitur, à termino adæquato, hic non erit compositum accidentale, vt entitas quædam tertia, sed vt forma accidentalis in concreto, vt calefactionis calidum, quod de sua ratione formali vnum per se dicit, puta calorem, & aliud connotat, puta subiectum; videantur Regent. Parisienses 1. Phys. q. 4. cit.

DISPVTATIO SEXTA.

De Natura.

MVltipliciter hoc nomen naturæ solet vsurpari, vt omnes ferè Doctores adnotant in principio huius disputationis; Primò enim accipitur quasi collectiuè pro tota entium vniuersalitate, quo modo dicimus, aliquid esse in rerum natura. Secundò pro ipso Deo, quia à D. August. 15. de Trin. c. 1. natura creatrix, & ab aliquibus natura naturans appellatur. Tertiò pro tota causarum creatarum serie secundum naturam operantium, quo sensu solet dici, quòd natura nihil faciat superfluum, non deficiat in necessarijs, vacuum refugiat, faciat optimum, quod potest, & quòd opus miraculosum vires excedat naturæ. Quartò pro agente absque electione, & libertate, vt sunt bruta, plantæ, & inanimata. Quintò pro generatione viuentium, quæ natiuitas dicitur, nam natura dicitur à nascendo, & multis alijs modis; sed præcipuè accipi solet pro ratione, & proprio conceptu cuiuslibet entis, siue reale sit, siue rationis, vndè solemus dicere, hanc, vel illam esse entis realis, vel rationis naturam; magis tamen pressè pro vera, & reali quidditate, ratione cuius definitio dicitur naturam rei explicare, in qua significatione duo munera habet, vt in præceden. disputat. quæst. 1. innuimus; primum est, vt sit in aliquo esse constitutiua illius rei, cuius est natura, quomodo essentia, & quidditas maximè vocatur; secundum, vt sit principium operationum connaturalium illius rei, & hoc pacto specialiter natura appellatur. In præced. disputat. explicauimus primum officium naturæ, vt corpus naturale constituit dum principia in facto esse declarauimus restat, vt ipsam consideremus, vt principium operationum naturaliter rem ipsam consequentium, in qua acceptione dixit Arist. 2. Phys. 6. Quòd autem sit natura, tentare demonstrare, ridiculum est, non quòd dari naturam sit prorsus indemonstrabile, quamuis enim à priori nequeat demonstrari, eò quia essentia, seu quidditas non habet aliud principium antecedens, per quod, tanquam per medium demonstrari possit, vt in lib. Post. dicitur, est tamen à posteriori demonstrabile per effectum, eò quòd motus non est à se ipso, ergo ab aliquo principio, sed hoc dicit Philosophus, quia notissimum est, reperiri tale principium, sicut notissimum, est dari eius effectum, scilicet motum, quare ad eius definitionem declarandam accedamus.

QVÆSTIO I.

An natura rectè ab Aristotele definiatur.

NAturam definiuit Aristot. 2. Phys. 3. dicens; *Natura est principium, & causa mouendi, & quiescendi, in quo est, primùm, per se, & non secundùm accidens*, Alij legunt, *est principium, & causa, vt id moueatur, atque quiescat, in quo primò est*, quæ definitio, vt intelligatur, singulæ particulæ erunt explicandæ. Et quidem maximè circa primam particulam, & scilicet *est principium, & causa* (suppo-nimus enim ista duo pro eodem sumi in præsenti, & causam apponi claritatis gratia, vnde 3. Phys. 1. principium solum apposuit) discrepant Doctores circa alias verò non multùm differunt; etenim cùm causa quatruplex sit, materialis, formalis, finalis, & efficiens, quæ adhuc est duplex, vel immanens, vt cum effectum causat in se ipsa, vel transiens, vt quando in subiecto distincto producit effectum; hinc.

Aliqui dixerunt, naturam solummodo esse principium operationum passiuum, & in genere materialis causæ ita Simpl. 2. Phys. com. 12. & est communis apud Scotistas, citantes Scotum in 2. dist. 2. q. 10. F. & dist. 18. §. *Contra primum, &c.* & 4. dist. 43. q. 4. sic Tatar. 2. Phys. q. 1. Fuentes q. 1. diff. 2. Sghemma digres. 8. q. 4. Faber Theor. 33. Alij solùm actiuum esse dixerunt, ita Vallef. Contr. 11. Phys. Vasq. 1. 2. disp. 25. c. 3. Communis tamen opinio, tam apud Antiquos, quam apud Recentiores per principium, tam passiuum, quam actiuum intelligunt, quam ex Nostratibus sequuntur Regentes Parisienses 2. Phys. q. 1. quæstiunc. 2. collat. vbi soluendo 2. arg. aiunt, quod natura in quibusdam respectu quorundam motuum est principium actiuum, & respectu quorundam est principium passiuum, subscribunt insuper Bonet. lib. 4. suæ Physicæ, vbi expressè hanc partem tuetur Lichet. q. 1. Prol. §. *Sed in ista littera occurrunt duæ, &c.* Bassol. 2. d. 18. q. vn. ar. 1. ad 5. Gratianus ibidem, & Barg. 1. d. 13. q. vn. §. *Ad argumenta principalia, &c.* Differunt verò isti Authores, quia aliqui, vt Murcia 2. Phys. q. 1. Ferrar. q. 1. asserunt, dici de principio actiuo, siue immanente, siue transeunte; alij verò communiter tantùm de immanente. Differunt etiam, quòd aliqui volunt, æqualiter naturam dici de vtroque; Alij principalius de actiuo, Alij è contra principaliùs de passiuo. Addunt insuper aliqui Scotistæ, naturam de vtroque dici, suppositа coordinatione causarum secundarum, & in sententia Philosophi, quia sic actiuum est verè, & per se internum, & in hoc sensu, aiunt, loquitur Scot. q. 1. Prol. Q. at simpliciter loquendo, natura solùm de passiuo dicetur, quia sic accidit principio actiuo, quòd sit internum, cùm possit à Deo suppleri, & impediri, quo modo intelligendus est Scot. in 2. & 4. cit. dum asserit, naturam tantum de passiuo dici. Tandem aliqui, vt Auersa q. 9. sect. 4. asserunt, principium non solùm in genere causæ efficientis, & materialis sumi in definitione naturæ, verùm etiam in genere causæ formalis, & finalis, quatenus forma, quæ est natura, in generatione rationem habet termini formalis, & finis; sequitur etiam Masius 2. Phys. c. 2. q. 6. & probabilem putat Amicus tract. 8. q. 10. dub. 2. Addunt Conimb. 2. Phys. cap. 1. q. 3. art. 2. Animam respectu vitalium operationum, & formam cœlestem erga motum circularem dici naturam in genere etiam formalis causæ.

ARTICVLVS I.

Declaratur, quo modo principium sumatur in definitione naturæ.

3 OBseruandum ex Scot. q. 1. Prol. §. *Ad quæstionem, &c.* & locis cit. quòd naturale prout naturalitas competit operationibus in ordine ad principium, variè sumitur, & diuersis opponitur, vno enim modo opponitur supernaturali, vel libero, & in hoc sensu attenditur naturalitas absque controuersia penes principium actiuum, vnde operatio illa dicitur naturalis, quæ est ab agente naturali, idest habente ordinem naturalem ad passum, supernaturalis verò, quæ fit ab agente supernaturali, idest excedente omnem ordinem naturalem ad passum; & operatio illa dicitur libera, quæ est à principio ad actionem intrinsecè indeterminato, vel se determinato, vel se determinante, naturalis verò, quæ est à principio intrinsecè determinato ad agendum. Alio modo naturale opponitur violento, & neutro, & ita naturalitas respicit subiectum, in quo recipitur operatio, & forma, adeò vt si operatio, & forma sit secundùm inclinationem subiecti, dicetur naturalis, & principium receptiuum eius naturale; si fuerit contra inclinationem subiecti, dicetur violenta; si tandem neque iuxta, neque contra inclinationem, dicetur neutra. Verùm huic communi Scotistarum doctrinæ addendum est, quòd sicut duplex datur violentia in rebus, alia priuatiua, quæ fit per subtractionem alicuius operationis, vel formæ connaturalis, qualem violentiam pateretur aqua sub sola carentia frigoris, & de facto patitur homo visu priuatus; alia positiua, quæ fit per positionem alicuius repugnantis naturali conditioni subiecti, in quo statu foret aqua sub calore; ita quoque duplex dari debet naturalitas, etiam vt opponitur violentiæ, vna, quæ consistat in conformitate operationis, vel formæ ad inclinationem passiuam subiecti, quo sensu forma substantialis dicitur naturalis materiæ primæ, altera quæ consistat in conformitate operationis ad inclinationem actiuam ipsius agentis, quo sensu ignire dicitur operatio naturalis ignis, nam præter inclinationem passiuam rebus, qua dicantur determinatæ ad sic, vel sic patiendum, dari etiam debet inclinatio actiua, qua determinatæ dicantur ex earum innata constitutione ad sic, vel sic agendum, vt notauit noster Gadius quol. 19. cùm ergo naturale in præsenti propriè sumatur, prout opponitur violento, sicut violentum illud est, quod naturæ rei, eiusque inclinationi contrariatur, ita illud principium naturale in hoc sensu dicetur, quod in suo actuali exercitio, vel aptitudinali eidem conformatur; & de isto quæritur, an sit actiuum, vel passiuum, formale, aut finale.

4 De isto etiam principio naturalis dupliciter loqui possumus, vel physicè, vel Metaphysicè, vnde Arist. tam in 2. Phys. quàm in 5. Met. 5. locutus est de natura, cum hac tamen differentia, quòd Physicus considerat res naturales, vt mouentia sunt mota, seu vt motui subijcibilia, at Metaphysicus, vt à motu abstrahunt, & potius vt immobilia, quamuis vt mouentia consideret; hinc Arist. 2. Phys. 71. & 3. Phys. 8. dixit, mouentia mota esse physicæ considerationis, non sic mouentia non mota, sed altioris esse scientiæ, scilicet Metaphysicæ, quia hęc non habent principium motus in se ipsis, vt illa. Ex quo colligitur, quòd agere de principio actiuo transeunte, vt sic, quomodo mouens non motum dicitur, ad Metaphysicum spectat, sed agere de principio actiuo immanenti pertinet ad Physicum, non quidem principaliter, & primariò, sed in ordine ad passiuum principium, & vt passiuo coniunctum, quia corpora considerat vt mobilia. Hoc præaccepto.

5 Dicimus primò, naturam vtique principio, tam actiuo, quàm passiuo, siue immanenti, siue transeunti conuenire, absolutè loquendo, at secundùm Physicam considerationem primario, & principaliter dici de passiuo, de actiuo verò immanenti non nisi dependenter à passiuo, cui est coniunctum, & consequenter principium in definitione naturæ principaliter supponit pro passiuo, secundò pro principaliter etiam pro actiuo immanenti. Concl. est Doctoris locis initio quæst. cit., præcipuè in q. 1. Prol. Q. vbi habet, quod illa propositio, omni passiuo naturaliter correspondet principium actiuum, non est vniuersaliter vera, loquendo de natura, vt principium est motus, & quietis in 2. Phys. definita, *quia non correspondet omni passiuo naturaliter principium actiuum, quod sic sit natura, quia multa sunt naturaliter receptiua alicuius perfectionis, cuius non habent principium intrinsecum actiuum*, itaut per Scotum, quæ habent tale principium actiuum intrinsecum, dicuntur habere naturam 2. Phys. definitam; potest etiam colligi ex comm. Doctoris super 5. Met. tex. 5. vbi Doctor, & si primò dicat, naturam esse principium passiuum tantum, tamen addit in fine illius cap. & si forma, vt principium actiuum ponatur natura, non repugnare hoc dictis superius, quod natura sit principium passiuum, & sic exponit illa verba Arist. dicentis, *generationes, & generari, quia sunt ab hac motus*, scilicet dici generationes naturales, eo quod à forma proueniunt, vt à principio Quo. Et primò quod natura, absolutè loquendo, de quocunque principio etiam actiuo dicatur, probari potest innumeris Philos. auctoritatibus, vt est allata ex 5. Met. esse enim *ab hoc*, vt à principio, dicit actiuitatem, idem repetit 2. Phys. 13. dicens, formam esse naturam, quia res naturales generant similia per formam; tex. 80. probat, naturam agere propter finem, quia aranea conficiendo telam, & hirundo nidum, naturaliter operantur, & tex. 3. ait, medicinam non esse naturam in medico ægroto; quia est principium per accidens, non per se in medico, at si natura non est principium actiuum, non oportebat ipsam ab arte distinguere, eo quia est principium per se, ars vero per accidens in medico, sed quia illa est passiuum, hæc vero actiuum, item 1. de part. Anim. c. 1. ait, animam esse naturam, quæ & vt mouens est; & infra, non omnem animam esse naturam, sed quæ principium est auctionis, alterationis, & motus; 8. etiam Phys. 27. ponens differentiam inter mouentia mota penes principium actiuum, ait, quæ à se ipsis mouentur, naturaliter moueri, quia principium internum habent: clarius 9. M. 13. ait naturam esse eiusdem generis cum potentia actiua, & solum differre, quia potentia est principium motus in alio, natura in eodem, in quo est; item 3. Met. 7. & 4. Met. 23. ait, substantias abstractas esse naturas immobiles; quibus auctoritatibus variè respondetur ab Aduersarijs, sed potius sensum extorquent, quam explicent.

6 Secundò idem Prob. ratione; Non minus naturale est igni debitè approximato, calefacere, & aquæ calidæ se reducere ad pristinam frigiditatem, pro vt naturale opponitur violento (vt euasio Scotistarum de medio tollatur, dicentium, principium actiuum naturale dici, pro vt à libero, vel supernaturali distinguitur, non vt violento opponitur) quam graui deorsum ferri, sed ista conueniunt igni, & aquæ, vt actiua sunt, ergo &c. Maior prob. non minus violentum est igni impediri à calefactione, quando est debitè approximatus, vt fuit in fornace Babylonis, & aquæ calidæ potenti se reducere, si à Deo impediretur per suspensionem concursus, quàm graui detineri sursum; quod probatur, quia esse sursum, ideo est graui violentum, quia est contra aptitudinem ad recipiendum vbi deorsum, quæ cùm ex principijs intrinsecis proueniat, dicitur naturalis, & pati dicitur violentiam, quia impeditur ab actu secundo, & à receptione illius vbi, quo aptitudo, & potentia illa actuatur, sed aptitudo, & potentia, quam habet ignis ad calefaciendum, etiam fluit à principijs intrinsecis eius, estque passiuò igni identificata, ergo quando impeditur ab actu secundo per suspensionem concursus, estque debitè approximatus, verè patitur violentiam, & si non positiuam, saltem priuatiuam, quia vtrobique fit contra naturales aptitudines, & innatas, & vtraque aptitudo proprijs actibus, in quos tendunt, vna actiuè, altera passiuè, priuatur, idem de aqua dicendum. Tum quia materia est in potentia naturali ad omnes formas, ex dictis disp. 2. q. 5. art. 1. & ex hoc præcipuè arguitur, quia si omni forma spoliaretur, esset in statu quodam violento priuatio, non positiuo, qui status nequit materiæ conuenire, cùm omnes respiciat formas indiscriminatim, & sub qualibet naturaliter quiescat, & solùm violentantur, cum omni forma caret, ergo quia agens pati potest hanc violentiam priuatiuam, si aget, dicetur naturaliter agere, pro vt naturalitas isti violentiæ opponitur. Tum quia violentia, & coactio, seù inuoluntarium idem sunt apud Doctores, sicut naturale, & voluntarium (non sumendo voluntarium, pro vt coincidit cum libero, aliter non esset in brutis, sed prout est iuxta impetum innatum appetitus, siue rationalis, vt fusiùs in tract. de actibus humanis dicitur) cum hac tamen differentia, quòd violentum, & naturale sunt in rebus non cognoscitiuis, in cognoscitiuis autem adest ratio coacti, inuoluntarij, & voluntarij, quare penes connotata tantum differunt, vnde Arist. 3. Ethic. cap. 1. definiens violentum, quòd sit, cuius principium est extra, non conferente vim passo, deducit postea definitionem voluntarij, dicens, *Cum autem id inuitus quispiam agat, quod vi, & ob ignorantiam agit, id sua profectò sponte, quispiam videbitur agere, cuius principium est in ipso agente cognoscente singula in quibus est actus*, Et Scot. 4. dist. 29. q. 1. §. *Ad quæstionem, &c.* ex violentia, quam potest aliquando voluntas pati, ait, causari in ipsa inuoluntarium, seu violentum, nam violentum à vi deriuatur: sed hæc violentia attenditur etiam penes principium actiuum, ergo, & naturalitas, minor Probatur ex definitione assignata ab Arist. dicente, violentiam cadere in actione; & ex Scot. citato, docente, voluntatem posse pati vim eliciendo aliquem actum, quem aliàs non eliceret; & omnes Doctores fatentur, bruta simpliciter posse à Deo cogi, saltem priuatiuè, non concurrendo ad actus, quos elicerent. Tum quia illius principij est voluntarium, seu naturale causare, cuius est singula cognoscere, tale autem est actuum. Insuper D. Nissenus lib. 5. Philosophiæ cap. 1, ait. *Omne igitur voluntarium in actione quadam est*, & D. Damasc. 2. de fide cap. 24. *Quoniam*, inquit, *id quod sponte fit, in actione quadam est positum, id quoque, quod inuitè fit, in quadam etiam actione versetur, necesse est*, ergo nisi velimus de nomine contendere, si in principio actiuo vera ratio coactionis, & violentiæ reperitur, debemus quoque rationem naturalitatis oppositæ admittere.

7 Respondent, actionem naturalem dici à principio actiuo, non reduplicatiuè, vt actiuum est, sed specificatiuè, & idemicè, quatenus cum passiuo identificatur, loquendo de principio actiuo immanenti; principium verò transiens non dicitur natura, eò quia natura est principium motus in eo, in quo est.

Sed contra, quia argumenta probant, actionem naturalem dici à principio actiuo, vt actiuum est, vnde tam de immanenti, quam de transeunti concludunt; & quamuis ad rationem naturæ secundùm physicam considerationem requiratur, vt sit in eo, in quo est, vt diximus nu. 4. absolutè tamen hoc non requiritur, quia simpliciter loquendo, ratio violentiæ in principio actiuo reperitur, etiam transeunte. Tum quia, quamuis per hoc euitetur, quod calefactio non sit igni naturalis, prout natura hìc definitur, quia est actio transiens, natura verò hìc definita est principium motus eius, in quo est, atque ideo immanentis; per calefactionem autem non mouetur ipse ignis, sed subiectum alienum ab ipso calefactum, adhuc tamen non euitatur instantia de frigefactione aquæ ad pristinum frigus redeuntis, hæc enim actio verè est immanens, & natura aquæ est principium huius motus in se ipsa non tantùm passiuum, sed etiam actiuum, ergo, tota naturæ definitio, prout hìc definitur à Philosopho ei competit. Dices frigefactionem actiuam non esse motum, quo mouetur aqua, sed frigefactionem passiuam, & propterea principium actiuum, ratione cuius competit ipsi frigefactio actiua, non esse naturam, prout hìc definitur à Philosopho. Contrà, hoc nihil iuuat; vt enim illi competat definitio naturæ ab Arist. traditæ, sufficit, quod natura aquæ sit principium quoque actiuum frigefactionis passiuæ in se ipsa, eo enim ipso erit principium actiuum motus eius, in quo est.

Resp. alij, principium actiuum non dici naturam, eò quòd non est principium per se motus, cùm possit separari, vt si Deus se solo reduceret aquam ad pristinam frigiditatem, at passiuum semper est principium, implicat enim, Deum inducere frigus in aqua, quod tamen non fit (secundùm aquæ inclinationem. Non valet, quia saltem in sententia Arist. possibilitatem huius impedimenti non cognoscentis, & cum æquè per se secundùm ipsum tam actiuum, quam passiuum insit rei, natura de vtroque dicetur. Tum quia ex hoc cap. etiam, quod possit impediri à Deo, & à proprio exercitio, & actu secundo separari, arguere debemus, cum agit, & non impeditur, naturaliter, quia quando non agit, violentiam patitur, sicut passiuum quando à propria forma separatur, quia tunc pati dicitur violentiam, arguimus, naturaliter recipere formam illam, quando in ipso introducitur. Tum quia quòd actualiter agat, vel non parum refert, est enim per accidens, sufficit, vt habeat innatum, & radicale principium ad agendum, sicut adhuc homo risibilis dicitur, quamuis actu non rideat. Tum quia generatio, nutritio, & augmentatio, ita sunt actiones naturales, vt essentialem dependentiam dicant ad potentias generatiuam, & nutritiuam, quæ dependentia nequit à Deo suppleri, ergo principium istorum actuum erit verè natura, Antecedens probatur, si Deus ex materia alimenti educeret formam carnis, illamque præexistenti carni viuentis vniret, vel aliquod viuum ex semine generaret, non per hoc viuens nutriri, vel augeri dicetur, aut generare, quia cum sint actiones vitales, à principio vitali intrinseco essentialiter dependent, vt dicetur in lib. de Anima. Tum quia voluntas nostra non solùm est naturaliter summè receptiua actus beatitudinis, quatenus in potentia merè passiua est ad receptionem illius actus, sed petit vitaliter actu illo operari circa obiectum, non enim intelligere, & velle consistunt formaliter in receptione actuum intellectionis, sed intendentia potentiæ in obiecto medio actu vitali, in qua tendentia vtilitas consistit; at hoc, quod est vitaliter operari circa obiectum, potius ad rationem principij actiui, quam passiui pertinet.

8 Dices, talem potentiam non posse dici naturalem, quia obedientialis est, & eleuata per habitum à Deo. Concedimus necessitatem eleua-

eleuationis, qua ratione obedientialis dicitur, sed nequit negari potentia partialis actiua in potentijs animæ ad illos actus, non enim merè mortuè se habent, sed vitaliter operantur, qua ratione Damnati dicuntur esse in statu violento, non solùm quia actum beatitudinis non recipiunt, verùm etiam quia per illos actus vitaliter circa Deum obiectum infinitum non operantur. Tum quia ratio vrget in actibus naturalibus, quibus potentiæ alia obiecta creata naturaliter respiciunt.

Dices etiam, in casu posito ignis non comburentis non violentari principium actiuum, quia res omnis est in perfecta potentia obedientiali, vt in ea, & ea fiat, quicquid Deus voluerit, ratione cuius omnis tollitur violentia, vt tenet Aluarez p. 2. disp. 37. alios citans, cum quibus concordare videntur Lichet. 3. d. 1. q. 1. & Tatar. quodl. 19. vnde si violentia principio actiuo non conuenit, neque naturalitas opposita conueniet; Sed non satisfacit. Tum quia assumptum est falsum, vt docet Scot. 3. d. 27. §. *Ista rationes, &c.* & 2. d. 3. q. 10. E. & 4. d. 49. qu. 13. li. quia implicat, aquam v. g. sursum ascendere, & non contra eius inclinationem, nam quandiù manet aqua, manet forma aquæ, & quandiù hæc manet, etiam manet inclinatio ad motum deorsum, ergo si in principio passiuo (quod magis est in potentia obedientiali ad Deum, quam actiuum quia in illo potest formam oppositam introducere, non tamen potest istud eleuare ad productionem contrariæ formæ, vt aqua ad productionem caloris, vt dicemus disp. seq., cum de potentia obedientiali agemus) non tollitur ratio violentiæ propter potentiam obedientialem, multò minus ab actiuo tolletur, sit à propria actione impediretur. Tum quia potest etiam aliquod actiuum naturaliter impediri, vt cum graue sursum detinetur, ne deorsum descendat, hoc enim est contra principium passiuum, & actiuum, quia à seipso deorsum mouetur, vel cum propter impetum impressum sursum pellitur; & tandem cum res quælibet se ipsam quærit conseruare, sed à contrario agente impeditur ista vis actiua, ex quo sequitur destructio illius rei, quæ violenta quoque dicitur, non respectu materiæ, sed respectu rei, & non solùm contra passiuum principium, sed etiam contra actiuum.

9. Tertiò: quòd de passiuo etiam dicatur, & vbi actiuum, & passiuum sunt coniuncta, principaliùs passiuo conueniat, actiuo verò minus principaliter, & à passiuo dependenter, probari potest rationibus illis, quibus q. seq. art. 2. ostendemus, materiam esse naturam. Tum quia Philos. clarè hoc asseruit in 2. Phys. 71. vt diximus in Not. & tex. 3. definiens naturam iuxta lectionem Græcorum, ait, *esse principium, vt moueatur, & quiescat* & tex. 5. exemplificans de his, quæ secundùm naturam sunt, dicit, vt ignem ferri sursum, & 8. Phys. tex. 32. ait, grauia, & leuia naturaliter moueri, quia principium habent intrinsecum patiendi. Tum quia ratio violentiæ verè attenditur in ordine ad passiuum, vt patet ex dictis, ergo etiam ratio naturalitatis. Tum quia vt arguit Doctor, illud est principium principalius, & independens, quo posito, & circumscripto alio, vel variato, sequitur effectus, sed posito, quòd forma sit iuxta passi inclinationem, quomodocumque actiuum varietur, immo quandiu permanet passum sub illa forma, itaut actiuum non amplius agat, ponitur ratio naturalitatis, vnde subiectum naturaliter respicit formam illam, & naturaliter possidet illam; & si forma est contra passi inclinationem, dato quod iudicatur à principio actiuo interno, adhuc violentus est motus, vt cum homo eleuat manum, motus ille respectu manus est violentus, quamuis respectu totius hominis possit dici naturalis, vt Doct. 4. d. 49. q. 13. I. & Arist. 8. Phys. 27. ergo natura principalius, & independenter de passiuo dicitur, de actiuo verò quando sunt in eodem vnita, nonnisi à passiuo dependenter, & maximè secundùm physicam considerationem, vt diximus in Not. Quapropter concludendum est, ly *principium* in definitione naturæ sumi principatius pro passiuo, minus principaliter pro actiuo.

Sed Contra arguitur 1. ostendendo, nullo modo naturam esse principium. Ratio naturæ est essentialis rebus naturalibus, at principium, cum sit quid relatiuum ad principiatum, nequit esse de essentia alicuius absoluti, qualis ponitur res habens naturam. Tum quia ratio principij est distincta ab essentia rei, quæ solùm rem constitutam respicit, vbi principium respicit motum, & passiones, ergo si natura est de essentia rei non erit principium. Antecedens patet, quia licèt multæ res soleant explicari in ordine ad motus, & proprias affectiones, tamen multæ etiam sine tali ordine quidditatiuè explicantur.

10. Resp. ad 1. naturam sumi dupliciter, vel formaliter, quomodo dicit relationem principij, vel fundamentaliter, vt significat fundamentum talis relationis; primo modo non est de essentia rei, estque quid relatiuum, secundo modo dicit entitatem fundantem, quæ est quidditas rei, & quid absolutum; & quamuis multi Scotistæ asserant, principium hic formaliter sumi, rectiùs tamen dicetur, si fundamentaliter sumatur, vt Parisienses cit. exponunt ad 1. princ. intentum enim Philosophi est hic aperire rationem formalem constituentem corpus naturale in esse obiecti Philosophiæ, quæ est naturalitas fundamentaliter, non formaliter sumpta, & sic dicendo, saluatur definitionem naturæ esse essentialem, quod saluari non potest, si dicatur, principium sumi formaliter, quia respectus non est de essentia absoluti: & quod addunt Recentiores, relationem principij transcendentalem esse de essentia naturæ, procedit ex falso fundamento, quod relationes huiusmodi sint de essentia absoluti, quod falsum esse iam in Log. ostendimus. Ad 2. dicimus, conceptum adæquatum quidditatiuum rei etiam rationem principij fundamentalis includere, & si aliquando explicitè non significetur, quod fit, cum per aliquod posterius definimus res, quales sunt passiones effectus, quare ratio principij fundamentalis, & essentia rei distinguuntur vt conceptus, quasi inadæquati, vt colligitur ex Scoto 2. d. 1. q. 6. §. *Dico tunc, &c.* vel potius penes modum concipiendi rem explicitum, & implicitum.

Secundò arguitur, ostendendo, nullo modo naturam dici de principio actiuo; Tum primò, quia Scotus in 2. & 4. sæpè cit. apertissimè docet, naturam solùm de passiuo dici, & actiuum extrinsecè tantum ad ipsam pertinere, quod etiam asseruit de violentia, cuius ratio in ordine ad repugnantiam passui principij sumitur, actiuum verò quid extrinsecum ponit; & si artificialia à naturalibus penes actiuum principium differunt, tunc ait Scot. natura sumitur, pro vt ab agente à proposito distinguitur, quibus in locis loquitur Doctor, non solùm simpliciter, & absolutè, verùm etiam secundùm Philosophi mentem, hoc enim probat ex varijs Philos. auctoritatibus, puta ex 8. Phys. 32. & 2. Phys. 3. & 5. vt in probatione Concl. nos etiam adduximus. Tum 2. quia natura est principium internum, at principium actiuum inter externa numeratur. Tum 3. quia motus nullum respectum dicit ad agens, sed solum ad materiam, formam, priuationem, quæ ipsius principia ponitur, ergo principium motus actiuum non erit, sed passiuum, aliter quatuor mutationis principia. Tum 4. quia principium immanens non est principium primum motus, neque est principium vt res moueatur, sed vt moueat, & secundarium, à passiuo dependens, ergo natura non erit, quæ principium primum debet esse, & vt res moueatur. Tum 5. quia nec principium actiuum transiens erit natura, quia natura siue Physicè, siue Metaphysicè consideretur, semper debet esse principium motus eius, in quo est, quomodo non solùm in Physica, verùm etiam in Metaphysica definiuit, Arist. in 5. enim Met. 5. ait, *natura est substantia eorum, quæ in se ipsis, vt ipsa sunt, motus principium habent*, & 6. Met. 1. idem repetit, & 9. Met. 13. ait, potentiam actiuam esse principium transmutandi aliud, inquantùm aliud, at *naturam esse principium motiuum, non tamen in alio, sed in ipso, prout ipsum*, quod priùs docuerat 3. Cœli 28. Tandem quia sequitur, Deum, Angelos, ignem &c. esse naturas respectu corporum, in quæ agunt, ex hoc, quod natura est alicuius natura, & eius, in quo motum exercet, quæ omnia sunt falsa.

11 Resp. ad 1. clarum esse, Scotum loc. cit. loqui de natura, pro vt de ea loquutus est Arist. 2. Phys. nam suum assertum probat ex varijs Philos. dictis, tum in 2. tum in 8. Phys. & consequenter nunquam loquutum esse de principio transeunte actiuo, sed tantum immanente; & quia hoc principium natura dicitur à passiuo, dependenter, hinc si ly *primò* in definitione naturæ explicetur pro hoc, quod est primariò, simpliciter, & independenter solum de passiuo natura dicetur, & in hoc sensu intelligetur Scot. loc. cit. quod patet ex ipso contextu probat enim quòd si præscindamus principium actiuum adhuc saluatur per se naturalitas, & simpliciter; ponderentur quæso eius verba 2. d. 18. q. in C. vbi sic loquitur, Ad hoc igitur, quod motus sit naturalis, sufficit, quod potentia passiua rei sit ad talem formam inclinata, nec requiritur ibi principium actiuum intrinsecum, sed à quocunque agente agatur, erit quod acquiritur simpliciter naturale solum propter illam inclinationem ex parte principij passiui, vnde graue, posito quod non habeat in se principium passiuum descensus, à quocunque tamen actiuè descendat, mouetur naturaliter, ita Doctor, esse ergo quòd de principio independente est sermo, nec negat principium actiuum intrinsecum esse naturam, sed solum ait non necessariò requiri tale principium ad naturalitatem motus, & solum passiuum sufficere, & est idipsum, quod nos in conclusione asserimus: si vero ly *primò* accipitur, prout conuertitur cum per se, & ab hoc, quod est esse per accidens, vel à principio instrumentali distinguitur, sic natura conuenit principio actiuo immanenti, quia per se, & non per accidens corpori naturali conuenit, & in hoc sensu secundùm Scot. q. 1. Prol. definitio naturæ 2. Phys. tradita competit actiuo immanenti. Posset etiam dici, Scotum in 2. d. 18. & 4. d. 43. loqui de naturalitate, pro vt violentiæ positiuæ opponitur, quo modo naturalitas tantum de passiuo dicetur, quia vt notat Scot. in 4. d. 29. B. non potest elicitiuè, & positiuè potentia aliqua violentari simpliciter, talis enim potentia non esset naturalis, quia si talis esset, naturaliter, & non violenter ageret, neque obedientialis, quia hæc non datur, nisi in agentibus habentibus aliquam proportionem, & actiuitatem inchoatam cum effectu producendo, vt dicemus disp. seq. nullum autem agens potest talem potentiam habere respectu effectus propriæ naturæ repugnantis, quare solùm violentia priuatiua potest principio actiuo competere, & consequenter naturalitas ipsi opposita; quòd autem ita loquatur Scotus, patet ex hoc, quòd cum tam in 2. dist. 18. quàm in 4. d. 43. q. 4. dixisset passum in ordine ad formam esse vel in potentia naturali, vel violenta, vel neutra, addidit in materia nullam esse violentiam, eò quia est ad omnem formam inclinata, & tamen ex dictis disp. 2. q. 5. art. 1. materia prima, si esset sine omni forma, esset in statu quodam violento, non violentia positiua, sed priuatiua; sed quomodocunque hoc sit, certum est, Scotum hac in re ad vtranque partem interdum inclinasse

(quamuis vbi loquitur ex professo inclinet magis ad negantem naturam de actiuo) & ideo nobis relinquitur facultas implectendi vtramque partem.

12 Ad 2. facillimè occurritur causam efficientem dici extrinsecam respectu effectus producti, quo sensu etiam principium passiuum est extrinsecum motui, at vtrumque est rei naturali intrinsecum. Ad 3. natura non solùm est principium motus actualis, verum etiam mobilitatis, quo modo ab essentia vt actiua dependet, vt docet Doctor 1. dist. 3. q. 7. S. est principium etiam formarum per motum naturalem acquisibilium, vt dicemus art. seq. quapropter & si agens ad formalitatem motus actualis non pertineat, attamen ad ipsum spectat concomitanter, quatenus est principium formæ, actionis, passionis, subiecti, & proprietatum rei naturalis. Ad 4. patet ex dictis ad primum huius secundi principalis. Ad 5. negatur Metaphysicè loquendo, naturam solùm de principio immanenti dici; comprobatur per Arist. dicimus, sensum definitionis in 5. Met. assignatæ hunc esse, natura est substantia eorum, quæ habent principium motus in se ipsis, ita vt verè principium illud in illis rebus reperiatur, quatenus ipsa sunt, idest quòd tale principium intrinsecè, & essentialiter illis conueniat, vnde hæc inexistentia ad principium refertur, non ad motum, quo modo verè principio actiuo transeunti conuenit; in 6. verò Met. loquitur de natura, prout à Physico consideratur, assignat enim ibi rationem formalem obiecti Philosophiæ, & ideò ait, naturam esse principium motus inexistentis in eo, cuius est natura, quod etiam docet 11. Met. cap. 1. & sum. 3. cap. 1. in 9. Met. ponit discrimen inter potentiam actiuam, & naturam secundùm physicam considerationem, vt priùs dixerat in 6. & in 3. de Cœlo. Ad vltimam negamus, Deum, Angelos, ignem, &c. esse naturas corporum, in quæ agunt, sed potius in ordine ad se ipsos, quia non sunt natura in his casibus, vt principia actiua immanentia, sed vt transeuntia, sic Deus natura dicitur creatrix à D. August., & si nullam violentiam pati possit, verè tamen agit iuxta propriam naturam, Angeli, quoque, quatenus agunt iuxta proprias naturales potentias, dicuntur habere naturam.

13 Tertiò arguitur, quòd nullo modo natura de passiuo dicatur. Tum primò quia secundùm Scot. 4. dist. 49. q. 13. ad 3. si aqua deorsum descenderet relicto vacuo, motus ille esset simpliciter violentus, & tamen iuxta aquæ inclinationem, ergo naturalitas non debet attendi penes principium passiuum: corruptio rei dicitur naturalis, & tamen contra eiusdem inclinationem. Tum 2. quia si à Deo ignis deorsum moueretur, non esset talis motus violentus, quamuis contra propriam inclinationem, quia ad motum violentum requiritur, quòd passum faciat vim, & resistat agenti, quod innuitur ab Arist. cum definit violentum, cuius principium est extra, non conferente vim passo, quod Scot. in 4. dist. 29. exponit, idest passo non præbente inclinationem, immo potius repugnantiam, conatum, & renitentiam, quæ omnia ad principium actiuum pertinent, at nulla creatura potest resistere voluntati diuinæ. Tum 3. quia principium, quod est natura, est principium per se, at passiuum, vt passiuum, non est principium per se, ergo non potest esse natura, Minor Probatur ex Scot. 1. dist. 3. q. 7. S. dicente, quod passio per se & necessariò prædicatur de subiecto, non quia est causa materialis passionis, quia ex hoc præcisè, quod aliquid est causa materialis alicuius, non habet necessitatem cum illo, sed oportet præter causalitatem materiæ ponere in subiecto causalitatem efficientem ad saluandam necessitatem, ergo principium passiuum intantùm per se dicetur, quatenus est cum actiuo coniunctum, & sic natura principaliùs de actiuo dicetur, quàm de passiuo. Tum tandem quia multa sequerentur absurda; primum, quod omnis motus esset naturalis, quia quodlibet subiectum habet potentiam receptiuam motus; secundùm, quod si aer haberet naturalem inclinationem ad lucem, priuatio huius esset illi violenta; quies esset Cælo violenta, quia habet potentiam naturalem ad motum; tertium, quòd dum materia habet vnam formam, esset illi violentum carere alia, ad quam habet inclinationem; quartum, humanitatem Christi esse violenter in Verbo, quia propria caret personalitate, ad quam est in potentia passiua naturali, ergo nullo modo naturalitas, vel violentia penes principium passiuum attendi debet.

14 Ad 1. dicimus, motum aquæ deorsum esse simpliciter violentum relicto vacuo respectu naturæ totius vniuersi, at respectu aquæ esse simpliciter naturalem, vt se declarat Doctor, corruptio verò dicitur naturalis, quia est secundùm cursum communem naturæ, vel vt consideratur in ordine ad agens corruptiuum, quod naturaliter per naturam, vt principium actiuum transiens agit & alijs modis vt in lib. de Gen. & Cor. Ad 2. qui sustinent, respectu Dei nullam dari violentiam, admittunt naturalem quandam inclinationem in quodlibet ad omnimodam subiectionem omnipotentiæ diuinæ, quare non vrget argumentum, quia motus à Deo factus diceretur igni naturalis, quia iuxta illam inclinationē, at vt diximus, hoc est falsum, præcipuè in ad vnum determinatis, quare negamus, motum illum non fore violentum, neque ad hunc semper requiritur, vt passum resistat actiuè, sed sufficit in genere causæ materialis, vt moueatur contra impetum innatum, & propriam inclinationem; cum dicitur, creaturam non posse Deo resistere, verum est, si intelligitur, ita vt impedire, vel retardare possit effectum Dei, at dicitur resistere, quatenus effectus ille est contra propriam inclinationem. Neque dicas, creaturam esse in perfectissima subijcibilitate respectu Dei vt maior nequeat excogitari, ergo neque passiuè resistit, aliter daretur maior subijcibilitas excogitabilis; tum quia inclinatio ad proprium bonum cum resistentia ad Deum esset inordinata, ergo non datur, quia hæc inordinata inclinatio esset ab Auctore naturæ. Non valet, quia subijcibilitas sine resistentia passiua est impossibilis, cùm implicet, dari rem sine propria passione, neque hæc est inordinata inclinatio, quia lapis, v. g. naturaliter ad centrum inclinatur, vt ad bonum proprium, non tamen contra Dei voluntatem reduplicatiuè, sed vt respicit formam illam, at in ordine ad Deum, & ad agens dicitur esse in potentia naturali, vel supernaturali, non in potentia violenta, sed hoc requirit longiorem disputationem; sufficit, quòd si admittatur inclinatio naturalis determinata ad centrum in lapide in ordine ad Deum, motus sursum erit violentus vt infra disp. 12. nu. 15. si tamen talis inclinatio, vt respicit Deum, denegetur, non erit violentus, hoc tamen non est contra nostram Concl. Ad 3. dicimus, naturam dici principium per se motus, pro vt ly *per se* respicit rem naturalem, non verò pro vt dicit necessariam connexionem cum motu, quia respectu actualis motus adhuc dicitur principium per se, non tamen dicit necessariam connexionem cum illo, Scotus verò loquitur de perfeitate connexionis causæ cum effectu, & quia principium passiuum respectu motus naturalis magis per se, & intrinsecè rei naturali conuenit, eò quia si ab actiuo præscindatur, adhuc passiuum remanere intelligitur, ideò principaliùs natura dicitur de passiuo, quam de actiuo. Ad 4. negamus illa absurda, quia motus dicitur naturalis, non quia in re adest principium receptiuum, & capacitas, sed quia adest principium passiuum naturale, & capacitas cum inclinatione, at in motu violento est capacitas in subiecto cum repugnantia: Aer fi est in potentia naturali ad lucem, erit sub tenebra violenter, de quo q. 3. Ad id de Cælo dicemus quæst. seq. dum offendemus, quomodo in ipso sit natura; materia verò non violenter est sub priuatione vnius formæ, dum alia informatur, quia est in potentia indeterminata ad omnes formas, & sufficit sibi, vt sub vna reperiatur, sed de materia plura in disp. 2. q. 5. art. 1. & q. seq. huius disp. Natura tandem humana in Verbo non violenter quiescit, quia nec inclinatio ad proprium suppositum est vera, & propria inclinatio, cum ratio subsistentiæ non dicat quid positiuum, sed solùm est quædam conuenientia ipsius naturæ, quia magis proprium est naturæ singulari substantiali per se esse, quàm alteri vniri, sicut magis consentaneum est alicui ramo esse in proprio trunco, quàm in trunco alterius naturæ, hæc autem conuenientia non infert violentiàm, si sub opposito illius reperiatur natura; Tum quia natura à subsistentia nullam recipit perfectionem, sed solùm est id, quo determinatur natura ad perfectionem receptam, ad talem autem formam, nec est propriè inclinatio, nec ad oppositam est violenta potentia, sed potius naturalis, vel præter naturam, vt dicemus quæst. vlt. sed hoc est altioris scientiæ, de quo videatur Doctor 1. 3. distinct. 1. quæst. 1. F. & quol. 19. X.

15 Dicimus 2. quamuis natura, vt principium constitutiuum est corporis naturalis possit principium dici in genere causæ formalis, quia in tali genere forma concurrit ad constitutionem compositi, vt in disp. præc. attamen si vt principium operationum sumatur, nec in genere causæ formalis, nec finalis esse potest principium motus. Prob. ex 2. Phys. 2. vbi principium, quod est natura, impetus, vel impulsus motus vocatur, quæ nomina tantum actiuo, vel passiuo principio accommodari possunt, & in tex. 29. distinguit finem à principio motus, & quietis, & tex. 73. & 74. docens, mouens immobile ad physicum non pertinere, sed mouens mobile, objicit contra se de fine, qui mouet, quamuis metaphoricè, licèt non moueatur, & respondet, ad physicum etiam petinere, quia natura agit propter finem, & consequenter nequit cognosci, naturam agere, nisi finis etiam cognoscatur, ergo si finis est mouens immobile natura non erit. Tum quia natura vt sic non est principium in fieri, sed in facto esse, sed forma vt terminus formalis motus est principium in fieri, ergo vt sic non est natura. Tum quia forma vt terminus motus facti in subiecto non potest dici esse in subiecto primò, per se, & non secundùm accidens, quod ad rationem naturæ spectat, assumptum patet, quia hoc, quod est esse primò, per se, & non secundùm accidens significat intrinsecè conuenire subiecto motus, in quo exercetur, forma autem substantialis, neque est intrinseca, & essentialis materiæ primæ, nec aquæ frigiditas, ergo quamuis frigiditas fit terminus formalis motus, quo aqua reducit se ad pristinam frigiditatem, non per hoc erit principium infrigidationis; quod est natura. Tum quia, quòd nec in genere causæ finalis, ijsdem rationibus probatur, & quia à forma finis non differt, neque potest esse essentialis subiecto motus, nec finis est vera, & realis causa, vt dicemus in proprio loco, natura verò est reale, & verum principium, & causa motus. Et tandem, quia forma vt vera causa in genere causæ formalis, & finalis concurrit ad actiones artefactorum, & tamen in illis non est natura.

16 Sed contra objicit Auersa ex Philosopho 2. Phys. 14. dicente, generationem esse naturam, quia terminatur ad formam, tanquam ad naturam, & tex. 23. clarissimè ait, naturam esse finem, & id, cuius gratia est motus, & text. 81. natura ait est duplex alia materia, alia forma, finis autem hæc, quod iterum adducit 1. de Part. Anim. cap. 1. & 5. Met. c. 4. ait, formam esse naturam, & generationis

finem; Nec valet, inquit, Auersa, formam, quæ est natura, dici finem specificatiuè, & concomitanter, non reduplicatiuè, quia hoc est peruertere mentem Arist. frustra enim cum natura finem coniunxisset. Tum quia forma est verè principium generationis compositi, quod intrinsecè in genere causæ formalis constituit, ergo in eodem genere est principium generationis, quæ est in composito, non subiectiuè, sed terminatiuè, accidentia quoque inclinantur ad formam substantialem, & ad compositum, vt ad finem, & actiones, quibus accidentia acquiruntur, sunt in eodem composito, ergo compositum, & substantialis forma possunt dici fines illorum motuum; immo principia in genere causæ finalis motus eius, in quo sunt primò, per se, & non secundùm accidens.

Resp. nunquam Philosophum dixisse, formam vt finem esse naturam, sed solùm formam esse naturam, & etiam finem, vnde facit sensum specificatiuum, neque extorquetur mens Philosophi, quia hoc ex alijs contextibus, & rationibus deducitur, vt in probatione conclusionis diximus; coniunxit verò finem cum natura, quia istæ rationes finis, & naturæ in forma vniuntur. Ad 2. dicimus, formam esse principium generationis compositi in ratione mutationis, & in fieri, quomodò generatio, nec terminatiuè, nec subiectiuè pertinet ad compositum, sed subiectiue est in materia prima, terminatiuè verò respicit formam, sed in ratione productionis respicit compositum, & quamuis sit finis actionum, & motuum accidentalium, tamen non per hoc natura dicitur, quia vt sic non mouet realiter, & verè sed solùm metaphoricè, neque est mouens mobile, estque tantum finis cui, non finis cuius, qui est terminus per illam actionem acquisitus. Non negamus tamen, naturam posse pro quocunque principio explicari, sed tunc erit quæstio potius de nomine, quam de re.

ARTICVLVS II.

Declarantur reliquæ particulæ definitionis naturæ.

17 Secunda particula definitionis est ly *motus*, quæ dupliciter sumi potest ex dicendis in proprio loco, vel pro vt à mutatione propriè dicta distinguitur, & sic dicit motum accidentalem, cuius tres sunt species: augmentatio ad quantitatem terminata, alteratio ad qualitatem, & localis motus ad vbi; mutatio verò erit ad substantiam, siue hæc in instanti fiat, siue successiuè, ita est substantialis generatio, & nutritio; vel sumitur amplè pro vt communis est ad mutationem substantialem, & accidentalem; si definitio ista in se spectetur, quia conuenire potest etiam materiæ primæ; ita vt materia prima habens naturam dicatur, vt in seq. quæst. sic ly *motus* sumitur amplè, pro vt est ad substantialem, & accidentalem communis, verè enim mutatio substantialis acquisitiua est iuxta propensionem materiæ, quæ ad formas naturaliter inclinatur ex dictis disp. 2. q. 5. art. 1. attamen quia Arist. consideranit naturam, vt principium est totius coniuncti, & in ordine ad corpus, quod constituit, ipsumque propriè habere naturam dicitur, vt in quæst. seq. hinc debemus dicere, motum in ista definitione, secundùm Arist. intentionem sumi tantum pro accidentali, quapropter natura erit augmentationis principium, quando scilicet viuens augetur, & alterationis, cum mouens acquirit qualitatem aliquam sibi consentaneam, & tandem localis motus, vt cum graue deorsum tendit, leue sursum, ita intentionem suam expressit Arist. dum 2. Phys. ab initio horum motuum exempla affert, & quia motus in naturalem diuiditur, qui est iuxta inclinationem subiecti, in violentum, qui est contra eius inclinationem, & neutrum ad quem, nec inclinationem dicit, neque repugnantiam, dubium est, an natura principium dicatur omnium istorum motuum, an verò motus tantum naturalis, aliqui concedunt, naturam esse principium cuiuscunque motus, siue naturalis sit, siue violentus, vel neuter, quibus videtur assentire Amicus tract. 8. q. 8. dub. 3. art. 2.

18 Sed falluntur, natura enim solum principium dicitur naturalis motus; ita communis cum Scot. superiori art. cit. quibus in locis semper ait, naturam esse principium secundùm naturalem inclinationem, quod est respicere tantum naturalem motum, & probatur ex 2. Phys. 5. vbi Arist. explicans, quænam secundùm naturam dicuntur, ait, esse, quæcunque insunt rebus secundùm se, vt igni ferri sursum, qui motus naturalis est igni, & nullus violentus est in subiecto secundùm se, sed per accidens. Clarius 1. de cœlo. tex. 5. & seq. vbi asserit, naturam principium motus naturalis esse, & ex numero naturalium motuum, numerum etiam simplicium corporum deducit, sed præcipuè text. 9. & 10. clarissimè ait, motum violentum non dici secundùm naturam. Tum quia natura per se primò est principium solius motus naturalis ex dictis disp. 3. qu. 2. Tum quia sic nullus motus violentus esset, vel neuter, sed omnis esset naturalis, quia omnis à natura, vt à principio proueniret. Nec valet, quod ait Amicus, naturam hic sumi prout opponitur arti, at in diuisione, qua motus naturalis dicitur, sumitur vtique pro vt opponitur violento. Non valet, quia Arist. in Phys. egit de natura in vtroq; sensu, sumpsit enim naturalitatem corporis in communi pro vt communis est ad naturalitatem horum, & illorum corporum, sicut enim non tantùm corpus in communi Philosophus considerat, verùm etiam corpora in speciali secundùm propias rationes specificas, sic non solum naturalitas in communi verùm etiam naturalitates specificæ sub illa communi contentæ, quæ sunt rationes specificæ corporum in speciali, sunt rationes formales pertinentes ad obiectum formale Philosophiæ ergo sunt naturalitates simplicium corporum sumuntur, vt violento aduersantur ex 1. de Cœlo cit. ita naturalitas in communi sub tali consideratione sumitur à Philosopho. Tum quia sequeretur, dum aqua calefit, calefactionem illam naturalem esse, & cum terra sursum mouetur, naturaliter moueri, quod est contra communionem Philosophorum sensum.

19 Respondet. aquam sumi posse dupliciter, vel vt corpus naturale in communi, & hoc modo est illi naturalis calefactio, sicut naturale est corpori in communi, vt sic; secundò vt tale corpus naturale, quomodò opponitur illi calefactio, & violenter conuenit. Sed ista responsio multipliciter deficit; Tum quia quod conuenit superiori, conuenit inferiori per regulam anteprædicamentalem, ergo si corpori in communi conuenit habere inclinationem ad omne accidens, quodlibet corpus in particulari talem habebit proprietatem, & aptitudinem. Tum præterea quia motus non solùm in particulari diuiditur in naturalem & violentum, verùm etiam motus in communi, sicut enim ab hoc, & illo motu naturali in particulari abstrahitur, ratio motus naturalis in communi comperens immediatè corpori naturali in communi, ita ab hoc, & illo motu violento in particulari ratio violenti motus in communi abstrahi debet, qui motus nequit conuenire corpori naturali in communi, vt naturale est, quia sicut natura in particulari est principium solùm naturalis motus in particulari, & non oppositi motus, vt ipse concedit de calefactione respectu aquæ, ita natura in communi erit principium naturalis motus in communi, & non oppositi motus, scilicet violenti, ergo corpus naturale in communi, vt sic non respicit quemcumque motum, sed tantum naturalem. Tandem corpora naturalia respectu formarum artificialium habent meram capacitatem, & sunt in potentia neutra, ergo motus ad illas formas dicerentur merè naturales, quod est falsum, aliter compositum artificiale ens naturale propriè diceretur. An verò iste motus necessariò debeat esse corporeus, & sensibilis, pendet ex decisione illius dubij, an anima rationalis, vt sic dicatur natura, de quo in quæst. seq.

Sed contra obijcitur 1. vel natura est principium motus secundùm actum, vel secundùm aptitudinem, seu mobilitatis; non primum, quia quando lapis sursum mouetur, vel detinetur, neque mouetur, neque quiescit naturaliter, quare neque naturam habebit, quod est falsum, Probatur ista sequela quia remoto principiato, quod est motus, remouetur principium per naturam relatiuorum; neque secundùm, quia relatio principij ad mobilitatem terminata esset prior ipsa mobilitate, & sic mobilitas non esset prima passio physica.

20 Resp. sumi pro principio motus in actu, cum dicitur, ergo lapis sursum non haberet naturam, dicimus, non habere ipsam pro formali, quia verè non fundat relationem principij actualem, haberet tamen pro fundamento, quod sufficit; non sumitur autem pro mobilitate, quia hæc cum sit passio semper inhærens, potius se habebit, vt forma in esse quieto respectu corporis, à cuius quidditate dimanat, quàm sub nomine motus comprehendatur, vnde potius emanatio talis passionis potest reduci sub ista particula; nec sequitur, quòd hæc sit prima passio physica, quia nec est vera relatio, cum non sit inter realiter distincta, nec est prior ipsa mobilitate; relatio enim quæcunque sit, semper sequitur extrema; specialiter tamen debet intelligi nomine motus naturalis illa resultantia qualitatum, statim naturas rerum consequentium, quæ resultantia, licèt non sit motus, quia subiectum sub priuatione non præexistit, tamen verè secundùm principia intrinseca rei exercetur.

Secundò obijcitur, quòd natura sit omnis motus principium. Idem est ens naturale, ac ens mobile, statim enim, quòd ens compositum intelligitur ex materia, & forma, concipitur etiam vt capax motus, sed ens mobile dicit ens capax cuiuscunque motus, siue naturalis, siue violenti, sicut enim ens naturale in communi abstrahit à ratione particularium entium; ita motus conueniens enti naturali in communi abstrahere debet à rationibus particularibus motuum. Tum 2. quia motus v. g. lapidis sursum est sensibilis, & extensus, ergo pertinet ad ens naturale, non potest autem pertinere ad ipsum, nisi quatenus actus potentiæ talis entis, ergo ens naturale verè respicit motum illum. Tum 3. quia lapis, vt sursum mouetur, differt à mathematicis, & artefactis, ergo vt sic natura est receptiua illius motus, quia id, per quod ens naturale ab artificialibus, & mathematicis differt, est natura. Tum 4. quia natura est principium omnium passionum in secundo modo conuenientium enti naturali, sed mera capacitas cuiuscunque accidentis, quæ in corpore naturali reperitur, est passio consequens ipsum corpus, & in secundo modo conueniens, ergo natura, vt natura, est principium illius capacitatis, ergo etiam erit principium actiuum quibus talis capacitas actuatur, tales sunt motus violenti, vel neutri; vltima consequentia probatur inductione, quia actus cuiuscunque passionis, & potentialitatis naturaliter conuenire dicitur rei talem passionem habenti. Tandem viuens propriè nutritur, & ex vi intrinseca, ergo natura erit principium etiam secundùm Arist. substantialis motus, nutritio enim est quædam aggeneratio ex Scot. 4. distinct. 4. quæst. 1.

21 Resp. ad 1. aliud est loqui de mobilitate, quę est passio in secundo modo, & aliud est loqui de motu, qui est accidens per accidens, verum est, ens naturale conuerti cum ente mobili, quatenus dicit capacitatem cuiuscunque motus, quia à natura lapidis prouenit, lapidem sursum repugnanter posse moueri, vt diximus disp. 3. q. 2. nu. 21. at non prouenit à natura motus, quo talis potentia actuatur, neque motus conueniens enti naturali in communi est abstractus ab omni motu in particulari, sed solum ab hoc & illo motu naturali. Ad 2. motum lapidis sursum pertinere ad ens naturale, non vt naturale reduplicatiuè, sed specificatiuè, idest non quatenus dicit aptitudinem, & inclinationem, sed quatenus dicit meram capacitatem, & respectu talis potentiæ dicitur actus, sed hoc non sufficit, vt dicatur naturalis ex dictis, sed requiritur, vt sit actus potentiæ cum aptitudine, & inclinatione. Ad 3. per motum illum differt ab artificialibus, & mathematicis rebus, non vt per aliquod per se, & intrinsecum, sed vt per aliquod extrinsecum, & per accidens, qui motus ad Philosophum etiam pertinet, quia oppositorum est eadem disciplina, tale autem extrinsecum non est natura, quia requiritur, vt sit aliquod per se conueniens. Cui accedit, quòd natura hìc definita, non solùm sumitur, vt ab artefactis distinguitur, verum etiam vt à violento. Ad 4. patet ex dictis disp. 3. nu. 21. quòd natura est principium quatenus natura illius capacitatis, non tamen motus actuantis illam capacitatem, ratio est, quia capacitas illa non est potentia per se intenta à natura, vt actuetur; Immò potius natura tribuit capacitatem motus violenti, vt ipsum respuat, cum præbeat violentiam, vel parum curet, si est motus neuter; hinc dicuntur potentiæ concomitantes naturam, at potentia naturalis datur à natura, vt realiter actuetur, & per se intendit motum illum, ideò dicitur principium per se primum illius motus, non verò per se primum motus violenti, vel indifferentis. Ad vltimum dicimus, nutritionem, & aggenerationem substantialem dicere introductionem nouæ formæ substantialis in materia alimenti virtute potentiæ nutritiuæ, quomodo viuens dicitur agens non immanens, sed transiens, agit enim in alimentum, & subiectum istius mutationis substantialis, non est viuens, sed alimenti materia, ideò non potest dici natura; solùm viuens potest dici aliqualiter mutari, quatenus fit illi additio nouæ partis generatæ, sed hæc non est substantialis mutatio.

Tertiò Natura ex dictis art. præc. dicitur principium actiuum, sed hoc propriè dicitur actionis principium, non motus, ergo rectiùs diceretur natura non solùm motus principium, verum etiam actionis. Ob hoc aliqui, & rectè distinguunt de motu, quòd dupliciter potest sumi, vel formaliter, & sic dicit nouam acquisitionem alicuius formæ, vel materialiter, quo modo significat formam fluentem, & in actuali acquisitione, quæ forma fluens non solùm dicitur motus materialiter, verùm etiam actio, & passio secundùm Philos. 3. Phys. à tex. 16. & seq. motus in definitione naturæ non accipitur formaliter, sed materialiter, quomodo principium tam actiuum quam passiuum respicit, & sic cessat omnis difficultas.

22 Tertia particula est ly *quietis*, quæ potest sumi vel formaliter, & priuatiuè scilicet pro carentia, & priuatione motus, vel materialiter, & positiuè pro forma in esse quieto, & hoc dupliciter, vel prout est intermino à quo, & sic opponitur motui determinatè naturali, nam est quies violenta toti composito, à motu destruitur, & per motum amittitur, vel pro vt est in termino ad quem, & hæc non opponitur motui, immò per se ipsum acquiritur, & huic motus subordinatur; in præsenti quies non sumitur priuatiuè, quia non videtur ponendum principium aliquod per se ordinatum ad aliquam negationem, sed positiuè, non quidem in termino à quo, sed in termino ad quem, & hoc, quia subordinatorum idem est principium, & sicut de motu dicebamus, quòd potest sumi, vel pro motu in communi, vel pro motu in speciali, & accidentali, vel pro emanatione, & resultantia passionum, & qualitatum naturaliter consequentium res ipsas, sic de quiete, quæ terminus est acquisitus per motum, erit dicendum, quod sumi potest, & pro termino motus in communi, vel accidentalis tantum, & pro termino emanationis siue hic sit passio, siue qualitas connaturalis, natura enim maximè pro quidditate, vt principium est effectionum, accipi solet. Ex quo patet responsio ad rationem illam, quæ confici solet, quòd idem non possit esse contrariorum causa, vt sunt motus, & quies; Etenim quicquid sit de illa propositione, de qua infra, quies, cuius principium est natura, non est opposita motui, sed potius terminus ad quem ipsius, vt docet Philos. 5. Phys.

In speciali tamen dubitari solet de particula illa coniunctiua, &, non videtur enim natura, quòd sit principium vtriusq; in omnibus, vt patet in Cęlo, vbi semper est motus, & in terra, vbi est quies; vnde aliqui dixerunt, hic naturam mortalium definiri sed falsò, vt infra. Alij dixerunt, sumendam esse disiunctiuè, pro vel; sed non rectè, quia ponunt dictionem aliquam significare oppositum proprij significati, quod est à Philosopho vitandum maximè in definitionibus. Quare dicimus, coniunctiuè sumi debere, ita vt vtriusq; natura sit principium, quomodo autem verificetur de Cœlo, & Terra, dicimus in seq. quæst.

23 Additur quarto ly *in quo est* ad significandum, quòd natura est principium motus eius, in quo est non solùm ipsa natura, sed etiam motus ipse, quia natura est principium motus immanentis, non transeuntis secundùm physicam considerationem, vt in principio præced. art. diximus.

Dicitur quoque *primò*, quod multipliciter potest exponi, vel vt ab instrumentali principio distinguitur, & principale significat, quo modo tam actiuo immanenti, quàm passiuo conuenit, vel pro vt secundario principio opponitur, quo sensu actiuum non erit natura, quia licèt sit principium non instrumentale, sed principale, tamen est secundarium. Alij exponunt pro principio immediato, & proximo; sed patitur difficultatem, eò quia substantia media quantitate recipit qualitates, est que subiectum mediatum, & consequenter nulla alteratio naturalis foret, & secundùm naturam.

Tandem subiungitur *per se*, *non per accidens*, vt denotetur, naturam intrinsecè, & essentialiter conuenire rei naturali, vel quòd res naturalis moueri dicatur per se, & quatenus ipsa, vt cum graue, quatenus graue, deorsum descendit, non per accidens aliquod coniunctum, vt graue per accidens descendit, quatenus album, vel nigrum.

Ex dictis in istis articulis patet, quòd hæc definitio sit rectè assignata, etenim constat ex genere, scilicet *principium*, *& causa*, & ex differentia, vt sunt cœteræ particulæ, vt denotetur, non quodlibet principium esse naturam. Tum quia natura hic definita est ratio formalis subiecti Philosophiæ, hæc autem est principium omnium passionum de corpore demonstrabilium, quod rectè explicatur per istam definitionem, vt patet ex dictis.

Sed contra istam definitionem arguitur. Tum quia natura vt sic nequit definiri, quod enim habet definitionem, debet habere naturam, & essentiam per illam definitionem explicabilem, sed natura non est habens naturam, & essentiam, sed est ipsa essentia, aliter daretur processus in infinitum, ergo nequit habere definitionem. Tum quia hæc definitio continet multa superflua, ly enim *principium* includitur in causa, & ly *non secundum accidens* in ly *per se*. Tum quia competit alij nam artificialia habent principium motus internum, & tamen non habent naturam, vt patet in horologijs, & ars saltandi est principium motus eius, in quo est, & tamen non est natura. Tum quia non conuenit omnibus naturis, Cœlum enim & Terra non habent principium motus, & quietis, materia, & forma non sunt principium primum, & immediatum, sed tertia entitas constituta ex his, quælibet forma etiam accidentalis potest dici habere naturam, quia habet principium internum passionum.

24 Resp. ad 1. negan. assumptum, cum probatur, distinguimus de natura, vel enim sumitur, vt est terminus vltima abstractione abstractus, & sic dicit rationem formalem naturæ, quæ est esse principium motus, & quietis, & in hoc sensu nequit definiri, quia definitio est concretorum, quæ per modum habentium concipiuntur; talia verò abstracta, cùm neque pro subiectis, neque pro fundamentis, neque pro inferioribus supponant, non habent rationem concreti, sed potius sunt ipsa essentia, solùm possunt habere quosdam conceptus explicantes distinctè, & explicitè istas quidditates; vel sumitur vt quoddam concretum concernens hanc, vel illam naturam, tanquam inferiora conuenientia in hoc communi conceptu naturæ, & hoc modo definibilis est, quia natura vt sic dicit communem conceptum omnibus naturis; exemplum est de homine, & humanitate; humanitas enim non definitur, cùm sit abstractum, sed homo, neque per terminos vltimatè abstractos definitur, scilicet per animalitatem, & rationalitatem, sed per terminos concretos, videlicet, quòd sit animal rationale, sic natura dicitur principium, non principiatio; neque sequitur processus in infinitum, quia natura vltimatè abstracta non concipitur vt habens naturam, sed vt ipsa ratio naturæ. Ad 2. dicimus, ly *principium* non esse superfluum quia ponitur, vt declaret, quomodo natura sit causa, nam causa communiter in ordine ad compositum sumitur, quod propriè causari dicitur, at natura vt sic respicit operationes, quarum est principium; ly *non secundum accidens* ponitur ad maiorem declarationem, quod sufficit. Ad 3. artificialia vt sic non habent per se principium internum, & primariò, sed ratione alicuius entis naturalis, quod includunt in se, præcipuè quia artificiale non est vnum per se, nec per se vt tale mouetur, neque motus horologij naturalis est; Ars verò non est principium motus, sed modificationis motus, neque per se inest in artifice, vt dicemus q. 4. Quartum petit solutionem sequentis quæstionis.

QVÆSTIO II.

Quibus rebus, & quomodo conueniat definitio naturæ.

25 VT quæ ferè ab omnibus conceduntur, ab incertis, & dubijs separemus, primò certum est, priuationem nec per se esse naturam, neque analogicè, vt ait Ruuius 2. Phys. cap. 1. q. 2. & consentit Fuentes q. 1. diff. 2. art. 6. quatenus scilicet per similitudinem dicitur forma; ratio est, quia nec per se primò competit alicui, sed per accidens, nec est eius, in quo est, quia cum est motus, & generatio, priuatio recedit, nec est causa quietis, seu formæ acquisitæ, cùm illi potius opponatur, neque est causa, quia, quia hæc est entitas positiuè influens in effectum, nec tandem principium dici potest, vt sumitur in definitione naturæ, quia hìc stat pro principio in facto esse, at priuatio est solùm principium in fieri, cum ergò hęc definitio neque secundùm saltim vnam particulam priuationi conueniat, non solùm simpliciter non est dicenda natura, sed neque analogicè.

cè. Nec e[illegible]ert, quòd Aristot.2.Phys.15.dicat, priuationem esse naturam, quia est quodammodo forma; etenim, vt notat Auersa q.9. sect.6 dicitur quodammodo forma, & natura, non quidem necessariò natura, prout hìc est definita, sed aliquo alio modo, puta pro vt natura cum ratione formali conuertitur, quomodo non enti etiam competit, vt diximus in principio huius disp. aliæ rationes pro Aduersarijs ex probatione conclusionis euanescunt.

Secundò certum est, quòd quamuis definitio hæc naturæ possit quidditati accidentis conuenire verè, & propriè, non quidem respectu subiecti, cui inest, nam sic non est principium primum per se, & non secundùm accidens, sed respectu ipsius accidentis ab essentia propria constituti, eò quia verè quidditas accidentis est principium, & causa motus, & quietis primò, & per se, saltim respectu propriarum passionum, & actuum illis correspondentium; attamen si Arist. intentio perpendatur, nullo modo accidentalibus formis poterit conuenire, sed solùm substantijs, quod potest colligi ex varijs dictis Philosophi, nam post definitionem assignatam, subiungit tex. 4. definiens, quænam habere naturam iam definitam dicantur hæc omnia esse substantias, & t.5. ait, accidentia, & passione non esse naturas, aut habentia naturam, sed secundùm naturam, idest ratione naturæ conuenientia rebus naturalibus. Tum quia hìc naturalitas definitur, vt est ratio formalis obiecti physici, talis autem non potest esse forma aliqua accidentalis. Hinc non rectè Pater Faber Theor.33. ait, naturam esse formaliter inclinationem ad motum, quæ re vera aliud non erit, nisi mobilitas; etenim naturalitas, & mobilitas, etiam secundùm ipsum Theor. 20. cap. 3. differunt, quòd illa est ratio formalis, per quam de subiecto demonstratur passio, quæ est mobilitas, neque talis passio primò conuenit rei naturali, sed per aliud, scilicet per quidditatem, à qua fluit, non est autem secundùm ipsum Theor.20.cit. aliquid in re naturali, quod naturam præcedat.

Si dicas; dantur aliqua accidentia, quæ per se agunt in subiectis, quibus insunt, vt grauitas, & leuitas in sublunaribus, ergo erant naturæ, nam per hoc, quòd ars in medico ægroto per se non inest, Arist. à ratione naturæ ipsam excludit. Resp. etsi esset principium per se motus, non tamen primò, nec per se conueniunt corporibus, & ars medicinæ non solùm ex illo, verùm etiam excluditur à ratione naturæ ex alio cap. quia non primò, nec principaliter est principium sanationis, sed solùm directiuè, vt dicemus q. seq.

26 Tertiò, etiam est clarum, Angelos in Philosophi sententia non habere naturam hìc definitam, quia ipsos posuit penitus immobiles, & immutabiles, vt notat Scot. 2. d. 3. q. 7. C. at secundùm veritatem non est dubium, quin natura ipsis conueniat, verè enim proprias habent affectiones à principijs intrinsecis fluentes, & de nouo accidentia acquirunt sibi ipsis connaturalia, vt sunt intellectiones, volitiones, & motus locales, quamuis enim aliqui etiam ex Scotistis hunc motum neutrum appellarint, attamen idem iudicium faciendum est de hoc motu, ac de motu Cœli, & animalium, quoad naturalitatem; si enim in istis determinatio non tollit naturalitatem vt dicemus, nec etiam in Angelis. Idem de Cœlo empireo dicendum, cum enim propriam habeat quidditatem, habebit etiam proprias affectiones, nec ipsi motui repugnabit, quamuis semper quiescat.

Solùm ergo remanet dubitandum in rebus materialibus, substantialibus, & sensibilibus, & primò de forma totius, & quidditate, siue sit simplex, vt in Cœlo in sententia Philosophi secundùm Scot. d.14. q.1. siue composita, vt in alijs corporibus secundò de materia prima, tertiò de forma partis.

De forma totius aliqui negant, vt Amic. tract.8.q.12.Fab.Theor. 33.cap.4.Complut. disp.7. Phys.q.6. Auersa verò q.9. sect.6. alios citans conuenit cum prædictis, quod de mente Arist. definitio hæc essentiæ constitutæ non competat, quamuis secundùm se spectata possit cuilibet quidditati adaptari. At ex opposito Fonseca 5.Met. cap.4. q.1. sect.3.& Fuentes 2.Phys.q.1.art.8.affirmant, formam totius sub definitione naturæ ab Arist. hìc assignata comprehendi; sed potest adhuc dubitari, num omni formæ totius, & omni quidditati conueniat; nam multi negant, quidditatem materiæ esse naturam respectu ipsius materiæ, sed potius materiam ipsam esse naturam compositi, & non esse habentem naturam, quod etiam de forma dicunt; Alij negant, quidditatem cœlestis corporis esse naturam, aut saltim non propriè hìc definiri naturam cœlestem, sed proportione quadam, & hoc vel quia ex materia, & forma non constat, sed essentia quædam simplex est, hìc autem natura definitur, quæ in materiam, & formam adæquatè diuiditur, vel quia in eo quies non reperitur, sed tantum motus, vel tandem quia motum Cœli neutrum esse putarunt, non naturalem, quibus aliqualiter assentit P. Faber. Theo. 63. citans pro se Scotum, dum ait, Cœli motum dici naturalem ratione principij, sed ratione termini non esse naturalem, sed neutrum.

27 Materiam verò non esse naturam affirmarunt quicunque naturam de passiuo principio dici negarunt cit.q. præced. art. 1. at Zab. lib. de natura cap. 6. & 7. concedit, materiam esse naturam, sed per quandam analogiam ad formam, & propter formam, quatenus à forma determinatur ad hunc, vel illum motum, secundùm se verò non esse naturam, propter vniuersalem, & indifferentem, potentiam, quam habet ad omnes motus, cui fauet P. Faber Theor. 33. cap. 4. negans, materiam secundùm potentiam vniuersalem esse naturam. Sed Conimb.2.Phys.c.1.q.1.art.2.aiunt, materiam dici naturam, non vniuocè cum forma, sed analogicè analogia proportionis, quatenus non eandem rationem principij communem habent ad motum, sed sicut se habet materia ad motum, cuius ipsa est principium, & causa eius, in quo est, sic forma se habet ad motum, cuius ipsa est principium: ita etiam sustinent Perer.lib.7.c.17.Masius c.1.q.vltima, & Vall. con.11.

Tandem de forma partis dubitari potest, an terrestri formæ conueniat ratio naturæ, eò quia secundùm totum nunquam terra mouetur, sed speciatim. Simpl. 2. Phys. com. 2. & 16. & in procem. l.de Ani. Auic.lib.1.suffic.5. Alb.2.Phys.tract.1.c.2.excludunt à definitione naturæ omnem animam; Alij verò solùm animam rationalem, ita debet dicere Auerr.dum asserit, animam rationalem formam assistentem esse, non informantem; Alij concedunt esse naturam secundùm gradum sensitiuum, & vrgetatiuum, negant verò, quatenus gradum intellectualitatis includit, ita tenetur sentire, qui sustinent, animam rationalem secundùm talem gradum reduplicatiuè formam informantem non esse, ita Pater Vulpes 2.part.disp.46.art.vlt. & citari solent Caiet.1. p. q.76. art. 1. ad 1. Ferrar. 2. contra gentes cap. 58. §. *Ad primum horum dicitur &c.* Suess. 2. Met. com. 17. nam si vt sic reduplicatiuè forma informans non est, ita nequit etiam dici principium motus eius, in quo est primò, & per se. Alij tandem admittunt, secundùm talem gradum esse naturam, sed limitant quo ad actus intellectuales a corpore, & phantasmate dependentes, in tamen quo ad operationes à corpore independentes, ita videtur sentire Amicus tr. 8. dub. 2.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, quomodo definitio naturæ quidditati, & formæ totius conueniat etiam secundùm Aristotelem.

28 DIcimus, definitionem naturæ assignatam omni quidditati secundùm se conuenire, siue materiæ sit, siue formæ, aut corporis naturalis, tam simplicis, quam compositi; at secundùm Philosophi mentem solùm competere quidditati cuiuscunque corporis naturalis. Concl. quo ad omnes partes colligitur ex Scoto, nam quòd materiæ quidditas dicatur natura respectu ipsius materiæ, patet ex locis cit. disp. 1. q. 4. art. 1. ostendendo de mente Doctoris, ipsam esse in potentia naturali ad omnes formas, etiam secundùm gradus specificos, quod consequenter erit dicendum de formæ quidditate, sicut enim materia aptitudinem habet ad recipiendam formam, & hac ratione essentia materiæ dicitur natura, eò quia principium est illius passionis, ita quia forma aptitudinem habet ad perficiendam materiam, & ob id ratio actus est ipsius passio, quidditas formæ natura dici debebit, cùm sit principium illius passionis; idem docet Scot. in 2. d. 18. q. vn. C. & clariùs in 3. d. 2. q. 2. C. & seq. de forma totius, quam realiter distinctam ponit à partibus, dicens, quòd propria passio, vel operatio, aut accidens proprium illius speciei, primò quidditati totius conuenit ipsamque naturam appellat infra E. idem ait Bassol. 2. d. 12. q. 2. art. 2. Et potest vniuersaliter probari prima pars hac ratione, quia verè de qualibet quidditate enunciatur definitio naturæ, est enim principium, & causa motus, siue actuum, siue passiuum, & emanationis propriæ affectionis, quæ passio sub nomine quietis comprehenditur, est etiam primum eius, in quo est per se, & non secundùm accidens; immo essentia cuiuslibet rei natura ipsius vocari consueuit, vt de formis accidentalibus dicebamus.

29 Secundò quòd de mente Arist. non conueniat essentiæ materiæ, aut formæ, patet ex dictis in Procemiali quæst. de subiecto totius Philosophiæ, cùm enim intentum Arist. sit agere de corpore naturali, ipsiusque principia inuestigare, quale est natura, sequitur, de illa natura hìc Philosophum agere, quæ est constitutiua huius corporis, & principium suarum passionum, itaut habens talem naturam, sub corpore, tanquam sub proprio genere directè, & vt per se consideratum, contineatur, essentiæ autem materiæ, & formæ immediatè materiam respiciunt, & formam, quarum sunt constitutiuæ, non corpus naturale, reducuntur tanquam species sub genere; hìc Arist. materiam, & formam naturas corporis naturalis, quod constituunt, appellauit, vt dicimus seq. art. non verò habentia naturam.

Tertiò quòd essentia cuiuslibet naturalis corporis secundùm Arist. dicatur naturam, patet ex dictis disp. præc. quæst. 1. de illa enim natura hìc sermonem instituit, quæ est principium constitutiuum corporis naturalis in communi, sicut in 1. Phys. egit de principijs in fieri eiusdem corporis, ergo hæc natura debet sub se comprehendere quidditatem cuiuscunque corporis sub subiecto adæquato Philosophiæ contenti. Sed specialiter probatur de terra, & de cœlisti corpore, de quibus est difficultas. Terra enim intantùm videtur non habere naturam, quia secundùm totum non mouetur, sed hoc parum refert, quia non necessariò naturam habens debet omni specie motus actualiter moueri, sed sufficit, vt ad aliquas habeat aptitudinem, & inclinationem, ad aliquas verò etiam actum, sic terra secundùm se totam, etsi localiter non moueatur, alteratur tamen cùm in sententia multorum aqua ita sit cum terra commixta,

commixta, vt vnum globum conficere dicantur, & si mutuo alterantur; habet quoque aptitudinem ad localem motum, si è centro euelleretur; neque hæc aptitudo frustra dicetur ex hoc, quòd ad actum non reducitur, quia tunc aliqua potentia otiosa, & frustra erit, quando perpetuò proprio fine priuatur, finis autem huius aptitudinis vltimatus non est localis motus, sed terminus per talem motum acquisibilis, quod est vbi deorsum, quo loco nunquam priuatur secundùm se totam, idcircò vt sic semper proprio fine gaudet. Accedit, quòd etiam secundùm se totam actualiter moueri dicendum est, si vera esset sententia illorum, quòd centrum magnitudinis, & grauitatis terræ sit idem punctum, de quo suo loco in libris de Cœlo.

30 De cœlesti corpore etiam idem ostenditur, quia verè Cœlum inter corpora naturalia ab Arist. connumeratur, sic 1. Cœli tex. 5. 3. Cœli tex. 1. 8. Met. 12. & 1. de Part. Anim. cap. 5. ergo quidditas cœlestis verè erit natura. Tum quia omnes particulæ definitionis illi conueniunt, est enim hæc quidditas principium, & causa 1. per se, & non secundùm accidens motus alterationis, quia Cœli illuminantur, astra saltim aliqua eclypsantur, habent proprias passiones & alia accidentia connaturalia, & consequenter natura in ipsis erit principium quietis, sub quo nomine aptitudines comprehenduntur, vt diximus q. præc. In ordine quoq; ad motum localem adhuc dicitur natura, quia motus ille naturalis est; nam secundùm Scot. 1. d. 1. q. 1. in fine, omnis potentia receptiua alicuius formæ perficientis ipsam, est naturalis, motus autem Cęli ex 4. d. 48. q. 2. N. est perfectio ipsius; & in 2. d. 2. q. 6. O. concedit Doctor, Cęlum moueri, quomodo Angelus mouetur quo ad naturalitatem, Angelus verò ex eodem q. 9. B. ad vbi mouetur, tanquam ad propriam perfectionem. Tum quia ex 1. Cœli à tex. 6. habetur vsque ad 16. Cœlum circulariter moueri secundùm naturam, & ex isto motu deducit Cœlum alterius esse naturæ ab elementis, quod non rectè inferretur, si motus ille naturalis non esset. Accedit ratio, quam tangit Doctor in 4. d. 48. cit. quòd licèt motus localis non sit in Cœlo propter aliquam perfectionem intrinsecam completiuam sui per motum acquisibilem, est tamen in ipso propter maximam totus vniuersi perfectionem à natura intentam, quæ est conseruatio horum inferiorum, ad quam requiritur ordinatus Cœlorum influxus, qui nequit sine motu fieri, ideoque motus erit perfectio secundùm quid ipsi Cœlo, quatenus scilicet bonum totius est etiam bonum partis, & per ordinatum motum communicat se effectiuè inferioribus, ad quam communicationem habet naturalem aptitudinem; hinc videmus, in Cœlo esse habilitatem quandam ad istum motum circularem, quæ est sphærica figura, nam hæc licèt non sufficiat ad naturalitatem rigorosam, quæ est ad vnum determinata, sufficit tamen ad naturalitatem largè sumptam, & indeterminatam, vt mox dicemus.

31 Insuper est inclinatum naturaliter, quantùm est ex se, ad quietem localem, etiam secundùm Arist. nam vt notat Doct. in 2. d. 1. q. 5. N. & in 4. d. 49. q. 6. A. perpetuitas, quam posuit Philos. in motu cœlesti, non prouenit ex natura intrinseca ipsius Cęli, sed à causa extrinseca, scilicet ab Intelligentia necessariò determinata secundùm ipsum ad agendum, ita colligitur ex 2. Cęli 2. & seq. & 9. Met. 17. quibus in locis asserit, Intelligentias perpetuò Cęlos mouere, quia non fatigantur, eò quia in ipsis Intelligentijs non est potentia contradictionis, seu materia, quamuis hæc ratio non concludat, vt obseruat Doct. in 4. d. 48. q. 2. O. nam cessatio à motu non prouenit præcisè à fatigatione, sed ex hoc quoque, quod mouens voluntariè moueat. Accedi ratio, quòd in Cęlo datur materia secundùm locum mobilis sed materia est semper in potentia contradictionis ex 9. Metaph. 17. quare ibi concludit Arist. *Nihil igitur simpliciter incorruptibilium simpliciter potentia est; secundùm aliquid autem nihil prohibet, vt quale, aut vbi*; cùm ergo Cœlum sit in potentia contradictionis ad Vbi, iam indifferens erit ad motum, & quietem. Et licèt hæc potentia ad quietem secundùm Aristot. nunquam reducetur ad actum, nihil refert, quia erit propter bonum vniuersi, & ideò frustra non dicitur. Quòd autem non solùm capacitatem, verùm etiam aptitudinem habeat naturalem ad istam quietem, probat Doctor in d. 48. cit. nam quies pro substracto dicit identitatem, & vniformitatem essentiæ, quod simpliciter perfectius est, quam sit illud positiuum in motu, scilicet aliter, & aliter se habere. Ex quibus omnibus deducas, Cœlum esse in potentia naturali indeterminata ad motum, & quietem localem, non in potentia determinata, propter quam indeterminationem Scot. in 2. d. 2. q. 6. O. & in 4. d. 48. q. 2. E. & O. motum Cœli neutrum appellauit, non naturalem, quibus in locis naturalitatem sumpsit rigorosè, vt dicit potentiam ad vnum determinatum, & neutralitatem, prout huic potentiæ naturali opponitur, non verò in rigore, vt contradistinguitur à potentia naturali, tam determinata, quam indeterminata. Quapropter concludendum est, Cœlum esse verè corpus naturale, eiusque quidditatem esse naturam propriè, prout est in 2. Phys. definita, cùm sit principium primum, & per se motus, & quietis etiam in ordine ad locum, hæc omnia clariùs patebunt ex seq. quæst.

32 Sed contrà obijcitur 1. cum Auersa, Amico, & alijs, probando, quidditatem saltim secundùm Arist. non esse naturam; quia 2. Phys. 1. & 12. & 5. Met. 5. clarissimè habetur, composita non esse naturam, sed à natura. Tum 2. quia natura est principium primum motus, quidditas verò non est primum principium, sed ex primis constans, scilicet ex materia, & forma. Tum 3. quia natura est principium, quod dat inclinationem ad motum, quidditas autem non dat inclinationem, sed habet inclinationem à materia, & forma. Tum 4. si quidditas esset natura formaliter, forma verò constitutiuè, esset magis propriè natura, quàm forma, ergo natura dicta de forma, & omnes alij modi ad quidditatem reducerentur contra Arist. 5. Met. 5. reducentem omnes modos ad formam, nullam mentionem faciendo de quidditate.

Resp. Arist. illis locis non loqui de quidditate, sed de compositis constitutis ex tali quidditate, quæ nullo modo possunt dici natura; sed habentia naturam, cùm sint omnino concreta, & principia. Quæ operantur, non principia. Quibus, vt sunt quidditas, materia, & forma per Scot. 4. d. 12. q. 3. Bb. nec inconuenit, idem esse simul naturam, & habens naturam respectu diuersorum, sic materia est habens naturam vt respicit propriam essentiam, qua constituitur in esse; est natura, vt respicit compositum, quod constituit; sic quidditas compositi materialis est natura respectu compositi, quod simpliciter dicitur tantum habens naturam, quia est vltimò constitutum, non aliud vlterius constituens, at respectu materiæ, & formæ, quas includit, potest dici habens naturam. Dices, non solùm compositum in concreto, v. g. homo, sed etiam forma totius, seu natura eius in abstracto, v.g. humanitas composita est ex partibus non minus, quàm ipse homo; ergo si verum est, quod ait Arist. cit. *quod est ex his*, naturam non esse, sed à natura; secundùm eius mentem nec homo, nec humanitas erit natura. Resp. negando sequelam, quamuis enim etiam, & ipsa humanitas constet ex partibus, sicut homo; adhuc tamen differunt, quia humanitas licet sit physicè constituta, sicut homo; tamen metaphysicè dici potest constitutiua per modum formæ totius, vt Doct. declarat 3. d. 2. q. 2. §. *quantum ad tertium*, vbi docet, quod natura constituta, v. g. humanitas potest dici forma respectu totius compositi, non quidem forma informas, sed forma qua compositum est ens quidditatiuè; homo verò tam physicè, quam metaphysicè semper habet rationem constituti, & ideo nullo modo potest dici natura, sed semper habens naturam. Quod etiam confirmatur doctrina Scoti q. 16. Vniuersalium, vbi docet concretum significare per modum habentis; abstractum verò per modum habiti; & ideo homo erit habens naturam, non natura: humanitas autem erit integra natura habita ab homine, non autem habens naturam de rigore sermonis; Arist. autem cit. iam explicatus est, quòd non loquitur de quidditate quæ habet rationem *Quo*, sed de constituto ex quidditate habente rationem *Quod*, vt constat ex ipsis eius verbis, *Quod autem ex his*; Ad 2. si ly *primum* accipitur pro principali principio condistincto ab instrumentali, tam quidditas, quam materia, & forma erunt principia prima; si verò sumitur pro immediato, & proximo, tantùm quidditati conueniet, si pro omnino independenti, quidditati non competet; præstat autem in prima significatione sumere: nam si in secunda, materia, & forma non essent natura, esset contra Philosophum, si in tertia, principium actiuum excluderetur, contra eundem, vt diximus q. 1. art. 1. Ad 3. quidditas dat inclinationem composito, quod constituit, immo primario, & adæquatè. Ad 4. dicimus, per formam, & substantiam Philosophum intelligere tam formam partis quam formam totius, vt disput. præced. q. 1. exponendo textum 10. secundi Phys. consimilem, quæ forma est terminus generationis, forma partis terminus formalis generationis in ratione mutationis, forma totius terminus formalis generationis in ratione productionis; & quamuis Scot. super tex. cit. Met. hoc impugnet, tamen arguit contra D. Tho. forsan sustinentem, intelligi debere tantum de forma totius.

33 Secundò arguitur in speciali, quòd non conueniat quidditati Cęlorum. Tum quia natura hìc definita diuiditur in materiam, & formam, in Cęlo secundùm Arist. non est materia; Tum 2. quia motus eius esse naturalis, quod est falsum, quia motus naturalis fit, vt acquiratur perfectio mobilis, at Cęlum nullam perfectionem per motum acquirit. Accedit, quod motus naturalis non fit in loco naturali, quia cum res est in suo naturali loco, non mouetur, sed quiescit, Cęlum autem mouetur in suo loco naturali; & etiam quia violenter quiesceret, vel violenter ab vno loco recederet: quare potius dicendus est neuter, quam naturalis, vt ait Scot. 2. d. 2. q. 6. O. & 4. d. 48. q. 2. E. & O. Tum 3. quia 8. Met. 9. habetur, *Naturam solam profectò quis ponet eam, quæ incorruptibilibus est, substantiam*; vbi colligitur, eam solam esse naturam, quæ in corruptibilibus reperitur. Tum tandem quia natura hìc definita est principium motus, & quietis, vbi ly *&* non debet sumi disiunctiuè pro *vel*, aut partim coniunctiuè, & partim disiunctiuè, nam tunc Philosophus esset valde reprehendendus ex hoc, quòd minus propriè sit locutus sed debet copulatiuè accipi, in Cęlo autem nulla est quies, nam per quietem intelligit Arist. cessationem à motu in termino ad quem, qualis esse nequit illa, videlicet quòd secundùm totum in proprio loco quiescat, vel per polos, quia hæc non est finis motus; & totum Cęlum orbicularitèr primo mouetur, ergo nequit secundùm totum quiescere, neque erit illa aptitudo ad quiescendum, quia saltim in sententia Philos. sustinentis motum æternum, esset frustra, ergo nullo modo quidditas Cęli potest sub hac definitione comprehendi.

34 Resp. facillimè; Ad 1. patet ex dictis disp. præced. qu. 1. quomodò ibi natura diuidatur in materiam, & formam, & quidditatem. Ad 2. concedimus, motum Cæli esse naturalem, non quidem determinatè,

sed indeterminatè, quo modo intelligendus est Doctor, vt diximus; cum improbatur ex hoc, quòd nulla perfectio acquiratur ipsi Cælo, iam diximus, esse propter vniuersi perfectionem primariò, secundariò propter Cæli perfectionem, quia perfectio totius est etiam partis perfectio; tum, quia inseruit, vt communicetur inferioribus; cum dicitur, motum naturalem non fieri in proprio loco, verum est de motu recto, non de circulari; neque sequitur, Cœlum violenter quiescere vel violenter ab vno loco recedere, quia non habet naturalitatem determinatam, sed indeterminatam. Et quamuis totum argumentum concedamus, adhuc, non sequitur aliquid contra nos, quia, & si motus localis naturalis non esset, sufficerent alij motus, & passiones. Ad 3. dicimus, Philos. ibi solùm recitariuè esse loquutum, ex eo quòd vulgariter natura pro sola mortalium quidditate solet accipi. Ad 4. patet ex dictis, quomodo in Cœlo sit quies, quoniam scilicet ad sunt passiones, aliæ formæ accidentales per motus acquisitæ, & aptitudo illa ad quiescendum, quod sufficit, etiam si nunquam localiter quiesceret, nec erit otiosa, quia hoc fit propter bonum perfectius, scilicet Vniuersi, tum quia in motu habet præsentiam localem, quæ est terminus illius motus & sub nomine quietis, vt est terminus posset intelligi, quamuis non habeat annexam cessationem à motu, sed continuam successionem: de naturalitate cœlestis motus vide disp. 2. de Cœlo q. 4. art. 2.

ARTICVLVS II.

Ostenditur, definitionem naturæ, materiæ, & cuicunque formæ vniuocè analogicè conuenire.

35 Dicimus, rationem naturæ, tam materiæ, quàm formæ cuicumque, etiam animam rationalem vt sic includendo, conuenire, & hoc vniuoce analogicè; ita Scotus 2. dist. 18. C. est que communis cum Arist. 2. Phys. 10. & 5. Met. cap. 5. diuidente naturam in materiam, & formam; & Prob. primò de materia, & forma in communi; Tum quia verè, & essentialiter constituunt compositum naturale, quod ex non naturis nequit constitui, & eadem sunt principia constitutiua rei, & motus, ac quietis eiusdem rei; hæc enim sunt duo munera naturæ. Tum quia omnes particulæ definitionis vtrique conueniunt, neque est aliquid excludens materiam aut formam. Tum quia materia est principium receptiuum motus naturalis, aliter non esset potentia quanta, qualis, &c. quod est falsum, quia est omnia potentia; forma quoque non solùm est ratio recipiendi in composito, sed ratio quoque agendi, & per ipsam compositum habet determinatam inclinationem, à cæteris differt, propriasque affectiones sibi vendicat.

Secundò, quòd cuicumque formæ, etiam animæ rationali vt sic conueniat, ostenditur ijsdem rationibus; Tum quia Philos. 2. Phys. 1. & 12. & animalia, & hominem inter res habentes naturam enumerat; & de anima in Philosophia locutus est, non solùm vegetatiua, & sensitiua, verùm etiam rationali, dicens, esse id, quo viuimus, mouemur, & intelligimus; & clarè habetur à Scot. q. 1. Prol. & 4. dist. 49. qu. 8. 9. & 10. quibus in locis concedit in homine potentiam naturalem ad beatitudinem recipiendam, quæ potentia ipsi homini conuenit ratione animæ rationalis, vt rationalis. Tum quia ex eodem in 4. dist. 43. q. 2. art. 1. & quol. 9. Anima rationalis est, vt sic reduplicatiuè forma informans hominis, quia verè homo naturaliter intelligit mediante anima; est vnum per se constitutum ex corpore, & anima rationali vt sic reduplicatiuè, & per gradum rationalitatis essentialiter à brutis distinguitur, ergo anima rationalis, vt reduplicatiue rationalis, erit forma informans hominis, & per consequens natura; prima consequentia patet, compositum, quod habet, & est, habet & est à partibus, non vt diuisis, sed vt vnitis, dicitur enim vnum, quia vna pars se habet vt actus, altera vt potentia ex 7. Met. 60. & 8. Met. 15. ergo quia partes hominis sunt anima rationalis, vt sic reduplicatiuè, & corpus, hæc duo vt sic debent se habere vt actus, & potentia, ita Scot. quol. cit. C. altera consequentia patet, quia omnis forma informans est physicæ considerationis & omnis talis est natura. Tum quia multæ passiones homini conueniunt secundùm gradum intellectiuum, vt risibilitas, flebilitas, aptitudines ad loquendum, intelligendum, admirandum, ergo principium ipsarum, quæ est anima rationalis, vt rationalis, reduplicatiuè, erit verè natura.

36 Tertiò quòd vniuocè analogicè materiæ, & formæ conueniat, probatur ex illo principio Scotico ad dignoscendum predicatum vniuocum ab æquiuoco, quando intellectus certus est de vno, & dubius de duobus, habet conceptum vnum distinctum ab illis, aliter esset de eodem dubius, & certus, sed potest intellectus certificari, in re aliqua reperiri principium per se motus, quod est natura, dubitare verò, an istud sit materia, vel forma, nam aliqui solam formam posuerunt principium motus, aliqui, vt Antiqui, solam materiam, ergo hæc ratio principij verè materiæ, & formæ vniuocè conueniet. Tum quia ratio causæ intrinsecæ vniuocè conuenit ipsis, ergo & ratio naturæ. Attamen addit Arist. 2. Phys. & 5. Met. c. 5. formam magis, & perfectiùs naturam dici, quàm dicatur materia, quia est perfectior, & principalior pars quidditatis, & ab ipsa primò, & principaliter motus dicitur naturalis, à materia verò secundùm quid, & minus principaliter, ergo analogicè conueniet secundùm prius, & posterius.

Sed contra obijcitur 1. probando, materiam non esse naturam; Tum quia Arist. in fine primi Phys. proposuit de formis tantum mortalium se verba facturum, in 2. & 5. Met. tex. 5. ait, formam esse propriè naturam, cætera vero metaphoricè, nam materia dicitur natura, quia est susceptiua formæ, idem habet 1. de Part. Anim. c. 1. Tum 2. quia quod est in potentia ad naturam, non est natura, quod enim est in potentia animal, non est animal, sed materia est in potentia ad formam, quæ est natura, & est in potentia natura 2. Phys. 11. 12. ergo, &c. Tum 3. quia quod demonstratur esse, non est natura, quia naturam esse, est indemonstrabile, at materia est eus demonstratur esse in 1. Phys. Tum 4. quia materia non est causa actiua motus, vt patet, neque passiua, quia motus recipitur in toto composito. Tum 5. quia nomen naturæ dicit perfectionem, quia significat essentiam, quæ est omnium perfectissima in re, at materia est eus imperfectissimum. Tum 6. quia vnius rei vnica est natura, sed forma est natura, ergo non materia. Tandem natura est principium determinatum motus, materia est principium indeterminatum, ergo nequit esse natura; Maior probatur ex Philosopho, qui exemplificans de motu naturali 2. Phys. 5. & 8. tex. 32. dat exemplum de motu elementorum, qui est determinatus; & adhuc quia aliter omnis motus naturalis diceretur, quia ad omnem motum est materia inclinata: huc spectant etiam rationes adductæ disp. 2. q. 5. art. 1. conrra naturalitatem potentiæ materiæ primæ.

37 Resp. ad 1. promisisse agere de formis, sed non tantùm de illis, vt patet ex progressu 2. Phys. vbi de materia, & alijs causis extrinsecis agit: quod additur ex 5. Met. intelligitur, duod materia tunc actu habet rationem naturæ determinatæ, cum est sub forma, cui principaliùs conuenit esse naturam, & sic intelligendæ erunt similes authoritates. Vel vt ait Auersa, materia denominatiuè dicitur natura, non quidem sumendo naturam absolutè, vt dicit rationem principij, sed prout de forma enunciatur, videlicet quatenus est terminus generationis, & principium dans esse specificum, & determinatum. Ratio est, quia subiectum semper à forma, quam recipit, denominatur, & sic materia dupliciter dicetur natura, vt modo, prout natura ipsi conuenit vniuocè, quia est verum principium motus, alio modo, vt est subiectum naturæ dictæ de forma. Ad 2. maiorem esse veram de illo, quod est in potentia ad omnem naturam, at materia est solùm in potentia ad naturam, quæ est actus formalis, & determinatus; & hoc modo non est natura, nisi denominatiuè, cum hoc tamen stat, quod sit natura in potentia subiectiua: & hæc quoque est vera ratio naturæ, sicut materia secundùm hanc rationem est verè principium, & pars constitutiua compositi materialis. Ad 3. etiam naturam esse, à posteriori demonstrari. Vel dic, naturam esse secundùm conceptum communem, non demonstrari, at secundùm conceptum specialem, quod scilicet huic, vel illi conueniat, posse demonstrari, modò materia est natura in secunda significatione. Ad 4. materia est causa passiua motus, quia dat composito hanc potentiam receptiuam simul cum forma, vnde dicuntur principia originalia motus, non immediata iuxta dicta in præced. art. num. 32. Ad quintam, natura si sumatur, vt est principium constitutiuum rei adæquatum, vel actuale, & vt principium actiuum operationis, dicit perfectionem, at si accipitur, vt est principium passiuum quomodo materiæ conuenit, dicit imperfectionem. Ad 6. est vnica natura totalis, & adæquata, sed duplex partialis, & inadæquata. Ad vltimum negatur maior ex dictis disp. 2. q. 5. art. 1. cum probatur ex Philosopho, dicimus, exemplificasse de illis motibus, quia magis propriè naturales dicuntur, non tamen alios exclusit: cum dicitur omnem motum naturalem fore, concedimus ex parte materiæ, non verò ex parte formæ, in ordine ad quam naturalitas motus simpliciter debet attendi, cum ipsa principaliùs sit natura.

38 Secundò arguitur, ostendendo, animam non esse naturam; Tum quia diuersa est animæ definitio à definitione naturæ, anima enim est actus corporis dissimilaris, natura autem potius simplicis; & similaris; anima est actus corporis physici, idest naturalis, quare naturam præsupponit; natura verò constituit corpus in esse naturali. Tum 2. quia motus naturalis est vniformis, velocior in fine, & ad vnum tendit determinatè, motus animæ est difformis, irregularis, & differens ad plura vbi, vt patet de sensitiua, quæ motum progressiuum causat, qui est ad omem loci differentiam, & de vegetatiua, cuius augmentatio est secundùm omnem dimensionem. Tum 3. quia motus progressiuus, cuius principium est anima, est violentus, quia adest eleuatio membrorum, quæ propter grauitatem deorsum tendunt; & adest defatigatio animalis, quod non esset, si naturaliter fieret, grauia enim deorsum tendentia nunquam fatigantur.

Resp. ad 1. animam non esse naturam in communi, sed speciem illius, ideoque aliqualiter debent in definitione differre, & præcipuè, quia natura definitur hic in ordine ad operationes, anima verò in ordine ad constitutionem totius; falsum est tamen, quòd natura sit semper principium constitutiuum corporis similaris. Neque inconuenit, animam supponere corpus naturale in specie naturæ imperfectiori subordinata essentialiter ipsi animæ, quæ adhuc dat esse naturale perfectius. Ad 2. assumptum est verum de motu naturali strictè sumpto, et de natura ab anima contradistincta, et vt principium est motus simplicis, non verò de motu naturali, et de natura in tota sua latitudine. Ad 3. resp. Doctor in 4. dist. 49. q. 14. k. quòd motus progressiuus, licèt in ordine ad formam corporis mouen-

mouentem iuxta prædominans elementum sit violentus, tamen in ordine ad animam, à qua prouenit, est naturalis, & quia quando potentiæ sunt subordinatæ, naturalitas attenditur penes potentiam superiorem, hinc motus iste erit simpliciter naturalis; adest tamen fatigatio propter impedimentum in corpore graui repertum, vnde secundùm quid iste motus est violentus.

39 Tertiò obijcitur, quòd anima rationalis non sit natura ex hoc, quod non sit forma informans, sed non est præsentis negotij hoc disputare, sed in lib. de Anima fusè dicimus; suppositа ergo hac veritate, adhuc potest instari; Tum quia Philos. 1. de part. anim. cap. 1. quærens, an omnis anima pertineat ad physicum (vbi loquitur de anima, quæ est forma, non de intelligentia, sicut putant Hurtad. & Moris. in lib. de Ani. & patet ex rationibus, quas adducit) resoluit negatiuè, quod probat tribus rationibus, & quia relatiua ad eandem pertinent scientiam, & sic nulla alia scientia daretur præter Philosophiam, & quia non omnis anima est natura, sed aliqua eius pars, & quia Philosophus non considerat res à materia abstractas, qualis est anima rationalis. Tum 2. quia formæ, de quibus agit Philosophus, secundùm rationem tantum sunt à materia separabiles, & sunt finis generationis ex 2. Phys. 4. debent esse mouentia mota ex text. 73. & 74. eiusdem libri, at anima rationalis est separabilis à materia secundùm rem, quia incorruptibilis non est finis generationis, quia à Deo immediatè producitur, non ab homine, non subiectatur in corpore, quia ab eo non dependet; nec est mouens motum ex 3 de Ani. 7. Tum 3. quia vt rationalis est principium intellectionis, & volitionis, ad quas non est motus ex 5. Phys. 18. & 7. Phys. à text. 12. vsque ad 20. Tum 4. quia sæpè sæpiùs ab Arist. anima intellectiua, quia includit rationem liberi, & voluntarij, ponitur vt principium contradistinctum à natura. Tum 5. quia sequeretur, non minus animam mundi fore naturam, quę etiam intellectualis est, & principium cuiuscunque motus vniuersi. Tandem ex Scot. 3. dist. 15. A, ratio naturæ accidit animæ rationali, per formam, quæ est natura, est intrinsecè talis, ergo, &c.

40 Respondetur ad 1. ibi Philosophum vel sumere animam pro qualibet viuente substantia, quo modo sub se comprehendit non solùm omnem animam, verùm etiam Intelligentias, de quibus agere non pertinet ad Physicum, & de istis concludunt rationes ab ipso allatæ; vel si loquitur de Anima, vt est partialis forma, quando concludit, non omnem animam esse physicæ considerationis, intelligitur de Anima rationali, non absolutè, sed vt separata à materia, & secundùm prædicata spectantia ad illum statum, vt patet ex tertia ratione; & vt sic non est natura, quia non est principium motus eius, in quo est; non verò vt est corpori vnita, quia secundùm istam consideratione agitur de ipsa in 3. de Anima. Verum est tamen, quod est dubium, quomodo prima ratio concludat, nam sequeretur idem de Metaphysica, cuius est intellectus abstractos considerare; pro nunc breuiter dicas cum Mirand. lib. 18. suæ, Monomachiæ, esse rationem probabilem. Ad 2. cum Aristot. ait, formas physicas esse secundùm rationem à materia separabiles, esse corruptibiles, vel intelligitur vt in plurimum, vt se declarat 6. Metaphysic. in principio; vel quia de animæ rationalis immortalitate fuit dubius, vt ostendit Doctor in 4. d. 43. quæst. 2. tamen finis generationis, quia est terminus ad quem, à quocunque producatur, est in subiecto per informationem, licèt independenter; quamuis ibi per esse in subiecto intelligat Aristot. in alio sensu, vt probet, omnem naturam substantiam esse, vt diximus in expositione huius textus; dicitur mouens immota, non simpliciter, quia mouetur saltim per accidens, sed motione corruptione, vnde ait, sensitiua à vehementi sensibili corrumpi, non sic intellectiua à maximè intelligibili. Ad 3. ad intellectionem non est motus disponens ad corruptionem, est tamen simpliciter motus, vt infra in proprio loco. Ad 4. non sumit tunc Arist. naturam, vt hic definitur, sed prout à sponeaneo, & libero distinguitur. Ad 5. negatur sequela, quia anima mundi est Deus, qui non est forma informans, sed assistens, non enim vniuersum est vnum per se, sed solum vnitate ordinis; vt in lib. de Cœlo dicimus. Ad 6. dicimus, Scotum ibi non asserere, rationem naturæ accidere animæ, infra enim in tertia ratione contra Henr. clarè dicit, animam vt naturam respicere corpus, ipsum perficiendo, sed arguit contra Henr. distinguentem portionem superiorem animæ (quæ est potentia rationalis vt respicit æterna) vt est ratio, & vt natura, idest, vt dicit potentiam operantem, & vt dicit essentiam animæ, in qua simul cum alijs potentijs reperitur: inquit Doctor, quod hęc ratio naturæ accidit portioni superiori, quia est extranea ipsi, nam secundum rationem formalem dicit principium operatiuum, & consequenter si dolor conuenit parti sensitiuæ, non potest dici propriè conuenire portioni superiori, vt est natura, aliter posse dici animam velle secundum intellectum, vt est natura, idest, vt intellectus dicit animæ entitatem in qua simul cum voluntate reperitur.

41 Quartò instatur, quod natura vniuocè non conueniat materiæ, & formæ. Tum quia corpus naturale ex materia, & forma compactum his eundem gradum vniuocum naturæ participaret, semel ratione materiæ, & iterum ratione formæ, quod est falsum, quia committeretur negatio. Tum quia materia, & forma sunt primo diuersa etiam secundum Scot. in 2. d. 12. q. 1. ergo in nullo debent conuenire.

Respond. ad 1. concedendo sequelam, negando falsitatem, nam compositum physicum, quia ex rebus realiter distinctis constat, his participat rationes entis, substantiæ, causæ, principij, &c. ergo similiter rationem naturæ: falsum esse in composito Metaphysico, quia differentiæ vltimæ non includunt formaliter rationem entis, neque committitur nugatio, quia in proposito ratio naturæ non prædicatur in recto de composito, sed in obliquo. Ad 2. quamuis materia, & forma essent primo diuersa in realitate, possunt tamen in conceptu conuenire, & sensum Doctoris loc. citat. iam dedimus disputat. 2. nu. 20.

Quintò probatur, materiam magis naturam dici, quàm dicatur forma. Tum quia quod est principium omnis motus naturalis, est magis natura illo, quod tantum est principium alicuius motus, materia est principium vniuersale, forma verò particulare principium est determinati motus, ergo, &c. Tum 2. quia illud est magis natura, quod magis participat rationem principij passiui, in quo principaliter consistit ratio naturæ ex dictis qu. 1. art. 4. sed materia est magis passiua, quàm forma, quia est subiectum vltimum omnium formarum, ergo &c. Tum 3. quia illud est magis natura, secundùm quod naturalia magis habent esse naturale, vt patet ex primo munere naturæ, quod est constituere compositum, sed materia dat magis esse rei naturali, quàm forma, quia res in materia habent esse æternum, cùm ipsa sit æterna, à forma verò accipiunt esse temporaneum, ergo est magis natura, quàm forma.

Resp. ad 1. vel est fermo de natura secundùm pluralitatem, & vniuersalitatem, sic materia est magis natura, sed hoc est impropriè dictum; vel secundùm perfectionem, quomodo ly magis debet accipi, & sic forma est magis natura, quia dat perfectiùs esse, & operari, & principaliùs denominatur motus naturalis à forma, quàm à materia. Ad 2. per idem resp. quòd materia est magis passiua, quia vniuersalior, non quia perfectiùs ab ipsa proueniat inclinatio ad motum in composito. Ad 3. negatur minor, quia res per materiam habent esse potentia, per formam actu, modò simpliciter perfectius est esse actuale temporaneum, quàm esse potentiale æternum, sicut perfectior simpliciter esset Angelus tantummodo per diem existens, quam albedo, si in æternum duraret; præterquam quòd materia est in se æterna, non tamen dat composito esse æternum, imò temporale, cùm sit radix corruptionis.

QVÆSTIO III.

An detur motus indifferens inter naturalem, & violentum, seu an detur potentia neutra.

42 Ex dictis hucusque patet, quòd naturale potest accipi vel essentialiter, quomodo significat, hoc quòd est habere naturam, & in hoc sensu sumitur, cum corpus naturale, vt naturale dicitur esse subiectum Philos. naturalitas enim est ratio formalis, & quiditatiua corporis, vt ait Aristot. 2. Phys. 4. Secundò potest sumi denominatiuè, vt idem est, ac secundum naturam, & ita conuenit motui, cum naturalis appellatur, vt habet Aristot. t. 5. cnius formalitas consistit in hoc, quòd illi motus, & actus naturales dicantur, qui sint secundum inclinationem, & iuxta exigentiam natiuam rei, vt per illos quo ad proprium esse verè perficiatur; quæ naturalitas potest sumi tam in ordine ad principium actiuum, quam passiuum, vt diximus; sic cum aqua se reducit ad pristinam frigiditatem, talis infrigidatio, & frigus, naturalia dicuntur, quia sunt iuxta exigentiam naturæ aquæ secundum principium actiuum, & passiuum. An verò præter hoc requiratur etiam, quòd ille actus, vel forma recepta non excedat vires naturæ, vt dicunt Thomistæ, qua ratione negant in homine naturalem potentiam ad actus supernaturales, est negotium theologicum, & potius videtur quæstio de nomine, quàm de re; pro nunc dicendum cum Scot. q. 1. Prol. & 4. d. 43. q. 4, & d. 49. q. 8. hoc non requiri, quia non est necesse, vt forma dicatur naturalis respectu subiecti, quòd sit conformis non solùm secundum principium passiuum sed etiam actiuum, possunt enim hæc duo separari, & verè soluitur ratio naturalitatis, si subiectum recipiens verè perficiatur per illam formam, quamuis nullam habeat potentiam actiuam producendi illam, vt patet ex dictis disp. 2. q. 2.

43 In hoc igitur sensu naturale sumimus in præsenti, quomodo opponitur violento; cuius ratio consistit in hoc, vt violentum sit contra naturam, et perfectionem rei, cui tribuitur, sitque potius illius destructiuum, quàm perfectiuum; hoc modo explicat Doctor definitionem violenti in 4. d. 29. quæst. vn. B. et d. 43. quæst. 4. traditam à Philos. 3. Eth. cap. 1. violentum est id, cuius principium est extra, non conferente vim passo, idest, inquit Doctor, passo non præbente inclinationem, quod non merè negatiuè est intelligendum, sed contrariè itaut dicat contrarietatem, et oppugnantiam, vt ipse Philos. se declarat sect. 1. Probl. quæst. 6. dicens *Violentia contra naturam est*; quæ violentia non solùm in ordine ad passiuum principium sumitur, verùm etiam ad actiuum, non quidem positiuè, vt verè potentia actiua detur intrinseca, quæ possit agere contra propriam actiuitatem, hoc enim naturaliter implicat, et etiam supernaturaliter, quia nulla potencia, vt obedientialis est, potest eleuari ad actiones efficiendas, cum quibus ex se priùs non habet aliquam proportionem, et potentiam inchoatam, ex dicendis disput. seq. sed priuatiuè, quatenus impeditur, ne in actionem exeat sibi connaturalem; et hoc in quacunque specie motus, ita enim

enim violenter lapis sursum detinetur, ac aqua sub calore, imò magis aqua vim patitur, quia calor est magis destructiuus aquæ, quàm locus sursum respectu lapidis; hinc malè Fons. 5. Met. c. 4. q. 2. sect. 8. ait, solùm in motu locali reperiri violentiam. Est ergo quæstio, an præter hos motus naturales, & violentos dentur quidam medij, & indifferentes, vt neque sint iuxta perfectionem naturalem rei, neque contra ipsius inclinationem, & perfectionem, sed indifferentes sint, & præter naturam, qua ratione res non habeat naturalem potentiam, aut violentam ad illos, sed tantùm neutram, & loquimur de potentia, quæ sit verè receptiua formæ.

44 Thomistæ cum Caiet. opusc. de potentia neutra, & Soto 2. Phys. q. 1. ad 1. asserunt, omnem potentiam naturalem esse vel violentam, nullam neutram, quos sequitur Auersa q. 9. sect. 8. ex aduerso Scot. in Prol. q. 1. I. & in 2. d. 2. q. 6. in fine, & 4. d. 43. q. 4. quem sequuntur omnes Scotistæ, & Suar. disp. 43. sect. 4. nu. 13. 14. Zab. lib. de motu ignis in orbem c. 5. 6. & 9. Fons. 9. Met. c. 4. q. 2. sect. 7. & 8. Amicus tract. 8. qu. 8. dub. 3. art. 1. Moris. disp. 2. Phys. q. 5. & alij admittunt huiusmodi potentiam mediam, & actus indifferentes; quamuis postea fit aliquod discrimen in assignanda ratione istius neutralitatis; nam Faber in 1. disput. 2. Sghemma 2. Phys. q. 5. illam potentiam neutram esse dicunt, & motus illos indifferentes, & non naturales. qui sunt ad formas in speciali, quamuis naturaliter passum respiciat formam in communi, & in genere; hinc solam potentiam determinatam naturalem appellant; indeterminatam verò qualis est illa materiæ ad formas in particulari, aiunt esse neutram.

Dicimus tamen, quod licèt nulla detur potentia neutra actiua, passiua nihilominus datur, non solùm quæ stet aliquo modo cum naturalitate, verum etiam quæ simpliciter sit neutra, nullam admittens rationem naturalitatis, aut violentiæ, & consequenter quod dentur motus simpliciter indifferentes, & neutrales. Probantur singula. Primum, quod non detur potentia neutra actiua, sed passiua; quia potentia actiua dicit perfectionem in subiecto, & ideo semper est ad actus dicit perfectionem in subiecto, & ideo semper est ad actus consentaneos propriæ perfectioni essentiali, à qua deriuatur, ergo nulla erit neutra, quæ nullo modo debet esse iuxta exigentiam, & perfectionem naturalem rei, at potentia passiua, quia dicit imperfectionem, potest esse in subiecto, quæ non necessariò sit ad actus perficientes subiectum; vnde datur potentia passiua violenta, non tamen actiua propter tandem rationem.

45 Secundò, quod potentia neutra aliquando stet cum naturalitate, est Scoti in 1. d. 1. q. 1. in fine, & in 3. d. 13. q. 4. M. vbi habet inclinationem voluntatis ad gratiam, quamuis indeterminata sit ad hunc, vel illum gradum gratiæ, esse naturalem; & patet ex dictis disp. 2. q. 5. art. 1. dum probamus potentiam materiæ indeterminatam ad omnes formas esse quidem naturalem, sed etiam neutra, propter illam indifferentiam; cuius præcipua ratio esse potest, quia cum neutralitas consistat in indifferentia, vbicunque reperitur aliqua ratio indifferentiæ, & aliqua etiam neutralitas potest admitti, quæ non excludit prorsus omnem naturalitatem, cum adhuc actus illi sint iuxta perfectionem propriam subiecti etiam secundum rationes speciales, vt fusè loc. citat. probauimus. Quapropter, vt notat Auersa, in potentia naturali dantur aliqui gradus, itaut subiectum dicatur magis, vel minus inclinatum. Primus gradus est, quando subiectum est omnino determinatum ad aliquam formam, itaut oppositam, vel carentiam illius repugnanter respiciat; vt graue ad locum deorsum, leue ad sursum, & vniuersaliter subiectum ad connaturales qualitates; qui gradus omnem abijcit neutralitatem, sicut nullam habet indifferentiam (nisi de qualitatibus numero distinctis sit sermo.) Secundus est, quando subiectum respicit oppositos actus, & naturaliter sub quocunque quiescit, quia quilibet est iuxta exigentiam natiuam rei, & à quolibet perficitur, non tamen est indifferens ad totalem carentiam illorum, & hæc potentia est mixta, nam propter determinationem, quam dicit ad actum in communi, & non ad carentiam, dicitur naturalis, sed propter indeterminationem ad oppositos actus dicitur neutra, vt contradistinguitur à potentia naturali, in primo sensu, est tamen etiam naturalis indeterminata, quia quilibet secundum gradum specificum perficit ipsam; sic se habet materia in ordine ad formas, quarum quælibet est illius perfectiua, & ideo si omnibus careret, diceretur esse in statu violento, eo quia perfectione sibi naturaliter debita priuaretur, ita etiam se habere existimamus mixta respectu aliquarum qualitatum, vt sunt colores, videntur enim esse perfectiones naturas ipsorum consequentes, & animata respectu figurarum, nam quodlibet viuens exigit naturaliter peculiarem figuram, non enim arbor petit figuram hominis, aut è contra, nec leo figuram equi, tamen quodlibet indeterminatè se habet ad figuras contentas sub illa communi, quam sibi determinat; insuper quælibet potentia actiua vitalis respectu propriorum actuum; quantitas etiam respectu naturalis figuræ, quia ex propria natura petit necessariò figurari; addidimus tamen ly *naturalis*, ad differentiam figurarum artificialium, quarum non est quantitas ex propria natura exigitiua, similiter esse in loco respectu animalium, & Angelorum, quamuis enim non respiciant determinatum locum animalia, vt progressiua sunt, & Angeli secundum potentiam motiuam, attamen hoc, quod est esse in aliquo loco indeterminatè, est ex propria natura ipsorum, estque quidam modus connaturalis. Tertius gradus est, quando subiectum ex propria natura, & intrinsecè non respicit actum; tanquam perfectionem intrinsecam, aut quod per illum aliqua perfectio ex propria natura sibi debita, & sui incompletiua acquiratur, sed quia est ratio, seu conditio, qua aliquod bonum causetur, & proueniat, ad quod subiectum inclinationem habeat, sic diximus q. præc. art. 1. motum Cœli esse naturalem; & hic est minimus naturalitatis gradus, quia si tali actu subiectum careret, non existeret violenter, nam non est ad perfectionem intrinsecè sibi debitam, sed ad extrinsecam.

46 Præter istos autem gradus, datur alia potentia, quæ omninò excludit omnem naturalitatem, & repugnantiam, vnde simpliciter neutra dicetur; & probatur, dantur aliqui actus, qui nec destruunt naturalem perfectionem subiecti, neque illam perficiunt iuxta propriam exigentiam naturalem, itaut ex sua natura intrinseca petat illos, sed per accidens se habent, & concomitanter, ergo motus, & potentiæ ad illos actus nec erunt naturales, aut violenti, sed neutri, Consequentia patet ex definitione istarum potentiarum, Antecedens probatur exemplo Doctoris de superficie respectu colorum, quantitas enim ex propria natura non solum respicit colores in particulari, sed neque colorem in communi, tanquam perfectionem ex propria natura sibi debitam, aliter in Cœlo, & in elementis, in quibus absque vllo colore reperitur, esset in statu violento. Motus ignis in orbem non est violentus, vt asserit Vasq. p. 2. disp. 25. n. 4. quia ille motus dicitur violentus, per quem forma destructiua perfectionis subiecti acquiritur, per illum motum non acquiritur locus violentus igni, vt patet; nec est naturalis, quia solùm naturaliter sursum mouetur, nec illud vbi, quod habet in propria sphæra, natum est acquiri motu circulari, sed recto, & potius ignis inclinatur ad quietem in propria sphæra, quàm ad motum circularem; & maximè quia talis motus non solùm non est propter acquisitionem alicuius perfectionis intrinsecæ, sed neque propter perfectionem extrinsecam, vt de motu Cœli dicebamus sed de hoc dicimus disp. 4. de Cœlo q. 2. art. 2. Quantitas etiam in ordine ad formas artificiales est in potentia simpliciter neutra, quia nulla harum est perfectio ipsi debita ex propria natura neque est ipsius destructiua. Aer posset, quoque in ordine ad lucem neuter dici, eò quia quamuis lux sit forma perfectissima in se, & adueniens aeri, illum perficiat, non tamen ista perfectio est aeri debita iuxta propriæ naturæ exigentiam; nisi velimus dicere, esse naturalem, quatenus est quædam conditio, vt possit subire munus medij ad visionem requisiti. Tandem natura humana respectu personalitatis alienæ, quamuis in ordine ad agens dicatur esse in potentia obedientiali, tamen vt respicit personalitatem non dicitur esse in potentia naturali, quia personalitas aliena non est naturæ debita secundum natiuam exigentiam, neque violenter existit, vt patet.

47 Sed contra obijcitur. Tum quia 2. Phys. 78. ait Aristot. *Vnumquoque, vt agitur, sic aptum natura est, & vt aptum natura est, sic agitur*; idest, quòd subiectum patitur secundum naturam; & 4. Phys. 63. 7. Phys. 10. 8. Phys. 33. 1. Cœli 76. 77. & 3. Cæli 20. diuidit motum in naturalem, & violentum, nullum neutrum assignans. Tum 2. quia inter contradictoria non datur medium, præbere inclinationem, & non præbere sunt contradictoria, quando subiectum præbet, est motus naturalis, quando non præbet, est violentus, ex definitione violenti, ergo nullus neuter, & medius. Tum 3. quia omnis potentia per se primò respicit aliquem actum, cum sit propter actum, & definiatur per actum 9. Met. 13. 15. 16. ergo si illum respicit vt propriam perfectionem, & in illum inclinatur, nulla erit potentia neutra. Tum 4. quia hæc potentia prouenit à natura rei, ergo actus ipsam actuans erit naturalis, quia iuxta aptitudinem naturæ. Tum 5. quia omnis potentia vel respicit actum per se primum, vt actum in communi, vel actum per se secundum, vt actum in particulari, vel contrarium, vt ignis deorsum, vel disparatum, vt visus, sonum; vltima non est potentia, sed potius negatio potentiæ, reliquæ autem vel sunt naturales, vel violentæ. Tandem contra exempla in particulari; ignis est naturaliter inclinatus sursum indifferenter tamen ad omnia loca in propria sphæra, sicut materia naturaliter indeterminatè respicit formas in particulari, ergo sicut materia naturaliter mouetur ad formas in particulari, ita ignis in orbem. Quantitas perficitur ab arte, & formis artificialibus, ars enim perficit naturam, vnumquodque autem secundum Doctorem inclinatur in propriam perfectionem; idem de aere, respectu lucis; & vniuersaliter de subiecto respectu accidentis; nam accidens naturaliter inclinatur ad subiectum, vt possit existere, ergo è conuerso subiectum naturaliter ad accidens erit inclinatum. Accedit, quòd secundum Scot. citat. eodem modo se habent Angelus, & Cœlum ad motum, sicut quantitas ad colores; ergo omnes sunt in potentia naturali.

48 Resp. ad 1. authoritatem, solùm ibi intendere Aristot. in rebus naturalibus dari potentiam naturaliter respicientem finem intentum ab agente, qualis est materia prima, non tamen quòd omne subiectum secundum naturam patiatur, aliter nullus motus esset violentus; Ad alias respondet Zabarel. sumere Philosophum violentiam largè, vt scilicet comprehendit vel carentiam naturalitatis, vel repugnantiam, quo modo inter ista non datur medium, nos verò loquimur de violentia præsè sumpta. Per idem ad secundum. Ad 3. quælibet potentia per se respicit aliquem actum, non tamen vt sui perfectiuum, quod requiritur, vt naturalis dicatur; sic capacitas aquæ ad calorem per se primò respicit calorem, non tamen per hoc dicitur naturalis, sed violenta. Ad 4. patet ex dictis n. 21. qu. 1. art. 2. in simili de potentia violenta respondendo. Ad 4. conf. secundi argumenti principalis contra expli-

explicationem secundæ particulæ definitionis naturæ. Ad 5. patet ex dictis, videlicet, quòd requiratur ad rationem naturalis potentiæ, vt actum respiciat tanquam proprium perfectiuum. Ad 6. patet ex dictis, cur motus ignis in orbem non sit naturalis, quamuis enim inclinetur ad locum sursum, tamen non conuenit ei ab intrinseco acquirere locum sursum circulari motu, sed rectu, quia vt ait Arist. p. Cœli 7. & seq. vnius corporis simplicis vnicus est simplex motus naturalis. Ars dat perfectionem rebus naturalibus, quæ tamen non est ipsis debita iuxta natiuam exigentiam, quod requiritur ad rationem naturalis potentiæ; hinc Doctor non dicit absolutè, quodlibet inclinari in perfectionem, sed in propriam perfectionem, idem de aere dicendum. Quod additur de subiecto, & accidente, si valeret, concluderet etiam, nullam esse potentiam violentam; ideò dicimus, inter subiectum, & accidens adesse ordinem receptiui, & receptibilis, præsciendo ab ordine naturali, violento, vel neutro, qui postea diuiditur secundum quòd hoc, vel illud subiectum diuersimodè respicit accidens; neque propriè accidens dicitur esse in potentia naturali, sed subiectum, esse enim in potentia, subiecto, non actui conuenit. Tandem comparatio Doctoris inter potentiam Angeli ad motum, & superficiei ad colorem debet sumi solum quo ad indifferentiam in vtraque repertam, non in omnibus.

QVÆSTIO IV.

Quomodo natura differat ab arte.

49 NAturam hìc sumpsit Aristot. non solùm prout à violento distinguitur, verùm etiam ab arte, vnde multa in 2. Phys. & ab Arist. & à Doctoribus de ante tractantur; breuiter tamen aliqua tangemus, est enim res non magnæ difficultatis.

Ars igitur multipliciter sumitur, primò vt scientias omnes comprehendit, & facultates, secundò pro omni cognitione practica, tertiò pro vno ex illis quinque habitibus intellectus, & hoc modo solet definiri, quòd sit habitus cum recta ratione factiuus, vt ars statuaria, pictoria, &c. quartò solet accipi pro forma in materie ab artifice introducta, vt forma statuæ in marmore, forma damus in lapidibus, calce, & lignis; & his duobus vltimis modis consideratur in præsenti. Ars, vt habitus, est notitia quædam habitualis, quia intellectus artificis disponitur ad promptè, facilitèr, & rectè iudicandum circa ea, quæ spectant ad artem, & ex frequentatis actibus generatur; cum quo habitu alia duo regulariter concurrunt, cum exit in opus, primum est idea operis faciendi, vndè Aristot. 12. Met. 24. ait, sanitatem, & domum ad extra fieri ex sanitate, & domo in mente, & esse quasi generationem vniuocam, quia sicut in naturalibus generatio vniuoca illa dicitur, quæ est ad terminum eiusdem rationis cum forma, & natura agentis, sic domus extra est valdè similis cum domo in mente, quæ se habet vt forma respectu artificis. Secundum, quod requiritur, est quædam habilitas in potentia executiua ad promptè, & facilitèr operandum, vt patet in arte saltandi, in qua requiritur agilitas membrorum ad obediendum regulis, & præceptis ab intellectu dictatis. Ars, pro forma causata ab artifice nil aliud dicit, nisi ordinem partium naturalium, quo partes quantitatis vel qualitatis variè disponuntur, vt resultet illa figura artificiosa estque relatio ab illis partibus à parte rei distincta ex Scot. 4. d. 12. q. 4. F. connotando artificem operantem ex directione intellectus; nam possunt esse duo entia similia in materia, & in figura, vnum tamen dicetur naturale, quia à causa naturali absque dictamine rationis operante fuit effectum, alterum verò arte factum, quia à causa rationali à ratione directa causatum; idem patet de sanitate casu acquisita, & arte medicinæ: vnde forma artificialis à naturali distinguitur solum penes connotata. His prænotatis.

50 Dicimus 1. artem, vt est habitus, in multis à natura differre, & cum ipsa conuenire; differt, quia natura est substantia, ars est accidens; natura conuenit cum re naturaliter producta in esse reali, ars verò cum re artificiali tantum in esse obiectiuo, natura est principium physicum, & reale rerum naturalium, ars est principium solùm per directionem, non per veram efficientiam, non enim ars potest efficere opera naturæ, nisi solùm applicando actiua passiuis; quod probatur, nam ars canendi v. g. solùm regulat, & dirigit vocem, & cantum, non efficit, quòd alij explicant dicentes, naturam esse principium actionis naturalis quo ad substantiam, ars verò quo ad modum, illas actiones modificando, hoc tamen non debet intelligi, vt effectiuè concurrat ad modum illum efformandi suauiter, & sonorè vocem, hoc enim prouenit etiam à potentia naturali, sed regulando, & dirigendo; idem patet in horologijs, quorum principium motus prouenit a natura, scilicet à pondere, modificato tamen ab arte; & ars medica sanitatem efficere potest applicando hæc, & illa pharmaca in tali dispositione, vt veram sanitatem inducere possint effectiuè, ars verò directiuè, & in hoc sensu intelligitur dictum Arist. 2. Phys. 29. artem perficere naturam. Quas tamen operationes in particulari potest ars hoc modo causare, vt an ars chymica possit verum aurum efficere, & similia, non est præsentis negotij declarare, vbi de rebus naturalibus in communi tantùm est sermo, vide disp. 4. de Cœlo n. 188.

Conueniunt verò, quia vtraque præsupponunt materiam, in quam agant, vtraque ab imperfectioribus ad perfectiora procedunt; vtraque non casu & temerè, sed quibusdam certis quasi præceptis operantur, vtraque, quantùm possunt, opera efficiunt similia, natura quidem in essendo, ars in repræsentando; vtraque sunt imitatrices, natura imitatur artem diuinam, scilicet ideam operis exequendi, & quò magis diuinæ arti assimilatur, eò naturæ opera habentur perfectiora; ars vero æmulatur naturam, vt eò magis æstimentur artefacta, quò meliùs naturam ipsam exprimunt; vt patet præcipuè in imaginibus.

51 Dicimus 2. artem pro forma inducta ab artifice, quomodo opus artificiosum dicit, differre à natura, & rebus naturalibus; primò vt ait Doct. in 2. d. 18. q. vn. quia naturalia vt sic habent in se internum principium motus, non ita artificialia vt sic, nam forma artificialis nullo modo est principium motus; & quamuis multæ figuræ faciant motum, non sic pyramidalis figura; & multa opera artificialia seipsis moueantur, vt horologia, & columba illa lignea ab Archita fabricata, quæ per aerem volitabar, statuæ quoque Dedali industria confectæ seipsis mouebantur, & alia opera per magiam confecta, non per hoc dicendum, formam artis esse principium per se illius motus, hoc enim est naturę, licèt arte indigeat, vt modificetur, & figura illa solùm se habet vt conditio sine qua non, quia figura pyramidalis causat velociorem motum tantum, negatiuè; quatenus facit, vt aer minus resistat, & retardet mobile, & in aliis operibus principium per se erat pondus illud naturale taliter contemperatum per machinulas, & rotas intus latentes; præcipuè in statuis Dedali, quod illum causabat motum erat argentum viuum, vt notat Arist. 1. de An. 41. Secundò differunt, quia formæ artificiales sunt in superficie tantum, naturales verò sunt intimæ, & intrinsecæ. Tertiò quia materia prima naturaliter inclinatur ad formas naturales at materia artis, vel violenter, vel neutraliter se habet ad formas artificiales ex Scot. 2. d. 18. q. vn. C. Quartò materia naturalium est eis essentialiter completum. Quintò materia, & forma naturalium faciunt vnum per se, quia se habent vt per se actus, & per se potentia, non sic materia, & forma artificialium, & alias differentias solent Doct. afferre, quæ videri possunt apud Conimbr. 2. Phys. c. 1. q. 5. art. v. Perer. l. 7. c. 2. Amic. tract. 8. quæst. 9. art. 3. & alios.

Ex quibus collige, naturalia comparata cum artefactis, quatenus hæc includunt tam materiam, quæ sunt res naturales, quàm formam artificiosam, esse imperfectiora, quia carent perfectione, quam accipiunt ab arte, at si comparantur ad inuicem, non vt se includunt, sed omninò disparatè, & diuersi ordinis se habent, sic longè naturalia præstant in perfectione artefactis, eò quia illa sunt substantiæ, hæc accidentia ista ordinantur ad illa tanquam ad finem, substantia autem est simpliciter perfectior accidente, & finis rebus ad ipsum ordinatis. Satis de præsenti disputatione.

52 Hic quæri solet an forma artificialis distinguatur ab ente naturali, & quomodo Nominales, vt referunt Regent. Parisiens. 2. Phys. q. p. quæstiunc. 4. collat. negant vllo modo distingui à parte rei, quia tenent formam artificialem picturæ v. g. nihil reale superaddere coloribus, & eorum vbicationibus, quam opinionem cum alijs Recentioribus tuetur Arriag. disput. 6. Phys. sect. 2. cuius fundamentum est, quia eo ipso, quod intelligamus eos colores cum tali, & tali vbication in tabula, nulla alia forma artificiali superintellecta intelligitur pictura, sicut in characteribus, qui etiam sunt entia artificiosa, nihil aliud est necesse intelligere nisi atramentum hoc, vel illo modo vbicatum: Idem clarius intelligitur in statua lignea, vel lapidea nam præcisè per ablationem superfluarum, ac impedientium partium, cœteræ, quæ remanent sine vlla noua forma, & distantias, & proportionem expressiuam hominis retinent efficiuntque statuam, ergo ibi non producitur forma artificialis distincta à partibus ligni taliter vbicati, & à carentia partium redundantium, patet conseq. quia præcisè auferendo partes aliquas ligni, non potest artifex positiuam formam realem producere in his, quæ remanent, nam eas reliquit, vt antea, & solum ab eis alias separauit, cui fauet dictum Auctoris sex principiorum. Quod Artifex facit figuram incisionis nihil addendo, sed potius remouendo. Hinc quidam huius opinionis Auctores, vt refert Anton. And. q. 4. super sex princ. vlterius addiderunt, quod talis figura præcedit tam in materia actualiter, sed est cooperta alijs partibus eiusdem materiæ putà lapidis, aut ligni, quæ partes remouentur per actum artificis, & tunc figura apparet, ita quod secundum hoc Artifex nil aliud facit nisi remouere partes prohibentes apparentiam figuræ iam præexistentis à natura in materia præiacente, & forte (inquit Ant. And.) huius opinionis est Auctor sex princip. nam dicit quod figura est à natura, sed sentiri idest actualiter apparere est ab actu: Probant etiam, quod quando fit figura per coniunctionem rerum naturalium non acquiratur aliqua res noua, vt quando fit domus, vel pictura, quia vel forma acquisita est tota in toto, vel pars in parte, sed neutrum asseri potest, quia quocunque dato sequitur, quod artifex hic montem faciens, vel vrbem, nouam figuram in toto terrarum orbe induceret, & nouum accidens etiam apud Indos, cum tota terra, fit vnum totum integrale figuratum.

Opposita opinio est Realium asserentium formam artificialem esse accidens reale absolutum de quarta specie qualitatis rebus naturalibus superadditum artificis industria, ideoque artificiale realiter distinguunt ab ente naturali, ita refert Tatar. 2. Phys. q. 2. dub. 3. & mordicus defendunt Parisienses loc. cit. quorum præcipuum fundamentum est hoc, quia Artifex operando aut aliquid facit, aut nihil, non nihil, quia habitus quo nihil potest fieri, non est factiuus, & sic ars non esset habitus factiuus contra eius definitionem, si verò aliquid facit, aut facit no-

nouum,aut antiquum,non secundum,quia vel actum ageret,vel nihil prorsus faceret, ergo facit aliquid nouum, hoc autem nequit esse ens mere respectiuum,quia qui domum ædificaret, vel vrbem, non nisi vnum respectum faceret, quod videtur ridiculum, nam caro nimis pretio tales respectus emerentur in picturis, & ædificijs, ergo huiusmo di figura verum accidens absolutum de genere qualitatis importabit, vt ibi docuit Arist. explicans quartam speciem illius prædicamenti. Dices artificem facere, quod antiquum nouam denominationem acquirat,quam prius non habebat,facit nimirum,quod æs sit statua,cum prius statua non esset. Contra hoc arguunt,quia vel talis denominatio est extra animam,vel non: si primum,ergo sumitur ab aliqua forma reali noua: si secundum, ergo per suam operationem artifex non facit,nisi ens rationis. Si dicas artificem non efficere, nisi nouum motum,& nouas vbicationes. Contra instant, quia certum est finem artificis non esse solùm motum localem, & solas vbicationes colorum,vel lapidum,sed aliquid aliud.

52 Neutra istarum opinionum est amplectenda,non prima Nominalium præsertim in sensu, quo defenditur ab illis, qui dicunt figuram artificialem,præcipuè quæ fit per incisionem, & subtractionem partium ab aliquo toto præcedere actualiter in materia, quia vt arguit Ant. And. cit. in eadem parte materiæ nequeunt esse actu simul plures figuræ incompossibilis, nisi ponatur figmentum, & chimericum in natura, sed in eadem parte materiæ possunt esse quæcunque figuræ in sensu diuisionis,puta hominis, bouis, serpentis quæ sunt omninò incompossibiles, ergo non sunt simul ibi in actu; Sed nec etiam defendi potest in sensu,quo eam tuetur Arriag.quod formaliter figura consistat in solis vbicationibus, quia interdùm figura resultat absque quod varientur vbicationes partium rei artificiatis, vt cum quis in antro imaginem format in lapide, partes enim remanent, & imaginem constituunt,locum, & vbi nullo modo variant, cum eisdem spatij partibus correspondeant,quibus anteà correspondebant; tum quia cum statua, vel pictura hinc indè defertur variantur vtique vbicationes statuæ, & partium eius, quia correspondent diuersis spatij partibus,& tamen non variatur figura,ergo vbicationes non erant forma artificialis statuæ,vel picturæ. Et quidem prorsus ridiculum est,quòd concedit Arriag.cit. hoc argumento pressus physicè loquendo mutari saltim inadæquatè figuram,& formam artificialem, quotiescunque loco mutatur res artificiosa, quia tunc mutantur vbicationes, & solum in ordine ad apprehensionem nostram, & moraliter loquendo eandem perseuerare,quia succedunt aliæ vbicationes eodem modo distantes inter se sicut priores. Hoc sanè prorsus incredibile est, non enim moraliter solum, sed etiam physicè eadem censetur imago apud omnes etiam sapientes siue sit in templo,siue in foro,siue in cubiculo, & qui oppositum diceret exsibilaretur.

Neque etiam omnino vera est Realium opinio, quamuis enim in hoc, & quod asserit formam artificialem quidpiam reale superaddere partibus naturalibus entis artificiosi, verum dicat,tamen non rectè docet hoc, additum esse entitatem absolutam de genere qualitatis: quia contra hoc benè vrget argumentum allatum à prima sent. quod hic fodiens terram vel faciens montem variare: eius integram figuram, & consequenter nouum accidens absolutum facere in toto terrarum orbe quod magnum nobis videtur absurdum, estò à Parisiensibus loc.cit.concedatur, tum quia verisimile non videtur, quoties ceram manibus contrectamus toties in ea produci nouas qualitates, ac entitates absolutas; tum quia difficulter explicatur, quo pacto talis forma absoluta in toto composito artificiali resideret, an esset tota in toto, & qualibet eius parte indiuisibiliter, quod de accidente materiali non benè diceretur, an potius pars in parte diuisibiliter, & tunc vnaquæque pars illius compositi diceretur eodem modo figurata,sicut totum, v.g. triangularis,quadrangularis, sicut quælibet pars albi dicitur alba per partem albedinis, nisi forte talis qualitas in suis partibus integrantibus ponatur eterogenea, quod esset voluntariè dictum.

53 Dicendum est igitur formam artificialem non esse purum nihil, neque entitatem absolutam, sed esse relationem, quandam ordinis, & proportionis partium naturalium ad se iouicem; ita expresè significat Doctor cit.4.d.12.q.4.F. vbi ait, figuram vltrà quantitatem non dicere,nisi relationem partium ad se inuicem, vel terminorum includentium partes,& sequitur Tat.loc.cit. & ità etiam iamdudum docuimus nos in Logica disput.7.q.3.art.2. declarando quartam qualitatis speciem, & explicuimus in quo sensu figura ab Aristot. ponatur in prædicamento qualitatis: Et quamuis Doctor 4.d.1.qu.1. sub Q. videatur dubitare, an talis relatio per formam artificialem importata sit realis,vel rationis,tamen inferius 4.d.12.cit.clarè significat esse realem; hic autem recolendum est ex Logica loc. eitat. & colligitur ex Scot.4.dist.10.q.p. §. *dico ergo*, duplicem esse figuram, vnam intrinsecam,quæ fundatur in positione de genere quantitatis, & in ordine seruant inuicem partes in toto, quatenus non sunt inter se confusæ, sed ita dispositæ, vt vna immediatè continuetur vni, & non alteri præscindendo à loco,vt caput collo,& non pedi; aliam extrinsecam,quæ fundatur in positione de genere situs, & est coordinatio quam seruant partes ad se inuicem, vt sunt dispositæ in loco ac proindè vocatur figura situalis,& hæc propriè est figura,quam importat forma artificialis,& hæc propriè est figura, quam importat forma artificialis, vt significat Doctor cit.4.d.12. dum ait, quod relatio per figuram importata mutari potest partibus manentibus eodem modo in se,& in toto, quod etiam notauit Tat.cit. vt constat de digito, qui dum curuatur, dicitur variare figuram ex eo præcisè, quod variatur sua in partes coordinatio adinuicem in loco, etiamsi saluent eundem ordinem in toto; Et benè aduertendum est, quod inquit Doctor figuram importare relationem ordinis partium ad inuicem, vel terminorum includentium partes, per quod significat figuram non dicere immediatè relationem partium ad locum, quia tunc figura non esset nisi vbicationes partium, vt aiebat Arriag.sed relationem partium ad se inuicem, vt sunt ordinabiles in loco, non quidem hoc vel illo, sed indeterminatè, dummodo non sit maior, vel minor, quam suaptè natura artificiale corpus exposcat.& hinc est, quod eadem imago perseuerat, siue sit in foro, siue in templo,quia licet illæ partes translatæ varient locum, & vbi,eandem tamen seruant coordinationem, & proportionem ad se inuicem,vt sunt in loco v.g. palmari ordinabiles, quia non hic vel ille locus palmaris spectat ad rationem illius figuræ,sed locus palmaris indeterminatè sumptus.

Hinc patet ad fundamenta primæ sent. falsum enim est, quod solis coloribus intellectus, & eorum vbicationibus in tabula resultet figura, figura namque non resultat quousque intelligatur præfata coordinatio, & distantia partium adinuicem, quæ fundatur in vbicationibus eorum; quæ etiam produci intelligitur etiamsi artificialis forma fiat per subtractionem partium ab aliquo toto, hoc enim ipso quod à ligno,vel lapide hæc,& illa pars abscinditur,in cœteris nouus ordo adinuicem,nouaque proportio resultat, sicut inter duas quantitates palmares resultat inæqualitatis relatio, si ab vna semipalmus auferatur, & sola diuisio sufficit ad resultantiam indiuisibilium quantitatis: Pariter etiam, quando fit compositum artificiale per coniunctionem rerum naturalium,noua relatio ordinis,& proportionis partium acquiritur,& diuisibiliter residet in toto, & in partibus, non tamen partes subiecti eodem modo denominat, quia illæ relationes requirunt integrum fundamentum, vt fiat denominatio,vt de relationibus duplicitatis,& æqualitatis dicebamus disput.8.Log.q.6.art.2.soluendo 3.princ. vbi etiam declarauimus,quarè distantia non obstet, quo minus posito termino resultat relatio in fundamento,& tamen obstat in entibus absolutis, quæ doctrina indè necessariò resumenda est pro solutione istarum difficultatum.

Ad fundamentum 2.sent.dicimus cum Tat.cit. reale,quod superaddit forma artificialis enti naturali, esse præfatum ordinem partium ad seinuicem,& hunc produci ab artifice,& eius gratia pecunias recipere, & subdit Tat. de hoc mirandum non esse, quia admodum difficile est perficere talem ordinem,siue respectum, nam ad faciendum vnum respectum oportet primò facere aliquod absolutum,vel saltim aliqua absoluta approximare,vel subtrahere aliquod, quod est multum difficile, & ideò artifex pro nihilo non soluitur; an autem distinctio formæ artificialis ab ente naturalis realis dici debeat, vel modalis,pendet ex dictis disp.8.Log.q.3.art.1.de dist.relationis à fundamento; & disp. 5.Phys.nu.109.

DISPVTATIO SEPTIMA.

De causis extrinsecis, efficienti, & finali.

Explicatis causis intrinsecis corporis naturalis, quæ ipsum quiddit atiuè, & essentialiter in esse constituunt, de extrinsecis remanet agendum, efficienti scilicet, & finali, & primo de efficienti, quia notior est omnibus, nam euidens est, aliqua de nouo incipere, & nullum potest se ipsum producere,& causare,quia prima, & principalis est ordine executionis, à qua causatum desumpsit nomen effectus,etiam in ordine ad alias causas; & quia finis non est vera,realis,& physica causa,sicut efficiens, vt dicemus, hinc nomen causa anthonomasticè efficienti competit.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens.

1 Causam efficientem definiuit Arist.2.Phys.29. & 5. Met. 2. esse *Id vnde principium mutationis primum, aut quietis*: quam definitionem vt incommodam, & obscuram reijcit Hurt.disp.9.Phys.sect.1. aliam tradens obscuriorem, scilicet causa efficiens est *principium per se influens in aliud, præcisa mutatione sit, ex præcisa ratione influxus*: vnde melius erit elaborare in declaratione peripateticæ definitionis ab omnibus acceptatæ; quæ potest claritatis gratia in hanc formam reduci,est *principium primum,vnde est mutatio, aut quies*: vt facit Auersa q. 14.sect.1.

Dicitur ergo *principium*, quod habet rationem generis conueniens omnibus causis; additur *primum*, non simpliciter, & absolutè, vt est Deus,sed in proprio genere,vt causis secundis etiam conueniat; & significat primitatem principalitatis secundum illos, qui instrumentalem causam excludunt ab ista definitione, instrumentum enim non agit principaliter,& propria virtute; vel primitate perfeitatis,vt causæ per accidens remoueantur,itaut idem sonet, ac per se,vel tandem denotat proprium causandi modum,vt notat Suar. disp.15. Met.sect.1. cœteræ enim causæ non dicuntur primæ, nam finis solùm intentione dicitur prima causa, non in executione, forma se habet vt terminus mutationis; materia, licèt præsupponatur causalitati agentis quoad entitatem,attamen loquendo de actuali causatione,ideò materia recipit, quia agens agit, & consequenter influxus agentis debet dici omnium primus primitate naturæ,modo disp. seq. explicando,non temporis, nam omnes causæ in eodem temporis instanti simul causant ex Scot.2.d 37. V. Verum est tamen quod hæc particula non est simpliciter necessaria, si per principium intelligatur principium per se, sufficienter enim per cœteras particulas explicatur essentia efficientis causæ,vnde Arist.1.de Gener.14. repetens hanc definitionem,omisit istam particulam; tertiò subdit *vnde*, quæ particula non sumitur latè,vt in definitione principij, cum dicitur esse id,*vnde* aut est, aut cognoscitur res; sed precisè pro particula *à quo*, per quam distinguitur tum à materia,& forma,quia totum propriè non dicitur fieri à materia,& à forma,sed ex illis,tum à causa finali,quæ propriè non est id,à quo motus, sed cuius gratia fit motus; quartò dicitur *mutationis*, quæ sumitur secundum latam acceptionem, mutatio enim ex dicendis in propria disputatione, potest sumi vel pro quacunque successione termini ad quem post terminum à quo,siue in subiecto,siue extra subiectum,quomodo creationem etiam continet; vel pro transitu in subiecto, siue substantialis sit,siue accidentalis,& hæc dicitur Physica mutatio; tandem sumitur pro mutatione substantiali solùm; in proposito si velimus sub ista definitione comprehendere causam creantem, debet sumi mutatio in primo sensu; non videtur tamen hæc esse mens Arist.nam creationem temporaneam non agnouit; vnde sumetur in secunda acceptione,vt omnes causas physicas amplectatur: tandem additur *aut quietis*, quod à multis explicatur, vt terminum mutationis significet; & quia quod est causa motus, est necessariò causa termini motus, saltim vt in pluriumum, ideò dicunt, ly *aut* coniunctiuè sumi. Attamen sicut malè fecisset Aristot. si ly & in definitione naturæ disiunctiuè sumpsisset, vt diximus disputat. præced. ita male sumpsisset hanc particulam, *aut* coniunctiuè, quia particulæ in definitione accipi debent secundum propriam, & rigorosam acceptionem. Melius ergo dicimus, per mutationem intelligi non solùm mutationem pro formali, scilicet, transitum illum; sed etiam pro materiali, qualis est res in fieri, & per quietem intelligi rem in facto esse, quando in tali statu à causa dependet, vt causam conseruantem etiam comprehendat, & quia non semper quæ est causa in fieri, est etiam causa conseruans, & in facto esse, idcircò particulam posuit disiunctiuam.

2 Per istas quoque particulas, scilicet, *mutationis, aut quietis*, explicantur correlatiua causæ efficientis: nam efficiens ad duo potest computari,vt notat Doctor in 2.d.1.q.5.S. & 4.d.13.q.1.F. & sequ. ad affectum, quatenus recipit de nouo esse simpliciter à causa efficiente,& ad passum, seu subiectum, quod recipiendo formam ab agente perficitur,& transmutatur; hinc potentia actiua definitur à Philos.5 Met. 17. quòd sit principium transmutandi aliud inquantum aliud. & actio ab Auctore sex principiorum, quòd sit secundum quam in; illud, quod subijcitur, agere dicimus; cùm ergo duo respiciat causa efficiens vt correlatiua, & terminum productum, quomodo producens denominauit, & subiectum, quod transmutat, ratione cuius & agens, vel transmutans dicitur; ac mutatio, & quies significent formam in fieri,vel conseruatam in subiecto, aut totum productum, vel vt producitur; sequitur euidenter, per istas particulas explicari correlatiua efficientis causæ, quæ sunt subiectum transmutatum,& terminus productus, hinc Aristot. post traditam definitionem efficientis causæ, exemplicat dicens, *& omnino faciens facti, & mutans mutati*.

Ex quibus deducitur, hanc definitionem rectam esse, quia ex proprio genere constat, & propria differentia, & facit causam efficientem differre ab alijs causis, vt patet ex dictis. Solum posset dubitari de natura, quæ principium ponitur effectiuum motus, & de conditonibus sine quibus non, à quibus videtur esse motus. Sed de istis non vrget difficultas,quia non dicuntur propriè principia,cum non habeant virtutem producendi effectum, sicut causa efficiens, vnde motus ab illis dicitur pendere,non vt à causis. De natura verò dicendum, quòd eadem aliquando sunt causa efficiens, & natura, & aliquando differunt, & ideò vnaqueque seorsim debuit definiri,principium enim in definitione naiuræ supponit pro passiuo,& actiuo, non quocunque, sed immanenti, & substantiali; at in definitione efficientis causæ supponit pro actiuo, siue immanenti, siue transeunti siue substantiali, siue accidentali. Cœterum, vt appareat, quomodo omnibus causis effectiuis conueniat, aliquas, & præcipuas diuisiones istius generis causæ declarare debemus, descendentes ad secundam partem quæstionis.

3 Primò diuiditur in causam per se,& in causam per accidens; causa per se est illa, ex Scot.1. dist.2. q.2.I. quæ secundum naturam propriam, & non secundum aliquid sibi accidens causat, vt ædificator per se ædificat, pictor per se pingit; causa per accidens est quæ licèt concurrere dicatur ad effectum, non est tamen necessaria, nec effectus vi illius accipit esse,sic cum musicus ædificat, musica dicitur causa efficiens ædificationis,sed per accidens, quia ædificatio ita est à musico, vt si non esset musicus, adhuc tamen æquè benè fieret ab ædificatore, & hæc causa multipliciter subdiuiditur, vt dicemus infra qu.vlt.huc spectant conditiones sine quibus non, vt sunt causa applicans, remouens,prohibens,non impediens,& similia.Notandum tamen cum Bonet.2. Phys.cap.8. in fine conditionem sine qua non, propriè non esse causam per accidens,quia potest edificator edificare absque hoc,quod sit musicus sed potius est modus existendi causæ per se, vt possit exire in actum.

Secundò diuiditur in physicam, & moralem; physica, seu realis est,quæ verè,& realiter influit in effectum,vt cum ignis causat ignem, moralis verò est duplex,vel moralitate libertatis,quomodo à causa physica necessaria, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum non potest non agere,contradistinguitur,& est illa,quæ potest agere, & non agere etiam positis omnibus prærequisitis ad agendum, vt est voluntas,vnde actus liberi,actus morales solent appellari;& hæc causa coincidit cum physica, & reali, quia verè voluntas influit in actus liberos; Vel moralis dicitur moralitate imputationis, quomodo à causa physica,& reali vniuersaliter sumpta distinguitur, & est illa, cui secundum rectam prudentum æstimationem imputatur effectus, in quem ipsa physicè non influit præcisa tali existimatione, tales causæ sunt iubens, consulens, & aliæ illis duobus versiculis comprehensæ.

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Qui recipit, mutus, non obstans, non manifestans.

Quæ omnia cadunt in agentibus liberis, et præcipuè causa moralis dicitur, quæ est ratio, cur alia causa operetur ex aliquo pacto, sic Sacramenta dicuntur causæ morales gratiæ, et opera nostra bona causæ meritoriæ nostræ salutis, quia ad positionem Sacramentorum Deus nobis elargitur gratiam, et propter opera meritoria dat præmium æternæ vitæ,et hæc causa reduci solet ad causam physicam per accidens.

4 Tertiò diuiditur in causam efficientem, principalem, et instrumentalem; principalis est,quæ propria virtute attingit effectum principaliter intentum,et nulli famulatur,instrumentalis verò,quæ acciuè

non

non attingit talem effectum, sed dispositiuè inseruit causæ principali, vt fusius qu.5.

Quartò diuiditur in proximam, seu immediatam, & in remotam, seu mediatam, proxima est, quæ nullo alio medio concurrit ad effectum; remota, quæ alio mediante dicitur concurrere. Et immediatio, vel meditatio causæ multiplex est, alia virtutis, alia suppositi, & huius, alia in essendo, alia in causando, hinc multæ oriuntur subdiuisiones; causa efficiens immediatè immediatione virtutis est, quæ agit per virtutem sibi inexistentem, vt dum calor calefacit; & è contrà, causa efficiens hoc modo mediata est, quæ agit per virtutem à se diffusam, vt dum lapis sursum mouetur, proijciens mouet per impulsum in lapide productum. Causa efficiens immediata immediatione suppositi in essendo est, quæ loco non distat à suo effectu, adeò vt inter ipsa nullum mediet suppositum, sic Deus agit in hæc inferiora, quibus est intimè præsens; & è contrà, causa efficiens sic mediata est, quæ loco distat, vt Sol, dum mineralia in visceribus terræ producit. Tandem causa efficiens immediata immediatione suppositi in causando est, à qua immediatè prodit actio, vt cum Sol producit mineralia, nam generatio illa à virtute Solis immediatè egreditur è contrà, causam mediatam efficientem hoc mndo dicimus, quæ non sua virtute effectum attingit, sed virtute media ab ipsa procedente, vt ignis cum medio calore, quæ est virtus ab ipso dimanans, calefacit.

Quinto diuiditur in causam totalem, & partialem; & quia totalis in proposito est duplex, sicut & partialis, idcircò alia dicitur totalis totalitate causæ, alia totalis totalitate effectus; causa totalis totalitate causæ est, quæ se sola sufficiens est ad ponendum effectum absque alia, vel simpliciter, vt cum omnem aliam excludit, sic Deus totaliter animam creat, vel in genere, vt cum omnem aliam causam excludit eiusdem generis, & ordinis, sic ignis dicitur causa totalis alterius ignis, nam & si materia concurrat, hoc est in genere causæ materialis, & quamuis Deus etiam influat efficienter, est tamen alterius ordinis; causa verò totalis totalitate effectus est, quæ ira influit in effectum, vt nulla sit pars effectus, in quam non influat, ita duo trahentes nauim dicuntur causæ totales totalitate effectus. Eodem modo diuiditur partialis causa, quòd alia talia dicatur partialitate causæ, quæ scilicet cum alia eiusdem generis, & ordinis producit effectum, vt obiectum respectu notitiæ, partialis verò partialitate effectus dicitur ea, quæ partem vnam effectus producit, altera reliquam partem, vt duo artifices eandem nauim fabricantes.

5 Sextò diuiditur in causam primam, & secundam; causa prima est, quæ independenter omninò operatur, vt Deus, qui tempore, perfectione, & dignitate antecedit alias causas; causa secunda est, quæ ab alia dependenter agit, vt omnes creaturæ, quæ in agendo dependent à Deo, ita Scot.4.d.1.q.1.

Septimò diuiditur in causam vniuersalem, & particularem, vniuersalis est, quæ concurrit vel ad omnes effectus, vt Deus, vel ad plures, vt Cœli; particularis est, quæ ad aliquem certum, & determinatum effectum concurrit, vt sublunaria.

Octauò diuidi solet in efficiens Quod, & in efficiens Quo; causa efficiens Quod est suppositum, quod agit, scilicet Petrus, vel ignis; causa efficiens Quo, alia est principalis, & est principium, seu forma substantialis, alia est minus principalis, seu instrumentalis, & est principium, seu forma accidentalis, per quam suppositum agit, vt in igne efficiens Quo, principale est forma substantialis ignis, principium Quo instrumentele est calor, vel siccitas.

Nono diuiditur in causam efficientem, vniuocam, & æquiuocam, vniuoca dicitur illa, quæ effectum sibi similem in natura, & eiusdem rationis producit, vt ignis cum generat alterum ignem, qua ratione dicitur continere formaliter effectum; æquiuoca est, quæ effectum alterius rationis, & naturæ producit, vt Sol producens aurum in visceribus terræ, & ideò non formaliter, sed virtualiter continet effectum in seipsa, vt docet Doctor 1.dist.25.E.F. & ista, si erit totalis, semper est suo effectu perfectior, si partialis, non est hoc necessarium, vt dicemus.

Decimo alia dicitur causa præcisa, alia non præcisa; prima est illa, qua posita, ponitur effectus, & qua ablata, remouetur, vt humanitas est causa præcisa risibilitatis, nam ipsa posita, ponitur risibilitas, & ipsa remota, quibuscunque alijs positis, remouetur; causa non præcisa est illa, qua posita, non ponitur effectus, quamuis si remoueatur, etiam destruetur effectus, sic animal non dicitur causa præcisa hominis, quia ex positione animalis non ponitur homo, licèt animali non posito, homo etiam tollatur.

Vndecimo tandem alia dicitur causa efficiens secundùm extrinsecam denominationem, alia secundùm intrinsecam denominationem; prima est illa, quæ intantùm dicitur formaliter causa, quia tantummodò terminat dependentiam effectus ad ipsam, non vero per quandam relationem causæ in illa existentem, sic Deus dicitur omnium causa, quia terminat omnium dependentiam, non enim potest de nouo fundare relationem aliquam ad creaturas; causa verò per intrinsecam denominationem est: quæ realiter refertur ad effectum relatione reali; & hæc refert primam, quæ namque dicitur denominatione intrinseca causa etiam terminat effectus dependentiam.

Ex quibus colligi potest, quòd allata definitio efficientis causæ non conuenit vniuocè causis per se, & per accidens, neque causis physicæ, & morali secundùm imputationem, sed proportione quadam, qua ratione Aristot. non solùm de causa physica exemplificauit 2. Phys.29. sed etiam de causa morali; Ratio huius est, quia causæ per accidens, & moralis secundùm aliquid rationis tantum dicuntur causæ non enim fundant realem relationem ad effectum, causæ verò per se, & physica sunt tales secundùm aliquid reale, at enti reali, & enti rationis nihil est commune vniuocum. Idem dicas de causis intrinsecæ, & extrinsecæ denominationis propter eandem rationem, nam Deus formaliter dicitur causa, vel per terminationem, vel per relationem rationis in ipso conceptam.

Dices, Deus verè, & realiter dicitur causare, sicut ignis realiter dicitur alterum ignem producere; Sacramenta, quæ secundum Concilia, & Patres causa gratiæ dicuntur, ergo potest ab istis omnibus conceptus communis vniuocus abstrahi. Tum quia per regulam Scoti 1. d.3.q.2.B. intellectus certus de vno, & dubius de duobus, habet conceptum distinctum ab illis, de quibus est dubius, & vniuocum; sed possumus esse certi, quòd Deus sit causa, dubitare verò, an per intrinsecam, vel extrinsecam denominationem; similiter quòd Sacramenta causant gratiam, sed quærere postea, an physicè, vel moraliter, ergo ratio causæ est illis vniuoca.

Resp. Deum dici realiter causam, quia realiter terminat dependentiam, quæ ratio est communis, & vniuoca Deo, & creaturis, quatenus istæ etiam realiter terminant relationem effectuum, non tamen vt fundant relationem causæ, & si hoc modo explicetur definitio, concedimus, vtrisque vniuocam esse. Sacramenta quoque dicuntur propriè causa gratiæ, quia in genere moris habentur tanquam causa per se, licèt in genere physico ad causam per accidens reducantur; sic etiam consulens homicidium in genere moris, & secundum prudentem hominum estimationem habetur pro vero homicida, quamuis per accidens illud causet in genere physico; & hoc modò intelliguntur Patres, & Concilia. Ad Confir. dicimus, conceptum, quem habemus de Deo, vt causa, esse, quod terminet dependentiam effectus, qui conceptus conuenit etiam creaturis, vt diximus, sed dubitatur postea, an dicatur causa etiam secundum intrinsecam denominationem. Neque cum aliquis est certus, quod Sacramenta sunt causa gratiæ, & dubitat, an sint causæ physicæ, vel morales, habet vnum conceptum vniuocum obiectiuum, sed tantum conceptum nominis; sicut intellectus est certus, aliquid esse ens & dubitat, an sit reale, vel rationis, habet tantum conceptum nominis plura immediatè significantis; vt fusiùs dicitur in tract. de Vniuocatione Entis.

Tandem si causa instrumentalis realem dicit relationem ad effectum, & ly *primo* in definitione causæ efficientis, dicat primitatem perfeitatis, vtraque causa tam principalis, quàm instrumentalis continebitur sub ista definitione; at si talem relationem non dicit, velly *primo* significet primitatem principalitatis, causa instrumentalis exclusa remanet ab ista definitione. Et quamuis Arist. de instrumentis adduxerit exempla, posset dici, hoc ideò fecisse, quia instrumentalis causa proportionem habet cum efficienti principali, ad quam reducitur; sicut causa moralis; & hoc est probabilius, quia habitudo causæ instrumentalis explicatur; non vt *à quo aliud*, sed vt *per quod aliud*, vt dicemus q.5.

QVÆSTIO III.

Quinam sint effectus efficientis causæ, vt producentis, & transmutantis.

7 DIximus in præced. quæst. efficiens duo respicere, terminum productum, et subiectum transmutatum, videndum est, an tam subiectum, quàm quilibet terminus habeat rationem effectus, et dependentis in ordine ad effectuum causam; et quia Philos. definiuit solum agens physicum, quod subiectum præsupponit in agendo, non verò agens in communi comprehendens Deum creantem, idcircò de rebus illis agemus, quæ causationi physici agentis subsunt, non de illis, quæ immediatè à Deo petunt produci per creationem, vt sunt materia prima, Intelligentiæ, anima rationalis, et huiusmodi. Res verò, quæ sub tali causatione physici agentis dicuntur cadere, aliæ dicuntur fieri per resultantiam, et emanationem, aliæ per simplicem efficientem, tandem aliæ respiciunt efficiens non solùm in fieri, verùm etiam in conseruari, et in facto esse; debemus igitur explicare, quænam res, et quomodo ab agente dependeant, dicanturque effectus eius; deinde quomodo subiectum effectus agentis possit appellari.

Et primo quo ad res per resultantiam productas notandum, quod res illæ resultare dicuntur, quæ proueniunt à principijs intrinsecis, et essentia subiecti, in eodem subiecto recipiuntur, et per modum permanentis se habent, vt notat Auersa q.14.sect.4. et quasi connaturales subiecto, qua ratione frigiditas in aqua, si ab extrinseco proueniret, non diceretur emanare ab aqua, sicut euenit, cum aqua proprijs viribus se reducit ad pristinam frigiditatem; nec actus vitales, aut scientiæ quamuis ab anima proueniant, et in ipsa recipiantur, dicuntur emanare, quia non sunt permanentes in anima, itaut ex propria natura tales qualitates semper exigat in se ipsa, sicut est in aqua frigiditas. Hoc autem tripliciter contingere potest; Primò itaut effectus fluat à sua causa solùm metaphysicè, non per verum influxum physicum, et hoc est quando id, quod resultat, non est realiter distinctum à sua causa, sed formaliter tantùm; sic ait Doctor in 1.d.5.q.7.S. passionem emanare à subiecto, quod repetit in 2.d.25. C. Secundò, itaut res physicè resultet, quia est realiter à subiecto distincta, & ita necessariò, vt nec à Deo impediri possit, quin resultet, sic se habent relationes maximè intrinsecus aduenientes respectu fundamenti, & termini, quæ resultantia duplex esse potest, sicut duplex esse potest relatio, alia, quæ est effectus præcisè, nullo modo a natura instituta ad hoc, vt aliquid dicatur formaliter causans, alia, quæ præcisè est à natura instituta, vt aliquid formaliter causans dicatur, cuiusmodi est relatio causalitatis, in qua consistit influxus causæ ex dictis in disp.4.qu.1. quæ distinctio relationis colligitur ex Canon. 5. Phys. q.5. ad 1. argum. factum in corpore quæsiti. Tertio modo dicatur res aliqua physicè resultare ab essentia rei, & quandoque per veram mutationem, ita tamen, vt à Deo per absolutam Dei potentiam possit impediri, sic remota aqua ab igne, resultat in ea frigiditas, & in qualibet generatione rei naturalis fluunt ab ipsa omnia accidentia connaturalia, vt quantitas, & qualitates connaturales, quibus potest à Deo priuari. Resultantia, & emanatio, prout à vera efficientia distinguuntur, propriè primo modo sumuntur.

8 Quæ resultant primo modo, non agnoscunt pro causa vera, & physica quidditatem subiecti, vt asserunt Thomistæ, sustinentes, passiones realiter à subiecto distingui, sed tantum pro causa metaphysica, qua secundum nos passiones solùm formaliter à quidditate subiecti distinguuntur ex dictis in Log disp.5.q.4.art.1. & supra aliqualiter tetigimus, cum de potentia materiæ loqueremur, at influxus physicus, cùm sit relatio realis, debet esset inter realiter distincta; solummodo effectus physici dicuntur, vt respiciunt causam physicam producentem entitatem subiecti, ab eodem enim efficiente physicè producitur anima v.g. cum suis potentijs, & passionibus; sed cum hoc stat adhuc, quod anima erga potentias causalitatem metaphysicam exerceat, itaut ordo, qui est inter passiones, & subiectum, potentias, & animam in ordine ad causam physicam, non fit precisè ordo causati posterioris ad causatum prius, idest ordo effectuum ab eadem causa, de quo Scot. in 2.d.1.q.1.L. sed est ordo causalis saltim metaphysicè loquendo, sicut ordo, qui reperitur inter potentias animæ ad inuicem est ordo precisè effectuum ab eadem causa. Et in hoc sensu, quatenus, scilicet, sunt realiter identificatæ cum subiecto, possunt passiones dici effectus veræ causæ efficientis, eiusque actionem terminare, quod sufficit ad rationem entis creati; vt notat Fuentes 2. Phys. qu.4. diff. 4. art. 4. nu.53.

Quæ secundo modo resultant, & sunt relationes institutæ à natura ad denominandum aliquid formaliter causans, quamuis physicè resultent, non tamen habent rationem effectus propriè, quia non proueniunt à fundamento per alium influxum, & causalitatem distinctam, aliter influxus esset influxus, actionis actio, & causalitatis causalitas, & sic processus in infinitum; quare physicè fluunt, quatenus verè, & essentialiter pendent à fundamento, non alia dependentia realiter distincta, sed sibi realiter identificata; de ratione enim causalitatis actiuæ, vt sic, est, vt habeat immediatam habitudinem ad id, quod formaliter causam denominat, à quo causalitas sua, qua denominatur formaliter causans, dicitur habere esse non per aliam causalitatem mediam, sed per immediatam terminationem huius in ratione fundamenti, alioquin non denominaretur vnquam immediatè causans. Ratio huius præcisa est, quia quando aliquid est ratio alicui essendi formaliter tale, illud seipso est tale, ne detur processus in infinitum, vt notat ex Scoto Canon. 1. Phys. q.4.art.1. Quo enim non potest esse Quod; & vt docet Anton. Andr. 4. Met. qu.2. si vnum esset, aliud realiter ab ente, non posset quæri, vtrum sit vnum, quia si habet rationem Quo ens est vnum, quod non potest habere rationem Quod, alioquin mutaretur Quo in Quod, & fieret processus in infinitum.

9 Dices; quando in igne resultat relatio causalitatis respectu caloris, illa non est à se, ergo ab alio, ergo est causata, & effecta. Tum 2. quia ignis concurrit ad causalitatem, & non est mouens immotum, sed mouens motum, sicut quælibet alia causa creata, ergo mouetur à Deo recipiendo influxum distinctum in illam causalitatem, ergo propriè dicetur effectus ignis. Tum 3. Petrus v.g. fundat relationem diuersitatis ad Paulum, respectu cuius diuersitatis fundat aliam relationem diuersitatis, qua à prima diuersitate dicitur diuersus, ergo quamuis causalitas sit ratio referendi ignem ad calorem in ratione causæ, attamen poterit ignis alia causalitate denominari causa respectu primæ causalitatis, paritas patet, quia ita diuersitas est, Qua Petrus dicitur diuersus à Paulo, sicut causalitas est, Qua ignis dicitur causa caloris, Antecedens probatur, quamuis diuersitas non alia diuersitate, sed seipsa diuersa dicatur à Petro, qui est fundamentum, & hoc quia nequit esse sine Petro, vt notat Doctor in 2.d.1.q.5.H. & N. attamen Petrus non potest dici seipso diuersus à diuersitate, sed alia relatione distincta, quia potest esse sine illa, & per consequens de nouo dicitur diuersus noua relatione, non seipso: nec prima relatio diuersitatis facit differre Petrum à se ipsa, aliter esset sui ipsius terminus, sed à Paulo.

Respon. relationem illam dici causatam propriè, & effectam à Deo, quia non est Deo ratio agendi, & ideò Deus dicitur illius vera, & propria causa; ab igne verò est, non vt effectus à causa, sed vt actio, & productio à producente, quatenus ignis terminat essentialem dependentiam actionis, quam dicit ad ipsum. Ad 2. dicimus, ignem, sicut non est vera causa illius relationis, sed per ipsam dicitur formaliter causa, ita non posse dici causam mouentem, vel motam, neque concurrere vero concursu, sed simpliciter terminando dependentiam actionis, quæ terminatio nihil ponit in igne. Ad 3. dicimus, hanc esse vnam ex præcipuis rationibus, quibus Recentiores cum Ocham negant relationes; sed non minus vrget ipsosmet in relationibus secundum dici, quas admittunt, etenim vnio est in materia, & licèt seipsa vniatur materiæ, attamen materia quomodo recipere, & vnita dicitur vnioni? non ipsa vnione quia vnio est ratio vniendi materiam formæ, non sibi ipsi, aliter esset terminus sui ipsius, non materia seipsa, quia de nouo vnita dicitur, & potest esse sine illa: quapropter negatur antecedens, non enim datur in relationibus solummodo, quia relatio non potest esse sine fundamento, vt optimè docet Scot. ibi cit. ex parte relationis; verùm etiam datur status ex parte fundamenti in eodem genere, in quo relatio illud denominat, sic materia non dicitur alia vnione vnita vnioni, & hoc quia Quod est Quo in aliquo genere, non præsupponit in subiecto aliud Quo in eodem genere, ne detur processus in infinitum, & ideò diuersitas non præsupponit in Petro aliam diuersitatem, nec productio aliam productionem; cum additur, de nouo dicitur diuersus, ergo noua relatione; & etiam quia prima diuersitas non terminat seipsam, dicimus, Petrum respectu relationis diuersitatis non dici propriè diuersum, sicut nec materia propriè dicitur vnioni vnita, & ratio est, quia sicut non habet Quo, neque potest dici Quod, sed solùm dicetur diuersus extrinsecè per terminationem diuersitatis, quam dicit prima diuersitas ad ipsum Petrum, quæ est cum ipsa realiter identificata; hinc neque sequitur, diuersitatem ad seipsam terminari, quia neque est ratio referendi Petrum ad seipsam. Sed hæc omnia exiguunt longiorem disputationem, quam habuimus in tractatu de Relationibus in Log.

10 Si verò sunt relationes non institutę ad denominandum aliquid formaliter causans, sic dicuntur veri effectus causati in genere causæ efficientis à proprijs fundamentis, quando sunt intrinsecus aduenientes; vnde existente ouo Italico ad productionem oui in India, naturali necessitate in genere causæ efficientis dimanat in ouo Italico relatio similitudinis, ad quam fundamentum solùm effectiuè concurrit, non terminus; non enim videtur possibile, ouum indicum agere in tanta distantia, sed concurrit solum in ratione termini; vt diximus in Log. disp.8.q.3. art.2. solet tamen dici, relationem intrinsecus aduenientem effectiuè produci ab efficiente extrema, non quidem formaliter, quasi quod immediatè gallina v.g. causet in ouo similitudinem, sed radicaliter, quatenus produxit id, quod est radix, fundamentum, & veluti semen relationis: sic intelligendus est Scot. in 2.d.1.q.5.S. & in 1.d.15.q.2.P. cum ait, relationem intrinsecus aduenientem esse ab agente. Ratio verò huius dicti est, quia cessat in istis relationibus fundamentum præcedentis dicti de relatione causalitatis, non enim aliæ relationes denominant fundamenta causantia, neque sunt habitudines *per quas aliud ab alio*, sed potius habent rationem *eius, quod ab alio*, ergo debent dici causatæ, & productæ verè, & propriè: & quamuis productio passiua in ipsis non sit relatio realiter distincta, eo quia nequeunt esse sine fundamentis, attamen in fundamentis erit vera relatio actiuæ productionis. Tales relationes sunt cœteræ omnes, excepta actiua causalitate, vnde & relatio productionis passiuæ in effectu, & relatio actionis in agente ad passum erunt etiam causatæ à fundamentis in genere efficientis causæ, eò quia non denominant fundamenta producentia, sed producta, vel transmutantia, vt patet, neque sunt rationes denominandi *à quo aliud*, sed *quod ab alio*, vt relatio productionis passiuæ, vel *quod in aliud*, vt relatio actionis ad passum, ergo fundamenta per veram relationem productionis actiuæ denominabuntur causæ efficientes, & productiuæ istarum relationum.

11 Sed vrget; relatio productionis passiuæ denominat suum fundamentum productum, & effectum, ergo ipsa non potest dici producta propriè, & effecta, Quo enim non potest esse Quod. Insuper si actio de genere actionis esset producta propriè, ad actionem esset actio. Tandem ad relationem intrinsecus aduenientem non est per se motus ex 5. Phys. ergo non datur causa efficiens propriè respectu illarum, quia hæc causa est principium cùm mutatione, vt patet ex ipsius definitione.

Resp. Quo non potest esse Quod respectu eiusdem, & in eodem genere denominandi, sed potest esse respectu diuersorum, & in alio genere; sic relatio productionis passiuæ est Quo respectu effectus, quem taliter denominat in ordine ad agens, at est Quod respectu eiusdem, non quidem vt effectus denominatur, sed vt causa, tamen causalitas actiua esset Quo, & Quod, si aliam præsupponeret causalitatem in fundamento, & in eodem genere denominandi respiceret fundamentum, scilicet, vt est, & denominatur causa. Ad 2. dicimus, ad actionem de genere actionis dari actionem, quæ sit productio, & relatio intrinsecus adueniens, non vero aliam actionem de genere actionis, non enim agens recipiens in se actionem à seipso productam, alia actione denominatur agens, & transmutant respectu sui ipsius, nec verè dicitur transmutatum, & passum, quia recipit in se actionem de genere actionis, propter rationem sæpius dictam, sed quia recipit formam productam; valde enim differunt inter se actio de genere actionis, & actio in ratione productionis, vt dicemus in seq.q. Ad 3. dicimus, causam efficientem in tantùm dici esse principium per mutationem, non quia semper agat cum motu propriè dicto, sed quia semper agit in subie-

subiectum, quod passum, & transmutatum dicitur: ideoque quamuis non sit motus per se ad relationem, potest tamen respectu ipsius dari efficientia, & resultantia.

12 Tandem quæ tertio modo resultant, habent quoque rationem effectus, eo quia realiter à subiecto distinguuntur, & sunt quasi passiones connaturales physicæ ipsius subiecti; habet quoque subiectum vim productiuam illarum, ergo verè à subiecto causantur. Diximus *à subiecto*, quia non videtur alia causa physica assignanda, non enim est generans, vt aliqui dicunt, quia aqua propria virtute reducit se ad pristinam frigiditatem, & si Deus destructo generante, separaret ab aliquo subiecto omnia accidentia, & postea præberet concursum ad illa, verè subiectum illud concurreret ad illorum productionem, ergo etiam in prima productione, quod immediatè efficit est subiectum, non generans: quod infra etiam ostendemus.

Secundò, multo magis rationem veri effectus habent, quæ fiunt per simplicem efficientiam, & sunt, quibus aliqua ex conditionibus assignatis ad resultantiam, vel omnes deficiunt, etenim ista verè terminant motum, & actionem per se agentis; talia sunt compositæ substantialia, formæ substantiales (iuxta dicta disp. 2. q. 7. art. 2. vbi contra Suar. ostendimus, non solùm composita, verùm etiam formas substantiales per se fieri ab agente) item formæ accidentales absolutæ, & respectiuæ, quæ propria acquiruntur acquisitione, vt sunt respectus extrinsecus aduenientes, scilicet, Vbi locale, vnio formæ cum subiecto, & similes respectus, vt dicimus in disp. de speciebus motus; cùm enim istæ relationes non insurgant ex natura extremorum, & possint extrema actu reperiri absque iltis relationibus, vt v.g. subiectum; & forma, si essent separata, & postea ab agente vnirentur, vnio illa terminaret agentis actionem. Solum posset dubitari de vnione animæ rationalis cum corpore, an fiat ab homine, vel à Deo immediatè: sed de hoc in lib. de An. sufficit in præsenti, quod verè illa vnio est effectus agentis causæ, quæcunque sit illa.

13 Tertiò quo ad res dependentes ab efficiente non solùm ipsi fieri, verùm etiam in conseruari, & in facto esse, aduertendum dupliciter posse rem aliquam indigere conseruante causa. Primò, quia cùm habeat contraria, à quibus potest corrumpi, indiget aliquo, vt ista contraria remoueat, eorumque actiones impediat, & conducentia ad eius conseruationem procuret, absolutè tamen, si non essent contraria, permaneret in esse; sic homo ab arte medica dicitur conseruari, & hæc sicut non est vera, & per se dependentia, sed per accidens, ita nec verè effectus dicetur causæ conseruantis: Secundò, quod ita conseruante indigeat, vt si hoc abesset, statim destrueretur, vt lumen respectu luminosi; & de istis loquimur, nam in genere causæ efficientis continuata dependentia à sua causa dependent, quæ explicatur per habitudinem *à quo aliud, non solùm in primo sui esse, vel post vltimum non esse, verùm etiam in toto tempore, quousque durat in eodem esse*. Et quamuis detur causa conseruans materialis respectu formæ corruptibilis, hæc tamen non explicatur per hoc, quod est *esse ab alio*, sed *ex quo aliud*.

Difficile est tamen determinate, qui nam effectus dependeant solùm in fieri, & qui etiam in conseruari, de quo multa legi possunt apud Suar. disp. 21. sect. 3. & Auersam q. 26. sect. 1. Breuiter tamen dicimus, omne ens creatum simpliciter dependere in fieri, & conseruari à Deo, Quod patet, quia de ratione entis creati est dependentia ab efficiente, non enim potest esse dependens, ergo quamuis à causa secunda effectus aliquis in conseruari non dependeat, omnes tamen à prima causa dependere debent. Tum quia dependentia creaturæ ad Deum est eadem cum creatura realitur, vt docet Scot. 2. d. 1. q. 5. ergo quamdiu durat creatura, semper permanet cum illa dependentia. Deinde nullum ens subitantiale à causa secunda dependet in conseruari, nisi loquamur de conseruatione primo modo, quo sensu omnia à cœlestibus corporibus dici possent dependere, ea ratio huius esse potest, quia non videmus aliquod subitantiale statim perire per absentiam causæ creatæ effectiuæ. Tertiò, effectus accidentales vniuoci nec habent talem dependentiam, quia sunt æquè perfecti cum sua causa, & eiusdem speciei, non magis ergo effectus exigit conseruari à sua causa, quàm è contra. Tum quia inter indiuidua eiusdem specie non est ordo essentialis. Et licèt Auersa afferat in contrarium exemplum luminis à luce producti, & speciei visibilis impressæ speculo causantis aliam speciem in obliquum reflectendo in aere. Attamen istæ productiones sunt æquiuocæ, nam lumen, cum sit species lucis, est alterius rationis ab ipsa luce, & species per reflexionem causata immediatè ab obiecto, non ab alia specie producitur; quæ omnia docentur à Doctore in 2. d. 13. & in lib. de Anim. ostendimus. Quartò, effectus æquiuoci, qui habent contraria, à quibus solummodo destruuntur, vt sunt primæ qualitates, vt à causa virtualiter illas continente sunt productæ, item sapores, odores, colores à primis qualitatibus prouenientes; habitus in potentijs animæ existentes, qui solùm cessant propter habitus contrarios aduenientes, vt in lib. de Anim. decatur, & vniones istorum cum subiecto non pendent ex propria natura à causa conseruante; quod patet experientia, quia calor productus à Sole permanet post Solis absentiam, item sapores, colores, &c. recedentibus primis qualitatibus, & consequenter, si permanent in subiecto, vnio ipsorum nec etiam causa indiget conseruante. Diximus *ex propria natura*, nam an gradus qualitatis, quos sibi determinat subitantialis forma, conseruentur ab ipsa, dicemus infra, cum quæremus, an accidens possit subitantiam producere. At effectus illi, qui vel non habent contrarium, vt lumen, species visibiles, vel si habent, non tamen necessariò ab illis petunt corrumpi, vt motus, actus vitales, & huiusmodi, indigent causa conseruante; ratio est experientia ipsa. Tum quia, si non ita dependerent, semel producti, non ita facile corrumpi possent, nisi ad corruptionem subiecti, quod rarissimè contingeret; & amor Dei v.g. semel dicimus nunquam posset destrui, nam odium Dei est quasi impossibile, totum hoc colligitur ex Doctore 1. dist. 3. quæst. 9. O.

14 Sunt tamen aliquæ formæ, quæ licèt non dependeant in conseruari ab influxu efficientis causæ, adhuc tamen ex se dilabuntur, vt impetus impressus lapidi à proijciente, sonus productus in medio à corpore sonoro, & species odorum sensibiles, istæ enim qualitates, quia ad finem, ad quem sunt institutæ, non poterant habere semper influxum à suo efficiente, & tantum ad consequendum effectum debebatur illis per aliquod tempus existentia, ideò talis naturæ à Deo conditæ sunt, vt sine contraria paulatim ex se ipsis corrumpantur, idcircò vltima regula assignata, si fortè vniuersaliter non valet, verificatur saltim vt in plurimum.

Tandem inter effectus efficientis causæ computari debet subiectum; non quidem secundum esse simpliciter, & intrinsecum, vt sic enim præsupponitur agenti, sed secundum illud esse, quod recipit à forma, nam sicut subiectum numeratur inter effectus formæ secundum esse specificum, & determinatum, quod in genere causæ formalis recipit à forma, vt dicimus disp. 5. q. 3. art. 1. concl. 2. ita quia tale esse effectus recipit à causa efficiente, vt sic effectus eius dicitur, non quidem vt producens est, quia subiectum non producitur, sed vt transmutans, quatenus nouum esse recipit ab illo, quod priùs non habebat, si est cum mutatione, vel esse extrinsecum habet ab agente, & aduentitium, non intrinsecum, & essentiale, si non agit cum motu, scilicet si subiectum tempore non præcessit sub priuatione formæ, vt infra dicemus.

QVÆSTIO III.

Quanam sit causalitas agentis in ratione producentis, & transmutantis, vbi de actione, & passione.

COmmuniter (paucis exceptis) causalitas efficientis causæ consistere ponitur in actione, sed magna est discrepantia deinde inter Doctores, quid formaliter dicat actio; hinc, vt rectè percipiatur causalitas efficientis causæ, primò videbimus formalitates actionis, & passionis (relationes enim quibus aliqua extrema ad inuicem referuntur, vt sunt actio, & passio, simul sunt cognitione, & natura) secundò, quæ sint vtriusque subiecta; tertiò tandem explicabimus causalitatem efficientis causæ, tam in communi, quàm vt producens, & vt transmutans est.

ARTICVLVS I.

Quid formaliter sint actio, & passio, declaratur.

PRima opinio asserit, actionem formaliter non dicere nisi entitatem absolutam, scilicet formam in fieri, sed quia forma in fieri *nequit* explicari, nisi per aliquam relationem; hinc videtur actio respectum includere, reuera tamen iste respectus est denominatio extrinseca in agente, à forma, quæ fit, desumpta, sicut obiectum cognitum explicatur per relationem ad cognitionem, quæ tamen in eo est solùm extrinseca denominatio; citantur pro hac sententia Nominales, Heruæus quol. 1. q. 9. art. 3. & Iauellus 5. Met. q. 3.

Secunda opinio ponit, actionem formaliter dicere quid absolutum, & respectiuum simul saltim transcendentale: sed diuersimodè explicatur à Sectatoribus tam quo ad absolutum, quàm quoad respectiuum; nam quo ad absolutum aliqui dicunt, tale absolutum esse entitatem agentis. Alij motum. Alij effectum, vt Sonc. 5. Met. q. 4. Ferrar. 3. Phys. q. 2. Tol. q. 3. Masius c. 3. sect. 1. q. 4. quibus adhæret Auersa q. 26. sect. 5. concl. 2. de actione illa loquendo, qua effectus indiget non solùm in fieri, sed etiam in conseruari. Alij esse modum quendam, vt communiter Recentiores cum Suar. disp. 48. Met. qui modus sit dependentia ipsa effectus ab agente, qua mediante effectus producitur; & probabile putatur à Canon. 3. Phys. q. 2. art. 1. Quo ad relatiuum verò aliqui dicunt, solùm dicere relationem ad agens, à quo prouenit, & non esse de ratione actionis in communi dicere alium respectum ad terminum, vt per ipsam accipientem esse, nam actio immanens, vt sunt omnes operationes vitales, non producit terminum in esse, sed præsupponit proprium obiectum, & solum actionem transeuntem, aiunt, dicere relationem; ita Thomistæ ferè omnes. Alij asserunt, esse de ratione actionis vtrunque respectum, vt Recentiores, sed non requirit ordinem ad subiectum, vt sub ratione actionis comprehendatur creatio. Alij tertium addunt respectum ad subiectum; & insuper volunt, terminum non in instanti, sed successiuè acquiri, pro qua citatur Scot. in 1. d. 3. q. 6. in fine, & qu. 9. O.

16 Pater Sghemma 2. Phys. digress. 10. q. 5. ait, actionem esse quoddam medium inter fundamentum, & relationem agentis ad passum, & effectum, non quidem vt rationem fundandi, sed vt præuiam dispositionem requisitam; quod medium, ait respondendo ad rationes in con-

contrarium, esse relationem extrinsecus aduenientem de genere actionis; quod etiam dicit de passione, scilicet esse quid medium inter potentiam passiuam, & relationem.

Nec minor dissensio est de passione, nam aliqui non distinguunt passionem ab effectu, & omnibus rebus conuenire asserunt, excepto Deo, quia ipsam confundunt cum productione passiua, & ex alio c. omnem relationem negant, ita Aureol. 1. d. 30. p. 1. art. 3. Aresf. 1. de Gener. q. 40. sect. 2. Alij dicunt, ipsam conuerti cum receptione formæ in subiecto. Alij eandem esse cum actione, & solùm quandam formalitatem diuersam addere, quæ denotatur per habitudinem essendi *in*; ita Conimbr. 3. Phys. c. 3. q. 1. art. 2. Alij tandem nullo modo ab actione diuersam ponunt, nisi ratione.

Pro declaratione sententiæ Scoti, aduertendum ex eodem in 2. d. 1. q. 5. S. & 4. dist. 13. q. 1. E. quòd in qualibet actione multa concurrunt, vt v.g. quando ignis producit calorem in aqua, adest ignis ipse virtus absoluta agendi, quæ est proprius calor, forma producta in aqua, scilicet caliditas, respectus illi, quibus ignis denominatur producens calorem, educens, & inducens, & respectus, quo ignis respicit aquam, quo agere in aquam, & illam transmutare dicitur; dimissis alijs respectibus à Scoto ibi enumeratis, qui non sunt ad propositum; & præter hæc omnia admittunt Aduersarij modum quendam medium inter causam, & effectum, quo causa attingit effectum, & actum causans est, vt diximus disp. 5. q. 2.

17 Insuper accipiendum ex 4. cit. H. actionem esse nomen æquiuocum, multipliciter accipi. Primò pro operatione, sic omnis actus vitalis actio dicitur, Secundò significat productionem, quæ secundum nos est respectus producentis ad productum, secundum Recentiores verò est modus absolutus, & causalitas agentis respectu compositi. Tertiò significat eductionem formæ ab agente. Quartò pro respectu transmutantis ad transmutatum, idest pro illa relatione, quam dicit agens in ordine ad passum. Quintò pro re acta, & producta, vt tamen includit respectum, qui exprimitur per *esse ab alio, vt producente, & educente*; nam si consideretur res acta, vt dicit ordinem ad subiectum, in quo est, dicitur passio, quomodo loquitur Philos. 3. Phys. à text. 18. vsque ad 24.

Rursus ex Scoto quodl. 13. Dd. solet actio diuidi in immanentem, & transeuntem; quæ diuisio potest esse in vno sensu æquiuoci in æquiuocata, in alio sensu vniuoci in vniuocata. Tunc erit æquiuoci in æquiuocata, si per actionem transeuntem intelligatur actio illa, quæ habet terminum aliquem productum, per immanentem verò ipsamet operatio, sicut est intellectio, visio, &c. quæ actiones dicuntur propter duas conditiones, in quibus cum propria actione conueniunt: prima est, quòd sit semper in continuo fieri, idest in continua dependentia sicut actio; secunda quia operatio transit in obiectum, vt in terminum, licet terminus non accipiat esse per ipsam operationem, & propter istas conditiones dicitur actio, sicut propter istas significatur grammaticaliter per verbum actiuum: vnde actio in communi non dicit aliquam rationem communem, sed solùm vocem; & in hoc sensu locutus est Aristot. 9. Met. 16. cum talem diuisionem assignauit. Tunc erit vniuoci, si per actionem intelligatur actio habens terminum productum, cum hac tamen differentia, quòd si iste terminus manet in agente, dicitur actio immanens, si verò transit in passum, dicitur actio transiens, non quòd ipsa actio transeat subiectiuè in aliud, sed solùm terminatiuè, quatenus scilicet terminus actionis recipitur in passo distincto. Quæ diuisiones differunt inter se, quia illud, quod per primam diuisionem dicitur actio immanens, per secundam dicitur terminus actionis immanentis in secundo sensu, & quod per primam diuisionem dicitur actio transiens, in secundo sensu est id, quod diuiditur in illa membra.

18 Tandem de passione notandum, quòd multipliciter sumitur, primò pro conceptu mentis, quo sensu dicitur, voces esse signa earum, quæ sunt in animo passionum: secundò pro innata proprietate, sic visibilitas esse hominis passio dicitur; tertiò pro qualitate tertiæ speciei de facili mobili, vt cum tertia species assignatur esse passio; quartò pro qualitate corruptiua; vel perfectiua, quo sensu ait Philos. intelligere esse quoddam pati; quintò pro qualitate consequente actum potentiæ appetitiuæ, sic passiones dicuntur gaudium, & tristitia: sextò pro re acta, seu forma producta in passo, quo sensu calor, vt recipitur in aqua dicitur passio 3. Phys. 18. vltimò pro respectu actioni opposito: quomodo sumitur in præsenti.

Dicimus 1. Actio formaliter non potest dicere aliquam absolutam entitatem, neque relationem effectus, vel illius modi ad agens, vt ad principium, aut istam cum relatione simul ad terminum: neque relationem aliquam mediam inter causam, & effectum: sed si communiter sumatur, dicet relationem producentis, vel educentis ad effectum, vbi talis relatio nata est insurgere; si vero propriè, vt quintum prædicamentum constituit, dicit, relationem agentis ad passum inducentis in ipso formam, seu transmutantis ad transmutatum: siue hæc actio transmutatiua sit substantialis, siue accidentalis, siue instantanea, siue successiua, siue immanens, siue transiens. Conclus. hæc quo ad omnes partes est Scoti ex professo in 4. cit. probantur singula. Primò, quòd nullum dicat absolutum: Tum quia non dicit entitatem agentis, quia actio est, qua agens denominatur agere, agens verò est, quòd agit, actio est exercitium potentiæ actiuæ 3. Phys. 18. & seq. agès est, quod per actionem exercetur: actio non semper manet, etiam si agens duret: actio constituit prædicamentum distinctum, entitas agentis est in prædicamento substantiæ, vel qualitatis. Quòd si dicas, entitatem agentis non vt sic, sed vt comorat effectum productum, esse actionem: confutatio patet ex dictis disp. 5. quæst. 2. concl. 2. vbi multa, quæ ad hanc pertinent conclus. Tum quia nequit eicere entitatem motus, quia motus est in mobili, actio in agente ex dicendis in seq. art. motus præscindit ab agente, non sic actio: actio potest à motu separari: nam si v.g. subiectum non præfuerit sub priuatione, sed simul cum forma esset productum, vt patet in omni animatione, vbi corpus in eodem instanti, in quo completur, recipit animam, tunc non adest motus, & tamen est actio, vt notat Scot. 4. dist. 43. q. 7. G. H. & tandem, quia nec motus est de numero absolutorum, vt dicemus. Tum quia nec dicit entitatem effectus, quia hæc entitas manet post actionem: non semper est in agente: non constituit quintum prædicamentum, sed est in alijs, ad ipsum est actio: nec est ratio, qua agens subiectum respiciat, vel effectum: quæ tamen omnia actioni conueniunt. Tum quia nequit dicere modum aliquem ex dictis disput 5. cit. & quia includeret formaliter esse ad se, & esse ad aliud, & consequenter esse ad se, & non ad se, quod implicat ex dictis disp. 2. q. 5. art. 5.

19 Secundò, quòd non dicat relationem ad agens, vt ad principium, siue hanc solam, siue cum relatione simul ad terminum, probatur à Doctore in 4. dist. 13. cit. K. Actio, vt actio, est ratio, qua agens respicit aliud, siue passum, siue terminum, quia agens, vt agens, respicit aliud, & non dicitur agens nisi actione, ergo actio nequit formaliter dicere relationem terminatam ad ipsum agens: Consequentia probatur, agens, vt agens respicit aliud, vt principium illius, non vt principiatum, ab illo alio, sed relatio principiati, qualis est illa, quæ ad agens, vt ad principium terminatur, non denominat id, quod afficit, principium, sed principiatum, ergo agens, non est formaliter agens illa relatione. Tum quia agens ex 3. Phys. 20. est id à quo aliud, passum verò, quod ab alio, ergo actio erit formaliter id, quod denominat suum denominatum esse à quo aliud, at illa relatio formaliter non dicit hoc, quod est, à quo aliud, sed quod ab alio, vt notat Doctor litt. L. Tum quia agens per actionem refertur ad aliud, ergo id respicit, ad quod actio tendit suo modo, sed illa relatio tendit ad agens ipsum; vt ad principium, ergo agens, vt agens referretur ad seipsum.

Resp. Amicus tract. 19. q. 7. dub. 2. art. 4. actionem esse actum agentis, etiam vt ipsum respicit, ideò vt sic se tenet ex parte agentis, & quia respicit etiam terminum, hinc facit ipsum etiam referri ad terminum, & ad seipsum, non nudè acceptum, sed vt stat sub actione. 2. ait, actionem extrinsecè solùm denominare agens, ideò non esse necesse ipsum denominare secundùm totum esse, quod habet, & ipsum referre ad omne id, ad quod ipsa refertur, quare actio vt respicit effectum, facit referre agens, non vt respicit agens.

20 Sed contrà, quia hæc duo sunt distincta in actione per ipsum respicere scilicet agens, à quo est, & respicere effectum, quatenus per ipsam actionem est effectus; secundum primum actio non respicit effectum, sed agens, ergo vt sic non potest referre agens ad effectum, quod est proprium munus actionis, & licèt ipsa dicatur actus agentis, tamen sub ista ratione non actuat agens in ordine ad effectum, sed potius in ordine ad seipsam. Et sit, vt subsistat actioni, posset ad seipsum referri, valeret dicere, agens, vt agens, est sui ipsius agens; nam quodlibet relatiuum suum infert correlatiuum; immò Deus vt agens seipsum respiceret, eodem modo enim se habent secundum ipsum interminando dependentiam propriæ actionis agens creatum, & increatum. Secunda responsio, quæ est Suarez disput. 48. sect. 2. num. 18. admittit, actionem, vt agens, respicit, non denominare ipsum vt agens, & consequenter vt sic non esse actionem, cuius est agens denominare, vt agens. Tum quia nullo modo faceret referre agens ad effectum, quia secundum id, quo actio respicit effectum, nequit denominare agens denominatione intrinseca, quia per ipsos vt sic non est in agente: neque denominatione extrinseca, quia omnis talis denominatio sumitur ab aliqua forma dicente habitudinem ad denominatum, vt patet, cum obiectum dicitur cognitum per habitudinem cognitionis ad ipsum, ergo actio, vt respicit effectum, non potest extrinsecè agens denominare, quia vt sic non respicit agens, sed effectum.

Dices, de nominare agens, quia est actus ipsius in ordine ad effectum, & has habitudines in re non distingui, sed vnam esse, qua actio cum subordinatione respicit agens, & effectum, quia respicit agens, à quo egreditur, vt tendit in terminum, non æquè primò; at vbi est subordinatio vnius propter aliud, ibi est tantum vnum; quare non erit ad duos terminos adæquatos, licèt secundum nostrum concipiendi modum inadæquatè concipimus hunc respectum vt duos: ita Suarez sect. 3. num. 23. disput. cit. & Amicus cit. dub. 3. artic. 4.

Sed non soluitur argumentum, quia hoc impugnatur, non posse scilicet actionem denominare agens, quamuis actus ipsius dicatur, neque intrinseca, neque extrinseca denominatione. Et falsum est, esse tantum vnum respectum, sed duo sunt, quia ad terminos adæquatos, & distinctos terminantur; Quod probatur, nam respectus actionis ad agens respicit pro ratione terminandi potentiam actiuam agentis, vt actuabilem per actionem, à qua potentia procedit actio, vt principiata; sed ratio formalis terminandi respectuad ter-

terminum est entitas termini, & potentia passiua ipsius, & licèt ista duo aliquo modo habitudinem inter se dicant, tamen non constituunt vnam rationem formalem specificam terminandi, quia ratio actiui, & passiui non coeunt in vnam rationem specificam, ergo nec illi respectus vnum conficiunt, quia ex distinctione specifica terminorum actuali arguimus distinctionem specificam relationum actualem.

21 Tertiò, quòd non dicat relationem aliquam mediam inter causam, & effectum à Patre Sghemma adinuentam, probatur ex Scot.2. dist.1.quæst.2.E. & in 1.dist.30. G. & d. 35.L. & 43.C. ad absolutum in causa ita immediatè sequitur absolutum in effectu, vt nihil mediet inter ista, non solùm quod determinet agens ad causandum, vt glosat P.Sghemma, verùm etiam simpliciter, nam vt ait Doctor dist. 35.& 43. cit. in quocunque instanti naturæ causa actu refertur ad effectum, tunc est in termino esse actuale vnde infert, quòd in primo instanti naturæ est causa sub ratione absoluti, in secundo est effectus in ratione absoluti, & deinde sequuntur relationes, ita vt non est aliquis respectus prior ex parte causæ, quam ex parte causati, immo ab ipsa causa sub ratione absoluti est ipsum causatum sub ratione absoluta, ergo non mediat ille actionis respectus extrinsecus adueniens de genere actionis, neque ante relationem causæ ad effectum, effectus dicitur esse à causa, vt agente formaliter, seu media actione, sed est à causa sub ratione absoluti, actio enim est de genere respectiui. Tum quia ex eodem in 4.dist.13.quæst.1. P. dupliciter causa dicitur agere, vel ratione principij formalis proximi, & sic denominatur à relatione causæ, vt calidum calefactione calefacit, sicut simile similitudine est simile, vel ratione principij formalis remoti, quo sensu illud ablatiuum significat absolutum, quod est principium agendi, & fundamentum relationis, vt calidum calore calefacit, simile albedine est simile, sed causa actione dicitur causare, ergo actio vel dicet relationem causæ, quæ est posterior effectu, vel solum principium agendi, quæ est forma actiua agentis, aliter daretur alius modus, quo causa denominatur causa contra Scotum. Tum quia actio secundum Scot. in 4. cit. est respectus extrinsecus adueniens de genere actionis, quo agens respicit passum in ratione transmutantis ad transmutatum, sed ille respectus non potest mediare inter causam, & effectum, quia subiectum ideò transmutari ab agente dicitur, quia recipit de nouo ab illo formam, & si talem formam non reciperet, etiam si agens, & passum essent approximata, sed adesset aliquod impedimentum, non sequeretur actio, ergo forma educta, vel inducta præsupponitur actioni de genere actionis, ergo non mediat inter causam, & effectum; hinc Doctor tam in 4. cit. F. quam in 2.dist. 1.q.5. S. prius ponit respectus agentis ad formam eductam, & passi ad formam receptam, deinde respectum passi ad agens, & agentis ad passum. Tandem quia de ista actione media plura dicit, quæ simul non cohærent; nam respondendo ad 7. dicit, actionem, prout est respectus producentis ad productum, agentis ad passum, esse de genere relationis, sed vt dicit actionem de genere actionis esse actionem relatiuè ad passionem; sed ad 5. ait, actionem esse respectum extrinsecus aduenientem agentis ad passum; ponit etiam actionem causalitatem agentis, qua respicit effectum productum media ista actione, quæ sit actus secundus, & exercitium potentiæ actiuæ agentis, at relatio agentis ad passum, sicut pro termino solum passum respicit, non effectum productum, nequit referre agens ad effectum, sed ad passum; neque ista actione agens respicit effectum, sed passum, ergo non est causalitas agentis, & actus secundus ipsius in ordine ad effectum.

22 Quartò igitur concludendum est, actionem dicere respectum aliquem de sua ratione formali consequentem entitates absolutas causæ effectus, & subiecti, vt docet Doctor cit. & in 1.dist.3. quæst.6. in fine, & quæst.9. O. & quol. 13. Dd. & in lib. de Anim. quæst. 7. vbi adducit auctoritatem Boetij de Trinit. dicentis, septem prædicamenta esse relatiua, & tria absoluta, quandoque verò dicit respectum intrinsecus aduenientem, scilicet productionem actiuam, vt patet ex Scoto locis citatis; sed vt sic non constituit quintum prædicamentum, in quo relationes extrinsecus adinuenientes reponuntur, ideoque remanet à sufficienti diuisione, quòd dicat, vt constituit distinctum prædicamentum respectum agentis ad passum, quod etiam ostendit Scot. in 4. citat. G. ex Philosopho 5. Met. 16. potentia actiua est principium transmutandi aliud, in quantum aliud, ergo actio est transmutatio alterius, inquantum est alterum, quia est actus potentiæ actiuæ, sed respectus productionis, aut eductionis non sunt propriè transmutatio, quia hæc non respiciunt aliud, inquantum aliud, sed potius de vno faciunt aliud. Tum quia Gilbertus definiens actionem prædicamentalem, *actio*, ait, est *secundum quam in illud, quod subijcitur, agere dicimur*, ergo actio propriè respicit passum, hinc Aristot. exemplificando de actione, vt calefacere, frigefacere, calefieri, & frigefieri, delectari, & tristari, iguis autem dicitur calefacere aquam, non calorem, & aqua calefit, non calor, voluntas dicitur tristari, & delectari; & solùm subiectum dicitur passum, non effectus, itaut passio est in subiecto, non in effectu, ergo agens, vt respicit passum, non dicit habitudinem productiui, sed potius transmutantis; neque de ratione actionis de genere actionis erit, vt sit productiua termini, nam, hæc ad secundam speciem relationis, vt est quartum prædicamentum, attinet, sed quod sit transmutatiua subiecti.

Tandem diximus in concl. siue hæc actio successiua sit, &c. quia actio, & motus comitantur, ergo sicut datur motus instantaneus, ita actio instantanea. Tum quia actioni instantaneæ conueniunt omnia, quæ de actione vt prædicamento loquitur Philosophus; neque hæc actio potest in alio prædicamento collocari, quàm in prædicamento actionis. Hinc Doctor in 4.dist.43.quæst.5. G. & H. concedit, animationem fieri in instanti, & tamen ait, ibi interuenire actionem de genere actionis, idem habet quol. 13. D d. de productione intellectionis, quæ licèt in instanti producatur, adhuc intellectus dicitur agens. Neque Scotus in principio art.cit. est sibi ipsi contrarius: nam illa quæst.6. solùm dicit, actionem esse in continuo fieri, hoc est, in continua dependentia ab agente, quamdiù durat, non tamen quod necessariò successiua debeat esse; at in qu.9. solùm ait, actionem temporaneam esse propriè actionem, quia actio, quæ diu durat, si est tota simul, vt illuminatio, quamuis propter continuam dependentiam formæ possit dici aer illuminari, potest tamen etiam illuminatus dici, cum sit actio tota simul, at lignum, dum per horam calefit non potest dici calefactum in illa hora, propter continuam successionem formę in subiecto; & ideò magis propriè agens actione successiua dicitur agere in subiectum, quàm actione instantanea, quæ postea fit in continua dependentia ab agente.

23 Sed contra arguitur 1. ostendendo actionem quid absolutum dicere, præter rationes adductas disputat.5.quæst.2. de causalitate in communi, quæ adhuc in proposito possent adduci. Tum quia Arist. 9.Met.46. distinguit actionem in immanentem, & transeuntem, & illam dicit esse operationem, quæ est ens absolutum. Tum 2. quia istæ operationes sunt actus secundi, ergo sunt actiones, quia omnis actus secundus est actio, nam ex 3. Phys.18.actio est actus potentiæ actiuæ. Tum 3. quia actus vitales producunt habitum, ergo habent terminum productum simpliciter, sicut quælibet vera actio. Tum 4. perfectio operantis est quid absolutum, actio verò est finis, & perfectio agentis. Tum 5. si actio est solùm relatio, ergo agere est tantum referri, quod est falsum, quia agere in Deo est velle formam in subiecto, & sic velle Dei esset solùm referri, idem de agente creato. Tum 6. relatiuum non est causa sui correlatiui, quia sunt simul natura, & causa est prior effectu, sed agens est causa termini, & per actionem formaliter agere dicitur, ergo actio non est sola relatio ad terminum, quia esset omninò eadem, immo posterior illo, non prior. Tandem Aristot. in c. de agere enumerat delectari, & tristari, quæ dicunt entia absoluta.

Resp.ad 1. à Scoto cit.actionem ab Arist. diuisam esse nomen æquiuocum, non prædicamentale, & illas operationes dici actiones grammaticaliter, non Physicè, & propriè. Ad 2.respondet, quòd dicuntur actus secundi propter assimilationem, quam habent cum vera actione, quia sicut agens per actionem attingit terminum ponendo illum in esse, ita potentia vitalis per istas operationes attingit, & quasi transit in obiectum, vt in terminum. Ad 3. respondet, actus vitales esse, qui producunt habitus, non verò actiones, quibus agens producat, quod proprium est actionis in ratione productionis, vnde habitus ad actus, ex quibus gignitur habet se sicut effectus ad suam causam efficientem, terminus verò non respicit actionem, sicut effectus causam, sed velut actum suum productiuum. Ad 4. ait actionem pro re acta esse finem operantis, non actionem formaliter. Ad 5. dicit, quòd aliquid agere denominari potest, vel ratione principij formalis proximi, vel ratione formalis remoti, seu fundamentalis, agens formaliter dicitur agere relatione actionis, fundamentaliter sua potentia actiua, & sic verum est, quòd agere sit referri in sensu formali, & agere in Deo formaliter sit relatio non realis, sed rationis; at fundamentaliter est velle diuinum. Ad 6. respondet, relatiuum formaliter dici causam entitatis sui correlatiui per actionem, non in ratione formæ productiuæ, sed denominantis, vt in simili diximus disp.5.q.2. Ad vltimum, enumerauit illas operationes, vitales, vel quia similitudinem habent cum vera actione, vel quia in actibus vitalibus semper interuenit actio propriè dicta, nam potentia immutatur, & ab obiecto, & ab actu producto.

24 Secundò arguitur, quod dicat respectum ad agens. Arist.3.Phys. 22. distinguit actionem à passione, dicens, quod actio, & passio sunt idem actus, sed dicitur passio, prout est in passo, dicitur actio, prout est ab agente, ergo actio formaliter dicit respectum ad agens, vt ad principium. Tum quia ex Amico omnis actus respicit suam potentiam, si est actus primus, respicit potentiam receptiuam illius, si est actus secundus, respicit actum primum sibi proportionatum, sed actio est actus secundus agentis, ergo dicit ordinem ad actum primum ipsius, quæ est potentia actiua, vt ad suum principium.

Respon. Doctor in 4.cit. dupliciter; primò, quòd loquitur ibi Aristot. de actione pro re acta; modò ista forma dicit duplicem habitudinem; & ad agens, à quo prouenit, & ad passum, in quo recipitur, quarum nulla est in prædicamento actionis, vnde distinguit actionem solùm ab habitudine essendi *in*; dicitur autem ista forma actio, quia vt idem notat in lib. de Anim. quæst.7. quando causa est immanifestior suo effectu, circumloquimur ipsam per nomen effectus, & è conuerso, modò actio quæ est illa relatio, est nobis immanifestior, quàm sit forma, ideoque significamus ipsam per effectum: & quod ita loquatur Aristot. patet, quia volens in text.19. probare, quòd actio sit actus actiui, ait, quia est finis, & opus agentis; quod conuenit formæ productæ, non actioni formaliter. 2. Respondet, quod ly *ab hoc* potest dupliciter sumi, vno modo vt determinat aliquod præcedens, & sensus est, aliquid est ab hoc, quo modo ly *ab hoc* non pertinet ad genus actionis, sed magis respectus oppositus, scilicet *à quo aliud*; alio modo sumitur, non prout determinat aliquid præcedens, & tunc idem est cum isto respectu *à quo aliud*, & in hoc sensu dicitur actio; sed non est in passo nisi terminatiuè, vt in seq.art. Ad 2. dicimus, argumentum procedere ex falso fundamento, quòd actio sit quoddam ens absolutum causatum, & principiatum ab agente; quare actus secundus respicit suam potentiam, & actum primum non quidem vt à quo aliud, quia non verè est causatus, vt diximus in præc. quæst. sed vt quod in alio, quia actio fundatur in potentia actiua agentis, vt in fundamento, per quam ad passum refertur, vt fusiùs in seq.art.

25 Tertiò arguit Pater Sghemma quod actio sit quid præuium effectui. Tum quia ex Scot.4.d.14. quæst.1. B. relatio extrinsecus adueniens semper sequitur aliquam actionem, ergo actio est causalitas præuia. Tum 2. quia dependentia non est actiua, quia relatio nuda non agit, ergo actio est alia à dependentia. Tum 3. quia per Scot.in 2.d.1. quæst.2.E. causa, quando causat, adhuc causat, vt prius naturaliter ipsa causatione, & secundum illud absolutum, quod priùs fuit causatiuum, nunc causat, ergo causare aliquid est distinctum à relatione causæ. Tum 4. ex Scot. quol. 12. C. actio, & passio requiruntur vt dispositiones præuiæ, ad hoc vt super potentias actiuam, & passiuam fundentur relationes causæ, & effectus, ergo actio non est consequens absolutum effectus, sed præuia. Aliæ rationes seipsis soluuntur.

Respon. propositionem Scoti non esse vniuersalem, aliter ad actionem esset actio, cum sit relatio extrinsecus adueniens, & ipse cum Scoto concedit; solùm ergo est vera de illis relationibus, quæ propria, & per se acquisitione acquiruntur, vt innuimus in præc. quæst. Ad 2. actio nec est dependentia effectus, quæ potius est productio passiua, neque est actiua, nisi in ratione formæ denominantis, vt supra cum Scoto diximus. Ad 3. si per Scotum causa, vt prior causatione, seu causalitate, quæ est actio, adhuc causat, iam vt prior actione causaret, & sic non requiritur actio, vt præuia effectui; quare dicimus, Scotum seipsum declarare, quod causa in illo priori naturæ causare dicitur, non per aliquid nouum absolutum, vel respectiuum, sed per eandem entitatem, quam priùs habebat, quæ non est actio; cur autem in eo instanti dicitur actu causare, & quomodo, explicatum est disput.5.quæst.2.ad 3. Ad 4. patet ex eadem disput.quæst.2.ad 2. quomodo actio requiratur, quia scilicet nequit agens naturale producere compositum, vel formam substantialem in materia, quin præcesserit actio alteratiua, & transmutatiua subiecti quo ad formas accidentales, respectu quarum non prærequiritur, vt priùs agens dicat habitudinem transmutantis ad subiectum, quia, vt diximus, prior habitudo agentis ad formam, quàm ad passum intelligitur, licèt sint in eodem instanti temporis, Scotus autem non hoc dixit absolutè, sed supponendo, quod relationes causæ, & effectus intrinsecus aduenientes permaneant quandiu extrema existunt in rerum natura, etiamsi in conseruari effectus non dependeant, nam sic sequitur, actionem, & passionem, quę statim transeunt, dici præuias, sed iam disput.8.Log.quæst. 10.art.2. secuti sumus alterum modum dicendi ab eodem Scoto in 3. dist.8.D. de relatione paternitatis, & filiationis adducta, quòd sint meræ denominationes extrinsecæ derelictæ ex actu causandi præterito, quòd id fecit, & illud factum est, vt innuimus disputat.cit.ad tertium.

26 Quartò præter rationes, quibus Aduersarij conantur euertere distinctionem illam relationis in intrinsecus, & extrinsecus aduenientem, de quibus in disput. de relatione, instatur, quòd actio de genere actionis respiciat terminum productum. Tum auctoritate Scoti in 1. d.3.quæst.6. ad principalia, & in 4.d.11.quæst.3. M. & quodl.13. Dd. vbi ait, actionem de genere actionis respicere terminum productum. Tum auctoritate Aristot.5.Met.20. vbi enumerans relationes secundi modi, quæ terminum productum respiciunt, dat exemplum de actione, & passione, vt de calefaciente, & calefactibili, desecante ad id, quod secatur. Tum auctoritate Gilberti definientis passionem, quòd sit effectus, illatioque actionis; ergo actio habet effectum productum.

Respond. Scotum his omnibus in locis appellare actionem propriè dictam, & de genere actionis, quæ distinguitur ab actione de genere qualitatis, & tantum grammaticaliter sic appellata, non autem actionem quinti prædicamenti, contendebat enim illis in locis, operationes vitales non esse re vera actiones termini productiuas, & ideò æquiuocè tantum actiones appellari, quatenus grammaticali modo tantum nomine actiuo significantur, ita se declarat in 4. cit. & fortè etiam actionem termini productiuam appellauit actionem de genere actionis iuxta communem modum loquendi, non quòd ipse ita senserit, nam in 4.dist.13.quæst.1. vbi ex professo de hoc agit, oppositum tenet. Ad Aristot. respondet Doctor in 4. dist.13. quæst.1. V. quod per calefactibile intelligit totum id, quod potest produci, non pro passo, & per calefaciens intelligit producens, sicut in 7. Physic.22. ait, totum compositum generari, siue in generatione substantiali, siue accidentali; quæ expositio sumitur ex verbis sequent. nam subiungit, *secundum tempora iam dicuntur ad aliquid, vt quod fecit ad id, quod factum est, & id, quod facturum est, ad id, quod faciendum est* quod verò facit, est producens, & id, quod fit, est productum; idem de secante dicendum. 2. breuius

respondet; quòd ibi Aristot. non intelligit assignare species relationis intrinsecus aduenientis, sed solùm modos quosdam, quibus aliqua dicuntur ad aliquid secundum potentiam actiuam, & passiuam, siue sint eiusdem prædicamenti, siue non, sicut in prædicamento qualitatis non assignat solùm species qualitatis, sed omnes modos, quibus aliquid potest dici quale, & enumerat differentiam essentialem, quæ ad genus qualitatis non pertinet. Ad Gilbertum dicemus in sequ. conclusione.

27 Dicimus 2. passionem non dicere absolutum aliquod, neque respectu productionis passiuæ termini, aut receptionis formæ in subiecto, sed habitudinem subiecti transmutari ad agens transmutans per nouam formam. Ita Scotus sæpè cit. Probatur, & explicatur simul; nam nequit formaliter dicere absolutum ex dictis de actione; neque productionem passiuam, quia hæc est intrinsecus adueniens, passio verò extrinsecus adueniens; & terminus dicitur productus, non verò passus; neque relationem subiecti ad formam receptam, quia hæc propriè ad prædicamentum habitus reducitur, & permanet, transacta passione, nam si agens corrumpatur, tunc passum non dicitur pati, & si formam retineat; quapropter dicet relationem transmutati, & rationabiliter, quia actio, & passio sunt respectus oppositi.

Hinc definitur à Gilberto, quòd sit *effectus; illatioque actionis*; quæ definitio est data per proprietatem, proprium enim est passionis inferri ab actione; quod quidem intelligi non debet de sola illatione consecutionis, vt aliqui exponunt, quatenus si actio est, valet inferre, quòd etiam sit passio, hæc enim illatio conuenit quoque passioni, quia relatiua mutua, vt sunt hæc, mutuò se infertur: neque intelligendum est in rigore de illatione causationis, sicut causa infert effectum, vt alij voluunt; quia passio non est propriè effectus actionis, vt forma est effectus generationis, nam actio quinti prædicamenti ex dictis non est productiua, nec aliquem effectum habet pro termino, sed subiectum, neque ad passionem est actio, aliter ad passionem esset passio: sed intelligendum est medio quodam modo, vt nimirum passio dicatur effectus actionis, quoniam concipitur quodammodo consequi ad actionem, quia enim agens agit, concipitur subiectum pati, non è contra, vnde non erit sola illatio consecutionis, sed etiam causationis, licèt non in rigore. Cum verò Philos. 3. Phys. citat. & 21. ait, passionem esse eundem actum cum actione, & formaliter differre, loquitur de passione pro re acta, & materialiter, non formaliter.

ARTICVLVS II.

Assignantur actionis, & passionis subiecta.

28 Licèt ex dictis pateat solutio huius difficultatis, nam si actio, & passio dicunt respectus transmutantis, & transmutati, necesse est, actionem in agente, & passionem in passo reperiri; & neminem credimus esse, qui iudicet, illos respectus alia habere subiecta; attamen quia speciales adsunt difficultates, an aliquid quod insit agenti, possit ipsum denominare agens, hinc in præsenti, ac si non determinauerimus, actionem, & passionem esse tales respectus, quærimus vtriusque subiecta; & vt à passione incipiamus, In qua est minor difficultas.

Aliqui docent, passionem, vt in subiecto, in motu fundari; ita videntur sentire Burlæus, Venet. super 3. Physic. text.20. & ex parte Conimbr.cap.3.quæst.1.art.2. sequitur etiam Amicus tract.19. qu. 17.dub.4. vbi ait, motum esse saltim subiectum Quo passionis, & actionis.

De actione verò est vna opinio Suar. disputat.48. sect. 4. & Hurt. in Phys.disput.12.sect.4. & in Metaph.disput.16. sect. 2. quia distinguit de actione, nam dupliciter possumus loqui de actione, vel vt communis est ad actionem eductiuam, & creatiuam, vel de eductiua solùm; primo modo de sua ratione formali nullum exigit subiectum inhæsionis, sed solùm denominationis, quod erit agens, & adhæsionis, qui erit terminus, cui adhæret, non inhæret, etiamsi creatio sit accidens, ratio est, quia hæc à subiecto est omninò independens, idem affirmat Vasq.p.1.disput.173.c.2. Si verò est eductiua, tunc quia terminus ipsius postulat subiectum, erit in subiecto sui termini, quod erit passum, si est actio transiens, vel agens, si est immanens. Addit tamen Suarez, quòd talis actio potest dupliciter considerari, vel secundum suam formalitatem, vel secundum id, cui realiter est vnita, quæ est passio, (nam sustinet, actionem, & passionem esse eundem modum (primo modo nec exigit subiectum, nisi denominationis, quia dicit rationem essendi ab alio, non in alio, & concipitur per modum egressus ab agente, attamen secundo modo in ratione passionis est in subiecto, quod desumpsit ex Aurol.1.d.27. q. 1.art.2.

Alij verò ponunt communiter, actionem de sua ratione formali habere subiectum, sed discrepant, quodnam sit illud; Quidam enim dicunt, esse terminum productum; citatur Aref.1. de Gen.disp. 5.quæst.39.sect.4.ad 4. Alij motum. Alij passum, siue sit ab agente distinctum, siue non, ita multi Aristot. Expositores in 3.Phys. vt Simpl. Them. Philop. Vicom. Tol. etiam quæst.2. Iand.q.5. Rumius qu.6. Amicus tract.19.quæst.8. Sanchez in Log.tom.2.qu.66. Complut.disp.17. Phys.q.4.& 5.& Vasq.cit. loquendo de actione cum motu coniuncta,

nam quæ est fine motu, illam ponit in agente. Auersa verò q.26.sect. 4.hoc asserit de actione ab effectu distincta,at quæ non distinguitur,vt est creatio, est in termino, non vt in subiecto,sed vt ratio essentialis, quia est entitas ipsius.

v9 Dicimus tamen, actionem de sua ratione formali subiectum inhæsionis exigere, quod non est terminus productus, vel motus, aut passum, sed agens ipsum, quæcumque sit ista actio, passum verò erit passionis subiectum: ita Scot.4.d.12.quæst.1.D. & d.43. quæst.5. H. quem præter omnes Scotistas sequuntur Zerb.5.Met.quæst.25. Caiet. p.1.quæst.25.art.1.Zumel,Ripa, Nazar.ibidem,Flandria 5. Met.quæst. 16.art.4.ad 6.Ferrar.3.Phys.quæst.4 Morif.disput.7.Phys.quæst.4.Carrafa de nat.concurr.disputat.13. & alij; quamquam isti discrepent à Scoto quo ad formalitatem actionis. Et primò quod actio de sua ratione formali subiectum inhæsionis requirat, probatur, quia actio quæcunque non solùm eductiua,sed etiam creatiua secundùm Aduersarios non tantum analogicè, vt ipsi aiunt, sed propriè est accidens, quia accidens vt in species diuiditur in illa nouem genera, ergo formaliter petit subiectum inhæsionis, quia quodlibet accidens, vel actualiter,vel saltim aptitudinaliter debet inhærere subiecto,per quod à substantia distinguitur, accidentis enim esse est in esse, inquit Aristot. Tum quia probatur ad hominem de actione eductiua, ideò actio creatiua per ipsos subiectum non requirit, quia constituit rem independentem à subiecto, ergo quia actio eductiua constituit rem à subiecto dependentem, de sua ratione formali existit subiectum, Patet consequentia, quia per hæc duo actio in communi contrahitur ad creationem,& eductionem,& actio proportionari debet suo termino. Neque dicas,eductionem exigere subiectum ratione termini, non ratione sui. Non enim valet, quia sicut arguunt, creationem non solùm ratione termini, sed etiam ratione sui, non exigere subiectum, quia terminum constituit independentem à subiecto, idem è contra de eductione dicendum. Tum etiam de creatione, quia hæc est accidens, saltim creatio accidentis, vnde saltim huiuscemodi creatio nequit dici modus substantialis, ergo inhærere debet, aliter esset perfectior quacunque forma accidentali, quia independentia à subiecto dicit perfectionem; hoc autem est falsum, quia forma, & res est perfectius ens, quam modus rei, quod etiam diximus disputat.3. qu.4.art.2.

31 Resoon.Hurtad.citat.& disputat.10. Met. sect.3. essentiam accidentis esse inesse dupliciter intelligi, primò prout idem est adesse, ac adhærere rei institutæ, & esse extra conceptum illum, & hoc modo conuenit accidenti in communi, & sic creatio dicitur accidens; secundò pro dependere à subiecto, & hoc modo est falsum, quia etiam forma substantialis dependet à subiecto, vel si de dependentia inhæsiua loquamur, hoc est verum de accidentibus absolutis, non de modis creandi, ratio est, quia accidentia instituuntur à natura ad perfectionem substantiæ, & ideò petunt esse in illa, at creatio debet constituere terminum independentem à subiecto, vt Quod, quem effectum ipsa est habitura, vt Quo; hinc sequitur, non esse perfectiorem termino, quia cum sit independens vt Quo, hoc inuoluit imperfectionem modalem, estque additum diminuens.

Sed contra, quia si solum ratio accidentis est esse extra conceptum, ergo existentia, subsistentia, singularitas in substantijs erunt vere accidentia, cum sint extra conceptum rei, & communiter substantia ab accidente distinguitur per hoc, quia substantia est ens per se; prout inhærentiam aptitudinalem etiam excludit, accidens verò saltim aptitudinalem dicit inhærentiam, quare si iste modus nec aptitudinaliter petit inhærere,erit perfectior albedine v.gr. creata, quæ ex sua natura habet talem aptitudinem ad inhærendum. Quod verò sit entitas modalis, & vt Quo, potius confirmat nostram conclus.nam si quod est perfectius, & magis ens, habet talem aptitudinem, multo magis quod est imperfectius, & minus ens per regulam topicam; si de quo minus videtur inesse, & inest, ergo de quo magis. Tum quia esset perfectior quocunque modo substantiali ab ipsis admisso, qui dependenter sunt à subiecto, licèt non per inhærentiam, nam quòd sit substantialis, non videtur addere posse aliquid perfectionis, nisi hoc, quod sit magis independens,& magis per se existens, in hoc enim substantia excedit accidens, at totum oppositum contingeret in præsenti. Tum quia nequit intelligi ista adhæsio,& afficientia intima absque vera informatione vt dicimus disput.5.quæst.10.num.116. Tandem quia non soluit argumentum de alijs actionibus, vt actiones sunt reduplicatiuè.

32 Secundò, quod istud subiectum non sit terminus, aut motus, probatur, nam causæ, quæ ad causandum requirunt existentiam, non possunt esse sibi inuicem causæ quo ad existentiam, quia idem simul esset prius, & posterius,nam qua ratione causat, est existens, & prius, qua ratione causatur,accipit existentiam,& est posterius,sed actio per Aduersarios est causalitas agentis, & per ipsam effectus tanquam per viam accipit esse, vnde & prior natura effectu ponitur, ergo nequit subiectari in ipso effectu, & termino, quia causa materialis in causando debet existens præsupponi.

Nec valet dicere, actionem in illo priori non inhærere actu, sed aptitudine,at quando effectus est productus,tunc actu inhærere, & ideò non esse simul priorem,& posteriorem. Non valet, quia in qualibet actione adesset miraculum, scilicet accidens sine subiecto actu, & actio illa resultaret ab agente resultantia creatiua, quia quando est, à subiecto actu non dependet, aptitudo vero non tollit creationem, sicut si albedo crearetur, adhuc aptitudinem haberet ad inhærendum.

De motu deinde Prob. quia est respectus secundum quid realis, vt dicemus in propria disput.ergo neque subiectare ens reale simpliciter. Tum quia actio,& passio possunt esse absque motu, si subiectum non præexisteret sub priuatione, vt ibidem dicemus. Tum quia denominaretur agens,vel passum, quod non est verum.

Tertiò quod tale subiectum non sit passum,ostenditur à Scoto: actio secundum rationem formalem non denominat passum agere, quia passum, vt passum non agit, ergo non subiectatur in ipso, Probatur consequentia, formam denominare subiectum, est communicari subiecto, & informare subiectum vel saltim ex hoc necessariò prouenit, vt nequeat à Deo impediri, cum sit effectus formalis formæ, nequit enim albedo esse in pariete, & quòd paries non dicatur albus.

Respondent, assumptum esse verum de forma denominante denominatione intrinseca, cuius subiectum est subiectum denominationis,& inhæsionis simul, non verò de forma denominante denominatione extrinseca, sicut est actio respectu agentis: assignant exemplum, & rationem; exemplum de cognitione, quæ denominat obiectum cognitum, non tamen in ipso subiectatur; ratio est, quia actio est talis naturæ, quòd ipsa ex sua ratione formali non dicit habitudinem inhærendi, sed emanationis, & principij à quo, seu, vt ait Auersa, non denominat denominatione per modum habentis, sed exercentis actionem, & quia quælibet forma denominat iuxta exigentiam propriæ naturæ, & talis denominatio non conuenit passo, sed agenti, ideo suum effectum formalem tribuit subiecto extrinseco, quod erit subiectum solum denominationis, non inhæsionis, passum verò est incapax talis denominationis.

32 Sed contra; forma, quæ extrinsecè denominat aliquid, etiam intrinsecè debet denominare subiectum inhæsionis, sic cognitio extrinsecè denominat obiectum cognitum,intrinsecè denominat potentiam cognoscentem; ratio huius est tacta,quia forma, media causalitate, quæ est informatio, exercet aliquam causalitatem circa subiectum, cui communicatur, sicut ergo nequit dari causa cum actuali causatione, quin habeat proprium effectum, ita nequit dari aliqua forma, quæ exerceat suam causalitatem informationis circa aliquod subiectum,quin habeat respectu illius proprium effectum formalem, qui est denominatio intrinseca,vel saltim ad ipsum consequitur; ergo actio vt actio, reduplicatiuè debebit aliquo pacto denominare passum. Quænam igitur erit ista denominatio? non denominatio passi, vt inquit Amicus, quia hæc est effectus passionis, & ab ipsa taliter denominatur,ergo non erit effectus actionis vt sic; nullus enim effectus simul potest esse à duabus causis totalibus: tum quia ista denominatio non est conformis naturæ actionis,imò opposita, nulla autem forma tribuit subiecto intrinsecam denominationem non conformem propriæ naturæ.

Si dicas cum Complut. actionem denominare subiectum affectum actione, eò quia non est impositum hucusque aliquod nomen simplex ad hoc concretum significandum. Contra hoc est,quia sicut esse effectum albedine formalissimè est esse album,nam album ab albedine, vt à denominante,deriuatur, ita quia agens est denominatiuum actionis, esse actione affectum formalissimè erit esse agens, & sic passum erit agens; idem patet in visione,quæ oculum videntem denominat, quia est effectus visionis, & esse videntem est habere in se visionem, & videre, pariformiter passum, quia est affectum actione, dicetur agens, & videre. Si dicas, nullam denominationem tribuere, quia præscindit à subiecto, vt actio est formaliter, vel quia subiectum non est capax. Contra,quia iam requirit subiectum ex dictis; & si subiectum non est capax illius denominationis, ergo neque illius formæ, quia talis denominatio consistit in informatione, vel saltim habet necessariam connexionem cum illa, ergo quod non est capax informationis, & denominationis, neque poterit in se habere formam. Tum quia iam art.præc. probatum est, agens non posse taliter denominari ab habitudine ad agens, quam dicit iste modus positus ab Aduersarijs in subiecto.

33 Ex his recipitur solutio, quam adducit Manca 3. Physic.quæstio.2.dub.4. vbi distinguit, quod aliquid dici potest agens dupliciter, vel vt principium actionis, vel vt subiectum ejusdem, actio denominat passum agens, non prout agens significat principium actionis, hoc enim modo denominat causam effectiuam, sed vt significat esse subiecti actionis. Non valet, eo quia hoc est confundere significationes terminorum, esse enim agens hucusque apud omnes denotat esse principium actionis, sicut esse efficiens est esse principium affectionis; ergo sicut impropriè, & merè arbitrariè effectus diceretur efficiens, prout efficiens dicit esse principium affectionis, pariformiter passum arbitrariè dicetur agens, vt denotat actionis subiectum. Tum quia sicut implicat aliquod ens dici videns, quin sit principium visionis, aut dici calefaciens, quin sit principium calefactionis, eo quia tam videns, quàm calefaciens ex propria ratione principium actiuum important, ita implicat aliquid dici agens, quin sit actionis principium, ergo esse actionis principium, & subiectum ejusdem mutuò se inferunt, & ratio huius est, quia vt diximus formam informare subiectum est illi tribuere suum

effectum formalem,idest subiectum propriè, & in rigore dici principium Quod in ordine ad effectum illum,respectu cuius forma dicitur principium Quo, ergo quia actio est principium Quo agens dicitur formaliter agere, id quod erit informatum actione, & subiectum eiusdem, erit quoque principium Quod agendi, & sic passum, si esset actionis subiectum, diceretur quoque actionis principium.

Manet etiam explosa solutio Ioan.de S.Thom.3.Phys.quæst.14. art. 4. concedentis actionem inchoatiuè in agente subiectari, quatenus dicit formalitatem quandam actuantem agens in actu secundo, & de otio ad actum transferentem, at consummatiuè est in termino, & mediante termino in passo, si terminus sit aliquid à subiecto dependens, vt sic enim dicit formalitatem, quo effectum reddit in actu secundo causatum, & qua actio redditur consumata, neque enim aliquid dicitur agere ante effectum, quæ duæ formalitates ordine quodam vnum sunt & ratione huius secundæ formalitatis actio simpliciter est in termino. Exploditur hæc solutio, vel istæ formalitates sunt eiusdem rationis, & sic deberent denominare agens non solum causam, sed etiam effectum, & terminum, quomodo productum denominant, vel sunt diuersæ rationis, & sic denominatio agentis non poterit ab his formalitatibus æquè desumi, sed ab vna tantum, sicut vnius effectus formalis vnica quoque assignari debet causa formalis. Accedit, quod hæc formalitas, quæ reddit, & denominat effectum in actu secundo formaliter causatum est ipsa passiua productio, non actiua; ergo secundum ipsum idem erit dicere actionem consumatiuè esse in termino, ac passionem, vel productionem passuam esse in ipso termino, quod est vtique verum, sed falso deinde asseritur hanc formalitatem ad rationem actionis spectare.

34 Quapropter subiectum actionis erit agens, & passionis; quod patet ex sufficienti diuisione; & probatur à Doctore; actio, & passio sunt relationes, quibus ad inuicem agens, & passus referuntur, vt diximus art.præc. tum quia ex Aristot.3. Met.20. calefactiuum,& calefactibile,calefaciens, & id, quod calefit, sunt quædam relatiua,ergo calefactio actiua,& calefactio passiua,quæ sunt actio, & passio,dicunt illas relationes; quod patet per locum à coniugatis, si enim similia sunt quædam relatiua,quæ ad inuicem referuntur, similitudo in abstracto erit illa mutua relatio inter ipsa; si igitur sunt relationes, clarum est, inquit Doctor, in eodem reperiri fundamentum,& relationem. fundamentum autem actionis, quæ est potentia actiua, est in agente, & passionis, quæ est potentia passiua, est in passo. Tum quia agens est id,à quo aliud,siue vt producente,siue vt transmutante (vt vtramque actionis acceptionem amplectamur)& actione realiter denominatur, sed relatio in agente est talis habitudo, ergo ab ipsa relatione denominabitur agens, quæ in ipso reperitur, non ergo requiritur aliquid aliud; quod ipsum extrinsecè denominet agens.

Sed contra arguitur 1. ostendendo; actionem nullo modo exigere subiectum; quia actio significatur,vt ab alio,ergo ex sua ratione formali non est in alio,quia *esse ab* distinguitur ab *esse in*, primum conuenit actioni,secundum passioni ex 3.Phys.18.& 22. Tum 2. quia creatio est actio independens ab omni subiecto, ergo actio in communi præscindit ab omni subiecto, Antecedens probatur ab Hurt. terminus creationis est independens ab omni subiecto vt Quod per creationem, ergo ipsa est independens vt Quo ab omni subiecto, quia effectus formalis formæ continetur in forma ipsa vt Quo. Tum 3. quia si creatio penderet à subiecto,ergo etiam terminus, quia ideò generationis terminus pendet à subiecto, quia actio ipsius, qua attingitur,pendet à subiecto. Tum 4. quia terminus creationis est subsistens, ergo ipsa creatio est subsistens,vt Quo.

35 Respon. actionem formaliter dicere habitudinem à quo aliud transmutatur per receptionem formæ, & tunc negatur consequentia; Ad probat.dicimus, *esse in* dupliciter sumi posse, vel prout dicit inhærentiam relationis in fundamento, vel in subiecto, & hoc est essentiale cuicunque relationi creatæ, siue in primo,siue in secundo modo & per consequens actioni; secundo pro receptione passiua formæ in passo ab ipso agente,& hoc actioni non conuenit,sed passioni. Ad 2. argumentum supponit vnum falsum, scilicet creationem dicere quendam modum ex natura rei distinctum,per quem res accipiat esse,quod est falsum, quia creatio fundamentaliter dicit omnipotentiam Dei, formaliter, vel relationem rationis, vel realem terminationem creationis passiuæ, quæ est dependentia creaturæ ad Deum, estque relatio realiter identificata creaturæ, in qua fundatur, at si diceret modum aliquem, deberet esse in subiecto, vt diximus. Per hoc patet 3. & 4.

Secundò posset argui, quòd sit, in termino,vt in subiecto vel in motu, sed omnes rationes supponunt, vel quod actio sit modus ipsius termini, vel saltim dependentia ipsius ab agente, quæ omnia sunt falsa, solum quod sit in motu Probatur ex Arist.3. Phys.22.dicente, *omnino vero dicere est,quod neque doctio cum disciplina, neque actio cum passione idem propriè est. Sed cui insunt hæc motus*. Resp.Doct.litt. M. quòd alia lectio habet *Sed cui insunt hæc, motus est*. Secundò ait, quòd ibi sumit motum,non formaliter,sed materialiter pro forma fluente, non quod actio & passio sint in forma fluente,vt in subiecto, sed actio est in forma terminatiuè, quia terminatur ad passum, vt habens formam, & passio est in forma,quasi subiectiuè, 5.concomitanter, quia concomitantur in eodem subiecto, idem habet ad 1. principale. Vel sumit actionem, & passionem pro illis respectibus concomitantibus formam,& rem actam.

36 Tertiò ostenditur, esse in passo actionem vt in subiecto ex 3. Phys.18.& seq. vbi ait Aristot.motum esse idem cum actione, motus autem est in mobili; vnde text. 20. ait, non esse inconueniens,vt idem actus in communis duobus,scilicet agenti,& patienti,nam agentis est tanquam à quo, patientis vt in quo,vti est doctio, doctio autem est actio,& est in passo secundum Aristot.& text.22. volent declarare, quomodo idem motus sit actio, & passio,dicit,motum esse actionem, prout est huius in hoc,per quod indicat, actionem esse subiectiuè in patiente, Tum in 2.de Anima, 139. habet,si ergo actio,& passio sunt motus, & est in eo, quod mouetur, & patitur, actiui enim & motiui actus in patiente fit; vnde non est necesse, mouens moueri; & sequ. text. dicit; sicut actio, & passio in patiente est,non in agente, sicut & ipsius sensibilis actus in ipso sensitiuo existit. Tum ex 9. Met. 16. quoruncunque præter actionem est aliud, quod fit, horum actio in eo, quod fit, est, vt ædificatio in eo, quod ædificatur, similiter & de alijs, & omninò mouens in moto; vnde actionem diuisit in immanentem, & transeuntem, quæ diuisio nulla esset, si omnis actio esset in agente.

Resp.ex dictis hucusque, Aristot.in illis textibus 3.Phys. loqui de actione pro re acta, non formaliter; hinc text. 21. assimilauit actionem,& passionem spatio viæ Athenis Thebas,& è contra, sed subiungit postea,licèt spatium sit idem, non tamen distantia est eadem, sed alia,& alia; ita licet sit idem actus agentis,& patientis vt doctio, & disciplina,non tamen docere,& discere sunt idem; ecce quòd cum ait, actionem, & passionem esse idem,loquitur materialiter,nam docere, & discere se habent formaliter, vt actio & passio, & sic sibi contradiceret,si eodem modo intelligeretur, videlicet quòd vbique formaliter loquatur, cùm in vno loco dicat, quòd sint idem, in alio hoc neget; hinc rectè explicat respectus passionis, & actionis per esse ab hoc, & in hoc,modo supra insinuato. Per idem ad authoritatem ex 2.de Ani. quòd loquatur de actione acta, præcipuè quia ibi est sermo de actione immanente. Ad vltimam dicimus cum Scoto quol. 13. Dd. ibi assignare diuisionem actionis in immanentem,& transeuntem, vt est quid æquiuocum in sua æquiuocata, vt dicimus in præc.art.n.17.vbi patet, quomodo ista diuisio non sit nulla,quamuis omnis actio formaliter in agente reponatur.

37 Quartò ad idem,nullum mouens ex eo, quid agit mouetur 2.de Anim.139. sed si agens, vt sic de nouo reciperet in se actionem mutaretur ergo &c. Prob. maior, quia aliter agens esset patiens. Tum 2. quia etiam omnis terminus esset in agente, quod est falsum in actione transeunte; sequela probatur, quia terminus physicè non attingitur, nisi eo modo,quo causalitas attingitur,ergo si agens attingit intrinsecè actionem, vt in ipso maneat, eodem modo attinget terminum. Tum 3. quia de ratione actionis transeuntis est,quòd prodeat ab agente, & transeat ab ipso in passum. Tum 4. quia Deus dicitur agens, non per actionem sibi inexistentem, sed in passo, ergo idem de alijs dicendum. Tum 5. quia ad denominationem extrinsecam sufficit habitudo formæ in alio existentis, sic cognitio denominat obiectum cognitum, licèt ipsa non dicat habitudinem passiuam ad obiectum; sed potius actiuam: ita licèt actio ex se respiciat agens, & non dicat habitudinem à quo aliud, sed ab alio, attamen poterit denominare agens,vt à quo aliud. Tum 6. quia idem agens esset prius, & posterius,prius,quia producit actionem,posterius, quia secundùm Scotum agens est formaliter agens per actionem inhærentem sibi, vnde actio est principium,quo agens dicitur formaliter agens, principium verò semper est prius principiato. Tandem nullum agens potest formaliter transmutare aliud,nisi illud, per quod formaliter transmutat, fit in transmutato, quia nihil transmutatur formaliter per aliud separatum, licèt hoc possit esse effectiuè, & in genere efficientis causæ, sed agens transmutat passum per actionem, ergo &c. minor probatur, quia potentia actiua est principium transmutandi alterum, ergo actus ipsius, qui est actio, est quo agens formaliter transmutat passum.

38 Respon.ad 1. nullum mouens moueri motu terminato ad formam per se acquisibilem, qualis non est actio, vt dicemus in disputat.de speciebus motus, moueri tamen mutatione terminata ad formam non per se acquisibilem, sed ad acquisitionem alterius; vnde falsum est, quod ait Amicus, Aristot.asserere, nullo modo mutari agens, nam etiam ipsi concedunt, illam relationem de nouo aduenire agenti, & consequenter nequeunt negare, quòd agens aliter se habeat intrinsecè nunc, quam priùs; cum infertur, quodlibet agens esse patiens, quia recipit aliquid de nouo, negamus sequelam, non enim omnis receptio est in prædicamento passionis, sed solùm illa, quæ respicit agens; immo potius passio fundatur in receptione, neque potentia receptiua conuertitur cum passiua semper, nisi quæ est ad passionem, receptio verò potiùs, vt respicit formam, est in prædicamento habitus. Ad secundum negatur sequela cum probatione, non enim efficiens attingit effectum media causatione, tanquam ratione agendi, sed immediatè per suam essentiam, sicut etiam ipsi habent concedere, modum ilium medium, & si ab agente separatum, attingi immediatè à substantia agentis, non alio medio; hinc non sequitur,quod si actio est in agente, etiam terminus, quia potest aliquid referri relatione sibi inexi-

inexistente ad terminum separatum. Ad 3. negatur, actionem emanare, vt quid medium, hoc enim procedit ex nostra falsa imaginatione; sed solùm resultat in agente tanquam principium formale denominandi, non producendi. Ad 4. dicimus, Deum denominari agens de dono non intrinsecè, quia nihil de nouo recipere potest, sed extrinsecè, non per actionem receptam in creatura, sed per terminationem dependentiæ creaturæ ad ipsum, sicut paries dicitur visus non per habitudinem visionis ad ipsum, sed per terminationem talis habitudinis: at agens creatum, quia potest de nouo relationem recipere, intrinsecè denominatur agens. Ad 5. concedimus, illam habitudinem sufficere, sed propriè denominatio fit per terminationem talis habitudinis; vnde retorquetur ratio, nam sicut visio licèt denominet obiectum visum, non per hoc est visio passiua, ita licèt habitudo creaturæ ad Deum sit ratio, cur agens, & creans denominetur, non per hoc debet dici actio, sed potius passiua habitudo. Ad 6. nullum est inconueniens, subiectum esse absolutè prius forma denominante in genere materialis causæ, & posterius ea in genere causæ formalis, quatenus scilicet denominatum ab ea, quia hæc est mutua causalitas quo ad diuersas rationes, quæ non repugnat, vt dicemus disputat. seq. sic paries absolutè est prior albedine, sed posterior ea, quatenus albus. Ad vltimum, potius est pro nobis, cùm enim agens formaliter transmutari dicatur per relationem actionis, & passum transmutari per relationem passionis, necessariò concluditur, quòd actio sit in agente formaliter, & passio in passo, quod si contendant, passum transmutari formaliter ab agente per actionem, hoc est omninò negandum.

39 Quintò ex Hurt. disputat. 16. sect. 4. passio est in subiecto passo; actio est idem formaliter cum passione, ergo actio quoque est in passo, Minor probatur, idem formaliter est agens agere, & efficere aliquid, & aliquid fieri ab agente, quia apud Grammaticos istæ propositiones conuertuntur, ego visione video Petrum, Petrus visione videtur à me, ego actione produco Petrum, Petrus actione producitur à me; nam actiua, & passiua verba non differunt secundùm rem significatam, sed solùm secundum terminationem vocis, vnde eadem visio est, quæ denominat potentiam visiuam, & obiectum visum, ergo eadem actio denominat agens, & passum. Tum 2. quia non potest intelligi, ignem calefacere lignum, quin intelligatur lignum calefieri ab igne, ficut neque intelligi, oculum videre album, quin intelligatur album videri ab oculo, ergo eadem actio formaliter est, quæ denominat lignum passum, & ignem agentem. Tum 3. quia actio, & passio versantur inter eadem extremam & sub eadem ratione, ergo sunt formaliter idem, quia distinctio relationum pendet ex distinctione extremorum, Antecedens probatur, quia actus respicit agens in ratione agentis, & passum in ratione subiecti, & patientis; passio etiam respicit passum non in ratione agentis, sed patientis, & respicit agens non in ratione subiecti, sed agentis.

Respon. negan. antec. cùm sint respectus oppositi, & in subiectis realiter distinctis; cum probatur, concedimus, apud Grammaticos illas propositiones non differre, nisi in modo significandi, non sic apud Philosophos qui, vbi adest vera ratio physica, ibi distinguunt vnam propositionem ab altera, quo ad rem significatam, nam prima propositione importatur relatio actionis, secunda verò relatio passionis; & quia in actibus vitalibus non adest vera, sed similitudinaria actio modo explicato in præc. articul. hinc Grammatici, qui non tam exactè distinguunt rerum formalitates, eodem modo de istis loquuntur, & de illis, ideoque dici solet, quòd visio est actio non physica, sed grammaticalis, sicut terminus non dicitur passum physicè, sed grammaticaliter. Ad 2. per idem negatur consequentia, quia hoc est proprium relatiuorum, vt vnum ingrediatur in conceptu alterius, non quidem vt quid essentiale, sed vt quid extrinsecum, sed necessariò requisitum; sic nequit intelligi paries alteri similis; quin concipiatur hic paries illi similis, nequit intelligi, Patrem in diuinis producere Filium, quin intelligatur, Filium produci à Patre, & tamen realiter distinguuntur, & distinctis relationibus constituuntur. Nec valet, quod ait Hurt. hoc peculiare esse in diuinis; Tum quia quod conuenit diuinis personis propter rationes aliquas communes ipsis, & creaturis, conuenit etiam creaturis; modo ista mutua illatio conuenit ipsis, eo quia sunt relatiua, vt relatio præscindit à creata, & increata, vt patet; Tum quia adest exemplum in creatis; & paritas de visione assumpta non valet, quia non est vera actio, sed solùm similitudinariè, cum per ipsam nullus terminus accipiat esse simpliciter; hinc est, quod non adest mutua denominatio intrinseca. Ad 3. si valeret, tolleret de medio omnem relationem, nam similitudo respicit album vt album, æqualitas inter duo palmaria respicit illa, vt palmaria sunt; dicimus igitur, quod tam actio, quàm passio respiciunt agens, & passum, sed non eodem modo, nam actio respicit quidem agens, vt agens, sed adhuc vt fundamentum, & passum, vt passum; & vt terminum; sed passio respicit passum, vt passum; & vt fundamentum, agens verò vt agens, & vt terminum, sicut vniuersaliter euenit in qualibet relatione.

40 Vltimò arguunt Compl. Tum quia actio, passio, & motus in vna entitate identificantur, immò motus est vtriusque subiectum, sed motus est in passo, & mobili, ergo &c. Tum 2. quia Aristot. nusquam affirmauit, actionem esse in agente, immò hoc expresè negauit 3. Phys. 17. dicens. *Motui autem actus alius non est, oportet enim, esse actum vtriusque*, nec aliam actionem agnouit præter illam, quam in passo assignauit, alioquin agens de formalitate actionis in 3. Phys. ex professo, & distinctionem ipsius à passione, & motu diligenter inuestigans, mancus fuisset, si veram rationem non assignasset. Tum 3. motuum, & mobile correlatiuè se habent, & quia mouens mouet mobile, ideò mobile mouetur à motuo, ergo idem actus, & non alius requiritur, est sufficiens ad hoc, vt mouens moueat, & motuum moueatur, sicut quia visio effectus visui, & visibilis, eadem visio sufficit, vt visus videat, & visibile videatur. Tum 4. quia actio immanens à transeunte distinguitur per hoc, quòd illa est intrinseca agentis perfectio, & in ipso manet, non ista; differentia ab alijs assignata, quòd immanens nihil producat extra agens, transiens verò producat in subiectum distinctum; sed manendo in agente, est falsa, quia volitio diuina est immanens actio, & tamen ad extra producit creaturas; tum quia potentiæ operatiuæ transeuntes extrahunt extra potentialitatem, statim ac perficiunt passum, ad quod perficiendum sunt per se priùs ordinatæ, sed præcisè per hoc, quod detur actio, quæ subiectetur in passo, & a potentijs agentis exeat, perficitur passum ab agente, ergo superfluit alia actualitas in agente ad extrahendum ipsum de potentia agens ad actu agens.

Resp. ad 1. falsum esse assumptum, vt patebit disput. 15. quæst. 1. & 3. Ad 2. dicimus, Aristot. assignasse istam actionem, dum 3. Metaph. cap. de ad aliquid dixit, relationes secundi modi fundari super potentiam actiuam, & passiuam, & 3. Phys. 20. & 22. clarè ait, actionem, & passionem formaliter, idest conceptu differre, & in alienis esse subiectis, sicut doctio, & disciplina, & explicat, actionem esse respectum huius in hoc, passionem huius ab hoc: in textu 17. loquebatur de actione pro re acta, vide expositionem textus 3. Phys. cap. 2. Ad 3. immo quia relatiuè se habent, debent habere diuersas relationes, quibus formaliter dicantur mouere, & moueri, seu agere, & pati; nec valet paritas de visione, quia nec visio est vera actio, nec videns, & visibile sunt relatiua mutua. Ad 4. patet ex dictis art. 1. quomodo diuisio actionis in immanentem, & transeuntem debebat intelligi, ad veram enim actionem transeuntem requiritur, vt effectus sit extra agens; cum improbatur de volitione diuina, dicimus, diuinam volitionem nec esse actionem formaliter, sed grammaticaliter, nec esse omnimodè immanentem, sed virtualiter transeuntem; ad aliam probationem dicimus, si agens in se non recipit actionem, non extraheretur eius potentialitas ad actum formaliter, sed fundamentaliter, formaliter enim, & intrinseca denominatione dicitur in actu secundo per actionis respectum.

ARTICVLVS III.

Explicatur causalitas agentis, vt producentis, & transmutantis, ac etiam conseruantis.

41 SOnc. 5. Metaph. quæst. 4. Iauellus ibidem, Masius in Phys. quæst. 3. sect. 3. aiunt, causalitatem huius causæ consistere, non in actione, sed in agere, efficere, & producere effectum. Fons. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 5. variè est locutus, vt notat Auersa quæst. 14. sect. 4. sed præcipuè asserit, consistere in influxu ab actione distincto, quo potentia actiua reducitur ad actum. Communis opinio apud Recentiores est in actione consistere, quos ex Scotistis sequuntur Sghemma 2. Phys. digress. 10. q. 4. & Fuentes q. 4. diff. 4. At Compl. disp. 10. Phys. q. vlt. asserunt, non differre istas opiniones in re; melius tamen Thomistas loqui, quippe quod agens in actu est agens per exercitium actionis, quod rectiùs per hoc nomen concretum *agere*, seu *efficere* explicatur, quam per abstractum actionis.

Sed vt consequenter loquamur, distinctione opus est, vel enim est sermo de causa efficiente, vt producens est, & in ordine ad terminum productum, vel de ipsa, vt transmutans est, & in ordine ad subiectum; Si primo modo loquamur, sic quia causalitas causæ in communi est relatio causæ ad effectum, vt fusè ostensum est disputatio. 5. quæst. 2. sequitur, causalitatem causæ effectiuæ esse relationem eiusdem ad terminum productum, quæ est intrinsecus adueniens, & actio, seu productio de prædicamento relationis nominatur; explicaturque per habitudinem *à quo aliud*, seu *vnde aliud productum, & effectum est*, quam causalitatem exercet circa omnes effectus physicos enumeratos in præc. quæstion. quod est verum de causis effectiuis denominatione intrinseca, non verò quæ dumtaxat extrinseca denominatione dicuntur causæ, qualis est Deus, nam causalitas in istis solùm dicit formaliter terminationem realis dependentiæ effectus producti quæ terminatio erit relatio quædam rationis materialis, non formalis, nisi opere intellectus accedente, vt de qualibet extrinseca denominatione diximus in tract. de Ente rationis in Log. Si verò consideretur causa efficiens in ordine ad subiectum; & quia tunc solùm refertur ad ipsum relatione actionis de quinto prædicamento, et extrinsecus adueniente, vt dictum est, causalitas eius erit talis actio, quæ potest explicari per habitudinem *à quo*, vel *vnde aliud transmutatum est*, seu *quo in aliud*. A quibus causalitatibus potest abstrahi vna communis scilicet habitudo *à quo*, vel *vnde aliud productum, vel transmutatum est*, explicata in definitione causæ efficientis tradita ab Arist. vt in prima quæst. diximus. Ratio istius dicti

dicti alia non est, nisi quia causalitas est, qua causa respicit effectum, & à quo causa in actu denominatur, talis est relatio, quæ nomine actionis potest appellari, quatenus est significatiua relationis, tam intrinsecus, quàm extrinsecus aduenientis; ita Scotus in 4. sæpè cit. & in 2. dist. 1. q. 2. E.

42 Rectiùs tandem hæc causalitas nomine actionis, quàm per agere explicatur; ratio est, quoniam causalitas, & causa, seu causare, differunt, sicut concretum, abstractum, ergo causalitas cum sit abstractum debebit nomine abstracto, qualis est actio, explicari, non concreto, vt est agere, sicut rectiùs dicitur, albedo est qualitas, quàm album est qualitas, sed potius album est reale.

Sed dices, actio est effectus agentis, ergo non eius causalitas, Antecedens patet, quia ab ipso dependet. Tum 2. quia transacta actione, adhuc efficiens causa denominatur, vt patet in patre. Tum 3. quia quælibet causa per motum agens pluries dicetur causa efficiens, & in ordine ad effectum, & in ordine ad subiectum. Tum 4. omne concretum verbale, vt est agere non significat formam abstractam in recto, sed in obliquo, & subiectum in recto, vnde agere significat habens actionem, ergo causalitas non in actione, sed in ipso agere consistit.

Respon. faciliter, non quamlibet dependentiam arguere effectum propriè dictum, vt diximus quæst. præced. & idem dubium posset fieri de illo influxu Fonsecæ. Ad 2. diximus quoque, post actionem in illis effectibus, qui non pendent à causis in conseruari, non esse inter illa extrema relationem realem, sed tantum denominationem extrinsecam à præterita actione derelictam. Ad 3. concedimus, plures habere causalitates, non tamen esse plures causas, quia ad multiplicationem concretorum non sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur quoque multiplicatio suppositorum, vt notat Doctor. in 3. distinct. 8. quæstion. vnic. Ad 4. potius concluderet, causalitatem esse entitatem subiecti, quia significatur in recto ab illo concreto, quod est agere; vnde quia causalitas formaliter est, qua agens denominatur causa, & actu agens, erit forma illa, à qua sumitur talis denominatio, quæ forma non erit nisi illa relatio assignata, & actio, quæ est significatum formale illius concreti; concreta enim formaliter significant formam, materialiter subiectum; neque ex hoc, quòd in recto subiectum importatur, erit significatum formale, quia hoc est proprium denominatiuorum, quòd per materiam in recto definiantur; vel dicimus, non esse illam expressionem per se significati, sed potius quandam explicationem à vulgo receptam; verè tamen debet hoc modo explicari, agere est actio in subiecto, sicut album est albedo in subiecto; vt in Log. diximus disput. 2. q. 6. art. 2. Alias rationes in contrarium vide disp. 5. q. 2. cit.

43 Solum in præsenti dubitari potest, an causa, quæ non solum productiua, sed conseruatiua quoque effectus dicitur, eadem actione agat in illum in prima sui productione, & deinceps, an verò diuersa; seu an productio, & conseruatio eiusdem effectus sit eadem actio, vel distincta aliquo modo. Henr. quol. 1. q. 7. & quol. 9. q. 1. Aureol. in 2. d. 9. qu. vlt. art. 2. & Greg. qu. 6. asserunt, conseruationem diuersam omninò actionem dicere à productione; quod probabile putat Rub. ibid. qu. 8. art. 2. concl. 3.

Notandum est tamen ex Scot. 2. d. 1. quæst. 5. S. & 2. quæst. 1. A. & E. & quol. 12. articul. 2. quod præter respectus reales simpliciter, qui in qualibet productione interueniunt, explicatos articul. 1. huius quæst. dantur multi respectus rationis, seu reales secundum quid & vt ad præsens spectat, datur respectus ad non esse ipsius termini producti immediatè præcedens; & post productionem est respectus ad idem esse vt præhabitum; primus respectus importatur à productione, secundus à conseruatione, & cum hoc importatur etiam ab vtraque respectus actionis causæ ad effectum productum, & dependentem in esse tam in produci, quàm in conseruari; quapropter productio dicit duo, & respectum realem causæ ad effectum, & respectum rationis ad non esse immediatè præcedens, quia per ipsam effectus accipit primò esse; conseruatio quoque dicit duo, respectum realem causæ conseruantis ad effectum conseruatum, qui est secundi modi relationum, fundatus super potentiam actiuam, & passiuam, & respectum rationis ad esse eiusdem vt præhabitum; hinc duplex quæstio oriri potest vna de re, altera de nomine, prima est, num respectus simpliciter realis, qui est actio de genere relationis, sit idem omninò in productione, & conseruatione, in verò diuersus; secunda est, supposito quòd sit idem, num productio de principali significato dicat respectum realem, & conseruatio similiter, connotent verò respectus illos rationis, & consequenter formaliter conueniant, & differant per connotata; an è contra de principali significato dicant respectus illos rationis, & connotent respectum realem, vnde realiter, & formaliter differant, & solùm materialiter, & pro connotato conueniant: intelligitur autem quæstio respectu eiusdem causæ effectiuæ, nam si esset diuersa, puta si lumen productum ab vna lucerna, postea ab alia conseruaretur, (quod naturaliter non videtur fieri posse, sed supernaturaliter) esset procul dubio alia actio, quia variantur extrema, quod esse nequit sine alia actione.

44 Dicimus 1. eandem omninò actionem esse, qua agens producit, & conseruat effectum in esse; ita Scotus in 2. dist. 2. qu. 1. E. in 4. d. 12. quæst. 2. R. & quol. 12. artic. 1. quem ferè omnes Recentiores sequuntur, vt Suar. disputat. 21. Met. sect. 2. Auersa quæst. 26. sect. 1. & ex professo probant Bass. 2. dist. 1. quæst. 6. art. 3. P. Vulpes 2. p. disp. 4. art. 4. cum Scoto cit. Eiusdem re, & ratione ad idem re, & ratione non est vnica dependentia essentialis, quia extremis ijsdem manentibus, eadem omninò manet relatio; sed in casu manet eadem omnino entitas causæ cum eadem potentia actiua, & eadem entitas effectus in potentia passiua, vt dicit illam continuatam dependentiâm fundamentalem, quatenus scilicet eadem omninò entitas nequit esse, nisi causa actu influente (supponimus, enim effectum non variari, aliter esset de numero successiuorum, & semper noua actio esset ad nouam partem effectus) ergo eadem habitudo manet inter illa. Tum quia prima actio, quæ dicitur productio, per instans solum nostri temporis durare deberet, quia qua ratione amplius duraret, semper durare posset, ergo subsequens actio, quæ diceretur conseruatio, vel duraret per aliud simile instans tantum, vel per totum subsequens tempus, quo res conseruatur; non primum, quia darentur duo instantia immediata; si secundum, ergo hoc ipsum de prima illa actione dici poterit, quod semper eadem perseueret sine additione alterius actionis nouæ à priori distinctæ. Tum quia si conseruatio diceret nouam actionem incipientem per vltimum non esse, quod erit instans, & primum esse productionis, necessariò inciperet per partem post partem, non tota simul, quia nullum indiuisibile potest in tempore incipere, vt dicemus disput. 14. q. 2. ar. 4. sed nequit hoc esse, quia si per partes incipit, ergo vel effectus non existit in tempore illo secundùm omnes partes, puta secundum illas, quæ terminarent partes actiones succedentes, vel non conseruaretur à sua causa secundum omnes partes, si totus existeret; quæ ratio magis conuincit, si effectus esset indiuisibilis. Tum quia quòd ex parte Dei sit eadem actio, & idem concursus, etiam si aliæ causæ secundæ varientur, fusè probatum est disput. 2. q. 3. art. 3. & disput. 3. q. 4. art. 2.

Sed contra objicitur, actio, quæ dat esse rei, est subita, non permanens, at quæ conseruat, permanet, ergo est alia. Tum quia secundum August. 11. super Gen. c. 19. aer non est factus lucidus à Sole, sed fit lucidus, ergo alia, & alia actione: & secundum eundem, Deus quieuit ab omni opere, quod patrarat, loquendo de creatione, & semper operatur, loquendo de conseruatione, ergo actiones distinctæ. Tum quia priori inuariato, potest variari posterius, & multiplicari, sed extrema, v. g. Sol, & lumen sunt priora istis respectibus, ergo possunt respectus variari absque variatione Solis, & luminis, ergo non necessariò est eadem actio continuata. Tum quia variatio temporis ex 5. Phys. arguit variationem actionis.

Respon. ex quol. citat. productionem esse subitam, & conseruationem permanentem, non secundum respectum realem, quem dicunt, sed secundum respectus rationis ad non esse immediatè præcedens, & ad idem, vt præhabitum. Ad 2. ex lit. D. aliqua dicuntur in fieri, quia non habent esse completum, vt successiua, ex opposito aliqua erunt in facto esse, si habent esse completum, & hoc modo aer non fit lucidus, sed est factus lucidus, quia lumen habet totum esse simul, & completum; alio modo aliqua sunt in fieri, quia in continua dependentia, quamuis habeant esse permanens, alia in facto esse, quia non dependent in conseruari; hoc modo aer fit lucidus, non est factus lucidus, non tamen sequitur, esse per diuersam actionem, sed per eandem continuatam, aliter nec ipsa conseruatio esset vnica actio permanens, sed alia successiua. Deus quoque quieuit à creatione, prout dicit respectum ad non esse secundum respectum realem, si loquamur de respectu creaturæ ad Deum, vel secundum terminationem realem dependentiæ eiusdem, si de creatione actiua est sermo. Ad 3. variationem posterioris non necessariò variari prius, quando illud necessariò non resultat, modò respectus inter causam conseruantem, & rem conseruatam necessariò maneat manentibus extremis, ideoque si talis respectus cessat, à posteriori arguimus, cessare, vel vtrumque extremum, vel effectum, à priori verò destructio respectus prouenit ex destructione extremi; & idem argumentum potest fieri de similitudine, & alijs relationibus. Ad 4. si variatio temporis est cum interruptione, tunc arguitur variatio actionis non verò si est idem tempus continuatum, vt in proprio loco dicemus infra.

46 Dicimus 2. creationem, et conseruationem de principali significato dicere respectum illum realem, connotare verò respectus rationis ad non esse præcedens, & ad esse præhabitum, et consequenter extrinsecè, et connotatiuè inter se solum differre. Hæc conclus. quamuis vt dubia relinquatur à Scoto quol. 12. artic. 2. docetur tamen à Bassol. et à Vulpio citat. estque communis, quia principale significatum alicuius nominis est illud, quod datur intelligi ex institutione imponentis nomen illud, connotatum verò, quod datur intelligi ex modo consignificandi principalis significati ex Scoto 4. dist. 1. quæst. 2. G. et quæst. 8. Predicament. ad primum, vt v. gr. hęc nomina, prandium, et cœna principaliter significant commestionem, quia ad hanc significandam imposita fuere à primo instituente; sed quia non eodem modo illam significant, nam prandium significat illam in tali tempore, scilicet matutino, et cœna in vespertino, ideò tempus matutinum, et vespertinum dicuntur connotata: vt dictum est etiam disp. 4. quæst. 1. art. 2. de priuatione, et aptitudine subiecti, sed productio, et conseruatio sunt imposita ad significandum respectum depen-

dependentiæ ad effectum, non verò ad significandos illos respectus rationis, quia cum denominant causam producentem, & conseruantem, primariò faciunt illam referre ad effectum, non ad non esse, vel ad esse effectus vt præhabitum; vnde ab omnibus ponuntur in prædicamento relationis intrinsecus aduenientis; licèt non eodem modo respectum illum significent, sed productio cum respectu ad non esse immediatè præcedens, conseruatio cum respectu ad esse præhabitum, ergo isti respectus erunt connotata, ille verò principale significatum, vtrunque enim nequit esse de principali significato, quia non dicerent vnum per se, sed aggregatum per accidens.

47 Sed contra obijcitur, productio, & conseruatio distinguuntur per illos respectus rationis, ergo per illos quoque constituuntur, quia eadem sunt principia constitutiua, & distinctiua. Tum 2. quia quod fundatur videtur formale, quod fundat, videtur materiale, quia illud se habet vt spiritualius, istud vt materialius, respectus realis est fundans, illi respectus rationis sunt fundati, ergo &c. Tum 3. implicat intelligere formalitatem rei sine re, cuius est formalitas, ergo si possumus intelligere respectum dependentiæ absque eo, quòd productionem intelligamus, & cùm concipimus respectum ad non esse præcedens, intelligimus rationem productionis, planè illè respectus erit principale significatum, non ille. Tum 4. ad variationem connotati non sequitur destructio principalis significati, vt ad variationem parietis, quod est connotatum albi, si scilicet concipiatur lignum album, non sequitur destructio albedinis, quod est principale significatum; ratio est, quia connotatum, cùm sit quid extrinsecum, non potest essentiam variare, at ad variationem respectus ad non esse, non amplius intelligitur productio, ergo &c.

Resp. si hæc omnia valerent, ergo prandium, & cœna principaliter significarent tempus matutinum, & vespertinum, priuatio aptitudinem subiecti; quare ad 1. dicimus, regulam illam valere in absolutis, non in connotatiuis, quæ per extrinseca differunt. Ad 2. dicimus, regulam illam non esse vniuersaliter veram, præsertim in connotatiuis; adest manifesta instantia in relatiuis secundum esse, & secundum dici, in illis enim, quod fundat, vt albedo, est connotatum, respectus verò fundatus, vt similitudo, est formale significatum huius connotatiui similis; at in istis, quod fundat, est principale significatum, respectus verò est connotatum, vt patet in scientia. Ad 3. in casu concipitur principale significatum productionis, non tamen concipitur productio quo ad totale significatum, nam duo habet significare, vnum formaliter, alterum connotatiuè, vide quæ diximus de connotatiuis disp. 8. Log. q. 3. art. p. in fine, & superius disp. 4. n. 7. Per idem ad 4. destruitur productio non quo ad principale significatum, sed secundum id, quod connotat.

QVÆSTIO IV.

De Conditionibus causæ effectiuæ.

48 PLures assignantur conditiones à Doctoribus ad causam efficientem requisitæ; prima est, quod existat; secunda, quòd agat in passum distinctum; tertia, quòd istud passum sit ipsi propinquum; quarta, quòd sit quoque dissimile; de primis tribus in præsenti agemus, inquirendo, an verè, & propriè sint necessariæ, vt agens agat; de quarta verò dicimus in lib. de Generatione, requirit enim cognitionem multorum, quæ non nisi in illis libris exactè haberi potest, vt quomodo, & à quo qualitas per antyparistasim, & reflexionem intendatur: an dissimilitudo debeat esse secundum proportionem maioris inæqualitatis; an iste excessus proprium habeat, & determinatum terminum. Et quidem quod spectat ad primam conditionem de existentia, Cabrera 3. p. q. 26. art. 1. disp. 3. §. 13. citans Nugnum, & Zumel, Cabezudus 3. p. q. 62. art. 1. apud Hurt. disp. 8. sect. 5. vt causalitatem physicam Sacramentorum erga gratiam defenderent, dixerunt, posse naturaliter aliquod agens non existens, dummodò tamen immediatè ante ad productionem effectus extiterit, concurrere physicè, & realiter ad talem productionem, etiam si in instanti, vel tempore productionis non existat. Alij verò erubescentes hoc viribus naturæ concedere, affirmarunt, supernaturaliter non implicare, causam non existentem eleuari ad producendum realiter effectum; citantur pro hac sententia Soto 4. d. 9. q. 2. art. 7. Caiet. 3. p. q. 62. art. 1. Victoria ibidem, & Med. q. 49. art. 6.

Circa secundam conditionem, aliqui vniuersaliter negarunt, idem posse in seipsum agere, nisi fortè per partes, quia scilicet vna pars mouet aliam, ita Gotfr. quol. 6. q. 7. & multi Thomistæ, vt Capr. in 1. d. 3. q. 3. Sonc. 8. Met. q. 7. Ferrar. 1. contra gent. c. 23. Multi item Arist. Expositores super 7. & 8. Phys. vbi Aristot. asseruit, omne, quod mouetur, ab alio moueri.

Tandem circa tertiam negant vniuersaliter Thomistæ actionem in distans cum D. Thom. 1. p. q. 8. Suar. disp. 18. Met. sect. 8. & disp. 30. sect. 7. Hurt. disp. 9. Phys. c. 2. Ruuius ibidem, & 1. de Gen. c. 6. q. 1. Aresf. 1. de Gen. q. 41. Vasq. verò, Val. 1. p. q. 8. & alij hoc solùm negant de agente creato, non de increato. Auersa tamen qu. 14. sect. 19. hoc concedit de agente increato, & de causis cœlestibus, quo ad aliquos effectus, sed negat vniuersaliter de causis spiritualibus creatis, & de sublunaribus. Arriag. tandem disput. 7. Phys. sect. 6. nu. 71. concedit agens naturale posse agere in distans per potentiam Dei absolutam, quod alij negant.

ARTICVLVS I.

Ostenditur necessitas existentiæ ad causandum.

49 DIcimus, existentiam ita necessariam esse causæ efficienti ad causandum, vt neque naturaliter, neque supernaturaliter aliquid non existens ad productionem alicuius effectus physicè concurrere possit, ita Doct. in 2. d. 2. q. 10. B. & seq. & in 4. d. 1. qu. 5. A. ex hoc principio maximè ostendit moralem causalitatem Sacramentorum respectu gratiæ, quia cum sint successiuè, & in continuo fieri, gratia verò causetur in vltimo instanti, in quo verba non adsunt, nequeunt physicè in gratiam influere, & d. 12. qu. 3. sup. A. estque tam communis, vt ferè omnes tanquam euidens axioma supponant, tractant tamen ex professo Hurt. cit. Amic. tract. 12. q. 3. dub. 1. & 2. Suar. 3. p. disp. 8. sect. 2. & Cartagena de Sacr. disp. 3. diff. 1. cap. 7. Et quod naturaliter existentia sit necessaria, Prob. à Scoto in 2. cit. Tum quia ex 2. Phys. 37. & 5. Met. 3. causa, & effectus simul sunt, & non sunt. Tum quia quod non est, quando non est, non producit aliquid in esse, nam nemo dat, quod non habet, causa non existens non habet existentiam actualem, ergo nequit illam effectui tribuere. Tum quia nequit imperfectius, producere perfectius, sed ens non existens est imperfectius ente existente, ergo nequit hoc ab illo produci, Minor patet, quia præter essentiam ens in actu habet quoque existentiam, qua caret ens in potentia. Tum quia causa, & effectus sunt relatiua, ergo vnum nequit esse sine alio. Tum quia si aliquid potest à non existente produci, ergo, & conseruari, quia si effectus est taliter dependens, eadem actione producitur, & conseruatur ex supradictis, ergo *si* productio potest esse à non existente, etiam conseruatio, quæ est eadem actio, & non minus hæc, quam illa ab agente dependet, hoc tamen est falsum, quia causa conseruans est, qua destructa, destruitur effectus; & quia omnes res dici possent in conseruari dependentes à causis creatis, postquam destructæ sunt, vt filius à patre defuncto.

Respondent, causam tunc non esse formaliter, & in esse entis, esse tamen virtualiter, & in esse causæ. Sed contra, quia Philosophus in esse entis loquitur, & ex existentia in tali esse arguit existentiam in esse causæ, vt patet ex ipso contextu. Tum quia, vt ait Doctor cit. litt. C. existere virtualiter causam, vt ipsi loquuntur, est esse: sicut causæ virtus in suo effectu, quod actu non est nisi entitas effectus, ergo vt sic potest effectum causare, idem erit dicere, ac effectum causare seipsum. Tum quia esse causam in actu, & physicè influere, si fundamentaliter sumatur, dicit virtutem actiuam agentis, si formaliter, significat habitudinem causæ ad effectum, sed quod non est in genere entis, non est secundum propriam virtutem actiuam, quæ est entitas ipsa, & multo minus habere potest illam habitudinem, quæ in virtute actiua fundari deberet, ergo nullo modo dici potest esse causa in actu, vnde Philos. 4. Met. 16. ait: *Quæ non sunt quo modo loquentur, aut ambulabunt?* & loquitur, vt patet legenti, de existere in esse entis, & ex hoc, quod non existunt, negat, posse loqui, aut ambulare. Tum quia posset etiam admitti, quod nunquam fuit, neque erit, actu concurrere ad actionem; & sic frustra homines medica arte à morbis quærerent præseruari; nam quod aliquando extiterit, parum refert; quia vt ait Suar. tam est omnino nihil, quod non est, sed fuit, quàm quod non est, nec fuit; & hoc, quod est fuisse, solùm quandam denominationem extrinsecam dicit, quæ nihil actiuitatis ponit in rerum natura; immo potest dici magis non ens res, quæ fuit, & non est, quàm quæ nunquam extitit, quia hæc potest esse, at illa regulariter nequit esse amplius, quia regulariter corruptum viribus naturæ non reproducitur.

50 Respondent, discrimen esse, quia sicut inter causam, & effectum sufficit contactus per contiguationem localem, & non per penetrationem, ita sufficit contactus durationis per contiguationem non per coexistentiam simultaneam, modo quod nunquam fuit, nullatenus est in duratione contiguum effectui, sicut etiam quod multo tempore ante extitit; at quod immediatè præcessit effectum, vt primum esse effectus sit primum non esse causæ, est contiguum in duratione, & consequenter hæc contiguitas sufficit in duratione ad agendum, & non requiritur necessariò existentia simultanea in duratione cum effectu.

Sed contra; quia rationes adductæ ostendunt necessitatem simultaneæ existentiæ cum effectu, & non contiguitatem tantum in duratione; & si paritas assumpta de præsentia locali valeret; probaret quoque, istam contiguitatem, nec est necessariam, sicut nec est necessaria contiguitas localis, cùm possit agens agere in distans, vt dicemus. Tum quia, vt ait Hurt. detur aliquod instans, quod sit primum esse vnius rei, & vltimum non esse alterius, ista duo immediatè se habent, & contigua in duratione, ergo quod incipit intrinsecè in illo instanti poterit habere rationem effectus, & quod in tempore immediatè sequenti, rationem causę, & sic quod nunquam fuit, poterit esse causa, quia in illo instanti, in quo causatur effectus, causa non est nec antea prima consequentia patet, nam si existentia non requiritur, & sufficit; contiguitas in duratione cum virtute possibili causæ, hęc omnia interueniunt in casu posito. Tandem sequeretur hominem in primo sui non

non esse posse mereri, vel demereri, quia posset in illo instanti, in quo homo primo non est, elicere actum contritionis, si fuit in peccato, vel actum peccaminosum, si erat in gratia, cuius actus causa erit homo ipse mortuus; posset occidere aliquem, & similia causare, quæ sunt falsa.

51 Ex quibus probatur etiam secunda pars, quod scilicet neque supernaturaliter per eleuationem à Deo factam possit hoc fieri. Tum quia hoc implicat; nam quod actu causat, habet non solùm potentiam logicam causandi, sed etiam physicam, sicut physicè causat; quòd non est, licèt dicatur habere logicam potentiam, non tamen physicam, quia nullam entitatem habet realem actualem, quod requiritur ad potentiam physicam realem, ergo ponere causam non existentem causare, est admittere, causam habere simul, & non habere potentiam physicam. Tum quia vel ista eleuatio fieret solummodo per auxilium externum, nihil imprimendo in causam, vel per auxilium intrinsecum, tribuendo aliquid ipsi causæ per modum actus primi; si primo modo fieret, præsupponit potentiam physicam realem, & obedientialem, quæ non esset in causa non existente: & implicat intelligere creaturam eleuatam ad concurrendum simul cum Deo in effectum communem, & non concipere creaturam per propriam potentiam agere; si secundo modo fieret, vel talis eleuatio fuit facta, quando causa erat, & hoc est falsum, quia tunc non agebat, & nihil iuuaret, cum illa virtus impressa desineret esse ad desitionem causæ, vel quando causa iam non est, & neque hoc, quia subiectum, vt exerceat propriam causalitatem, etiam secundum ipsos præsupponit existentiam; nequit ergo illa virtus recipi in subiecto non existente. Quapropter concludendum est, existentiam esse simpliciter necessariam causæ efficienti ad causandum. An vero requiratur tanquam conditio, vel tanquam ratio causandi, pendet ex dictis disp. 5. q. 4. art. 3. vbi de ratione conditionis ad causandum prærequisitæ diximus esse, quod nedum non includatur in ratione proxima causandi, sed nihil etiam omnino sit illius causæ, ita quod sit applicatio causæ iam in ordine suo constitutæ, vt in actum exeat, & ideo cùm existentia sit modus rerum intrinsecus, potius dici debet pertinere ad complementum causæ in ordine suo, quam mera conditio causam applicans ad agendum; placuit tamen de ea tractare sub titulo de conditionibus causæ efficientis, quia etiam qui directè eam ponunt pertinere ad rationem agendi, sic de illa tractant.

Sed contra instatur, quod talis existentia simultanea cum effectu non requiratur, Tum quia non est necessaria ex ratione causæ realis in communi, quia causa finalis est causa realis, non tamen existit, neque ex ratione causæ efficientis, quia in conceptu ipsius non includitur existentia, rectè enim concipimus, esse id à quo aliud, & si concipiatur immediatè ante fuisse, sicut concipitur priuatio generationis, principium, cui præexistit, non coexistit. Tum 2. quia si præsentia intima localis non est necessaria ad agendum, sed sufficit contiguitas, idem de præsentia in duratione dicendum. Tum 3. quia adsunt multæ experientiæ, nam instans temporis, & mutatum esse motus cansantur à tempore, & à motu, & tamen nec tempus, nec motus sunt simul cum instanti, & mutato esse, sed immediatè præcesserunt; forma substantialis sequitur alterationes præuias, vt effectus, quæ tamen non sunt simul cum forma, sed corrumpuntur ad corruptionem compositi precedentis, in quo subiectabantur; forma quoque mixti hoc modo ab elementis causatur, quæ destruuntur in aduentu talis formæ; quod etiam euenit, quando duo ad inuicem agunt, & simul corrumpuntur; semen producit viuens, quod non est simul cum eo intellectio præcedens est causa volitionis subsequentis; intentio est causa electionis; volitio motum localem imperat, & tamen potest breuissimo tempore durare, motus aetem subsequi per longum temporis spatium, virtute præcedentis volitionis; assensus principiorum est causa assensus conclusionis. Et Sacramenta dum non sunt, causant physicè gratiam. Tum tandem quia potest saltim Deus hoc facere eleuando causam non existentem ad agendum, quia si potest supplere omnem causalitatem efficientis causæ, multo magis potest omnem conditionem sine qua non respectu efficientis; de quarum numero est existentia.

52 Resp. esse necessariò existentiam de ratione causæ physicæ realis: & propter hoc finis non est vera causa realis, vt dicemus infra. Tum quia etiam habet existentiam proportionatam, nam sicut metaphorice mouet, idest intentione, ita in intentione quoque existit. Falsum est etiam posse concipi causam esse à quo aliud, non concepta existentia, quia nequit intelligi aliquid causare, influere, & ab ipso aliud essentialiter in esse dependere, & tamen non existere; neque paritas de priuatione vrget, quia hæc solum principiat, non influit in generationem, & eius ratio principiandi est in ratione termini à quo per modum recedentis, & ideo debet concipi non existens, at efficiens influit, & causat, vt à quo aliud, & per modum permanentis, non vt recedentis. Ad 2. negatur etiam paritas, quia contiguitas localis præsupponit in actu rationes formales agendi, & actus primos, ideo sufficit: at contiguitas in duratione (si verè contigua dici possunt, cum non ambo existant) non præsupponit actu rationes causandi, & actus primos; nequit autem dari actus secundus sine primo. Ad 3. negatur, allata exempla aliquid concludere: nam instans, & mutatum esse causantur ab efficiente indiuisibilia illa formæ per motum acquisitæ, qui sunt termini illorum motuum diuisibilium, sic mutatum esse in motu calefactionis prouenit efficienter non à motu, sed à producente indiuisibile caloris, quod per mutatum esse acquiritur, talis autem est causa caloris actiua, quæ totum alium motum causat; & instans causatur ab Intelligentia mouente primum Cœlum, qui motus est tempus, forma substantialis non causatur ab illis dispositionibus præuijs, sed à causa efficiente substantiali immediatè, non enim accidens potest substantiam producere, vt infra, idem dicendum de forma mixti, nam elementa potius se habent vt causæ quasi materiales, quam efficientes in ordine ad mixtionem; inter se verò effectiuè concurrunt ad illam mutuam actionem, non tamen simul possunt se destruere, quia victoria in actione prouenit ex proportione maioris inæqualitatis, idest propter excessum vnius contrarij in aliud, & consequenter nequeunt ambo simul corrumpi, nisi adsit aliqua tertia causa distincta inducens in materiam illorum elementorum formam condistinctam, vt euenit, cum forma mixti generatur, vel cum ex duobus elementis aliud tertium distinctum resultat, quæ causa erit Cœlum ipsum; Semen si ponatur etherogeneum, vt ait Doct. in 3. d. 2. q. 3. & d. 4. q. vn. habet partes actiuas, quæ vsque ad introductionem formæ corporis permanent, deinde vel per nutritionem conuertuntur in substantiam aliti, vel foras expelluntur, si verò sit homogeneum, vt tenet Doct. in 2. d. 18. sic nullo modo erit actiuum, nec causa efficiens formæ corporis, sed solùm materialis causa, in quam causa efficiens actiua aget; intellectio non est causa volitionis, sed conditio prærequisita secundum. Scot. in 2. d. 25. & si esset causa, necessariò deberet simul esse cum volitione, sic intentio dicitur causa electionis medij, sed propriè voluntas elicit electionem: intentio verò dicitur causa, quatenus finis, qui est intentionis obiectum, mouet voluntatem mediorum; voluntas quoque est causa motus in potentia motiua imperando, causa verò immediata est ipsa potentia motiua, hinc potest continuari motus ab ista potentia, etiam si voluntas in aliud tendat, quia propter imperium iam applicauit potentiam ad actum, nec illam retinuit; Assensus principiorum est causa conclusionis assensus, & sunt simul; vnde in posterioribus libris dicitur, non prius tempore cognosci principia, quam cognoscatur conclusio; sed hæc omnia proprijs locis, scilicet in libris de Gen. & de Ani. explicantur. Tandem Sacramenta ex hoc cap. præcipuè non sunt causæ physicæ gratiæ, sed morales, vt diximus cum Scoto in probatione conclus. Ad 4. sustinendo, existentiam conditionem esse agendi, non rationem formalem, potest Deus supplere, quatenus potest se solo producere quicquid cum causa existente effectiua causaret, non tantum quod simul cum ipsa non existente agat, quo sensu nequit omnem conditionem sine qua non supplere; sicut nequit hoc facere in causa materiali, & formali etiam secundum Aduersarios, intellectio quoque est conditio necessariò prærequisita ad volitionem, non tamen potest Deus facere, quod voluntas feratur in obiectum incognitum sed semper necessariò præexigitur illius obiecti cognitio.

53 Dices, ex Scriptura Deus vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, ergo saltim de potentia Dei hoc potest fieri. Respond. Scripturam loqui vel de resurrectione, vt cum Lazarum è sepulcro vocauit: vel de creatione, quia per vocem ipsius creaturæ transeunt de non esse ad esse, iuxta illud, *ipse dixit, & facta sunt.*

ARTICVLVS II.

Idem posse agere in seipsum, declaratur.

HIc articulus dupliciter potest resolui, vel in vniuersali, ostendendo, non esse de ratione causæ efficientis à subiecto realiter distingui, vel in particulari, descendendo scilicet ad aliqua specialia entia, an agant in seipsa, vt an grauia, & leuia à seipsis moueantur, an aqua propria virtute se reducat ad pristinam frigiditatem, si fuerit calefacta, & similia: vtroque modo hanc difficultatem decidit Doctor 9. Met. q. 14. in præsenti tamen, quia de causa efficiente in communi loquimur, solùm videbimus, an ista distinctio inter agens, & passum sit necessaria conditio ad causam agentem in communi, an verò tantum aliquibus in speciali conueniat, non omnibus, & consequenter, quod possit aliquid in seipsum agere. Quod adhuc potest dupliciter contingere, vel actione vniuoca, vt si calidum formaliter seipsum calefaceret: vel actione æquiuoca, vt cum calidum virtualiter se reddit formaliter calidum: non intendimus modò agitare in primo sensu quæstionem, hoc enim esset quærere an simile possit agere in simile, seu an requiratur necessariò dissimilitudo inter agens, & patiens, quam difficultatem remisimus in principio huius quæst. ad libr. de Gener. quapropter in secundo intellectu de ipsa agemus, sufficit enim ad terminandam præsentem difficultatem, si ostendemus, aliquid posse saltim æquiuoca actione in seipsum agere.

54 Dicimus non esse conditionem necessariam ad agendum distinctionem agentis à passo, sed idem posse in seipsum agere, saltim actione æquiuoca: ita Scot. in 1. d. 3. q. 7. ad 1. pro secunda opinione R. & in 2. d. 2. q. 10. & d. 3. q. 8. ad 4. & d. 25. ad 1. pro opinione D. & quol. 15. C. diffusè tamen in 9. Met. q. 14. quem præter Scotistas, Ant. Andr. 9. Met. q. 1. Zerb. ibid. Bonet. scilicet suæ Phys. cap. 3. Tat. Io. de Mag. Parisienses 8. Phys. Fabrum theor. 61. sequuntur Greg. in 2. d. 6. qu. 1. art. 3. Iandun. 8. Phys. q. 2. & omnes ferè Recentiores, Suar. disp. 18. sect. 7. nu. 52. Auersa q. 14. sect. 5. Hurt. disp. 9. Phys. sect. 8. Mor. disp. 3. Phys. q. 20. &

20. & alij passim, licèt enim multi vniuersaliter proferant, idem non posse in seipsum agere, tamen postea difficultatibus in speciali Pressi, se restringunt & limitant illam propositionem, vt est videre apud Auersam cit. Prob. egregiè à Doct. in Met. citat. quodlibet contentum sub obiecto alicuius potentiæ est per se obiectum illius potentiæ, licèt non primum, & adæquatum, vt calefactiuum respicit pro adæquato obiecto, & primo calefactibile in communi, at per se secundò respicit quodlibet calefactibile in particulari, & è contra calefactibile per se primo respicit calefactiuum in communi, per se secundo quodlibet calefactiuum in particulari, & patet discurrendo per omnes potentias, & in proposito actiuum, & passiuum in communi vt extrema adæquata se respiciunt, sed possibile est, quod aliquid sit actiuum alicuius formæ, sicut aliud est actiuum eiusdem formæ, & sit etiam passiuum, seu receptiuum eiusdem formæ, sicut aliquod aliud, ergo illud in ratione actiui ita seipsum habet pro obiecto in ratione passiui, sicut quodcunque aliud, ergo ita potest in se agere, sicut in aliud: minorem probat Doctor, quia multi sunt effectus æquiuocè producibiles à forma substantiali, vel accidentali diuersa, vt est leuitas in igne, ergo habens illam actiuam per se est leuificatiuum, quæ forma potest esse in aliquo leuificabili, vt patet in igne, nam quæcunque forma, quæ est in igne generante, est in genito, vnde si in generante est forma actiua leuitatis; erit etiam in genito, & prior leuitate, cùm sit ex se principium, ergo idem potest esse leuificans, & leuificabile.

Dices, hoc esse impossibile, quia agens, & passum debent esse approximata, & ita situ distincta, idem autem non potest à seipso esse situ diuersum. Contra, ait Doctor, si præsentia est necessaria ad agendum; ergo maior præsentia magis iuuat actionem, aliter quia Angelus est simul cum Cœlo, non posset Cœlum mouere, tum quia approximatio requiritur solum, vt virtus agentis pertingat passum, ergo quia si nec situ differrent, agens perfectiùs pertingeret passum; ista indistantia potius iuuaret, quàm impediret actionem.

Secundò potest probari specialiter, & quia grauia, ac leuia à seipsis mouentur, vt disp. 3. de Cœlo q. 2. dicimus; & quia substantia est immediatè productiua accidentium sibi connaturalium, vt dicemus qu. seq. Tum ex diuisione actionis in immanentem, & transeuntem à Philos. 9. Met. 16. traditam, nam si omne agens agit in passum distinctum, nulla daretur immanens actio. Tum ex dictis q. 2. & 3. huius disp. vbi ostendimus, resultantiam stare cum vera causalitate, & actione, præter emanationem metaphysicam.

55 Sed in oppositum obijcitur. Tum 1. quia ex 8. Phys. 40. probat Aristot. omne, quod mouetur, non à seipso moueri, quia sequeretur, quòd totum moueret, & moueretur, quod est falsum, quia sic feret, & feretur secundum eandem lationem, & alterabitur, & alterabit, quare docebit vtique, & docebit simul. Tum 2. quia ex eodem ibid. mobile est in potentia tale ante actum, quale est mouens in actu, quare idem esset simul in actu, & in potentia respectu eiusdem & tamen actus, & potentia sunt opposita, quia diuidunt ens. Tum 3. quia ex 2. Phys. 70. materia, & efficiens nunquam coincidunt, ergo idem nequit in ipsum agere. Tum 4. quia inter mouens, & mobile est realis distinctio ex 5. Met. 10. idem autem ad seipsum nequit referri realiter, quia relatio realis est inter extrema realiter distincta. Tum 5. nam potentia actiua est principium transmutandi aliud, inquantum aliud ex 5. Met. 17. ergo idem cum non sit aliud à seipso, non poterit seipsum transmutare. Tum 6. quia mouens semper est sub opposita dispositione ad mobile, & è conuerso, quia mouens assimilat sibi mobile, & trahit ipsum ad similem dispositionem, vnde in 1. de Gen. 50. dicitur, quod agens, & passum sunt dissimilia in principio, & similia in fine, ergo non potest idem in seipsum agere, aliter esset sub oppositis dispositionibus.

56 Respon. ex Scot. citat. ad 1. propositionem illa valere de agente vniuòco, non æquiuoco, quod coilligitur ex verbis Aristot. seq. *Similiter & aliorum vnumquodque, quorumcunque mouens necesse est habere vniuocum*. Et quamuis attulerit exemplum de latione, non tamen intelligendus de motore localiter æquiuoco, aliter sibi contradiceret, cum se declaret loqui de vniuoco agente, sed est intelligendus de mouente localiter vniuoco, itaut idem per locum, quem habet, tanquam per rationem agendi se moueat ad alium locum. Ad 2. dicimus, valere de agente vniuoco, quod si seipsum moueret, esse simul in potentia formali, & in actu formali, non de æquiuòco, quod licèt sit in potentia formali, est tamen in actu virtuali, quod non repugnat, vt ad sextum dicemus; cum dicitur, actum, & potentiam ens diuidere, est verum de potentia obiectiua, & actu entitatiuo, quomodo nequit idem simul esse in actu, et in potentia; non verò de potentia subiectiua, & actu sumpto pro principio actiuo virtuali, vt loquimur hic. Ad 3. ex eodem Scoto, propositionem illam valere de materia prima, non de materia secùda respectu accidentium. Ad 4. triplex est relatio, vna, quæ dicit dependentiam essentialem, vt causati ad causam, & similes repugnant reperiri in eadem natura, & supposito; altera, quæ tantum dicit originationem, vt sunt relationes diuinæ, & istæ repugnant esse in eodem supposito, non in eadem natura; aliæ verò dicunt solùm dependentiam accidentalem, vt relatio mouentis, & moti, & hæ non repugnant in eodem supposito, quia idem potest in seipso aliquam perfectionem accidentalem causare, cum dicitur: realis est inter realiter distincta; respon. Bargius in 2. d. 5. quæst. 1. §. *Ad hoc adducuntur, &c.* & Cauellus disput. 3. de Anim. sect. 13. concedendo, istam non esse relationem realem; sed cum Licheto in 2. d. 25. forsan meliùs dicimus, glossando propositionem illam, quòd relatio est inter extrema realiter distincta, vel simpliciter, vel inter idem ve non habens aliquam formam realem, & vt habens illam, nam vt sit reduplicatiuè idem realiter à seipso distinguitur; sic mouens, vt non habens formaliter formam, distinguitur à seipso vt moto, idest vt habente formaliter illam formam. Ad 5. ly inquantum aliud, vbi agens realiter à passo distinguitur, reduplicat non tantum rationem formalem, sed etiam rem, vbi verò non distinguitur, reduplicat rationem formalem, quia mouens seipsum, moueri dicitur, non vt mouens, sed vt mobile. Ad 6. assumptum esse verum de illis, quæ ad inuicem agunt per actiuas qualitates, vt per caliditatem, & frigiditatem, & de agente vniuoco: vel dicimus etiam dari aliquam dissimilitudinem inter agens, & seipsum vt passum, nam vt agens, est in actu virtuali, scilicet potens producere illam formam, vt passum, est in potentia formali, et quando iam produxit in se ipso formam, adest similitudo non formalis, sed virtualis, quatenus passum habet in se formam, quàm vt agens virtualiter continebat, et si non formaliter; et esse in actu virtuali, et in potentia formali non sunt dispositiones omninò inter se pugnantes, et incompossibiles, quamuis aliquo modo opponantur; sed benè repugnat, esse simul in actu formali, et in potentia formali ad calorem, aliter simul haberet, et non haberet calorem, et ideò repugnat agens vniuocum in se ipsum agere, non æquiuocum.

57 Sed contra, quia sæpiùs Aristot. absolutè dixit, neminem seipsum posse mouere; et D. August. 2. de lib. arb. c. 30. probat, nullam rem posse seipsam formare, quia nulla res potest dare sibi, quod non habet, si enim habet, non opus est accipere, si non habet, non potest à se accipere. Tum quia actus virtualiter continens alium, perfectior est illo formali, qui est in virtute eius, ergo perficit magis subiectum, et ita tollit potentiam ad actum formalem, sicùt alius actus formalis tollit, quin subiectum simul esse in potentia formali dicatur. Tum tertiò quia multa sunt agentia æquiuoca, quæ in seipsis non agunt, vt patet de Sole, vino, silice, etc. ergo iste actus virtualis, et potentia formalis, vel in omnibus agentibus æquiuocis reperiuntur, vel in nullis, quia ex suis rationibus formalibus non magis in vno repugnant, vel sunt compossibiles, quàm in alio.

Respon. Aristot. vel loqui de agente vniuoco, vel si vniuersaliter, intelligitur de actione corruptiua, non perfectius, ita locutus est 1. de Gen. 48. de Gen. 48. D. Aug. non accepit formam pro aliqua perfectione accidentali, quomodo hìc loquimur, aliter nec animalia possent à seipsis moueri, sed pro natura, et absentia, vnde idem sonat formare, ac producere, et efficere. Ad 2. resp. Doctor in Met. citat. concedendo, actum virtualem esse formali perfectiorem, sed quia est limitatus, non satiat materiæ potentiam, quia non tribuit omnem gradum perfectionis; quem tribuit actus minus perfectus, hinc substantia quamuis sit accidente perfectior, non per hoc respuit potentiam ad illud, nec accidentalis perfectio superfluit: vide quæ diximus disput. 2. quæst. 6. art. 2. quomodo materia, dum est sub nobiliori forma, adhuc minus nobilem appetat. Ad 3. respondet idem in 1. et 2. citat. et quodlib. 16. litt. Aa, in argumento admitti fallaciam, quia redditur non causa pro causa, non enim hoc, quod est esse in actu virtuali ad aliquam formam, est ratio, cur idem sit; vel non sit in potentia formali ad eandem formam, sed hoc pendet ex propria natura; nec est vniuersaliter verum, quod est in actu virtuali respectu alicuius formæ, non esse in potentia formali ad eandem, nam sequeretur, cum oppositum sit causa oppositi, quod non est in actu virtuali, esse in potentia formali, et sic Saturnus, quia non est virtualiter calidus, erit in potentia formali ad calorem, quod est falsum. Cum instatur de vino, quod etiam est in potentia formali ad calorem, et tamen non causat in se calorem virtualiter inclusum, dicimus, quòd assumptum Scoti valet, quando subiectum est in potentia ad aliquam formam sibi connaturalem, vt colligitur ex Doctore in 1. d. 3. quæst. 7. V. et 2. d. 25. P. vb., et si de potentia actiua loquatur, valet tamen doctrina de potentia passiua, calor autem non est qualitas vino connaturalis. Tum quia vinum non est agens virtuale caloris respectu cuiuscunque passi, nam in inanimatis non causat calorem, sed solùm in animalibus, et ideò non est potens causare æquiuocè in seipso calorem. Neque per hoc ruit probatio nostræ conclus. quia concludit de agente sufficienter constituto in actu primo ad causandum, et tale quandocunque respicit aliquod calefactibile, statim exit in actum; non verò de illo, quod se habet vt causa partialis, seu prærequirit in subiecto aliquas conditiones, vt agat; sic se habet vinum, cum enim non vniuersaliter agat in quodlibet subiectum, à posteriori arguimus requirere aliàm concausam ad agendum, vel aliquam conditionem in subiecto: sic videmus, aliquos cibos vni animali esse venena, alij verò optima nutrimenta; non nisi quia quodlibet non est aptum agere in quodlibet. Aliæ rationes adducentur infra disput. vltima, q. 8. art. 2. et in lib. de Cœlo disp. 3. q. 2. et lib. de Gener. disput. 2. quæst. 1. et 2.

A R-

ARTICVLVS III.

Ostenditur, agens creatum, & sublunarè posse agere immediatè indistans.

58 ADuertendum ex Scoto in 4. dist. 44. quæst. 2. ad 3. principale, & in 2. distinct. 9. quæst. 2. C. quòd contactus est duplex mathematicus, seu formalis, & est, quo duo corpora ita se tangunt, vt ipsorum extrema sint simul, & contigua, alter physicus, seu virtualis, quo aliquid in passo potest esse terminus virtutis causatiuæ agentis, idest cum agens per suam virtutem causat aliquid in passo distanti; quod dupliciter potest intelligi, vel quòd ista virtus diffundatur per totum medium, vt volunt Aduersarij, vel quòd in ipso agente permaneat; ad hoc autem, vt agens agat, clarum est, non requiri necessariò contactum mathematicum, sed sufficere virtualem, videmus enim quod ignis calefacit lignum, aerem, &c. quæ tamen non tangit, & si tangit, solùm est secundum superficiem, non secundum profunditatem, in quam etiam agit; & in hac materia nequit assignari aliqua ratio à priori, cùm totum pendeat ex cognitione naturæ agentis, quæ non nisi à posteriori cognoscitur, inter demonstrationes autem à posteriori primum locum obtinet experientia.

Insuper notandum, quod agens multipliciter potest intelligi agere in distans; primò quod agat in distans per medium, itaut passum distans immediatè, & proximè dicat relationem ad medium, ad agens verò remotè, & mediatè, quatenus est causans effectum aliquem in medium, qui sit ratio causandi ipsi medio. Secundò quod agat etiam immediatè in distans, sed cum medio tanquam concausa; tertiò quod etiam agat immediatè tanquam causa totalis in distans, sed per medium, tanquam necessariò per requisitum necessitate ordinis, itaut in vtrumque immediatè agat, sed priùs in passum propinquum, quàm in remotum: quartò quod immediatè agat in distans, non agendo in medium eodem genere actionis, sed diuerso; quod ita agat, vt in medium nihil causet, siue istud medium sit plenum, siue vacuum. Et quidem quod detur agens, quod in distans agant primo modo, clarum est, nam dicimus, Solem illuminare totam aulam, cùm tamen propriè quod producit lumen secundarium, non sit Sol, sed lumen primarium, vt docet Scot. 2. d. 13. qu. vn. ignem nos calefacere ex eo, quod tantùm aerem, vel aquam calefecit, vt insinuat Arist. 1. de Gen. 78. dubium est de alijs modis.

59 Dicimus, non solùm dari agens creatum, & sublunare, quod immediatè agat in distans, ad quam actionem concurrat etiam medium tanquam concausa minus principalis, in quod priùs agens egit; neque tantum dari agens, quod vt causa totalis agat in distans immediatè, sed priùs necessitate ordinis secundum communem naturæ cursum agat in propinquum; sed etiam dari agens, siue increatum, siue creatum, siue cœleste, siue sublunare, aut spirituale, quod quatenus agens est, potest immediatè agere in distans, non agendo in medium actione eiusdem rationis, vel diuersæ, a qua necessariò, & semper dependeat actio in distans; consequenter indistantiam agentis à passo non esse conditionem necessariò ad agendum requisitam causæ efficienti vt sic. Concl. est Scoti in 1. d. 37. & in 2. d. 9. quæst. 2. B. & seq. & in 4. citat. quem sequuntur omnes Scotistæ, vt Bassol. Lych. Bargius, Faber eadem dist. primi, Vulpes p. 1. disputat. 18. art. 5. & præter istos etiam Nominales ibidem, Moris. disput. 3. Phys. quæst. 21. & ex parte Auersa citat. Diximus, quatenus agens est, quia etsi Deus necessariò sit vbique, hoc tamen non prouenit, vt agens est, sed quia immensus. Prima pars, quòd, scilicèt detur agens potens agere in distans vt causa partialis cum medio, in quod priùs egit (quando vtrunque est capax illius actionis) probatur; Tum quia sequeretur, agens non posse immediatè agere nisi in superficiem propinquam passi, & per consequens ad actionem requiri contactum mathematicum, quod est falsum; immo neque mediatè posse agere in distans, quia qualitas in superficie passi producta est quoddam indiuisibile, quod nequit producere diuisibile aliquod qualitatis, cùm effectus nunquam excedat suam causam. Tum quia si quis ante os fornacis se poneret, intensiorem calorem sentiret, quàm si os fornacis esset occlusum, ergo totus ille calor non prouenìebat immediatè ab aere, sed ab igne, quia fornacis occlusio non impedit aeris actionem nec est causa, vt aliquid caloris sic subitò tollatur ab aere, aliter deberet statim refrigerari; & si hoc esset verum, iam conceditur, calorem illum in aere immediatè ab igne produci. Tum quia contingit aliquando, agens in remotum intensiùs agere, quàm in propinquum, ergo immediatè agit in remotum, nam remissius nequit intensius gignere, Antecedens probatur de papyro, cui sit oleum superfusum, & igni applicata, integra permanet, oleo feruescente, & defundo lebetis, qui repidus est, quamuis ebulliat aqua, vt refert Aristot. sect. 24. Problem. q. 5. & 8. ignis quoque inflammat stuppam, eamque calefacit ad gradum caloris formæ ignis requisitum, non sic agit in aerem.

60 Sed respondent, hoc euenire propter materiæ diuersitatem, nam partes subtiliores olei, & aquæ rarefactæ ab igne sursum euolant, & deprimunt in fundo grossiores, quæ, cum frigidiores sint, refrigerant fundum lebetis; stuppa verò est siccior aere. Attamen quia ex hac respon. iam admittitur actio in distans immediata, absque eo, quod agens in medium agat actione eiusdem intensionis, & si ex diuersitate materiæ proueniat, & consequenter si materia propinquior nullo modo esset illius actionis capax, poterit agens in remotam agere immediatè, idcircò addunt Conimb. Suar. & Auersa, oleum, & aquam calidiora esse papyro, & fundo lebetis, quia tenuissimæ quædam exhalationes ignitæ ab igne prouenientes, & per poros papyri, & vasis transeuntes intra partes superiores aquæ, vel olei com norantur; à quibus intensior ille calor producitur. Quando verò stuppa comburitur ab igne, etiam aer intermedius inflammatur, non videtur tamen ob nimiam raritatem; & ideò non est intensior actio in distans ab agente, quàm in medium, vel hoc esse, subdunt, non quia calidior sit stuppa, quàm aer, sed quod idem calor in vtroque reperiatur; at in stuppa, cùm sit associatus cum siccitate, sufficit ad inflammationem, non ita in aere propter humiditatem annexam, in symbolis enim facilior est transitus.

Verùm nec istæ responsiones satisfaciunt; nam quod aiunt de illis exhalationibus igneis, non videtur verum, quia si totus ignis cum illa aqua misceretur, statim extingueretur, ergo multò magis partes istæ tenuissimæ ignis desinunt esse, statim ac aquam attingunt, cum sint minoris resistentiæ; tum quia partes istæ continuò ab igne emanarent, & cum primæ vincunt resistentiam aquæ circa fundum lebetis existentis, & inde ad superiores partes transuolant, debent aliæ succedere in partibus inferioribus aquæ receptæ, ergo nunquam partes aquæ inferiores frigescent. Neque dicas accurrere partes grossiores aquæ impedientes transitum nouis exhalationibus; quia sicut primæ exhalationes sufficientes sunt ad vincendum aquam superiorem, expellendo ab illa grossiores partes, multò magis secundæ, vtpote igni proximiores poterunt istam resistentiam superare; & si partes aquæ grossiores, cum in fundo lebetis existunt, potentiam habent detinendi alias exhalationes, cur idem non faciunt cum primis, sed permittunt ab illis expelli? Quapropter dicendum est, non dari exhalationes istas in aqua, sed totum prouenire ex materiæ diuersitate, quæ fuit ratio ab Aristot. citat. assignata, & verè agens intensiùs agere in distans, quam in medium. Tandem quod dicunt in prima respon. ad exemplum stuppæ, falsum est, quia si paruus ignis potest stuppam accendere, & aerem intermedium multò magis ignis maximus id efficere poterit, & in maiori distantia, & consequenter animal propè fornacem non posset respirare, sed moreretur, quia totus aer circumstans esset ignis accensus, licèt propter raritatem non appareat; quod addunt in secunda responf. licèt sit verum, admittunt tamen actionem immediatam inflammationis in distans, vt dicemus.

61 Quòd autem aer sit partialis causæ, si v. gr. ori fornacis passum frigidum apponatur, itaut calefiat non tantum ab igne immediatè, verùm etiam ab aere circumstante, probatur contra Auersam, quia passum illud non solùm est igni dissimile, sed etiam aeri calido circumstanti, ergo non solùm ignis, sed aer quoque in principio aget in illud; vsquequò ad similem intensionem caloris in aere existentis perueniat; nam quòd ignis vehementiùs agat, non per hoc impedit aeris actionem, aliter quodlibet agens magis principale, & fortius impediret actionem agentis minus principalis, & imbecillis. Tum quia non statim ignis reducit illud passum ad gradum caloris aeris, sed paulatim, ergo poterit etiam tunc aer agere in illud, cum non adsit impedimentum.

Secunda pars, quod detur agens immediatè producens in distanti aliquam formam, vt causa totalis, sed priùs necessariò necessitate ordinis debeat agere in propinquum, habetur à Scoto in 2. d. 13. quæst. vn. ad 3. agens enim est, quod immediatè per totam sphæram actiuitatis producit formam, & non vna pars formæ aliam producit, aliter, inquit Doctor, solùm in superficie ambiente agens ageret, attamen videmus, quod si corpus aliquod obuiam aduenìret, non vltra agens protenderet actionem, signum euidens, esse aliquam dependentiam inter actionem in remotum, & actionem in propinquum; talia sunt corpora luminosa, qualitates actiuæ, obiecta quoad remissionem specierum visibilium, & similia: rationem huius assignat Doctor in 2. d. 9. q. 2. B. quia quando medium est eiusdem rationis omninò cum extremo, est capax eiusdem actionis, & prius natura, quam extremum, sicut vniuersaliter passum propinquius prius natura patitur, quàm remotius, ergo actio agentis in extremum, vt posterior natura, dependet ab actione in medium, vt priori natura, ergo hæc impedita, auferetur etiam illa, patet consequentia ex ratione prioritatis naturæ, nam illud dicitur prius natura altero, à quo non conuertitur subsistendi consequentia.

62 Tertia pars, quod agens vt agens possit agere in distans, non agendo in medium actione eiusdem rationis, probatur à Scoto, primò rationibus theologicis de Deo, & Angelis. Tum quia si per impossibile Deus vbique non esset, cum agat per suum velle, itaut statim ac vult efficaciter aliquod obiectum, subitò accipit obiectum illud esse existentiæ, sequitur euidenter, posse producere aliquid à seipso distans, quia obiectum voluntatis non debet esse necessariò præsens, sed potest voluntas siue distans, siue indistans velle. Tum quia Angelus superior potest intuitiuè alterum Angelum cognoscere, ad quam cognitionem inferior Angelus immediatè, non per speciem debet concurrere; hoc enim est de ratione intuitiuæ cognitionis, vt ab abstractiua distinguitur; neque est necesse, vt sit intimè præsens intelle-

ctui

ctui superioris, aliter si in eodem non essent loco, nunquam Angeli intuitiuè se cognoscerent; tum quia saltim anima separata intuitiuè cognoscit materialia, quæ non sunt intimè præsentia ipsi animæ, ergo obiecta ista causabunt aliquid in distans, absque eo quod medium aliquid recipiat.

Sed istis rationibus dimissis, probatur etiam à Doctore philosophicè aliquibus experientijs; nam substantia siue cœlestis, siue sublunaris per propriam formam substantialem generat aliam substantiam in subiecto distanti, vt cum Sol generat mineram, ignis stuppam comburit, non media aliqua virtute diffusa, quia, vt dicemus quæst. seq. accidens nequit productionem substantiæ attingere. Neque actio illa præuia, qua passum alteratur, facit, vt agens propriè in distans agere non dicatur, quia vt notat Doctor citat. hoc est de per accidens, quatenus agens, cùm sit imperfectum, natum est prius agere secundum potentiam imperfectiorem, quæ est alteratiua, postea secundum perfectiorem, quæ est generatiua, & si à Deo applicaretur subiectum vltimò depositum illi agenti, statim ageret generando, non alterando. Tum quia etiam probatur in effectibus accidentalibus; nam corpora cœlestia in hæc inferiora multos effectus accidentales producunt, vt sunt præcipuè fluxus, & refluxus maris in nouilunio à luna causati, alteratio præuia materiæ mineralium in visceribus terræ, attractio acus attritu magnetis confricatæ à Cœli partibus polo vicinis, & similes, qui effectus non causantur à cœlestibus corporibus per motum, quia hic semper adest, & consequenter semper causaretur commotio illa maris in nouilunio præcipuè adueniens, subterranea loca non mouentur ergo per motum nequeunt alterari; Tum quia motus non est ratio agendi, sed solum adducit agens, & passo coniungit in debita approximatione, vt agat, ex 2. de Gen. 15. & aduertit Doctor 2.d.14.quæst.4.in fine, & 4.d.1.quæst.5. C. & d.48.quest.2. I. cuius ratio est, quia cum motus sit forma respectiua, non potest esse de numero actiuorum. Neque possunt à lumine causari, quia in nouilunio Luna non lucet, attractio acus fit etiam in tenebris, nec lumen terræ viscera penetrat, vt possit materiam metallorum alterare.

63 Dices; Calorem productum in visceribus terræ esse effectum caloris producti à lumine in superficie terræ, & consequenter potest idem instrumentum æstimari cum lumine, quod cùm per Cœlos transeat, iam astra agent in hæc inferiora per virtutem diffusam, & continuatam per medium. Sed contra, quia vt dicimus in lib. de Cœlo, lumen non est caloris productiuum, aliter maius lumen maiorem calorem causaret, & sic magis caleficeret aer à lumine Lunæ, quàm à lumine canicularis stellæ quod est falsum. Tum quia multa astra frigus causant in hæc inferiora, quod per lumen nequeunt efficere. Tum quia, & si lumen productiuum esset caloris, non potest tamen iste calor terram penetrare, nam Sole maximè æstuante, subterranea loca etiam propè terræ superficiem sunt frigidissima, itaut multoties fiat congelatio, ergo multò minus poterit calor ille in superficie terræ existens tam vastam mole penetrare. Tum quia maiorem calorem producit intus terram fornax ardens, quàm Sol, sicut maior est calor in superficie terræ à fornace, quàm à Sole productus; ille autem non tam profundè peruadit, vt patet experientia, ergo nec iste.

Si dicatur, produci medijs influentijs à motu, & lumine distinctis, quæ sint qualitates quædam virtuales ab astris prouenientes, quibus propter materiæ diuersitatem diuersa quoque producuntur iuxta capacitatem subiecti. Contra est quia quamuis verum sit, Cœlos medijs influentijs agere in hæc inferiora, non debemus tamen dicere, has influentias esse quasdam qualitates per totum vniuersum diffusas etiã in ipsis Cœlis, qui sunt incapaces effectuum ab istis qualitatibus prouenientium, vt sunt primæ qualitates, nam ista virtus sicut diffunditur in partibus Cœli inferioribus, deberet etiam in superioribus diffundi, quia agens naturale per totam suam sphæram agit circulariter, vt notat Doctor in 2.d.13.quæst.vn. & tamen esset frustra, cùm nec per æternitatem posset in Cœlis aliquid producere. Tum quia, vt ait Auersa, ista virtus non potest esse vna simplex qualitas, quia non posset tot, & tam varios effectus producere; nec plurificari ad plurificationem effectuum, quia totum vniuersum esset plenum tot varijs qualitatibus, & immensis, solummodo vt minimum effectum producant, quod sine aliqua vrgenti ratione dici non debet, quæ in proposito non adest, vt videbimus. Idem quoque dicendum de varijs effectibus à causis sublunaribus productis, inter quos non inferiorem locum obtinet attractio ferri à magnete, etiam si medium aliquod solidum sit interpositum, itaut si magnes subtus lapidem exiliat, ferrum verò super lapidem, experientia compertum est, ferrum supra lapidem moueri ad motum magnetis in interiori parte existentis. Et quod ait Auersa, magnetem propriam virtutem per medium emittere, idem poterat etiam asserere in cœlestibus; si enim ideò in istis negat virtutem diffusam, quia capacia non sunt effectuum ab illa virtute producibilium, ergo quia nec lapis, nec aer trahuntur à magnete, neque capaces erant illius virtutis.

Conf. tandem, quia multi ex Aduersarijs, vt Suar. Arriag. & alij concedunt causas creatas posse agere in distans nihil operando in medio, dummodo sint contiguæ cum causis operantibus in distanti, vt partes interiores ignis non prius agere in externas, sed in aerem immediatè, quod verissimum est, vt infra dicemus, quia simile non agit in simile; tenet etiam agens creatum posse in distans immediatè aliquem effectum producere, cuius similem non produxerit in medio, vt Solem mineralia in visceribus terræ, qui apud nos solam v. g. lucem produxit, quæ ad illum effectum non conducit, ergo possunt quoque absolutè concedere actionem immediatam in distans. Prob. conseq. quia præuia operatio in medio ad effectum omnino impertinentem ad producendum in extremo, vel coniunctio cum alijs partibus agentis nihil prorsus conducit ad operandum in distans.

Resp. Arriag. Hæc valde conducere, effectus enim in medio productus esto sit diuersæ rationis à producendo in extremo; adhuc tamen conducit ad hoc, vt ratione illius causa aliquo modo approximetur passo, neque enim ad aliud conducit quando effectus similis producitur in medio coniunctio etiam cum alijs partibus agentibus facit, vt causa distans à passo continuetur cum ipso medijs alijs partibus ipsius causæ, quæ continuatio agentis cum passo per corpora intermedia est necessaria ad agendum, vt docet experientia ipsa, licet non possit reddi ratio à priori. Contra hoc est, quia non videtur, quomodo fiat approximatio causæ ad passum distans per productionem effectus in medio omnino diuersæ rationis, & ad actionem in illud prorsus impertinentis, similis effectus in medio productus benè concipitur approximare causam passo distanti, quatenus nimirum propria actione partiali potest coadiuuare virtutem causæ, vel disponere passum, vt facilius recipiat actionem illius causæ, sed effectus dissimilis, & prorsus impertinens quo pacto approximare possit causam passo distanti non videmus, quare præstat dicere passum sufficienter censeri agenti approximatum, si sit intra sphæram suæ actiuitatis conclusum, Contra illud de continuatione inter agens & passum per corpora intermedia est, quod licet talis continuatio sit modo necessaria ad euitandum vacuum, parum tamen in casu posito, vel nihil iuuat actionem agentis in passum distans, quia iam fatentur Aduersarij partes agentis remotas à passo nihil agere in propinquiores, sed immediatè agere in passum distans nulla operatione secuta in medio, ergo tantum concedunt, quantum nos contendimus, quod v.grat. magnes possit ferrum attrahere, & in ferrum agere non agendo in medium interpositum, quia adest continuatio inter agens, & passum per aerem interiectum, & parum refert, quod hæc continuatio fiat per partes eiusdem magnetis, vel alterius corporis, quia continuatio inter agens, & passum datur ad euitandum vacuum, non ad deferendam actionem quando medium non est eiusdem rationis cum extremo quoad capacitatem qualitatis ab agente producibilis, sicut nos dicimus esse aerem respectu virtutis attractiuæ magnetis.

64 Ex quibus omnibus apparet, quomodo non est necesse, ad hoc vt agens agat in distans, agere in medium actione, à qua dependeat actio in distans, nam Sol in Cœlos agit per lucem, quæ nihil facit ad generationem mineræ, magnes trahit ferrum, solùm agendo in aerem per specierum visibilium immissionem, quamuis detur etiam agens, quod tali modo agat, vt ignis calefacit aerem, quæ actio dicit quandam habitudinem ad generationem ignis ex stuppa. Apparet etiam; quomodo saltim per Dei potentiam potest agens agere in distans nullo modo in medium agendo, si scilicet Deus suspenderet concursum ad potentiam illam, qua agit in medium; quia vt optime aduertit Doctor cit. ista connexio actionum in medium, & in distans est de per accidens propter coincidentiam plurium potentiarum disparatarum in eodem.

Colligitur tandem contra Ruuium citat. & Mol. 1.p.quæst.8.artic.1. disp.2.agens, quod ex se nequit agere in distans, nisi per medium, vt est Sol illuminans vniuersum, eleuatum tamen per potentiam obedientialem à Deo posse agere in distans, nihil in medium agendo, vt Sol posset sic eleuatus illuminare extremum, non illuminando medium. Tum quia potentia obedientialis ex dicendis infra datur in rebus respectu effectus naturæ vires excedentis, dummodo tamen ex se; & aliquo modo saltim remotè sit proportionata, talis autem est ista actio immediatè in distans. Tum quia maior improporrio est inter intellectum, & visionem beatificam, quàm inter agens, & istam actionem, sed potest intellectus eleuari ad istam visionem, ergo &c. Maior probatur, quia improportio, quæ est inter intellectum, & visionem, est quo ad substantiam actus; non tantùm quo ad modum agendi, & aliqualiter pertinet ad actum primum præsertim secundum ipsos; at improportio inter agens, & istam actionem in distans non est quoad substantiam actionis, sed solùm quo ad modum agendi, cum in actu primo sit sufficiens agens ad illam efficiendam, licet non tali modo. Tum quia maior connexio, vel saltim æqualis est inter motum in extremum per medium, quàm inter actionem in distans per medium, sed potest Deus facere, vt aliquid moueatur de extremo ad extremum, non transeundo medium, vt patet de Corpore Christi, cum è Cœlo, in hostiam descendit, ergo &c. Tandem quia nulla ratio apparet cogens non denegare diuinæ omnipotentiæ talem actionem, vt patet ex solutione rationum.

Sed contra prædicta 1. arguitur ex Auersa, probando, quòd nunquam medium cum principali agente vt concausa, possit concurrere; Tum quia si medium adhuc ageret, non posset explicari, quænam pars medij in aliam agat, nam qualibet assignata, datur alia prior propter diuisibilitatem in infinitum. Tum quia cum agens efficacius sit ad agendum, non relinquit medio, vnde agat, sed potius præuenit ipsum, præ-

præcipuè quia vbi qualitas non est actiua, benè agens potest in totum medium immediatè agere.

Resp. 1. argumentum probare 2. partem nostræ conclus. quando, scilicet, medium est eiusdem omninò rationis cum extremo, tunc enim agens est causa totalis, nec vna pars medij aget in aliam partem distantem, quia talis pars non posset assignari, & actio deberet interrumpi, solùm enim in ambiente superficie agens ageret, vt cum Scoto notauimus in probatione illius 2. partis; attamen tunc medium vt concausa concurret, quando de nouo ponitur in ipso aliud passum dissimile in qualitate, tunc enim rectè assignatur totum medium agere cum agente principali, quousque illud passum assimileturmedio. Ad 2. negatur, agens præuenire medium in agendo, quia non statim reducit passum illud ad tantam intensionem qualitatis, quanta reperitur in medio; nec valet paritas de qualitate non actiua, quia tunc medium non habet vim assimilandi.

Secundò arguitur, ostendendo, non necessariò agens creatum priùs agere in medium, quàm in distans, quando medium est eiusdem rationis cum extremo. Tum quia quando agens reperit medium simili qualitate informatum, non agit in illud, sed immediatè in distans; sic partes v. grat. interiores ignis non agunt priùs in partes exteriores, sed immediatè in aerem, ergo non requiritur necessariò iste ordo. Tum quia sicut se habet totale agens ad totalem actionem, ita partiale agens ad partialem actionem, sed partiale agens potest partialiter agere in distans, vt modò ostensum est, ergo etiam totale, ergo non necessariò quando medium est eiusdem rationis cum extremo, agens priùs agit in propinquum, quàm in remotum.

Resp. ad 1. concedendo totum in simili casu, neque hoc est contra nostrum assertum, quia loquimur de agente in passum proportionatum, quod scilicet habet omnes conditiones ad patiendum, quarum vna est dissimilitudo, simile enim non agit in simile, vt dicimus in libr. de Gen. at medium, de quo loquitur argumentum, est simile, & ideò improportionatum ad patiendum. Per hoc ad 2. negatur paritas in proposito, ratio est, quia agens totale comparatur ad medium in proportionatum, & dissimile, sed agens partiale comparatur ad medium proportionatum, & simile.

66 Tertiò arguitur contra actionem immediatè in distans; Tum quia ex Psal. 138. habetur, *si ascendero in Cœlum, tu illic es, si descendero in infernum ades, si sumpsero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*; & Act. 19. D. Paulus loquens Athenienſibus ait de Deo. *Quamuis non longè sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus*; quibus verbis assignatur pro necessaria ratione diuinæ præsentiæ in omnibus locis ipsius actio conseruatiua, & actualis concursus; quo sensu etiam multi Sancti Patres loquuntur, vnde Anselm. in Monol. cap. 21. ait. *Sed quia aliquid sine Deo neque vsquam, neque vnquam est, necesse est, illum esse vbique, & semper*. Tum quia ex Aristot. 7. Phys. & sequent. inter mouens, & motum nihil mediat, quam propositionem ibi Philos. inductione probat, idem repetit primo de Gen. 43. & 78. & 1. Meteor. capit. 2. ait, *Est autem ex necessitate continuus quodammodo mundus iste superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde guberuatur*. & 2. de Anim. 74. docet, quòd si mediaret vacuum, nihil possemus cernere in Cœlo.

Respon. ad 1. etiam Aduersarios vrgere, vt notat Bassolius, nam Scriptura, & Patres intendunt ostendere præsentiam Dei intimam secundum essentiam, omnibus rebus ex operatione, ergo si hæc ratio esset à priori, idem probaret de agentibus creatis, scilicet, quòd deberent esse præsentia non solum secundum virtutem, aut per contactum mathematicum, sed simul cum passo compenetrata; quare diximus, quod illa consequentia non est formalis, & per locum intrinsecum, sed materialis, & per locum extrinsecum à concomitantibus; quia enim diuina attributa sunt ad inuicem connexa, vnum infert aliud, sic omnipotentia infert omniscientiam, & immensitatem essentiæ. Ad 2. respon. Doctor cit. Aristot. 1. Phys. non intelligi debere de immediatione contactus mathematici vniuersaliter, sed vel de contactu mathematico, vel physico, nam etiam vt sic agens est præsens passo distanti per potentiam suam, non quòd potentia agentis sit ibi, sed quòd per suam potentiam possit ibi causare effectum, ac si ibi esset; & quia in causis inferioribus raro euenit, quod agens in distans, non agat in medium saltim actione subordinata illi actioni, qua in distans agit; hinc Arist. vniuersaliter videtur locutus; loca tamen ex 1. de Gener. non vrgent, quia ibi est fermo de alteratione ad mixtionem requisita, ad quam necessarius est contactus mathematicus; idem quoque dicendum ad alia loca, nam solùm vrgent, corpora cœlestia requirere medium, vt agant in hæc inferiora non quidem quo ad omnes actiones, sed quo ad aliquas, maximè quo ad lumen, per quod secundum Arist. causant plures effectus, quod tamen est falsum, vt diximus, & fusiùs in libris de Cœlo ostendimus; similis actio est visio, indiget enim medio pleno, per quod obiectum debet species visibiles emittere, à qua actione dependet actio visionis, quam causat in oculo; ita Scot. in 2.d.9. cit.

67 Quartò ad idem ex Capreol. Fons. Suar. & alijs, agens se habet vt actus, passum vt potentia, actus autem, & potentia, vt fit actio, requirit coniunctionem, ergo &c. Tum 2. quia omnes aliæ causæ, vt causent, debent esse præsentes localiter, sic materia, & forma; & finis quoque est præsens saltim intentionaliter, sicut intentionaliter causat, ergo etiam efficiens. Tum 3. ex Mol. & Aress. nequit aliquid mouere corpus de extremo ad extremum, nisi per medium, ergo nequit agens agere in distans, nisi per medium. Tum 4. quia non videtur alia ratio, cur natura respuit vacuum, quàm vt agens superius possit agere in inferius, aliter non esset tanta necessitas. Tum 5. quia videmus, quòd si inter agens, & passum interponatur corpus densum, statim cessat agentis actio, vt patet, cùm os clibani clauditur.

Respon. ad 1. minorem esse veram de actu formali, non effectiuo, nisi de coniunctione virtuali, ratio est, quia ille causat per sui communicationem, hic vero extrinsecè. Per idem ad 2. quia materia, & forma sunt causæ intrinsecæ, finis vero, licèt sit extrinseca causa; attamen vt moueat appetitum, debet esse applicatus per cognitionem, at efficiens est causa extrinseca, nec aliud, vt causet, requirit, nisi applicationem virtutis, quæ solùm arguit contactum virtualem. Ad 3. negatur paritas, primò quia corpus respectu omnium locorum eodem modo se habet, & respicit illa, vt medium eiusdem rationis, hinc nequit transire ad extremum, nisi per medium, at agens cum agit immediatè in distans non respicit medium vt eiusdem rationis cum extremo; Secundò quia idem corpus, vt notat Auersa, quòd est modò in vno extremo, erat in alio extremo, at actio, quæ fit in distans, non erat antea in alio loco, sed immediatè ibi primò fit. Ad 4. dicimus, præcipuam rationem, cur natura respuit vacuum, esse, quia ad vnitatem semper aspirat, quam per connexionem assequitur; non negamus tamen, quin etiam propter actiones superioris agentis maximè sublunaris, quod per sensibiles, & contrarias qualitates vt plurimum agit, quibus, per medium debet agere; non enim Scotus ait, quodlibet agens posse agere in distans, sed aliquod, nec istud secundum omnes potentias, sed secundum aliquas. Ad 5. verum est assumptum de agente in medium in eiusdem rationis cum extremo, vt patet in exemplo adducto, vel de agente immediatè in distans, sed in medium actione subordinata illi, vt est ignis respectu combustionis stuppæ, qui in aere medio agit, alterando ipsum, quæ actio aliquo modo subordinatur generationi ignis è stuppa, si enim non calefaceret aerem, nec etiam stuppam calefaceret; non tamen est verum de alijs, vnde Sol agit intus terram, quamuis nequeat agere illuminando, Luna quando non lucet, etiam agit in humidis.

68 Quintò ad idem ex Ruuio; nullum agens potest operari nisi in tempore existat, vt diximus in 1. articul. & nequit operari in tali tempore, nisi in tali existat tempore, etiamsi aliàs extitisset, ergo nequit agens operari, nisi in loco, & in vno tali loco agat, debet in tali loco existere. Tum 2. ex Conimbr. & Vasq. quia si hoc esset, ergo posset in quamcunque distantiam operari, quia non requiritur maior virtus ad operandum in maiori, vel in minori distantia immediatè agendo in distans, quod argueret in creatura infinitam potentiam. Tum 3. quia nunquam posset agens suam actionem diffundere vniformiter difformiter per medium, idest quo longius distat passum, eo remissius agere in illud, hæc enim remissio à distantia prouenit. Tum 4. quia quod agit per virtutem in se retentam, & non per medium diffusam, necessariò agit immediatè immediatione suppositi, sed per Scot. Sol non diffundit suam virtutem per medium, ergo deberet esse agens immediatum immediatione suppositi, quod est falsum, vt patet. Maior probatur, quia virtus agentis debet attingere effectum, nequit autem ipsum attingere, nisi sit vbi est effectus, ergo si non diffunditur per medium, deberet esse immediatum istud agens immediatione suppositi.

Resp. ad 1. ex Bassol. negando paritatem, nam quòd in hoc tempore agat, necessariò requirit existentiam in hoc tempore, & si illam non haberet, nullo modo existeret, sicut necesse est etiam, quòd agens alicubi sit, quia si nullibi esset, non existeret, at non sequitur, quòd si non est in hoc loco, ergo nullo modo est, hinc poterit in vno loco agere, & si ibi non sit præsens. Vel dic, quod concludit de præsentia virtuali, non mathematica. Ad 2. respondet Auersa ex Scoto sæpè cit. & in Reportatis, negando sequelam cum probatione, maior enim virtus requiritur ad agendum in maiori distantia, quam in minori, siue agens per medium agat, siue non, & hoc ex intrinseca ratione virtutis agentis limitati, vt determinatam petat sphæram actiuitatis; vnde ista sphæra non solum prouenit ex resistentia passi, sed etiam ex limitatione agentis; neque quia agens non defatigatur in propinquum, idcircò potest agere in remotius, aliter luminosum, cui passum non resistit, posset agere in quamcunque distantiam. Per idem ad 3. licèt in medium non agat vniformiter difformiter, in distans tamen taliter agit, quia fortiùs in propinquiorem partem, quàm in remotiorem. Ad 4. maior est vera, vel de immediatione suppositi in essendo, vel in causando, vt diximus quæstio. 1. huius disputat. explicando quartam diuisionem causæ efficientis; Sol agit in distans immediatè immediatione suppositi in causando, non in essendo, quia in passo distanti aliquid potest esse terminus virtutis causatiuæ existentis in agente.

Et nota quod istæ rationes, si valerent, ostenderent non solum agens contiguari debere cum passo, sed etiam compenetrari, aut saltim si ageret per virtutem diffusam, non sufficere virtutem hanc reperiri in corpore contiguo ipsi passo, sed debere in ipso passo existere, & diffundi, nam contiguitas non excludit omnem indistantiam, quoniam agens

agens verè secundũ partes distaret à passo, licèt sit simul in superficie; & maximè prima ratio Auuij hoc concludit, nam sicut operari in tali tẽpore significat agens esse simul cum illo tempore, & habere existentiam simultaneam, & compenetratam, vt ita dicemus, cum existentia illius temporis, si paritas valeret, operari in tali loco diceret agens non solum esse contiguum, sed etiam compenetratum cum illo loco.

Tandem arguunt Ioan. de S. Thom. quæst. 22. Phys. art. 2. & Manca 3. Phys. quæstio. vnic. dub. 1. agens educens formam ex passo educit, vt vnitam, & inhærentem illi, ergo virtus agentis debet esse vnita passo, vt effectum illi coniunctum producat. Conf. agens nequit agere circa materiam sibi non subiectam, nec determinatam, talis est materia distans, & remota; ergo &c. Min. pro materia distans non habet vnde determinetur ad hoc agens potius, quam ad illud, cum respectu illius nullam prorsus habeat coniunctionem: neque vnionis, neque contactus, neque propinquitatis, per quam ad illud determinatur. Respon. distinguendum consequens, debet virtus agentis esse coniuncta passo contactu mathematico, negamus, virtuali, concedimus, non quod hæc virtus debeat diffundi necessariò per totam sphæram, sed sufficit quod permaneat in agenti, & satis materia intelligitur agenti coniuncta, ipsique subiecti, & determinata, si in sphæra actiuitatis agentis existat. Per quod patet ad confirmationem.

Solent etiam contra nos quædam experientiæ vrgeri, quia si inter nos, & solum corpus opacum interponatur, in nobis lux non producitur, species non transmittuntur ad potentiam visiuam ex simili impedimento, nec vllũ est agens creatum, cuius, actiuitas non retardetur interposito corpore incapaci illius effectus, quod non fieret, si posset agens in distans agere non operando in medio; imò idipsum probat Arriag. experientijs, quæ pro nobis adduci solent, nam neque basiliscus homini nocet, nec torpedo ligat piscatoris manum, si corpus interponatur omninò incapax nociuæ illius qualitatis, vt murus aliquis; & magnes ipsa facilius attrahit, quando non est interiectum corpus impediens in medio productionem illius qualitatis. Respon. ierum neque nos, neque Scotum asserere quodlibet agens posse agere in distans, sed aliquod, nec illud secundum omnes potentias, sed aliquas, & præsertim gratis concedimus agens creatum prius agere in medium, quam in distans, quando medium est eiusdem rationis cum extremo, & receptiuum eiusdem qualitatis ab eo producibilis, & verum est à nonnullis pro nostra sententia quasdam adduci experientias, quæ non conuincunt, quas proinde missas ferimus, ex his tamen non valet inferre consequentiam vniuersalem de omnibus agentibus creatis, quod nequeant in distans agere immediatè, quia saltim corpora cœlestia, quæ sunt maioris virtutis, quam sublunaria, in productione quorundam effectuum sic agunt, vt ostendimus, & hoc valdè notandum est, quia Aduersarij arguunt, contra nos, ac si in vniuersum teneremus omne agens posse agere in distans.

QVÆSTIO V.

De Causa Instrumentali.

69 INstrumentum, vt colligitur ex Doctore in 4. d. 1. quæst. 1. Dd. & quæst. 5. F. & dist. 6. quæst. 5. E. multipliciter sumitur, primò pro causa omni, quæ in actione dependenter agit, quo sensu omnis causa secunda erit instrumentalis solum, prima causa dicetur principalis, quia hæc tantum agit independenter; secundò sumitur pro parte aliqua totius, cui primò competit esse principium actionis, toti verò non nisi per illam partem, & hoc modo partes animalium, quibus operationes varias exercent vitaliter, ab Aristot. 2. de An. 16. organa sensuum, & animæ instrumenta vocantur, totum verò operans erit agens principale; & de instrumento his modis accepto non loquimur in præsenti, quia verè possunt dici principales causæ, cum habeant virtutem causandi in esse quieto. Tertiò sumitur propriè, quod scilicet inseruit principali agenti ad producendum terminum per se ab ipso intentum, & in hoc sensu loquimur; quod adhuc est triplex, supernaturale; naturale, & artificiale; supernaturale (quod secundùm Scotum citat. est morale) dicitur illud, quod inseruit agenti supernaturali ad aliquod opus efficiendum, cui ex propria natura minimè ordinatur, sed solum ex diuina dispositione; & de isto aliqua dicemus sequent. quæst. articul. vltim. res enim est theologica, sic Sacramenta causæ instrumentales gratiæ dicuntur; naturale est, quod naturali agenti famulatur in ordine ad aliquod opus naturale, cui ex propria natura proportionatur, vt calor dicitur instrumentum ignis ad producendum ignem artificiale, à quo nomen instrumenti deriuatum est, inseruit principali agenti ad aliquod opus artificiale condendum, non quidem per aliquam virtutem præcisè innatam, aliter ignis, aqua, & cœtera huiusmodi, possent dici artificis instrumenta, dum assumuntur ab ipso ad aliquod opus efficiendum, puta cum ignis inseruit liquefactioni metallorum, aqua marmorum sectioni; sed etiam per aliquid receptum ab extrinseco; sic malleus, & serra dicuntur propriè instrumenta, quia inseruiunt per propriam duritiem, grauitatem, figuram, & per actualem motionem agentis.

70 Hoc instrumentum artificiale ad tria præciputè potest inseruire, vt notat Amicus tract. 12. quæst. 12. & Suar. 3. p. to. 1. disputat. 31. sect. 8. vel ad expulsionem alicuius corporis, vt patet in diuisione ligni, hæc enim fit, vt ait Doctor 4. distinct. 1. quæst. 5. F. per expulsionem partium ligni ab illo vbi, ad quod serra, vel securis mouentur ab agente, & introducitur, secundò ad deferendum, vel coniungendum vnum corpus cum altero, sic calamus, pennicillus, & trulla ædificatoris, inseruiunt; tertiò ad causandam collisionem duorum corporum, vt sonus efficiatur varius, & regulatus, vt organa, & similia.

Insuper notandum, instrumenta alia dici coniuncta, & alia separata, & vtraque dupliciter; scilicet separata secundum esse, & separata secundum causalitatem, coniuncta secundum esse & coniuncta secundum causalitatem; tunc instrumentum dicitur coniunctum secundum esse, quando agenti principali est aliquo modo realiter coniunctum, vel per contactum, vel per aliquam præsentiam, & vnionem realem; vt calamus Scriptori, calor igni, &c. & è contra tunc instrumentum dicitur separatum secundum esse, quando per nullam præsentiam realem est coniunctum agenti principali, vt semen iam decisum; instrumentum coniunctum secundum causalitatem est quod in concursu suo famulario indiget actuali, & proprio influxu agentis principalis, sic est calamus, qui non inseruit scribenti, nisi quando scribens influit in scripturam; separatum secundum causalitatem dicitur, cum in suo concursu, licèt inseruiat agenti principali, non indiget tamen actuali influxu eiusdem agentis, vt calor disponit materiam ad formam ignis propria virtute, etiam si ignis ad illam actionem dispositiuam actu non influat: vnde idem instrumentum secundum varias acceptiones coniunctum, & separatum dici poterit, calor enim in igne est instrumentum coniunctum secundum esse, separatum secundum causalitatem, semen est separatum vtroque modo, calamus vtroque modo coniunctum.

De isto igitur instrumento, siue naturali, siue artificiali primò videndum est, an habeat aliquam actiuitatem, & quomodò; deindè, in quo eius formalitas consistat; per quam à causa principali secernatur, tandem ad quod genus causæ reducatur.

71 Quoad 1. Recentiores ferè omnes cum veteribus Thomistis asserunt, instrumentum actiuum esse, & quasi semper attingere terminum principalis agentis, vt à causa principali eleuatum: discrepant tamen in explicatione huius eleuationis, nam aliqui volunt, fieri per concursum concomitantem principalis agentis in eundem terminum ita Suar. disputat. 17. Met. sect. 2. tom. 1. in 3. part. disput. 31. sect. 5. Alij per receptionem alicuius qualitatis ab agente principali, vt veriores Thomistæ; Alij vtroque modo, ita Auersa quæst. 15. sect. 2. siue præsupponatur virtus quædam præuia in instrumento, siue non. Scotistæ ex altera parte dissident etiam inter se, nam P. Sghemma 2. Phys. digres. 15. q. 1. & 2. admittit instrumentum actiuum respectu termini principalis agentis, quamuis videatur loqui de instrumento in latiori significatione, quam nos accipimus. P. Vulpes 2. par. to. 1. disp. 2. art. 4. negat instrumentum posse attingere terminum principalis agentis, neque ex se, neque vt eleuatum, sed vel non esse actiuum, vel solùm attingere dispositionem præuiam. Fuentes 2. Phys. qu. 6. per totum ait, instrumentum propriè, & rigorosè acceptum esse actiuum termini principalis agentis, non ex se, sed vt eleuatum ab agente per virtutem ab ipso receptam, & actualem motionem, quæ sit qualitas quædam instrumento impressa, quandiu actualiter ab agente mouetur: & quia talis qualitas præuia non potest dari in accidentibus respectu substantiæ generandæ, hinc negat, instrumenta naturalia esse rigorosè instrumenta, & solùm artificialia admittit.

Similiter quo ad 2. est discrimen inter Doctores, nam aliqui dicunt, causam instrumentalem eam esse, quæ propriè non denominatur agere, ipsique non tribuitur actio, sicut est causa principalis, citatur Fons. 5. Met. cap. 2. quæst. 4. sect. 1. Alij, quòd causa instrumentalis, vt à principali distinguitur, sit, quæ nec propria, nec sufficienti virtute influit in effectum, sed solum in virtute principalis, quæ propria, & sufficienti virtute effectum attingit. Alij, vt fluentes citat. quod causa instrumentalis sit, quæ vt notat ab alio agit in effectum, non per hoc tamen conuenit causis secundis, quia hæc agunt per virtutem innatam, instrumenta verò agunt per virtutem, non permanentem, sed in actuali motione receptam ab agente. Alij tandem, vt Suar. in Met. citat. & Hurt. disputat. 9. Phys. sect. 12. voluerunt, causam principalem esse, quæ per virtutem nobiliorem, vel æquè nobilem cum effectu in eum influit, instrumentalem verò, quæ influat vtique in effectum, sed per virtutem inferioris ordinis, & hinc est, quòd agit dependenter à principali iuxta mensuram virtutis, & eleuationis principalis agentis; sed limitat Hurtad. & rectè, non omnia imperfectiora principia esse instrumenta, sed ea tantum quibus nulla respondet formalitas in effectu: & vt sic accedit ad Scoti sententiam, vt videbimus.

72 Dicimus 1. nec omne instrumentum actiuum esse, nec quod est actiuum, attingere posse terminum principalis agentis, siue propria virtute, siue eleuatum ab agente, aut per receptionem formæ præuiæ, aut per concursum concomitantem agentis principalis in effectum. Concl. est Scoti quo ad omnes partes, estque magis communis inter Scotistas, quam optimè explicat P. Vulpes cit. Prima pars, quod non omne instrumentum sit actiuum, est Doctoris in 4. d. 1. quæst. 5. F. quam

quam probat de instrumentis artificum, à quibus primo tractum est instrumenti nomen; nam ista instrumenta, vel assumuntur ad effectum præuium effectu principaliter intento, vt sectio ligni ad conficiendam arcam, vel assumuntur ad eundem effectum principaliter intentum ab agente, vt calamus simul cum manu attingit scripturam, sigillum attingit formam impressam in cera, &c. quomodocunque autem se habeant, nunquam actiuè concurrunt, quia hæc non habent in se, nisi quantitatem, figuram, duritiem, & motum localem; quantitas, & figura non sunt formæ actiuæ, aliter Mathematicus considerando quantum figuratum, non abstraheret à motu; neque durities, quia si Deus de potentia absoluta aliquod quantum molle conseruaret in eadem quantitate, & figura, & moueretur localiter, æquè scinderet, vel imprimeret, si esset serra, vel sigillum, sicut modò faciunt dura, ergo durities, quæ est qualitas, non est in eius principium agendi, apparet autem esse, eo quòd est quædam impassibilitas resistens corrumpenti: neque motus localis, aut terminus ipsius est forma actiua, quia vterque est respectus ex dicendis infra.

Accedit, quòd vbicunque est formalis incompossibilitas in creatura, vnum illorum non expellit aliud actiuè, sed formaliter, agens autem inducens, vnum effectiuè, expellit aliud effectiuè, sicut calor receptus in subiecto, formaliter, non actiuè expellit frigus, quia expellit communicando seipsum, quod est proprium formæ, at calor in igne actiuè expellit frigus existens in aqua; instrumenta autem artificialia inseruiunt quatenus ab agente sunt localiter mota, quo motu expellunt ab eodem loco, ad quem mouentur; aliud corpus, vt patet in scissione ligni per serram, ergo ipsa formaliter expellunt, non effectiuè. Neque dicas cum Suar. 3. p. tom. 1. disput. 31. sect. 8. quòd in tali actione non solùm corpus expulsum caret suo loco, sed etiam ad alium locum impellitur, quod non fit sine motione efficiente. Non valet, quia quod impellit corpus, illud, scilicet, lignum est, quod inducit instrumentum in illo loco, vbi erat lignum, & ab eodem lignum expellit, tale autem non est instrumentum, sed agens.

73 Idcircò non videtur Fuentes Scoticè locutus, dum ait, instrumenta actiuè per qualitatem ab agente receptam agere; nunquam enim hoc absolutè asseruit Doctor immo totum oppositum, vt patet ex q. 5. cit. & quamuis in 4. dist. 1. q. 1. Dd. & vltimum principale, & dist. 6. q. 9. D. videatur hoc asserere, attamen semper conditionaliter loquitur, si instrumentum ponatur actiuum; vnde in 2. dist. 3. q. 8. E. ait dum manus mouet baculum, & baculus pilam, manum non dare baculo duritiem, per quam expellit corpus extra locum, sed dat præcisè baculo motionem localem, qua scilicet applicatur ad istam expulsionem propter incompossibilitatem corporis duri ad aliud corpus, quod non cedit ei.

Secunda pars, quod scilicet instrumenta actiua non attingat vllo modo terminum principalis agentis, est Scoti q. 5. & dist. 6. cit. & dist. 12. q. 3. B. & dist. 13. qu. 1. Ff. quibus in locis licèt videatur ponere discrimen inter agens principale, & instrumentale ex hoc, quod illud habeat formam in esse quieto, qua attingit effectum, istud verò in actuali motione, tamen hoc semper dubitatiuè, & conditionaliter profert, vt diximus absolutè tamen conformius est suis principijs asserere, nunquam instrumentum posse attingere vllo pacto terminum principalis agentis, quem modum sequitur Hurt. cit. & probatur; nam vel ista eleuatio fit per concursum concomitantem principalis causæ in effectum, sine quo instrumentalis esset insufficiens, quamuis haberet in se virtutem attingendi effectum; & sic à principali partiali non differret, quia hæc intantum ex se non producit effectum, quia licèt habeat virtutem aliquam, tamen est improportionata, & insufficiens se sola; quòd est falsum.

74 Respon. Suarez, causam principalem partialem differre ab instrumentali, quia illa dicit habitudinem ad compartialem eiusdem rationis, & ordinis, itaut neutra alteri subordinetur, sed ex vtraque coalescat vna totalis causa eiusdem ordinis; at instrumentalis habet quidem virtutem, sed alterius ordinis, & rationis, quia est imperfectior effectu, & essentialiter est virtuti principalis agentis subordinata, quod licèt conueniat causæ secundæ respectu primæ, non ob id tamen illa instrumentalis dicetur, quia non est cum effectu improportionata, sicut est causa instrumentalis in ordine ad effectum principalis agentis.

Sed quamuis hæc quæstio possit esse de nomine, attamen impugnatur hæc responsio, quia subordinatio vt sic non constituit instrumentalem causam, aliter omnes causæ secundæ essent instrumentales; neque improportio cum effectu, quia causa principalis partialis est insufficiens, & improportionata cum toto effectu, ergo vel non dabitur principalis causa partialiter influens, vel causa instrumentalis non attinget propria virtute effectum principalis agentis, etiam vt eleuata. Tum quia virtus actiua tunc poni debet in aliquo respectu effectus, quando & si non possit totaliter ponere effectum illum in esse, ex se tamen habet aliquam proportionem, & analogiam cum illo, vel quia est aliquid illius, vel quia potest producere aliquem effectum minus perfectum, aliquam proportionem habentem cum perfecto effectu; ratio huius est, quia actiuitas causæ dignoscitur à posteriori, & experientia, aliter possemus dicere, quodlibet posse à quolibet produci, saltim vt à causa partiali, sed instrumentum nullã habet in entitate proportionẽ, & conuenientiã cum effectu principalis agentis, accidẽs enim quod instrumentum ponitur in generatione substantiæ, nullam habet analogiam cum substantia, & proportionem, nisi in genere entis, quatenus ipsi proportionatur vt est ens, non vt accidens, aliter quodlibet posset à quolibet produci, quia omnia in ente conueniunt, ergo ista virtus instrumenti nequit attingere effectum principalis agentis, etiam cum istius concursu.

75 Vel talis eleuatio fit per virtutem aliquam deriuatam à causa principali, non quidem in esse quieto, sed in actuali motione, sed hoc est falsum; Tum quia ista virtus non potest dari in accidente respectu substantiæ, quia hæc virtus esset etiam accidens, & sic semper esset improportionata. Tum quia vel in instrumento præsupponitur aliqua proportio, & actus primus licèt insufficiens, qui per istam virtutem compleatur, & sic erit causa principalis partialis, vel non præsupponitur, & sic quodlibet posset assumi ad producendum quodlibet, etiam improportionatum, & contrarium, vt aqua ad producendum ignem, quia cum ista virtus sit materialis, & accidentalis, aqua habebit capacitatem ad illam. Tum quia si virtus illa infusa est potens attingere effectum, saltim partialiter erit causa principalis partialis ex dictis, ergo subiectum, cui inhæret, deberet dici secundum vltimam denominationem causa principalis partialis, non instrumentalis, quia subiectum intantum denominatur causa, inquantum forma in ipso recepta est ratio agendi, si aqua calida denominatur principaliter calefacere non instrumentaliter, quia calor respectu calefactionis non est causa instrumentalis, sed principalis. Neque dicas cum Fuentes n. 16. virtutem partialem esse permanentem in esse quieto, instrumentalem verò in actuali motione; Quia ad causationem parum refert, quod causa ante, vel post causationem permaneat sed sufficit, vt sit, dum causat. Tum quia posset Deus illam virtutem conseruare transacta actione, ergo se habebit per modum habitus permanentes.

76 Contra obijcitur, phantasma actiuè attingit productionem speciei intelligibilis vna cum intellectu, semen productionem fœtus, accidens generationem substantiæ, intellectus productionem actuum supernaturalium, & tamen instrumentaliter concurrunt, quia agunt vt eleuata, ergo instrumentum potest attingere effectum principalem: Tum 2. quia instrumentum est suo modo causa effectus principalis, de ratione autem causæ est, quòd virtualiter contineat in se effectum, ergo instrumentum habet virtutem attingendi effectum principalem. Tum 3. quia instrumentum vt instrumentum est actiuum, quia pertinet ad genus causæ efficientis; non potest esse actiuum effectus præuij, quia vt sic se habet vt causa principalis, ergo respectu effectus principalis agentis. Tum 4. ridiculum est asserere, gladium non incidere dum penetrat viscera, malleum non frangere, dum imminuit aliquod corpus, &c. sed hæc omnia dicunt actionem; Tum 5. quia quodlibet posset assumi Pro instrumento.

Respon. ad 1. negando, phantasma, & intellectum instrumentaliter concurrere, sunt enim causæ principales partiales propter natam virtutem, quam habent; vt in lib. de Anim. semen verò dicitur instrumentum, non respectu formæ corporeitatis, quam attingit, vt sic enim est causa principalis, sed respectu animationis, ad quam non concurrit effectiuè attingendo, sed disponendo, vt fusiùs in lib. de Gen. idem dicas de accidente, vt in seq. quæst. Neque eleuatio est de ratione instrumenti, quia magis pertinet ad causam partialem principalem, quam ad instrumentum, quod solùm eleuari dici poterit, quatenus assumitur in ordine ad effectum nobiliorem, non attingendo, sed disponendo. Ad 2. est causa effectus, non principalis, sed instrumentalis, de cuius ratione non est continere effectum virtualiter effectiuè, sed solùm dispositiuè. Ad 3. dicitur actiuum, quia est aliquid causæ efficientis, per quod tanquam per causam dispositiuam propria deinde virtute attingit effectum. Ad 4. propriè nec gladium incidere, nec malleum frangere, sed agens hæc omnia efficere, nam incisio, & fractio dicunt actiones, quæ propriè in agente fundantur, dicuntur autem exercere actiones illas, quatenus per illas prouenìunt ab agente, & in eo sensu, quo vna forma dicitur alteram expellere à subiecto. Ad 5. negamus sequelam, quia non quodlibet habet virtutem actiuam requisitam, si de instrumento naturali loquamur, nec quodlibet figuram, & alia necessaria, si de artificiali, non tamen sequitur, istas conditiones actiuas esse.

77 Dicimus 2. rationem formalem instrumenti non posse melius explicari, nisi quòd causa instrumentalis est, quæ principali famulatur, & inseruit pro assequendo fine, & effectu principali, non quidem attingendo actiuè terminum principalis agentis, sed vel dispositionem vltimò ordinatam ad talem terminum, vt sunt accidentia in ordine ad substantiam, de quo Scotus 4. q. 4. F. d. 6. q. 5. E. d. 12. q. 3. B. & d. 13. q. 1. Ff. vel famulatur, quia est susceptiuũ effectus præuij, & vltimò ordinati ed effectum principalem, vt serra recipiens motum localem ad formam arcæ, de quo Scot. d. 1. q. 4. & d. 13. cit. aut est ipsa dispositio, vt sectio venæ, motio serræ, quia per motionem serræ dicimus, lignum diuidi, & sectione venæ animal sanari; vel tandem si attingit terminum principalem, de quo Scotus 4. d. 1. q. 1. E. hoc non est effectiuè, sed potius formaliter, vt cum fit per expulsionem alterius corporis sicut est in sigillo, vel materialiter, si inseruiret ad coniunctionem duorum corporum, vnum illorum deferendo, vt est in calamo respectu scripturæ, itaut habitudo famulatiua instrumentalis causæ in communi explicari poterit, vt *per quod aliud*, sicut notauit Bassol. ex Magistro Sent. in 4. d. 1. q. 1. art. 1. Et è contra causa principalis erit,

erit, quæ in sua actione nulli alteri famulatur, propriumque effectum assequitur effectum per propriam virtutem; ideoque causalitas eius in abstracto explicari poterit per habitudinem *à quo aliud*. Hoc totum ex se patet, quia, hoc importat instrumenti nomen. Tum quia omnes alij modi ab Aduersarijs assignati patiuntur difficultates; nam primus non rectè explicat differentiam propriam, cùm illam desumat a modis denominandi, non à modis causandi; Tum quia etiam instrumentis potest actio tribui, ferra enim dicitur secare, securis scindere, &c. reliqui modi impugnati manent ex dictis in conclus. præc. Hæc omnia sunt maximopere adnotanda, quia ex ipsis pendent solutiones multarum quæstionum non solum philosophicarum, verùm etiam theologicarum.

78 Tandem dicimus, instrumentum reduci ad genus causæ efficientis, quamuis etiam aliquo modo ad cœtera causarum genera pertinere poterit; ita Scotus in 4.d.12.quæst.3. D. & patet quia instrumentum ab Aristot.5.Met.c.2. & 2.Phys.t.31. sub tali genere assignatur. Tum quia instrumentum propriè inseruire, & famulari agenti dicitur, à quo assumitur ad productionem effectus, ipsique subordinatur, ergo propriè ad tale genus spectabit, vt aliquid illius. Et quamuis multa instrumenta non sint actiua, immo vel formaliter, vel materialiter concurrant, parum refert, quia, vt diximus, non est de ratione instrumenti, quod agat, sed vt inseruiat, & quia totum hoc, quod est expellere formaliter aliud corpus ab eodem loco in terra, v. gr. inseruit agenti, & ad productionem effectus principalis agentis ordinatur, ideò possunt ad genus causæ efficientis attinere; vnde si considerantur, vt causant aliquid formaliter, vel materialiter recipiendo, non habent rationem instrumenti, immo potius rationem causæ principalis in illo genere; si verò sumuntur, vt super totum illud, quod habent de ratione causæ formalis, materialis, aut efficientis principalis (vt est calor ignis respectu caloris in ligno inducti) fundatur ratio, & habitudo famulatina alteri, vt *per quod aliud* efficitur ab agente, sic habent rationem instrumenti. Potest adhuc instrumentum extendi per omnia alia genera, si hoc, quod est famulari extenditur, media enim possunt dici inseruire fini, dispositiones materiæ, & formæ.

QVÆSTIO VI.

Quibus conueniat ratio efficientis causæ.

Declaratis quidditate, & conditionibus causæ efficientis tam principalis, quàm instrumentalis, remanet inquirendum, quibus, & quomodo ratio huius causæ conueniat, hinc multa veniunt considerandæ; primum, an tam secunda, quàm prima causa efficientes causæ dicantur, secundum, an inter causas secundas actiuas substantia debeat enumerari, tam in ordine ab substantiam, quàm ergà accidentia, 3.an etiam accidens comprehendatur; 4. an causæ secundæ vim habeant producendi effectus aliquos excedentes vires naturales, vbi de potentia obedientiali erit sermo; tandem an causa prima possit quemcunque effectum se sola producere, quem efficit cum causa secunda, sed ista difficultas nequit exactè declarari; nisi descendendo ad effectus in particulari, ideò ad propria loca ipsam remittimus.

ARTICVLVS I.

An tam secunda, quàm prima causa actu efficientes dicantur.

79 QVo ad primam art.partem, an scilicet res creatæ verè aliquid efficiant, fuit quorundam opinio, quam probabilem putauit Gabr.in 4.dist.1.quæst.1.artic.3.dub.3. omnem actiuitatem à causa secundis, & creatis remouens, & solum Deo tribuens, dici verò res creatas agere, non quia verè efficiant effectus, sed quoniam Deus ad illorum præsentiam tales producit effectus, & illis remotis, regulariter minimè producit; sic ignis calefacere dicitur non aqua, quia Deus calorem producit ad præsentiam ignis, non aquæ.

Quo ad 2. partem Durandus in 2.d.1.quæst.5.& d.37. quæst.1. asserit, Deum non immediatè concurrere cum causis secundis ad illarum actiones, sed mediatè, & remotè, quatenus ab initio Deus virtutem ad agendum rebus communicauit, eamque in ipsis adhuc conseruat. Addit Hurt. disput. 10. Phys. sect.2. quod quamuis de facto Deus immediatè in omnes effectus influat: & oppositum asserere sit valdè temerarium; attamen non videtur manifestum absurdum concedere, posse Deum ex sua libertate non concurrere ad effectus, & actiones causarum secundarum, sed eas solum permittere, quam opinionem refert, & multis reijcit Rubion.2.distinct.34. quæstion. 2. articul. 1. Alij verò licet concedant, Deum immediatè concurrere ad effectus, limitant tamen, hoc esse solum immediatione virtutis, non suppositi; citatur Ferrar. 3. contra gentes c.7.

80 Dicimus 1. verè causas secundas efficientiam habere in proprios effectus; ita communis cum Doctore in 1.dist.7. quæst.vn.ad 2. princ.d.42.quol.7.2.d.25.& d.37. hoc sæpius supponente, & Prob. Tum authoritate Scripturæ actionem creaturis tribuentis, vnde Gen. 1. postquam Deus creauit animalia, benedixit eis dicens: *Crescite, multiplicamini, & replete terram*. immo si non agerent, cum deberent, ascribitur vt miraculum diuinæ omnipotentiæ: & in multis Concilijs determinatur, voluntatem nostram actiuè se habere in suis actibus, sic in Vrid.sess.6.can.4. idem docent Sancti Patres, & omnes Philosophi cum Aristot.vbique locorum, præcipuè 8.Phys. hoc asserente. Tum quia si hoc non esset, neque nos possemus aliquid mereri, & demereri: Deus esset auctor omnis peccati: multæ differentiæ causarum corruerent, quales sunt diuisio in primam, & secundam: in principalem, & instrumentalem: animalia per motum non defatigarentur, quia nil agerent, & similia absurda euenirent. Tum quia nulla posset assignari ratio, cur ad præsentiam ignis calorem Deus semper producat, & non ad præsentiam aquæ, Si enim dicas, hoc esse, quia ignis habet similem qualitatem in se, non vero aqua. Hoc non valet, quia cum neque simile, neque dissimile per Aduersarios influant in effectum, posset Deus producere calorem tam ad præsentiam rei similis, quàm dissimilis. Tum quia non esset ratio, vt non producat Deus ad præsentiam omnis similis aliud simile, puta ad præsentiam quantitatis, albedinis, &c. aliam quantitatem, & albedinem. Tum quia multi effectus æquiuocè producuntur à suis causis, in quibus nulla formalis similitudo reperitur: nisi velimus dicere, Deum tantummodo ex suo beneplacito hæc omnia determinasse absque respectu ad naturas rerum; quod est merè fictitium, & absque fundamento asseritur.

Sed contra instatur. Tum quia 1. Corinth. 15. *Deus operatur omnia in omnibus*, & 2. c.3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis*; Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & proficere pro bona voluntate*. Tum 2.quia Deus sufficientem concursum influit in effectus, ergo omnis alia causa superfluit. Tum 3. quia causa prima prius agit, quam secunda, & in illo priori attingit totum effectum, ergo secunda nihil efficit. Tum 4.quia multi effectus in conseruari non dependent à causis secundis, ergo neque in fieri.

Respon. in primo loco Apostolum demonstrare concursum immediatum Dei in omnes effectus, vt in conclus.seq. in alijs loqui de operibus gratiæ, & supernaturalibus, ad quæ non habemus nisi potentiam remotam, non quod totaliter fint à Deo, sed principalius, excitando, & præuenendo cum auxilio præuio, & simul concurrendo cum auxilio speciali. Ad 2. patet ex dictis disput.3.quæst.4.art.2. concursum Dei esse sufficientem secundum rem, insufficientem secundum modum, ideò causa secunda non superfluit. Ad 3. dicimus ex Scoto 2.dist.37. V. causam primam agere prius prioritate à quo, quia independenter, & perfectius, non prioritate in quo, itaut prius attingat effectum, quam secunda causa. Ad 4. sequitur, quod cum multi effectus etiam in conseruari à causa secunda dependeant, etiam in fieri dependere debent, quod sufficit pro nostra conclusione; tamen negamus consequentiam, non enim eadem est ratio in omnibus de fieri, & conseruari respectu causæ secundæ, nam ab ista effectus non dependet essentialiter simpliciter, sed essentialiter secundum quid, vt innuit Doctor 4. distinct. 12. quæst. 1. ad 2. cur autem aliqua solum infieri, & non in conseruari dependeant, non potest alia assignari ratio nisi ab experientia, & à posteriori, vt tetigimus quæstione secunda.

81 Dicimus 2.causam primam in omnes effectus causarum creatarum concurrere immediatione non solum virtutis, sed etiam suppositi; immo implicare, quod detur effectus aliquis productus à causa creata, quin sit etiam à Deo causatus; Concl.est communis, eamque docet Scotus multis in locis, nam in 2.d.1.quæst.1. supponit, dari istam virtutem causatiuam in Deo, & quol.7.& 1.d.42.idem docet; & in 2.d.37. P. ostendit de actibus voluntatis nostræ, & in 4.d.43.quæst. 3. supra E. & 1.d.8.quæst.5. in fine ponit ordinem essentialem inter causam secundam, & primam, itaut illa nihil ageret, ista non causante; & primò probatur iste concursus immediatus authoritatibus adductis contra præc. toncl. quibus accedit authoritas Iob.16. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? &c.* Isa. 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine*, per ly *opera nostra* explicatur concursus causæ secundæ, per ly *operatus es* explicatur concursus causæ primæ, & Act.17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus*. Neque istæ, & consimiles authoritates possunt explicari de productione mediata; nam præterquam quod de immediata loquuntur, adest authoritas Io. 5. *Pater meus vsque modò operatur* relata à D.Aug.5. super Gen.c.20. vbi hanc adducens opinionem, respuit istam authoritatem, explicans ly *operatur* de immediato concursu productiuo, & conseruatiuo rerum; & D.Greg.16.Moral.c.18.*Omnia, quæ creata sunt per se nec subsistere, nec moueri posse*: idem docet Aristot.7. & 8.Phys.& 2. Metaphysic.c.2.

Secundò idem Prob. ratione. Tum quia ens creatum dependet à Deo immediatè in conseruari, ergo etiam in fieri; Antecedens probatur, quia vnum est ens actu independens, non plura, at dantur multa entia, quæ in conseruari à causis secundis, non dependent, vt diximus q.2. maximè si causa fuerit destructa, vnde non poterunt dici dependere à Deo mediante causa secunda, ergo si actu dependet, hoc erit immediatè à Deo; tum quia est ens essentialiter subordinatum Deo, & participatum. Consequentia probatur, quia conseruatio, & productio sunt eadem omnino actio ex dictis quæst.3.art.3. tum quia

quia si in conseruari dependet, quià est ens participatum, etiam in fieri est tale ens; & etiam quia durans solum per instans, nullo modo à Deo actu dependeret immediatè. Tum quia, vt ait Doctor in 1.d.8. cit. Deus annihilat creaturas, vel earum impedit actiones per subtractionem concursus, ergo immediatè ad omnes effectus concurrit. Antecedens probatur, quia si annihilaret, vel impediret per concursum positiuum, cum omnis actio ad aliquod esse necessariò debeat terminari, non posset annihilare, nisi producendo aliquid de nouo, per quod prius corrumpatur, vt fit in generatione nouæ formæ, vnde nec posset propriè annihilare, quia actiones contrariæ debent fieri circa idem subiectum; vel si annihilaret propriè, saltim non posset omnia destruere; similiter non posset impedire, nisi vel destruendo agens, vel producendo aliquod incompossibile, puta in fornace Babylonis cum actionem ignis impediuit, si hoc fecisset per actionem positiuam, & non per simplicem concursus subtractionem, debuisset producere frigus ita intensum, vt sufficeret ad resistendum igni; quæ omnia sunt falsa; immo actionem immediatam Deo concedunt. Tum quia essentialior est dependentia creaturæ ad Deum, quàm ad aliam creaturam, vt potè quia sine alia creatura potest existere, non tamen sine Deo; hinc dependentia creaturæ ad Deum ponitur realiter cum ipsa identificata; vt notat Doctor in 2. dist.1.quæst.5. sed creatura aliqua immediatè ab alia dependet in fieri, & conseruari, vt lumen à Sole, ergo multo magis à Deo.

Ludouicus Dolentis Capuccinus in disputat. de modo coniunctionis concursuum Dei & creaturæ ad actus liberos ordinis naturalis hanc Durandi sententiam in scholis iam absolutam nuper suscitauit, eamque ibi latè defendit, vnde ad obiecta respondet Deum in fornace Babylonis impedisse actiuitatem ignis immitendo qualitatem incompossibilem cum illa actione, insuper addit sufficere ad rationem creaturæ, quod mediatè, & remotè in suis operationibus dependeat à Deo, quatenus Deus est ens omnia conseruans. Sed hæc defensio imbecillima est, quia explicare oportet, quænam fuisset hæc qualitas incompossibilis cum tanto calore, vel enim hæc esset frigus intensissimum, vel qualitas à frigore diuersa; si primum, vtique pueri illi non minus à tanto frigore, quam ab eo calore fuissent interfecti, eo vel maximè, quia tale frigus debuisset puerorum corporibus inhærere ad impediendam in illa caloris actionem: si secundum difficilè assignabitur talis qualitas exclusiua caloris præter frigus, tum quia si talis qualitas impedire poterat actionem ignei caloris, multo magis actionem caloris naturalis in corpore existentis, quare & hæc qualitas etiam à frigore diuersa pueros illos debebat extinguere. Hæc etiam illa Dur. mediata dependentia sufficiens est ad rationem creaturæ quia non est maior ratio, cur vna creatura debeat necessariò conseruari à Deo, & non alia, tum quia si effectus à causa secunda non pendet in conseruari, vel illa sit destructa, neque immediatè neq; mediatè penderet effectus à Deo, quod nihil absurdius.

82 Accedunt rationes Scoti in 2.dist.37.cit. de actibus nostræ voluntatis, ad quos si immediatè non concurreret Deus, nec esset omniscius, nec omnipotens; primum probat, quia intantum cognoscit certitudinaliter futura contingentia, quia nouit determinationem voluntatis suæ respectu eorum, ad quæ voluntas sua est immutabilis, & inimpedibilis, sed si voluntas creata est totalis causa actus, & contingens, poterit voluntas creata aliter velle, quam diuina determinasset; ergo non sequitur certitudo ex cognitione determinationis diuinæ voluntatis. Secundum probat, quia voluntas omnipotentis, quando aliquid vult, producit in esse, non enim est alius actus diuinæ voluntatis respectu entis creati, quo producitur in esse, ergo si non attingit immediatè volitionem creatam, iam haberet velle erga aliquod ens; & illud non produceret; imò stante hoc velle, quia voluntas creata est libera, & totalis causa, posset oppositum ponere in actu.

Tertiò, quod agat immediatè immediatione virtutis, & suppositi, tam in essendo, quàm in causando, Probatur, quia influere immediatè immediatione virtutis, est agere per virtutem in se existentem, immediatione verò suppositi in causando est attingere proprio influxu effectum productum, immediatè tandem agere immediatione suppositi in essendo est effectum attingere, à quo non distet loco, sed ipsi sit intimè præsens, sed Deus omnibus his modis influit, vt patet, ergo &c. Quamuis si agere immediatè immediatione suppositi sit agere nullo alio agente cooperante (quo sensu locutum fuisse Ferrar.ostendit Carraffa de concursu disp.9.) debemus concedere, non omnia ita à Deo procedere; sed hæc est quæstio de nomine, & hoc modo agere ab aliquibus appellatur influere immediatè immediatione causæ.

83 Quartò contra Hurt. iisdem rationibus ostenditur, non solùm de facto, verum etiam de possibili causas creatas necessariò in agendo à Deo dependere. Tum quia Gregor. citatus de possibili loquitur, vt patet; nec Aristot. tam essentialem dependentiam in causa secunda ad primam posuisset, si solummodo hæc veritas authoritatibus Scripturæ, & Sanctorum esset nota. Tum quia implicat dari ens independens in esse, qualis esset effectus solummodo à causa secunda productus; & dato casu, si Deus vellet annihilare mundum, non posset nisi alium producendo; nec omniscens, nec omnipotens esset, vt dicebamus. Nec valet, quod ait Hurt. adhuc à Deo dependere, & causam secundam non esse primum agens, quia actio ipsius mediatè dependet à Deo conseruante virtutem causæ secundæ, tum etiam quia omnis effectus dicit ordinem ad voluntatem, qua Deus aut directè vult, aut permittit actionem, & sua voluntate fineret creaturas sic causare. Non valet, quia si causa pendet à Deo conseruante eius virtutem, hoc ideò erit, quia est ens in esse dependens, & creatum, ergo quia actio secundæ causæ est etiam ens creatum, immediatè quoque à Deo debebit dependere, vt effectus, non enim actio est perfectior sua causa. Deinde si Deus haberet volitionem directam erga actiones; & effectus causarum secundarum, ergo immediatè in actiones, & effectus influeret, quia Deus per suum velle, & non per alium actum distinctum causat creaturas, vt cum Scoto diximus supra. Tum quia etiam stante ista volitione, adhuc voluntas nostra, cum sit libera, & totalis causa, posset oppositum velle, & oppositum causare, quod implicat. Tandem quia modo causæ naturales, ignis v.g. quando causat, agit, quantum potest, & cum non possit ex propria natura habere perfectiorem actionem, nisi essentialiter varietur, sequitur, quod si modo fineret Deus ignem solo causare, non posset aliquid producere. Probatur, quia secundum Hurt. si Deus se solo causaret effectum, deberet intendere suum concursum, vt supplere possit concursum causæ secundæ, ergo multo magis causa secunda intendere debebit suum concursum, ac modo facit, vt concursum diuinum suppleret, quod tamen exequi non potest. Quapropter dicendum, non minus absurdum esse negare immediatum Dei concursum in effectus creatos de facto, quam de possibili.

84 Arriag. disput.10.Phys.sect.1. non solum sustinet cum Hurtad. de possibili dari posse creaturam non pendentem à Deo in operari, sed adhuc addit non ad esse rationes conuincentes de facto hunc immediatum Dei concursum, nam inquit asseri posse causas creatas pendere in suis operationibus à permissione diuina, qua Deus vult permittere causas secundas motus suos agere, tanquam à conditione sine qua non, sicut effectus pendet ab approximatione agentis, & ab vnione materiæ, & formæ, vt à conditionibus, sine quibus non, quamuis nec vnio, nec approximatio influant in effectum; vnde si Deus vellet impedire actiones creaturarum, sufficeret, quod solam permissionem suspenderet. Insuper addit ex dependentia in essendo non rectè inferri dependentiam in operando per concursum immediatum, nam accidens dependet à subiecto, & forma à materia in essendo, & tamen nec materia concurrit ad actionem formæ, nec subiectum ad actionem accidentis. Tandem inquit conceptum creaturæ optimè saluari nedum negata immeditta à Deo dependentia, vt aiebat Durand. Sed etiam mediata, quia si per impossibile non repugnaret mutua causalitas, & craturæ se se inuicem producerent nullaque immediatè à Deo proueniret, adhuc creaturæ essent entia defectibilia, nec à se, sed ab alio essent, quod sufficit ad rationem creaturæ.

Verùm sic theologizando Arriag. minus dignè sentit de perfectissimo Dei dominio supra creatura, & de harum omnimoda subiectione erga creatorem, & vt ab hoc vltimo puncto incipiamus, falsum est conceptum creaturæ saluari posse etiam denegata mediata dependentia à Deo, etenim, vt dicemus in Metaph. præcipuum medium demonstrandi à posteriori Dei existentiam est effectibilitas creaturarum, ex qua infertur dari debere vnum ens increatum, quod cœterorum omnium sit causa, vt subtiliter demonstrat Doctor 1.distinct.2.quæst.1.articul.1.& quamuis si creaturæ se inuicem causarent, verè essent entia ab alio, & defectibilia, etiamsi nulla immediatè proueniret à Deo, hoc tamen est impossibile, & dato vno absurdo, plura sequuntur, tum quia si nec immediatè, nec mediatè creaturæ à Deo dependerent, sicut Deus posset esse sine creatura, ita etiam creatura sine Deo, quantum est ex parte sui, quia ad sui existentiam nullo modo indigeret existentia Dei, id autem directè repugnat conceptui creaturæ, & entis participati. Benè etiam in proposito ex dependentia in essendo rectè infertur quoque dependentia in operando, quia hic non est sermo de dependentia effectus ad agens creatum, quæ non est simpliciter necessaria, & essentialis, sed tantum secundum quid, vt notat Doctor 1.dist.8. quæst.5. in fine, sed de dependentia ad Deum, quæ est essentialissima, & summè necessaria, tum quia causa secunda est primæ subordinata essentialiter nedum in essendo, sed etiam in causando, adeò vt non solum causa, sed etiam eius actio, ac effectus per eam productus ad Deum dependeat; Demum quod inquit saluari posse dependentiam essentialem causarum secundarum à prima per solam permissionem, qua Deus permittere velit causas secundas motus suos agere, nequaquam admitti potest, tum quia diuina permissio non est sicut permissio Principis creati, quæ excludit positiuum concursum ad actum prohibitum, vel permissum, sed admittit aliquam concursum vnde SS. Patres, & Theologi docent Deum ad peccata permissiuè se habere, & cum hoc simul concedunt positiuum eius concursum ad substantiam actus peccaminosi, ergo dato casu non se haberet diuina permissio, vt pura conditio sine qua non; tum quia si omnem excluderet concursum, tunc Deus non esset omniscens, vt arguit Doctor 1. distinct. 47. quæstion.vnic. ad 1. princip. quia non est præuisio Dei de peccato futuro per hoc solum, quod scit se permissurum hunc peccare, sed cum hoc requilum, quod scit se cooperaturum isti in actu peccandi, vt ostenderat

derat distinct.41. tum quia vt Doctor arguebat 2. distinctione 25. nec etiam esset omnipotens, quia posset aliquem actum permittere voluntati creatæ, imò positiuè velle, qui tamen ab ea non poneretur, cum enim ex hipothesi sit causa totalis, & libera, posset actum illum & permissum, & volitum non elicere. Tum denique quia dependentia voluntatis nostræ à diuina solummodo vt à conditione sine qua non, non saluat subordinationem essentialem inter causam primam, & secundam, quæ procul dubio ex suo formali conceptu aliquid amplius importat præter permissionem.

85 Sed contra arguitur, Tum auctoritate Scripturæ tribuentis totam causalitatem causæ secundæ, non Deo, vnde Eccles. 15. *Reliquit Deus hominem in manu consilij sui &c.* Tum 2. quia causæ secundæ respectu suorum effectuum vel sunt æquiuocæ, vel vniuocæ; si primum, estò debeant perfectionem effectus excedere, non tamen infinitè; si secundum, satis est, vt habeant æqualem perfectionem, ergo superfluus erit immediatus concursus Dei. Tum 3. quia materia, & forma sunt entia creata, & tamen cum materialiter, & formaliter causant, non indigent Deo materialiter, & formaliter concausante; sed totaliter in suo genere causant, ergo non concurrit Deus immediatè cum omnibus causis secundis. Tum 4. quia communiter dicitur, Deum producere effectus medijs causis secundis quas finit motus suos agere. Tum 5. quia actio non dependet à Deo, medio alio influxu, aliter esset processus in infinitum, & solum definit ex imperio diuinæ voluntatis, non per substractionem influxus, ergo idem posset de alijs rebus dici. Tum 6. quia vnius rei non possunt esse duo fines immediati, ergo nec duo agentia principalia.

Respon. ad 1. in illis locis affirmari concursum immediatum secundæ causæ, non denegari tamen concursum immediatum primę, cùm in alijs locis asseratur. Ad 2. dicimus, causam secundam non excedi, neque excedere necessariò suum effectum, excederetur autem, si effectus esset à Deo independens, cùm ipsa dependeat, quare etsi sit æqualis perfectionis, quia tamen tota ista perfectio est creata, dicet immediatam à Deo dependentiam in omnibus; nec per hoc est causa partialis, nam licèt simpliciter sit talis, est totalis tamen in suo ordine, vt in disput. seq. Ad 3. quòd licèt materia, & forma independenter causent in proprio genere, non tamen simpliciter, sed dependenter à Deo in genere causæ efficientis, iuxta dicta disput. 5. quæst. 5. & disput. seq. Ad 4. producit medijs causis secundis, idest simul cum illis, & mediatione causæ, non verò mediatione virtutis, & suppositi, & in hoc sensu finit motus suos agere. Ad 5. si loquimur de actione causæ creatæ, negatur, non dependere à Deo per alium influxum distinctum, non quidem realiter, sed formaliter, per quod vitatur processus in infinitum, sicut est in quolibet alio dependentia ista ad Deum, ratio huius est, quia actio creata non denominat Deum agentem, sed causam secundam, vt diximus q. 2. huius disp. at si de actione Dei est sermo, cùm à parte rei non sit nisi terminatio dependentiæ creaturæ & consequenter simplex extrinseca denominatio, non requirit influxum, non sic de alijs rebus realibus, & positiuis. Ad 6. sicut possunt esse duo fines subordinati, ita duo agentia subordinata.

86 Secundò ad idem posset argui rationibus theologicis quas Scotus adducit in 2. d. 36. L. pro Durand. & non soluit, vnde & pro ista sententia citari solet, eò vel maximè quod in 3. d. 17. soluens principale, adducit vnam solutionem in ista opinione fundatam; rationes sumuntur præcipuè ex hoc, quod Deus esset causa materialis peccati, si ad omnes effectus in indiuiduo concurreret. Tum quia voluntas nostra libera non ageret, nam si dependenter à Deo agit, & sine Deo non potest in actum exire, aget iuxta diuinam determinationem.

Verùm non est præsentis negotij isthæc examinare; solùm negamus, Scotum fuisse huius opinionis, nam in 2. cit. licèt soluat rationes illas, adducit tamen in contrarium duo argumenta, & protestatur, se oppositam sententiam tenere, & in 3. cit. dat aliam solutionem conformem magis suis principijs; videtur tamen ad sententiam Duran. inclinare, quia vt optimè notat P. Vulpes 2. p. disput. 5. art. 1. voluit vitare errorem illorum hæreticorum asserentium, Deum totalem causam esse nostrarum actionum siue bonæ sint, siue malæ, via deueniendi ad medium, est ad alterum extremum inclinare, vt in simili multoties Sancti Patres fecerunt ex eodem in 2. distinct. 33. ad primum. Ad 1. pro nunc dicimus, Deum concurrere ad substractum peccati etiam secundum vltimam formalitatem, non tamen esse causam per se peccati, quia non euenit iuxta suam intentionem, sed quasi præter intentionem, immo contra ipsius voluntatem, cum intendat potius fugam ab omni peccato, ob quam dat omnibus auxilia sufficientia, causa autem per se, quæ cum intentione agit, vt dicemus quæstion. 8. Ad 2. dicimus, concursum Dei ex libero decreto eiusdem esse omnibus paratum, quare voluntas nostra potest operari quando vult, & quomodo vult; an verò determinetur antecedenter, vel concomitanter, spectat ad tractatum de concursu Dei cum causis secundis.

ARTICVLVS II.

An substantia creata sit immediatè actiua alterius substantiæ?

87 NOn est sermo, an vna creata substantia possit alteram totaliter producere, constat enim ex dictis disputat. 2. quæst. 1. articul. 2. omne agens creatum materiam præexigere ad agendum, aliter crearet, non generaret; sed quærimus, an vna substantia creata sit alterius productiua immediatè, itaut per propriam essentiam substantialem tanquam principium quo principale attingat substantialē productionem alterius formę substantialis. Circa quod aliqui negarunt substantiales formas ab aliqua creata substantia produci, sed immediatè à Deo; ita qui omnem actiuitatem à causis secundis negarunt, sed specialiter hoc probabile putauit Ares. 1. de Gener. quæst. 20. sect. 4. Alij fieri à substantia quadam spirituali, siue sit Intelligentia aliqua separata, vt Auic. 1. suff. c. 5. & 4. Met. c. 4. quod posse defendi putat Sonc. 7. Met. quæst. 29. siue sit quædam virtus in omnibus corporibus diffusa, vt Auicembron. 11. lib. de Fontis vitæ. Alij asserunt, solummodo à corporibus cœlestibus produci, vt Raguseus disput. 16. c. 16. & 17. Quas opiniones de formarum origine fusè reijcimus supra disput. 2. quæst. 7. art. p. & rursus disput. 5. de Gen. & Corrupt. quæst. 6. Alij concedunt, à substantijs sublunaribus produci, sed addunt, principium, quo principaliter productionem substantialis formæ attingunt, esse accidentia, ita Io. Maior. 4. d. 12. quæst. 3. Perer. lib. 8. c. 13. Alij dicunt, substantialem, tanquam per principium quo principale, non quòd immediatè formam genitam seipsa attingat, sed medio accidente, vt instrumento, & virtute substantiæ generantis; ita communiter Thomistæ, quos sequuntur ex Recentioribus Conimb. 2. Phys. c. 7. q. 18. Ruuius tr. 4. q. 5. Moris. disp. 3. Phys. q. 18. & Auersa q. 37. sect. 6. Scotus tandem in 1. d. 37. & præcipuè in 4. d. 12. q. 3. immediatum influxum vnius substantię in aliam concedit, quem præter Scotistas, vt Mayron. in 4. cit. Bargium in 1. Ant. And. 3. Met. q. 11. Tromb. 12. Met. q. 6. concl. 4. & lib. 2. q. 6. Tat. in 4. cit. Fabrum theor. 34. Sghemmum 2. Phys. digress. 10. q. 6. & Fuentes q. 4. diff. 3. sequuntur Nominales in 4. d. 12. Durand. ibi q. 2. Iand. 1. de An. q. 8. Vales. contr. 14. Suarez disp. 18. Met. sect. 2. Hurt. disp. 9. Phys. sect. 5. Amicus tr. 12. qu. 10. dub. 3. art. 7. Arriag. disput. 11. Phys. sect. 2.

Pro resolutione notandum ex Scoto 1. dist. 7. quæst. vnic. V. quod non potest assignari certa ratio, qua demonstretur à priori, formam aliquam esse, vel non esse actiuam, nam maximè posset hoc argui ex perfectione formæ, & tamen videmus, inquit Doctor, formas imperfectiores esse similium productiuas, non verò perfectiores, sic formæ elementorum sunt actiuæ, non verò omnes formæ mixtorum inanimatorum, formæ animatorum sunt communicatiuæ sui, at substantiæ cœlestes, & angelicæ sibi ipsis similes non producunt; huius igitur, ratio à priori nequit esse, nisi quia hoc est hoc, à posteriori tamen potest argui, & ab effectu; quapropter non intendimus probare, omnem substantiam esse alterius substantiæ, vel eiusdem, vel alterius speciei productiuam, sed tantum quod non solùm substantiæ cœlestes, sed etiam sublunares aliquæ producunt alias substantias immediatè attingendo illarum productionem substantialem.

88 Dicimus 1. Nulla spiritualis creata substantia est alterius substantiæ, siue spiritualis, siue materialis productiua, neque omnes substantiales formæ sublunares necessariò à Deo tantum, vel à Cœlis producuntur, sed aliquæ ab ipsis sublunaribus. Prima pars, quòd substātia creata spiritualis non sit alterius productiua fusè probatur à Doctore contra Auicennam in 4. d. 1. quæst. 1. M. & seq. non enim potest aliam spiritualem producere, quia cum hæc simplex sit, non composita, petit creari, repugnat autem, creaturam posse creare, vt communiter cum Doct. cit. asserunt Theologi; neque aliquam materialem, quia Angeli non agunt nisi per intellectum, & voluntatem, inquit Doct. lit. X. etsi potentiam aliam distinctam habeant, est intellectui, & voluntati subordinata, itaut intellectus, & voluntas sunt immediatæ potentiæ ipsius naturæ angelicæ quod conuenit omnibus agentibus per rationem, vnde prima potentia productiua in Deo est intellectus; at per intellectum, & voluntatem non possunt producere formas substantiales, cum sint accidentium productiua, scilicet actuum vitalium, neque per illam potentiam distinctam, si esset, quia cum sit illis essentialiter subordinata, non erit productiua substantiæ, non enim ens secundum quid, quales sunt intellectio, & volitio, necessariò præsupponitur enti simpliciter, vt est substantia, neque potentia ad substantiam est essentialiter potentiæ ad accidens subordinata; hæc tamen ratio non est demonstratiua, sed valde probabilis.

Secunda pars, quòd non necessariò omnes formæ substantiales à Deo solum, vel à cœlestibus corporibus, sed aliquæ à sublunaribus producantur, patet ex dictis art. præced. conclus. 1. illæ enim rationes non solum probant actiuitatem erga accidentia, verum etiam erga formas substantiales, nam ignis non tantum calefacit, verum etiam comburit, viuentia sibi similia procreant, vnde Lucæ 21. dicitur, *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructus, scitis quia propè est æstas*; producere autem fructus indicat actionem substantialem. Tum quia substantiæ sibi inuicem pugnant, non solum secundum accidentia, verum etiam aliquo modo secundum formas substantiales, quibus ab eodem subiecto quærunt se expellere, quod actiuitatem arguere debet in ipsis, aliter idem agens extrinsecum, si hæc omnia efficeret, secum pugnaret.

89 Sed contra argui potest. Tum quia D. August. 5. de Ciuit. Dei c. 9. ait, *Corporeæ causæ non debent inter efficientes conumerari.* Tum 2. quia ad agendum requiritur intima præsentia cum passo, corpora autem propter dimensiones, quas habent, nequeunt esse præsentia. Tum 3. quia multa corporalia generantur, quorum causæ non possunt alia materialia entia assignari, vt sunt ex putri genita, nam Cœli, cum non sint animati, non erunt immediatæ causæ illorum, ergo ad aliquam Intelligentiam spiritualem oportet recurrere. Tum 4. vel generatiua virtus denegatur Intelligentijs, quia entia spiritualia sunt, vel quia creata, & finita; non primum, quia Deo non conueniret; neque secundum, quia alijs creatis rebus imperfectioribus non competeret. Tandem productio est existentiæ communicatio, quæ cum sit effectus communissimus conueniens enti, vt est ens, ad hoc vt communicetur, exigit virtutem aliquam omne ens producibile excedentem, talis autem est virtus diuina.

Respon. D. August. loqui, non de causis efficientibus, vt sic, sed de causis liberis à quarum serie excludit causas corporeas vt bruta aliaque agentia naturalia. Ad 2. iam diximus quæst. 4. art. 3. talem in distantiam localem non requiri. Ad 3. concedimus illa à Deo generari, vt ait Doctor 2. dist. 18. non tamen ex hoc debet fieri inductio vniuersalis. Ad 4. ex vtroque simul repugnare, quia cum sit spiritualis, per intellectum, & voluntatem agere debet, vel per potentiam his subordinatam, & cum intellectus, & voluntas in ipsis potentiæ finitæ sint, non possunt notitiam, vel volitionem substantialem producere, vt est in diuinis. Ad vltimum; si loquimur de omni existentia, concedimus, à Deo solum communicari, quia non datur causa secunda omnium productiua, si de aliqua existentia in particulari, falsum est, non posse etiam à secunda causa commuuicari, si existens supponatur.

90 Dicimus 2. substantiam immediatè; & substantiali virtute attingere productionem alterius substātiæ ab ipsa productæ; & non medio accidente ita Doctor cit. & probatur ab ipso litt. F. nullum imperfectius potest esse causa alicuius perfectioris, sed substantia est perfectior quocunque accidente, ergo non accidens, sed substantia est per se, & immediata causa alterius substantiæ, Maior, in qua tota vis argumenti consistit, quamuis pateat, attamen reuocatur in dubium à Rubione 2. d. 15. quæst. 2. art. 1. ab aliquibus verò limitatur de causa vt quod, non de causa vt quo, itaut sufficiat, quod causa, quæ agere denominatur, sit æquè perfecta cum effectu, non tamen requiritur, vt id, quo causa agere dicitur principaliter, sit æquè cum effectu perfectum, quia non est continens; sed ipsa continentia; idcircò probatur ista maior, tam de causa, vt quod, quàm de ratione causandi, & vt quo.

Et primò quod causa vt quod nequeat esse imperfectior effectu, probatur à Doct. cit. Tum quia sic posset dici totum vniuersum à musca esse productum, nec ex causatione primæ causæ argueretur infinita perfectio in ipsa. Tum quia causa vniuoca habet in se effectum vt adæquatum in perfectione suæ potentiæ, sunt enim eiusdem speciei, & consequenter eiusdem perfectionis essentialis, ergo causa æquiuoca, si est imperfectior vniuoca, non potest continere in se illum effectum, vt terminum adæquatum suæ potentiæ actiuæ, Patet ista consequentia, quia si est terminus adæquatus potentiæ vniuocæ causæ, & ista est perfectior potentia causæ æquiuocæ, necessariò effectus debet excedere potentiam æquiuocam, aliter non adæquaretur potentiæ vniuocæ, sed excederetur, sicut ista æquiuocam excedit. Tum quia si forma causæ æquiuocæ daret esse formaliter alicui, non posset dare esse perfectius seipsa, quia nemo dat quod non habet, ergo neque effectiuè, quia dando esse formaliter, se totam communicat, non autem efficiendo. Tum quia posset effectus productus saltim ab intellectu diuidi in duos gradus perfectionis, in illum, in quo conuenit cum causa, & in illum, in quo excedit causam, hic secundus gradus nequit à causa produci, quia nemo dat, quod nullo modo habet, ergo erit improductum; quod est falsum. Ex his contra Rubion. concluditur, non esse hanc propositionem, imperfectius nequit producere perfectius, æqualiter notam, sicut est hæc alia, perfectius potest producere imperfectius, quia licet de ista non possimus habere nisi rationem aliquam à posteriori vt diximus, illa tamen à priori rectè demonstrari potest. Pro hoc à Conimb. 2. Phys. c. 7. q. 5. art. 2. adducitur D. Dion. c. 2. de diuinis nominibus, & D. August. lib. 83. qq. q. 2. & lib. 12. super Gen. c. 29.

91 Quod vero non solum verificetur, de causa vt quod sed etiam de causa vt quo, vt verum sit, imperfectius non posse esse rationem causandi perfectius, Probatur, quia causa intantum actu causat, quia habet virtutem causandi sufficientem, & si talem virtutem non haberet, non causaret, actus enim secundus præsupponit actum primum, actus primus non est ratio Quæ, sed ratio Qua, ergo si causa non habet rationem causandi perfectiorem effectum, non poterit illum causare, quamuis ex se aliam perfectionem excedentem includat: nam si hæc non est ratio influendi in effectum, impertinens est, & per accidens se haberet ad illum effectum; hoc etiam probant secunda ratio & tertia adductæ contra Rubion. vt patet.

Dices cum Amico tract. 14. quæst. 6. dub. 2. causam constitui in esse causæ per virtutem actiuam, quæ non erit tota substantia causæ, quia substantia non est tota potentia, nec secundum omnes gradus est actiua: cum ergo sit quædam realitas ista potentia, necessariò erit imperfectior suo effectu, qui erit ens quoddam completum, & physicè compositum; sic animal dicitur generans aliud animal per potentiam generatiuam, tanquam per principium Quo, quæ tamen est animali imperfectior, vna species per differentiam est altera perfectior, & tamen differentia non est illa specie perfectior.

Sed contra falsum est, substantiam per potentias distinctas producere aliam substantiam, sed seipsa secundum totam entitatem producit sicut seipsa totà distinguitur ab alia specie; dicitur autem per formam agere, & per differentiam differre, quia sunt principia radicalia magis principalia, vt in simili diximus disput. 5. quæst. 12. art. 1. de materia, quod faciat suo modo compositum essentialiter differre: cum adducitur exemplum de potentia generatiua animalis, dicimus, animal produci ab alio animali per suam substantiam, nam potentia generatiua præcipuè concurrit ad formationem corporis, vel seminis: præterquamquod ista potentia est animata, & anima etiam sensitiua est tota in toto, & tota in qualibet parte, non quidem secundum entitatem, vt sit entitas indiuisibilis, sicut anima rationalis, sed secundum virtutem, & solum ex variatione organorum variatur quo ad functiones, non enim est hetherogenea, vt asserit Hurt. sed de hoc fusius in lib. de Anim. vbi ostendimus, non in qualibet substantia potentias debere esse formaliter ab ipsa distinctas cum Scot. 1. dist. 13. N. respondendo ad argumenta Adami, quamuis in d. 16. ad 2. princip. videatur dubius.

92 Moris. multipliciter respondet, nam primò ait materia est imperfectior forma, & vtraque est imperfectior composito, & tamen sunt causæ, ergo imperfectius potest perfectius causare; secundo addit, accidens non esse absolutè substantia ignobilius, quia dantur accidentia secundum entitatem supernaturalia, vt gratia, lumen gloriæ, &c. non tamen potest dari substantia supernaturalis, cui connaturalis sit gratia; tertio subiungit, quod licet forma substantialis excedat accidens, quia per se existit non inhærendo, tamen accidens ad productionem substantialis formæ concurrit cum materia, vnde totum aggregatum ex materia, & accidente non exceditur à forma substantiali.

Sed contra: primum non est ad propositum, quia loquimur de causa effectiua, non de causa intrinseca, quæ semper est effectu imperfectior, vt dicemus disputat. seq. neque causæ intrinsecæ sunt simpliciter causa adæquata effectus, nam extrinseca etiam requiritur, à qua debet accipere totum id, quod causas intrinsecas effectus excedit, ne illud excedens prorsus incausatum dicatur. Secundum etiam non valet, quia amissis etiam illis accidentibus substantia perfectioribus (quod tamen est falsum ex Scoto in 3. d. 13. q. 1. k.) adhuc ratio vrget, quia loquimur de accidentibus naturalibus. Tertium impugnatur ex hoc, quod concursus materiæ non est in genere causæ efficientis, ergo excessus perfectionis in forma, ne dicatur improductus, debet habere causam effectiuam, quæ non erit accidens; Tum quia forma substantialis, imò compositum substantiale, quod propriè dicitur productum, excedit aggregatum ex materia, & accidens.

Pererius concedit, accidens esse imperfectius in entitate ipsa substantiæ, sed ait, esse perfectius in ratione agendi. Sed hoc est supra impugnatum, videlicet perfectionem in agendo non arguere perfectionem in entitate suprà effectum productum, sic enim possemus dicere, Deum esse quidem perfectissimum in ratione agendi, sed non sequi, esse quoque in entitate perfectissimum. Tum quia res sicut se habet ad esse, ita ad operari; & faciunt argumenta contra Rubion. adducta.

Caiet. dat aliam responsionem 1. p. quęst. 54. art. 3. formam substantialem non fieri distincta actione ab alteratione, sed esse terminum huius, saltim secundarium, & quia idem est principium viæ, & termini viæ, ideò accidens, quod est principium alterationis, erit etiam principium substantialis formæ. Sed in primis falsum assumit vt dicemus disput. 5. de Gen. & Cor. q. 2. art. 1. quia generatio est motus distinctus ab alteratione ex 5. Phys. 8. & 3. Phys. 4. Tum quia forma substantialis est distincta realiter ab accidente, ergo diuersa fit actione, vt etiam disput. 2. quæst. 7. art. 2. de composito, & forma substantiali diximus contra Suarez. Deinde hoc impugnatur, quod imperfectius possit esse per se causa perfectioris, & ideò hac responsione principium petitur.

93 Solutionibus hactenus adductis vtuntur Auctores illi, qui tenent accidens, vt agens principale, & in virtute propria producere substantiam, quod quia defendi minimè potest, ideò Thomistæ communiter dicunt verum vtique esse accidens principaliter, & propria virtute substantiam attingere non posse, benè tamen instrumentaliter, & in virtute substantię, quod non ita intelligunt, vt velint cum influxu accidentis admittere quoque influxum substantiæ, velut agentis principalis, nam in productione volunt solum accidens operari, sed eatenus dicunt operari in virtute substantiæ, & vt instrumentum eius, quia ipsa est principium primum, & radicale, à qua accidentia ipsa virtutem producendi substantiam habuerunt, vnde volunt substantiam semper stertere, & perpetuo otio torpere, nec aliquid operari, quam famulorum suorum ministerio,

quæ sunt accidentia; quarè ad argumentum principale dicunt maiorem veram esse de causa principali, non de instrumentali, quale est accidens, quod cum sit virtus substantiæ poterit substantia, quæ est causa principalis, attingere medio accidente, quod est virtus ipsius, productionem substantiæ, accidens verò attingit, non principaliter, & propria virtute, sed instrumentaliter, & virtute substantiæ, sed quia valdè difficile est explicare, qualis sit ista virtus substantiæ residens in accidente, conantur varijs modis hoc declarare Thomistæ. Et in primis Capreolus ita explicat, quod accidens in agendo formam quandam à substantia accipiat per modum transitus, & fluxus, per quam proportionatum redditur ad substantiam. Caiet. verò, quem Recentiores sequuntur: ait, hoc, quod est, accidens esse virtutem substantiæ, non sumi transitiuè; idest quod sit aliquid de nouo in accidente receptum, sed intransitiuè, idest agit per propriam entitatem, quæ est virtus substantiæ.

Sed responsio Capr. reijcitur à Scoto cit. §. *Hic est vna opinio, &c.* quia ista virtus de nouo in accidente recepta non est substantia, quia accidens non substentat substantiam; si est accidens, iam non erit nobilius priori accidente, & dato, quod sit nobilius, adhuc quid improportionatum erit, & imperfectius substantia; Caiet. verò impugnatur ex Scot. cit. Tum quia accidens, vt est substantiæ producere substantiam virtus in hoc sensu, est accidens secundum suam entitatem, quæ est quædam virtus substantiæ insita à natura, concurrere ad productionem substantiæ, sed hoc totum est adhuc improportionatum effectui, ergo alia actio à perfectiori causa proueniens debet assignari. Minor patet, quia hoc totum nil aliud dicit, nisi accidentis entitatem cum illo subordinationis ordine, & habitudine ad substantiam, cuius est virtus, sed ista subordinatio non auget virtutem actiuam accidentis, sicut nec perfectiorem reddit ipsius entitatem; cum sit merè respectus, ergo &c. Et parum valet, quod ait Ruuius, accidens, vt virtus est substantiæ, altioris ordinis esse, & aliquid substantiæ, effectuique proportionatum, secus si secundum entitatem suam consideretur. Non valet, quia adhuc sub isto respectu est imperfectius effectu, quia vt sic non est substantia, quamuis sit aliquid substantiæ, ergo vt sic reduplicatiuè est adhuc improportionatum quod apto satis exemplo manifestari potest, si Principis expensor debeat alicui centum, quid creditori prodest, quod ei debeat nomine principis si princeps non dat, vnde soluat? sic pariter parum accidenti proderit, quod agat nomine substantiæ, & vt ei subordinatum, si vires ei actualiter non suppeditat ad agendum quantum sufficit ad productionem substantiæ, & nihil virtutis deriuatur in ipsum.

94 Respondent Compl. disp. 10. qu. 4. & 5. accidens esse virtutem substantiæ, aliquid addere, non realiter, vel formaliter distinctum, sed virtualiter, per quam formalitatem virtutis, quam ab instanti productionis accepit, manet accidens habitualiter eleuatum ad productionem substantiæ, & propter subordinationem, quam habet ad substantiam, nec refert, quòd illa formalitas virtutis sit accidens, & per consequens eleuari debere; non sequitur eò quia accidens est eleuabile, at virtus illa est ipsamet formalis eleuatio, ideò non indiget alia eleuatione, quam doctrinam videntur ex Masio sumpsisse de Causis sect. 3. q. 4. & seq.

Sed ista respons. impugnata manet ex dictis contra alias; etenim si hoc additum est virtualiter solum distinctum, non poterit vires realiter augere accidentis; & si est ipsa, eleuatio, non se habet vt virtus substantiæ, sed vt quædam conditio, & assumptio accidentis ad causandum, ergo accidens semper remanebit in suo statu imperfectiori. Tum quia per ipsos accidentia, quæ in passo recipiuntur, se habent vt principia actiua substantiæ, & tamen cum in composito subiectentur, in instanti generationis non sunt, ergo non possunt actualiter causare formam; nec dicas ab ipsis relinqui materiam, sigillatam; nam sigillatio illa materiæ est solum quædam extrinseca denominatio, vt tactum est disput. 3. quæst. 1. Tum quia accidens virtutem istam habet, quatenus à tali substantia prouenit, vnde si calor ignis; & calor animalis inter se comparentur vt calores, sunt omnino similes, at si vt virtutes sunt ignis, & animalis per ipsos longè differunt inter se, quia calor ignis habet virtutem producendi ignem, & calor animalis producendi carnem &c. eò quia à diuersis principijs proueniunt, quorum sunt virtutes; sed hoc falsum esset, nam impossibile est, quod aliqua differant actu inter se, & nihil entitatis diuersæ inter illa reperiatur, cum idem, & diuersum sint entis passionis, ergo impossibile est, quod illi calores, vt virtutes differant actu, & tamen hoc, quod est esse virtutem nihil super illos actualis entitatis reduplicet. Tum quia calor ab igne productus est virtus ignis, & solùm virtutem producendi ignem haberet, quia ab illo solo produceretur secundum ipsos; & tamen si iste calor produceretur in stomacho, adiuuaret concoctionem cibi, & consequenter instrumentum esset nutritionis.

95 Accedit, quod influxus ab accidente proueniens est influxus instrumentalis causæ, ergo præter istum debet assignari influxus causæ principalis, quia cuiuslibet effectus debent dari per se causæ principales. Dices, idem influxus, vt ab accidente prouenit, est instrumentalis, sed vt mediatè est à forma substantiali, dicitur influxus causæ principalis. Contra, perfectior est influxus causæ principalis, quàm instrumentalis, sicut causa principalis est instrumentali perfectior, ergo idem simplex influxus erit perfectior, & imperfectior, careret perfectione aliqua, & illam simul haberet, quod implicat. Tum quia si nullo modo immediatè à forma substantiali prouenit, sed solum ab accidente, instrumentalis erit, quia quando calor est separatus ab igne, vel in subiecto distincto v. gr. in ferro, agit influxu nullo modo ab igne proueniente, quia potest esse destructus, ergo iste influxus non erit influxus causæ principalis, sed instrumentalis, aliter denominaret calorem principaliter agentem; sed stante ista opinione, eodem modo calor agit, quando est in igne, qui solum concurrit sustentando calorem, & in genere causæ materialis, non adiuuando effectiuè illum influxum, ergo semper est instrumentalis. Tum quia sicut causa instrumentalis Quæ est illa, quæ agit per rationem instrumentalem Qua, ita causa principalis Quæ est illa, quæ agit per rationem agendi principalem Qua, nam cuicumque Quod correspondet suum Quo, & è contra ex Scot. 1. distinct. 2. quæst. 7. Cc. & distinct. 4. quæst. 2. B. quia cuicunque abstracto correspondet proprium concretum, ergo si ignis solum agit per calorem, vt per virtutem propriam, & hæc virtus est solum instrumentalis, non poterit dici principalis causa, sed instrumentalis; forma substantialis, quamuis ab Aduersarijs dicatur virtus principalis, non per hoc denominabit ignem causam principalem in actu, quia actu per ipsos nihil agit, & solum remotè, & vt causa causæ se habet, quatenus scilicet produxit accidens, quod postea producit substantiam. Tum quia causa debet esse saltim æqualis in perfectiones cum effectu in virtute actiua, quia vt sic agitur & producit, vt diximus supra. Tum quia illud est principium agendi actualiter, in quo passum formaliter assimilatur agenti, si est productio vniuoca, sed passum, seu productum assimilatur in forma substantiali, non accidentali, ergo &c. Tum quia non daretur aliquod accidens naturale, quod dicatur instrumentum coniunctum in causalitate, sed quodlibet esset instrumentum separatum, patet, quia quodlibet accidens in agendo non dependeret ab actuali concursu principalis causæ.

96 Aliter responderi potest hoc Scotico argumento probari solum accidens non esse causam principalem substantiæ totalem, & adæquatam, idque optimè hucusque probatum esse. sed nequaquam probat non esse causam partialem minus principalem, quæ potest esse imperfectior suo effectu, vt patet de albedine respectu intellectionis, & concedit Scot. cit. litt. I. & 2. distinct. 3. quæst. 10. I. & alibi, quæ quidem responsio coincidit cum opinione Suar. ponentis influxum partialem in accidente respectu substantiæ, & solum in nomine differt, quòd Suar. non vocat accidens causam principalem partialem, sed instrumentalem; & fatemur, rationes Scoti non ostendere, accidens non esse causam partialem, sed probant solum, non esse totalem causam; quod intendebat probare in 4. cit. eo quia arguebat contra D. Thom. ponentem accidens separatum habere, vel esse virtutem completam producendi substantiam; at si esset causa partialis, nullo modo sine forma substantiali posset substantiam efficere, Impugnare verò hanc responsionem non est præsentis articuli, quia sufficit, quòd admittat influxum immediatum vnius substantiæ in aliam quod solum hic contendimus, negauimus tamen istam virtutem partialem accidentis erga substantiam, in præcedent. quæst. conclus. 1. & in articul. 4. huius quæst. vbi de actiuitate accidentis erit sermo, de hoc agemus.

Accedit principaliter, quòd immediatè agere dicit perfectionem, ergo si competit formæ inferiori, vt est accidens, non debet substantiæ denegari, quia quod est perfectius, & nobilius, debet poni in rerum natura, si non implicat. Respondet Caietan. & cum eo Ruuius in lib. de Anim. in illa quæst. de distinctione potentiarum ab anima, & Auersa cit. quod agens immediatè vt principium tantum proximum, dicit imperfectionem, quia oportet, quòd sit de genere accidentis agere, vt principium proximum, & principale, dicit summam perfectionem, & infinitam, quomodo Deus agit, agere eandem vt principium principale tantum est mediæ perfectionis, & consequenter rectè substantiæ creatæ conuenit.

97 Sed contra, accidens est principium priucipale, & proximum agendi etiam secundum ipsos in actione accidentali, & patet de calore in aqua, vt dicemus art. 4. & de accidente separato in Sacramento Altaris, ergo hoc, quod est posse esse principale, & proximum principium agendi, non requirit perfectionem infinitam: & maximè quia Auersa q. 21. sect. 8. concedit, substantiam esse principaliter, & immediatè productiuam aliquorum accidentium, Quod verò subdit q. 37. cit. ad 4. hoc ideò esse, quia vnum accidens potest esse alteri proportionatus effectus, & accidens non indiget alio instrumento, ne in infinitum procedatur, & quia plura adminicula requirit substantia, quam accidens, in sui productione, Hoc totum est vanum, quia statim infertur, non esse de ratione formali principij principalis proximi virtutem infinitam. Tum quia etiam substantia est alteri substantiæ proportionatus effectus; & si plura requirit adminicula, sufficit, vt circa accidentia dispositiua terminetur accidentis actiuitas.

Tandem principaliter probatur ex Aristot. 2. de Gener. 54. & 55. vbi reprehendit, qui corporibus potentiam, & virtutem instrumentalem tribuebant, & negabant efficientiam formarum, & 3. Phys. 17. ait, for-

ait, formam esse principium, quo mouens mouet, vt actu homo facit hominem; & 2. Phys. 71. formam coincidere cum efficiente, & fine, & 7. Met. 31. & 32. vbi de hoc tractans, in fine concludit. *Cæterum ex his proprium substantiæ accipere est, quod necesse est præexistere semper aliam substantiam actu existentem, quæ facit, vt puta animal, si animal fit, quale verò aut quantum non est necesse, nisi potentia solum.* Nec potest explicari, vt aliqui volunt, de præexistentia necessaria agentis remoti, quia Aristot. hanc ponens differentiam inter substantiam effectiuam, & accidens effectiuum, quod illa semper necessaria est, vt præxistens efficiat, hoc verò non semper consequenter significat, illam præexistentem ita efficere, sicut accidens, cum præexistit, efficit, hoc autem efficit proximè. Accedunt rationes, quibus artic. seq. probabimus, actionem immediatam non esse substantiæ denegandam.

Soluuntur rationes in oppositum.

98 Sed contra arguitur 1. Tum quia ex 2. de Anim. 10. & 7. Met. 31. habetur, semen esse instrumentum, quo vnum animal efficit aliud, at constat, virtutem seminis esse accidens, & animal in generatione nil agere immediatè, quia potest esse corruptum, ergo solùm agit in virtute seminis, eritque vera causa principalis, aliter non esset verum dicere, equum ab equo generari, nec inter illos essent relationes geniti, & generantis, sed potius à causa vniuersali: & lib. de Sens. c. 4. & 1. de Gen. 51. actio est inter contraria, vt sunt qualitates, vnde ait Aristot. nihil agere, aut pati, quatenus ignis, aut aqua, sed quatenus contrarietatem subit, & 2. de An. 50. asserit, animam calore naturali agere. Tum 2. quia multa generante ab agente distanti, ergo non immediatè ab ipsius substantia, sed media virtute. Tum 3. quia substantia agit media potentia actiua, quæ in secunda specie qualitatis collocatur. Tum 4. quia videmus, substantiam creatam etiam spiritualem vti accidentibus in omnibus suis actionibus. Tum 5. accidens attingit vltimam dispositionem formæ generandæ, ergo erit causa formæ, quia secundum Doctorem 2. d. 18. intantum viuens dicitur causa alterius, quia attingit vltimam dispositionem formæ viuentis.

Respon. ex Doct. 3. d. 2. quæst. 3. & d. 4. & 1. d. 5. quæst. 2. H. generans nullam aliam actionem immediatam habere præter seminis decisionem, cætera verò agere mediante semine; in viuiparis mater non solùm mediatè per semen, verùm etiam immediatè propria virtute attingit corporis formationem, & animationem, præterquam in generatione hominis; dicitur itaque semen instrumentum generantis, non quid verè, & propriè sit instrumentum, nam potius est agens principale, sed solùm quia est quoddam ens à natura institutum, vt vices generantis suppleat; neque virtus seminis est accidens, sed est aliquod substantiale, videlicet partes illæ subtiliores agentes in grossiores, non enim est corpus homogeneum; sed æthereogeneum, vt colligitur ex Scoto in 3. cit. quamquam in 2. dist. 18. nullo modo posuerit semen actium, quia sequutus est alteram opinionem de seminis homogeneitate, vt notat ibi Gratianus, & nos fusè disput. 8. de Gener. & Cor. quæst. 2. art. 1. dicimus. Quare negamus, semen attingere animam, sed solùm formam corporeitatis, neque ad hanc se habere vt causam totalem, nam concurrunt Cœli, & in viuiparis potentia generatiua matris: dicitur autem animal ab alio generari, non quod verè fundetur in generante relatio productionis actiua, quia in instanti generationis per accidens est, quòd generans reperiatur, quare genitum non poterit ab illo dependere essentialiter in esse, sed quia aliquid generantis est in genito, & actio mediata patris non terminatur priùs tempore, quàm sit animatio, sed in eodem instanti habetur, ex Scoto 3. d. 2. quæst. 3. & tandem quia generans statim per decisionem seminis compositum intendit producere, quòd si non producit, nisi medijs illis mutationibus, prouenit ex imperfectione agentis, vt notat Doctor 1. cit. In lib. de Gener. loquitur Arist. vel de contrarietate largè sumpta, quæ inter duas formas substantiales etiam reperitur, vel de actione primaria, primoque congressu; qui est inter accidentia contraria. In lib. de Sens. loquitur de actione intentionali in sensum tactus, quomodo ignis solùm agit, vt calidus, quia substantia non est per se sensibilis. Tandem in 2. de An. inquit Doctor in 4. sæpè cit. in nutritione dari duas actiones, & duo principia, respectu alterationis præuiæ principium est calor, respectu formæ carnis inducendæ principium est anima, Philos. loquitur de prima actione, vel si de secunda, calor concurrit disponendo, non attingendo.

99 Ad 2. patet ex dictis quæst. 4. articul. 3. quòd agens potest agere in distans, vnde principalis causa erit vel Cœlum, vel Deus, quando nequit in his inferioribus assignari præsens, quod etiam non minus vrget Aduersarios ipsos, si agens principale fuerit destructum, meliùs enim est recurrere ad agens vniuersale, cuius est defectum particularis agentis supplere, quam asserere, actu produci aliquem effectum absque causa principali in actu. Ad 3. dicimus ex Scoto 2. dist. 16. & in 4. cit. non quamlibet potentiam actiuam esse in genere qualitatis, sed illam, quæ facilitatem dicit agendi, vt in Log. diximus. Ad 4. falsum esse, substantias semper medijs accidentibus operari, vt dictum est, immò nec substantias spirituales, quarum potentiæ non sunt accidentia, sed realiter cum essentia identificatæ ex 2. d. 16. Ad 5. viuens attingit vltimam dispositionem, quæ est forma substantialis permanens in viuente, at accidens solum attingit dispositionem accidentalem, quæ destruitur ad destructionem formæ corrumpendæ, ideò dispar ratio.

Secundò, non repugnat, effectum excedere in perfectione suam causam totalem, ergo non repugnat, accidens posse producere substantiam, Consequentia patet, quia ex destructione illius antecedentis Doctor infert destructionem istius consequentis, ergo ex positione illius sequitur istius positio; Antec. Prob. sicut effectus duarum causarum partialium potest in perfectione alteram earum excedere, & eius maior perfectio in aliam refundi, vt patet de intellectione respectu albedinis, & intellectus ex Scot. 2. d. 3. quæst. 10. ad 2. princ. ita effectus communis duarum causarum totalium eiusdem generis, sed alterius ordinis se haberi potest, quòd effectus poterit alteram earum excedere, & eius perfectio in aliam refundi, ergo si accidens cum concursu Dei se solo concurreret ad generationem substantiæ, poterit dici causa secunda totalis substantiæ, quia perfectio substantiæ, qua substantia excedit accidens, poterit refundi in ipsum Deum; paritas prob. ex simili discursu Scot. in 2. d. 37. sub T. vbi ait, sicut defectus repertus in vno effectu duarum causarum partialium potest refundi in vnam, non in aliam, ita defectus repertus in effectu duarum causarum eiusdem generis, sed alterius ordinis, poterit in vnam refundi, non in aliam; qua ratione ait, Deum non esse causam peccati, sed voluntatem nostram, quamuis Deus ad positiuum peccati concurrat, ergo idem de perfectione dicendum. Si dicas, argumentum supponere, accidens esse causam substantiæ, quod est falsum. Contra, quia argumentum hoc probat, non supponit, ostendit enim quòd potest dici causa, quia ratio, ob quam negatur, scilicet quod effectus nequit excedere in perfectione suam causam, non concludit, & tu respondes per hoc, quod accidens nequit esse causa, quia exceditur à substantia, quod est petere principium.

100 Respond. totum discursum valere, quando in causa secunda supponitur aliqua virtus saltim inchoata producendi aliquem effectum similem habentem aliquam analogiam, & proportionem cum isto, ad quem producendum eleuatur à Deo, nam Deus non concurrit cum causis secundis, nisi habeant talem virtutem, & sic concedimus, tunc effectum excedere in perfectione causam creatam, quamuis concursus ille non sit generalis, sed specialis, vt dicemus articul. 5. at in accidente talis virtus non reperitur, non enim habet completam, vt patet, nec inchoatam, quia hæc non datur in quolibet ad quodlibet, nisi in eo, quod habet virtutem producendi effectum aliquo modo proportionatum, vt dicemus articul. cit. hinc per istam rationem non petitur principium, immo ex supposito facto in argumento deducitur oppositum, quod accidens non potest dici productiua causa substantiæ. Cum probatur paritas per similem discursum Scoti, dicimus, magnum esse discrimen arguere à defectu, & imperfectione ad effectum positiuum, & perfectionem, quia defectus, cùm sit quid negatiuum, non exigit in causa, in quam refunditur, aliquam positiuam virtutem, sed potius negationem istius virtutis, at perfectio effectus requirit virtutem actiuam, vel totalem, vel partialem, plus enim requiritur ad construendum, quam ad destruendum; vnde potest esse, quod aliqua causa habeat virtutem actiuam in se, & tamen per istam virtutem non sit causa defectus, quia causa defectus non est virtus actiua, sed potius negatio virtutis, at impossibile est, quod negatio virtutis sit ratio productiua effectus.

Tertiò imperfectius potest corrumpere perfectius, vt patet de igne comburente viuens, ergo potest etiam producere, quia corruptio vnius est generatio alterius, ergo accidens corrumpens substantiam, aliam generabit; Tum 2. cuius est disponere materiam pro forma introducenda, eius est expellere formam contrariam, & propriam inducere, sed accidens disponit materiam, ergo, &c. Tum 3. ex Arist. de longit. & breu. vitæ, causa vitæ est calor, & humiditas, causa mortis frigus, & siccitas.

101 Respond. ex Scoto 4. dist. 12. quæst. 3. N. & clariùs litt. X. in illa additione, quod licèt sit vniuersaliter verum, nullum imperfectius posse producere perfectius in sensu explicato, non est tamen vniuersaliter verum, nullum imperfectius posse corrumpere perfectius; verum enim est de imperfectiori actiuo secundùm genus, quale est accidens respectu substantiæ, non tamen de imperfectiori actiuo secundum speciem, quales sunt substantiæ ad inuicem comparatæ, & rationem huius assignat, nam agens naturale non potest corrumpere nisi generando, quia agens naturale non potest annihilare, nec potest materiam nudam omni forma substantiali spoliare, hinc corruptio vnius est alterius generatio; nec potest creatura in accidens per se existens corrumpere, sed oportet, vt corrumpat in substantiam, itaut in fine corruptionis aliquod substantiale relinquat; cùm ergo substantia possit aliquod substantiale producere, non accidens, sequitur, agens substantiale posse substantiam corrumpere etiam perfectiorem, quatenus potest inducere in subiecto dispositionem aliquam incompossibilem cum forma substantiali, non sic accidens; nec inde sequitur, posse etiam perfectius producere, quia vt notat Doct. 4. d. 43. q. 3. ad 2. princ. potens in processum resolutiuum, non necessariò potest in compositiuum, vt potens diuidere lignum, nō potest quaslibet partes diuisas, deinde continuare, idem habet in 3. d. 16. q. 2. F. & G. quia plus requiritur ad constituendum, quàm ad destruendum. Tum quia sub-

subiungit Doct.d.12.cit.duæ substantiæ,licèt vna sit altera perfectior, formaliter,& directè opponuntur, propter quam repugnantiam vna potest alteram corrumpere,at inter substantiam,& accidens est repugnantia virtualis, & indirecta, sicut priùs repugnat cum opposito posterioris.

Dices, ergo quia in viuentibus non est necessaria noua generatio, nam remanet forma corporis, poterit accidens corrumpere viuens. Tum quia plus requiritur ad destruendum, quàm ad generandum, quia simile potest generari à simili, sed quod corrumpitur, requirit agens non simile, sed intensius,& perfectius, calidum enim vt quatuor potest generare calidum vt quatuor, at non potest corrumpere frigidum vt quatuor,sed vt duo,ergo tota responsio ruit.

102 Respondetur, nec posse accidens corrumpere viuens, quia nec omnem dispositionem potest expellere à subiecto necessariam ad animam, vt dicemus in seq. argumento; tum quia non est formalis repugnantia inter formam substantialem, & accidens contrarium,sicut est inter duas formas substantiales, non videmus, quòd substantia est aliquo modo compossibilis cum aliquo gradu accidentis contrarij, non tamen cum alia forma substantiali. Ad aliud, negatur assumptum, sicut est in artificialibus, ita in naturalibus, in illis verò failior est corruptio, vt patet; cum probatur, dicimus, agens esse perfectius, stat dupliciter, vel in essentia, vel in gradibus accidentalibus, & intensiuis, sic calor est simpliciter frigore perfectior in essentia,etiamsi calor sit vt vnum,& frigus vt octo, at frigus vt octo est perfectius secundum quid calore vt vnum; tunc ad argumentum, corruptio requirit perfectius agens secundum quid, & in intensione, concedimus, at generatio requirit agens perfectius, vel æquè perfectum simpliciter cum effectu, ideò difficilior est generatio, quam corruptio; tum quia quod generat, quia debet etiam corrumpere, præsupponitur generationi non solum perfectius simpliciter, vt generans est, verum etiam perfectius secundum quid,vt corrumpens est; videatur Tromb.2.Met.qu.6. vbi ex professo hanc exagitat quæstionem.

Ad secundam Conf. argumenti principalis dicimus, valere quando in eodem agente reperitur vtraque virtus disponendi, & generandi, non verò quando est vnica tantum dispositiua virtus inferioris ordinis vt est in accidente. Ad tertiam,si Arist.intelligitur de illis accidentibus,tunc loquitur tanquam dispositionibus præuijs, & necessariò requisiti; at si intelligitur de humoribus correspondentibus illis qualitatibus,concedimus, causas esse principales conseruationis, & interius viuentium.

Quidam Recentior Scotista spernendo solutionem, quam ad hoc tertium principale argumentum adduximus ex Doctore loc. cit. concedit posse viuens destrui per solam actionem accidentis, quia licèt non sit formalis repugnantia inter formam viuentis, & accidens, est tamen inter dispositionem necessariam ad formam viuentis, & ipsum in certo gradu, cum quo consistere nequit dispositio necessaria ad animam; & ait ex hoc nullum sequi inconueniens, quia in destructione viuentis non est necessaria noua generatio, vnde non sequitur accidens in tali casu substantiam producere. Sed hoc est contra Scotum, qui loc. cit. negat accidens posse corrumpere dispositiones in eo gradu, quem sibi forma substantialis determinat, quæ doctrina communiter recipitur in nostra Schola; tum quia, cum hic Scotista velit substantiam conseruare propriè accidentia sibi connaturalia, & necessaria, resistendo contrarijs, tenetur ostendere, quare substantia, quæ est maioris virtutis, non plus valeat resistendo, quam accidens agendo; tum tandem, quia etiam ostendere tenetur, cur idem contingere nequeat in non viuentibus; sicut enim potest accidens virtute propria destruere dispositionem necessariam ad animam; ita poterit destruere; quamlibet aliam dispositionem necessariam ad formam non viuentem; & cum sin illis corruptio vnius sit generatio alterius, sequitur accidens posse substantiam corrumpere. Sed quid re vera dicendum sit pro totali resolutione huius difficultatis, quæ adhuc magis augescit ex sequenti argumento, constabit ex dicendis articul. seq. in fine.

Quartò, & potest esse impugnatio præcedentis solutionis; substantia nequit naturaliter conseruari spoliata omnibus accidentibus sibi connaturalibus, vt aqua sine omni frigiditate, sed potest accidens, puta calor, propria virtute omnem gradum frigoris ab aqua destruere, ergo & ipsam aquam. Minor probatur, quia omnes illi gradus sunt eiusdem rationis, ergo si potest habere actionem corruptiuam respectu vnius, potest in quemlibet; quod verò hoc faceret propria virtute, Probatur, quia si calor esset separatus, vel in subiecto violento, puta in aqua, tunc se solo ageret, non virtute subiecti; tum quia illi gradus non possunt corrumpi à generante, vt generans est, quia sic respicit substantiam, ergo ab alterante,vt alterans est, ergo medijs accidentibus,vt principijs alterandi.

103 Respon.Doctor litt. O. negan. minorem; ad probat ait, quòd licet omnes illi gradus sint eiusdem rationis, si in se spectentur,attamen quia aliqui sunt simpliciter necessarij ad conseruationem formæ substantialis aquæ, vt est v.gr. vltimus gradus, vel duo frigiditatis, sine quibus aqua statim corrumperetur, alij verò sunt secundum quid necessarij,vt cæteri,& ad benè esse, hinc in ordine ad substantiam,cuius sunt dispositiones, sunt alterius rationis; quapropter calor potest destruere gradus secundum quid necessarios, non verò simpliciter necessarios,non quia in seipsis, & intrinsecè sint maioris virtutis, sed quia substantia pro illis pugnat, & resistit, maior autem,& efficacior est concursus substantiæ, quam accidentis, & ideò nunquam calor propter istud auxilium substantiale potest corrumpere gradus,quos substantia pro sui conseruatione determinat; corrumpuntur ergo illi gradus à corrumpente aquam ad cuius corruptionem concomitanter sequitur illorum destructio, vnde nec ab alterante,nec à generante vt sic, sed à corrumpente substantialiter destruuntur, non quidem primariò, quia sic respicit substantiam, sed secundariò.

Dices, quod est posterius generatione, est prius corruptione, sed illi gradus sunt posteriores generatione, quia consequuntur ad formam aquæ, ergo &c. Tum quia sequeretur, calidum in summo non posse corrumpere frigidum, vt duo; & si gutta aquæ in sphæra ignis esset, in qua solus calor reperiretur, nunquam posset destrui. Respon.Doctor litt. S. maiorem esse veram de his, quæ sunt ordinata in generatione, & corruptione pertinente ad idem genus, vt sunt plures formæ substantiales, sed de subiecto, & propria qualitate sibi connaturali, & necessaria, est falsa. Ad aliud resp.concedendo sequelam, non quidem ex se, sed ab extrinseco propter resistentiam aquæ; ad id de gutta aquæ in maximo calore, ait, quod corrumperetur non à calore, sed ab agente vniuersali, scilicet à Cœlo, ad quod est fuga Naturalium, cum forma inducenda est perfectior, quæ totaliter est in virtute actiua Cœli, & si talis forma esset perfectior Cœlo, puta si esset anima, oporteret recurrere ad primam causam simpliciter.

104 Sed contra istam doctrinam de resistentia substantiæ pro gradu, quem sibi determinat, est difficile argumentum; nam si ex hoc, quòd aqua resistit, nequit accidens corrumpere gradus illos, sequeretur, quod nec aliquem gradum posset destruere, quod est contra experientiam, videmus enim calorem in aqua expellere frigiditatem aliquam ex altera aqua, vel si potest aliquos, ergo & omnes corrumpere; sequela prob.forma substantialis non tantum concurrit ad conseruationem graduum, quos sibi determinat, sed omnium, ergo si potest suo concursu impedire corruptionem illorum graduum, impediet corruptionem omnium, patet conseq.quia eodem conatu pro omnibus resistit,nam in cuius potestate non est agere,& non agere,nec est modus agendi ex Scot.1.d.1. quæst.4. Antec. Prob. quando aqua est sine illis gradibus, quos sibi non determinat, quærit toto conatu naturali, cum agens contrarium non adest, illos de nouo acquirere, & reducere se ad pristinam frigiditatem,ergo quando actu illos habet, quærit etiam illos conseruare, quantum potest, aliter si de illis nihil euitaret, ad quid tam subitò denuo illos in seipsa producere; tum quia si aqua habet potentiam actiuam producendi in se omnes gradus frigoris, ergo habebit potentiam restitiuam actiuam, qua impedit contrarium, ne in seipsam agat, quia istæ potentiæ sunt vna,& eadem potentia, vt communiter dicitur.

Hoc argumentum petit solutionem sequentis articuli, quomodo, scilicet substantia se habeat in ordine ad accidentia.

Postremò arguunt Complut.Existentia, & operatio in creatis realiter distinguuntur, ergo potentiæ ad existere. & operari realiter distinguuntur, quia potentiæ per actus distinguuntur,à quibus specificantur,maximè quando sunt primi actus, vt sunt isti,nam potentia ad existendum respicit primò existentiam,potentia ad operandum respicit primo operationem, sed substantia est potentia ad existendum; ergo debet realiter distingui à potentia ad operandum, ergo non erit immediatè operatiua, sed per accidentia, quæ vt potentiæ operatiuæ sunt à natura substantiæ concessæ. Tum quia influxus, quo substantia attingitur, est accidens,ergo non erit improportionatum accidenti, quod vt virtus substantiæ possit substantiam producere.

105 Hoc argumentum, quantum habeat efficaciæ; patet ex instantijs, quia ipsi adducunt, nec adæquatè soluunt; nam primò substantia in sententia ipsorum respicit existentiam in genere causæ materialis,& operationem in genere causæ efficientis principalis,& radicalis, & tamen istæ potentiæ sunt ipsamet substantia. Nec valet quod dicunt, substantiam respicere operationem propter existentiam & secundariò, & ideò non esse potentias distinctas. Non valet quia idem posset dici de potentia proxima, scilicet quod substantia proximè respiciat operationem vt est perfectio existentiæ; tum quia nequit eadem omniuò potentia duo respicere in diuerso genere causæ; nec potentia proxima, quæ per ipsos instrumentalis est primò respicit operationem, quàm potentia remota, & radicalis,quæ est principalis, nam operatio primariò respicit potentiam principalem, postea instrumentalem. Secundò; accidens ipsum ponitur ab eisdem in potentia ad inexistentiam, & ad operationem, & tamen non operatur per potentiam distinctam, aliter daretur processus in infinitum. Nec iuuat disparitas, quam assignant, scilicet accidens eadem potentia respicere primò operationem, quia est ens entis, idest ens inseruiens substantiæ, & ad operandum à natura institutum, & secundum inexistentiam in gratiam operationis, & ideò non esse duos actus primarios. Non iuuat, quia secundum ipsos etiam esse accidentis est participatio diuini esse suo modo, & per

& per consequens perfectissimum in accidente, ergo non erit in gratiam operationis à natura intentum. Tum quia accidens non solum operatur, vt virtus substantiæ, & ideò instrumentaliter, sed vt tale ens est, & principaliter in actione accidentali, vt ipsi quæst.8. fatentur, ergo si potentia ad esse, & potentia principalis ad operationem debent distingui realiter in substantia, etiam in accidente. Respondemus igitur 1. negando, substantiam esse in potentia subiectiua ad existentiam,cum ab illa realiter non distinguatur, ex dictis disput.2. quæst.2.art.1.& disput.5.quæst.3.art.1. Secundò dicimus, admissa adhuc reali dist. inter essentiam, existentiam, & operationes, non sequi realem distinctionem inter potentias, quia vt Doctor sæpè docet. non est necesse, vt tanta distinctio sit in principijs, quanta in principiatis, vt patet ex multis exemplis, præcipuè in diuinis, vbi principia, scilicet intellectus, & voluntas realiter identificentur, & tamen Filius,& Spiritus sanctus realiter distinguuntur. Ad 2.influxus formaliter secundum nos est ratio denominandi formaliter causam in ratione causæ formalis,non verò est ratio agendi physicè, vt disp. 5.quæst.2. docuimus,idcircò non sequitur,quod accidens possit agere in substantiam; vide disp.5.de Gener.q.6.à n.148.vbi rursus de hac re agimus.

ARTICVLVS III.

An substantia sit immediatè actiua accidentium.

106 TRia occurrunt examinanda circa hoc quæsitum; primum, an substantia seipsa immediatè possit aliqua accidentia producere; secundum, an possit illa producere non solum in seipsa, & actione immanenti, verum etiam in subiecto distincto, & actione transeunti,tertium,an non solum producat,verum etiam conferuet; exemplum,an aqua seipsa producat frigus,& non solum in se,verum etiam in manu,itaut manum infrigidet non tantum frigiditate,quam habet, & actione vniuoca, sed etiam per propriam formam substantialem, & actione æquiuoca; tandem, an præter influxum productiuum erga frigus,habeat quoque conseruatiuum,vt frigus in fieri, & conseruari ab aqua dependeat.

Circa 1. est vna Opinio Thomistis adscripta, negans omninò,substantiam productiuam esse accidentium, sed hæc medijs potentijs efficere,quæ potentiæ non ab essentia,sed à generante formam substantialem producantur. Recentiores verò communiter hanc actiuitatem concedunt substantiæ, licet postea discrepent in assignatione horum accidentium,circa quæ substantia exerceat istam causalitatem. Circa 2.Maior in 4.d.12. qu.2.concl.3. & 6. & Rubion ibidem quæst. 6.art.2.asserunt,substantiam non solum in seipsam,verum etiam in alienum subiectum accidentia producere; communis tamen hoc negat,ita Suar.disput.18.Met.sect.5. Auersa q.21. sect.8. Hurt.disput.9. Phys.sect.3.subsect.2.concl.1. Circa 3. concedit Suar.influxum conseruatiuum in accidentia,non solùm productiuum, ita disp.cit.sect.3. nu.10. est communis apud Scotistas quo ad illos gradus,quos sibi determinat pro sui conseruatione cum Scoto in 4.d.12.q.3.R. & X. negat Auersa q.14.sect.4.

107 Dicimus 1. substantiam immediatè efficere aliqua accidentia, ita Scot.in 2.dist.16. & in 4.d.12. quæst.3.E. estque communis sic generaliter prolata, quam probat Doctor ex 7. Met. 32. in præced.art.cit. vbi vult Aristot. quod ad hoc vt substantia fiat, est necesse aliam substantiam præexistere, quæ producat, sed ad hoc, vt quantum, & quale producatur, non oportet aliquod quantum, vel quale præexistere nisi potentia tantum, ergo aliquod, quod non est actu quantum, vel quale potest esse priucipium productiuum immediatum quanti,vel qualis, & loquitur ibi Philos.de vera actione, vt patet legenti textum, sicut vera actione substantia præexistens aliam substantiam producit. Secundò probat Scot. ratione; quia in efficientibus, & effectibilibus omnis ordo accidentalis efficientis, & effecti in eadem specie redigendus est in aliquam causam essentialiter perfectiorem, at cùm vnum accidens fit ab alio in eadem specie, vt hic calor ab hoc calore, ibi cadit ordo accidentalis in efficiendo, ergo redigendus erit in aliam causam essentialiter perfectiorem, quæ vel est accidens, vel substantia; si secundum, habetur intentum; si primum, arguitur de indiuiduis illius speciei, sicut de prioribus, quousque deueniatur ad substantiam tanquam ad perfectiorem causam immediatam, quia in essentialiter ordinatis non est processus in infinitum. Tum quia si substantiæ tribuitur actio immediata in substantiam, quare non in accidentia, quæ sunt imperfectiora, & nobiliori modo continentur in substantia, quæ est superioris ordinis?

Accedit experientia de aqua calida reducente se ad pristinam frigiditatem, quæ frigiditas non est à generante,quia potest esse distans, vel corruptum; neque à residuo frigore in aqua relicto, quia idem intenderet seipsum actione vniuoca, quod est falsum, vt dicitur in lib.de Gen. neque ab aere circumstante, vt ait Tol. nam semper aqua frigidior fit;quam sit aer, & idem eueniret; si in vacuo poneretur; non enim est verum, quod ait Tol.in casu corrumpi calorem ab humiditate aquæ,absque eo, quod introducatur frigiditas, nam calor non opponitur humiditati, & naturaliter vna forma contraria expellitur ab opposita; neque tandem ab aliqua virtuali, & occulta qualitate, vt dicunt Iauell. & Auersa, qui postea admittit,hanc virtutem esse immediatè à substantia, sed Iauellus esse à generante impressam sustinet; quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, cùm possit hæc actiuitas in substantiam immediatè refundi absque aliquo inconuenienti,vt videbimus soluendo rationes; & rationabilius, quia experientia suadet, non dari istam virtutem, nisi ex ista actione,de qua est quæstio; Tum quia virtus ista,cum sit qualitas suscipit magis,& minus,quę est proprietas qualitati in communi competens, & consequenter omnibus qualitatibus, tam materialibus, quàm spiritualibus,tam naturalibus, quàm supernaturalibus, quando ergo remittitur,à quo postea intenditur? non à seipsa,vt patet; si ab aqua,habetur intentum; si à Deo, ergo idem de frigore dici posset absque recursu ad istam occultam virtutem.

108 Dices, qualitates istas, cum sint connaturales, fieri non per actionem, sed per resultantiam; ideoque non denominari substantiam respectu istorum actuum. Sed hæc est quæstio de nomine, nam supra quæst.2. & 3. diximus, resultantiam stare cum vera efficientia,quando res resultans realiter à sua causa distinguitur; qua ratione, quia passiones realiter ab essentia differunt secundum Thomistas, immediatè ab ipsa fluunt. Cœterum non potest assignari certa regula ad dignoscendum, quænam accidentia fluant immediatè à substantia; nam quod ait Suar. hæc esse, quæ ad consummatam ipsius substantiæ perfectionem pertinent, & in suo statu naturali constituunt; & quod addit Auersa, hæc esse, quæ sunt interna,fixa, & inuariabilia circa ipsam substantiam, quæ verò externa sunt, vel variabilia, produci per alia accidentia, impugnari potest exemplo actuum vitalium, qui substantiam supponunt in naturali statu constitutam,& variabiles sunt,& tamen immediatè ab anima causantur, cuius potentiæ realiter ab illa non distinguuntur, vt dicimus cum Scoto 2.d.16.in lib.de Anim. Quapropter posset dici saltim vt plurimum,quòd quæcunque accidentia immediatè insunt substantiæ, & in ea fiunt actione quadam immanenti, à substantia fieri; quia si accidens fit actione quadam immanenti, non potest fieri ab alio,quod sit extra suum subiectum, etsi immediatè illi inest, & non quia aliud accidens inest, non potest fieri medio alio accidente, sicut habitus fit medijs actibus; & albedo mixtione tali primarum qualitatum.

In oppositum præter rationes, quibus probatur, idem non posse in seipsum agere, adductas quæst.4.art.2. potest adhuc instari ex Caiet.1.p.quæst.54.art.3. Tum quia nullius substantiæ esse est sua actio, ergo nulla substantia est per suam essentiam actiua. Consequentia probatur, quia secundum diuersitatem actuum oportet esse diuersitatem potentiarum propriarum, quia vnusquisque actus proprius correspondet propriæ potentiæ,sed actio, & esse sunt actus diuersi,quorum propriæ potentiæ sunt substantia,& vis operatiua,ergo substantia, & eius vis actiua erunt diuersæ, ideoque nulla substantia per suam essentiam erit potentia actiua. Tum 2.& redit in idem, sicut se habet esse ad essentiam,ita operari ad potentiam, ergo per commutationem proportionis sicut se habet esse ad operari, ita essentia ad potentiam,sed in creatis esse distinguitur ab operari, ergo essentia quoque à potentia. Tum 3. substantia creata est limitatum ens ergo non potest esse totale, & proximum principium accidentalis actionis, quod deducitur ex improportione,& distantia,quæ est inter substantiam,& accidens,quæ non possunt coniungi,nisi per aliquod proportionatum medium, qualis est potentia accidentalis. Tum 4. quia actus,& potentia pertinent ad idem genus ex 12.Met. 26.& 28. ergo substantia non producit accidens, nisi media potentia accidentali. Tum 5.quia actus est semper nobilior potentia ipsum respiciente, ergo potentia,qua substantia producit accidens,non est ipsa substantia, sed aliud accidens.

109 Respon.negan.conseq. ad probat. dicimus, maiorem non semper esse veram, idem enim principium potest esse diuersorum actuum, quando est illimitatum, & ad summum concludere potest distinctionem formalem inter potentias,& essentiam,non realem,vt ait Doctor de potentijs animæ; ad minorem dicimus, quod si per ly esse intelligatur esse substantiæ productæ,negatur quòd sit actio, sed est terminus actionis; si verò esse substantiæ producentis, nec etiam est actio sed ratio agendi, vt diximus supra q.4.art.1. de existentia; Hinc ad 2.negatur paritas,quia esse ab essentia non distinguitur realiter,sicut operari à potentia. Ad 3. non requiritur proportio in entitate in causis æquiuocis cum effectibus, sed actiui ad passiuum, quæ innotescit per experientiam ad esse inter substantiam,& accidens. Ad 4. dicimus cum Scoto 2.d.16.propositionem illã,quæ 9.Met.13.habetur,intelligi de potentia obiectiua,& actu entitatiuo,non de potentia virtuali,& actu formali,& contra ipsos sequitur, substantiam, non accidens,esse productiuam substantiæ. Ad 5. Antecedens est verum de actu formali,& de potentia passiua,vt se habet forma respectu materiæ, non de actu producto, & potentia productiua,nam saltim æquales in perfectione debent esse.

Secundò ad idem; Tum quia nullum simplex creatum potest esse totale principium diuersarum operationum,cum ex se sit indifferens, vnde in receptiuo requiruntur dispositiones determinantes potentiam receptiuam,ergo,&c. Tum 2.quia accidens variabile non inest substantiæ, nisi mediante accidente inuariabili, ergo saltim accidentia variabilia non proueniunt immediatè à substantia; Tum 3. inquit Auersa, species vini in Eucharistia calefactæ redeunt ad pristinam frigiditatem, maximè in sententia ponentium, aquam posse imme-

immediatè in sanguinem Christi conuerti, signum euidens, quòd detur illa virtus frigiditatis productiua. Tum 4. quia si substantia esset potentia actiua accidentis, deberet definiri per additamentum, sicut quælibet potentia definitur per actum, ad quem ordinatur, quod est falsum ex 7. Met.

110 Respon. Doctor in 2. cit. negando assumptum cum probatione ex principio passiuo desumpta, quia materia se ipsa, non medijs dispositionibus recipit formam; veluti rationibus recipiendi, cum potius concurrant in genere causæ efficientis ex dictis disput. 2. num. 109. tum quia daretur processus in infinitum, quia nec posset aliqua accidentia recipere nisi medijs alijs. Ad 2. negat assumptum tanquam voluntariè dictum, nam si illa virtus est variabilis, non poterit immediatè à substantia prouenire; si inuariabilis, ergo si potest producere immediatè variabile, puta frigus, cur non etiam substantia? Ad 3. dicimus, in casu frigus redire, vel ab ambiente, vel à Deo ex vi antecedentis miraculi, vt fides locum habeat, quod dicere debet Auersa, si illa virtus remitteretur. Ad 4. si substantia reduplicatiuè consideretur, concedimus, definiri debere per additamentum, quia vt sic dicit ordinem ad effectum producibilem; at si secundum se, & in prima notione spectetur, negatur sequela, & hoc modo intelligitur Aristoteles 7. Met.

Dicimus 2. accidentia, quorum substantia est in se ipsa immediatè productiua, & non solum actione immanenti, sed transeunti sunt producibilia, possunt quoque transeunter à substantia illa produci, & sic ignis non solum calore calefacit, verum etiam propria forma substantiali. Hæc conclus. docetur à Doctore in 2. dist. 9. q. 2. Q. vbi ait, calorem simul produci posse à Cœlo, & igne, vel à substantia, & qualitate tanquam à duabus causis subordinatis; constat autem, calorem à qualitate, scilicet ab altero calore non produci, nisi transeunti actione, & in alienum subiectum, sic etiam à Cœlo causatur, ergo si per Scotum substantia simul cum qualitate est productiua caloris, non solùm in seipsa, & immanenter, verùm in alienum subiectum, & transeunter quoque producet calorem; & probatur ratione illa, qua Doctor ibidem §. *Ad quæstionem istam, &c.* probat intellectum posse producere intellectionem non solùm in seipso, sed etiam in alio: illud, quod sufficienter est in actu primo respectu alicuius effectus, potest illum causare in receptiuo proportionato approximato, vt in simili diximus supra q. 4. art. 2. sed ignis v.g. est sufficienter in actu primo caloris productiuus, & potest esse aliquod subiectum capax approximatum, ergo &c.

111 Dices, non esse formam substantialem actiuam caloris in extremum subiectum, sed tantum in se ipsam. Hoc non valet, quia perfectior actio est ignitio, quàm calefactio, cùm illa sit substantialis, hæc accidentalis, & consequenter maiorem perfectionem requirit in principio actiuo illa, quam ista, sed potest ignis immediatè agere per ignitionem in distans, ergo multò magis per calefactionem. Tum quia minus videtur posse produci intellectio transeunter, quàm calor à forma substantiali eodem modo, sed intellectio potest taliter fieri ex Doct. cit. ergo &c. Maior patet, quia intellectio communiter dicitur actio immanens. Tum quia agens naturale in distans agit vniformiter difformiter, itaut quo magis passum distat, eò remissiorem qualitatem in illo producit, vnde multi Authores asserunt, solùm in superficie ambiente agens vniuocum producere effectum sibi omninò similem, sed calor in summo, quomodò reperitur in igne, est producibilis in subiectum distans, & de facto producitur, cum v.g. subiectum illud comburitur, ergo necessariò ad calefactionem illam non tantum calor ignis, sed etiam forma substantialis concurrit, quia solus calor non potest in distans alium calorem omninò similem producere, sed adiuuabitur à substantiali forma ignis.

Diximus in conclus. quorum substantia in seipsa est immediatè productiua, quia multa accidentia sunt, quæ insunt substantiæ, sed dependent ab alijs accidentibus, ad quorum variationem variantur, sic se habent grauitas, & leuitas, & cœteræ secundæ qualitates, quæ secundum variationem aliarum qualitatum variantur, signum euidens, non immediatè, & totaliter à substantia in seipsa produci. Insuper multa sunt accidentia, quæ licèt à substantia prouenianr, non sunt tamen actiua aliorum eiusdem speciei, sed alterius, & æquiuocè, quorum non erit etiam substantia productiua, quia nulla apparet ratio huius continentiæ; sic estò grauitas sit à forma substantiali, cum ipsa non sit actiua alterius grauitatis, sed motus deorsum, non videtur, quòd forma substantialis sit immediata causa talis motus, sed remotè, & vt causa causæ, aliter esset quoque immediata causa cuiuscunque secundæ qualitatis, quia immediatè causat primas, quod sine aliqua ratione non est asserendum; & hoc modo intelligendus est Doctor, cum in 2. d. 2. quæst. 10. F. ait, grauia, & leuia à proprijs formis substantialibus moueri naturaliter, quatenus scilicet sunt principia prima, per se, & radicalia illorum motuum, non proxima, & immediata.

Addidimus etiam, quæ immanenter, & transeunter sunt producibilia, quia dantur aliqua accidentia quæ solùm immanenter petunt produci, vt sunt omnes sensationes, & intellectiones intuitiuæ, quæ requirunt obiectum immediatè immutans potentiam illius actus elicitiuam. Præter ista accidentia, cœtera probabiliter sustineri potest à substantia transeunter quoque posse produci. Ex his patet, quàm sine fundamento Arriag. disput. 11. Phys. sect. 2. subsect. p. admittat in substantia nobiscum virtutem hanc productiuam accidentium etiam transeunter, & deinde neget substantiam de facto eam exercere; si enim ignis potest aquam calefacere, quando esset omni calore destitutus, cur non calefaciet aquam per suam quoque formam substantialem partialiter, dum est calore præditus? cohortium enim aliarum causarum adiuuare solet, non impedire actionem.

112 Sed contrà instatur; Tum quia si hoc esset, citiùs calor cum igne ageret, & fortiùs, quàm ab igne diuisus propter intensiorem virtutem in principijs illis, sed contrarium experitur, nam calor in ferro, vel in aqua fortius agit, si manus approximetur, quàm cum igne; & in Sacramento altaris eodem modo accidentia agunt, ac cum erant coniuncta. Neque dicas, prouenire in ferro propter maiorem densitatem materiæ, & maiorem approximationem, quæ iuuant ad fortius, & citiùs agendum; Non valet, quia si ex hac parte adsunt istæ conditiones, ex parte caloris igni coniuncti adest maior intensio formæ caloris, quam sit in ferro, vel aqua, & maior perfectio principij actiui, quia simul ignis concurreret. Tum 2. quia accidentia superfluerent. Tum 3. quia substantia esset per se sensibilis seclusis accidentibus, quod est falsum. Tum 4. quia substantia, quæ est virtualiter actiua in alienum subiectum, agit per qualitatem virtualem, v.g. vinum, & venenum causant calorem, vel frigus in homine, non per formas substantiales immediatè, sed per virtuales qualitates, quod patet, quia hæc virtus intenditur, & remittitur, manente eadem substantia, etenim venena præparata non habent ampliùs vim nociuam, quam priùs habebant, ergo vel ignis media virtuali qualitate causabit calorem, quod respuimus, vel non erit ex se calefactiuus transeunter.

Respon. concedendo sequelam, ad improbationem de ferro, & aqua dicimus, valde impediri actionem à distantia, & raritatem materiæ; neque iuuamen ignis est adeò excedens, quia non ponimus cum Rubione, ignem fortius agere calore, cùm experientia obiter, vnde, & calor separatus vincit actionem aquæ conseruantis frigiditatem in seipsa, vt dicemus in sequenti conclus. Ad id de speciebus Sacramentalibus dicimus, causalitatem subiecti suppleri à Deo, vt mysterium non agnoscatur. Ad 2. accidentia non superfluunt, quia sunt data substantiæ ad eius perfectionem, vt citiùs possit agere, perfectius existere iuxta connaturalem statum, & vt perceptibilis esset à sensibus. Dices, contrà, ad 1. munus non conferrent, vt scilicet substantia citius agat, quia si ignis habet virtutem producendi calorem in seipso in instanti, sic etiam posset producere in alieno subiecto capaci, si impedimentum non reperiret; neque ad 2. quia supposito, quod calor nihil igni deferuiat ad agendum, non existeret ignis connaturalius sub calore, quam sine calore, neque ad 3. quia sufficeret, vt sentiretur ignis mediante calore ab ipso producto in alieno subiecto. Respon. neg. assumptum quo ad omnes partes, conferunt enim ad citius agendum, quia licèt ignis in seipso producat in instanti calorem, non tamen ita celeriter producit in alieno subiecto, & ideò potest ab accidentibus adiuuari, tum quia non ponimus ignem fortius agere calore, vt aiebat Rubion, tum etiam quia debebat, & decebat dari in rerum natura propagationem vniuocam accidentium, & non tantum æquiuocam: Ex quo patet ad alteram instantiam, cui accedit, quod etiamsi accidentia non iuuarent connaturalem statum substantiæ agendo, iuuarent saltim resistendo contrarijs, vt in suo connaturali statu conseruaretur, cum substantia minus resistere valeat, quàm accidens ex mox dicendis: nec tandem vltima instantia valet, quia tunc ignis v.g. non sentiretur, sed potius aqua, in qua calorem produxit. Ad 3. in casu substantia non sentiretur formaliter, sed solùm calor ille causatus in manu, v.gr. sentiretur, licèt postea argueret intellectus ignis præsentiam, si nec videretur, sicut euenit cum aliqua substantia agit per qualitatem occultam, producendo calorem, quamuis formaliter non sit calida. Ad 4. negatur paritas, quia venenum v.gr. ideò est per virtualem qualitatem actiuum frigoris, quia frigus non est qualitas ipsi connaturalis; vt est aquæ, neque est causa totalis, aut respectu cuiuscunque frigefactibilis, vt diximus quæst. 4. art. 2. in fine, non sic ignis se habet respectu caloris; accedit experientia, quia venenum agit per virtutem mediam ex hoc, quòd videmus, illam remitti; ignis, vel aqua seipsis, quia eandem semper habent potentiam, quamdiù durant.

113 Dicimus 3. si conseruatio propriè sumatur, quatenus dicit dependentiam effectus non solum in fieri, verùm etiam in facto esse, accidentia à substantia in seipsa producta non conseruantur ab illa, si verò impropriè accipiatur, vt dicit remotionem, & impedimentum contrariorum, ne agant in illa accidentia, possunt dici conseruari à substantia; Conclus. habet duas partes. Prima quòd propriè non conseruentur, Prob. propria conseruatio dicit dependentiam essentialem, qua effectus dependet à sua causa non solum in fieri, sed in facto esse continuata, sed ista accidentia (loquimur præcipuè de primis qualitatibus, inter quæ cadit actio destructiua) non sunt nata sic dependere essentialiter ex dictis supra quæst. 2. & patet, cum sunt in alieno subiecto, ergo, cum sunt in proprio subiecto non dependebunt essentialiter ab illo in genere causæ efficientis, Patet consequentia, quia impossibile est relationem aliquam dependentiæ fundari in aliquo subiecto, quod est incapax talis relationis. Tum quia dependentia semper arguit imperfectionem in re dependenti, sed ista acci-

accidentia, cum inhærent proprio subiecto, non sunt imperfectioris conditionis, ac quando sunt in alieno, ergo si in isto non dependent in conseruari, nec in illo.

Secunda pars, quòd impropriè conseruari dicantur, Prob. quia substantia ex dictis habet potentiam actiuam producendi ista accidentia, ergo habet quoque potentiam resistitiuam actiuam impedientem contraria, ne propria accidentia destruant, patet consequentia, quia secundum omnes potentia resistitiua actiua est ipsamet potentia actiua agentis, inquantum impedit contrarium, ne in idemmet agens, à quo ipsa egreditur, reagat, aut ne tanta velocitate, vel intensione, vt dum ignis calefacit aquam, sua potentia actiua non solum agit in aquam, verum etiam debilitat virtutem aquæ, ne in ipsum ignem reagat, aut si reagere permittitur, non tanta velocitate, aut intensione, ac ageret, si non impediretur, hoc totum autem est conseruare impropriè. Sic innuit Doctor, cum in 4. dist. 12. q. 3. à lit. R. & seq. ait, substantiam conseruare propriam, & connaturalem qualitatem, & pro illa resistere, ne à contrario corrumpatur; quam doctrinam clarius explicabimus in solutione rationum in contrarium.

Rursus instat quidam Recentior, quia respectu accidentium connaturalium substantia virtutem habet conseruatiuam, non minus quam productiuam, nec alia causa secunda conseruatiuo conuenientius assignari potest, quam ipsa, & certum est, quod illa accidentia inhæri, & conseruari dependent ab illa substantia; quod autem non essentialiter dependeant sic, quin possint conseruari ab alijs causis sine dependentia ab illa substantia, nihil facit ad rem, falsum est enim, quod conseruatio propriè dicta inuoluat talem dependentiam, sufficit enim dependentia per se, licet non sit essentialis. Respon. immo hanc esse conseruationem propriè dictam, quando effectus nempè ita in fieri, & conseruari à sua causa dependet, vt sua causa remota statim euanescat, quemadmodum dicimus de lumine, vt constat ex dictis quæst. 2. huius disput. ad cuius differentiam conseruationem factam per remotionem, & impedimentum contrariorum appellamus impropriè dictam, sed quocunque modo appelletur, ne fiat lis de nomine, hoc nobis sat est, quod illa accidentia connaturalia non pendeant omnia à substantia, in qua resident, in fieri & conseruari, ea necessitate, qua dicitur Lumen pendere à corpore luminoso, & alij effectus, qui dicuntur a suis causis pendere in fieri, & facto esse.

114 Sed contrà instat Suarez, probando, hæc accidentia propriè conseruari à substantia; Tum quia substantia retinet semper eandem vim causatiuam, est semper præsens, ergo semper agit. Tum 3. quia sic melius saluatur, cur qualitas in proprio subiecto difficiliùs corrumpatur, quam in alieno, propter scilicet actionem conseruatiuam subiecti.

Resp. faciliter, non sufficere illam vim ad conseruationem, quia requiritur capacitas in effectus, quæ non adest in præsenti. Ad 2. conseruantur à Deo immediatè, non media causa secunda. Ad 3. saluatur illa difficultas propter conseruationem impropriam, & resistentiam actiuam subiecti, & quia alienum subiectum quærit illam qualitatem expellere.

Secundò contra 2. partem arguitur ratione tacta in fine præcedentis articuli, si enim omnes gradus substantia conseruat resistendo, & impediendo, iam nullum gradum posset accidens corrumpere accidentis contrarij existentis in connaturali subiecto, quia plus potest substantia sua actione, quàm accidens, vt docet Doctor 4. distinct. 12. quæstion. 3. X. & ratio suadet, quia cum substantia sit perfectius ens, & æquiuoca causa perfectius aget, quàm accidens, nam causa æquiuoca continet perfectiori modo effectum, scilicet eminenter, quàm faciat vniuoca, qua ratione Doctor cit. solùm asserit, substantiam pro gradu, quem pro sui conseruatione determinat, resistere, illumque conseruare, quod sæpè repetit in illa distinctione.

Respondemus, negari non posse, substantiam non solum vltimum gradum, verum etiam omnes conseruare, sicut omnium est productiua; negatur tamen, accidens propria virtute non posse corrumpere aliquem gradum, quia potest habere virtutem ita intensam, vt superet non solùm accidentis contrarij virtutem, verùm etiam virtutem substantiæ, maximè quia agendo, agit tota virtute, & accidens contrarium, sicut, & substantia formaliter resistit solùm secundum illam partem, in quam accidens agit, vt dicimus in lib. de Gener. disput. de Actione, & Reactione, cum dicitur, quòd plus valet substantia, quàm accidens in agendo, ex hoc quod est perfectior causa, hoc debet negari, quia videmus, multa virtualiter calida, vt sunt piper, vinum, & etiam ipse Sol, quamuis sint causæ æquiuocæ, non producere tamen calorem ita intensum, sicut aqua feruens; immo, quando aqua reducit se ad pristinam frigiditatem, non statim expellit à se calorem, sed in tempore, signum euidens, calorem habere talem potentiam, quamuis sit omni auxilio ignis destitutus. vt posit resistere potentiæ actiuæ aquæ, nam successio in alteratione prouenit ex resistentia contrarij. Nec ex perfectiori entitate substantiæ debemus semper arguere perfectiorem virtutem actiuam in agendo, nam quamuis ex perfectiori virtute actiua necessariò argui debeat perfectior entitas in causa, vt fusè ostensum est articul. præced. non tamen è contra ex perfectiori entitate perfectior virtus, habemus enim instantiam præcipuè in Angelis, qui solum motum localem possunt causare in his inferioribus, vt cum Scoto 1. distinct. 7. G. notauimus artic. præced. concedimus quoque, perfectiori modo continere effectum, quem potest producere, non tamen sequitur, continere perfectiorem effectum.

115 Solùm vrget authoritas Scoti adducta, & communis opinio Scotistarum, amplectens doctrinam illam à Scoto traditam de gradu vltimo, quem sibi forma substantialis determinat; qui solùm à corrumpente formam substantialem potest corrumpi, quod necessariò est aliquod substantiale, vt diximus art. præc. & disput. 5. qu. 8. art. 1.

Attamen aduertendum, quòd Doct. d. 12. cit. quæst. 3. N. duplici via incedit respondendo ad rationem illam probante n, accidens separatum posse substantiam corrumpere, & quòd potest in omnem gradum accidentis connaturalis, etiam posse in necessariò naturaliter requisitum ad conseruationem substantiæ; primò enim concedit, accidens separatum ex se posse in quemcunque gradum, *Sed propter*, inquit Doctor; *subiectum, in quo est contrarium, quod determinat sibi aliquem gradum magis, quam alium, possibile est, quòd non possit in omnem gradum contrarij, inquantum contrarium est in tali subiecto eodem modo, quo prius potuit.* Deinde aliam adducit respons. dicens, *Alio modo potest dici, quod, & si posset in omnem gradum alterationis, in quem potuit coniuncta, non sequitur, quòd possit in corruptionem substantia; ratio huius est ista, quia generatio non potest à corruptione separari, comparando ad agens naturale, &c.* in ista secunda responsione, vt patet, admittit Doctor, posse accidens separatum omnem gradum accidentis coniuncti destruere, etiam vltimum, sed negat consequentiam, quòd accidens possit corrumpere substantiam, quia omne corrumpens debet esse simul generans, at accidens separatum non est generans substantiam, ergo nec corrumpens; & adest alia ratio negationis huius consequentiæ quam inferiùs assignat litt. X. scilicet, quia inter accidens, & substantiam non est oppositio formalis, sed virtualis, *Sicut prius repugnat opposito posterioris & posterius opposito prioris, posterius autem secundum genus non potest per se, nisi in oppositum sui generis, & ideò non potest in corruptionem prioris secundum genus, cui non opponitur, nisi indirectè.* Talis igitur substantia, & si à contrario accidente omni gradu expoliaretur, non corrumpitur ab accidente, sed à substantia opposita, & si hæc non adsit præsens, recurrendum erit ad causam vniuersalem.

116 Cum ergo secundum Doctorem accidens possit in quemlibet gradum, & etiam substantia omnium gradum sit actiua, sequitur secundum istam viam, nec substantiam determinare sibi aliquem gradum, itaut sine isto, vel aliqua sui parte non possit esse, nec ita actiuam esse, vt superet omnino actiuitatem accidentis contrarij, quare cum Doct. asseruit, substantiam resistere pro vltimo gradu, & plus valere ad resistendum, quam accidens ad agendum, locutus est secundum primam responsionem, vt ipsemet innuit in fine illius responsionis dicens, *Et ista responsio declarabitur ex sequentibus.*

Si quis igitur potest saluare actionem accidentis immediatam in alieno subiecto existentis (nam si esset in proprio, iuuaretur ab eo in agendo) cum concursu substantiæ resistentis, pro vltimo gradu tantum posset sequi primam viam; sed nobis difficile videtur, eò quia substantia pro omnibus æqualiter resistit, & dato, quòd non æqualiter, sed magis pro vltimo, quam pro alijs, adhuc quia secundum illam viam plus valet substantia resistendo, quam accidens agendo, statim ac concursus aliquis substantialis conseruatiuus pro alijs gradibus admittitur etiam minimus, longè superaret omnem actiuitatem accidentis contrarij. Idcircò secundam amplectimur responsionem, vt fecit etiam Bassol. in 4. dist. 12. quæst. 2. articul. 3. respondendo ad primam instantiam, & ad tertiam, vbi postquam doctrinam communem de gradus determinatione adduxit, hanc deinde subiunxit responsionem, tanquam probabiliorem, licèt alio motiuo sit adductus ad istam sequendam.

Dices, stante ista Doctrina sequitur, quòd nunquam alterans posset inducere aliquem gradum incompossibilem formæ substantiali corrumpendæ, & sic cum quocunque gradu inducibili ab ipso potest stare forma substantialis corrumpenda, & ita per nullam alterationem potest corrumpendum corrumpi Respon. Doctor litt. O. quòd nunquam potest alterans inducere gradum incompossibilem alterabili, quia non potest mouens inducere gradum incompossibilem suo mobili; nam mobile manet in toto motu, ergo sub omni gradu per motum inducto, sed nihil manet sub aliquo sibi incompossibili; tum quia prius naturaliter, qualis est substantia, non corrumpitur per aliquid posterius naturaliter, quale est quicquid est inductum ab alterante, vt alterans est; ideoque cum alterans induxit omnem qualitatem, quam potest producere, vel sufficientem pro introductione alterius substantialis formæ, statim sequitur generatio, nisi aliquid impediat.

ARTICVLVS IV.

Quomodo accidentibus actiuitas conueniat, explicatur.

117 POtest accidens in ratione actiui comparari, & ad aliud accidens & ad substantiam; si ad accidens comparetur, sic omne illud, quod proprias habet passiones, & quod aliud recipit in se ab ipso resultans, dicetur principium actiuum eius, vnde in hoc sensu, quia quantitas habet affectiones proprias, & ab ipsa multæ relationes emanant, quæ verè rationem effectus habent, ex dictis quæst.2. erit verè causa efficiens illarum, idem etiam de aliquibus relationibus dici poterit supposito ex dictis in Logica disput. de Relatione, quod super vnam relationem altera possit fundari. Attamen si efficientia strictius sumatur, prout scilicet dicit veram productionem, & per se acquisitionem alicuius formæ, sic tantum qualitati agere conueniet, quantitas enim non est per se actiua alterius quantitatis, sed potius habet rationem materiæ, nec respectu relationum dicetur homo per se causa, sicut nec relationes dicuntur per se effectus, cum acquirantur ad acquisitionem alterius; nec etiam relatio habet rationem actiui, quia si ipsa per se non acquiritur, minus videtur, quòd possit esse principium per se effectiuum alterius, ita docet Doctor in 4.d.1.quæst.5.F. remanet igitur, quod per se actiuitas inter accidentia soli qualitati conueniat, videmus enim calorem ab alio calore produci; licet postea sit difficultas, cuinam speciei conueniat; quod ad peculiares attinet tractatus. Solum ergo est dubium, quomodo accidens dicatur causa respectu alterius, an scilicet principalis, an instrumentalis; & ne de nomine contendamus, non loquimur de causa secundum vltimam denominationem, clarum enim est, hanc esse suppositum substantiale, sed de causa immediata, & proxima, seu de principio, & virtute, qua suppositum producere denominatur accidens, an scilicet accidens dicatur virtus instrumentalis, an verò principalis; idem respectu substantiæ quærimus.

Fonseca 5.Met.c.2.quæst.6.sect.6.Conimb.2.Phys.c.7. quæstio.18. artic. 3. in fine afferunt, accidens instrumentaliter concurrere ad productionem alterius accidentis, non principaliter. Communis tamen Opinio oppositum docet, ita Scot.4.d.12.quæst.3. sæpè cit. & d.6.quæst.5. D. quem omnes Recentiores sequuntur, vt Suar.disput. 18.Met.sect.6. Ruuius 2.Phys.tr.4.qu.5. Auersa q.21. Amicus tr.12. quæst.10.dub.2. & alij. In ordine verò ad substantiam, alij dicunt, esse causam principalem, alij instrumentalem, ita quod possit eleuatum attingere productionem substantiæ. Scot. verò concursum instrumentalem admittit absque eo, quod substantiam attingat, vt retulimus art.2.

118 Dicimus accidens ad pruductionem alterius concurrere vt causam principalem, non instrumentalem, at respectu substantiæ esse solum instrumentalem causam, eò quia terminum principalis agentis non attingat, scilicet substantiam, concurrit tamen ad eius dispositionem. Conclus. quo ad vtramque partem est Doctoris sæpè cit. & patet ex dictis tum quæst.5.tum art.2.huius quæst. Prima pars, quod respectu alterius se habeat vt principalis causa, probatur. Tum quia effectus in casu non excedit virtutem causæ, quia accidens, quod ponitur actiuum, vel est eiusdem perfectionis, vt calor respectu alterius caloris, vel superat, vt calor respectu coloris, quem causat, ergo ratio principalis causæ ab ipso denegari nequit. Tum quia attingit terminum productum, quod instrumento non conuenit, ex dictis q.5. Tum quia si est à proprio subiecto seiunctum, vel quia separatum, vel quia in subiectum alienum introducatur, vt calor in aqua, adhuc alium calorem producit, ergo quando est proprio subiecto coniunctum, principaliter aget.

Dices, non posse dici principale agens, quia se habet vt Quo, non vt Quod; & etiam quia non habet virtutem propriam operandi, sed est virtus, qua substantia operatur. Sed contra, quia accidens separatum non habet rationem Quo, sed Quod; tum quia forma substantialis quoque dicetur instrumentaliter concurrere, quia se habet vt Quo, & est aliquid oppositi substantialis; tum quia agens intantum dicitur principale, vel instrumentale vt Quod, inquantum principium, Quo agit, est virtus instrumentalis, vel principalis, ergo si accidens est virtus instrumentalis, & est quo suppositum substantiale producit accidens, non posset suppositum, vt per talem virtutem agit, denominari, nisi agens instrumentale. Accedit, quod illa dicitur causa instrumentalis, quæ non integrat causam principalem simpliciter completam, sed extra rationem causæ principalis integræ remanet, sed accidens, quando concipitur causare, non remanet extra rationem integræ causæ principalis, nam si non concipitur accidens actiuum, seu vt ratio agendi (vt litem de nomine vitemus) non concipitur principalis causa actiua completa, vt patet.

119 Secunda pars, quod accidens dicatur instrumentum in ordine ad substantiam, non causa principalis, non tamen attingendo substantiam, siue cum concursu immediato substantiæ, siue non patet ex dictis supra, tum quæst.5. vbi ostendimus, instrumentum nullo modo terminum principalis agentis attingere, tum art.2. huius quæst. vbi probatum est, substantiam non producere aliam virtute accidentis, siue principali, siue instrumentali. Accedit contra Suar. ponentem, accidens simul cum substantia instrumentali concursu attingere effectum substantialem; quia si igni v.g. applicaretur à Deo materia vltimò disposita ad formam ignis recipiendam, omnisque concursus à calore suspenderetur, vel posset ignis per propriam formam substantialem producere alterum ignem, vel non; si primum, ergo superfluus est omnis caloris, si secundum, ergo ex se non est sufficiens causa producendi ignem petitque compleri in actu primo. Tum quia esset imperfectior in agendo ipso accidente, quod proprium, & principalem effectum se solo potest producere, vt substantia concursu accidentali indigeret respectu proprij effectus. Tum quia nihil est in substantia producta, quod possit tanquam effectus accidenti correspondere, cum sit maximè substantiæ improportionatum.

Contra 1. partem (nam contra secundam, solum adsunt rationes, quibus probatur, substantiam non esse immediatè actiuam, adductæ art.2.& 3. huius quæst.) instatur; quod operatur in virtute alterius, habet rationem instrumenti, quod propria virtute agit, est causa principalis, sed respectu accidentis substantia operatur propria virtute, accidens verò in virtute substantiæ, ergo, &c. Minor probatur, tum quia accidens est virtus substantiæ, ergo substantia agendo per accidens, agit per propriam virtutem, tum quia accidens, sicut in esse dependet à substantia, ita & in operari, itaut si substantia non esset, nec accidens naturaliter existeret, nec operaretur, ergo agit in virtute substantiæ.

120 Respon.1. non rectè explicari rationem principalis, & instrumentalis causæ, nunquam enim instrumentum potest in se virtutem actiuam recipere, qua terminum principalis agentis attingit; sed potius maiorem illam circumscribere rationes dependentis, & independentis causæ, vnde causa prima, quæ simpliciter est independens, dicitur agere propria virtute, causa verò secunda à prima dependens dicitur agere in virtute primæ, idest per virtutem à prima receptam. Deinde minor potest dupliciter intelligi, nam accidens agere in virtute substantiæ, si sensus est, quod agat quidem se ipso immediatè, sed præsupponendo influxum conseruatiuum substantiæ, quo accidens illud sustentat in genere causæ materialis, & conseruat in genere causæ efficientis, si est taliter dependens, quomodo procedit secunda probatio minoris, concedimus totum, quia vt sic tantum sequitur, esse causam principalem dependentem non verò instrumentalem, vel est sensus, quod agat, quia eleuatum in agendo à substantia, vel ad aliquem effectum præuium, & negamus, quia etiam respectu illius effectus se habebit vt agens principale. Similiter accidens dicitur virtus substantiæ, vel quia ad generationem inseruit, vel quia denominatur agere vt Quod ab ipso accidente; primo modo rectè dicitur virtus instrumentalis substantiæ, at secundo modo, etsi dicatur virtus, & ratio Qua, non tamen instrumentalis, sed principalis.

ARTICVLVS V.

An causa secunda vim habeant producendi effectus supranaturam: vbi de potentia obedientiali.

121 SEnsus quæsiti est, nùm in causis secundis reperiatur potentiali aliqua innata, qua possint opera æderæ, supposito speciali concursu Dei, vires naturæ excedentia, quam potentiam Recentiores obedientialem actiuam appellant; & vt res clariùs explicatur, aliqua priùs dicemus de potentia obedientiali passiua.

Notandum igitur est 1.ex Scoto 1.d.7.quæst.vn.L. & d.20.B.quod hoc nomen potentia, quamuis sit à subiecto abstractum, est tamen concretum ad fundamentum, vnde & fundamentum potest significare, si pro connotato accipiatur, & ipsam relationem, qua aliquid potens dicitur formaliter; in præsenti loquimur de ipsa in primo sensu, constito enim quod detur in rebus talis potentia, facile inde deducitur, fundari supra illud fundamentum relationem aliquam saltim teanscendentalem ad effectum producibilem, vt de potentia materiæ supra dictum est.

Secundò accipiendum, potentiam obedientialem (præscindendo modo à ratione potentiæ actiuæ, vel passiuæ obedientialis) vt colligi potest ex Scoto 9.Met.quæst. 12. quatenus obedientialis est, dicere ordinem ad agens intellectuale, cui subijcitur, potens de re illa facere, quicquid vult, dummodò non implicet, ratio est, quia obedientia propriè dicit subiectionem rei respectu imperatiuæ potentiæ, potentia autem imperatrix est sola voluntas cum intellectu ex Aristot.6.Eth.c.9.& 10. quare potentiæ obedientialis constituitur in ordine ad agens intellectuale, quod cum duplex sit, creatum, & increatum, in ordine ad vtrumque potest dari ista potentia, vnde materia artis solet dici in potentia obedientiali in ordine ad artificem, cui subditur; attamen quia agenti creato intellectuali solummodo limitatè, & quo ad aliquas actiones non excedentes naturæ vires subijcitur res materialis, sed Deo sine vlla limitatione, hinc magis propriè loquendo, nomine potentiæ obedientialis subiectio tantum ad agens increatum intelligitur, sub cuius potestate, & imperio subiacent omnia, & quidem non vt est author naturæ, & quo ad opera naturalia, sed vt est agens supra naturam producens effectus supernaturales, ita vsus inoleuit apud Doctores, & in hoc sensu intelligendus est

est Scotus, dum 3.d.1.q.4.A, & quol.19.R. ait, quod potentia obedientialis in creatura respicit efficientiam primi efficientis, non aliam potentiam actiuam. Quapropter ad potentiam propriè obedientialem requiritur concursus specialis Dei, qui scilicet debitus non sit ex naturæ lege, & supernaturalis, vel quo ad rem, vel quo ad modum, nam communiter dici solet, Deum vt authorem naturæ, & secundùm concursum generalem, & vniuersalem, non constituere res in esse supernaturali, sed naturali.

112 Ex quibus deduci debet, quòd potentia passiua obedientialis duo dicet, & ordinem ad Deum, vt agens supernaturale, & entitatem subiecti potentem recipere formam aliquam, respectu cuius formæ dicitur naturalis, violenta, vel neutra ex Doctore quæst.1. Prol. L. non enim audiendi sunt Conimbr. cum 1.de Cœlo c.11.qu.4.artic.2. dicunt, hanc potentiam fundamentaliter dicere modum aliquem, quo natura, & essentia rei potens redditur, vt formam supernaturalem recipiat à Deo; etenim vt docet Doctor 3.d.1.qu.6. H. natura humana non medio modo aliquo absoluto fundauit in se vnionem hypostaticam cum Verbo, & intellectus non requirit nouam formam, qua potens reddatur recipere beatificam visionem ex eodem 4. dist.49. quæst.11. B. & ratio huius est, quia perfectiùs subijciuntur creaturæ Deo, quàm agenti creato, ergo si respectu istius subiectum est ex se potens recipere formam, & non per aliquid additum, multo magis respectu Dei. Tum quia ex Scoto quæstion. 1. Prol. Z. modus iste præcipuè ponitur, vt subiectum proportionetur formæ supernaturali, vt est gratia; sed vel iste modus est ens naturale, vel supernaturale; si primum, ergo subiectum æquè cum ipso improportionatum erit respectu gratiæ, ac sine ipso; si secundum, ergo debet dari alius modus, quo subiectum potens reddatur recipere primum modum, & sic processus in infinitum; præstat igitur dicere, potentiam passiuam obedientialem esse entitatem rei agenti supernaturali subiectam, & materialiter coincidere cum potentia receptiua naturali, & violenta, vel neutra; formaliter verò coincidere cum potentia passiua supernaturali, quæ à Doctor. quæst. 1. Prol.cit. dicitur illa, quæ Deum vt agens supernaturale respicit; & hanc potentiam omnes admittunt. Solùm est dubium de potentia obedientiali actiua, quæ erit vis quædam insita rebus ad producendum effectum aliquem supernaturalem cum concursu Dei speciali, an detur in causis secundis, & si datur, quid sit, & ad quos effectus se extendat.

Aliqui absolutè negarunt potentiam istam obedientialem actiuam, solùm passiuam admittentes, ita veriores Thomistæ, quos refert, & sequitur Martinez p.2.tom.1.tract. de potentia obedientiali, & Caraffa de concursu disput.2. & ferè omnes Scotistæ, vt Faber in 4.disput.2.quæst.4. Aret. ibidem d.1. quæst.4.art.6. Tribarnes disput.4.sect.2. qui Radam, & Herreram citat; Vulpes p.1.tom.1. disput.23.art.13.nu.4. & Cartagena de Sacr.disput.3.diff.2.c.7. afferens, nec inter veteres, nec inter recentes scriptores, vno Suar.excepto, reperiri, qui hanc potentiam admittant, quin potius illam omnes rejiciunt; & vt veram supponit Ruuius de Cœlo tr. de Potentijs rerum quæst.4.

123 Ex opposito aliqui Recentiores; vt Suar.3.p.tom.1.disput.31. sect.5.& in Met.disput.43.sect.4. numer.6. & Hurt.in Phys. disput.9. sect.14. & de Incarn. disput.57.sect.3. Arriag. disput.9. Phys. sect.4. subiect. 3. præter potentiam obedientialem passiuam in omnibus rebus respectu cuiuslibet formæ, aliam potentiam in omnibus rebus obedientialem actiuam agnoscunt, qua quodlibet potest à Deo eleuari ad producendum quodlibet; quam potentiam aliqui ponunt consistere in qualitate aliqua supernaturali, qua res quælibet eleuatur ad producendum effectum excedentem vires propriæ naturæ; alij dicunt, esse naturam ipsius rei connotantem extraordinarium concursum diuinum, qui etiam differunt inter se; nam aliqui nullam actiuitatem ponunt in natura rei, sed fieri actiuam per solam coniunctionem, & subordinationem diuinæ omnipotentiæ, absque eo quod aliquid in se de nouo recipiat, citatur à Carraffa pro isto modo dicendi Vincentius Asturicensis de natura Christi q.6. Suar.verò, & Hurt.cit. admittunt actiuitatem quandam ex parte naturæ; addit Suar. per istam potentiam causam secundam non constitui in ratione principalis causæ, sed instrumentalis.

Alij, vt Coninch.de Sacr.q.62.art.4. dub. vn. Turrianus op.2.disp. 2.dub.1.2.& 3. citantes Vasq.3.p.disput.132.num.95. & Moris. disp. 3.Phys.q.28. licèt concedant potentiam obedientialem actiuam, non tamen in omnibus rebus, & ad quoslibet effectus producendos, sed solum ad aliquos habentes cum creatura aliquam proportionem, per quam potentiam causa secunda habet rationem principalis causæ, non instrumentalis; quem modum vt magis Scoticum amplectemur. Est tamen valde notandum hoc quæsitum, quia ex ipso pendet solutio plurium quæstionum theologicarum.

124 Dicimus igitur 1. Potentia obedientialis actiua (si datur, de quo in sequen.conclus.) dicit quandam entitatem aduenientem rei, per quam eleuetur ad naturaliter operandum, itaut nil actiuitatis habeat res illa, sed totam actiuitatem recipiat ab illa entitate, neque simplicem subordinationem potentiæ diuinæ, sed dicit quandam potentiam in creatura actiuam, & partialem, simpliciter loquendo, quæ nequeat compleri in ratione causæ ab aliquo ente creato, sed ab increato concurrente non cum concursu generali, sed speciali, & illi creaturę minimè debito ex ratione illa generali per quam potentiam causa secunda non habet rationem causæ instrumentalis verè, & propriè, sed principalis in suo ordine. Conclus. quo ad omnes partes prob. & primò, quod non dicat entitatem de nouo infusam patet; tum quia res eleuata propriè non ageret, nisi secundum vltimam denominationem, non verè, & propriè, quia non se ipsa, vel per aliquid sui influeret in effectum, sed per qualitatem de nouo aduenientem, sicut aqua calida cum calefacit. Tum quia non posset dici res illa causa proxima, quia immediatè non influeret in effectum supernaturalem, nec remota in genere causæ efficientis, quia illa talis dicitur, quæ efficienter ad proximam causam concurrit, modò res illa solùm sustentando concurret ad illam qualitatem, qui est concursus in genere causæ materialis non efficientis. Tum quia per potentiam obedientialem multoties dicitur res eleuari ad effectus substantiales, nulla autem qualitas substantiam potest attingere ex dictis supra. Tum quia vel ista qualitas esset materialis, & sic improportionata esset ad effectus spirituales; vel esset spiritualis, & tunc improportionaretur cum effectibus materialibus, nec in materiali subiecto recipi posset, sicut nec materialis in spirituali; vel tandem multiplicaretur ad multiplicationem effectuum, itaut si effectus est spirituales, & subiectuum, illa quoque sit spiritualis, si effectus, & subiectum sunt materialia, ipsa etiam fit materialis, & sic iam deberet in infinitum multiplicari, sicut infinities possunt esse effectus supernaturales quo ad modum, & quo ad substantiam. Tandem vel ista qualitas haberet sufficientem virtutem producendi effectum, vel non; si primum, ergo effectus supernaturalis, qui dicitur excedere omnes vires, & leges naturæ, esset in virtute alicuius causæ creatæ; si secundum frustra poneretur, accedunt etiam rationes sequentis conclusionis.

Secundò, quod non dicat illam simplicem subordinationem absque actiuitate in natura, probatur, quia actus primus presupponitur actui secundo, & quando causa actu causat, debet in se habere virtutem causatiuam ex Scot.4.d.1.q.1.§. *Ad quæst. &c.* sed causa secunda ex se ipsa secundum istos non habet actiuitatem aliquam respectu effectus supernaturalis, nec per illam simplicem subordinationem de nouo acquirit vim actiuam, sed solum quandam denominationem extrinsecam, ergo neque physicè influere in effectum supernaturalem, nec propriè dicetur potentia actiua.

Tertiò ex dictis sequitur, quod ista potentia debet esse aliquo modo actiua, & intrinseca causæ secundæ, connotans diuinum concursum specialem, & supplentem insufficientiam illius potentiæ, in qua connotatione consistit ratio potentiæ obedientialis vt sic. Quod verò per ipsa causa secunda constituatur in ratione causæ principalis, & non instrumentalis, patet ex dictis quæst.5.vbi cum Scoto 4.d.1.quæst.1. ad vltimum, & d.6.quæst.5.D. determinauimus, de ratione instrumenti esse, quòd non attingat terminum principalis agentis, & dato, quod attingat, non tamen per virtutem in esse quieto, sed in actuali motione, ne causam principalem partialem cum instrumentali confunderemus; at per istam potentiam causa secunda attingeret effectum illum supernaturalem, quam etiam haberet in esse quieto. Tum quia causa secunda cum ista potentia non remanet extra rationem causæ principalis integræ, immo ingreditur.

125 Dicimus 2. dari in rebus creatis, saltim in aliquibus, potentiam obedientialem actiuam. Hanc conclus. clarissimè docet Scotus in 3.d.4.q.vn. vbi duo dicit, & quod Beata Virgo ad generationem Christi actiuè se habuit per potentiam actiuam innatam, qua erat fæcunda, secundò quod per istam actiuam virtutem potuit cooperari Spir. Sancto ad formatiouem corporis instantaneam, itaut per illam virtutem vt eleuatam à Spir. Sancto habuit actionem, quæ secundum modum excessit vires naturæ, nam non præcesserunt illa media prærequisita ad corporis formationem; vnde postea lit. E. habet hæc verba. *Sicut igitur natura, ad quam vt ad formalem terminum erat ista generatio, tantum erat in potentia obedientiali, vt vniretur Verbo, ita illa mater tantùm habuit potentiam obedientialem, vt esset mater Verbi;* est autem mater per potentiam actiuam, quæ à Scoto obedientialis vocatur, & infra G. ait, *propter istam potentiam actiuam naturalem, qua operabatur, potest dici naturalis mater Christi, & tamen propter modum exequendi actum huius potentiæ duplicem non naturalem, potest dici non naturaliter, sed miraculosè genuisse*, quid clariùs? & probatur Conclus. Potentia obedientialis actiua ex dictis est virtus ad causandum aliquod excedens vires naturæ, itaut adhibito Dei concursu miraculoso, & speciali illi potentiæ minimè debito possit agere aliquod supernaturale vel quo ad substantiam, qualis ponitur visio beatifica, vel quo ad modum, vt fuit generatio corporis Christi in vtero B. Virg. sed datur in rebus talis potentia, ergo datur potentia obedientialis actiua, Maior patet ex dictis, quia talis potentia subijcitur diuino imperio, in qua subiectione ratio obedientiæ consistit, & respicit Deum vt agens supernaturale, in quo saluatur ratio potentiæ obedientialis strictè sumptæ; tum quia hanc potentiam Scotus cit. obedientialem appellat. Minor probatur, nam virtus generatiua Beatæ Virginis fuit actiua respectu effectus improportionati illi virtuti non quo ad substantiam, sed quo ad modum, vnde solo concursu generali Dei non potuisset effectum illum facere; Similiter Doct.4.d.49. quæst.1. ait, in anima reperiri virtutem naturalem motiuam corporis inorganicè quidem, si tamen propter impedimenta, quæ ibi assignat, nequit pro statu illo corpus inor-

inorganicè mouere, sed solum organicè, si verò Deus vellet in hac vita concurrere cum anima ad motum corporis inorganicum, talis potentia actiua animæ concurret actiuè, & ideò potentia diceretur actiua, sed quia concursus ille est specialis, verè potentia actiua obedientialis dici debet. Rursus eadem dist. quæst. 11. litt. K. docet, intellectum habere potentiam actiuam remotam respectu visionis beatificæ, non propinquam, quia concursus Dei in ratione obiecti ad talem actum non est sibi debitus, ergo talis potentia obedientialis actiua erit. Nec refert, Scot. non fuisse vsum hoc termino potentiæ obedientialis, quia sufficit, vt in simili, scilicet in potentia actiua B. Virginis illum vsurpauerit, quam potentiam in 3. cit. cum non solùm obedientialem, verùm etiam remotam vocauit, signum euidens, hos terminos pro eodem haberi à Doctore, quare non erit ista potentia obedientialis actiua omninò à nostra schola extirpanda. Hinc non rectè Cart. disp. cit. q. 8. negat, potentiam istam inchoatam esse obedientialem, etenim nil aliud per potentiam obedientialem intelligimus, & esset q. de nomine.

126 Attamen quia Thomistæ possent negare, potentias istas actiuas, quas nos assignauimus, reperiri in rebus, vt iam de facto dicunt de intellectu respectu visionis beatificæ, ideò contra ipsos ostendi debet, rem aliquam habere potentiam actiuam ad aliquod supernaturale faciendum; & hoc præcipuè de intellectiuis potentijs. Probatur igitur minor principalis argumenti ratione: Intellectus creatus virtutem habet actiuam in suo ordine producendi visionem beatificam, & reliquos actus supernaturales, sicut voluntas respectu fruitionis Dei, ergo &c. Antecedens probatur quia visio habet duo, & supernaturalitatem & vitalitatem, hanc nequit habere ab aliquo habitu, sed ab ipso intellectu, quia lumen gloriæ non est principium vitale. Accedit authoritas Concilij Trid. sess. 6. canon. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passiuè se habere, anathema sit.*

Respond. Thomistæ, quos sequitur Caraffa cit. intellectum verè actiuè concurrere ad visionem, non tamen per virtutem ipsi connaturalem, sed quam accepit à lumine gloriæ, qui habitus datur ad simpliciter operandum, sicut si aqua calida calefacit, vere actiuè concurrit, non tamen proximè, & per potentiam actiuam connaturalem, sed ab extrinseco totaliter aduenientem, qualis est calor. Addit Martinez, quòd potentia specificatur ab effectu proximo, non remoto, modò intellectus duos effectus habet respectu visionis, primus est receptio potentiæ actiuæ, quæ est lumen, secundus est productio per talem potentiam ipsius visionis, primus est passiuus, secundus actiuus, & hinc intellectus ex se solùm passiuè se habet ad visionem, cum lumine tamen actiuè, quia ex intellectu, & lumine, inquit Caraffa, vnica formaliter coalescit causa effectiua beatæ visionis, quæ vnica indiuisibili actione, quæ vitalis est simul, & supernaturalis, attingitur.

127 Sed hæc solutio non tangit difficultatem, hoc enim impugnatur, scilicet quòd lumen sit tota ratio agendi ipsi intellectui quia debet præsupponi virtus actiua ipsius intellectus, quia vitalitas nullo modo à lumine prouenire potest, ergo præter actionem luminis, adest actio intellectus. Tum quia ex Scoto in 1. d. 17. quæst. 2. E. & F. arguendo contra Henr. vbi ex professo impugnat hanc respons. quas rationes latè prosequitur Hurt. cit. libertas in actibus voluntatis non est ab habitu, qui est causa naturalis, ergo vel nullus actus voluntatis supernaturalis esset liber, si habitus est tota ratio agendi, vel voluntas immediatè etiam & proximè cum habitu aget actione distincta ab actione habitus; immo sequitur, inquit Doctor, quòd homo habens semel charitatem, nunquam posset peccare mortaliter, quia habens formam aliquam actiuam sibi prædominantem, nunquam potest moueri contra inclinationem illius formæ prædominantis, sicut nunquam corpus mixtum graue potest ascendere contra inclinationem terræ prædominantis, sed charitas, si est actiuum totale, prædominatur ipsi voluntati, quæ non potest in actum illum, ergo voluntas semper sequetur inclinationem charitatis in agendo, & sic nunquam peccabit; eò vel maximè, quia actio charitatis non est in voluntatis potestate, cùm hæc actiuè non se habeat, & concursus sustentatiuus, & materialis non sit liber, sed necessarius. Tum quia intellectus eodem modo se haberet, ac aqua calida respectu calefactionis, sed aqua solùm passiuè se habet recipiendo, & sustentando calorem, & actiuè solùm extrinsecè per quandam denominationem propter receptionem passiuam caloris, ergo verè, & proprie intellectus esset solummodo passiuus, sicut, & voluntas, & veluti inanime quoddam, quia concursus, receptiuus est mortuus, & materialis, quod est contra Concil. ergo concursus vt causa remota in sensu Thomistarum non sufficit, vt dicebamus in probatione primæ partis præcedentis conclusionis.

128 Accedit, quòd si habitus est tota ratio agendi, & non intellectus, & voluntas; ergo vbicunque, inquit Doctor, reperiretur habitus, ibi posset actus reperiri, patet de calore, qui vbicunque ponatur, semper calefacit; & ratio est, quia omnis forma, quæ est principium totale agendi, vt est in subiecto, si per se est, potest operari, quia effectus virtualiter in illa adæquatè continetur, & solùm existentiam requirit, vt agat; quare si habitus esset separatus, posset elicere volitionem, & esset potentia. Subinfert Hurt. si habitus separatus etiam per impossibile eliceret volitionem aliquam, voluntas non esset actiua respectu illius actus, si postea vniretur habitus ille voluntati eandem volitionem adhuc conseruans, nec etiam voluntas respectu illius volitionis actiuè, ac liberè se haberet, quia solummodo sustentat habitum, ergo, & si habitus in voluntate eliceret actum, voluntas nullo modo actiuè, ac liberè concurreret, nec vllo modo causa illius actus esset actiua, quia eundem concursum, scilicet, passiuum exercet hic, & ibi. Tandem actus attritionis non prouenit ab habitu charitatis, aut gratiæ habitualis in voluntate existente, sed à Deo secundum multos cum auxilio speciali extrinseco concurrente, & à voluntate, & tamen actus ille supernaturalis est etiam secundum substantiam per Aduersarios, vel saltim ita potest prouenire, nam probabiliter concursus habitus supernaturalis potest à Deo suppleri per auxilium extrinsecum, ergo tunc vel totaliter actus ab extrinseco proueniret, & solum voluntas passiuè, & recipiendo se haberet, quod est contra Concil. vel immediatè concurreret actiuè, & habetur intentum. Manca 2. Phys. quæst. 6. dub. p. respondet disparem esse rationem inter aquam calefacientem per calorem, & intellectum lumine gloriæ informatum, nam aqua solùm concurrit sustentando, vnde si calor per se subsisteret, adhuc calefaceret, ideoque solum denominatiuè dicitur aqua calefacere, at intellectu non concurrit solum sustentando, quia lumen separatum non potest elicere visionem, sed etiam actiuè, quia est talis naturæ, quod factus in actu per lumen totum compositum quod resultat ex intellectu, & lumine, secundum omnes partes actiuè concurrit ad visionem, nam intellectus redditur per lumen in actu, & per lumen fit actiuus, licet actu non esset actiuus, affert exemplum de materia, quæ ex se non est actiua, at vnita in composito cum forma fit actiua, quia totum compositum secundum omnes partes agit, idem de voluntate dicendum respectu charitatis, & actus supernaturalis. Hæc solutio solis verbis discrepat à nostra sententia, concedit enim intellectum per suam entitatem concurrere ad actum supernaturalem non nude acceptum, sed lumine eleuatum, quod est admittere potentiam actiuam radicalem, & inchoatam in ipso, quæ postea completur per lumen, non enim intellectus intrinsecè, & entitatiuè mutatur per receptionem luminis, sed solùm extrinsecè, & accidentaliter, sicut paries cum informatur albedine, ergo si vt lumine informatus per suam entitatem actiuè concurrit, ante luminis informationem necessario habebat aliquam actiuitatem, quia habebat eandem entitatem, exemplum de materia, & non est ad rem; quia totum resultans ex materia, & forma est quid realiter distinctum à partibus in sententia nostra, hinc verè totum cathegorematicè sumptum dicitur agere, non tamen materia; forma verò est solum principium radicale, & remotum actionis, & quando totum non esset à partibus distinctum, eadem difficultas vrgeret de materia, sicut vrget de intellectu.

129 Dicimus tertiò hanc potentiam obedientialem actiua non esse in quolibet ad quodlibet producendum, Est contra Suar. Hurt. & alios, ipsamque docet Doctor 4. d. 1. quæst. 1. §. *ad quæstionem, ergo, &c.* vbi habet, *Etsi enim posset Deus absolutè creare frigus, non tamen per calorem, ita quod calor sit in aliquo ordine causæ actiua respectu frigoris*, & qu. 5. negat in Sacramentis virtutem aliquam actiuam ad producendum gratiam; & d. 44. q. 2. negat, ignem inferni malignos spiritus posse cruciare, & in 3. d. 2. q. 1. in fine concedit, esse quasdam operationes repugnantes alicui naturæ, quas nequiret exercere etiam cum concursu speciali. Et potest 1. probari; potentia obedientialis passiua non est in quolibet, ergo neque potentialis actiua, Consequentia patet, quia plus requiritur ad agendum, quam ad patiendum, ergo si quodlibet non potest recipere quodlibet, multò minus quodlibet poterit producere quodlibet. Antecedens probatur; tum quia docetur à Doctore in 4. d. 1. quæst. 5. negante, corporalia recipere posse spiritualia, & d. 12. quæst. 2. C. habetur, nec lapidem posse recipere sapientiam, nec Angelum albedinem; tum quia nulla forma spiritualis accidentalis, quæ à subiecto dependeat, potest esse in aliquo extenso, quia vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte, sicut anima rationalis, & hoc non, quia simul dependeret à pluribus causis totalibus in genere causæ materialis, scilicet, ab illis partibus, quarum quælibet totaliter illam sustentaret, quod implicat, vt dicetur disput. seq. vel esset tota in toto, & pars in parte, & sic non esset spiritualis, sed materialis, nam extensio repugnat cum spiritualitate; tum quia albedo nequit inhærere alicui indiuisibili, quia vel aliqua pars, immo tota præter indiuisibile aliquod extensuum esset sine subiecto, vel ipsa foret inextensa. Hoc clariùs patet in rebus materialibus, nam nec oculus potest sonum, vel auditionem recipere, nec auris visionem, nec lapis alteram formam substantialem, aut vitalem operationem, quia nulla potentia potest extra suum obiectum vagari. Nec valet Hurt. responsio, dicentis, hæc omnia esse vera, quia implicant, at cum dicitur, in quolibet talem potentiam reperiri intelligitur, dummodo non adsit implicantia; non valet, immò confirmat nostrum antecedens, concedimus enim nos, in quolibet non reperiri talem potentiam passiuam ad quodlibet, quia aliqua repugnant in quolibet recipi, & ideo negamus illam propositionem vniuersaliter prolatam, at Aduersarij in conclusione vniuersaliter loquuntur, & solùm in responsionibus illam coarctant.

Dicunt alij albedinem non posse poni in Angelo sic, vt denominaret illum album, nec sapientiam in lapide sic, vt denominaret illum sapientem, cuius ratio est, quia albedo non denominat album, nisi subiectum, in quo ponitur extenso modo, quo pacto nequit poni in

in Angelo qui indiuisibilis est, nec sapientia denominat sapientem, nisi potentia, quæ sapienter agere potest, qualis non est in lapide: Contrà, ex hoc ipso quod subiectum est alicuius denominationis formalis incapax sufficienter arguitur in eo incapacitas formæ, quia non est capax formæ, nisi vt similem capiat ab ea denominationem, ergo ex hoc ipso, quod Angelus nequit denominari albus, nec lapis sapiens, sufficienter deducitur hæc non esse apta talium formarum subiecta; tum quia falsum est albedinem non posse denominare, nisi subiectum in quo reperitur extenso modo, quia indiuisibiliter reperitur in puncto quantitatis, & adhuc illum denominat album, ergo si potest recipi in Angelo, posset illum denominare album.

130 Secundò posset idem probari ratione Scoti, qua in 2. d. 3. quæst. 10. probat, non posse dari habitum aliquem qui sit ratio cognoscendi omnia, quam etiam rationem tangit 1. d. 2. quæst. 1. X. & seq. si in quolibet daretur potentia obedientialis actiua ad quodlibet producendum, esset infinita, quod implicat, sequela probatur, vbi pluralitas requirit maiorem perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, sed aliquid habere potentiam productiuam quinque effectuum specie distinctorum, arguit maiorem perfectionem, quàm habere potentiam productiuam vnius, ergo si aliqua res creata haberet potentiam productiuam producendi infinitos effectus speciei distinctos, siue non tot, quin plures, erit virtutis infinitæ, Maior prob. à Scoto exemplo, si posse ferre decem pondera simul, arguit maiorem perfectionem, quam posse tantum ferre vnum, ergo posse ferre infinita pondera, siue non tot, quin plura, arguit infinitam perfectionem; Minor probatur, quia posse producere, quam partialiter, duos effectus specie distinctos dicit maiorem perfectionem, quam posse vnum tantum producere, cum actiuitas ex se arguat perfectionem. Sed hæc ratio patitur instantiam præcipuè de intellectu, qui successiuè potest infinitas intellectiones specie distinctas producere, cùm tamen sit finitæ virtutis; quam soluit Lichet. in 2. d. 3. q. 10. & nos diximus disp. 5. q. 7. art. 2.

Tertiò, & fortiùs prob. Concl. rationibus specialibus; Tum quia quantitas, & materia prima communiter ponuntur sine actiuitate, ergo nullam talem potentiam actiuam inchoatam habebunt. Tum quia nequit vnum contrarium eleuari per hanc potentiam ad productionem alterius contrarij, vt ignis v. g. ad productionem aquæ, & calor ad producendum frigus, vel è contra, probatur, quia talis potentia, si daretur, deberet fluere ab essentia, & quidditate rei, imò esset eademmet quidditas, hoc autem repugnat, quia nulla res ex se habet potentiam intrinsecè sibi conuenientem à propria natura ad producendum, aliquid sui ipsius destructiuum, quælibet enim res appetit propriam conseruationem, & contrarium destruere. Nec refert, quod sit instrumentalis, aut inchoata, quia est verè principalis, & sufficit, vt sit eadem entitas rei vt concursum Dei specialem respicit, ergo nequit vllo modo esse productiua contrarij, cuius est etiam destructiua. Tum quia sequeretur, posse lapidem, & bruta eleuari ad productionem visionis beatificæ, quod est falsum, quia capacia essent beatitudinis; item voluntas ad producendam intellectionem, & intellectus volitionem, oculus auditionem, auditus visionem, quæ omnia repugnant.

131 Respondent, concedendo isthæc omnia, sed modo mortuo, itaut non possint postea per illos actus in obiecta tendere, quod requiritur ad hoc, vt sequatur, bruta posse beatificari, oculum audire &c. ratio huius est, quia actus vitalis, vt talis, petit determinatum obiectum, à quo essentialiter pendet, potentiæ autem in ratione potentiæ specificantur ab actibus, quare licèt oculus v. gr. in ratione causæ possit concurrere ad visionem Dei, vel auditionem, non tamen in ratione potentiæ vitalis propter dictam rationem.

Contrà; Tum quia ex hoc saltim habetur, non reperiri in quolibet potentiam istam obedientialem, scilicet in potentijs vitalibus in ratione potentiarum. Tum quia magis distant inter se, & maior improportio reperitur inter rem corporalem ordinis naturalis inanimatam, & rem spiritualem ordinis supernaturalis vitalem, vt sunt lapis, & visio Dei, quàm inter visionem corporalem, & visionem beatificam, ergo si lapis potest eleuari ad productionem visionis Dei, multò magis oculus bruti ad vitaliter videndum Deum, quia in ratione vitalitatis conueniunt cum intellectu, & licèt sit improportio, quod illa vt vitalitas materialis, ista spiritualis, potest tamen auferri per Dei potentiam, si potest auferri in illa maior improportio inter lapidem, & visionem Dei. Quod verò dicunt, potentias specificari ab actibus, & istos ab obiectis, est contra ipsos, sustinentes, intellectum ex se petere actus naturales producere; nullo modo actus supernaturales, immo in nullo sensu ponunt Deum obiectum naturale nostri intellectus, ergo sicut potest intellectus eleuari etiam in ratione potentiæ vitalis ad elicitionem visionis Dei, quæ omninò est extra rationem formalem connaturalem intellectui in ratione potentiæ vitalis secundum ipsos, & ad tendentiam per istam visionem in obiectum, quod omninò est extra suum obiectum proportionatum, pariformiter oculus poterit eleuari ad elicitionem visionis Dei, & ad tendentiam in Deum per ipsam, nam materialitas, vel spiritualitas nil faciunt, cum possit tolli hæc improportio in lapide respectu illius visionis; vel saltim eleuari poterit ad auditionem.

132 Quæres, in quo igitur erit potentia ista obedientialis actiua, & ad quod? Respon. quod sicut à posteriori solùm possumus probare, aliquam causam actiuam esse, vt cum Scoto 1. d. 7. quæst. vn. supra notauimus, sic nonnisi à posteriori possumus arguere, aliquam causam eleuabilem per istam potentiam obedientialem actiuam esse ad aliquem effectum supernaturalem. Dicimus ergo, solummodo causam illam habere vim quandam actiuam, qua possit eleuari ad producendum effectum naturæ vires excedentem, quæ ex se est aliquo modo saltim remotè proportionata, itaut cum concursu generali Dei possit aliquem effectum producere, habentem saltim aliquam analogiam cum effectu supernaturaliter producibili, vt differat ab eo, sicut imperfectum à perfecto, idque vel intra eandem speciem, vt patet in exemplo adducto de B. Virg. nam Christus quatenus homo erat eiusdem speciei cum alijs hominibus, qui à B. Virg. per suam productiuam potentiam effici potuissent, vel si sit alterius speciei, & altioris ordinis habeat tamen ordinem aliquem ad causam productiuam, vt non petant ab alia causa produci, vt sunt intellectio Dei intuitiua: & abstractiua, nam licèt illa sit supernaturalis, hæc naturalis, habent abstractiua, nam licèt illa sit supernaturalis, hæc naturalis, habent tamen ordinem, analogiam, & proportionem ad intellectum, quatenus non petunt produci ab alia causa, negari enim non potest, etiam si in voluntate talem potentiam productiuam intellectionis admittamus, vel in aliqua alia re, habere adhuc intellectionem illam maiorem connexionem cum intellectu, quàm cum voluntate. Idem proportionaliter est dicendum de potentia obedientiali passiua, itaut res illa tantum possit eleuari ad recipiendos effectus aliquos supernaturales, quæ proportionem aliquam habebit cum illis in ratione receptiui, & receptibilis, vt est anima intellectiua respectu gratiæ, oculus cæcinati respectu visionis.

Ex his facilè diluitur, quod objicit Arriag. disput. 9. Physic. citatus num. 77. sustinens dari hanc potentiam in quolibet ad quodlibet, ait enim quod nequit taxari, in quo genere debeat esse talis proportio, analogia, & conuenientia, nam eo ipso, quo ad rationem abstractam, & genericam recurritur, statim dici poterit aquam posse concurrere ad productionem gratiæ, frigus ad productionem caloris &c. quia gratia, & calor conueniunt in accidente, & qualitate, in qua ratione generica conueniunt etiam quidam effectus ab aqua, & igne producibiles, etenim sicut quis ponit hanc conuenientiam in tertio genere, alter ponet in quarto, alius in quinto, vnde enim certa mensura desumetur. Dicimus namque mensuram desumi non ex simplici conuenientia in genere proximo, aliter frigus posset calorem producere, cum quo conuenit in genere tangibilis qualitatis, sed desumi ex hoc, vel quod effectus ille in substantia sit eiusdem speciei cum effectu naturaliter producibili, & solùm in modo differat, vel quia effectus supernaturalis ex sua natura respicit pro causa productiua talem potentiam, vt diximus; & vbi talis analogia non reperitur, debemus omnino negare talem potentiam actiuam ob rationes allatas.

133 Quæres iterum, quomodo eleuatur à Deo talis potentia actiua ad producendos effectus supernaturales? Respon. quòd cum causa partialis sit illa, quæ inadequatam, & insufficientem virtutem habet respectu effectus producendi, ista virtus potest multipliciter compleri, vel enim nata est compleri ab aliqua causa secunda vt est virtus intellectus ad intellectionem, quæ per speciem obiecti completur, & de vno homine trahente nauim, qui ab alio completur, & hæc dicitur potentia naturalis; vel solùm à Deo nata est compleri, vt est virtus Solis in productione ranæ, & tunc si attingit vltimam dispositionem ad effectum principalem, vt Sol attingit vltimam formam corporis, & homo vltimam dispositionem animæ, ad hoc talis potentia naturalis dicetur, quia petit suppleri à Deo vt authore naturæ, cuius est supplere defectus causarum secundarum (requiritur tamen quod ista vltima dispositio sit aliquid intrinsecum effectui totali, vt est forma corporis, non verò aliquid extrinsecum, aliter accidens dicetur causa principalis substantiæ, quia attingit vltimam dispositionem accidentalem ad formam substantialem) vel non attingit dispositionem aliquam, sed omninò insufficiens censetur, quapropter non tenetur Deus communi lege præbere concursum, & tunc dicetur potentia obedientialis, petitque compleri à Deo: quod adhuc dupliciter potest esse, vel enim comparatur ad aliquem effectum excedentem vires naturæ quo ad modum, non quo ad entitatem, vt fuit conceptio Christi instantanea respectu potentiæ generatiuæ B. Virg. & motus inorganicus corporis pro statu isto ab anima, & in ista eleuatione non requiritur auxilium per modum principij, sed tantum per modum concursus, quia adhuc causa habet actum primum respectu effectus licèt non ad talem modum, vel effectus excedit secundùm entitatem, ita vt quibuscunque modis non possit causa secunda effectum illum ex se producere cum concursu generali Dei, & tunc dupliciter, vel enim est eiusdem speciei cum effectu ab illa causa naturaliter producibili v. gr. motus localis maioris ponderis cum motu locali minoris ponderis; vel est alterius speciei, & solum analogiam aliquam habet cum effectu naturaliter producibili, vt sunt actus supernaturales: respectu primi effectus quamuis possit causa eleuari auxilio per modum principij recipiendo aliquid, quod augat virtutem, potest tamen etiam eleuari per modum concursus concomitantis, quia concipitur causa proportionata in ordine suo partialiter, & minus principaliter ad producendum effectum indiuisi-

diuisibiliter indiuisibilitate effectus, vt patet de puero simul cum ceteris trahente nauim.

134 At difficultas est apud Scotistas, an scilicet respectu posterioris effectus, vt est actus supernaturalis, petat potentia compleri, & eleuari auxilio per modum principij vel transeuntis, vt est auxilium actuale; vel permanentis, vt est habitus supernaturalis, vel possit eleuari per solum concursum specialem extrinsecum. P. Vulpes 1.p. disput.23.art.8.& 9. sustinet, sufficere eleuationem per concursum extrinsecum, ita vt si intellectus beatus absque lumine gloriæ videret Deum, non esset necesse, Deum supplere concursum luminis ad simpliciter videndum Deum, quia secundum Scot. 1.d.17.quæst 2. E. nullus habitus datur ad simpliciter operandum, aliter esset potentia, tum quia potentia habet in ordine suo sufficientem virtutem remotam, nec eam recipit ab habitu, & solùm præsentia obiecti indiget ex eodem in 4.dist.49.quæst.11. tum quia potest homo naturaliter efficere actum supernaturalem quo ad eius substantiam, intensionem, & bonitatem, & secundum omnem modum, quem experimur à parte rei in actu ex 1.dist. 17. quæst. 2. Ff. tum quia eiusdem sunt speciei actus naturalis, & supernaturalis ex quol.17.]& tandem quia potest acceptare Deus vt meritorios actus naturales, ex 1.d.17.quæst. 2. Nn. ergo non erit necessarium auxilium supernaturale absolutè per modum principij, quo eleuetur potentia ad supernaturaliter operandum.

Sed non minus probabile est oppositum, eo quia ex Doct.4.dist.6. quæst.10.O. habitus supernaturalis in hoc differt à naturali, quod hic datur solùm ad sic agendum, ille verò ad simpliciter agendum, idest supernaturaliter, cuius rationem reddit in 1.dist.1. quæst.4.ad 4. pro 4.articul. quia scilicet actus secundus præsupponit actum primum proportionatum, & ideò actio supernaturalis præsupponit esse supernaturale, vnde concedit, quòd si voluntas eliceret actum fruitionis circa Deum clarè visum absque charitate, talis fruitio foret naturalis ob defectum charitatis, vel alterius qualitatis supplentis, eò quia agere præsupponit esse, & si voluntas supernaturaliter ex parte sua operatur, debet præsupponi in esse supernaturali constituta; quam doctrinam ipse Vulpes recipit disput.45.art.5. loquens vniuersaliter de auxilijs per modum principij in ordine ad actus supernaturales, citans conclus.1.Scot.1.d.17. Hh, & soluit rationes in oppositum. Ad quas posset dici, habitum non dare simpliciter vitaliter operari; sed simpliciter supernaturaliter operari: nam potentia habet ex se sufficientem virtutem operandi vitaliter, sed non supernaturaliter. Insuper potest intellectus efficere actum supernaturalem quo ad omnem modum, quem à parte rei experimur, & ita loquitur ibi Doctor, talis autem non est supernaturalitas. Sunt item actus naturalis, & supernaturalis eiusdem speciei in genere naturæ, & qualitatis, sed per supernaturalitatem differunt specie subalterna. Tandem posset Deus acceptare actus moraliter bonos, sed tunc non forent supernaturales, vt modò sunt, vide Doct.4.d.49.qu.5.ad 2. princ. vbi dat modum vtrunque tuendi.

Sed quicquid sit de hoc, suffieit nobis, quod verè potentia actiua eleuabilis auxilio, siue per modum principij, siue per modum cuius possunt principaliter in suo ordine concurrere ad producendos effectus excedentes vires naturæ, quæ propter illam subiectionem ad Deum supernaturaliter agentem, & concursu speciali concurrentem dicetur proprie potentia obedientialis actiua.

Soluuntur Obiectiones.

135 Contrà arguitur 1. ostendendo, non dari istam potentiam obedientialem actiuam; Tum quia si in re datur potentia aliqua actiua remota, & inchoata ad producendos effectus excedentes proprias vires, ergo concursus Dei, qui ad tales effectus concurrit cum illa causa, erit naturalis, & debitus ex communi lege, & sic naturaliter intellectus Deum videret, Beata Virgo naturaliter concepisset, non miraculosè etiam secundum modum, quod est falsum, sequela probatur, quia concursus respondens potentiæ natiuæ actiuæ naturali debitus est ex communi lege, quo Deus tenetur concurrere cum causa secunda. Nec valet dicere, istam potentiam esse inchoatam, & incompletam; non valet, quia Deus tenetur supplere omnem defectum causæ secundæ, vt patet de Sole ranam producente, qui non habet virtutem completam producendi ranam, & tamen completur à Deo concursu naturali. Tum quia intellectui saltim esset naturaliter debitus concursus Dei ad visionem beatificam, cùm habeat ad illam ex se in ratione potentiæ sufficientem virtutem; & licèt pro statu isto non esset debitus, quia est alligatus sensibus, esset tamen debitus animæ separatæ, & Angelis.

Respond.negan.sequelam, ad prob.dicimus, tunc concursum debitum esse ex communi lege, quando causa secunda ex se sufficiens est ad ponendum effectum in esse, vel si non est sufficiens, vt in Sole experitur, potest tamen naturaliter inducere in subiecto dispositionem proximam ad illum effectum, quæ dispositio cogit Deum, non simpliciter, sed supposito decreto concurrendi ad supplementum talis defectus, vt Scot.docet 3.d.24.quæst.vn.C. quando verò causa ex se non habet virtutem completam in ordine suo, nec potest naturaliter aliquam dispositionem inducere, tunc non tenetur Deus concurrere, & si concurrit, concursus erit specialis, non generalis; hinc est, quòd supernaturaliter Deus concurrit ad infusionem gratiæ in anima, ex Scot. cit. quia anima nec potest viribus naturæ gratiam producere, nec dispositionem aliquam proximam, quæ sunt opera supernaturalia, licèt neque sint dispositiones physicæ, sed morales. Ad 2.concedimus, intellectum habere virtutem actiuam completam in ordine suo, negamus tamen concursum naturalem esse ad visionem beatificam, quia adhuc secundum vnam opinionem intrinsecè petit compleri per modum principij, & ex parte Dei requiritur præsentia obiectiua, qui concursus licèt sit in genere causæ efficientis, non tamen est quatenus causa prima, & vniuersalis, alioquin eodem modò cum omnibus causis concurreret, sed vt causa specialiter concurrens ad sui assimilationem intentionaliter, & hinc est, quòd nequit dici naturalis.

136 Secundò ad idem, sequeretur, formicam habere potentiam ferendi quodlibet pondus in infinitum, & calorem vt vnum habere potentiam producendi calorem in infinitum intensum, quia isti effectus habent proportionem cum causa, ergo ista potentia esset infinita, per regulam Scoticam supra assignatam: si posse producere plura dicit perfectionem, ergo posse producere infinita, infinitam dicet perfectionem. Tum 2. quia potentia naturalis ex se non potest, nisi in actus naturales, ergo nequit esse ad actus supernaturales, & superiores se. Nec refert, valere antecedens de causa naturali proxima, non remota; non valet, quia tunc principium completum constabit ex naturali, & supernaturali causa, & effectus totus erit supernaturalis, quod est falsum, nam sic nihil erit in effectu, quod à naturali principio possit produci. Tum 3.quia si intellectus v.gr. eleuatur ad productionem intellectionis, ergo etiam ad productionem gratiæ.

Respond.ad 1. concedendo primam, negando secundam sequelam, ad probat. dicimus, regulam illam valere, quando pluralitas effectuum arguit maiorem virtutem, modò quia effectus non excedit saltim secundùm analogiam, latitudinem obiecti illius potentiæ, potest eadem causa concurrere per eandem virtutem, quia totus excessus tribueretur Deo specialiter concurrenti; quemadmodum quia ad producendas plures intellectiones successiuè non requiritur maior virtus in intellectu, ita nec ad producendas plures in infinitum successiuè; at contra Aduersarios currit argumentum, quia posse producere quamlibet rem etiam partialiter, arguit distinctam virtutem, & alterius rationis in causa propter improportionem effectuum cum illa. Ad 2. dicimus vt ibi, cum impugnatur, respondemus, effectum ideò supernaturalem dici, quia nequit totaliter à principio naturali, quod remotum est & inchoatum, produci, ideoque postulans compleri supernaturaliter, non dicitur tamen supernaturalis, quia sit totaliter improportionatus actiuitati potentiæ etiam remotæ, dicitur etiam totus supernaturalis, quia denominatio sumitur à nobiliori agente, & est à potentia natiua, non nuda, sed eleuata. Ad 3. negatur paritas, nam ex dictis, inter causam eleuatam, & effectum productum debet aliqua peculiaris proportio reperiri, qua effectus non petat ab alia causa secunda produci, & hinc est, quod intellectus potest ad visionem Dei concurrere, non verò ad gratiam.

137 Tertiò ex Caraffa, vel talis potentia inchoata completur, aliquid in se recipiendo physicè, vel nihil recipiendo; non primum, vt concedunt ponentes potentiam obedientialem; si secundum, ergo sicuti creatuæ ante imperium diuinum vires non habebant ad operandum, nec postea. Tum 2. quia naturale nequit dici supernaturale incompletè, quia sunt diuersi ordinis, sed hæc potentia obedientialis actiua est ipsum esse naturale creaturarum, ergo hæc potentia non erit supernaturalis incompleta. Tum 3. quia modus operandi sequitur modum essendi, ergo si esse creaturarum est naturale, etiam modus operandi talis erit, ergo propria virtute non poterit creatura effectum supernaturalem attingere. Tum 4. quia superiùs non continetur in inferiori neque completè, neque incompletè, ergo effectus supernaturalis non poterit vllo modo in potentia naturali contineri. Tum 5. habitus supernaturales dantur ad simpliciter operandum, ergo non præsupponunt potentiam actiuam in causa. Tandem quia obedientia dicit subiectionem superiori, subijci verò est pati, non agere, ergo implicat dari potentiam obedientialem actiuam.

Respond.vtroque modo posse compleri, nec sequitur, ante completionem non habere potentiam, immo totum oppositum deducitur. Ad 2.naturale, & supernaturale secundum substantiam sunt diuersi ordinis, at supernaturale solummodo extrinsecè, & terminatiuè potest esse ordinis naturalis, sicut potentia obedientialis passiua intrinsecè est entitas ordinis naturalis, quia dicit animæ v.g. entitatem, sed potest dici supernaturalis extrinsecè, & in ordine ad formam recipiendam, quæ est ordinis supernaturalis, idem de potentia actiua obedientiali dicendum. Ad 3. dicimus, potentiam obedientialem vt eleuatam, esse aliquo modo ordinis supernaturalis, vt sufficienter ex parte sua possit concurrere ad effectum supernaturalem secundum substantiam, & hæc est ratio, cur supra diximus, debere potentiam intrinsecè compleri in ratione principij, vt possit supernaturaliter operari. Ad 4. per idem, quod continetur in potentia vt eleuata; vel meliùs, negando supernaturale non posse aliquo modo contineri à liquo ente naturalis ordinis, neque omne supernaturale ex

le ex 3.dist.12.quæst.1.K. est perfectius, & superius quolibet ente naturali, qualis est substantia, & potentia vitalis ex 2.dist.16. Ad 5. diximus, dari habitus supernaturales ad simpliciter supernaturaliter operandum, non tamen ad simpliciter operandum vitaliter. Ad 6. concedimus; rationem obedientiæ dicere subiectionem & quandam passionem ab imperio voluntatis, quæ fit denominatio quædam extrinseca, non sequitur tamen, quin intrinsecè possit esse actiua, sicut seruus potest imperari ad agendum per virtutem, non ex imperio receptam, sed innatam, sic potentiæ aliæ à voluntate non dicuntur simpliciter passiuæ, eo quia voluntati subordinantur, sed verè sunt actiuæ.

138 Quartò ex Cartagena; Tum quia si daretur hæc potentia innata, concursus illi erit debitus, & sic naturaliter, non supernaturaliter operaretur; sequela probatur, quia omnis potentia actiua exigit actum habere modo sibi possibili, & appetit illum, ad quem vt ad finem ordinatur, ergo naturaliter appetit auxilium necessarium, sine quo haberi nequit ille actus, ergo tale auxilium, seu concursus erit illi debitus, cùm natura solum exigat id, quod ei naturaliter debetur. Tum 2. quia hæc potentia intrinsecè supernaturalis erit, quod implicat, probatur sequela, quia intrinsecum ordinem dicit ad actus supernaturales, ad obiectum supernaturale, & ad concursum supernaturalem, à quibus omnibus potentia habet specificari; vnde Deus vt hos actus, & concursum respicit, dicitur agens supernaturale; secundò quia si hæc potentia esset qualitas quædam, esset supernaturalis, ergo hæc potentia innata erit supernaturalis intrinsecè, tertiò quia si esset naturalis, aliquando saltim naturaliter deberet operari, quia modus operandi sequitur modum essendi; quartò quia non potest intelligi, cur natura tribuat vim producendi effectus excedentes totam facultatem non solum naturæ creatæ, sed ipsius Dei authoris naturalis, vt naturalis est præcisè. Tum 3. quia naturaliter potentia ista concurreret ad actus supernaturales, quia nil connaturalius est alicui potentiæ, quàm attingere suum actum eo modo, quo ab ipsa secundùm suam naturam attingibilis est.

Ante solutionem priùs esset quærendum ab isto Doct. an sustineat cum Scoto in 4.d.49.q.11. intellectum habere potentiam actiuam innatam ad visionem beatificam, si ipsam admittit, quod facere debet, vt Scoticè loquatur, tenetur quoque omnibus istis rationibus respondere; quod enim vocetur potentia ista obedientialis, vel non, parum refert, quia rationes adductæ non impugnant hunc terminum obedientialitatis, sed actiuitatem potentiæ erga supernaturales actus; quapropter dicimus. Ad 1. concedendo, naturam habere inclinationem actiuam ad illos actus, quia habet potentiam actiuam, maximè quando actus perficit ipsam naturam, vt est visio beatifica, dicit etiam ordinem ad auxilium necessarium, negamus tamen, illud debitum esse ex communi lege; neque est verum, naturæ esse debitum, quicquid appetit, appetit enim beatitudinem, quæ tamen non debetur illi ex communi lege; vnde debitum auxilij petendum est, quando in natura datur vis sufficiens vel ad totum effectum, vel ad dispositionem præuiam, ad quam naturaliter effectus sequatur, vt diximus in conclusione.

139 Ad 2. negamus, talem potentiam esse intrinsecè supernaturalem, ad primam probat. concedimus antec. negamus conseq. solum enim sequitur, esse extrinsecè, terminatiuè, & obiectiuè supernaturalem, non intrinsecè, ad quod requiritur, vt sit entitas transcendens omnem ordinem naturæ; sicut nec potentia actiua remota intellectus ad visionem beatificam, neque potentia obedientialis passiua, esto talem ordinem ad actus supernaturales dicant, sunt intrinsecè supernaturales. Neque disparitas à Cartag. assignata valet, scilicet, quod potentia passiua primariò respicit actum receptibilem, sub quo clauduntur actus tam naturales, quam supernaturales, & ideo non habet specificari primariò ab aliquo supernaturali; Idem enim possumus dicere de ista potentia actiua, quod videlicet respiciat primariò ens producibile ab ipsa, sub quo claudatur tam ens naturale cum auxilio naturali, quàm supernaturale cum auxilio supernaturali, maximè quia non ponimus hanc potentiam in quolibet ad quodlibet. Deus quoque dicitur agens supernaturale, vel naturale, non quia modò habeat entitatem naturalem; modo supernaturalem, sed extrinsecè, quatenus operatur iuxta leges naturæ, vel supra illas, intrinsecè tamen est quædam entitas infinita transcendens quoscunque limites; Ad 2. probationem, illa qualitas esset supernaturalis intrinsecè, quia nullo modo debita entibus naturalibus, non sic ista potentia, quæ est eadem entitas causæ secundæ, sicut si potentia obedientialis passiua esset quædam qualitas à Deo infusa, vt innuunt Conimb. esset intrinsecè supernaturalis, non tamen sequitur modò hanc potentiam passiuam esse intrinsecè supernaturalem, quia est eadem entitas rei; Ad 3. probationem, dicimus, aliquando naturaliter operari, idem enim intellectus est qui intelligit creaturas, & Deum, diuersimodè tamen, sic potentia passiua obedientialis, cùm sit natura rei, deberet recipere aliquod naturale, & tunc est, quando respicit agens creatum; licèt reduplicatiuè loquendò, vt obedientialis, tam actiua, quàm passiua respiciant semper aliquod supernaturale; Ad 4. probationem respondemus, naturam talem facultatem rei tribuere, eo ipso quod dat illi talem entitatem, quæ productiua est proximè effectus naturalis, & remotè effectus supernaturalis habentis proportionem cum illo, & debet hoc percipere Cartagena, sicut percipit, intellectum habere potentiam actiuam, & passiuam obedientialem ad visionem Dei transcendenem limites non solùm naturæ creatæ, sed etiam ipsius Dei, vt est auctor naturæ.

Ad 3. dicimus, concludere tantum, potentiam illam naturaliter concurrere, prout naturale opponitur violento, non verò supernaturali, quia concurrit vt eleuata per aliquod supernaturale, vel extrinsecum, quod probabilius est ex dictis in fine probationis conclus. Alias rationes adductas à Thomistis, & Scotistis omittimus, quia vel ex dictis solui possunt, vel faciunt contra sententiam admittentem istam potentiam in quolibet ad quodlibet. Similiter, quæ adducit Suar. ad probandum, hanc potentiam instrumentalem esse non principalem, ex dictis q. 5. soluuntur, confundit enim causam principalem cum causa adæquata, & totali, & causam instrumentalem cum causa principali partiali, inadæquata, & insufficienti, vnde est quæstio de nomine.

140 Quintò arguit Hurt. probando, hanc potentiam esse in quolibet ad quodlibet, adest per nos in intellectu potentia aliqua ad actum supernaturalem visionis Dei, ergo in igne, v.gr. ad producendam aquam, & sic de alijs, Probat consequentiam, quia maior improportio reperitur inter intellectum, & visionem Dei, cùm intellectus sit naturalis ordinis, visio verò supernaturalis, quam inter ignem, & aquam, quæ omnia sunt eiusdem ordinis, ergo si potest per Dei potentiam tolli illa improportio, multò magis ista.

Respon. argumentum retorqueri posse quo ad potentias vitales, nam maior improportio est inter ignem, & aquam, quam inter visum, & auditionem, cum ista conueniant in vitalitate, ergo si per ipsum hæc improportio nequit à Deo tolli, nec illa, vel ambæ poterunt auferri, quare dicimus, maiorem proportionem esse inter intellectum, & visionem Dei, quia adest improportio potentiæ proximæ tantum, non remotæ, quia visio petit ab intellectu produci, & habet aliquam analogiam cum effectu ab intellectu naturaliter producibili, scilicet, cum alia intellectione, at inter ignem, & aquam adest improportio quo ad potentiam proximam, & remotam, quia nec aqua petit ab igne produci, nec aliquam analogiam habet cum igne, immo repugnantiam. Quòd verò sint eiusdem ordinis, parum refert, quia non debet attendi proportio ordinis, & entitatis ex Scoto 4.d.49.quæst.11. B. & C. & 1.d.3.quæst.3. §. *Congruentia, &c.* inter causam, & effectum, sed proportio actiui ad passiuum, & producentis ad productum explicata, quæ potius est inter dissimilia, quam inter similia, immo addimus, quod si aqua ab igne produceretur per potentiam obedientialem actiuam, aqua ista erit effectus, & si non quo ad substantiam, saltim quo ad modum, ordinis supernaturalis, & sic semper erit maior improportio inter hæc duo, quàm inter illa.

141 Contrà instat, talis proportio, quæ est inter intellectum, & visionem, erit vitalitas in vtroque reperta, sed vitalitas visionis ex se supernaturalis est vitalitas autem intellectus est naturalis, ergo adhuc improportionaretur quo ad proportionem assignatam. Tum quia Deus multa facit, quæ non exiguntur à natura, accidentia enim petunt effici, & conseruari in substantia, & tamen Deus oppositum potest facere, ergo ex hoc, quod vnus effectus petat ab vna causa produci, non debemus implicantiam arguere, si ab alia causa produceretur.

Resp.poportionem non solùm in vitalitate consistere, sed etiam in entitate ipsius visionis, quæ proportionata est intellectui in ratione potentiæ non proximæ, sed remotæ, non enim ponimus, intellectum tantum concurrere ad rationem genericam, habitum vero supernaturalem, vel obiectum ad rationem specificam, cum dicitur, talem entitatem esse supernaturalem respectu intellectus, verum est in ratione potentiæ proximæ, at in ratione potentiæ remotæ posset dici aliquo modo naturalis, quatenus intellectus habet potentiam actiuam inchoatam, & innatam ad illam visionem, tum quia non requiritur proportio in entitate, aliter vt ait Doctor cit. materia, & forma, quia sunt valdè inter se dissimilia in entitate, non possent proportionari ad constituendum vnum per se in ratione actus, & potentiæ; Ad confirmationem concedimus, ex hoc solum, quod vnus effectus petat ab vna causa produci, non debere concludi implicantiam colligimus, vel ex contrarietate, vel quia si daretur ad vnum effectum disparatum, & improportionatum, debere ad quodlibet dari, & sic quodlibet agens esset virtutis infinitæ; ex illa verò exigentia tantum colligimus, dari in aliquo potentiam obedientialem actiuam, & conclusionem affirmatiuam particularem deducimus; non verò conclusionem negantem istam potentiam in alijs rebus, sed hanc inferimus ex absurdo, quod sequeretur, & ex contrarietate.

142 SextT ex eodem; Deus est improportionatum obiectum per cognitionem intuitiuam nostri intellectus, itaut extra suum obiectum connaturale omninò sit, ergo si potest intellectus vagari extra suam sphæram cognoscendo intuitiuè Deum per eleuationem, multo magis aliæ res, quæ non dicunt ordinem potentiæ vitalis ad suos effectus, sicut intellectus.

Respon.negando assumptum, proportionatum enim obiectum intellectus nobis est ens vt ens, etiam si de obiecto attingentiæ loquamur, quia sicut Deus est obiectum inclinationis, ita etiam attingentiæ, cum hac differentia, quod dicitur obiectum naturalis inclinationis, quia visio est iuxta propensionem naturæ intellectualis, non tamen

men dicitur obiectum naturalis attingentiæ, quia sic solum ens finitum est obiectum, sed est obiectum liberæ attingentiæ. Vnde aduertendum, quod naturalitas, & liberalitas attingentiæ non se tenent ex parte potentiæ, quia hæc habet naturalem, seu innatam potentiam in ordine suo ad attingendum ipsum Deum, sed se tenent ex parte obiecti, quatenus liberè, vel naturaliter mouent nostram potentiam, ideoque cum Deus sit obiectum liberum, itaut, si vult, videtur, si non vult, non videtur, hinc est, quod non est in nostra potestate præsentia Dei obiectiua, quæ requiritur ad elicitionem visionis, & hoc est verum, si teneamus, potentiam non debere necessariò eleuari intrinsecè per modum principij; at si hanc necessitatem asseramus, tunc non solùm Deus non erit obiectum naturalis attingentiæ, quia liberè mouet, verum etiam quia potentia insufficiens est absque eleuatione: quomodocunque tamen dicatur, semper antecedens assumptum est falsum, si absolutè sine limitatione sumatur, quomodo facit Hurt. & quomodo esset accipiendum, vt nostram conclusionem posset vrgere.

QVÆSTIO VIII.

De Causa Ideali, seu exemplari.

143 De Ideis disertè agunt P. Sghemma digress. 14. & P. Vulpes 1. p. disput. 29. ideò pauca de ipsis tangemus. Idea igitur est nomen Græcum deriuatum ab *ido*, quod est video, & latinè sonat, idem ac exemplar, forma, ratio, secundum D. Aug. lib. 83. qq. quæst. 46. non quidem forma illa, quæ vt pars constituit compositum, sed quæ est exemplar, ad cuius similitudinem artifex operatur. Diuiditur communiter ex Scoto 4. dist. 50. qu. 5. D. in externum, & internum exemplar, primum est, quod sibi ante oculos proponit artifex, vt ad eius similitudinem aliquid efficiat, vt pictura, ad cuius similitudinem illam inspiciendo pictor depingit; secundum est idolum illud, & exemplar, quod in mente artifex sibi efformat, vt ad illius similitudinem ad extra aliquid efficiat; & de isto propriè est sermo in præsenti, quia hoc semper est necessarium ad actionem artificis, non illud. Definitur autem id ea quod sit *ratio in mente artificis, secundum quam aliquid est formabile ad extra secundum propriam rationem eius*, ita potest colligi ex definitione ideæ diuinæ, quam tradit Doct. in 1. d. 35. I. ex D. Aug. cit. dicitur *ratio*, quia artifex operando rationabiliter agit, quia habet rationem, secundum quam format, dicitur *in mente artificis* ad differentiam exemplaris externi, quod non semper est necessarium ad opus; dicitur *secundum quam aliquid, &c.* vt explicetur formalitas causæ idealis, quæ consistit in respectu similitudinis, & imitabilitatis ad opus causatum ab artifice ad eius similitudinem. Ex qua definitione colligitur, ideas solum in agente intellectuali reperiri, vt sunt Deus, & Angeli, & homines, eo quia idea vel est cognitio, vel res cognita, qua inspecta, agens intendit similitudinem exprimere in opere externo, modo quæ nullam habent cognitionem, non possunt ita operari, bruta verò, etsi cognoscant, imperfectè tamen cognoscunt, quia non apprehendunt distinctè ea omnia, quæ sunt necessaria ad effectionem rei ideatæ, nec intuentur in actuali actione idolum internum, sed re confusè apprehensa, statim ex impetu naturæ agunt, & eodem modo semper operantur, siue prius simile opus effecerint, siue non: quod non euenit in agente per intellectum qui perfectè apprehendit effectum, quem intendit producere, modum, quo produci debet, & media sumit necessaria propter illum, immo eligit potiora; in hoc igitur (nisi velimus extendere nomen ideæ) propriè ratio idealis causæ reperitur. De qua duo videbimus, primum, quodnam sit illud, quod relationem ideæ fundat: cum enim in intellectu sint duo, conceptus formalis, quæ est cognitio, & species expressa, alter est conceptus obiectiuus, & est res cognita per intellectum, dubitatur, an idea sit conceptus formalis, vel obiectiuus; secundum est, ad quod genus causæ reducatur idea; loquimur autem præcipuè de idea creata; & obiter aliqua de diuina dicemus.

144 Quoad 1. est Thomistarum Opinio, ideam in conceptu formali, non obiectiuo consistere, quam etiam sequuntur Fons. 7. Met. c. 8. quæst. 2. sect. 2. Suar. disput. 25. sect. 1. citans Alens. D. Bon. Capr. & alios, item Ruuius 2. Phys. tract. 6. qu. 2. & ex nostratibus. Bonet. 2. Phys. c. 8. Herrera 1. disput. 16. qu. 1. Smisinc. tract. 3. disp. 2. quæst. 7. addens, conceptum obiectiuum prout rem cognitam externam significat, dici quoque ideam, non verò conceptum obiectiuum internum in creatis; licet in diuinis vtrunque conceptum ideam esse determinet; & Vasq. 1. p. disput. 72. putat, ideam in diuinis esse conceptum formalem, in creatis conceptum obiectiuum. Ex alia parte Scotus in 1. d. 35. rationem ideæ propriè tribuit obiectiuo conceptui, maximè in creatis, quam sequuntur omnes Scotistæ, Tat. Lich. Vig. eadem dist. Bass. d. 36. q. 2. Vulpes cit. art. 6. Nolanus in sua Pinacotheca qu. vlt. Sghemma cit. q. 3. Fuentes 2. Phys. q. 8. diff. 2. item Ocham, Gabr. Aliacensis 1. d. 35. Dur. Ric. Ægid. dist. 36. Ferrar. 1. contra Gentes c. 54. Suess. 3. de An. com. 8. Conimbr. 2. Phys. c. 7. q. 3. Auersa q. 15. sect. 3. Vasq. cit. quo ad creatas ideas licet sit aliqua controuersia inter istos Doctores, an scilicet debeat esse conceptus obiectiuus eiusdem rei faciendæ, an alterius distinctæ, sed similis. Amicus vero trac. 12. qu. 13. d. 2. omnes opiniones amplectitur, quamuis in primam magis inclinet.

Quo ad 2. aliqui negant, esse causam; Platonici, affirmant, esse causam distinctum genus ab alijs constituentem, sequuntur Simpl. 2. Phys. com. 68. Tol. q. 7. & alij. Peripatetici verò ad vnum ex quatuor generibus reducunt, sed discrepant inter se, nam Alij ad causam finalem, ita Vicomer. 2. Phys. 28. Alij ad formalem, non intrinsecam, sed extrinsecam, vt Alber. 1. d. 20. q. 1. Caiet. 1. p. q. 6. art. 4. & q. 44. ar. 3. Arg. 1. dist. 45. art. 2. Fons. 1. Met. c. 7. q. 1. sect. 5. Franc. de Raconis q. de causa exempl. p. 3. Conimbr. 2. Phys. c. 7. q. 4. Scotus verò 1. d. 36. q. 1. B. & d. 2. qu. 7. X. ad genus causæ efficientis reducit, quem sequuntur omnes Scotistæ, insuper Suar. Ruuius, Auersa cit. estque communiter apud Doctores.

ARTICVLVS I.

Ostenditur ideam esse propriè conceptum obiectiuum.

145 Dicimus, propriè loquendo, rationem ideæ conceptui obiectiuo conuenire, quamuis aliquo modo etiam formali adaptetur, ita Doctor citat. & Prob. primò ex D. Aug. l. 83. qq. quæst. 46. vbi loquens de diuinis ideis ait, *Si quidem tanta vis in ideis constituitur, vt nisi eis intellectis sapiens esse nemo possit*, item quod sint *formæ æternæ, incommutabiles in mente diuina*; & 5. Confess. de eisdem loquens, ait, *Beatus est, qui te, & illa nouit, nec propter illa beatior*; ergo per D. Aug. si ideæ in Deo multiplicantur, & ad obiectum beatitudinis non spectant, sequitur, esse non conceptum formalem, sed obiectiuum, scilicet creaturas cognitas. Aristotel. etiam 7. Metaph. 23. & 30. ait, sanitatem extra fieri ex sanitate intra, & domum extra è domo intra, & ne aliquis putaret, per sanitatem intra intelligere aliquid subiectiuè in intellecto existens, puta conceptum formalem, sed intelligere aliquod obiectiuè in ipso existent, ait in text. 23. *Ab arte autem fiunt, quorum forma in anima; formam autem dico ipsum quod quidem erat esse vniuscuiusque*, & infra, *Quare quodammodo ex sanitate sanitatem accidit fieri, & domum ex domo, quæ sine materia eam; quæ habet materiam, dico autem substantiam absq; materia quod quid erat esse*. Tandem accedit authoritas Platonis, aut Socratis, nam termini id propriè significant, ad quod significandum à primo institutore sunt impositi, quia ad placitum, non naturaliter significant, primus inuentor ideæ fuit Plato, vel Socrates, & vterque imposuit hoc nomen ad significandum, non quidem cognitionem, sed rerum quidditate.

Secundò Probatur idem ratione. Tum quia idea est id, cui agens, dum operatur, intendit assimilare suum opus, sed agens intendit assimilare effectum, non suæ cognitionis, sed rei cognitæ, architectus enim intendit assimilare domum externam, non suæ cognitioni, sed domui, quam mente concepit. Tum quia idea est, ad quod aspiciens agens operatur, quod non solum externo exemplari conuenit, vt ait Amicus, sed etiam interno, quia istud quoque est directiuum, & regulatiuum actionis agentis, concurrit ad effectum, quatenus ad ipsius similitudinem, & imitationem fit, ergo debet cognosci, aliter si nullo modo cognosci deberet, posset etiam in brutis, & inanimatis poni ratio ideæ, sed agens in agendo, non cognitionem suam; sed rem conceptam aspicit, ergo res concepta, non cognitio, erit idea, hæc minor probatur, quia cognitio cognoscitur cognitione reflexa, non directa, sed quilibet artifex experitur, non habere talem reflexam cognitionem, immo si nec posset habere, dummodo perfectè cognoscat rem faciendam, perfectè operabitur. Tum quia artifex comparat in agendo suum effectum cum idea, quia ab ipsa regulatur, & dirigitur in actione, & vtitur idea ad commensurandam, & desiniendam formam, quam intendit effectui præbere, & nequit hoc facere, nisi comparando effectum cum idea, sed non comparat cum conceptu formali, sed cum obiectiuo, quia artifex comparando, sic dicit, domus, quam facere volebam, non erat tam ampla, erat quadrata, habebat tot fenestras, tot cubicula, &c. sed esse quadratum, amplum, habere fenestras, cubicula, &c. non conuenit conceptui formali, sed obiectiuo, ergo, &c.

146 Respond. Suarez, cognitionem esse similem effectui, non realiter, sed intentionaliter, & cognosci, seu aspici ab artifice, non cognitione reflexa formali semper, sed aliquando, semper autem cognitione reflexa virtuali, quia quælibet cognitio est aliquo modo cognoscitiua sui ipsius, & supra seipsam quasi reflexiua, hinc in Deo intellectio diuina, quæ est conceptus formalis, non alio actu distincto cognoscitur, sed seipsa; & hoc sufficit ad rationem ideæ.

Sed manet explosa ex dictis hæc responsio: nam similitudo illa intentionalis nil aliud est, quàm repræsentatio effectus, sed agens non intendit assimilare effectum suæ repræsentationi, sed domui repræsentatæ, vt probatum est, comparat enim effectum cum re cognita; & agit iuxta omnia in ipsa re præconcepta, vnde à re præconcepta regulatur in ratione exemplaris. Nec cognitio illa virtualiter reflexiua aliquid valet ad rationem ideæ quia idea debet esse explicitè cognita vt Quod, non vt Quo, nam effectus illi comparatur, comparatio autem, cum sit quidam actus collatiuus, debet habere duo obiecta cognita vt Quæ; sed solum sufficit, vt obiectum cognoscatur, non cognitio, ergo reflexio supra cognitionem parum facit ad rationem ideæ; vnde licet in Deo talis reflexio reperiatur, non tamen infertur ad rationem ideæ: Hinc nisi idea sit cognita, non poterit exercere

cere suam causalitatem, & actu dirigere agens, sed cognitio ista, cum sit solum actualis representatio ideæ, se habet tantum vt conditio sine qua non; sicut finis, licet causet solum per suam entitatem, & bonitatem, tamen nisi cognoscatur, & intendatur, non potest causare, quæ cognitio est conditio sine qua non; vt dicemus q. seq. Io. de S. Thom. quæst. 11. Phys. art. 3. & Manca 2. Phys. quæst. 10. dub. 1. respondent Ideam non esse conceptum obiectiuum, nec formalem secundum se, & vt informat intellectum, ipsumque intelligentem reddit, sed esse conceptum formalem, vt dicit habitudinem ad obiectum, quod immaterializatum, & intellectum in actu reddit, & illuminat, quomodo constituitur in esse obiecti imitabilis, & expressi. Verum hæc responsio verborum suorum inuolucris vel nostram circumscribit sententiam, vel magnam parit confusionem, quid enim est obiectum immaterializzatum, illuminatum, & ab intellectione expressum, & intellectum in actu, nisi conceptus ipse obiectiuus; ab omnibus enim pro conceptu obiectiuo intelligitur obiectum cognitum habens esse diminutum in intellectu, idest illud esse depuratum à conditionibus materialibus, vnde & ipse Io. S. Th. explicans suam opinionem concludit, exemplar formaliter esse ipsum obiectum imitabile in ipso conceptu formali redditum immateriale, & intelligibile per modum expressionis. Si verò intelligit formalem conceptum, vt ordinem dicit ad obiectum, iam redeunt omnia argumenta, quia ab artifice non inspicitur, vel imitatur cognitio, neque vt informat intellectum, neque vt ordinem dicit ad obiectum, sed obiectum ipsum cognitum, vt dicebamus.

147 Tertiò prob. potest ex paritate exemplari externi, à quo ratio interni exemplaris videtur deriuata, vnde Iustinus Martyr. in Oratione parænetica ad gentes, asserit, Platonem à Moyse accepisse rationem ideæ, cum Dominus Exod. 25. dicit, *Inspice, & fac secundum exemplar, quod tibi in mente monstratum est*, vbi de externo exemplari est sermo. In hoc igitur exemplari adest v. g. pictura, ad cuius similitudinem pictor aliam imaginem depingit, est visio in oculo, qua pictura illa cognoscitur, & videtur, est visio passiua, seu terminatio visionis actiuæ in oculo existentis, qua pictura denominatur visa ab artifice; ratio exemplaris non consistit in visione actiua, nam dicitur in auth. citat. *Inspice*, quod significat visionem, à qua exemplar ponitur distinctum, cum dicitur, *& fac secundum exemplar*, neque artifex visionem propriam contemplatur, sed picturam, iuxta quam suam regulat actionem; neque consistit in visione passiua, quia est simplex denominatio extrinseca, & per consequens nihil, ad cuius similitudinem agens nihil potest efformare, sed verè est pictura, quam contemplatur, iuxta quam efficitur ideatum, ex cuius consideratione magis, vel minus perfecta, magis, vel minus perfectum euadit opus; requiritur tamen, quod verè terminet visionem, & visio se habet vt conditio sine qua non; ita pari passu incedendum est in exemplari interno, nec apparet ratio aliqua disparitatis, cur externum debeat consistere in re obiecta, & ab oculis inspecta, non in visione, internum verò non in re cognita, sed in cognitione.

Quartò tandem, quòd etiam idea conceptui formali possit adaptari aliquo modo, ostendunt Vulpes, & Nolanus citat. ex Scot. 4. d. 1. qu. 1. Q. dicente, quod de cognito dicitur obiectiuè, oportet in ipsa cognitione realiter inuenire; & parum infra declarat, domum in intellectu artificis dici illud esse realiter habere, quod ipsa cognitio habet formaliter, hinc subdit, domum extra fieri à domo intra, quatenus scilicet fit à cognitione domus in mente artificis, tanquam à principio formali, prout domus in mente, & vniuersaliter res omnis cognita dicitur id esse participare, quod formaliter habet cognito, ergo cognitio, siue formalis conceptus, quatenus ad rem factibilem, vt ad ideam terminatur, rationem ideæ posset dici participare. Tum quia quamuis lapis Cæsarem repræsentans, vel speculum, in quo alicuius effigies relucet, secundum esse formale proprium, non sint exemplar, & figura Cœsaris, & effigiati, tamen vt continent illas figuras, possunt dici exemplar illorum, ergo à simili etsi conceptus formalis secundum proprium esse non sit idea, quia tamen est expressa species rei, imaginemque eius continens poterit dici idea: hinc colligitur, Herreram non satis fundatè ex hoc loco Scoti inferre suam sententiam, quam etiam tribuit Scoto, colligitur quoque quæstionem hanc esse quasi de nomine, magis tamen propriè Scotum locutum fuisse, quàm fecerint Aduersarij, si vim nominis ideæ inspiciamus.

Sed contra, insurgunt Aduersarij, primò multis authoritatibus; nam D. Dion. c. 5. de Diuinis Nom. vocat ideas diuinas prædestinationes, & æternas voluntates; D. Aug. cit. rationes æternas, incommutabiles, permanentes, & quod istarum visione fit anima beatissima, quæ omnia nequeunt creaturis conuenire, sed potius intellectioni diuinæ, & tract. 1. in Io. super illud. *Quod factum est, in ipso vita erat*, ait, *quia quod factum est, in Deo habet rationem* (idest ideam) *quæ vita est*, idque exemplo arcæ in mente artificis explicat, dicens, *Quæ*, (scilicet arca) *in arte vita est, quia viuit anima artificis*, & D. Ambrosius 2. Hexameron. capitul. 1. & 2. repræhendit Platonis sententiam ponentem, Deum exemplaria rerum cognoscere extra seipsum. Tum quia Aristot. 7. Met. 23. ait, *Faciens igitur, & vnde conualescendi motus incipit, si ab arte, forma est in anima*, quod supra etiam dixerat, at esse formam in anima solum conceptui formali conuenit, qui verè illam informat, non conceptui obiectiuo, qui solum per extrinsecam denominationem dicitur esse in anima.

148 Respon. D. Dion. non debere intelligi formaliter, aliter idea ad diuinam voluntatem spectaret, quod est falsum, sed præsuppositiuè, quia creaturæ cognitæ præsupponunt in Deo actus intellectus, & voluntatis; dicuntur etiam à D. August. æternæ, incommutabiles, &c. eò quia secundum illud esse reale actuale, quod participare dicuntur in mente Dei, talia prædicata ipsis conueniunt, quatenus scilicet vt notat Doctor in 4. distinct. 1. quæst. 1. Q. & in 1. distinct. 36. G. creaturæ ab æterno cognitæ à Deo nullum esse reale actuale proprium habent, sed principiatiuè, aut terminatiuè, & realiter dicuntur habere esse intellectionis diuinæ, quia ab intellectione principiantur, ipsamque terminant, & quia intellectio diuina est realiter vita creatrix, etiam ideæ vita creatrix Dei dicuntur, non formaliter, sed secundum esse intellectionis diuinæ. Pertinent etiam ad visionem beatam, non quidem ad beatitudinem, quæ respicit obiectum primarium, aliter D. Aug. contradiceret sibi ipsi in 5. Confess. supra cit. sed ad illam beatitudinem totalem possibilem beato, quæ potest haberi in creaturis, non in eis formaliter, sed in obiecto, cuius cognitio præsupponitur istis, & quasi concomitanter in istis, in quibus aliqua beatitudo est, licet non prima ita Doctor 1. distinct. 35. K. D. Ambr. arguit Platonem, ponentem ideas abstractas, & extra Deum, secundum quod ipsi tribuit Aristot. immo ex hoc deducitur oppositum, quia si secundum D. Ambr. Aug. & alios Patres, ideæ non debent esse extra Deum, sed in Deo, erunt quidditates rerum cognitæ ab Intellectu diuino. Ad Aristot. dicimus, ideam dici formam animæ, non quia per physicam informationem illam informet, sed quia est quoddam exemplar, & imago effectus producendi existens obiectiuè in anima; quam artifex inspiciendo incipit suam actionem extra, & motum.

Secundò Prob. idem ratione; tum quia idea habet determinare actionem artificis extra, dirigere, & regulare actionem artificis, vt in certum scopum tendat, ne casu opus fiat, & repræsentare opus faciendum, hæc omnia conceptui formali conueniunt, non obiectiuo, nam determinat, quia sicut agens naturale constituitur in actu primo ad agendum per formam naturalem, ita agens intellectuale determinatur ad agendum per formam intellectualem, quæ est intellectio; dirigit, & regulat, quia est quoddam lumen, quod præit, ostendens viam, modum, & terminum actionis; conceptus obiectiuus non dirigit, sed est ad quem dirigitur; repræsentat, quia est vera species obiecti expressa, conceptus verò obiectiuus non repræsentat, sed est res repræsentata. Tum 2. quia idea est principium cognitionis, quod non debet intelligi de principio effectiuo, aliter species intelligibilis esset idea, neque de conceptu obiectiuo, qui est terminus intellectionis, non principium, ergo de principio formali, quod erit conceptus ipse formalis. Tum 3. quia vel conuenit rei cognitæ ratio ideæ ratione eius esse, quod habet in mente, aut illius, quod extrà habere potest, & ei non repugnat; non primum, quia illud non est nisi denominatio extrinseca, & nihil; nec secundum, quia secundum istud esse reale dicitur potius ideatum, quàm idea. Tum 4. quia saltim in Deo sequeretur, ipsum perfici à creaturis, tam quo ad cognitionem, quia ex D. Aug. q. 46. cit. nemo sapiens esse potest absque ideis, quàm quo ad omnipotentiam, quia agens intellectuale indiget ideis ad operandum. Tandem idea est, ad cuius similitudinem fit opus, sed hic est conceptus formalis, probatur ex 7. Met. 23. & 30. vbi Arist. ait, domum fieri ex vniuoco scilicet ex simili, non ex omninò vniuoco, vt naturalia, sed ex parte vniuoco, quia fit ex arte, ars autem est similis solum in repræsentando, estque conceptus formalis, non obiectiuus.

149 Respon. ad 1. ideam debere determinare, dirigere, regulare, & repræsentare, non quidem tanquam rationem formalem cognoscendi, sed tanquam medium, & obiectum cognitum, quia ad ideam requiritur, vt ab artifice aspiciatur directè, vt probatum est; quare conceptus obiectiuus est determinatiuus, & directiuus, regulatiuus, & repræsentatiuus, non in ratione cognitionis, sed in ratione obiecti; præcipuè quia quòd conceptus formalis habeat hęc omnia, prouenit ab obiecto, ad quod terminatur; cùm dicitur, conceptum obiectiuum esse terminum, ad quem agens dirigitur, hoc est verum de re secundum esse reale, non prout habet esse cognitum, vt dicemus infra. Verum est tamen, quòd hæc munia ideæ creatæ conueniunt, cuius cognitio est practica, diuina verò idea solum habet repręsentare, non dirigere, & regulare, vt habet Doctor in 1. d. 38. in calce, & hoc quia voluntas diuina est prima regula factibilium ad extra, quorum cognitio in Deo non est practica, sed speculatiua. Ad 2. falsum est, ideam esse principium cognitionis, nisi in eo sensu, quo obiectum dicitur principium cognitionis, propriè tamen idea debet esse terminus cognitionis, quia concurrit, vt obiectum cognitum, & si deberet esse principium cognitionis, iam non esset ipsa cognitio. Ad 3. dicimus, conuenire rei secundum esse reale non vt existens à parte rei, sed vt cognitum ab intellectu, non quòd ratio cogniti dicat rationem formalem, sed conditionem sine qua non, vt dicemus qu. seq. de Fine. Ad 4. resp. Doctor in hac quæst. negando, sequi dependentiam in Deo, quia etiamsi creaturæ cognitæ non essent ideæ, adhuc Deus ex sua perfectissima scientia cognosceret creaturas, non tamen ab illis dependet, quia non sunt obiecta motiua, sed terminatiua; neque etiam dependet in operando, etiam si ponantur ideæ, quia non

sunt in Deo practicæ, sed speculatiuæ, solùm terminant, non mouent, neque dirigunt. Ad 5. dicimus, probare solùm 2. partem nostræ conclus. scilicet posse conceptum formalem dici idem, quatenus est repræsentatiua rei faciendæ; quod colligitur ex ipso contextu, nam inquit Aristot. text. 30. *Quodam modo omnia fiunt ex vniuoco, quemadmodum quæ natura sunt; aut ex parte vniuoco, vt domus ex domo: aut ab intellectu, ars enim forma est*: vbi patet, Philos. distinguere hæc duo, domum fieri ex domo, & fieri ab intellectu, seu ab arte, quia domus in sua factione pendet à conceptu formali, & objectiuo; dicit autem, fieri ex domo, tanquam ex parte vniuoca, quia domus extra, & domus intra aliqualiter differunt, vt mox dicemus.

150 Tertiò, & est fundamentum Aduersariorum. Si idea est conceptus obiectiuus, vel est eadem res, quæ fit ad extra; vel alia distincta; non primum, quia idea est causa ideati, est id, ad cuius imitationem agens agit, dirigit actionem physicam agentis, est que principium rei, quæ extra fit ad instar ipsius; idem autem non potest esse causa sui ipsius, nec esse id, ad cuius imitationem agens agat, etiamsi diuersum modum essendi habeat, scilicet esse cognitum, implicat enim, quod idem fiat ad sui imitationem, & ad instar sui ipsius, nec potest esse principium directiuum sui ipsius; tum quia similitudo attenditur secundum vnam formam communem his per indifferentiã, quæ similia sunt, quod inter similia arguit distinctionem realem; hinc videmus, artificem creatum nunquam præconcipere illud idem numero artefactum, cùm nesciat, quodnam illud in singulari futurum sit cum determinatis circumstantijs; neque 2. quia hoc locum non habet in Deo, qui easdem omninò res in singulari cognoscit, & aliquando artifex creatum agit per cognitionem eiusdem rei, quam intendit extra efficere, vnde per accidens est, & propter agentis imperfectionem, quod alia res distincta præconcipiatur, ergo vel Deus non ageret per ideam, vel non necessariò requiritur ista distinctio, & per consequens conceptus obiectiuus rei distinctæ non erit idea, quæ per se requiritur ad actionem agentis intellectualis. Tum quia idea non constituitur per eam cognitionem, per quam inspicitur, tanquam id, ad cuius similitudinem res fit, sed præsupponitur constituta, iuxta illud *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est*, ergo res ex eo solùm, quod cognoscitur, non erit exemplar neque ante, vt nos etiam concedimus, ergo nullo modo erit idea.

151 Resp. ex Vulpio cit. quod agens agendo intendit similitudinem inter ideam, & ideatum, quæ est duplex ex Scot. 1. d. 3. q. 2. D. imitationis scilicet, & vniuocationis; prima reperitur inter diuersa, quæ solùm conuenientiam in aliquo habent, non in natura, vt sunt effigies, & effigiatum; secunda vero est inter eadem omninò quo ad naturam, & essentiam, licèt possint differre in modo essendi, sic creatura cognita à Deo est illamet à parte rei producta, differens solùm in modo essendi, quia à parte rei habet esse simpliciter, in intellectu esse secundum quid, vt docet Doctor 1. dist. 36. D. & E. secunda similitudo est perfectior quam prima, quia sicut nulla maior, & verior vnitas reperitur, quam numeralis, & eiusdem ad seipsum, sic nulla maior, & verior identitas, æqualitas, & similitudo, quæ super vnitatem fundatur ex 5. Met. cap. de aliquid, quàm eiusdem ad seipsum, verior quidem, non quo ad veritatem relationis formaliter importatæ, quia eiusdem ad seipsum non est relatio realis, sed quo ad veritatem fundamenti, vt Scot. docet 1. d. 31. & quol. 6. Cùm ergo de ratione ideæ sit, quod dicat similitudinem cum effectu, sequitur, eo perfectiorem esse ideam, quo perfectior erit similitudo, sicut videmus in artefactis, vbi quo assimilatio in ipsis cum exemplari externo, vel interno fuerit perfectior, eò perfectiorem rationem ideæ, & ideati habebunt; ergo si posset intercedere similitudo vniuocationis inter illa, maximè tunc habebit rationem ideæ; quapropter idea vt sic dicit rationem similitudinis, contrahitur deinde vt in species per similitudinem vniuocationis, tanquam per differentiam perfectiorem, & imitationis, tanquam per imperfectiorem, & consequenter non est de ratione ideæ in communi, quod differat, vel eadem sit cum ideato, sed vtrumque potest accidere, perfectior tamen erit, si non differt; hinc ideæ diuinæ, quia non differunt, creatæ verò sæpè differunt, illæ perfectissimæ dicuntur, istæ secundum participationem & metaphoram vocantur ideæ.

152 Cum igitur impugnatur identitas in argumento, dicimus, ideas diuinas non esse causas, quia non sunt practicæ, sed speculatiuæ, creatæ verò dicuntur causæ, non reales, sed potius morales, vt dicemus, quomodo idem vt habet esse cognitum potest esse sui ipsius causa, vt habet esse reale, vt patet de fine. Nec est de ratione ideæ, vt sit id, ad cuius imitationem agens agat, sed ad cuius similitudinem, præscindendo à similitudine vniuocationis, vel imitationis, vt diximus: neque implicat, idem in esse reali fieri ad sui similitudinem in esse cognito, vnde Seneca epist. 66. dicebat, *Exemplar est, ad quod respiciens artifex, id, quod destinabat, efficit*. Idem tandem vt obiectum cognitum potest dirigere in seipsum actionem vt in esse reali, & potest principium sui ipsius dici, sicut dicitur causa. Cum 2. probatur idem, dicimus, tunc similitudinem attendi penes formam communem per indifferentiam, quando similitudo dicit veram relationem realem, & quo ad veritatem relationis formaliter importatæ, non de similitudine vera tantum quo ad veritatem fundamenti, sicut est similitudo numerica, & quamuis artifex creatum non possit omninò præconcipere eundem effectum (quod non est vniuersaliter verum, nam saltim Angelus posset hoc facere) non sequitur, hoc esse de ratione exemplaris in Communi.

Cum vero impugnatur diuersitas, dicimus, quod quamuis non sit de ratione ideæ in communi, & de per accidens est, quod sit diuersa propter imperfectionem agentis, non tamen sequitur, quod cum concurrit hoc exemplar distinctum, per se non concurrat, & suo modo non exerceat suam causalitatem erga effectum, præcipuè quia non est causalitas physica, sed moralis, suo enim modo dirigit actionem agentis regulatiuè. Tandem ad conf. principalem dicimus, assumptum esse verum de exemplari externo de quo loquitur Sacra Scriptura ibi, non de interno. Vel dicendum, sicut dicimus in Log. de Ente rationis, quod fit cognitione quasi practica, quo modo accipit esse fictum, & esse proprium simpliciter, deinde cognoscitur, & contemplatur cognitione, quæ dicitur speculatiua, & primam supponit; sic idea primò fit cognitione quasi practica, qua producitur in esse obiectiuo, deinde cum actualiter exit agens in opus, recogitatur cognitione speculatiua.

ARTICVLVS II.

Resoluitur quæstium quo ad causalitatem ideæ.

153 DVplex causalitas posse attribui causæ exemplari respectu operis extra faciendi, scilicet moralis, seu intentionalis, & physica; loquendo de ipsa, vt ab alijs causis omnino contradistinguitur; non verò vt ad aliquam illarum reducitur.

Dicimus 1. ideam neque creatam, neque increatam nullam causalitatem physicam posse in effectum exercere, at si loquamur de causalitate morali, solum idea creata illam exercet. Prima pars, quod nullo modo causa physicè influens dicatur, probari potest. Tum quia nihil potest physicè seipsum causare, vt dicetur disputat. sequ. quæst. 2. Tum quia effectus cognitus vt possibilis nullum esse reale proprium habet, ergo realem causalitatem propriam nequit exercere. Diximus, nullum esse reale proprium habet, quia si consideratur, vt participat esse intellectionis, sic potest dici physicè influere in actionem eo modo, quo cognitio practica, & ars principium ponitur actionis ad extra; & in hoc sensu intelligendus est Doctor; dum in 4. d. 1. quæst. 1. Q. & R. videtur velle, quod idea sit ratio producendi effectum ad extra, & principium formale elicitionis, sumit enim sibi ideam pro conceptu formali, vt notauimus articulo præcedenti.

Secunda pars, quod in agente creato exerceat moralem causalitatem, docetur à Doct. in 1. d. 2. quæst. 7. X. nam idea in artifice creato spectat ad artem, ars verò est in ipso notitia practica, cuius est dirigere, & regulare voluntatem in actionibus; vnde hæc causalitas potest explicari per habitudinem, à qua agens intellectuale ad operandum dirigitur, vt scilicet illud idem extra efficiat, quod mente præconceperat, & ad eius similitudinem quantum potest res extra producatur, fundat tamen istam habitudinem, quia intantum notitia dictatiua dirigit, & regulat opus, inquantum exprimit similitudinem illam, quam præsefert obiectum in mente ad opus extra faciendum.

154 Tertiò tandem quod in agente increato nullam habeat causalitatem, nec moralem, habetur à Scoto 1. dist. 38. in fine, & ratio est, quia ideæ in Deo pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ antecedentem omnem actum voluntatis, & merè naturaliter repræsentant, quæ scientia est merè speculatiua, non enim est voluntatis diuinæ directiua, nam diuina voluntas, cum non subiaceat errori, est prima regula contingentium, vt fusius docetur in Theologia. Nec refert, quod ideæ diuinæ ad artem omnipotentis Dei dicantur spectare, & esse rationes æternæ, secundum quas Deus omnia format ad extra; nam vt ait Doct. dist. 38. citat. ars diuina diminutè dicitur ars, quia non est habitus regulatiuus, sed tantum apprehensiuus rectitudinis agendorum post præfinitiones diuinæ voluntatis, suntque rationes, secundum quas non regulatiuè, & dictatiuè formatur omne formabile ad extra, sed speculatiuè, scilicet ostensiuè, & repræsentatiuè, eo quia nil volitum, quin præcognitum.

Dices, figura in cera à sigillo impressa est physicè, si non in genere instrumentalis, & actiuæ causæ, saltim in genere causæ formalis, causata ab exemplari in sigillo existente, vt diximus q. 5. ergo saltim hoc genus exemplaris causæ aliquam causalitatem physicam exercebit in effectum. Resp. sigillum non esse causam idealem, sed instrumentalem, quia causa idealis non debet immediatè, & proximè effectum attingere, sed mediatè regulando artificem, nec est ad cuius similitudinem per inspectionem agens agit, quia, si ab alia causa naturali applicaretur, adhuc idem eueniret effectus, vt ex Durand. notat Auersa.

155 Dicimus 2. ideam, prout in ordine ad effectum consideratur, non constituere genus causæ à quatuor distinctum, sed ad causam efficientem reduci, licet si ad ipsum agens intellectuale referatur, habeat aliquo modo rationem formalis causæ. Ita Scotus citatus, & 1. quod non dicat genus causæ distinctum, probatur, quia valde acceptata est illa diuisio causæ in quatuor, nec erunt multiplicanda sine vrgenti necessitate, quæ non adest in præsenti. Tum quia

quia est quid complens causam agentem in esse causæ, estque quid spectans ad virtutem, & rationem agendi illius, vt dicemus, ergo non est genus omnino distinctum, quia ratio causandi est eiusdem generis cum eo cuius est ratio.

Secundò quod ad genus efficientis causæ reducatur, potest ostendi, Tum inductione, quia non reducitur ad genus materialis causæ, quia causalitas huius consistit in habitudine subiecti, ex quo aliquid fit ratio exemplaris causæ in habitudine eius, ad cuius similitudinem aliquid efficitur; quod licet quandam passiuitatem dicat imitationis passiuæ, non tamen est vera passiua habitudo, sed tantum grammaticaliter. Neque potest ad finalem reduci, quia finis est, cuius gratia agens agit, & propter eius acquisitionem mouet agens, vt habet bonitatem, & consequenter respicit potentiam appetitiuam, non constituit agens in ratione agentis, nec agere dicitur, at idea non est, cuius gratia, sed ad cuius similitudinem agens agit, non propter acquisitionem ideæ, quam actu habet, pertinet ad intellectum, ipsum regulando, non ad voluntatem, complet agens in ratione agentis, qua ratione etiam ad actionem dicitur spectare, vnde qui perfectiorem habet ideam, perfectius agit, vt dicemus; tum quia in qualibet actione agens intendit assimilationem formæ, vel virtualem, si agens est æquiuocum, vel formalem, si est vniuocum, ergo si propter huius assimilationem idea esset finis, quodlibet agens ageret per ideam, quod est falsum. Neque potest reduci ad causam formalem, quia causa formalis, siue intrinseca, siue extrinseca causat per suimet exhibitionem, idea non se communicat effectui, nisi inquantum effectus ipsi assimilatur, quo sensu etiam forma substantialis agentis naturalis posset dici concurrere ad effectum productum in genere causæ formalis, quia illi assimilatur.

156 Remanet igitur, vt ad causam efficientem reducatur, & rationabiliter. Tum quia Aristot. 2. Phys. 33. ait, Policletum, vt statuarium, esse per se causam statuæ, statuarius autem est per se causa per artem, quæ non est principium efficiens statuæ nisi per ideam, quam continet, ergo asserens Aristot. statuarium esse causam efficientem per se statuæ, sentit, exemplar artis, quo medio operatur, continere causalitatem efficientem. Tum quia 7. Met. 23. & 30. & 12. Met. 18. & 24. & 9. Met. 3. docet Aristot. agentia naturalia producere sibi similia per formam, artificialia verò per ideam, quæ est principium, quo agens agit; ex quibus authoritatibus Doct. d. 36. cit. deducit istam rationem; id, sine quo efficiens non est causa completa, debet reduci ad efficiens, tanquam aliquid eius, at causalitas hæc exemplaris est huiusmodi, quia per Arist. cit. sicut agens naturale completur in ratione principij præcisè per formam naturalem, qua proximè agit, ita agens intellectuale in suo ordine complementum agendi proximè per exemplar Sortitur, & ab ea recipit determinationem quandam ad talem effectum causandum saltim secundum specificationem, ergo &c. quare completa causalitas ideæ erit actio intellectualis agentis, vt mensurata, & in certum finem directa ab eo procedit.

Tandem quod si in ordine ad agens consideretur, possit dici formalis causa, probatur. Tum quia Arist. 2. Phys. 28. & 8. Met. 2. enumerat ideam inter causas formales, aitque esse formam in anima, sicut ars est forma animæ, ita 7. Met. cit. Tum quia forma naturalis respectu agentis naturalis est causa formalis, ergo idem de idea respectu agentis intellectualis, non quod sit de essentia illius, sed vt quid complens in ratione agentis: & hoc probant rationes Conimb. asserentium, ideas esse formales causas.

157 Sed contra objicitur 1. cum Platonicis, probando, ideam esse genus distinctum causæ. Tum quia per ideam satisfacimus interrogationi propter quid, cui per nullam aliam causam satisfieri potest, vt si quæratur, cur statua Petri est sima, dicimus, quia idea Petri in mente artificis erat sima. Tum 2. quia finis ideò est causa ab omnibus distincta, quia est id, cuius gratia agens operatur, ergo cum idea sit id, ad cuius similitudinem agens agit, debet esse distincta. Tum 3. quia causalitas finis etiam ad agens attinet, inquantum non agit nisi prius à fine moueatur, aut determinetur, & tamen est genus distinctum, ergo idem de idea.

Resp. dissolui quæstium illud per ideam, non tanquam per causam distinctam ab efficiente, sed tanquam per principium, quo agens determinatè quo ad specificationem effectus, & rationabiliter agit, quare cum non concurrat peculiari modo physicè in effectum, sed vt quid ipsius efficientis, non poterit causam distinctam constituere. Ad 2. negamus paritatem, quia idea per suam intentionem causalitatem habet determinare, & complere efficiens in sua actione. Ad 3. dicimus, finem non se habere ad agens, tanquam quid proximè ipsum constituens aptum ad rationabiliter agendum, sed potius supponit illud ita in re constitutum, & tamen ipsum mouet per modum amati, & desiderati ad agendum à proposito, quod si efficiens operari nequeat sine fine, hoc euenit, quia ad effectum producendum debent concurrere omnes causæ, vnde nec sine materia potest agere; at idea non supponit agens completè constitutum secundum peculiarem eius agendi modum, sicut est agere per cognitionem præconcipiendo rem extra factibilem.

158 Secundò, quod reducatur ad finalem causam, probatur; Tum quia quæstio illa, cur statua Sortis sit sima, optimè soluitur per causam finalem, si dicamus, quia Sculptor voluit repræsentare Sortem. Tum 2. quia finis debet coniungi cum efficiente, vt hoc operetur propter finem, sed in agente per intellectum non coniungitur nisi per ideam, ergo est necessaria idea ex parte finis, quia nec finis potest causare, nisi sic vniatur. Tum 3. quia sanitas, quæ est in mente Medici, mouet Medicum ad medendum, & vt ad eius similitudinem inducat sanitatem in infirmo, ergo finis, & idea coincidunt, quia sicut finis est effectus producendus, etiam idea. Tum 4. quia res secundum omnes, vt habet esse intentionale, causat finaliter, ergo idea, quæ est res in mente, reducitur ad finem. Tum 5. quia imago fieri potest, vt explicet ideam, ergo idea est, cuius gratia imago fit, quod est esse finem. Tandem quia assimilatio effectus est finis agentis, sed assimilatio est idea, ergo &c.

Resp. ad 1. quod eadem quæstio potest solui per plures causas, sicut plures causæ concurrunt, quare vt cognoscamus, si ea, quæ soluunt quæstiones, constituant diuersa genera, oportet videre, an habeant eundem modum causandi, & eodem modo dissoluant quæstionem, cùm igitur finis, & idea non habeant eundem modum causandi, non pertinent ad idem genus causæ. Ad 2. coniunctionem finis cum agente requiri ex parte agentis, quia non est determinatum, nec completum ad agendum, nisi per ideam vniatur fini intentionaliter, & quamuis finis nec etiam causet, nisi fiat ista vnio, attamen hoc est, quia nisi efficiens operetur, non potest causare, nisi autem efficiens sit determinatum, non operatur. Ad 3. dicimus, eundem conceptum obiectiuum fundare rationem finis, & ideæ secundum diuersas habitudines, est finis, vt habet esse amatum, & est id, cuius gratia agens agit, est idea, vt habet esse cognitum, & ad quod aspiciens agens agit; vt autem appareat, ad quam causam reduci debeat idea, oportet videre modum causandi, & cuius causæ sit aliquid; vnde cum sit aliquid causæ efficientis in communi illam contrahens ad speciem efficientis per intellectum, consequenter ad ipsam pertinebit. Ad 4. res, vt habet esse intentionale amatum habet rationem finis, non vt habet esse præcisè cognitum, quamquam hoc vt conditio sine qua non prærequiratur. Ad 5. in tali casu finis non est idea, sed imago, quæ ideam repræsentat, & est effectus efficientis. Vel sequi solùm, quod materialiter finis, & idea coincidant, non formaliter. Ad 6. assimilationem effectus esse finem, & effectum agentis, at causalitas ideæ est assimilatio passiua in conceptu obiectiuo, vel dic vt supra, concludere tantum coincidentiam materialem finis, & ideæ.

159 Tertiò quod ad efficientem causam non reducatur, Prob. Tum quia causalitas agentis non permanet causalitas ideæ vtique, quia effectus, quandiu manet, semper est similis, Tum 2. quia agens est causa existentiæ effectus, idea vero causat conformitatem effectus. Tum 3. quia efficiens est principium vnde motus, idea ad cuius similitudinem agens agit, ergo distinctas habent causalitates, quia imitari non est causæ efficientis. Tum 4. quia finis causat etiam determinando agens ad amorem sui, & tamen non reducitur ad efficiens, ergo idem de idea.

Resp. ad 1. post actionem actualem agentis non manere causalitatem ideæ, quæ consistit in determinando agens ad rationabiliter agẽdum, quod autem remaneat similitudo inter illa, si exemplar est externum, hæc non est causalitas, sed potius similitudo insurgens propter qualitates in illis repertas, quia exemplar non causat, vt est à parte rei, sed vt concipitur ab intellectu, & vt terminat actualem inspectionem intellectus. Ad 2. idea simul cum agente est causa suo modo tam existentiæ, quàm conformitatis effectus, quia intantum effectus recipit existentiam inquantum determinatur ab idea ad operandum. Ad 3. etsi idea non sit principium vnde motus, quia non est efficiẽs, est tamen aliquid illius, quod sufficit. Ad 4. licèt finis causet determinando agens ad amorem sui, tamen cum effectus prodit ab agente, intelligitur esse simul gratia bonitatis finis, & vt agens consequatur finem, quare non respicit effectus finem, vt completiuum agentis in esse agentis, sed potius vt mouens agens constitutum in esse agentis ad agendum; non sic de idea, vt diximus ad primum principale.

QVÆSTIO VIII.

De Causa finali.

160 HIc finem non accipimus pro termino cuiuscunque rei, quo modo mors dicitur finis omnium, & punctum lineæ, sed pro causa finali, quomodo ab Arist. 2. Phys. 19. & 31. definitur, quod sit *id, cuius gratia aliquid fit*, ita sanitas dicitur finis deambulationis, non quia sit terminus illius, sed quia propter eam fit.

Iste finis multiplicatur diuiditur, & primum in finem cui, & finem cuius, ex 2. de Anim. 37. hic dicitur res illa, propter quam consequendam aliquis operatur, vt cum ægrotus propter sanitatem consequendam sumit medicamina; ille est, cui volumus rem, quæ finis cuius dicitur, vt est ægrotus, cui volumus sanitatem; hinc volitio terminata ad finem cuius dicitur amor, aut velle concupiscentiæ, quia est velle propter aliud, volitio finis cui dicitur velle, & amor amicitiæ, quia est amor alicuius propter se, ita Doctor 2. d. 6. q. 2. A.

Secundò diuiditur in finem Quo, & in finem Qui, seu in formalem, & obiectiuum; finis Quo, & formalis est operatio, qua finem Qui consequimur, vt visio beatifica, qua consequimur Deum, acquisitio pecuniarum, &c. finis Qui, & obiectiuus est, quem prædicta operatione assequimur, vt Deus, pecuniæ, &c. hinc ortum duxit diuisio illa beatitudinis in formalem, & obiectiuam.

Tertiò in finem operantis, & operis, primus est, quem sibi præscribit agens, vt si quis ob vanam gloriam daret eleemosynam secundus est, ad quem ex natura sua illa operatio ordinatur, vt finis eleemosynæ ex propria natura est pauperis subleuatio à miseria, primus solet dici extrinsecus, secundus intrinsecus.

Quartò diuiditur in vltimum, seu remotum, & in non vltimum, seu proximum, qui etiam finis sub fine solet appellari, & est ille, qui appetitur quidem propter se, sed adhuc ad aliud ordinatur, vt actus eleemosynæ factus propter subleuationem pauperis, & ad impetrandam Dei misericordiam; vltimus verò est, qui ita propter se appetitur, vt non ordinetur ampliùs ad aliud; & hic est duplex, vel est simpliciter vltimus, & est ille, ad quem omnia ordinantur, vt Deus benedictus, vel secundùm quid vltimus, & est ille; in quem vltimatè tendit agens, itaut vlterius actus non ordinetur ad aliud, quamuis sit ex se ordinabilis, & dicitur vltimus in sua serie, sic remissio peccatorum est finis vltimus facientis eleemosynam.

Quintò diuiditur in finem generationis, & rei genitæ; primus est, vel forma, quæ per generationem acquiritur, vel compositum; secundus est, ad quem res genita ordinatur, & est operatio, iuxta illud Aristot. forma quælibet est propter suam operationem. Aliæ diuisiones etiam solent de fine assignari, sed hæ sunt principaliores: 1. ergo examinandæ sunt istæ diuisiones.

ARTICVLVS I.

An quilibet finis dicatur causa.

161 NOn est dubium de secunda diuisione finis in formalem, & obiectiuum, quia ratio finis, vt diximus, consistit in hoc, quod agens propter ipsum operetur, clarum est autem, quod homo in hac vita operatur propter assecutionem visionis, & propter Deum visum: hinc aduertendum, hos duos fines non esse distinctos inter se, vt vnus sine altero possit mouere, immo potius vnum finem totalem integrant, quia visio appetitur propter obiectum, ad quod terminatur, & obiectum, quia operatione cum ipso coniungitur potentia; ita colligi potest ex Scoto 4.d.49. quæst.1. vbi beatitudinem finem hominis ponit; eò quia vltimo fini terminatur, & quæst.1.Prol. Insuper finis operantis verè dicitur finis, quia propter ipsum agens agit, vnde solum in agentibus per intellectum reperitur, finis verò operis dicitur finis, non quidem respectu agentis voluntarij, quod proprio arbitratu, relicto operis fine, in alium finem dirigit opus, tunc enim agens illud nullo, vt voluntarium est, agit propter operis finem, sed dicitur finis, quatenus illa actio est ens naturale creatum, & natura propter finem dicitur agere, vt infra; idem posset dici de vltima finis diuisione. Solùm ergo est difficultas de prima, & quarta diuisione.

Nominales asserunt, finem cui esse proprie finalem causam, finem verò cuius solùm se habere vt instrumentum. At Vasq.p.2.disp.2.oppositum sustinet, finem scilicet cuius esse propriè finem, idem tenet Salas ibidem sect.1. Similiter de quarta diuisione, nam idem Vasq.1.p.disp.82.c.2.& p.2 disput.4. negat, illam diuisionem bonam esse, eò quia putat, nullum finem intermedium dari, sed omnem esse vltimum, vel simpliciter, vel secundum quid, & aliqualiter videtur fauere Suar.disput.23.Met.sect.6. licet sect.2. clariùs oppositum doceat. Communis tamen Opinio est, tam finem cuius, quam finem cui, & finem vltimum, & non vltimum esse propriè causam finalem; pro qua.

Dicimus 1. finem cuius, & finem cui esse propriè fines, ita tamen, vt ex vtroque vnus fiat, eo ferè modo, quo ex obiecto materiali, & formali alicuius potentiæ fit vnum obiectum completum, & ex fine formali, & obiectiuo vnus totalis finis integratur, sic ex fine cuius, & fine cui vnus totalis finis completur mouens volontatem ad operandum. Ita colligitur ex Scot.2.d.6.q.1.F. vbi habet, voluntatem simul velle id, quod vult, & cui vult; ex quo elicitur ratio, quia sanitas v.g. intentum appetitur, quia est hominis perfectio, & homo intantum est finis cui, quia est per sanitatem perfectibilis, quam non respicit vt medium, per quod ipse homo acquiratur, sed vt est perfectio, & bonitas ipsius, ergo ratio finis vtrique conuenit, non separatè, sed coniunctim; quare finis in communi non diuiditur in eos, vt in duos fines completos: sed quasi incompletos: hinc dicebat Caiet.p.1.quæst.17.art.5. non rectè dici, volo bonum propter amicum, quia denotaretur, bonum non esse finem, sed medium, rectiùs dici, volo bonum amico, nam sic explicatur totale obiectum motiuum voluptatis.

162 In oppositum dices, illud propriè habet rationem finis, in quo sistit intentio agentis, talis est finis cui, nam sanitatem nemo intendit, nisi propter hominem. Tum 2. quæstion. quia finis propter se amatur, medium propter aliud, ille amore amicitiæ, hoc amore concupiscentiæ, sed finis cuius amatur amore concupiscentiæ, finis cui amore amicitiæ. Tum 3. quia 2.Met.8. habetur, finem esse id, quod non est alterius causa, sed eius causa cœtera. Tum 4. quia ita se habent finis cuius, & finis cui, sicut instrumentum, & agens principale, quia sicut appetibilitas finis cuius dependet à fine cui, ita actio instrumenti ab agente principali, sed instrumentum propter hoc non dicitur propriè causa efficiens, ergo, &c.

Resp.ad 1.solùm probare dependentiam, & partialitatem finis cuius cum fine cui, neque enim finis cui haberet rationem finis, nisi ad finem cuius se haberet vt perfectibilis, vnde voluntas in vtroque sistitur, non in vno tantum. Ad 2. diximus, finem posse amare propter aliud, quando illi comparatur, non vt medium inseruiens propter illius assecutionem, sed vt perfectio illius, quo modo etiam amorem propter se dici potest terminare, quia amatur propter propriam perfectionem, non absolutè, sed vt bonam alteri; idcircò vt dicebamus non rectè dicitur, sanitatem amari propter hominem, sed amari sanitatem homini. Ad 3. Arist. vel loquitur de fine vltimo, vel de quolibet fine respectu mediorum, non respectu alterius finis partialis, cuius est perfectio, quamuis hęc loquendi formula, vnum propter aliud, non rectè inseruiat fini cui, & fini cuius. Ad 4. negatur paritas, quia instrumentum non attingit actiuè, vt instrumentum, effectum principalis agentis, at finis cuius est causa finalis, cur media assumantur, & hoc per suam perfectionem intrinsecam, non vt sic, sed vt est alteri perfectio.

163 Obijcies 2. quòd finis cui non sit propriè finis; Tum quia Arist. 2. Phys.24. ait, nos omnium esse quodammodo fines, ergo non propriè. Tum 2.quia textu.70. ait, formam, & finem coincidere in vnum numero; & finem esse primum in intentione, vltimum in executione 5. Met. 1. Tum 3. quia finis cui respectu finis cuius habet rationem subiecti, cuius causalitas non est in genere causæ finalis. Tum 4. cùm finis cuius sit quædam operatio, & habeat rationem finis formalis; quia iste cum fine obiectiuo ex dictis integrat vnum finem completum, tunc finis cuius est aggregatum ex fine formali, & obiectiuo; & sic si finis cui haberet veram rationem finis, tunc homo esset finis beatitudinis tam formalis, quàm obiectiuæ, scilicet Dei, quod est falsum.

Resp. ad 1. ly quodammodo non esse particulam diminutiuam, sed stare pro alio modo; vel si est diminutiua, facit comparationem cum fine totali, & completo. Ad 2. in illis locis Arist. loqui de fine cuius, non de fine in communi. Ad 3. dicimus, finem cui non exercere rationem finis respectu finis cuius immo potius esse subiectum, sed respectu mediorum inseruientium assecutioni finis cuius. Ad 4. per idem, non enim homo dicitur finis beatitudinis, quamuis impropriè loquendo possit vnus finis propter alium dici, vt intellectus propter operari, qui est finis rei genitæ, ideò enim potentiæ sunt à natura concessæ, vt operentur, & operatio propter potentiam, scilicet vt ipsam perficiat.

164 Dicimus 2. etiam finem intermedium, & non vltimum propriè habere rationem finis; ita communis & collligitur ex Scot. 4.dist.14.quæst.2. H. & R. vbi docet, quòd voluntas imperat actum cuiuscunque virtutis, ex motiuo cuiusque alterius virtutis, vtens se circulariter, ita vt idem actus posset habere bonitatem ex duplici imperio, & motiuo, ex vno proximè, ex altero remotè; ergo per Scot. etiam finis proximus, non solum remotus, & vltimus, habebit veram rationem finis, quia, vt ferè omnes Morales dicunt, bonitas in actu prouenit, quando honestas obiecti propter se amatur, sic actus eleemosynæ factus ad subleuandam pauperis miseriam erit in specie misericordiæ, quia subleuationem intendit agens tanquam finem, & si hoc totum fieret ad consequendam peccatorum remissionem à Deo, erit in specie pœnitentiæ; & probari potest ex illo Arist. 2.Phys.89.sæpè à Doctore approbato in 4.d.49.q.9.& quol.16.F. sicut se habet principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus, ergo sicut contingit in demonstrationibus, vt quod est principium in vna, ex quo infertur conclusio, respectu cuius retinet rationem principij, sit tamen in alia conclusio illata ex priori principio, & ita procedatur vsque ad vnum primum principium, ex quo omnia inferantur, vt patet in scientijs subalternante, & subalternata; ita in actibus voluntatis datur finis particularis vnius actionis, qui propter se diligitur in sua serie, & propter ipsum alia ad eius consecutionem inseruientia, nihilominus quia finis ille non est summum bonum, poterit alio actu eligi, & ordinari ad aliud consequendum tanquam medium extra suam seriem, retinendo simul rationem finis. Tum quia si homo comederet propter sustentationem corporis, vt deinde fortius possit Deo inseruire, electio commestionis proximè non est propter Dei obsequium, quia ex se est improportionatum medium huic fini, sed medium dicitur propter assecutionem sustentationis corporis, ergo hæc se habebit vt verus finis, quia verè propter ipsam aliquid fit; & medium ad finem habet referri.

Neque ordinatio ad vlteriorem finem tollit propriam finis rationem; Tum quia non tollit propriam bonitatem, quapropter se amatur, & cuius gratia fit aliquid. Tum quia vna bonitas non repugnat alteri, nec virtus virtuti, ergo si simul manent in eodem actu, idem obiectum habebit rationem finis, & medij. Tum quia sequeretur, actum vnius virtutis non posse imperari ab alia virtute, quod est falsum, quia quilibet actus ex se bonus, & consequenter proprium obiectum propter se, vt honestum est, respiciens, (bonitas enim vt diximus, deriuatur in actu è proprio obiecto, quando honestas illius per se intenditur, & non præcisè propter aliud, vt si quis ex motiuo charitatis ieiunaret, & non ex motiuo abstinentiæ, actus ille ieiunij esset in specie charitatis, non abstinentię) potest à virtute præcipuè charitatis, quæ est omnium regina, imperari. Tum quia sequeretur, omnes electiones ab intentione eadem profectas simpliciter esse æquales in bonitate, ac proinde non melius esse amare amicum quàm inimicum, catholicum, quam hæreticum, si à motiuo Religionis proueniret, quod est falsum, signum euidens, obiecta illa tribuere bonitatem aliquam, & consequenter habere rationem non solùm medij, sed etiam finis; sequela probatur, eo quia eundem finem haberent, à quo omnes specificarentur: hinc est, quòd aliquando ad assequendum finem eligitur potius vnum medium, quàm aliud, quia aliquam amabilitatem in se continet propter se, non solùm propter aliud, quam non continet aliud.

165 Instat Vasq. Tum quia Arist.2.Phys.29. ait, de ratione finis esse, vt omnia sint ipsius gratia, ergo nequit vlterius ad alium finem ordinari. Tum 2.quia medium non potest appeti propter se, sed propter aliud, ergo non potest esse ratio, vt alia propter ipsum appetantur, & consequenter nequit habere rationem finis; Anteced. prob. quia medium, vt medium solùm habet bonitatem vtilitatis; quæ non est ratio volendi propter se, sed propter aliud. Tum 3. quia Deus non vult vnam creaturam propter aliam, nam nulla creatura respectu Dei est ratio volendi aliam, sed solum à diuina bonitate mouetur, tanquam ab vltimo fine, ergo in nobis finis vltimus præcisè habebit rationem finis, cœtera verò rationem medij.

Resp.ad 1.Aristot. ibi definire finem, quod sit id cuius gratia, quæ definitio conuenit fini in communi, cum verò inferius addit, omnia propter ipsum vel loquitur tunc de fine vltimo, vel ly omnia supponit pro omnibus medijs ad illum finem ordinatis in illa serie. Ad 2. dicimus, antecedens cum probatione esse verum reduplicatiuè, non specificatiuè, eadem enim bonitas potest esse in se honesta, vel delectabilis, & cum hoc alteri vtilis, ideoque potest esse ratio propter se volendi, vt delectabilis, vel honesta, & propter aliud, vt vtilis, exemplum est de specie subalterna, quæ respectu diuersorum est simul genus, & species. Ad 3. dicimus, nullam creaturam respectu Dei habere rationem finis, quia non se habet vt obiectum motiuum, sed terminatiuum, at rectè potest dici, Deum velle vnum esse propter aliud, & quia vult illud, itaut iste ordo sit inter ipsas creaturas, non ex parte diuinæ volitionis; at in nobis, quia se habent vt obiecta motiua; possunt habere rationem finis, aliter quia omnes creaturæ sunt ad Deum ordinabiles, nulla in nobis posset habere rationem finis, si idem cum bonitate honestatis non possit simul habere rationem vtilitatis, & ordinabilitatis ad aliud. Posset quoque contra istam conclusion. argui rationibus illis, quibus Vasq. part. 2.disput.51. probat, actum imperatum non sumere bonitatem ex proprio obiecto, & actu imperante; sed id pertinet ad tract. de actibus humanis.

ARTICVLVS II.

An bonitas sit ratio constitutiua finis in esse finis.

166 CVm ad rationem causæ duo requirantur, primum sit virtus, actus primus, seu fundamentum causationis, secundum sit actus secundus, & causatio actualis, per quam actu causa, & formaliter dicitur, & ad effectum refertur; antequam examinemus, an finis habeat rationem veræ causæ realis, oportet prius inquirere, quomodo hæc duo conueniant fini; & primò, per quid finis constituatur in esse finis tanquam per actum primum, & rationem fundamentalem fundandi relationem causalitatis actualis, & quia finis, vt finis, habet mouere appetitum, vel rationalem, & liberum, vel naturalem (vt dicamus infra) ad sui prosecutionem, & amorem, & inter appetitus nobis notior sit rationalis creatus, & maximè humanus; idcircò de fine in ordine ad nostram voluntatem loquemur, nam inde facile erit percipere ex dicendis infra, quomodo in ordine ad cœteros appetitus constituatur finis in esse finis: quapropter sensus quæsiti erit, per quid finis constituitur in ordine ad nostram voluntatem, quod est quærere, an finis moueat voluntatem nostram per bonitatem, itaut si hanc non haberet, nullo modo posset mouere, vel appeti, an verò hac remota, possit adhuc dici finis, & appetibilis à nostra voluntate.

Sed pro clariori notitia notandum, quòd cum bonum idem sit, quod conueniens, conuenientia autem ex Scoto 3.dist.15. B. est relatio fundata in terminante relationem inclinati ad seipsum, tanquam ad extrinsecum perfectiuum, potest aliquid esse conueniens alicui dupliciter, vel scilicet ratione alterius boni tantum, & non per seipsum, & hoc dicitur bonum vtile, vel per se ipsum præcisè, & hoc dupliciter, vel quod sit ei conueniens in ordine ad delectationem, quam tale bonum secum affert, & hoc dicitur bonum delectabile, vel absque ordine ad delectationem, sed quia per se decens, & conueniens est, & dicitur bonum honestum, quæ diuisio habetur à Doct. in 4.d. 46.q.4. A. & quia quot sunt vera bona, tot esse possunt existimatione confecta, quia in omni bonorum genere, error, & falsa existimatio contingere potest, ideò quodlibet horum bonorum diuidicur in verum, & apparens, quæ diuisio habetur à Scoto in 3.d.33. C. & alijs in locis; bonum verum est, quod in re est tale sicut ab intellectu repræsentatur, apparens verò est, quod solum in existimatione est tale, & est mera fictio, & error intellectus: idcircò duplex finis dari solet, verus, & apparens; additur tamen à Scoto tertius finis in 1.d.1.q.1.art.3.& 4. qui dicitur præfixus, seu præstitutus, & est, quando obiectum præcisè est à ratione ostensum sub ratione mali, at voluntas ex sua libertate præfigit sibi tanquam finem; quod non est intelligendum, quasi quod voluntas feratur in malitiam per se, & verè tendat in malum sub ratione mali, sed quod ostenso voluntati obiecto ab intellectu sub ratione mali, & ex alia parte ostensa ratione boni, vel in se, vel in alio obiecto, potest voluntas ex sua libertate tribuere illi obiecto malo rationem boni in alio obiecto repertam, conficiens aliquod aggregatum, sicut facit intellectus, cum concipit finem apparentem, nam obiecto ex se malo applicat bonitatem in alio inhærentem; & hoc vult Doctor cum litt.E. ait, *Sed in fruitione finis præfixi ratio finis sequitur actum, quia vel dicit modum actus, vel modum obiecti, vt talis finis præfixus actus terminat ipsum actum, quia voluntas appetendo illud propter se, tribuit sibi rationem finis;* & dum in 2.d. 43.q.2. vbi loquens de odio Dei ostenso præcisè sub ratione mali, ait, *si voluntas potest istud velle, patet propositum, quia nulla est bonitas in isto actu prior ipso actu volendi; si enim assignatur aliqua bonitas prepter actum volendi, hoc non est in obiecto, vt præcedit actum, sed est in ipso, vt sequitur actum volendi*, quibus in locis Doctor duo dicit, & quod obiectum non habet rationem finis, sed ab actu de nouo accipit, vt in 1. & quod nullam habet bonitatem, sed illam recipit ab actu, vt in 2. signum euidens, quòd pro eodem accipit finem, & bonitatem, & in sententia Doctoris finis præfixus erit ille, quem præfigit sibi voluntas, tribuendo illi bonitatem, quam tamen non habere obiectum prius ostenderat intellectus: vnde voluntas non tendet in istum finem sub ratione mali, itavt malitia sit obiectum formale tendentiæ voluntatis, sed sub ratione boni, non quidem ostensi ab intellectu, à quo solum sub ratione mali præsentatur voluntati, sed tributi, & applicati ipsi obiecto ab ipsamet voluntate ex libertate sua. Hæc doctrina insinuatur à P. Vulpes 2.p.disp.59.art.1.& est valde notanda in hac materia propter nonnullos Scotistas, vt patebit ex dicendis.

167 Insuper notandum, vt certa à dubijs separemus, quòd bonum vtile nullo modo potest habere rationem finis, reduplicatiuè loquendo, ratio est, quia illud bonum habet rationem finis, quod potest allicere voluntatem ad sui dilectionem propter se, absq; ordine ad aliud, quia finis vt finis amatur propter se; medium, vt medium, amatur propter aliud, ille terminat actum intentionis, istud actum electionis, at bonum vtile ideò amatur, quia alteri inseruit vt medium, ergo medium vt medium non potest esse finis, nec bonum vtile potest constituere finem in ratione finis. Non sic bonum honestum, & delectabile, nam faciunt, vt obiecta propter se amentur, ita docet Doctor in 4. d.46.q.4.A. vbi bonum vtile non ponit vt distinctum à delectabili, & honesto. Solum ergo potest dubitari, an quodcunque bonum honestum, & delectabile, siue verum, siue apparens, vel præfixum possit habere rationem finis, idest allicere, seu terminare actum volitionis propter se, an verò non solum hæc bona, verum etiam mala sub ratione mali, & indifferentia sub ratione indifferentis possint esse obiecta actus intentionis, itaut voluntas possit illa propter se appetere. Præscindimus tamen modo ab illa q. an scilicet bonitas sit ratio formalis motiua voluntatis, vel conditio sine qua non; vt videtur docere Scot.3.dist.15. sup. C. sufficit nobis, si bonum aliquo modo requiratur ad terminandam volitionem voluntatis.

168 Prima opinio Nominalium asserit, rationem constituentem finem in esse finis non esse solum bonitatem, sed malitiam, & indifferentiam, itaut voluntas possit velle aliquod obiectum propter se, non solum quia bonum, sed adhuc quia malum, vel indifferens, & propter illud operari; quæ sententia tribuitur Scot.in 1.d.1.quæst.1.artic.3. & 4. & quæst.4. ad argum.pro opin.& 2.d.43.q.2. quibus in locis asserit, posse voluntatem velle malum sub ratione mali, & sic defenditur à P. Fabro 1.disput. 13. cap.7. de Pœnit.disput.9.cap.8. Iribar. tractat.de Actib.hum.disput.11.sect.1. Sghemma 2.Physic.digress.11. quæst. 2.

Communis tamen opinio asserit solum bonum sub ratione boni esse finem in ordine ad voluntatem, siue hoc bonum sit verum, siue apparens, ita omnes Recentiores, & ex Scotistis sequuntur Lych.2.d.43.quæst.1. §. *Dicit ergo Doctor &c.* & Cauellus de Anim.disp. 2.sect.2. & disput.3. sect.12. Addit Vulpes, non solum bonum verum, & apparens, sed etiam bonum præfixum posse habere rationem finis.

Dicimus 1.solum bonum posse esse finem voluntatis terminantem volitionem propter se, non malum, vel indifferens. Concl. docetur à Scoto quol.16. E. & 2.dist.43.quæst.1. D. & d.6.q.2. M. & N. & 4. dist.49.quæst.10.E.& F.& dist.50.q.2.& 3.dist.33.C.& 2.d.23.A.& D. immo in 1.dist.1.quæst.1.artic.3.& 4.& in 2.dist.43. quæst.2. quæ loca ab alijs Scotistis adducuntur pro opposita sententia, clarè tamen se explicat Doctor, pro eodem enim accipit finem, & bonum, aitque in illo obiecto ostenso sub ratione mali ab intellectu reperiri bonitatem non præcedentem actum voluntatis, ergo per Scotum etiam in obiecto ostenso sub ratione mali ratio terminandi volitionem voluntatis erit bonitas obiecti accepta ab ipsa voluntate, non malitia, vel indifferentia, probatur autem authoritatibus SS. vt Anselm. de lib.arb. & Dion.de diuin.nom.Arist.1.Eth.dicentium sæpè, *Nemo aspiciens ad malum operatur, & bonum est, quod omnia appetunt*, immo 2.Phys.31. ait Aristot.finem, & bonum conuerti inter se; quas authoritates variè extorquent Aduersarij, ideò rationibus probatur; sicut se habet intellectus ad verum, & falsum quo ad assensum, & dissensum, ita voluntas ad bonum, & malum quo ad velle, & nolle, sed non potest falsum vt falsum esse obiectum assensus,

ergo nec malum, vt malum obiectum volitionis. Nec valet disparitas ab aliquibus assignata, scilicet quod voluntas est potentia libera, ideò potest in vtrumque, at intellectus est potentia naturalis; non valet, quia libertas non facit, quòd obiectum disconueniens sit conueniens, sed solùm quòd liberè ponatur actus, vt possit non poni, vt sæpè Scotus cit. docet, sic voluntas ita vult bonum vt possit non velle, non tamen nolle.

169 Secundò impossibile est, potentiam elicere actum circa obiectum, quod nequit esse obiectum illius actus, sed malum vt malum non potest esse obiectum volitionis, ergo &c. Minor probatur, quia quod est volibile, est appetibile, hoc enim est appetere, ac velle, & è contra, quod est appetibile, est bonum, & conueniens, quia hæc causalis est vera, ideò aliquid appetitur, quia bonum, & perfectum, & abhorret audire, malum vt malum esse appetibile. Tum quia sicut negatio vtilitatis facit, vt obiectum aliquod vt inutile cognitum nequeat esse obiectum electionis, non enim potest quis eligere aliquod medium, quod non solùm non inseruire sciat, verum etiam impedire finem, quem efficaciter desiderat; nam talis electio esset intentioni finis contraria, ergo multò magis negatio bonitatis honestæ, vel delectabilis faciet, vt obiectum taliter cognitum nequeat esse proportionatum volitioni, & amori. Patet consequentia, quia plus requiritur ad obiectum intentionis, quàm electionis. Tum quia voluntas est essentialiter appetitus, sed appetitus fertur in conueniens, consequenter in bonum, quia malum vt sic est disconueniens, & destructiuum. Tum quia abstractior actus quem Scot. asserit ex sua libertate voluntatem posse elicere, est actus ille neuter ab eo positus in 1. dist. 1. qu. 3. sed Scot. vult ibidem, quòd obiectum talis actus proponat voluntati sub ratione boni, præscindendo ab illis relationibus propter se & propter aliud, ergo non potest dari actus ita per intellectum abstractus à ratione boni, & mali, & quòd in obiectum illius voluntas tendere possit.

Respondent, hæc omnia probare, non posse malum vt sic esse obiectum amoris concupiscentiæ, & propter aliud amatum, non tamen probare, quod non possit esse obiectum amoris amicitiæ, & propter se volitum irreferibiliter ad aliud, si præconcipiatur ab intellectu, vt disconueniens præcisè in se, non considerando periculum imminens alicui.

Sed contrà, quia probatum est, malum vt sic esse obiectum improportionatum amoris absolutè, nam volibile amore amicitiæ est appetibile, implicat autem, malum esse in se appetibile, & propter se. Tum quia malum habet duo, malitiam formalem, quæ est negatio, & entitatem substratam; malitia non potest esse appetibilis, cùm sit nihil, neque entitas, vt tali negationi subiacet, quia ridiculum est dicere, quòd ad hoc vt ens voluntatem moueat, ipsum nihil sit conditio necessariò requisita. Tum quia quod est volibile in se, potest esse alteri volibile, & si non vt medium, saltim vt quid conueniens illi, vnde diximus art. præced. finem euius, & finem cui integrare vnum finem; ergo si malum non potest esse obiectum volitionis propter aliud, neque volitionis propter se simpliciter. Tum quia quælibet potentia in actus, quos elicere, naturaliter inclinatur, vt in proprias perfectiones, & consequenter in obiecta illorum actuum, à quibus actus specificantur, implicat enim, quod actus sit conueniens potentiæ, & obiectum illius actus disconueniens, ergo si voluntas posset elicere amorem respectu mali vt sic, haberet naturalem inclinationem ad malum vt sic, & consequenter naturaliter inordinata esset creata à Deo, quod est falsum; & dicendum esset, quòd malum haberet conuenientiam, & consequenter non esset malum, quod de sua ratione formali est disconueniens.

170 Dicimus 2. hoc bonum, quod motiuum ponitur voluntatis, non esse dumtaxat verum, sed etiam apparens; & probabile esse in sententia Doctoris, bonum præfixum quoque habere rationem finis. Concl. quo ad bonum verum, & apparens est Aristot. 2. Phys. 31. & Doctoris in 3. d. 33. C. & d. 37. C. & D. & 2. d. 23. & ferè in omnibus locis c. 1. in præced. concl. & quotidiana experientia demonstrat; mouemur enim non solùm à bono in se vero, & tamen cognito, verum etiam à bono apparenti, eò quia perinde se habet in apprehensione, ac si esset verum bonum. Quòd detur etiam finis præfixus in sententia Doctoris, clarè habetur in 1. d. 1. q. 1. art. 3. & q. 4. & 2. d. 43. q. 2. quòd dictum præcipuè fundamentum habet in libertate voluntatis. Diximus, probabile esse, quia in his locis, & in 2. d. 6. q. 2. M. dubitatiuè videtur loqui, & alijs in locis cit. præcipuè in 4. d. 49. q. 10. & quol. 16. supra cit. absolutè ait, voluntatem circa miseriam non posse habere actum volitionis, nec circa beatitudinem actum nolitionis, & in 2. d. 23. solùm de bono vero, & apparenti, tanquam de obiecto adæquato voluntatis mentionem fecit: vnde videtur in hac re problematicus, sed magis inclinat in sententiam illam, ponentem bonum verum, & apparens præcisè tanquam finem, & obiectum voluntatis.

Sed contrà arguunt 1. Tum quia Scot. asserit locis cit. posse voluntatem velle malum sub ratione mali. Tum 2. quia eadem est potentia contrariorum, sicut eadem potentia visiua versatur circa album, & nigrum, ergo eadem voluntas circa bonum, & malum. Tum 3. quia voluntas saltim per nolle tendit in malum, ergo malum continetur sub obiecto adæquato voluntatis. Tum 4. quia voluntas non semper mouetur à fine ad obtinendum aliquid, sed etiam ad vitandum aliquid, sed ad hoc mouetur à fine ratione malitiæ, ergo malum potest habere rationem finis. Tum 5. quia multi odio habent inimicum, quod est velle illi malum sub ratione mali; alij inferunt sibi mortem ex tædio vitæ, etsi cognoscant, mortem esse malum; vnde inquit Doctor 4. d. 50. q. 2. damnatos appetere non esse, in quo nulla ratio boni potest apparere.

171 Resp. ad 1. Scotum in hoc esse problematicum, neque dicere, voluntatem tendere in malum sub ratione mali, quatenus reduplicat rationem tendentiæ, & terminationis actus voluntatis in obiecto, hæc enim semper est bonitas, vel apprehensa, vel præfixa, sed vt specificat rationem ostensionis obiecti ab intellectu, vt dicemus. Ad 2. vel contraria in ordine ad potentiam sunt conuenientia naturæ illius, & sic conueniunt sub ratione vniuersali obiectiua illius, potentiæ, quæ positiuè, & per modum prosecutionis tendit in illa, vnde respectu potentiæ non se habent vt formaliter contraria, sed materialiter, vt sunt album, & nigrum respectu visus; vel se habent vt formaliter opposita respectu potentiæ, quia vnum est ei conueniens, alterum disconueniens, & ista non respiciuntur à potentia per actum prosecutionis, sed vnum tantum, scilicet conueniens: & disconueniens verò per modum fugæ, sic se habent verum, & falsum respectu intellectus, bonum, & malum respectu voluntatis. Ad 3. tantum sequi, malum esse materialiter sub obiecto voluntatis, quia omne nolle præsupponit velle ex Scot. 2. d. 6. qu. 2. ideò enim nolumus malum, quia amamus bonum, vel illud, cui malum disconuenit, hinc nunquam potest habere rationem finis. Ad 4. per idem, motiuum enim non est malum; quod se habet vt terminus, à quo potentia recedit, sed bonum, ad quod per fugam mali accedit, virtute cuius boni voluntas mouetur. Ad 5. in odio inimici concipitur aliqua ratio boni, quatenus depressio ipsius est vtilis nobis, cùm impotens reddatur ad nocendum nobis; sic etiam mors, & non esse, concipiuntur vt bona, non simpliciter, sed vt fines sunt miseriarum; & si aliquis, vt exerceret suam libertatem, vellet malum, vt sic motiuum ipsius esset libertatis exercitium, quod vt bonum apprehenderetur.

Secundò ad idem; apprehendat aliquis intellectus odium Dei, nec erret in illa apprehensione, sed ostendat voluntati sub ratione mali, vel voluntas posset illud velle, & habetur intentum, vel non, ergo non esset libera, & simpliciter non posset velle odium Dei, nisi prius intellectus sit excæcatus, ostendens odium Dei vt bonum quod est falsum, quia excæcatio non præcedit actum prauum, sed potius est effectus illius: tum quia non daretur peccatum ex certa malitia, quod tunc est, quando voluntas peccat, non propter ignorantiam, aut ex passione, sed ex propria prauitate, quale putatur fuisse peccatum Angeli, & primi hominis: quæ rationes tanguntur à Scot. 2. d. 43. q. 2.

172 Resp. dato casu voluntas non posset velle odium Dei, non tamen necessariò ipsum fugit, quia licèt non sit libera circa odium libertate contrarietatis, & specificationis, est libera libertate exercitij, & contradictionis ad nolle, & non nolle, vt Scot. docet quol. cit. & 4. d. 49. q. 10. concedimus quoque odium Dei non esse volibile, nisi prius intellectus ostendat esse bonum, considerando Deum, non in se, sed vt author est iustitiæ, & vltionis, qui error non necessariò præcedit culpam, sed subsequitur. Tandem daretur etiam peccatum ex malitia, vt docet Doctor 2. d. 22. & dist. 43. quæst. 2. quando quis sciens, nec passione incitatus vult obiectum, quod nouit esse malum, sub ratione boni vtilis, vel delectabilis contra legem Dei, quo casu non errat intellectus, quia ratio delectabilis, vel vtilis verè reperitur in obiecto. Vel 2. responderi potest iuxta aliam viam, concedendo, posse voluntatem eligere odium Dei, præfigendo illud sibi tanquam finem vltimum, quo sensu verè daretur peccatum ex malitia in voluntate.

Sed contra istam secundam respons. potest instari. Tum quia voluntas ferretur in incognitum, nam hoc totum aggregatum, scilicet odium Dei bonum non ostenditur ab intellectu. Tum quia fingeret tunc voluntas quomodo intellectus, cum facit chymeram, & sic posset efficere ens rationis formale, contra Doctorem sæpè sæpius asserentem, voluntatem in obiecto derelinquere dumtaxat denominationem voliti, quæ accedente intellectu fit ens rationis formale.

Resp. bonum præfixum est cognitum, non vt quod aggregatum, sed secundum partes, videlicet intellectus cognoscit rem malam, & cognoscit bonitatem in se, non in illo obiecto, quibus actibus non fingit, sed potest voluntas postea applicare bonitatem isti obiecto, & formare ens fictum, iuxta illud Poetæ. *Video meliora, proboque, deteriora sequor*; sic Doctor 2. d. 6. q. 1. ad 3. ait, quod quis cognoscens albedinem, & coruum, potest velle albedinem coruo. Ad 2. dicimus, quando Scotus negauit, voluntatem effectricem esse entis rationis formalis, non locutus est de actibus fingentibus, sed de actibus terminatis ad obiecta prius cognita, quibus solum denominationes extrinsecas relinquit, non fingit, & voluntatem quoque posse entis rationis efficere, iam diximus disput. 3. Log. quæst. 4. artic. 1. Vel locutus est de ente rationis strictè, quo sensu est id, quod prouenit à potentia rationali, scilicet intellectu, vt explicat in 1. d. 45. quæst. 2. ad argum.

173 Tertiò adhuc instatur. Tum quia in natura datur bonum, malum, & indifferens. ergo omnia ista possunt esse volita, secus essent plura entia, quam volibilia. Tum 2. quia voluntas creata potest tendere in obiecta sub ratione, sub qua nequit diuina voluntas ergo

ergo sub ratione mali, quia omne bonum est à diuina voluntate volitum. Tum 3. quia dantur fines boni, mali, & indifferentes, vt si quis velit adire forum, vt occidat, erit ob finem malum, vt si subleuet miseriam alicuius, ob finem bonum, si recreationis causa, vel nihil intendens, ob finem indifferentem, ergo non solum bonitas constituet finem in esse finis, sed etiam malitia, & indifferentia. Tum 4. quia inferre malum alteri, & velle sibi bonum sunt realiter distincta, ergo potest vnum esse volitum absque altero. Tum 5. quia si malum non potest esse volitum, maximè, quia necessariò habet in se aliquid, cui repugnat illud velle, quod erit actuale nolle; sed nullum nolle necessariò inest voluntati, ergo quando actu non habet nolle malum, potest habere velle. Si dicas cum Scoto 4. d. 49. q. 10. hoc esse, quia velle ad malum terminatum repugnat, quia non est obiectum possibile istius actus, sicut videre sonum implicat. Contra ait Iribar. exemplum non valere, quia sonus nullo modo potest esse obiectum conueniens visus, at malum potest esse volitum, vt cum cognoscens malum delectabile, vult totum illud. Tum 6. quia ratio, propter quam voluntas non vult malum vt sic, est, quia intellectus concipit illud, vt sibi disconueniens, ergo si preconcipiat illud vt in se malum præcisè, poterit illud velle, dicendo, volo esse in rerum natura malum, & disconueniens. Tandem instatur de bono apparenti, quia bonum apparens est ens rationis, & nihil à parte rei, ergo non potest realiter mouere voluntatem, vel si potest, etiam malum, quamuis sit nihil, esse poterit finis mouens voluntatem.

174 Respon. ad 1. reduplicatiuè loquendo solum bonum est volitum, nec est in rerum natura ens quod nullam bonitatis rationem habeat, & ideò omnia facta sunt volibilia, licet non vt mala, vel indifferentia. Ad 2. resp. Doctor in 2. d. 23. A. & d. 43. quæst. 2. quòd voluntas diuina, & creata habent idem obiectum, sed non respectu euiuscunque actus, nam bonum apparens est obiectum fugæ respectu voluntatis diuinæ, sed potest esse obiectum prosecutionis respectu voluntatis creatæ: tum quia idem bonum potest ordinatè velle voluntas diuina, creata verò inordinatè, quia deordinatio non sumitur solum ex parte obiecti, sed ex parte actus, & aliarum circumstantiarum. Ad 3. dicimus, diuisionem illam esse in genere moris, non in genere naturæ, in quo omnis finis est bonus, sed si est iuxta rectum dictamen rationis, erit bonus moraliter, si contra dictamen, malus moraliter, si nec iuxta, nec contra dictamen præcipiens, aut consulens, sed solum permittens, erit indifferens moraliter. Ad 4. si non referatur vt bonum ad seipsum, saltim in illo malo alteri concipitur aliqua ratio delectabilitatis, secus nullo modo potest esse volitum. Ad 5. resp. cum Doctore ibi, & quol. 16. cit. rationem implicantiæ esse ipsam potentiam, quæ respicit malum vt obiectum improportionatum volitionis; cum impugnatur, dicimus, voluntatem non velle illud totum sub ratione boni, & mali, sed sub ratione boni, per accidens deinde, & subsequenter dicitur velle illud malum. Ad 6. etiam vt sic præcisè consideratum est improportionatum obiectum volitionis, vt diximus in concl. Ad vltimum dicimus, bonum apparens dupliciter considerari, vel vt dicit aggregatum illud, & hoc est ens rationis aliquando; vel vt dicit rationem motiuam, & hæc semper est bonitas vera, & realis, quia fictio consistit in illa falsa applicatione realis bonitatis illi rei, vt patet in exemplo adducto de albedine, & coruo à Doctore de hac re vide iterum disp. 7. de An. q. 5. & 6. vbi rursus hæc sent. firmatur.

Quartò tandem objicitur contra 2. conclus. quod bonitas præfixa non sufficiat ad exercendam causalitatem finis in actu primo, quia finis ante actum voluntatis debet habere virtutem, qua possit mouere voluntatem, & excitare ad talem actum, sicut vniuersaliter loquendo obiectum est prius actu in ipsum tendente, cum sit causa ipsius p. de Anim. 33. cum ergo bonitas præfixa æquatur actum voluntatis, non poterit circa ipsum præfatam exercere causalitatem. Tum 2. quia bonitas exercens causalitatem finis debet esse apprehensa nam talis apprehensio est ad minus conditio necessariò requisita, vt moueat voluntatem, sed bonitas præfixa non supponitur apprehensa ab intellectu, qui potius proponit obiectum sub ratione mali ergo &c. Tum 3. quia bonitas præfixa non apprehenditur ab intellectu, nisi facta prius à voluntate applicatione illa boni ad malum, ergo saltim nequit exercere causalitatem finis respectu istiusmet actus, quo præfigitur. Tum 4. non apparet, qua ratione possit voluntas habere pro bono illud, quod non ostenditur illi ab intellectu esse bonum, nec quomodo possit tribuere bonitatem illi, quod cognoscit esse malum, & cuius malitiam, auferre non est in manu sua. Tum tandem per hoc quod voluntas velit aliquid esse bonum, quod non est bonum, nec concipitur ab intellectu, vt bonum, non sequitur, quod illud sit bonum, vt manifestum est, ergo per hoc quod voluntas applicaret bonitatem malo apprehenso, non sequitur quod illud malum sit bonum, & sic re vera moueret sub ratione mali, quod est contra 1. conclusionem.

Resp. ad 1. bonitatem præfixam re vera nec antecedere, nec sequi actum voluntatis, quo præfigitur, sed comitari ipsum, & esse simul cum ipso, quod sufficit in obiecto terminatiuo, vt de ente rationis diximus disp. 7. Log. respectu intellectus, & hoc satis est, vt possit præfixa bonitas causalitatem finis exercere circa talem actum; vel sicut ibi in intellectu in ordine ad ens rationis duplicem assignauimus cognitionem, vnam directam, qua fingitur ens rationis, alteram reflexam, qua cognoscitur fictum, & factum, & hanc præcedit, sic pariter in voluntate duplicem possumus assignare actum in ordine ad bonum præfixum, vnum directum, quo suo modo fingitur ab ipsa applicando bonitatem, vbi non est; alterum reflexum, quo tale bonum sibi pro fine præstituit; dato itaque quod respectu primi actus nequeat illa bonitas causalitatem finalem exercere, poterit ad minus exercere respectu alterius. Ad 2. iam diximus bonum præfixum esse cognitum, non vt quid aggregatum, antecedenter ad actum, sed secundum partes, quatenus intellectus apprehendit hinc malum; illinc bonitatem in se, & non in illo obiecto, & voluntas ex sua libertate hanc applicat illi, formando suo modo ens fictum & talis apprehensio sufficit, vt possit mouere voluntatem; potest etiam totum aggregatum post præfatam applicationem à voluntate factam apprehendi, & sic voluntatem mouere, in quo casu intellectus non erraret, nec fingeret, sed obiectum à voluntate fictum ostenderet. Ad 3. patet per idem, quia seiunctim quoad partes potest bonum præfixum ab intellectu apprehendi ante applicationem factam à voluntate, quod sufficit, vt possit finalizare respectu eiusdem actus, quo præfigitur: coniunctim verò quoad totum aggregatum apprehenditur post applicationem à voluntate factam, & sic etiam mouere potest voluntatem ad alium actum sequentem, quo acceptetur vt bonum; Ad 4. satis explicatum est ab initio articuli, quo pacto id contingere possit ex mera libertate, & malitia voluntatis. Ad vlt. sequitur tantum ex tali applicatione facta per voluntatem illud aggregatum nec esse bonum reale, nec apparens ab intellectiua fictum, sed esse bonum præfixum à voluntate ex sua libertate sibi præstitutum in finem.

ARTICVLVS III.

Explicatur causalitas finis.

175 VIdimus, quid sit constituens finem in esse finis modò de actuali causalitate inquirimus; non est autem sermo de causalitate fundamentali, quia sic idem dicendum, quod de causa effectiua, immò de omnibus causis supra statuimus cum Scoto 2. dist. 1. quæst. 2. E. nihil scilicet noui inter causam, & causatum interuenire præter ipsum finem voluntati obiectum medio intellectu, & actum, vel effectum in voluntate inde resultantem, cœterosque subordinatos effectus vsque ad vltimum, sed loquimur de causalitate pro formali, per quam finis actu causare dicitur formaliter, & finalizare.

Heruæus quol. 1. q. 8. & quol. 2. q. 1. & Perer. lib. 8. c. 3. ab Auersa cit. asserunt, finis causalitatem maximè erga media consistere in communicatione bonitatis, vtilitatis, appetibilitatis, & ordinis respectu finis. Auersa q. 13. sect. 1. ait, causalitatem finis vniuersaliter consistere in ordinatione rei ad proprium finem, quæ ordinatio aliquando non distinguitur ab essentia eiusdem rei, cum essentialem ordinem dicit ad finem, at quando talem ordinem non habet, distinguitur, & dicet vel actionem, & actionis continuationem, qua fit res propter finem, & continuatur, commotando in agentibus voluntarijs actum appetitus, vel significabit (præcipuè quando vna res à Deo ad aliam ordinatur) modum quendam positiuum distinctum à rebus, & ab actione, quo propriè res esse propter aliud dicatur, sicut causalitas materiæ est modus essendi in alio, causalitas agentis modus essendi ab alio.

Communis Opinio asserit, causalitatem finis consistere in motione agentis ad actionem; quæ motio non eodem modo explicatur, nam aliqui dicunt, esse veram, & realem, vt Franc. de Raconis qu. de causa finali, & P. Sghemma 2. Phys. digress. 11. q. 3. Alij vero dicunt, hanc motionem esse metaphoricam; sed neque eodem modo ipsam explicant; nam quidam nil aliud esse dicunt, quàm bonitatem finis allicientem voluntatem ad actum, quæ tractio tempore antecedat actionem voluntatis, ita videntur sentire Conimbr. 2. Phys. c. 7. q. 2. 1. art. 2. & 3. Quidam quòd sit actio ipsa voluntatis, vt tendens in finem, & propter finem facta; ita Suar. disp. 23. Met. sect. 4. Ruuius 2. Phys. tr. 5. q. 3. Alij in actione cuiuslibet agentis, quatenus facta propter finem, qui est id cuius gratia, ita Conimbr. cit. & Amicus trac. 13. q. 4. dub. 1. Tandem Fuentes 2. Phys. q. 7. diff. 3. ait, causalitatem finis esse actionem voluntatis, qua eligit media, vel imperat potentijs inferioribus, si fundamentaliter sumatur, at si formaliter, dicet relationem realem in fine fundatam, si finis realiter existit, vel intentionalem, si non existit.

176 Dicimus 1. causalitatem finis non consistere in communicatione appetibilitatis, & vtilitatis, & bonitatis medijs, neque in ordinatione rei ad proprium finem, sed in motione agentis ad agendum, est Scoti q. 4. Prol. §. *Contra istam positionem &c.* & 1. d. 2. q. 2. S. & d. 8. quæst. 5. §. *Contra istam opinionem &c.* & d. 1. quæst. 5. §. *Ad argumenta &c.* & 2. d. 25. B. Prima pars, quòd non consistat in illa communicatione, probatur. Tum quia non est vniuersalis, cùm respectu aliorum à medijs, finis dicatur causa, vt dicemus art. 7. Tum quia antequam finis actu causet, quod tunc est, cum agens agit propter ipsum assequendum, media habent aliam vtilitatem, & appetibilitatem. Tum quia hæc communicatio nequit intelligi, nam si est sermo de reali communicatione, itaut media à fine omnia illa habeant, non ab alio, hoc est falsum, quia pertinet ad genus efficientis causæ, non finalis; & etiam quia finis vt causa, non existit, ergo se solo

se solo non potest tribuere alicui aliquod esse actuale reale; vel explicatur, eò quia media intantum appetuntur, & ordinantur secundum bonitatem, & idoneitatem, quam habent, inquantum finis appetitur, & desideratur, & hoc est verum, sed non explicat distinctè causalitatem finis, neque rectè communicatio appellatur, sed potius appeditio propter aliud.

Secunda pars, quòd non dicat illam ordinationem, probatur; Tum quia causalitas ex dictis superiùs de causalitatibus aliarum causarum non est in re causata, sed in ipsa causa, at ordinatio ista est in rebus, qui effectus finalis causæ dicuntur, non in fine. Tum quia finis cujus v.grat. domus, vt est in re, dicitur effectus, vt est in mente, dicitur causa finalis, domus autem in re nullam ordinationem dicit ad seipsam, vt in mente, quamuis fini cui ordinetur. Tum quia causa finalis non dicitur aliquid causare actu, nisi cum efficiens actu simul operatur, est enim id, cuius gratia aliquid fit, at media, vt medicamenta, etiamsi ab agente actu non assumantur ad assecutionem finis, habent istam ordinabilitatem ex propria natura, potentiæ ad actus ordinantur, etiam si non operentur, domus ad habitandum, quamuis nemo in illa permaneat, ergo finis tunc actu dicetur causare, & si nullum agens agat, quia causalitas in actu denominat causam in actu. Neque dicas, ordinationem actualem, non verò aptitudinalem esse causalitatem finis. Nam sic nulla ordinatio esset in creatis essentia rerum vt ait Auersa, quia actualis ordinatio est accidens, accidit enim medicinæ quòd assumatur actu propter sanitatem. Tandem quia modus ille essendi propter aliud est impossibilis, nam quilibet modus debet esse causatus per efficientiam, vel resultantiam, aut emanationem, si non vt Quod, saltim vt Quo, quia omnis entitas creata etiam modalis est ab alio, non à se, iste modus non est ab efficiente, quia non est eius causalitas, nec à materia, vel forma propter eandem rationem, neque à fine, quia sæpè non est, & ab eo, quod non existit, nequit realiter emanare; vel resultare aliquod reale; tum etiam quia hæc emanatio ad genus causæ efficientis reducitur, vnde quilibet finis esset efficiens.

177 Tertia pars, quod in motione consistat, patet ex Aristot. 1. de Gen. 55. vbi ait, causam vnde principium motus existit, idest efficientem, actiuam esse, non ita eam, cuius gratia cœtera fiunt, idest finalem, quæ non est actiua nisi per translationem; idem confirmat commune proloquium, finem scilicet mouere agens ad agendum, causare vt amatum, & desideratum, & magis explicabitur in sequenti conclus.

Sed contrà instatur; Tum quia secundùm Doctorem 4. dist. 46. q. 4. A. media ex seipsis non habent aliquam bonitatem, sed illam à fine, ad quem ordinantur, accipiunt, vnde bonum vtile non est quid à bono delectabili, & honesto distinctum, ergo finis verè medis communicat bonitatem. Tum quia sunt quædam res, quæ essentialiter sunt ordinatæ ad alias, hoc est, sunt propter alias, non solum in fieri, sed etiam in conseruari, & in facto esse, sic actus essentialiter ordinatur ad obiectum, potentia ad actum, materia ad formas, vt ad fines, ergo si ordinari ad aliud est esse propter illud, rectè causalitas finis in tali ordinatione constituitur; immo Scot. ipse 1. d. 1. q. 5. §. *Ad argumenta, &c.* explicans, quomodo Deus agat propter finem, ait, hoc esse, quia omnia finibilia, qualia sunt omnia ordinabilia ad aliud, ordinat ad seipsum.

Resp. ad 1. ideò à Doctore bonum vtile non recenseri vt bonum distinctum, quia non mouet appetitum ad se, & propter se, sed finis est, qui mouet appetitum ad illa media, vnde loquitur de bono, quod per se mouet appetitum; non per hoc tamen sequitur vtilitatem, & conuenientiam in medijs esse a fine, fusius loc. cit. in lib. de Anim. Ad secundum dicimus ex Scot. 4. d. 49. q. 8. F. quòd etiam tangit q. 1. Prol. supra D. finem esse duplicem, vel qui est causa finalis, vel qui est vltima perfectio, ad quam res ordinatur, primo modo accipitur pro eo, propter quod vt amatum aliquid fit, secundo modo sumitur non pro causa, sed pro vltima perfectione perficiente rem, quæ perfectio non semper habet rationem finis, nisi quatenus intenditur ab agente; ad propositum ordinatio potentiæ ad actum, actus ad obiectum &c. est ad finem secundo modo, non primo modo. Vel expeditiùs dicendum, etiamsi res illæ sint ordinatæ ad alia, vt ad finem, non ideò causalitas finis in tali ordinatione consistet, quia se tenet ex parte effectuum, & finibilium, non ex parte finis, & per hoc patet ex Scotum.

178 Dicimus 2. motionem hanc finis allicientis, trahentisque agens ad agendum non poni in actu secundo, nisi quando agens ipsum in actu secundo physicè mouetur, & quando sic ponitur in re non esse aliquid reale distinctum ab ipsa actione agentis; sed eandem esse; vt in gratiam ipsius factam, formaliter verò dicere imputationem illam, qua in genere moris effectus ipsi fini imputatur, vnde non est entitas realis, siue absoluta, siue relatiua, sed potius moralis, rectèque metaphorica appellata. Conclus. plures habet partes, quæ simul explicandæ, & probandæ erunt. Primò igitur quod finis non moueat actu, antequam agens agat, est Scoti in 1. d. 2. q. 2. S. vbi clarè sentit, non esse in actu motionem causæ finalis, donec agens moueatur appetendo finem, vnde ait, finem mouere efficiens, esse efficiens amare finem, ecce quod motio finis non præcedit tempore causationem agentis, & quod nec etiam natura antecedat, habetur in 2. d. 37. V. vbi docet Doctor, omnes causas simul causare effectum, non vnam prius altera; & probatur. Tum quia, vt ait Doct. cit. in 2. implicat, dari aliquid causatum in vno genere, & non in alio, si in illo natum est dependere, vt non possit esse aliquod materiatum, & non effectum, etiam in priori naturæ, ergo implicat, finem esse in actu secundo, & causare, non verò efficiens. Tum quia antequam agens agat, nihil de nouo intelligitur causatum in quocunque genere, ergo finis non causat priùs agente, quia causa in actu est simul cum effectu in actu 2. Phys. 27. quia sunt relatiua, Antecedens patet, quia omne ens creatum debet esse efficienter causatum, cùm non sit à se, ergo omne tale præsupponit causam agentem. Tum quia finis dicitur causa, quia agens propter ipsum agit, ergo non præcedit ipsius actionem. Tum quia ante actionem agentis non præsupponitur nisi finis vt cognitus, quo modo habet rationem actus primi, & vt debitè approximatus, non autem est in actu secundo. Hinc non rectè Ruuius cit. ait, actionem agentis, vt est causalitas finis, priorem esse seipsa, vt est causalitas agentis, quia etiam in illo instanti naturæ actio non intelligitur esse à se, sed ab agente; tum quia essentialior est dependentia actionis ab agente, à quo est, & in quo fundatur, quam à fine, à quo solùm extrinsecè dependet.

179 Secundò, quod quando actu mouet, non sit aliquid reale distinctum ab actione agentis, est Scoti in 1. cit. & locis omnibus in præcedenti conclus. allegatis. Et probatur, quia non est aliquid in fine, nam finis cognitus non habet esse reale existens, ergo non potest fundare aliquod reale in actu, non enim sufficit illud esse reale potentiale, & obiectiuum; quia ad fundandum aliquod reale in actu, requiritur, vt fundamentum actualiter existat, ne fundatum sit magis ens suo fundamento. Nec valet dicere cum Fuentes saltim finem realiter existentem posse fundare relationem realem; non valet, quia finis siue existens, siue non existens non causat, nisi vt habet esse cognitum, vt dicemus in seq. art. sed vt sic nullum esse reale actuale habet in intellectu, ergo vt sic non potest esse fundamentum relationis realis. Neque istud esse reale nouum potest esse in agente, vel in effectu, quia vt ait Doctor in 2. dist. 25. B. tunc finis efficienter, moueret quia produceret aliquid reale in rerum natura; & consequenter deberet alium finem habere, quia omne per se agens agit propter finem. Tum quia sicut finis ex eo, quod non habet esse reale actuale, non potest in se causare aliquid reale actuale, ita neque in alio, nemo enim dat, quod non habet, vt fusiùs diximus qu. 4. art. 1. loquendo de causa efficiente, non ergo motio ista finis dici debet realis, vt ab actione agentis distinguitur, sed metaphorica, vt ait Aristot. 1. de Gen. 55. & Doctor sæpè cit. quia mouet in ratione allicientis, & trahentis moraliter ad sui assecutionem ex similitudine, qua magnes trahit ferrum, & succinum paleas; qua ratione effectus, immo actio ipsius agentis imputatur fini, sicut effectus à causa physica productus imputatur consulenti, quæ non est causa physica, nec realem causalitatem in se fundat, sed solum denominationem illam extrinsecam, per quam effectus ipsi imputatur, ac si physicè ab illa efficienter proueniret; & realiter non aliam causalitatem dicet, nisi illammet causæ efficientis physicæ, quæ est actio realis; pariformiter de fine dicendum, quòd cùm moraliter solùm moueat agens, & metaphoricè ad agendum in ratione non consulentis, sed allicientis ad sui consecutionem, hæc motio à parte rei, & materialiter erit eadem actio agentis non casu, sed propter finem ab ipso intentum, formaliter verò dicet illam imputationem, & extrinsecam denominationem, quatenus finis terminat habitudinem actionis, vel effectus propter ipsum producti ab agente, quæ terminatio, & extrinseca denominatio accedente opere intellectus fit ens rationis formale. Quomodo autem hæc motio metaphorica in omnibus agentibus propter finem reperiatur, dicemus infra art. 6.

Ex his haberi potest non recte explicari causalitatem finis à Io. de S. Thom. q. 3. Phys. art. 2. & Manca 2. Phys. quæst. 9. dub. 4. dum asserunt causalitatem finis consistere in primo amore finis, non quidem vt est à voluntate elicitus, nam vt sic respicit agens, & est effectus finis, sed vt respicit obiectum appetibile, respectu cuius dicitur pondus appetibilis ab ipso spitarum in appetitu, & voluntate iuxta illud August. *amor meus pondus meum, eò feror quocunq; feror*, vt sic enim inquiunt, est causalitas ipsius cum seipso realiter identificata. Hic modus non satis explicat, tum quia confundit effectum cum causalitate, nam ideò aliquid dicitur effectus causæ finalis, quia respicit finem, vt id cuius gratia, ego amor vt passiuè pendens à fine non est causalitas, sed effectus finis, tum quia implicat dari causalitatem causæ in actu sine effectu, sed potest esse amor finis sine electione mediorum, quæ ponitur effectus finis, ergo causalitas finis saltim in ordine ad electionem non erit amor eiusdem, & tandem quia vt sæpè dicimus causalitas non debet attendi ex parte effectus, & in effectu, sed in causa.

180 Sed contra obijcitur 1. quod causalitas finis præcedat causalitatem, & actionem agentis; Tum quia clarè habetur à Scoto 1. d. 2. quæst. 2. S. vbi ait, causalitatem finis esse omnium primam saltim prioritate naturæ. Tum 2. quia bonitas finis apprehensa, statim ac voluntati repræsentatur, excitat illam ad agendum, voluntas autem, quia libera est, potest suspendere actum, ergo hæc motio finis distincta est ab actione voluntatis. Tum 3. quia hæc causalis est vera, quia finis mouet, ideò agens agit, ergo motio antecedit actionem.

Resp. ad 1. Doctorem intelligi eo modo, quo se explicat in 2. d. 37. V. idest de prioritate à quo, & perfectionis, non de prioritate naturæ in quo,

in quo, sicut dicitur de causa prima, & secunda, quæ simul causant, nec vna priùs attingit effectum, in quo priori altera non attingit, & tamen prima priùs causare dicitur, quia perfectiùs, & independenter, & in hoc consistit prioritas à quo, & perfectionis estq; sufficiens, vt causa secunda dicatur agere, quia mota à prima, tantò magis idem possumus dicere de fine, & agente, putà quod agens non agit, nisi excitatum, & metaphoricè motum à fine, non quidem antecedenter, & in actu primo, itaut motio actualis prærequiratur, sed concomitanter, & in actu secundo; de quo ordine infra disp. seq. q. 1. art. 1. Ad 2. duplicem motionem metaphoricam potest habere obiectum circa voluntatem, vnam in actu primo proximo, & dicitur obiectiua, quæ potius est sufficiens approximatio finis cum voluntate, vt actu causare possit, quàm eius actualis causalitas, alteram in actu secundo, & dicitur formalis, & hanc habet, cum voluntas in actu secundo semetipsam physicè mouet; sicut nec etiam Concionator dicitur actu peccatorem mouere formaliter, nisi cum ipse semetipsum per aliquem actum conuertit ad Deum, toto enim tempore antecedenti voluntas nequit dici formaliter mota, cum ipsa nondum aliter se habeat, sed omninò immutata maneat. Ad 3. illa causalis verificatur propter prioritatem à quo, non in quo, vt diximus ad primum.

Secundò instatur, quod causalitas finis sit quid reale; Tum quia finis est omnium dignissima causa, vt notat Doctor 1. d. 2. q. 2. S. ex Auicenna; at causa metaphorica non est huiusmodi. Tum 2. quia esse formale obiectiuum finis est esse reale, ergo potest realiter mouere. Tum 3. effectus non dependeret essentialiter, & realiter à fine. Tum 4. quia non esset inter causas physicas numerandus finis, sicut nec idea numeratur, eò quia per se non physicè, sed moraliter causet.

181 Resp. ad 1. finis est causa omnium nobilissima, non propriè, & in rigore, sed appropriatè, eò quia causat, & mouet non mota, & quia est radix omnis actionis agentis, quatenus agens non ageret, nisi finem intenderet, & nisi bonitas finis non moueret agens, vel est omnium nobilissima, quia ratio causandi est bonitas, & perfectio. Ad 2. esse reale cognitum finis est esse reale nominaliter, & potentiale, non verbaliter, & actuale, ideò non sufficit ad realiter actualiter mouendum præciso agente. Ad 3. intantum effectus dicitur realiter essentialiter à fine dependere, quia dependet ab agente, non casu, sed à proposito, & propter finem operante, itaut si non esset finis agens non ageret; vnde tota dependentia immediatè est ad agens à proposito operans, non ad ipsum finem præcisè, ita Tatar. 2. Phys. q. de causis dub. 2. Ad 4. finis numeratur inter causas physicas, non quia sit vera causa realis realem causalitatem fundans, vt dicemus, sed quia est radix, & origo omnis causationis, quatenus agens agit, quia motum à fine, & in omni causatione interuenit, at idea non interuenit in omni causatione, & non est principium causationis, immo est quid complens agens in ratione agentis, vt diximus præced. q.

Tertiò quòd non dicat actionem agentis factam propter finem, probatur; Tum quia actio est causalitas efficientis, ergo nequit esse causalitas finis, nam distinctæ causæ distinctas postulant causalitates. Neque dicas, eandem actionem, vt ab agente procedit, esse causalitatem agentis, vt verò inquantùm gratia finis fit, esse ipsius causalitatem, non valet, quia debet explicari, quid sit hoc, quod est fieri in gratiam finis superadditum actioni, quam constituit in ratione causalitatis finalis. Tum 2. quia finis est causa causalitatis agentis, ideò enim agens causat, quia finis mouet ipsum ad agendum, itaut actio sit effectus ipsius, ergo nequit esse eius causalitas. Tum 3. quia causalitas est in ipsa causa, actio non est in fine, sed in agente. Tum 4. quia datur finis post transactam actionem, vt domus semper erit propter habitationem, potentia propter actum, materia propter formam. Tandem quia hæc motio solùm respicit voluntatem, & actus ipsius, tamen finis causare dicitur in alijs agentibus naturalibus, ergo non explicatur adæquatè causalitas finis in communi.

182 Resp. ad 1. actionem dici causalitatem finis materialiter, non formaliter, nam si quæramus aliquid reale, per quod finis dicatur causa, nil aliud poterit assignari, quam actio agentis, non vt sic, sed vt habitudinem dicit ad finem mouentem agens, & allicientem ad agendum, quæ habitudo non est simpliciter realis, cùm non sit ad terminum realiter existentem, verè enim à parte rei agens intendit acquisitionem finis; formaliter verò dicit habitudinem in fine conceptam ab intellectu, quatenus terminationem illam habitudinis actionis concipit ad modum relationis, realis sicut dicimus de causa denominatione solum extrinseca. Ad 2. dicimus ex Scoto 1. d. 1. q. 5. ad 1. prima quæst. vbi docet Doctor, quod respectu nullius est causa finalis, nisi respectu cuius est causa efficiens, sicut ergo actio non dicitur effectiuè causata, nisi vt Quo, vt diximus q. 2. ita neque dici finaliter causata, nisi vt Quo, non vt Quod. Ad 3. assumptum verum est de causa denominatione intrinseca, non quæ talis dicitur extrinseca denominatione, sicut est finis, vt diximus. Ad 4. dicimus, finem tunc actu causare, quando agens agit, vel etiam continuat suam actionem, si effectus dependet in fieri, & conseruari, at si solum in fieri dependet, in fieri tantum à fine dependebit, sed post actionem potest esse, quod effectus ille inseruiat ad acquisitionem alicuius finis, & vt patet de medicina, postquam est confecta, quæ est vtilis ad sanitatem, & tunc dicetur effectus finalis causæ, non quo ad entitatem, sed quo ad vsum, vt est de omnibus medijs, vt dicemus art. vlt. fic se habet domus respectu habitationis, potentia verò depender in fieri, & conseruari ab eo, cuius est potentia, ita etiam materia respectu Dei, à quò immediatè dependet. Ad quintum patebit infra art. 6.

ARTICVLVS IV.

An finis moueat secundum esse reale, vel cognitum.

189 CErtum est ferè apud omnes, finem saltim naturaliter non mouere voluntatem, nisi priùs ab intellectu cognoscatur, ita Doctor 4. d. 49. 5. E. & 1. d. 10. R. & d. 11. q. 1. C. & patet ex illo communi principio, nil volitum, quin præcognitum, vnde D. August. 3. de Trin. cap. 1. & 2. *Inuisa amare possumus, incognita nequaquam*; & huius ratio est, quia voluntas est potentia cæca, ideoque nequit in suum obiectum tendere, nisi ostendatur; & cum sit appetitus rationalis, duci debet in suis actibus à rationali lumine, scilicet intellectu, non à sensitiuo, quod cum sit materiale, est improportionatum ad mouendam directè, & immediatè voluntatem, quæ spiritualis est solum indirectè potest mouere vt præcipuè experimur in motibus primo primis, vel cum in scusu est aliqua vehemens passio, similis passio in voluntate redundat, tunc enim passio mouet phantasiam; hæc intellectum, & iste voluntatem; immo etiamsi voluntas posset immediatè ferri in obiectum cognitum à solo sensu, non sufficeret hæc cognitio ad rationem finis quia finis, vt possit mouere tanquam propriè causa, debet præcognosci non solum bonitas ipsius, verum etiam ordo mediorum ad ipsum, qui ordo nequit à sensibus attingi. Cæterum an supernaturaliter possit voluntas ferri in incognitum, & quænam cognitio requiratur ad motionem voluntatis, an scilicet sufficiat simplex apprehensio, an verò requiratur iudicium, non est præsentis negotij examinare, sed reseruatur ad lib. de anim. disp. 7. de Voluntate.

Cum igitur finis, vt causet, debeat habere esse cognitum, per istud esse cognitum duo possumus intelligere, vel illud esse reale, quod intellectu agnoscitur sibi non repugnare, aut saltim taliter apprehenditur, vt est in bono apparenti, vel illud esse denominationis extrinsecæ derelictum est cognitione, quod est ens rationis materiale; primum esse potest dupliciter etiam accipi, vel vt habet esse extra causas, & vt existens, velut est possibile ab agente obtineri, quod esse possibile, seu futurum est duplex, vel simpliciter, si scilicet illud esse de nouo fit, vt cum fit domus, vel secundum quid, quando scilicet iam est in rerum natura, sed non possidetur, vt Deus, licèt existat, optatur tamen à viatore, quia perfectè ab ipso non possidetur; quærimus ergo, cum finis mouet voluntatem, secundum quod esse moueat, an secundum esse cognitum, an secundum esse reale, & hoc vel existens, vel possibile; vbi ly *secundum* potest specificare vel conditionem sine qua non, vt cum dicimus, ignis comburit stuppam, secundum quod stuppa igni approximatur, vel potest specificare rationem formalem causandi, vt cum dicimus, ignis, secundum calorem calefacit; hoc modo sumitur in præsenti; & loquimur de fine in ordine ad actus, & effectus consecutionis finis inseruientes.

190 In hac difficultate est discrepantia inter Doctores, quæ videtur consistere in modo loquendi; nam Auicen. 6. Met. c. 5. Cap. 2. d. 25. q. 1. ad arg. Heruæi cont. 3. concl. Soncin. 5. Met. q. 3. & alij sustinent. finem causare secundum esse cognitum, & intentionale, non secundum esse reale: quam opinionem alij explicant solum de fine generationis, qui à nobis dicitur finis cuius, non de fine rei genitæ, quem appellamus finem cui, ita Tromb. 6. Met. q. 1. art. 2. concl. 3. & 4. Alij quod finis verus causet secundum esse reale, at apparens secundum esse cognitum. Alij quod finis causat secundum esse cognitum, sed non pro illo esse, sed pro esse reali, ita Canon. 2. Phys. q. 3. art. 1. Parisiens. ibid. q. 3. & Bargius 1. d. q. 4. §. *Ad principalia, &c.* P. Sgheimma 2. Phys. digres. 11. q. 5. distinguit, quod aliud est esse rationem, qua finis causat, & mouet, & aliud esse rationem propter quam causat, prima formalizat rationem mouendi, & causandi, & in fine est esse cognitum, & obiectiuum, secunda est formalitas terminandi; & est esse reale. Communis tamen asserit, finem causare secundum esse reale tanquam per rationem formalem, esse verò cognitum tantum conditionem esse sine qua non, ita Ocham 2. q. 3. art. 2. Val. Vasq. & alij p. 2. q. 1. Suar. disp. 23. Met. sect. 8. Tol. 2. Phys. q. 14. Coimbr. cap. 7. q. 23. Ruuius q. 6. de causa finali Sanson. 2. Phys. quæst. 4. Fuentes quæst. 7. diff. 7. Morif. in Ethic. disp. 7. dub. 4. Iribanes de act. hum. disp. 10. sect. 4. Auersa quæst. 13. sect. 6. Hurtad. verò disp. 13. de Anim. sect. 6. addit, quòd cognitio non est conditio sine qua non sed principium mouens, impellens voluntatem ad amorem finis, obiectum autem, seu bonitas finis terminat actum amoris.

Dicimus tamen, quòd licèt finis, quando causat, habeat esse intentionale, non tamen secundum tale esse causat, sed secundum esse reale verum vel apparens, & futurum, cognitio verò se habet solùm vt conditio sine qua non: ita Doctor 2. d. 25. Q. & R. vbi approbat dictum Auer. 12. Met. com. 36. forma balnei, prout habet esse extra animam, mouet vt finis, quod intelligi debet, non vt extra posita, sed vt extra possibilis, tunc enim mouet ad agendum; & 3. d. 15. B. loquendo de appetitu sensitiuo ait formam absolutam obiecti, idest secundum

dum suam entitatem, & non secundum relationem conuenientiæ, aut secundum præsentiam per perceptionem quæ est alia relatio, quasi approximatio agẽtis ad passum, esse rationem causandi delectationem & 1.d.1.q.4. arguendo contra 3.art.5. *Item autem finis, &c.* ait, præsentiam obiecti cogniti diuersam se habere ad voluntatem tanquam approximationem quandam, quod etiam repetit in 4.d.49.q.5. E.idem quoque colligitur ex locis superius sæpè allegatis, dum ait, bonum esse obiectum voluntatis, & vt sic habere rationem finis; hoc idem innuere voluit Canon. cit.dum dixit, finem esse causam secundum esse intentionale, sed non pro illo esse, sed pro esse reali; quod etiam docuerunt Bargius, Tromb.cit.& Scotu, dum ait, finem vt in mente mouere voluntatem.

191 Primò igitur, quòd causet secundum esse reale, probatur, quia secundum illud esse finis mouet voluntatem tanquam secundum rationem formalem, secundùm quod trahit voluntatem ad se, allicit ipsam, appetitur ab ipsa, terminat actum ipsius (hoc enim est mouere, allicere, & trahere ex dictis art.præced.) propter quod consequendum agens agit, eligit media, ad quod media habent proportionem, & vtilitatem, quo acquisito, cessat motus, satiatur appetitus agentis, quod cum bono conuertitur, estque perfectio agentis; sed hæc omnia conueniunt fini secundum esse reale, non secundum esse intentionale, ergo secundum illud esse causat, & mouet, non secundum istud tanquam secundum rationem formalem; Maior patet, quia illa omnia sunt finis attributa, quatenus est causa, deducta ex variis Arist.dictis, & Scoti in superioribus adductis, præcipuè ex definitione ipsius finis, Minor probatur, quia sanitas v.g.secundum esse reale, quod habere potest à parte rei, & non vt mente concipitur, allicit voluntatem, appetitur, terminat actum amoris desiderij, propter ipsam consequendam agens assumit media, quæ ipsi proportionantur, & conferunt, vt vtilia ad consecutionem ipsius qua acquisita cessat actio ad sanitatem, delectatur agens de illa tanquam de proprio bono, & perfectione: esse vero cognitum dicit solum extrinsecam denominationem, cui nequeunt hæc omnia conuenire.

Respondent quidam, esse cognitum formaliter esse denominationem extrinsecam, at participatiuè, & realiter esse entitatem cognitionis, & hoc modo esse cognitum potest esse ratio finalizandi, sicut potest effectiuè concurrere, vt principium formale ad rem producendam, vt monet Doctor 4.d.1.q.1. R. Alij cum Canon. & Tromb. respondet, argumentum concludere solum, finem causare pro esse reali, non pro esse intentionali, nontamen quòd non causet secundum esse intentionale. Alij apud Fuentes distinguunt in fine duplicem rationem, aliam *qua*, aliam *sub qua*, prima est, quæ attingitur à voluntate, est quę bonitas finis, cui competunt omnia attributa relata; secunda est, quæ constituit bonitatem in ratione obiecti motiui voluntatis, & talis est cognitio, quæ ad rationem formalem finis spectat, non vt ratio *qua*, sed *sub qua*.

192 Sed prima responsio deseruit, nam neque cognitioni finis conueniunt relata attributa, vt patet, obiectum enim voluntatis non est cognitio, neque esse cognitum reduplicatiue, sed illud idem, quod est cognitionis obiectum, ergo nullo modo esse cognitum mouebit voluntatem, sed esse reale, licèt apprehensum, sed sicut apprehensio, vel esse apprehensum non attingitur à voluntate, ita neque ipsam mouebit, quod enim mouet, attingitur; ad authoritatem Scoti diximus q. præc. art. 2. Secunda responsio confirmat nostram sententiam; si enim est verum, hæc omnia fini competere pro esse reali, non pro intentionali, iam conceditur, rationem formalem finalizandi, quæ est id, cui tali conueniunt, esse entitatem realem finis, vt realis est, & hoc nos intendimus, cum dicimus, finem mouere secundum esse reale; esse verò intentionale non est ratio formalis, sed solùm conditio, quia finis, vt moueat, debet esse in tali esse intentionali; quod intendunt Canon. & Tromb. cum aiunt, finem causare secundum esse intentionale; idcirco diximus nobiscum in re sentire. Tertia responsio facit vim in verbis, nam si per rationem *sub qua* intelligitur esse, sub quo reperitur finis, dum causat, est nobiscum, sed illud esse non se habet vt ratio mouendi, sed vt conditio; si verò intelligitur illud esse secundum quod mouet, & sub qua ratione terminat actum amoris, tale non est esse intentionale, sed reale, interroganti enim cur voluntas vult finem, non rectè respondetur tanquam per rationem formalem, quia cognoscit finem, sed quia finis bonus est.

Est his possunt etiam dirui responsiones, quas P.Sghemma tradit, vel enim coincidunt cum allatis, vel æquiuocant in hoc, quòd pro esse reali finis intelligunt esse finis à parte rei acquisitum, cum tamen nos idem esse intelligamus non vt acquisitum, sed vt acquisibile, & apprehensum; non quod ly *vt* reduplicet rationem formalem, hæc enim est bonitas realis finis, sed conditionem fine quibus agens non desideraret, & appeteret finem, nec propter ipsum acquirendum ageret; at bonitas, appetibilitas, & cætera attributa finis sunt conditiones cum quibus finis amatur ab agente, nam finis simul cum illis terminat agentis amorem, & ideò dicuntur transire in rationem formalem mouendi voluntatem.

195 Secundò quòd non tantum vera bonitas, sed etiam apparens moueat voluntatem, patet ex eisdem rationibus, quia vt diximus art.2.in fine apparenti, quod mouet voluntatem, est bonitas vera, & realis, sed falsò applicata ab intellectu, vel à voluntate, iuxta aliam Scotistarum opinionem de fine præfixo, non tamen bonitas in se ficta, ne obiectum voluntatis adæquatum ponatur aliquod æquiuocum, ergo etiam in fine apparenti non apprehensio, sed bonitas mouebit voluntatem apprehensa vt possibilis, eodem enim modo agens agit pro consecutione illius finis apparentis, quem putat possibilem, ac pro fine in se vero.

Tertiò quod talis entitas debeat esse futura, probatur quia propriè loquendo, finis in ratione causæ mouet ad sui consecutionem, & & quando iam possidetur, non habet amplius rationem finalis causæ respectu effectuum ad consecutionem finis ordinatorum, sed termini, vnde Arist.1.de Gen.55.dicebat, habitibus præsentibus motum cessare, quia nullum agens operatur propter finem adeptum, ergo vt finis moueat voluntatem, debet esse futurus vel simpliciter, vel secundum quid; & si aliquando agens operatur propter conseruationem finis adepti, vt cum quis ad conseruandam valetudinem medicamina adhibet præseruatiua adhuc in tali casu finis habet rationem futuri secundum quid, quia mouet ad continuationem possessionis finis tempore futuro; Non quod futuritio sit ratio mouendi, seu conditio, cum qua finis moueat, quia agens non appetit finem vt futurum reduplicatiuè, immo potius præsentiam ipsius desiderat, & propter ipsam agit; sed est conditio tantum sine qua non appeteretur finis ab agente, nec propter ipsum operaretur agens.

Tandem, quòd cognitio necessariò preriquatur, patet ex dictis in principio art. quòd verò non se habeat vt principium mouens, sicut dicebat Hurt.probatur, quia intellectus per cognitionem nihil causat in voluntate, vnde art. præced. diximus voluntatem moueri à fine, esse, voluntatem amare finem, quia per amorem quasi it ad obiectum, iuxta illud, anima est magis vbi amat, quam vbi animat, sed obiecti bonitas est, quæ ita mouet voluntatem, sicut ipsa terminat actum amoris, non cognitio, ergo non rectè ait Hurt. ponens obiectum trahere ad se voluntatem, intellectum verò mouere, & ipsam impellere, vt in obiectum tendat, hic enim impulsus attractione metaphorica obiecti distinctus est fictitius: remanet igitur, vt sit solùm conditio sine qua non. Verum est tamen quòd apprehensio plus facit in fine apparenti, quam in vero fine; quia finis verus, cùm habeat ex se bonitatem intrinsecam, solùm indiget approximatione quadam vitali, vt possit mouere voluntatem, & talis est apprehensio, vnde se habet, vt simplex conditio sine qua non; at finis apparens, quia intrinsecè non habet bonitatem, sed illam accipit ab intellectu falsò applicante veram bonitatem obiecto incapaci, licèt cognitio non sit ratio finalizandi in illo fine, non est tamen simplex conditio sine qua non per modum approximationis, sed adhuc est occasio, seu causa præstans huiusmodi fini virtutem finalizandi, quæ est bonitas vera, per falsam applicationem.

194 Sed contra obijcitur 1. Tum quia causa vt causa essentialiter includit aliquid, quo non sit posterior suo effectu, sed causa finalis secundum esse cognitum tantum habet, vt non sit posterior suo effectu, nam secundum actualem existentiam est posterior, ergo &c. Tum 2. quia finis est prima causa inter omnes, at non est prima causa nisi secundum esse intentionale. Tum 3. quia finis mouet metaphoricè, quæ motio procedit ab esse obiectiuo finis, quod allicit potentiam suam ei præsentiam exhibendo. Tum 4. quia illud, quod semper est necesarium, vt finis causet, censeri potius debet ratio finalizandi, quam aliud, quod non est ita necessarium, immo sine quo talis causalitas exerceri potest, sed cognitio semper est necessaria ad finalizandum, & sine bonitate reali finis id potest præstare, vt patet in fine impossibili. Tum 5. quia id, quod variat speciem, non se habet vt conditio, sed vt ratio formalis, quia potentiæ, & actus distinguuntur per diuersas rationes formales obiectorum, sed apprehensio obiecti variat speciem appetituum, nam appetitus naturalis, sensitiuus, & rationalis differunt, quia primus tendit in rem ignotam ipsi agenti, sed cognitam intellectui separato, secundus in rem sensu cognitam, tertius in rem cognitam ab intellectu agentis; immo respectu eiusdem appetitus, si variatur cognitio, variatur quoque actus, nam Deus cognitus in via, & in patria terminat diuersos specie amoris actus.

Resp.ad 1.finem tam secundum esse cognitum, quam secundum esse reale futurum esse priorem effectu, sed secundum esse reale tanquam per rationem formalem finalizandi, secundum esse cognitum, & secundum futuritionem tanquam per conditiones sine quibus non. Ad 2.per idem. Ad 3.motio procedit à reali esse, vt à ratione formali, sed vt est sub esse obiectiuo tanquam à conditione sine qua non. Ad 4.negamus, esse reale non esse semper necessarium ad motionem voluntatis, nam etiam in apparenti fine, ratio motiua est vera bonitas, licèt falsò applicata. Ad 5. maiorem non esse vniuersaliter veram, quia potentiæ, & actus solùm extrinsecè per obiecta distinguuntur, & circa idem obiectum formale variatis quibusdam conditionibus possunt esse specie diuersi, vt patet in exemplo adducto de fruitione in via, & in patria, & docet Doct.in 3.d.31.C. & 1.d.1.q.4. contra 3.art.vt dicimus in lib.de An.attamen loquendo de appetitiuis potentij, non solùm habent diuersas præsentias obiectiuas, sed diuersas quoque bonitates apprehensas, alia enim est bonitas conueniens appetitui naturali alia conueniens sensitiuo, & alia tandem rationali.

195 Dices cum Hurt.applicatio diuersa agentis ad passum non variat specie effectum, parum enim refert, quòd ignis ex isto, vel illo latere applicetur, & hoc, quia applicatio est conditio sine qua non, ergo si diuersa cognitio variat actum specie, erit plusquam conditio. Tum quia præmissæ determinant intellectum ad conclusionem per formalem repræsentationem obiecti, sicut cognitio finis determinat voluntatem ad actum, in quem influit saltim intentionaliter, hæc autem excedunt rationem conditionis sine qua non. Resp. quod licèt applicatio agentis ex hac, vel illa parte non variet effectum, maior tamen vel minor applicatio variat effectum, quandoque in eadem specie, quandoque in diuersa, vnde cognitio abstractiua, & tamen specie distinguuntur, propter variationem conditionum, scilicet patentiæ, & latentiæ eiusdem obiecti, vt docet Doctor quol.13. & 3.dist.23.de fide, & scientia. Ad aliud, negamus paritatem, eò quia præmissæ verè causant conclusionis cognitionem, quamq; virtualiter continent, at nec finis in esse obiectiuo, nec ipsius cognitio virtualiter continent actum voluntatis, nec in illum influunt, nisi metaphoricè, quod tamen soli fini conuenit, non cognitioni.

Secundò ad idem. Tum quia finis debet esse quid optimum.2.Phys. 23.& 31.& 5.Met.2.vt autem est in mente, nobilius esse habet, quia spirituale, quàm vt extra existit ex Scoto 4.d.1.q.1.Q.R. Tum 2. quia finis causat secundum esse, quod habet, dum causat, sed talis non est nisi esse intentionale. Tum 3.quia secundum esse.reale potius effectus, quam causa. Tum 4.quia saltim in fine apparenti, quod mouet, non est bonitas finis vera, sed falsò applicata, nam vnius per se effectus est vna per se causa ex Scoto 1.d.3.q.7.N.at ex vera bonitate, & subiecto impossibili non fit vnum per se, ergo quod per se mouet, erit cognitio. Accedit, quòd bonitas in communi diuiditur in veram, & apparentem, ergo ratio mouendi in fine apparenti non erit vera bonitas.

196 Resp.ad 1. Arist. loqui de fine in ordine ad media, quo modo perfectior est illis, saltim reduplicatiuè loquendo, vt sic autem perfectius, & verius esse habet formaliter à parte rei, quàm in intellectu, vbi tantum habet esse diminutum; Scotus verò intelligitur realiter, & participatiuè, nam vt habet esse cognitum, participat esse cognitionis, quod esse licèt sit perfectius, non tamen est verius esse rei cognitæ. Ad 2.dum finis causat, habet esse reale, sed apprehensum, & repræsentatum, idéoque causat secundum esse reale tanquam per rationem formalem, sed apprehesum tanquam per conditionem. Ad 3. assumptum est verum de esse reali actuali, non de esse reali futuro. Ad 4.respondet Doctor ibidem, maiorem sic debere intelligi, vnius effectus dari debet vna per se causa, idest vna per se ratio causandi, quod eò vel maximè dicendum est in Scoti sententia, quia ipse formaliter actionem tribuit, principio Quo, & rationi agendi, principio autem Quod denominatiuè tantum, & vltimatè, ita docet 4. d.12.q.3.Aa. immo dicimus, quòd suppositum est Quod agit, natura Quo agit, & tamen tenendo, suppositalitatem dicere duplicem negationem, suppositum ex ea, & natura constitutum est vnum per accidens ex positiuo, & negatiuo: in proposito ratio mouendi est per se vna, & si Quod agit sit vnum per accidens. Ad aliud dicimus, quod bonitas in abstracto non diuiditur propriè in veram, & apparentem, sed bonitas in concerto, idest vt huic, vel illi subiecto applicata, vnde est diuisio non per formas, sed per subiecta.

ARTICVLVS V.

An finis sit vera causa realis.

197 QVamuis ex dictis art. 3. pateat resolutio huius difficultatis, ad vberiorem tamen doctrinam placuit seorsim illam examinare. Prima igitur Opinio affirmat, ita Suar. disp. 23. Met. sect.1. Auersa q.13.sect.1.Conimbr.2.Phys.c.7.q.20.Ruuius tract. de fine q. 1.Amicus tract.13.q.3.vbi variè distinguit de fine, & ex nostris ipsam sequuntur Anton.Andr.5.Mel.q.3. Tromb. q.2. Sghemma 2.Phys. digress.11.q.1.nec obscurè insinuatur à Canon.2.Phys. q.3. & Iribar.de act.hum.disp.10.sect.1.Oppositam sententiam docent, Hurt. de An. disp.13.sect.5.Plaza disp,6.Phys.q.1.Murcia 2. Phys. disp.3. q.2. insuper Saxo.2.Phys.23.Burid.q.7.loquendo de fine nõ existente, & ex nostris docuerunt Cauel.disp.1.de An.sect.19.ad 2-Lich.q.4. Prol. §. *Respondeo primo, quod, & si obiectum, &c.* & 1.d.1.q.4.ad 2. princ. dum ait, finem nihil realiter causare, sed tantum metaphoricè mouere, Tatar.2 Phys.q.de causis dub.2.dum inquit, finem nullo modo causare, & attingere effectum immediatè, Sanson q.4.ad hanc videtur inclinare, item Fuentes q.7.diff.2.qui tamen, vt consequenter loquatur, debet hoc asserere de fine non existente, nam existenti concedit diff.3.relationem realem ad effectum.

Dicimus, nullum finem esse causam realem physicam, sed esse causam moralem. Conel.colligitur ex Scoto cit. art.3. pro conclus. quibus in locis dum docet, finem intantum dici causam, inquantum mouet efficiens ad agendum, & hæc motio ex parte finis cùm non sit aliquid reale, sequitur secundum ipsius doctrinam finem non esse veram causam realem: Probari potest, quod non sit realis causa: Tum quia causa realis in actu duo dicit, entitatem causæ, qua fundamentaliter dicitur causa, & causalitatem realem, quæ in relatione consistit ad effectum ex dictis disp.5.q.2.finis, vt est actu causa, neutrum dicit reale; non primum, quia est actu causa, vt habet esse obiectiuum in intellectu, etiam à parte rei existat, immo existentia non per se conuenit fini, nam finis cuius non debet existens præsupponi, cùm sit effectus productus, finis cui aliquando etiam non existit, vt quando pater diuitias congregat, propter filios nondum genito, & licèt existat, nequit tamen voluntatem mouere, nisi habeat esse apprehensum, sed esse obiectiuum non est ens reale actuale, aliter creaturæ cognitæ à Deo in æternitate habuissent esse reale actuale ab æterno contra Scot. in 1.d.36. & solùm ens reale actuale dicitur participatiuè; quatenus participat esse reale cognitionis, quæ non est finis; neque dicit secundum scilicet causalitatem actualem, quia relatio requirit suum fundamentum in actu, non potest esse maioris entitatis fundatum, quàm fundans. Tum quia in sententia nostra causa nunquam denominatur formaliter causa, nisi posito effectu in esse, tunc enim relatio ad effectum insurgit in causa, at si finis causa realis effectus, iam post productionem effectus dicetur causa, quod est falsum, quia idem à seipso essentialiter dependeret, esset causa, & effectus, prius, & posterius: & maximè quando effectus dependet ab agente in fieri, & conseruari, tunc enim deberet etiam permanere causalitas finis.

198 Respsindet Tromb. quem omnes Recentiores sequuntur, finem, & si non habeat esse actuale existentiæ realis, habere tamen esse apprehensum, & obiectiuum quod non est ens rationis, sed reale, & ratione huius esse, potest dici causa realis, non quæcumque, sed in in genere finis, ad quam tale esse sufficit, quia causat vt amatus; & hoc est, quod dicunt alij, finem esse causam, non quo ad entitatem, sed quo ad causalitatem. Addunt Recentiores, finem non fundare illam relationem ad effectum, quando finis non existit; sed effectum dicere relationem ad finem tanquam ad causam, & propter istam dependentiæ terminationem potest dici causa saltim extrinsecæ denominationis, sicut Deus dicitur creator terminando dependentiam creaturæ.

Sed iam ostensum est, finem secundum illud esse obiectiuum, quod nihil est actuale, & solùm ens reale nominaliter, non posse fundare illam relationem causæ, in qua secundum nos consistit causalitas actualis; quod etiam de fine existente, & cui concludit, eò vel maximè quia finis cui, & finis cuius integrant vnam causam totalem ex dictis art.1.non possunt autem illam integrare, nisi ambo vniantur in esse obiectiuo, & apprehenso, ergo ambo, vt habent tale esse & non vt sunt existentes in actu, causant. Quod addunt Recentiores nil iuuat, eò quia licet finis terminet illam dependentiam effectus, & mediorum, adhuc tamen ista terminatione non dicitur causa realis in actu, sicut Deus, quia causa actualis extrinsecæ denominationis debet saltim hebere fundamentum reale actuale, quo dicatur fundamentum, vt diximus. Tum quia sæpè media assumpta ab agente non habent ex propria natura ordinationem ad finem, vt patet, cum quis operatur propter finem apparetem, vnde ordinatio illa dicit tantum extrinsecam denominationem in medijs prouenientem à volitione voluntatis, estque ens rationis materiale, ergo in hoc casu finis non erit causa reali cuasalitate, quæ secundum Aduersarios in dependentia ad causam consistit; & tamen etiam secundum ipsos non minus finis apparens dicitur vera causa, quam finis verus, Antec. datet, quia volitio in obiecto volito non causat aliquod reale, sed solum extrinsecam denominationem relinquit. Remanet ergo, quòd causa moralis dicatur, quia concurrit eo modo, quo consulens, vel supplicans se habet ad effectus productionem, vt diximus art.3.

199 Manca 2.Phys.q.9.dub.3.aliam dat solutionem non multum ab allatis discrepantem, concedit enim finem non habere virtutem causatiuam realem à parte rei, at in apprehensione negat non habere virtutem causatiuam realem non quidem in essendo, & intrinsecè, sed in causando & extrinsecè, in hoc enim efficiens à fine differt, quod efficiens, vt causet, debet habere propriam entitatem realem existentem, non sic finis, nam sufficit, vt habeat esse obiectiuum propter quod voluntatem alliciat, esto in se sit ens chimericum, quo pacto sufficit, vt ens aliquod rationis dicatur causa realis alicuius physici effectus, non quidem efficienter, sed finaliter: ratio est quia verè effectus pendet in sua entitate à fine apprehenso, vt bono, itaut cessante fine, cesset quoque agentis actio, neque requiritur, ait, vt omnis causa realis fundet relationem realem ad effectum, hoc enim præcipuè est verum de causa efficienti creata.

Sed hæc solutio vel abutitur vocabulis, vel nihil valet, hoc enim est quod improbatur, quonam pacto, quod in se est meeum ens rationis possit habere virtutem realem in causando, eo vel maximè quod esse apprehensum non est ratio, sed conditio causandi, virtus enim causæ non potest esse maius ens eo, cuius est virtus. Neque ex hoc, quod esse apprehensum finis prærequiritur necessario ad effectum, debemus inferre veram, & realem causalitatem in fine, aliter, omnis conditio sine qua non dicetur realis causa, quod est falsum, cognitio enim necessario ad volitionem præexigitur, non tamen est causa, idem quoque dicendum de obiecto cognitio; Et quamuis non sit de ratione causæ realis in communi, quod habeat entitatem physicam realem, vt dicebamus, nisi velimus de nominibus altercari,

Rationes in oppositum sunt solutæ art. 3. respondendo ad 2. arg. principale contra conclusionem, eædem enim faciunt contra istam conclusionem.

Sed adhuc sic instat nonnullus præter ibi dicta, quia verè, & non per

per fictionem finis propositus per intellectum voluntati mouet voluntatem, & effectus qui ordinatur ad ipsum, habet veram, & realem dependentiam ab ipso fic, vt si finis non moueret voluntatem, voluntas non produceret illum effectum, sed nihil aliud præter hoc requiritur, vt sit causa realis, physica. Resp. motionem finis non esse realem, vt ab actione efficientis distinguitur, sed metaphoricam, vt ait Arist. p. de Gen. 55. & Doctor sæpe cit. quia mouet in ratione allicientis, & trahentis moraliter agens ad sui consecutionem, qua ratione effectus agentis imputatur fini, & in hoc sensu finis dicitur verè mouere voluntatem, & non per fictionem, & effectus habere veram dependentiam ab ipso fine, & non fictam, vndè ea omnia saluantur per solam causalitatem moralem, vt ostendimus art. 3. Contra instat, quia nullum genus moralis causæ videtur ipsi posse adaptari, quia non se habet respectu effectus nec vt consulens, nec vt supplicans, nec vt dirigens, aut alio morali modo concurrens; Tum quia, quamuis esset causa moralis; non sequitur quod non sit causa realis, hoc est habens actionem veram, & realem, nam causæ etiam morales verè causant suos effectus, & non fictè, vt constat de sacramentis in nostra schola.

Resp. ex dictis art. 3. conclus. 2. neg. assumptum, mouet enim agens in ratione amati, & desiderati, metaphorice per modum allicientis, & trahentis ad sui consecutionem, hæc autem est moralis causalitas, & efficacia, vt colligitur in illo Poetæ *trahit sua quemque voluptas* quo loquendi modo explicant efficaciam diuinorum auxiliorum qui eam ponunt moralem. Ad aliud sufficit nobis, quod talis, realis causalitas attribuatur fini, qualis tribuitur sacramentis in schola nostra, sic enim saluatur quod non sit vera causa physica, vt efficiens, & cæteræ causæ physicæ.

Contra adhuc vrget, quia finis non causat nisi saltim habeat esse intentionale, & obiectiuum in intellectu, ergo saltim in tali esse fundari poterit verus, & realis respectus physicæ causalitatis, atque adeò dici vera causa physica. Resp. immo ex hoc capite nos vrgere non esse veram causam physicam, quia illud esse obiectiuum, & apprehensum non est esse reale & actuale, quale requiritur ad fundandam veram causalitatem physicam; Contra ait, licet tale esse non sit reale physicum, est tamen reale intentionale, quatenus est reale physicum, est tamen reale intentionale, quatenus est realiter ipsa cognitio apprehensi, ergo sufficit ad fundandam realem causalitatem finalis causæ. Neg. conseq. quia congnitio illa non habet rationem finis, nec est ratio finis, nec est ratio finalizandi, sed tantum conditio sine qua non, atque ideò causalitatem finalem fundare non potest.

Vide quæ supra diximus in hac disp. q. 7. art. 2. ibi enim docuimus causalitatem ideæ non esse physicam, sed moralem, quia secundùm talem causalitatem idea est causa sui ipsius, namque domus vt cognita in mente artificis est causa idealis sui ipsius secundum esse, quod extra habebit ab artefice iuxta illud 7. Met. 30. domus extra fit à domo intra, ex quo manifestè deduximus ideam non esse causam realem, & physicam; quia nihil potest physicè seipsum causare; sed eadem ratio cadit in proposito, quia finis secundum esse reale possibile, vel futurum, & vt tale ab intellectu apprehensum, causat seipsum ad extra, seu finis in intentione causat seipsum in executione, sub qua habet rationem effectus, ergo nequit poni causa physica, sed moralis, alioquin idem posset seipsum physicè causare, est enim eadem res prorsus, quæ prius est in intentione, & posteà ponitur in executione.

ARTICVLVS VI.

Quænam agentia propter finem dicantur agere.

200 AGens aliud est intellectuale, & liberum, aliud naturale, primum diuiditur in increatum, vt est Deus, & creatum, vt Angelus, & homo, secundum diuiditur in agens per cognitionem aliquam sensitiuam vt bruta, & in agens sine vlla cognitione, vt cætera naturalia; de his omnibus est breuiter videndum, an agant propter finem, videtur enim aliqualiter quæstio de nomine.

De Deo possumus loqui tripliciter, vel in ordine ad actus immanentes, & ad intra, vel in ordine ad actiones extrernas, & transeuntes, vel tandem in ordine ad effectus productos ab ipso, vt sunt creaturæ omnes, Sonc. 5. Met. qu. 2. ait, semper Deum agere propriè propter finem tam respectu actuum immanentium, vt est amor diuinus, quàm respectu transeuntium, & effectuum productorum.

Dicimus tamen, non dari causam finalem propriam in Deo circa actus immanentes, neque circa actiones transeuntes formaliter, aut fundamentaliter inspectas; dari verò circa ipsas materialiter consideratas, & circa effectus productos. Est communis; & quidem quòd non detur vera causa finalis in Deo respectu actuum immanentium, docetur à Doctore in 1. dist. 1. q. 5. ad 1. primæ quæst. & probatur ab ipso, quia respectu nullius est causa finalis propriè, nisi respectu cuius est causa efficiens, quia causalitas finalis causæ ex dictis consistit in metaphorica motione, quæ nil aliud est, quàm actio agentis vt propter finem facta, ex dictis art. 3. sed actus diuinæ voluntatis quo ad entitatem sibi essentialem non habet veram causam in aliquo genere, cùm sit ens per essentiam, & independens; neque etiam iste actus vt liberè terminatus ad creaturas potest habere realem causam, quia vt sic nihil reale addit entitati necessariæ eiusdem actus, nec potest fingi causa realis, quæ habeat pro effectu solùm ens rationis, ergo &c.

201 Secundò, quòd nec etiam detur respectu actionum transeuntium (in quo discrepant Doctores, eò quia non consentiunt in formalitate actionis diuinæ) probatur, quia actiones diuinæ transeuntes formaliter dicunt, vel solam terminationem realis dependentiæ effectus creati, ex Scoto 1. dist. 30. vel respectum rationis in Deo ex eodem 4. dist. 13. q. 1. R. & 3. dist. 8. q. vn. sup. H. quæ esse nequent terminus causalitatis, effectus reales; at si fundamentaliter considerentur, præferunt actum diuinæ voluntatis omninò incausatum, & diuinam omnipotentiam; tandem si de ipsis materialiter inspectis loquamur, quia vt sic dicunt ipsasmet res productas, idem iudicium faciendum est, ac de creaturis, vt mox dicemus.

Tertiò, quòd in ordine ad res productas dicatur Deus agere propter finem; habetur à Scoto dist. 1. cit. & dist. 2. q. 2. R. & 4. d. 49. q. 8. F. & probatur; Tum quia causa finalis vt sic nullam includit imperfectionem, immo censetur esse omnium perfectissima, ergo conuenit Deo propriè saltim respectu effectuum ad extra productorum. Tum quia Prouerb. 16. *Omnia propter seipsum operatus est Dominus*. Tum quia verè creaturæ sunt propter Deum, & Deus dicitur omnium finis; vnde Doctor 1. cit. aduertit, Deum non agere propter finem suum, sed propter finem sui effectus, ordinando illum ad seipsum amatum, in quo potest consistere causalitas talis causæ finalis, quatenus scilicet Deus dicitur producere creaturas propter seipsum prius amatum, & volitum, & à propria bonitate quasi mouetur, & allicitur ad producendas creaturas. An tamen non solùm à propria bonitate moueatur, verùm etiam à bonitate creaturarum, saltim non vltimatè, itaut vnam rem producat propter bonitatem alterius, quam vult, vt videtur loqui Doctor in 3. d. 7. q. 3. C. dum ait, Deum voluisse naturam humanam vniri Verbo, quia ei voluit summam gloriam, & post præuisionem peccati Deum voluisse Incarnationem in carne passibili in remedium peccati, quod tenet Suar. disput. 24. Met. sect. 2. n. 9. & 10. & relect. de liber. diuin. vol. disp. 1. sect. 2. num. 15. Ægi. Lusit. par. 2. lib. 1. de fine q. 14. §. 4. num. 18. & 20. & Amicus tract. 13. q. 6. dub. 1. art. 3. an verò tantummodo à propria bonitate moueatur proximè, & vltimatè, nullo modo à bonitate creata, quod docet Doctor 3. d. 32. D. vbi ait, quòd si aliud à diuina essentia poneretur ratio mouendi diuinam voluntatem, vilesceret diuina voluntas, & inde concludit, solam essentiam diuinam præcisè esse rationem volendi omnia diuinæ voluntati, & sequitur Vasq. 1. p. disp. 82. & est negotium theologicum.

202 In oppositum arguitur, quòd respectu actuum immanentium detur in Deo finalis causa; Tum quia diuina bonitas mouet voluntatem diuinam ad amorem sui, quia Deus amat propter suam bonitatem tanquam propter finem, ergo actus amoris diuini verè habebit finalem causam, cuius causalitas in tali metaphorica motione consistit. Tum 2. quia Deus amat creaturas propter suam bonitatem, sed amare vnum propter aliud nil est, quam ex amore vnius metaphoricè moueri ad amorem alterius, ergo amor Dei ad creaturas terminatus habebit finalem causam. Tum. 3. quia aliter effectus Dei, vt ab ipso sunt, non haberent finalem causam, nam hæc nullum habet effectum, nisi medio agente, quod mouet ad agendum, ergo si circa ipsum agens nullam habet causalitatem, quod tunc est, quando causat finaliter actum amoris, neque circa effectus agentis poterit causalitatem habere. Tum 4. quia hoc innuunt illa vulgata dicta, quod scilicet Deus agit propter finem & quòd superioris agentis est superior finis, hic enim nequit esse, nisi sua bonitas; ergo datur vera causa finalis in Deo actionum ad extra.

Resp. ad 1. motionem illam non esse propriè motionem metaphoricam, quia cum hæc propriè à parte rei non dicat, nisi actionem agentis factam propter finem sicut non datur vera actio diuinæ voluntatis erga essentialem amorem propter realem identitatem, ita nec propria motio erit metaphorica, sed impropria, quapropter diuina bonitas non erit propriè finalis causa respectu actus amoris diuini, sed solùm impropria, & rectius dicetur ratio volendi obiectiua. Ad 2. per idem, quia ly *propter* in ordine ad amorem diuinum circumscribit non causam finalem, sed rationem volendi obiectiuam, sicut cum dicimus, Deum esse immortalem, quia immutabilem, ly *quia* non designat veram causam, sed rationem fine causalitate. Ad 3. negatur, semper necessariam esse propriam causalitatem finis erga actum amoris, vt dicatur causa effectus externi. Ad 4. Deus dicitur agere propter finem, vt explicat Doctor cit. quatenus ordinat creaturam ad seipsum amatum, itaut non sit finis sui, vel alicuius ipsi Deo intrinseci, sed finis effectus producti, quapropter ly *agere* non debet sumi formaliter, vel fundamentaliter, sed materialiter pro re acta, quæ propriè dicitur esse propter finem.

203 Dices, Deus nullam accipit perfectionem à creaturis, ergo illas non producit propter seipsum, Patet conseq. quia finis cui, qualis esset Deus respectu creaturarum, est id, cui acquiritur aliqua perfectio & bonum: Antec. probatur, quia maximè reciperet honorem illum redundantem ex obsequio creaturarum, fed talis honor est solùm extrinseca denominatio, quæ non potest esse causa finalis; & quamuis multoties homines propter extrinsecas denominationes tanquam propter finem operentur, vt cum propter dignitates aliquis laborat, hoc

hoc prouenit, quia concipimus istas denominationes extrinsecas, ac si aliquid essent reale, quod nequit in Deo euenire. Resp, Deum a creaturis accipere honorem illum, & obsequium, & quamuis sit extrinseca denominatio physicè loquendo, attamen moraliter etiam apud Sapientes pro aliquo habetur, sic videmus, Deum propter similes denominationes extrinsecas multa efficere tanquam propter finem moralem, sic Verbum carnem assumpsit, Christus instituit Sacramenta, & similia propter iustificationem peccatoris, quæ in quodam morali formaliter consistit, quamuis sit cum physica mutatione, scilicet cum receptione gratiæ, attamen gratia non iustificat hominem ex natura rei, sed ex institutione diuina, vt sæpè docet Doctor præcipuè 1. dist. 17. q. 2. sic etiam propter possessionem diuitiarum aliquid fit ab hominibus, & tamen ista possessio est quoddam ens morale; cùm igitur honor sit quoddam testimonium de excellentia alterius ex 1. Eth. cap. 5. possessio talis testimonij, quæ erit actualis retuerentia, & obsequium excellentiæ honorati estimabitur tanquam aliquod morale dignum, vt gratia ipsius aliquid fiat; itaque omnis creatura est propter Deum, quia quælibet suo modo proprium factorem honorat, quatenus ex ipsis excellentia factoris dignoscitur, iuxta illud: *Cœli enarrant gloriam Dei*.

204 De agente intellectuali creato non est dubium, quin agat propter finem, cum enim sit liberum, & conuenientiam cognoscat medij ad finem, poterit vnum propter aliud velle, quod est agere propter finem; sic de Angelis multoties legitur in sacra Script. aliqua opera patrasse in gratiam alterius, & isthæc inferiora gubernare, quæ actio respicit finem: idem de hominibus, non solùm quando habent expeditum vsum liberatis, vt cum iuxta dictamem rectum rationis possunt agere, verùm etiam quando illum habent impeditum, vt sunt dormientes, pueri, & amentes, videmus enim tales aliquas operationes exercere in gratiam alterius, quia licèt non aduertant honestatem obiecti in materia morali, apprehendunt tamen delectabilitatem, vel apparentem, vel veram, & conuenientiam vnius rei cum alia, ex quo motiuo exeunt in operationem; at si omni prorsus vsu libertatis essent expertes, vt tenent quamplurimi ex Thomistis, tunc idem esset de illis dicendum, ac de agentibus naturalibus.

De agente naturali fine aliqua cognitione fuit Opinio quorundam veterum Philosoph. asserentium, casu omnia agere, vel propter diuersitatem materiæ sic, vel sic agere, contra quos arguit Arist. & eorum soluit rationes, vt vidimus in expositione textus 2. Phys. cap. 6. & 7. idcircò cum communi asserimus, ista agentia propter finem agere, quæ tamen sententia aliqua indiget expositione.

205 Dicimus igitur, agentia naturalia incheatiuè agere propter finem, si in seipsis spectentur, itaut suo modo naturaliter quo ad appetitum naturalem moueantur à fine, cuius gratia operantur, vt completè verò propter finem dicantur agere, non sufficit, quòd præcisè actiones egrediantur ab ipsis in proprios fines propensis, sed ab eis vt immediatè substant directioni, & intentioni superioris agentis; ita Doctor in 2. dist. 1. q. 4. ad 2. princ. & dist. 2. q. 2. R. & 4. d. 1. q. 1. Aa & quol. 18. D. probantur, & explicantur singula; & primò quod aliquo modo propter finem operentur, præter rationes, quas adduximus ex Arist. in expos. text. cit. posset adhuc probari, Tum quia appetitus naturalis, vt proprio pondere feratur in suum obiectum, nullam prærequirit cognitionem sui obiecti, vt monet Doctor 1. d. 1. q. 5. in respons. ad vlt. q. & arg. pro ea, sed sufficit habitualis directio, quod scilicet à Deo in primæua constitutione fuerit in proprium finem directus, & propensus, mediaque ad illum consequendum ab eodem receperit, hinc si per impossibile Deus sineret causas secundas se solis agere, adhuc grauia deorsum, leuia sursum tenderent ex propria, & innata natura in talem finem propensa. Tum quia si dicamus, agens naturale eò præcisè propter finem operari, quia eius finis, in quem tendit, amatur à primo agente secum concurrente, certè hoc esset affirmare, primam causam agere propter finem non agens naturale. Quare agens naturale verè mouetur naturaliter à proprio fine, in quem determinatè tendit, ipsum naturaliter amat, & appetit, sicut agens liberum trahitur proprio fine, cum hoc tamen discrimine, quòd motio in libero est propriè metaphorica, ac moralis, quia in eo fit cum præcognitione obiecti amabilis modo libero, & interueniente libera elicitione actus secundi, qui est actus amoris, at motio in agente naturali non propriè dicitur metaphorica, & moralis, quia non fit præuia cognitione in ipso agente, neque per aliquem actum elicitum, quia ille amor naturalis est tantum inclinatio naturalia agentis in propriũ finem, vt Scot. docet 4. d. 49. q. 10. A. Sed est motio, quatenus naturali quodam pondere semper trahitur in proprium finem, & dicitur metaphorica, quia fit à fine per modum boni amabilis amore naturali, vnde quod facit finis in apprehensione, & amore elicito agentis à proposito, hoc facit in inclinatione agentis naturalis, in quo nullum esse obiectiuum habet, sed tantum in Deo dirigente: & sicut esse obiectiuum finis in mente agentis à proposito se habet vt conditio ad finaliter causandum, vt diximus supra, ita proportionate se habet esse finis in naturali inclinatione agentis naturalis, quia nisi agens naturale inclinaretur ad finem tanquam sibi bonum, nunquam ad illius consecutionem moueretur, & ita nunquam finis finalizaret: & tandem sicut in agente à proposito finis mouet secundum esse possibile, quod habet in apprehensione, ita in agente naturali mouet secundum esse, quod habet possibile in inclinatione, & propensione naturalis agentis.

206 Hac etiam ratione non dicitur se solo completè propter finem agere, sed potius tendere in finem, quia ad agendum completè propter finem requiritur, vt finis bonitas apprehendatur, & conuenientia mediorum ad finem, in quem dirigantur, & ordinentur, quod potentiam exigit cognoscitiuam; completur igitur à prima causa dirigente, & ordinante, cui immediatè subditur: & hac distinctione conciliantur multa Doctorum dicta, quæ videntur inter se contrariá.

Tandem de brutis, supposito ex dictis in libr. de An. quòd bruta agunt quidem non per rationem, & discursum, neque ex naturali determinatione absque cognitione, vt lapis sed naturali instinctu, qui est actus phantasiæ, aut sensus interni, quo quasi practicè indicat bruto, hoc esse sibi appetendum, vel fugiendum, quamuis non valeat rationem conuenientiæ, vel disconuenientiæ discernere; hòc autem naturali iudicio posito, appetitus etiam naturaliter illud sequitur ita colligitur ex Scot. 1. d. 3. q. 2. F. & ex Lichet. ibidem, dum naturalem instinctum assignat Doctor pro ratione cur ouis ad lupi intuitum fugiat.

Dicendum est cum communi, bruta, vt tendunt in obiectum aliqua sensatione præcognitum, operari propter finem ex seipsis saltim materialiter, formaliter verò, vt subsunt directioni primæ causæ, ita colligitur ex Scot. 1. dist. 1. qu. 5. respondendo ad penult. quæst, & 4. dist. 45. q. 3. D. & E. probatur, & explicatur simul, quia verè feruntur in obiectum aliqua sensatione præcognitum sub ratione boni, & conuenientis naturæ, & vt tale obiectum ab ipsis appetitum consequantur, determinata media appetunt, & quærunt tanta industria, vt quasi videantur ratione pollere. Attamen quia per cognitionem sensitiuam non attingunt formaliter rationem finis, & medij, quia non possunt vnum cum alio conferre, neque discernunt inter obiectum conueniens propter se, vel propter aliud, nam ad hoc requiritur perfectior cognitio, hinc non dicuntur formaliter propter finem agere, sed materialiter; vt verò directioni superioris causæ subsunt, cognoscentis finem, & media, possent dici formaliter agere. Tum quia si agentia absque cognitione dicuntur agere propter finem, multò magis bruta, in quibus finis habet esse aliquo modo obiectiuum, quia appetitus sensitiuus non fertur in obiectum nullo modo præcognitum, & consequenter mouetur appetitus non solùm amore naturali, verùm etiam elicito, vnde potest meliùs saluari causalitas finis, seu modo metaphorico in brutis, quam in non sensitiuis.

207 Solùm posset dubitari, quomodo bruta tendunt in finem omninò incognitum; etenim formica hoc anno producta adhuc triticum congregat, vt hyemali tempore se possit conseruare, hirundo nidum fabricat, quamuis nunquam pepererit, & similia exempla habentur apud naturalium rerum scrutatores, & tamen nec formica cognitionem habuit de transigendo hyeme, nec hirundo de pullis alendis. Resp. tamen, bruta duos fines habere proximos, & remotos, proximos agnoscunt, & vt conuenientes apprehendunt, & per consequens appetunt, sic se habet collectio tritici in formica, & palearum in hirundine remotos appetunt solùm appetitu naturali, non cognoscunt diriguntur tamen à prima causa; quare propter istos fines dicuntur agere eo modo, quo agentia naturalia in finem tendere diximus supra. Quod diximus de brutis, vt sensitiua sunt; affirmandum erit etiam de homine, quatenus potentijs sensitiuis operatur, immo vt etiam intellectiua potentia est præditus, sed inquantum actiones illæ præcedunt voluntatis actum, vt sic enim se habent agentia naturalia.

ARTICVLVS VII.

Enumerantur effectus finalis causæ.

208 ADuertendum, vt colligitur ex Scoto q. 4. Prol. E. & 1. d. 1. q. 3. quod actus finem respicientes sunt diuersi, quidam enim directè respiciunt finem, vel absolutè, & secundum se, vt amor, & simplex complacentia finis, vel vt obtinendum, vt est intentio, & desiderium; alij versantur circa media, etsi ratione finis, talis est electio, consultatio mediorum, vsus, & applicatio eorundem, qui sæpè est actus alterius potentiæ imperatus tamen à voluntate; alij tandem versantur circa finem iam adeptum, & possessum, vt gaudium, delectatio, &c. adsunt etiam effectus externi resultantes ex actionibus agentis, vt domus, medicina, &c. quorum aliqua possunt adhuc dupliciter considerari, vel vt ab agente aliquo casu prouenunt, & per accidens, & in hoc sensu de illis non loquimur, clarum enim est, à fine non causari, quia tunc non per accidens, sed per se fierent; secundò vt sunt effectus causæ physicæ per se, & ex intentione finis operantur, & hoc modo de illis loquimur, & quærimus, an omnes illi enumerati actus possint dici effectus finalis causæ. De quibus certum est, actus circa media versantes, immo & ipsa media causari à fine, quia verè fiunt propter finem ab agente, & ex amore finis procedunt, saltim mediatè, scilicet vt à voluntate à fine mota imperantur, in quo causalitatis finis consistit, finis enim ex dictis supra solum agens immediatè respicit; similiter idem terminus productus, & in execu-

executione positus potest dici effectus sui ipsius in genere causæ finalis, quia agens per se illum producit, & consequenter vt est agens propter; finem solùm igitur remanet difficultas de actibus, qui circa finem versantur ante eius consecutionem, & post eiusdem adeptionem; de quibus aliqui negant, inter quos est Fuentes 2. Phys. q. 7. diff. 4. videtur tamen ferè quæstio nominalis.

200 Dicimus cum communiori, omnes illos actus connumerari posse inter effectus finalis causæ; ita colligitur ex Scot. 1. d. 2. q. 2. N. vbi ait, omne infinibile, idest quod finem pro causa non agnoscit, est incausabile, & è contra, & rationem assignat, quia omnis agens per se, agit propter finem, ergo quia isti actus sunt per se causati in genere causæ efficientis, dicentur quoque effectus finalis causæ; & in 2. d. 40. habet, omnes actus humanos finem respicere; & probari potest, nam agens eliciendo actus tendentes in finem acquirendum, verè agit propter finem, à fine mouetur ad talem actionem, alliciturque, nec temerè, aut casu agit, sed ex instituto, & per se, ergo verè elicito illa erit causalitas finis, finemque actus illi respiciunt, non solum vt terminum, sicut ait Fuentes, sed, vt causam, non enim aliud requiritur ad finaliter causandũ; hinc rectè dicimur amare nos finem propter seipsum, & propter suam bonitatem. Idem dicendum de actibus consequentibus acquisitionem finis, quia verè sunt eliciti à voluntate per se, & causati ab obiecto per se bono, & à ratione proposito inuitante voluntatem, vt in ipso, eiusque possessione quiescat, & gaudeat propter illius bonitatem, quæ dependentia ad genus pertinet finalis causæ.

In oppositum arguitur. Tum quia ex Scot. q. 4. Prol. E. & alibi sæpè cit. art. 3. finis causat in ratione amati, & desiderati, ergo amor, & desiderium præsupponuntur causalitati finis. Tum 2. quia finis est causa mediorum, solum enim est id, cuius gratia aliquid fit, nullus autem ex his actibus verè, ac propriè medium ad finem obtinendum. Tum 3. quia intentio finis non procedit ex alia intentione, nec amor amore, aliter, esset processus in infinitum; at illud est propter finem, quod procedit ex amore, vel intentione finis nam ly *esse propter* dicit ordinem ad finem ex aliquo priori actu ortum. Tum 4. quia ex 1. de Gen. 55. habitibus præsentibus, cessat motus, ergo fine adepto, non est amplius actio, nec causalitas finis. Tum 5. quia ex Scoto 1. d. 1. q. 3. datur actus neuter, qui nec intentio sit finis, nec electio mediorum, & tamen hic actus est humanus, non fit à casu, sed ex instituto, neque erit effectus finis, quia voluntas illo actu præscindit ab omni ratione propter se, quæ est ratio finis solùm in obiectum tendit, vt bonum præcisè, non propter, se aut propter aliud, ergo non quilibet effectus agentis per se debet esse effectus finalis causæ.

210 Resp ad. 1. Sco. ibi non loquit de causalitate finis vniuersaliter sumpta, sed in particulari, de ea, quam habet circa media; vel si loquitur vniuersaliter, non est intelligendum Scoti dictum formaliter, & terminatiuè, quasi quod non causet, nisi terminando amorem, & desiderium agentis erga seipsum, sed principiatiuè in hoc sensu, quòd finis non causet, nisi in ratione allicientis, excitantisque moraliter agens, vt semetipsum physicè moueat ad producendum in se amorem, & desiderium sui. Ad 2. vtique erga media expressiùs intelligitur finis finalizare, quia supponitur finis dilectus, & amatus non solum tamen media, sed quicquid ex propria motione finis præconcepti sub ratione boni propter se diligibilis à fine dicuntur causari. Ad 3. patet ex dictis ad primum, non enim ad causalitatem finis prærequiritur amor, & intentio, nec ly *esse propter* dicit ordinem ad finem amatum, sed ad finem allicientem ad operationem, itaut verè agens in actum exeat propter finem, quod reperitur in elicitione amoris. Ad 4. dictu Arist. non intelligi de omni motu, sed de eo, qui est tendentia ad consequendum finem non iam præsentem: at delectatio non dicitur, per quam voluntas mouetur ad finem, sed potius per quam quiescit, & possidet finem modo quodam vitali, qui est cum actione voluntatis. Ad 5. dicimus, actum illum esse aliqualiter propter finem non formalem, sed virtualem, quia voluntas vult obiectum præsentatum sub ratione boni præcisè propter bonitatem finis disiunctim, scilicet vel in illo obiecto existententem, vel in alio, ad quod ordinatur, & hæc virtualis tendentia in finem sufficit, vt actus ille humanus dicatur, & non temerè, nec à casu productus, sed à proposito, vt fusius in lib. de Anim. disput. 7. cit.

QVÆSTIO IX.

De causis per accidens.

211 POst tractatum de causis per se disputat Arist. de causis per accidens, scilicet de casu, & fortuna, sic nos Philosophi vestigia sectantes, post disputationes de causis per se, hanc subiungimus quæstionem de causis per accidens, casu, & fortuna, & quoniam monstra videntur esse effectus casu, vel fortunæ, & fatum opponitur casui, & fortunæ, idcirco aliqua de monstris, & de fato dicemus.

ARTICVLVS VI.

De casu, & fortuna.

SCotus quol. vt. differè agit de fortuna, P. Faber de præd. disp. 57. cap. 5. & nuper eruditè, & fusè Pater Sgemma 2. Phys. digress. 17. ideò breuiter aliqua tangemus. Nomine fortunæ intelligunt omnes causas eorum effectuum agentis liberi, quorum determinatam causam nescimus assignare, cum rarò eueniant, & præter intentionem agentis, quod patet experientia, multa enim accidunt non præuisa; nec intenta ab agente; vnde quidam Antiqui de medio tollebant fortunam: quam aliqui dixerunt esse Deam quandam rebus humanis præsidentem, easque cui libuerit, sine ratione distribuentem: alij esse causam aliquam per se, sed occultam, à qua effectus, quos fortuitos appellamus, prouenium: alij apud Plutarchum in opusc. de Rep. Stoic. dixerunt, esse causam quandam per vniuersum diffusam, voluntatem humanam in vnam partem inclinantem, cum est anceps. Tandem Arist. in lib. de bona fort. vt explicat Doct. ci. ait, esse impetum quendam à natura prouenientem, quo aliquis absq. vlla ratione mouetur ad agendum aliquid, quod sibi in bonum vertitur, est bona fortuna, quia scilicet hac occasione aliquid bonum acquirit, vel euitat malum; qui impetus, ait Doctor, non est in anima, quia secundum Aristot. ibidem, vbi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna, & tamen si ab anima, vel in ipsa esset, oppositum eueniret, quia quo anima nobilior esset, eo perfectiorem impetum haberet; erit igitur in corpore scilicet dispositio quædam consequens complexionem determinatam, qua anima, & si ignobilior, qualis est illa insipientis, melius agit, quia nobilius habet impellens, sicut nauis malè regibilis melius frequenter nauigat, non ex se ipsa, sed propter perfectiorem gubernatorem, quam opinionem fusè tradit, & tuetur Bonet. 3. lib. suæ Phys. c. 1.

212 Dicimus tum, fortunam non esse aliquam peculiarem causam per se institutam ad talem effectum, sed esse causam à proposito creatam, quatenus per accidens, & præter intentionem cum effectu per se institutam ad talem effectum, sed esse causam efficientem à proposito creatam, quatenus per accidens, & præter intentionem cum effectu per se illius coniungitur alter effectus rarò, & non intentus; quæ causa definitur ab Aristo. 2. Phys. 52. quod sit *causa secundum accidens in his, quæ secundum electionem eorum, quæ propter aliquid sunt.* Ita Doctor quol. citat. & primò, quod non sit aliqua causa determinata probatur, nam præcipuè in homine, cum effectus fortuiti à voluntate dependeant, non potest dari aliqua causa per se impellens voluntatem. Tum quia multitudo Deorum est inanis, & repugnans, vt Teologi omnes fatentur. Tum quia si esset aliqua naturalis causa, puta impulsus ille, tunc effectus fortuiti non rarò, sed semper euenirent, & quia semel benè fortunatus, semper talis esset, & de fortuna in hoc sensu locuti sunt Patres, quando fortunæ nomen damnarunt, est igitur *Causa* (vt definitionem Arist. explicemus) quia fortuna quandoque accipitur pro effectu fortuito, vt patet ex 2. Phys. 55. & accepit Boet. 5. de consol. prof. 1. at in præsẽti de fortuna vt causa est sermo. Dicitur *secundum accidens*, quia non est causa per se; sed per accidens non quidem ex parte causæ, sed ex parte effectus, vt diximus in expositione textus 2. Physicor. capit. 4. quæ dicitur illa, cuius effectui per se, alter non habens necessariam connexionem coniungitur, & consequenter, quòd iste effectus neque semper, neque vt plurimum eueniat, sed rarò, neque ab agente intentus. Additur *inhis, quæ secundum electionem*, quia fortuna in hoc differt à casu, quod illa est in agentibus à proposito, iste verò in agentibus naturalibus, vt notauimus cum Aristo. super text. citat. Tandem dicitur *eorum, quæ propter aliquid sunt*, non quod effectus fortuitus sit ab agente intentus, sed quia semper est cum alio coniunctus per se intento ab agente.

Ex quibus colligitur 1. quod fortuna, si formaliter sumatur dicit habitudinem causæ ad effectus præter necessitatem, & intentionem euenientem, si fundamentaliter, non est aliqua causa per se distincta ab intellectu, & voluntate, sicut casus non est alia entitas distincta ab entitate agentis naturalis, quod enim dicimus de fortuna, intelligitur etiam dictum de casu, quia in omnibus conueniunt præter in hoc, quod fortuna est in agentibus à proposito, & per electionem, casus in agentibus naturalibus.

213 Colligitur 2. effectum fortuitum illum esse, qui per accidens, & præter agentis intellectualis intentionem coniungitur effectui eius per se intento, vel saltim loco illius euenit, vt si quis fodiens terram, & aquæ intentionem intendens, cum aqua, vel loco illius inuenit thesaurum: vnde duo, & ad summum tria sunt de illius ratione, primum, vt rarò eueniat, scilicet præter, semper, & frequenter, facta tamen suppositione causæ, vt notat Doct. 1. d. 2. q. 7. S. sæpè enim est rarus effectus, quia rarò ponitur causa, quamquam illa posita, semper, vel frequenter sequatur effectus; secundum, quod eueniat præter agentis intentum; Tertium, quod tale agens sit intellectuale; nam si esset irrationale, diceretur effectus casualis: hinc si aliquis effectus non esset per se intentus ab agente, haberet tamen necessariam connexionem cum effectu per se intento, non diceretur fortuitus, vt cum quis extendit manum in aquam ad capiendum piscem, non intendens madefactionem, madefactio non esset à fortuna; & si effectus intenderetur, quamuis non haberet necessariam connexionem, neque esset fortuitus, vt cum lusor ex ludo percipit lucrum, quem intendit, quamuis rarò, & absque necessaria connexione illi eueniat.

Colligitur 3. effectus ad vtrumlibet, scilicet qui fiunt ab aliqua potentia, quæ est indeterminata ad operandum, & non operandum, vel ad oppositos actus efficiendos, vt sunt omnes actiones à nostra voluntate pendentes, non esse propriè fortuitos, contra Auic. 1. suffic. c. 13. & alios oppositum afferentes, ratio est, quia effectus fortuitus debet esse coniunctus per accidens cum aliquo effectu per se, fitq. semper præter intentionem agentis, quæ effectui ad vtrumlibet non conueniunt, ambulatio enim, quamuis possi non produci à potentia motiua imperata à voluntate, si non imperaretur, attamen & inteditur à voluntate, & nulli effectui per se coniungitur contingenter, & rarò extra semper, & frequenter. Tum quia vel ambulatio confertur cum potentia motiua determinata à voluntate, & vt sic non erit fortuita, quia prouenit semper, vel frequenter, vt etiam fatetur Auic. vel cum potentia motiua, vt ab omni determinatione voluntatis præscindit, quomodo non est causa ambulationis proximè, & si hac ratione fortuita, tunc omnis effectus ad vtrumlibet, & causæ indeterminatæ essent fortuiti, vnde omnes generationes essent casuales; quia materia ex se indifferens est ad omnes formas, quod est falsum.

214 Colligitur 4. quod in quolibet effectu per accidens non solum datur causa per accidens, verum etiam causa per se, quia omnis effectus debet haberet aliquam per se causam, à qua dependeat; v. g. voluntas est per se causa fossionis, per accidens verò inuentionis thesauri, & ideò ad inuentionem non satis est fossio, vel causa fossionis, sed requiritur, vt aliquis absconderit ibi thesaurum, ex quibus fit vna causa totalis, & adæquata inuentionis thesauri; tamen si inuentio conferatur cum vtraque causa, à quibus fit simul vnitis, non est fortuita, quia illæ causæ simul vnitæ vt sic aptæ sunt efficere talem effectum semper, solum dicetur fortuita, quatenus concursus illarum causarum est fortuitus, & per accidens; at si conferatur cum alterutra illarum causarum, sic dicetur fortuita, quia per accidens vnitur effectu per se, & præter intentum fodientis terram.

Colligitur 5. quod quamuis fortuna in omni genere causæ videatur reperiri, vt tenet Iauel. 2. Phys. q 26. scilicet in causa materiali, si materia apta non fit ad effectum, vt si pannus est corrosus, in causa formali, vt pictor ille, qui proijciens indignatione motus pennicillum in imaginem equi, depinxit spumam ex ore cadentem, & in fine, vt cum intendens vnum finem, alium obtinet; verum propriè loquendo, fortuna ad efficiens reduci debet, vt habet Arist. 2. Phys. 67. ratio quia fortuna est in agente à proposito, & propter finem operante, cui fini intento alter non intentus venitur, respectu cuius dicitur causa per accidens, sed talis causa est efficiens, vt patet; videtur autem in alijs generibus reperiri, quatenus coniunguntur cum agente ad causandum, vnde esse corrosum, spuma depicta, & finis obtentus præter inuentionem dicuntur effectus fortuiti non respectu panni, aut figuræ, sed respectu agentis.

215 Colligitur 6. respectu Dei nullum esse propriè effectum fortuitum, quia omnia præuidet, & nihil potest euenire præter ordinationem, vel permissionem Dei, quamuis enim peccata per eueniant præter intentionem Dei, qua ratione Deus causa per accidens dicitur peccati, propriè tamen peccatum non debit dici fortuitum respectu Dei, quia etsi inuoluntarium sit ipsi Deo, non tamen est incognitum, quod requiritur ad rationem fortuiti effectus propriam. Dantur tamen effectus fortuiti, vel casuales tam respectu Angelorum, corporum cælestium, & hominum à proposito agentium, quia virtus inferior non est ita vniuersalis, & potens, vt virtus diuina, ideoque poterit euenire aliquis effectus fortuitus respectu illius, si scilicet propter inspositionem materiæ, vel influxus alterius causæ impediantur agentis ista à sua causatione. Verum est tamen, quod pauca eueniunt fortuito per comparationem ad Angelos, & viros prudentes, quam ad insipientes, quia prudentes vt plurimum præuident, quid sint operaturi, quidq. ex ea operatione sequi possit, turpe enim est viro prudenti dicere, *Non putaram*; & hoc est, quod ait Arist. in lib. de bon. for. c. 1. vbi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna; vnde à puero, & amente abest omnis fortuna, quia non agunt à proposito, & propter finem, sed potius in agendo assimilantur agenti naturali, quamuis enim non careant actu primo intellectus, carent actu secundo expedito, & aduertentia rationis in materia morali.

Tandem deducitur ex Scoto cit. fortunam esse duplicem, bonam, & malam, bona, si bonus euenit effectus, mala, si malus, quod adhuc dupliciter potest esse, vno modo in propriè, si effectus non est in nostra potestate, vt quod aliquis sit nobilis, vel ignobilis, natus ex diuite, vel paupere, secundò propriè, si euentus est in nostra potestate, non per se, & primariò, quia non euenit ex intentione, sed per accidens, & quasi secundariò, quia est annexus effectui per se intento, & qui per se est in nostra potestate: si fortuna est bona, dicitur homo benè fortunatus, si mala, malè fortunatus, ad quod requiritur, loquitur Doctor, vt non semel, aut semper benè, vel malè eueniat, sed vt in plurimum non semel, quia vna hirundo ver non facit, ex 1. Eth. c. 9. non verò semper, quia hoc non esset sine miraculo, cum enim causæ contingenter simul concurrant, nec sint in nostra potestate, non videtur naturaliter contingere posse, quòd semper cum effectu per se intento sit alius fortuitus bonus, vel malus, sed aliquando variabitur fortuna; sufficit igitur, vt euentus fortuiti boni, vel mali vt plurimum eueniant.

216 In oppositum arguitur 1. quod non dentur effectus fortuiti, vel casuales, nec casu, vel fortuna. Tum quia omnis effectus per accidens reducitur ad causam per se, ergo illi effectus per accidens reducentur ad causam per se, ergo non erunt fortuiti, cum habeant per se causam. Tũ 2. quia effectus fortuitus est ens verũ, per se, ac determinatum, ergo non potest esse à fortuna, quæ est causa indeterminata, non vera. Tum 3. quia omnis actio est ad aliquem finem, nulla fortuita est ad aliquem finem, ergo non datur. Tum 4. sicut opinio nostra non facit ad esse rei, vel non esse, neq. intentio nostra aliquid conferre potest ad esse per se, vel per accidens ipsius effectus, ergo non facit effectum fotruitum. Tum 5. quia inuentio thesauri, quæ maximè dici solet fortuita, habet determinatam causam, scilicet fossionem, ergo non erit fortuita, cum effectus fortuitus non sit à determinata causa. Tum 6. quia omnia à Deo præuidentur, & disponuntur, ergo nullus effectus erit fortuitus, quia necessario eueniet; & si respectu Dei non datur effectus fortuitus, non videtur dari posse respectu agentis particularis.

Resp. ad 1. ex Scot. 2. d. 25. R. quod illa propositio, omnis causa per accidens reducitur ad causam per se priorem, intelligitur, vel quod reducitur ad seipsam, vt est causa per se respectu alterius effectus, sic fodiens terram est causa per accidens inuentionis thesauri, sed est causa per se inuentionis aquæ vel reducitur ad causam per se priorem origine, vel perfectione, vt est Deus. Ad 2. antecedens est verum quoad entitatem, non quo ad causalitatem, & intentionem agentis, vnde thesaurus inuentus potest habere innumerabiles causas per accidens, scilicet vel quia fodiens intendit inuenire aquam, vel lapidem, vel lignum &c. Ad 3. maior est vera de actione causæ per se, & de fine mouente agens ad operandum, non tamen de actione causæ per accidens, quæ licet non habeat finem vt causam, & vt est id, cuius gratia, habet finem in ratione terminantis actionem; quamuis non intendatur. Ad 4. quamuis opinio, & intentio nostra non varient effectum quo ad entitatem, variant tamen id, quod res habet ex parte agentis patet enim quod ex intẽtione agentis potest effectus dici laude vel vituperio dignus, ita ex eiusdem intentione dici poterit per se, vel per accidens, voluntarius, seu intentus, vel fortuitus. Ad 5. effectus fortuitus non dicitur esse à causa in determinata, quia quando fit, nullam habeat certam causam, sed quia ex natura sua non petit esse ab illa causa, sed poterat esse ab innumeris causis, & per accidens est, quod illæ causæ simul concurrant, vt diximus ad 2. & in quarto corrollario. Ad 6. Deus ita ordinat causas, vt sinat motus suos agere, quapropter verè per accidens illæ causæ inter se coniunguntur, quia contingenter, non necessario, concursus enim Dei, & determinatio diuina non tollit contingentiam rebus, vt communiter docent Theologi, neq. ex hoc, quod non datur effectus fortuitus ex parte Dei, sequitur, neq. dari ex parte creaturæ, quia quod intenditur ab vno, potest non esse intentum ab alio; est vulgatum exemplum de Domino, qui duos seruos mittat ad loca diuersa, sed vt sibi in medio itineris occurrant, nescientes tamen hanc Domini intentionem, occursus iste respectu seruorum est fortuitus, quia præter intentionem vtriusque, sed respectu Domini est effectus per se, quia b eo præuisus, & intentus.

217 Secundò arguitur contra definitionem fortunæ. Tum quia Arist. pluries in moralibus fortunã Deam quandam appellat, vel impulsum quendam, quo homo ad benè, vel malè agendum impellitur. Tum 2. quia sine aliqua ratione mouetur vnus ad actionem aliquam efficiendam, ex qua euentus sequitur bonus, non mouetur alter, ergo hoc prouenit ab occulto aliquo impulsu. Tum 3. quia ad effectum fortuitum non requiritur hoc, quod est, non intendi, nam Arist. 2. Phys. 40. formans rationem veterum negantium fortunam, ait, *vt veniendi k fortuna in forum, & reperiendi quem volebat quidam, non autem putabat, causa est velle, cum venerit emere*, ergo si volebat inuenire, illa inuentio intendebatur à fortuna. Tum 4. eclypsis rarò euenit, & tamen non est fortuita. Tum 5. quis ludendo intendat vincere, & vincat, talis effectus est fortuitus, nec tamen præter intentionem. Tum 6. quia si operatio fiat vt plurimum, etsi illi coniungatur per accidens aliquis effectus, vt si quis frequenter venit in forum, si aliquando præter intentum recipiat pecuniam, talis receptio non est fortuita ex 2. Phys. 51. ergo aliquid aliud requiritur ad rationem fortunæ. Tandem quia vt aliquis benè fortunatus dicatur, ex dictis requiritur, vt non semel, sed vt plurimum bonus effectus eueniat, non solum in vniuersali, inquit Doctor, verum etiam in particulari, scilicet in eadem specifica actione, qualis est militia, mercantura &c. ergo non est necesse, quod effectus fortuitus rarò eueniat.

Resp. ad 1. Arist. in moralibus variè esse locutum, & potius secundum vulgi opinionem. Ad 2. non moueri ex impetu, sed potius ex sua libertate, & ex diuina dispositione, vt dicitur in tract. de concursu Dei, & de radice libertatis. Ad 3. solum sequitur, effectus fortuitos esse in illis rebus, quæ appeti possunt, & eligi, itaut ly *volebat* non intelligitur de volitione actuali, sed habituali, quatenus si præuidisset, voluisset effectum illum. Ad 4. eclypsi rarò euenit, quia rarò ponitur causa, cum qua necessariam habet connexionem, non verò rarò euenit, quia rarò coniungitur cum effectu per se, quod requiritur ad effectum fortuitum. Ad 5. lucrum illud simpliciter non esse fortuitum, quia intentum, sed secundum quid, respectu scilicet actionis; quæ ex natura sua non est ad talem effectum ordinata, & rarò lucrum cum ipsa coniungitur. Ad 7. quando actio rarò fit, & cum ipsa rarò fit annexus effectus per accidens, maximè iste effectus fortuitus diceretur, at si actio vt plurimum fieret dummodo rarò effectus eueniat, adhuc

adhuc esset fortuitus. Arist. verò loquitur, quando actio frequenter fit, & frequenter cum effectu coniungitur. Ad 7. dicimus, ad rationem fortunæ sufficere, quod actio ex sua natura non necessario, nec vt in plurimum cum effectu fortuito vniatur, quod verò respectu alicuius personæ effectus ille sæpè contingat, non tollit rationem fortunæ, quia hoc etiam rarò euenit, vnde raritas ista, scilicet vnionis vt in plurimum victoriæ cum milite effectus esset fortunæ.

218 Tertiò instatur, quod fortuna fundamentaliter non sit intellectus, & voluntas; & Tum quia Arist. supra citat. ait, vbi plurimum de intellectu, ibi minimum de fortuna, & vice versa, ergo fortuna non est intellectus. Tum 2. quia fortuna est causa indeterminata, intellectus, & voluntas sunt causæ determinatæ. Tum 3. intellectus est prior fortuna 2. Phys. 67. ergo non est fortuna. Tum 4. quia Arist. in lib. de bona fortuna ait, fortunam esse sine ratione naturam, vndæ cæca, fallax, inconstans dicitur. Tum 5. intellectus cum voluntate non est causa adæquata inuentionis thesauri, ergo fortuna fundamentaliter aliquid aliud erit.

Resp. ad 1. non loqui Arist. de intellectu in actu primo, quo modo re vera est fortuna, sed de intellectu in actu secundo. Ad 2. voluntas est causa determinata, vt respicit effectum per se, non in ordine ad effectum per accidens. Ad 3. fortuna formaliter sumpta est posterior intellectu, quia dicit relationem; vel loquitur de primo intellectu, & vniuersali natura, qualis est Deus, qui causa vniuersi dicitur. Ad 4. loquitur secundum vulgatam opinionem, quod sit impulsus quidam. Ad 5. concedimus; intellectum cum voluntate non esse causam adæquatam effectus fortuiti, quia nec fortuna talis est, concurrit enim simul alia causa per se, quæ tamen non est fortuna.

ARTICVLVS II.

An monstra intendantur à natura.

219 Monstrum definitur ab Arist. 2. Phys. 82. quod sit *Peccatum illius, quod propter aliquid agit*, & 4. de Gen. An. cap. 4. est *Oblaso rei præter naturam eius in ijs, quæ non semper, sed vt plurimum agunt*: ex quibus definitionibus à Doctoribus vna completa colligitur; scilicet quod sit *effectus naturalis à recta, & solita dispositione secundum speciem notabiliter degenerans ob aliquid impedimentū*. Dicitur *effectus naturalis* loco generis, & ad differentiam artefactorum, in quibus propriè monstra non sunt, sed errores: dicitur *degenerans à recta, & solita dispositione*, quia monstrum vt monstrum deficit à conditionibus requisitis ad res naturales ex vi generationis, vnde formaliter in defectu, seu priuatione debitæ perfectionis consistit, & hoc significat ly *secundum speciem*, non quod monstrum necessariò alterius debeat esse speciei, sed quod conditio deficiens sit debita ex vi generationis illi specificæ naturæ, vt si homo quatuor manus habens nasceretur; additur *notabiliter*, quia si paruus esset defectus, non causaret admirationem, nec rarò euenieret; tandem dicitur *ob aliquod impedimentum*, quia ad monstrum duæ causæ concurrunt, vna impedita, quæ est virtus alicuius causæ perfectæ, & completæ, altera impediens, ne illa suum consequatur effectum in statu perfecto. Talis autem causa potest esse inultiplex, sicut ex multiplici capite prouenire potest impedimentum; 1. ex parte materiæ, si excedat, vel deficiat; ex 2. parte efficientis, siue principalis, vt est virtus formatiua fœtus, sine instrumentalis, vt calor, vel alia qualitas; 3. ex parte loci, seu matricis, aut membranæ, qua tegitur fœtus, si scilicet scindatur, & semina, quæ loco distabant, misceantur, vnde varia monstra ex varia seminum confusione oriantur, de quo Scotus in 4. d. 6. q. 2. F. 4. potest esse ex timore matris, vehementi desiderio, & imaginatione, vnde filij signati aliquoties procreantur; 5. ex aspectu, & influentia Cœlorum secundum Alb. & Niphum, eo quia certis effectibus certa quoque constellatio requiritur, quæ si desit, & alia opposita adsit, monstrum generatur, vnde propriè monstra in animalibus dantur, minus propriè in plantis; impropriè in cœteris, quia pauciora requirunt; de quibus causis fusè agit Ant. Rocc. 2. Phys. q. vlt. vbi multa curiositati satisfacentia declarat. Monstrum igitur potest considerari vel secundum naturam specificam præcisè, vel secundum id quo fundat priuationem conformitatis ad rectitudinem, debitam ex vi generationis illi speciei, quod potest esse quid positiuum, vt si homo biceps oriretur, vel quid negatiuum, si esset absque manu carentia enim manus fundaret aliam priuationem conformitatis ad rectitudinem, & formam debitam humanæ naturæ, in qua priuatione fundata consistit formalitas monstruositatis, vt in in simili diximus disp. 4. q. 1. ar. 2. de peccato: quæstio est, an monstrum dicatur casualis effectus, an verò effectus per se intentus à natura.

220 Prima Opinio ait, esse causalem effectum ita Them. 2. Phys. text. 64. Burl. tex. 82. Tat. q. vlt. dub. 3. Sghem. digress. 19. q. 1. Alij negant, vt Simpl. 2. Phys. 64. Niphus text. 83. Alij distinguunt, monstrum intendi quidem à causa impediente, non, tamen à causa impedita, respectu illius erit effectus per se, respectu istius effectus per accidens, & casualis, ita Tol. 2. Phys. q. 13. Alij, vt Conimbr. c. 9. q. 6. art. 1. non intendi aiunt à causa impediente, vel impedita seorsim sumptis, sed simul vnitis; Alij, quod intendatur à causis vniuersalibus, non verò à particulari causa, ita Suar. disp. 19. Met. sect. 12. n. 4. Masius 2. Phys. disputat. vlt. sect. 1. quæst. vlt. per causas vniuersales intelligunt vel Deū ipsum, vel cœlestia corpora, vel concursum omnium causarum, per particularem verò aliquod ens, determinatum. Tandem Ruuius 2. Phys. cap. 9. quæst. vlt. monstrum intendi etiam à causa particulari, secundaria, non primaria intentione.

Hæc tamen difficultas faciliter potest solui; nam certum est, à Deo vt causa vniuersali monstra pèr se intendi, quia vt diximus, respectu ipsius nullus datur effectus fortuitus. Similiter si sumantur simul causa impedita, & impediens, tunc monstrum per se produci dicetur, quia habet causam certam, & determinatam, sicut si fossio terræ, & depositio thesauri in illo toco simul vniantur, inuentio thesauri fortuita non erit ex dictis supra: attamen si de causis particularibus seorsum sumptis loquamur, non erit monstrum per se intentum neque primaria, neq. secundaria intentione, itaut à ratione casualis, vel fortuiti effectus excludatur, quod potest probari, nam effectus per accidens est, qui rarò euenit, & causis per accidens coniunctis itaut per se non intandatur; monstrum rarò euenit, causæ per accidens vniuntur, ab illis per se non intenditur, quia tunc arguimus effectum aliquem per se intendi à sua causa, quando directè vult illum, si est libera, vel habet potentiam illius productiuam, & in illum influit, si est causa naturalis, modò causa monstri impedita non habet potentiam productiuam ipsius, imò totum oppositum, quia si posset, effectum perfectum produceret, neque causa impediens, quia hæc multoties est quid priuatiuum, vt quando monstrum euenit ex defectu materiæ; tum quia si est quid positiuum, ex se potentiam habet producendi aliquem effectum per se, cui per accidens monstrum coniungitur, vt causa disrumpens membranas, ex qua scissione vnio seminum sequatur, per accidens est quod deinde fœtus generetur cum duplici capite vel ore; item si monstrum ex nimio calore proueniat impediente perfectam formationem prolis, imperfectio prolis per accidens vnitur calori producto, qui est effectus per se proueniens à causa impediente; tum quia nulla causa per se intendit generationem impedire.

221 Nec valet, quod ait Ruuius monstrum à causa impedita intendi non primariò, sed secundariò, quatenus natura, quia non potest effectum ad debitam perfectionem reducere, intendit ad minoré, vnde dicetur per accidens simpliciter, quia non intentum primariò, per se secundum quid, quia secundariò intentum: non valet quia nisi de verbis velimus contendere, nullus erit effectus pure casualis, quia quilibet saltim secundariò intenditur.

Respondet, duplicem esse causam per accidens, vnam, quæ nec per se primo, nec per se secundo influit in effectum, sed est pure per accidens, & effectum purè per accidens causat, vt est percussio à lapide descendente, & lapis ipse descendens, qui nullo modo influit in percussionem, eo quia percussio non habet necessariam connexionem, cum motu deorsum, quem primo lapis intendit, neque ad illum vllo modo pertinet: alia est, quæ per se secundo saltim influit, quia effectus sequens habet connexionem cum eo, quem per se primo intendebat, aut propter imbecillitatem eiusdem causæ per se, aut propter aliam contrariam naturaliter ei coniunctam, talis est causa monstri.

Sed etiam percussio lapidis stante ista doctrina esset effectus non purè casualis, & inuentio thesauri, quod est contra ipsum. Sequela prob. quia si causa illa est per se secundo influens, quia habet aliam causam naturaliter coniunctam, ideò influit in effectum sequentem, iam lapis supposito itinere Petri per illum locum, etiam per se, secundo causabit percussionem, eo vel maxime quia habet potentiam positiuam percutiendi, & causam aliam annexam, scilicet iter Petri; si verò per naturalem connexionem intelligitur quoddam vinculum ex naturis causarum inter ipsas proueniens, quia tale vinculum nec etiā est inter causas monstri, monstrum erit effectus purè casualis. Ex alio igitur cap. dicere possumus, monstrum aliqualiter deficere à ratione completa casualis effectus, quia ex parte causæ impeditæ non habet effectum per se, cui vniatur, nisi loquamur de monstro formaliter sumpto, scilicet de illa negatione: tum quia habet ferè causam certam, & determinatam; idcircò difficultas ista videtur aliquo modo nominalis.

222 Dices, natura agit propter finem, ergo cum causat monstrum, ipsum intendit. Tum 2. natura in generatione monstri, etsi impedita progreditur, non sistit, ergo intendit ipsum, quia generatio habet aliquid pro fine. Tum 3. quia quando vnum alicuius speciei est per se intentum, etiam alterum eiusdem speciei, monstrum est eiusdem speciei cum alijs indiuiduis eiusdem naturæ. Tum 4. quia D. August. 21. de Ciuit. cap. 28. ait, monstra esse non contra naturam, sed contra notam naturam, ergo & si causæ incognitæ, adhuc natura intendit illa.

Resp. ad 1. vt ad tertiam confirm. primi arg. princ. in præc. ar. Ad 2. natura progreditur intendendo finem, quo frustratur in fine actionis, & similitudinem cum figura debita illi speciei ex vi generationis, quia est agens naturale, quod semper agit, nisi totaliter impediatur, nunquam autem nec per se primò, nec per se secundo intendit dissimilitudinem, & monstruositatem. Ad 3. si monstrum est eiusdem speciei cum alijs indiuiduis, sic quia adipiscitur natura similitudinem effectus in specie, & quidditate, vt sic non erit monstrum, neq. effectus casualis, sed solum talis erit ratione deformitatis in figura; at si est alterius speciei, tunc totaliter erit monstrum, & casualis effectus. Ad 4. Aug. solum ait, casuas monstri à nobis non cognosci, non verò quod ab illis intendatur.

ARTI-

ARTICVLVS III.

De Fato.

223 Quoniam ex dictis patet, non omnes effectus fortuitos esse quia multæ secundæ causæ agunt per se, & finem intendunt, nec respectu Dei aliquem dici fortuitum, cum omnia præuideat, & ad omnes effectus concurrat, aliter omnisciens non esset; hinc multi putarunt, omnia ex necessitate fieri, & ex æterna quadam, ac inuariabili ordinatione, quam coordinationem, & collectionem necessariam causarum Fatum appellarunt, hoc est, aliquid quasi inuariabile ordinatum, & constitutum; sunt autem præcipuè tres modi explicandi talem necessitatem, & Fatum.

Primus est quorundam Astrologorum dicentium, omnes effectus in hoc inferiori mundo ineuitabili necessitate fati euenire, quod consistere, aiunt, in efficacia, & vi cœlestium influxuum, non solum quoad effectus naturales producendos, sed etiam quia nostra pendent voluntate, cum actionem directam & immediatam ponant in syderibus respectu nostræ voluntatis ipsam necessitantibus ad agendum; quem errorem secuti sunt præcipuè Priscillianistæ hæretici. Secundus modus est aliorum, qui hunc ordinem causarum sic à diuina voluntate procedere volunt, vt etiam ipsi diuinæ voluntati necessitatem tribuere dicant putantes fortè, Deum ex necessitate naturæ agere ad extra, & absque libertate, itaut non potuerit aliter res condere, & gubernare, quam modo faciat ita multi ex Poetis de Fato locuti sunt, & ex hæreticis Petrus Abailardus, vt refert Alphonsus de Castro verbo *Libertas*. Tertius modus explicandi dictam Fati necessitatem est Caluini, Lutheri, & aliorum veterum hæreticorum, qui necessitatem fati ponunt non in astris, sed à diuina voluntate, volunt enim Deum ita mouere, & applicare secundas causas ad agendum, vt omnes agant necessariò id, ad quod determinantur à Deo, & applicantur ad agendum, & licèt potuerit Deus ab æterno aliter constituere res, & ordinare; posito tamen, quod ita ordinauit, secundum fatalem necessitatem omnes causæ etiam voluntas humana necessariò, & absque libertate agent.

Verùm isti tres modi dicendi manifestum includunt errorem; nam vel tollunt libertatem, & omnipotentiam à Deo, vt facit secundus, vel saltim à nobis omnem auferunt libertatem, quo nihil absurdius, nec alio modo inquit Doctor satis argutè 1. d. 39. §. *Quantum ad primum*, &c. contra istos esset disputandum, quam ipsos tormentis exponere, quousque concedant, quod possibile est, eos non torqueri; vnde si fatum in vno ex istis sensibus sumatur, vitandum est à Catholicis, & hoc asserunt sancti Patres, cum fati nomen tanquam impium abhorreant.

224 In alia igitur acceptione fati nomen vsurpari potest à Catholicis, quatenus dicit dispositionem secundarum causarum in ordine ad suos effectus à diuina prouidentia constitutam; quomodo definitur à Boet. 4. de cons. prof. 4. *Fatum est rebus mobilibus immobilis inhærens dispositio, iuxta quam diuina prouidentia suis quæque nectit ordinibus*; quæ definitio explicatur, nam fatum potest dupliciter sumi, vno modo pro actu diuinæ voluntatis omnia disponente, & ordinante, & hoc modo non differt à diuina prouidentia qua Deus cuncta gubernat, & regit, secundo vt talis ordo est in ipsis causis secundis dispositis, & ordinatis, & hoc modo sumitur in præsenti ideoque rectè dicitur *dispositio inhærens rebus mobilibus, iuxta quam &c.* additur *immobilis*, contra Ægyptios veteres, asserentes, fatum esse mobile, & mutabile, & quibusdam precibus, & sacrificijs posse mutari, quod tamen est falsum, quia tunc Deus non esset immutabilis, quod maximam diceret in ipso imperfectionem; posito igitur ordine causarum secundarum à diuina voluntate constituto necessariò, & infallibiliter euenient effectus omnes, quos ab æterno præuidit secuturos, non enim falli potest diuina scientia; ista tamen necessitas est necessitas effectus, & suppositionis, non necessitas causæ, & simpliciter, quia Deus ita suauiter disponit, vt sinat causas secundas motus suos agere, vnde causa libera adhuc liberè concurrit; quomodo autem cum ista infallibilitate saluetur libertas secundæ causæ, est res perardua, & theologica, illam pertractant. P. Faber cit. art. præced. p. sent. disp. 57. P. Sghemma 2. Phys. digress. 18. & P. Vulpes 1. p. disp. 30. & 2. p. disp. 6. & 7. & omnes Theologi.

Ex dictis deduci potest 2. fatum formaliter esse relationem illam inter causas à Deo ordinatas repertam, fundamentaliter dicere entitates causarum secundarum. 2. quod à fato dependent omnia illa, quæ à causis secundis euenient; quæ tamen à solo Deo producuntur; non subijci fato, quia non respiciunt causas secundas ordinatas, & dispositas à Deo. 3. quod fatum si in ordine ad suum principium spectetur, quod est diuina prouidentia, est vnum, sicut vnica est prouidentia, si vero in ordine ad effectus, vel ad causas ordinatas, & dispositas est multiplex, sicut multiplices sunt, & diuersæ causarum dispositiones. 4. quod fatum, licèt spectet præcipuè ad causam efficientem, potest tamen pertinere etiam ad alia causarum genera, non solùm enim causæ efficientes sunt dispositæ à Deo, verùm etiam materiales, & formales, in quibus propria series, & ordo reperitur. Tandem quod fatum differt à casu, & fortuna, tum quia in alijs causis ab efficiente reperitur, vbi casus, & fortuna sunt solùm in genere efficientis causæ; tum quia fatum intendit per se proprium effectum, eo quia dicit causas vt dispositas à Deo, quo sensu reduplicatiuè respicit effectum, vt infallibiliter secuturum, at casus, vel fortuna respiciunt effectus per accidens, & illos non intendunt, nec præuident; de fato vide pulchra apud Bonet. cit. lib. 3. suæ Physicæ cap. 2.

DISPVTATIO OTTAVA.

De Collatione causarum inter se, cum suis effectibus, & è contra.

1 *Constat ex dictis disp. 5. & disp præc. quatuor esse causarum genera, materialem formalem, efficientem. & finalem; & ad hec quatuor cetera reduci, quæ aliquo modo rationem causæ participare videntur, vniuersaliter enim in compositionem cum his, partes integrantes ad causam materialem reducuntur, vt significat Arist. 2. Phys. 31. forme quocunque modo subiectū efficientes, & denominantes, ad causam formalem, dispositiones ad causam materialem, si præcedunt formam in ratione receptiui, vel ad efficientem, si præcedunt in ratione obstacula remouentis ad forme introductionem; instrumenta, exemplaria, casus, fortuna, & fatū ad causam efficientem, ad quam etiam spectat obiectum, quando concurrit ad actum ratione motiui, vt docet Scot. 1. d. 3. q. 7. ex professo, nam quando concurrit solùm in ratione terminatiui, propriè non habet rationem causæ, vt habet ex verbo respectu hypostaticæ vnionis, & de termino 3. num. 17. terminus enim in ratione termini nil influit in rem terminatam, vt patet ex verbo respectu hypostaticæ vnionis, & de termino cuiuscumque relationis, quare frustra laborant quærentes reducere obiectum ratione terminantis, aut ad genus causæ formalis, quatenus actu terminando specificat illum, & distinguit, quod est munus formæ, aut finalis, quatenus potentia, & actus in illud tendunt, vt in finem. Constat item, solùm in rebus materialibus, & sublunaribus hæc quatuor causarū genera esse connexa, quia effectus spirituales carent materia, & forma, vt notat Doctor 3. distinct. 22. quæst. vn. §. Quantum ad istum &c. & etiam corpora cœlestia in sententia Arist. vt notat 2. d. 14. q. 1. Concedunt etiam omnes præfatam diuisionem non esse immediatam, immediatus enim diuidi poterant causæ in extrinsecas, & intrinsecas aut in realiter influentes in effectum quales sunt efficiens, materia, & forma, & intentionaliter solùm, qualis est finis, aut alio consimili modo, & sine vlla ratione recedit Sghemma a communi 2. Phys. digress. 9. q. 1. dicuntur autem hæc quatuor causarum genera, quia vnamquodque sub se plures continet species, nedum materialiter ex parte rerum, quæ causæ denominantur, quarum aliæ sunt substantiæ, aliæ accidentia sed etiam formaliter ex parte ipsius causalitatis, nam in genere efficientis causæ alia est causalitas primæ causæ alia secundę, in genere finalis alia est causalitas finis vltimi, alia non vltimi & in genere materialis aut formalis cause alia est causalitas materiæ in formam, alia in compositum, alia item causalitas formę in materiam, alia incompositum. Hæc omnia que fusiùs videri possunt apud Fabrum 5. Met. disp. p. & alios Scotistas 2. Phys. à nobis in hac disputatione vt ex dictis consequentia supponuntur, & quædam alia tradere intendimus, quæ nec sunt ita communiter concessa, nec ita clarè deducuntur ex dictis, ad complementum tractatus de Causis.*

QVÆSTIO I.

Vbi conferuntur adinuicem quatuor causarum genera, & causa prima cum secunda.

Conferemus primò causas ipsas adinuicem, & postea cum suis effectibus, sed maximè etiam conferre iuuabit aliqualiter causam primam cum secunda, vt naturam diuinis concursus cum causis secundis præsertim ordinis naturalis insinuemus, quantùm Philosophiæ satis est, & præcipuè explicabimus, quid sit de hoc dicendum in Arist. sententia; hæc enim tractatio ex professo ad Theologum pertinet.

ARTICVLVS I.

Quatuor causarum genera adinuicem varie conferuntur.

2 Primò conferri possunt hæc quatuor causarum genera in ratione communi causæ, & queri potest, an in hac communi ratione omnes, & singulæ conueniant vniuocè, vel analogicè, aut potius æqui-

equiuocè conuenire vniuocè tenet Auersa q.11.de Causis sec.3.lo.de S.Thom.q.10.Phys.art.2.& manca 2.Phys.q.2.dub.2.non vniuocè, sed analogicè tantum tenet Suar.disput.12.sec.3.& ita passim loquuntur alij. Sed consequenter ad dicta potius asserendum est, non dari conceptum vniuocum causæ communem his quatuor generibus, & præsertim quem assignauimus disp.5.q.2.non esse talem, quia ideò communiter admittitur, conceptum assignatum causæ, vt à principio distinguitur esse quatuor causarum generibus communem, quia etiam causam finalem ponunt esse veram causam realem, & physicam, ergo cum nos teneamus, esse metaphoricam tantum, & à causa reali maximè distantem, consequenter asserere debemus, conceptum illum communem causæ, quod sit, quæ verè, & realiter influit esse in effectum, non nisi æquiuocè fini conuenire, finem autem physicè, & realiter in effectum non influere satis probatum est disp.præc.q.8.ar. 5. cum finis causæ quando non existit, signum euidens, causalitatem eius realem, & physicam non esse, sed tantum metaphoricam.

Nec iuuat dicere cum Auersa cit. id probare tantum, finem cum cæteris causis non conuenire vniuocè ex parte rerum, quæ participant rationem, & denominationem causæ, quod est non conuenire materialiter, at formaliter posse conuenire, quia eius causalitas est realis, & realiter exercetur. Nam hoc est quod superius implicare dicebamus, quod actus secundus sit realis, & non actus primus, a quo procedit; quod relatio causalitatis sit realis, & fundamentum non sit reale; quod dependentia effectus ad causam sit realis, & propria per verum, & positiuum influxum causæ in ipsum, & causa sit non ens. Nec hic dici potest, quod de priuatione dici solet in ordine ad generationem, quia priuatio, eo quia est non ens, ideò ponitur ab omnibus habere rationem principij respectu illius, & non causæ, signum euidens, quod ad hoc, vt aliquid fungatur vero munere causæ, debet esse ens reale, & actu existere.

Accedit, quod Recentiores communiter negant, causas intrinsecas habere veram rationem causæ, cum eas non ponant realiter distinctas à communi constituto, vt patet ex dictis disp.5.qu.13.art.2. ergo consequenter non loquuntur, dum conceptum communem causæ fiunt vniuocè conuenire quatuor causarum generibus, nam ex vi illius, effectus ponitur aliud quid à causa etiam in alteritate naturæ, vt patet ex communi omnium explicatione ipsius conceptus causæ, vt distinguitur à principio; quæ verò contra hoc obijci possent, ex dictis de Causa finali facillimè soluuntur.

3 Secundò comparari possunt in modo causandi, & quæri potest, an modi causandi singularum sint ita diuersi, vt coincidere prorsus nequeant; & quidem huiusmodi causæ formaliter inspectæ, & sub ratione causæ præcisè coincidere nullatenus queunt, nam alia, & alia semper est singularum ratio causandi, & alia est causalitas materialis, alia formalis, alia efficiens, alia finalis, vt satis ex superioribus constat. At materialiter inspectæ, nempe pro rebus ipsis causantibus coincidere possunt vt expressè indicaunt Aristo.2.Phys.70.& quidem respectu diuersorum effectuum potest eadem res exercere singula quatuor causarum genera, sic enim anima v.g. est forma corporis, & hominis, est efficiens actionem vitalium, & earundem receptiua, seu materialis causa, est deniq. finis generationis, sicut quæcunq. alia substantialis forma. Arist. verò modo cit. significans, causas posse hoc modo coincidere, materialis non meminit, quia vt notat Scot.1.d.3.q.7.S.loquebatur de materia, quæ est in potentia purè passiua, at sumendo materiâ in ampliori significato, vt se extendit ad quodcunq. subiectum planè negari nequit, quod cum alijs coincidere non possit, vt docet ibi Doctor. Respectu etiam eiusdem effectus possunt coincidere, sed non omnes, sic Deus est Alpha, & Omega, hoc est, principium, & finis omnium, sic eadem anima ex Scoto nunc cit. est causa efficiens, & materialis suarum operationum, sic denique forma est finis, & simul forma materiæ, ex quo patet, efficientem, & finalem, formalem, & finalem, rursus materialem, & efficientem coincidere posse in ordine ad eundem effectum; at non ita formalis, & materialis, quia conditiones exigunt repugnantes, vt nimirum vna sit actus, altera potentia respectu eiusdem; similiter nec efficiens, & formalis, vt discurrenti patebit.

Ad vrgebis, quod Arist. ait 1. Phys.70. finem, & efficientem in idem specie coincidere, non autè numero, & 12. Met.24 formam, & efficiens in vnum numero coniungi. Resp.2.Phys.Arist. loqui de fine cuius gratia, qui efficiens esse non potest, cum sit effectus eius, & loquitur de generatione vniuoca, sicut cum homo hominem generat, ita enim exemplificauit ibi Philosophus ipse, non loquitur autem de fine cui, hic enim bene cum efficiente coincidere potest, vt quando quis ambulat, vt sibi sanitatem acquirat; & 12. Met. solum significare voluit, eandem esse formam rei constitutiuam, & effectiua causa in ordine ad eundem effectum, sed ad diuersos, quo sensu vtique coincidere possunt.

4 Tertiò comparari possunt quoad ordinem prioritatis in causando & quæri solet, cuius causalitatis sit prior; & tunc distinguendum est cum Scot.5.Met.q.1.de ordine intentionis, & executionis, & in priori ordine dicendum cum Doctore ibidem, quod extrinsecæ prius causant, quia enim illæ causant, ideo & intrinsecè causant, non è contra, quæ causalitas indicare solet prioritatem intelligendi saltem cum fundamento in re, extrinsecarum autem prius causat finis, ille enim quia mouet efficientem in ratione amati, ideò agens agit, non è contra, quod iterum docet 1.d.2.q.2.S.ex Auic.6.Met.c.5. in causis verò intrinsecis causalitas formæ est prior, tum, quia propinquior est agenti, & fini, agens namque mediante forma dicitur transmutare materiam; tum quia ideò materia hoc suppositum intrat, & constituit, quia est sub hac forma, non è contra, atq. ita in hoc ordine materia est vltima. At in ordine executionis, & existentiæ, inquit Doctor, quod efficiens primum est, secunda est materia, tertia forma, quæ in suo esse pendet ab efficiente, & materia, & vltima finis, absolutè tamen, ait Doctor, finis dici consueuit prima causa, & causa causarum, quia ipse est causa, cur cœteræ sint causæ, & proprias exerceant causalitates, & ita locutus est Aristot. 2. Phys. 31. & 1. de Part.animal.c.1.

Hic autem notandum est ex Sco. 2.d. 37. qu. vn.V. quod prioritas naturæ, quæ inter causas intercedit in causando adinuicem comparatas, non est prioritas naturæ essendi, quæ includit ea, inter quæ talis ordo intercedit, posse esse sine se inuicem absq. contradictione, prius nimirum sine posteriori iuxta definitionem talis prioritatis ab Arist. assignatam 5. Met. c. 11. non enim prius materia materiat, quàm efficiens efficiat ait Doctor, quasi sine contradictione possit esse materiatum, & non effectum, nec prius finalizat, quam efficiat, quasi finis aliquam habeat causalitatem antecedentem agentis actionem, quia causalitas finis in hoc formalissimè consistit, quod agens aliquid agat propter ipsum, quare nulla motio, vel causalitas eius esse potest ante hoc, quod aliquid fiat ab agente propter ipsum, præfatus igitur ordo prioris, & posterioris seruatus inter causas in causando effectum eundem indicat solam prioritatem intelligendi cum fundamento in re, quatenus causalitas vnius est ratio causalitatis alterius, vt dicebamus; totam hanc doctrinam de ordine causarum prioris, & posterioris ex Scoto loc. citat. transcribit Auersa qu. 26. sect. 6. quem tamen grati animi gratia nec etiam nominat, quod vitium Recentioribus satis est familiare.

5 Quartò comparari solent quoad ordinem prioritatis in perfectione, & dignitate, & quamuis perfectio hæc attendi etiam posset ex ipsa entitate causarum, tamen quia hucusque locuti sumus de causis pro formali, nempe quoad modum causandi, & causalitates earum, & in hoc sensu causas ad inuicem comparamus in hoc articulo, ideò sic eas comparando, dicimus cum Scot. 1. d. 2. qu. 2. R. causas extrinsecas esse intrinsecis digniores, & perfectiores, & ratio est, ait Doctor quia causalitas causæ extrinsecæ dicit perfectionem sine imperfectione, causalitas autem causæ intrinsecæ necessariò requirit imperfectionem annexam, quia causa intrinseca est pars causati, hinc Deo tribuitur vtraq; causalitas extrinseca nulla tamen intrinseca; ex causis intrinsecis verò inter se collatis certissimum est, formam esse perfectiorem materia ex Scoto 2.dist.12.q.1. in fine, nam forma est actus, materia est potentia, & hæc appetit illam vt turpe pulchrum, est etiam perfectior in ordine ad commune constitutum, ex Scoto 3.d.22.q.vn. quia forma est priacipalior pars quidditatis specificè illud constituens, & distinguens, vnde modus causandi formæ, quem exercet tam circa materiam quàm circa compositum, nobilior est causalitate materiæ, quæ & in ordine ad formam, & in ordine ad compositum semper est per modum potentiæ. Ex causis tandem extrinsecis ad inuicem collatis, finis nobiliorem modum causandi exercet, quia mouet agens ad agendum, & actiones agentis ordinantur ad ipsum, ita Scotus 1. d. 2. quæst. 2. S. vbi proindè docet ex Auic. 6. Met. quòd si de qualibet causa esset scientia, illa quæ esset de causa finali, esset nobilissima, quod etiam dixerat 5.Met.q.1.

At quia contra hoc obijci multa solent, nimirum quod forma verè in suo esse causatur à materia, & non è contra, & quod finis metaphoricè tantum causat, & non realiter, vt efficiens, & quod finis læpè est accidens, ac proinde potiùs in causis intrinsecis causalitatem materiæ esse nobiliorem, & in extrinsecis causalitatem efficientis. Breuiter ad hæc omnia, & similia dicendum est, quod hic non ponderamus perfectionem causarum ex rebus ipsis causantibus, sed ex modo causandi ipsarum, quæ formalis comparatio causarum adhuc fieri potest secundum maiorem, aut minorem rationem influxus causarum, & dependentiæ effectus ab illis, vt notauit Auersa cit. ita, quod illa dicatur perfectior causa, quæ magis influit effectum, seu à qua effectus dependet magis, quæ formalis comparatio causarum in causalitate longè est diuersa ab assignata superius, iuxta enim priorem comparationem forma est perfectior causa materia, at iuxta hanc posteriorem, res è contra se habet, quia forma dependet in esse à materia, non è contra, ita Scot. cit. 2.d.12.q.2. in fine. Hoc igitur posteriori modo causas ad inuicem formaliter comparando talis inter eas seruatur ordo, quod prima, & maximè causa est efficiens, à qua proinde hac ratione sumpta est per antonomasiam denominatio effectus, deinde respectu compositi forma est perfectior causa, quam materia, sed in ordine ad se inuicem materia est perfectior causa forma, quia materia dat esse simpliciter, & primum formæ ex eius potentia eductæ, non ita forma materiæ, quia eam simpliciter supponit, & causat solum in tali, vel tali esse, vnde non est absolutè causa materiæ, sed materiæ, quatenus informatæ; finis tandem est imperfectio cœteris, quia verè, & realiter non influit in effectum, sed tantum metaphoricè,

vt ab efficiente distinguitur; argumenta igitur allata, & similia, vel concludunt solum de causis materialiter comparatis, idest secundum proprias entitates, vel formaliter comparatis hoc posteriori modo non autem priori; de hac re fusè Sghemma 2. Physicor. digress. 9. quæstion.2.& fusius Amicus tract.14.qu.2.& Parisienses 2. Physicor. 53.q.vn.collat.1.

6 Quintò præsertim comparari solent, quoad mutuam dependentiam, & quæritur, an possint esse sibi inuicem causæ, ita quod vna sit effectus alterius, & è contra, ita enim significasse videtur Aristot. 2. Physic.30.& 5.Metaph cap.2.& quamuis ibi specialiter loquatur de causa efficiente, & finali, vt notat.Ichet.2.d.12.qu. 2. contra Caiet. & patet ex ipso contextu, hoc enim probat; quia labor est causa sanitatis efficiens, sanitas verò est causa laboris, tamen Recentiores ampliauerunt hoc Aristot. pronunciatum ad omne genus causæ, dicentes causas quascunque esse sibi posse inuicem causas in diuerso genere causæ.

Absolutè tamen dicendum est, nec in eodem genere causæ, nec in diuerso posse esse causas sibi inuicem causas secundum eandem rationem, sed secundum diuersas esse posse modo infra explicando. Probatur assertum quoad 1. partem. Tum quia tunc idem esset causa, & effectu respectu eiusdem, quod est impossibile, quia tunc esset prius, & posterius, dependens, & independens respectu eiusdem, nam in ratione causæ esset prius, & independens, in ratione effectus posterius, & dependens. Tum quia simul esset, & non esset, nam ex quo causaret, esset, & existeret, & ex quo egeret causari, adhuc non esset. Tum tandem quia idem esset causa sui ipsius, siue immediatè, siue mediatè, quidquid enim est causa causæ, est etiam causati causa, quare si A est causa B. & B. est causa A, iam A erit causa sui ipsius.

Respondent, hæc argumenta concludere, causas non posse esse inuicem causas in eodem genere causæ, quasi altera alteram causet effectiuè, vel materialiter, at non probant, quod esse nequeant inuicem causæ in diuerso genere causandi, nam in hoc sensu idem esse potest prius, & posterius, dependens, & independens respectu eiusdem, addunt quoque, propositionem illam, *quod est causa causæ, est causa causati*, sumptam ex lib.de caus.propos.1.valere, quando causalitas exercetur in eodem genere causæ.

7 Sed Contra, causa realis, & physica prius natura supponitur existere ad suam causalitatem, quia actus secundus præsupponit actum primum, & præcisa existentia causa non est in actu primo, sed in mera potentia obiectiua intelligitur, præsupponitur etiam existens ante suũ effectum, quia per causalitatem effectui communicat essentiam existentem, ergo cum causa simpliciter, & absolutè præsupponitur existens, & ad affectum, & ad causalitatem suam, non sufficit dicere, in eo priori existeret in vno, & non in alio genere causæ; dici debet simpliciter, & absolutè prior suo effectu, & si existentia in vno genere causæ sufficit, vt simpliciter, & absolutè dicatur existere in rerum natura, implicat, vt rursus aliam existentiam recipiat ab alio, secundum quam non præexistere dicebatur; quia tunc idem bis produceretur in esse. Deinde causa antequam influat in effectum habet totum id, quod est necessarium ad causandum, alioquin effectum causare non posset, at existentia est simpliciter necessaria ad causandum, vt patet ex dictis de Causa Efficienti, nam rationes illæ probant vniuersaliter de quacunque causa physicè, & realiter causante, ergo implicat, causam pendere ab effectu quo ad suam existentiam, siue in eodem, siue in diuerso genere causæ, quia absolutè prius habet suam existentiam, quàm habeat effectus. Accedit, quod si causa penderet in aliquo genere causæ quo ad suam existentiam ab effectu, tunc effectus in eo genere, quo communicat existentiam suæ causæ præsupponeretur illi, ergo existeret, antequam causaretur à causa sua. Nec iuuat dicere, quod existeret in vno genere causæ, non in alio, quia cum id, quod causat, absolutè debeat existere, & id, quod causatur, absolutè, & simpliciter non existere, absolutè etiam de eodem verificabitur, quod simul existat, & non existat. Demum si A est causa B in vno genere causæ, & B causa A in alio, ergo A erit mediatè causa sui ipsius, & propositio illa, quod est causa causæ, &c. erit vniuersaliter vera. De quo qui plura desiderat, videat Suarez disput.15.Metaph.sect.8.Hurtad.in Phys. disputat. 8. sect. 8. & Amic. tract. 14. q. 5. ar. 3. fusè, contra hoc paradoxum disputantes.

Neque hic locum habere potest commune effugium, quod etiam amplectuntur Complut.2.Phys.disputat.8.qu.4. quod licet vnum, & idem non possit secundum eandem considerationem esse prius, & posterius natura, quam aliud, benè tamen secundum diuersas considerationes. Non valet, quia prioritas causalitatis est prioritas realis, & non tantum secundum rationem, alioquin idem posset seipsum realiter producere, quia secundum diuersam considerationem idem potest esse prius seipso. Nec valet quod inquiunt, ad causalitatem materialem, & formalem non exigi existentiam causæ, sed sufficere quod habeant suam essentiam actualem, vnde postea inquiunt, quod licet materia, & forma sint priores toto in genere causæ materialis, & formalis, tamen sunt posteriores eo in genere causæ efficientis, quia ipse non producuntur per se, sed ad productionem totius conproducuntur. Planè mens id capere nequit, nam vel partes ideò dicuntur produci ad productionem totius ab efficiente, quia tunc accipiunt existentiam tantum, vel quia accipiunt essentiam, & existentiam simul; si secundum, ergo in nullo genere causæ præcedunt totum, nam vt præcedant in genere causæ formalis, & materialis, debent præcedere cum sua essentia actuali, vt ipsi dicunt; si primum, ergo earum essentia incausata erit ab efficiente, vel admittere debent actionem partialem efficientis prius natura terminatam, ad essentias partium, quod concedere nequeunt, quia constanter asserunt, partes in genere causæ efficientis esse omnino posteriores toto.

8 Quod autem causæ esse possint sibi inuicem causæ in eodem, aut diuerso genere causæ secundum diuersas rationes; Prob. Tum quia quod vna causa causet aliam in hoc sensu, nulla est implicantia, intelligitur enim causare, tribuendo illi aliquam perfectionem, & intelligitur causari, recipiendo non illam, per quam causat, quia supponitur ex natura rei, sed aliam, & in hoc nulla cernitur implicantia. Tum quia ex hoc non sequitur, quod idem respectu eiusdem sit causa, & effectus, quia iuxta hunc dicendi modum non ponitur eadem res secundum eandem rationem causa, & effectus alterius, sed secundum vnam rationem ponitur causa, secundum aliam effectus. Tum denique ostenditur manifestis exemplis, quia materia est causa formæ quoad eius esse simpliciter, & primum, & forma est causa materiæ quoad esse formale, intellectus est causa efficiens intellectionis, & intellectio est causa formalis eius, quatenus intelligens, immo exempla afferri possunt in eodem genere causæ, potest enim Magister docere discipulum, qui temporis decursu Magistro doctior euadens docebit illum, & in his casibus nulla cernitur implicantia. Non est autem necesse, id euenire in omnibus causis, immo in aliquo casu talis mutua causalitas implicat in quibusdam causis, sic forma producta per actionem transeuntem nequit esse formalis causa illius agentis, nec absolutè loquendo potest materia esse materialis causa agentis; hanc etiam conclusionis partem tenet Arist. cit. conclu.4. & Auersa quæst.16.sect.6.& Faber 5.Met.disp.8.

Sed in oppositum plura obijci solent, & in primis, quod Arist. 2.Phys.30.& 5.Met.cap.2. clarè significauit, in efficiente, & fine causas esse posse ibi inuicem causas in diuerso genere causæ, ergo id male negatur. Nec sufficit cum Alens. 5. Metaph. cap. 2. dicere, finem, & efficientem non esse sibi inuicem causas secundum eandem rationem, sed secundum diuersas, quia agens est causa effectiua finis secundum entitatem, quia ponit illum in rerum natura, sed non est causa causalitatis eius; & è contra, finis non est causa agentis secundum entitatem eius, sed quo ad causalitatem, quia mouet agens ad agendum. Non sufficit hoc, quia licet id verum sit de agente primo, & principali, quod intendit finem, & propter finem operatur, hoc enim vtique a fine supponitur in esse, tamen considerando media, quæ propter finem assumuntur, ea sunt causa effectiua proxima finis, & verè etiam è contra finis in suo genere est causa eorum quo ad entitatem, nam labor est causa sanitatis efficiens quo ad esse, & sanitas est causa finalis laboris quo ad esse, & hoc est exemplum ab Arist. allatum, ergo causæ possunt esse sibi inuicem causæ secundum eandem rationem in diuerso genere.

9 Resp.Auersa, id contingerè causa finali, quia in suo causandi genere non debet præsupponi existens realiter, ad hoc vt causet, atque ideò fine implicantia potest esse causa, & effectus simul alterius causæ secundum eandem rationem, quando verò causa præsupponi debet existens, ad hoc vt causet, vt in cœteris causarum generibus, non possunt duæ causæ esse sibi inuicem causæ etiam in diuerso genere secundum eandem rationem. Sed præstat dicere, quamcumque causam physicam, & realem præsupponi debere existentem, ad hoc vt causet, atque ideo in nullo genere causæ physicæ verè, & realiter causantis contingere posse mutuam causalitatem etiam in diuerso genere secundum eandem rationem, & ideo contingere in causa finali, quia non est vera causa realiter influens in effectum, qua de causa benè Lichet.cit.dixit, Arist. dictum debere tantum intelligi in causa efficiente, & finali, non autem in cœteris.

Deinde obijcitur. Tum quia actus in genere efficientis causant habitum, & hic vicissim est causa efficiens actuum. Tum 2.quia in genere materialis causæ ex pluuia generantur vapores, & ex vaporibus pluuia. Tum 3.quia piper calefacit stomacum, & stomacus piper, & duæ trabes ita inclinatæ, vt faciant angulum, mutuò se sustentant effectiuè in aere, ne cadant. Tum 4.quia duo relatiua mutuò dependent quo ad existentiam. Tum 5. quia à substantia dimanant accidentia quædam, sine quibus, existere nequit in rerum natura, vt Sol sine luce, ignis sine calore. Tum demum id probant exemplo introductionis nouæ formæ, & expulsionis antiquæ, & aperitionis fenestræ, quæ est causa materialis ingressus venti, & ventus causa efficiens aperitionis.

10 Resp.ad 1.& 2.habitum vtique generari ex actibus, sed non ex eisdem numero, quos postea ipse efficit cum potentia, sic etiam hic vapor est causa materialis huius pluuiæ, sed hæc pluuia non est causa vicissim illius vaporis, sed alterius. Ad 3. stomacus, & piper non se calefaciunt per eundem numero calorem, sed per diuersum, atque ita se inuicem causant secundum diuersas perfectiones, iuxta quas vnum alteri præsupponitur, & duo ligna angulum facientia se mutuò conseruant in aere, ne cadant, non per mutuam causalitatem vnius in aliud, sed potius quia vicissim vnum impedit granitationem alterius deorsum, & sic interueniret mutua causalitas, hæc non esset quo ad idem, & secundum idem. Ad 4. per illum loquendi modum

dum explicari solet necessaria simultas, & concomitantia relatiuorum in existentia, propriè tamen dici nequit vnum relatiuum ab alio dependere in sua existentia, tum quia dependentia directè repugnat simultati naturali duorum, cùm necessariò inferat prioritatem naturalem vnius respectu alterius; tum quia Pater in diuinis nequit esse sine Filio, & tamen non dependet ab eo; & Deus nequit esse sine creaturis cognitis, & tamen non dependet ab eis. Ad 5. accidentia connaturalia conseruant substantiam, & dispositiones formam, non aliquid influendo in ipsam, sed resistendo contrarijs, quæ est conseruatio impropriè dicta, vnde dici solet dependentia à posteriori, & veluti à conditionibus naturaliter concomitantibus, & meliùs diceretur coexigentia. Ad 6. de introductione notæ formæ, & expulsione antiquæ, & de exemplo aperitionis fenestræ ex professo disputatum est disp. 5. q. 5. art. 2. ad secundum. Hic disputant nonnulli, num debeat dari status, vel potius dari possit processus in infinitum in causis, sed de hoc videatur Scotus, & Tromb. 2. Met. q. 4. & Faber ibidem disp. 6. & rursus Doctor p. d. 2. q. §. *Quantum ad 1. art.*

ARTICVLVS II.

Confertur primitas causæ cum secundis præsertim in sententia Aristotelis.

11 CVm in causis per se, & essentialiter ordinatis repugnet processus in infinitum, vt fusè probat Doctor 1. dist. 2. qu. 2. & Arist. 7. Phys. à text. 3. & lib. 8. à text. 33. & 2. Met. cap. 2. ideò concedunt omnes, deueniendum esse ad vnam primam causam, cui cœteræ sint essentialiter subordinatæ, tam in essendo, quàm in operando; & quia talis dependentia essentialis secundæ causæ à prima non saluaretur, nisi Deus, qui est causa prima, attingeret immediatè suo concursu effectus causarum secundarum, vt supra probatum est contra Durand. hinc etiam concedunt omnes Deum immediatè concurrere: cum omnibus causis secundis, cuiuscunque sint generis, ad singulos earum effectus. Hic autem examinare non intendimus modum, quo Deus concurrit ad effectus earum, an scilicet concurrendo influat tantùm in effectus, an potius etiam in causas, quia hoc est altioris negotij, sed an cum causis secundis cuiuscunque generis concurrat; solùm in genere causæ efficientis, an potiùs cum singulis concurrat in proprio cuiusque genere; & statuto quòd cum omnibus concurrat in genere causæ efficientis, an in Arist. sententia concurrat liberè, vel necessariò.

Quo ad 1. putauit Fonseca 5. Met. c. 2. q. 12. & lib. 7. cap. 7. q. 3. Deum cum causis secundis concurrere in proprio vniuscuiusque genere, v. g. cum materiali, & formali causa, in genere causæ materialis, & formalis, quod falsum est, nam causalitates istæ à toto genere imperfectionem dicunt, sed sufficit, quod cum omnibus concurrat in genere causæ efficientis, & ita docuit Scotus 1. d. 3. q. 2. infra C. vbi inquit, totum genus causandi materialiter, & formaliter tanquam non dicens perfectionem simpliciter reduci debere ad aliquod primum in alio genere, quod non includit imperfectionem, scilicet ad aliquod in genere causæ efficientis, idem docet in 4. d. 12. q. 1. E dum ait, Deum in genere causæ efficientis continere eminenter effectus omnium aliarum causarum, cuiuscunque sint generis.

Neque difficile est concipere, quomodo Deus concurrat cum materia in genere causæ efficientis ad eductionem formæ, & cum vtraque ad constitutionem compositi, licet in hoc magnam faciat difficultatem Fuentes 2. Phys. q. 5. diff. 4. act. 1. & 2. eo quia causa efficiens, cùm sit extrinseca, ex vi suæ causalitatis remanet extra effectum, vnde non videtur, quomodo Deus in genere causæ effectiuæ possit cum materia, & forma compositum constituere, quo fundamento negat hic Auctor, Deum concurrere effectiuè cum materia & forma ad constituendum compositum, & inquit num. 35. concurrere solùm quatenus conseruat earum entitates, vt possint actualiter compositum causare.

12 Sed incidit in Scillam, cupiens vitare Charibdin, volens namque euitare opinionem Fonsecæ, incidit in opinionem Durandi, qui dicebat, in tantum concurrere Deum ad effectus causarum secundarum, quatenus ab initio indidit eis virtutem causandi, & postea talem virtutem conseruat in eis, vt possint actualiter causare, nec aliud interest inter Fuentes, & Durandum, nisi quòd Durandus id asserebat de omnibus causarum generibus, Fuentes verò solùm id asserit in causa materiali, & formali. Optimè igitur concipitur, Deum immediatè concurrere cum materia, & forma in genere causæ efficientis, vt se inuicem causant, quatenus efficit actum, quo materia recipit, & sustentat formam, & actum, quo forma actuat materiam, non autem in se recipiendo formam, nec se communicando materiæ, Deus etiam nedum in fieri, sed etiam in facto esse concurrit cum materia, & forma ad constitutionem compositi, concurrit enim per actionem, qua conseruat, non solùm entitates, vt dicebat Fuentes, sed etiam causalitates materiæ, & formæ, quas continuò exercent erga compositum, non autem remanet ipse intra compositum, quia id esset concurrere in genere causæ materialis, & formalis.

Nec alia argumenta, quibus Fonseca oppositum probare contendit, aliquid valent, semper enim aliquid falsum assumit, vt v. g. quòd subordinatio essentialis non sit nisi inter causas eiusdem generis; quòd causalitas materiæ, vt formam sustinet, non dicat imperfectionem, quia Deus in Eucharistia sustinet accidentia; nec formæ causalitas, quia materiam denominat talem, quia hanc etiam causalitatem exercent attributa circa Deum, ipsum denominando bonum, iustum, &c. & tandem quòd causalitas generis, suppleri nequeat per causalitatem alterius, cùm vna non contineatur in alia. Hæ propositiones assumptæ à Fonseca falsæ sunt, prima est falsa, quia per subordinationem intelligendo dependentiam vnius causæ ab alia, necesse non est, quòd subordinatio sit in eodem genere; secunda propositio etiam falsa est, quia substantatio in genere causæ materialis essentialiter includit receptionem, vt suo loco dictum est, & sustentatio, quam exercet Deus circa accidentia Eucharistica, est in genere causæ efficientis; denominatio verò, quam forma dat subiecto, fit per informationem, quæ dicit imperfectionem, & illa, quam attributa diuinæ essentiæ tribuunt, fit Per identitatem, vt notat Scot. 1. d. 8. qu. 4. X. Tertia demum propositio falsa est, quia, vt supra diximus, omnis causalitas cuiusque generis eminenter continetur in Deo in genere efficientis causæ, & benè potest causalitas vnius generis suppleri per aliam, quæ æquiualet illi.

13 Quantum ad 2. quid scilicet senserit Arist. de concursu primæ causæ cum secundis, negarunt aliqui, causam primam concurrere cum causis secundis immediatè ad effectus earum, & dixerunt Arist. de concursu Dei cum causis secundis eam habuisse opinionem, quæ solet Durando tribui. Fuentes 2. Phys. q. 5. diff. 2. art. 1. & Complut. 2. Phys. disp. 3. q. 2. tenent in sententia Philosophi causam primam, non solùm concurrere cum secundis ad effectus earum, sed etiam illas ad agendum præmouere, & prædeterminare, quod probare conantur ex quibusdam locis 5. Phys. Breuiter nos explicare debemus cum Scot. mentem Philosophi de hac re.

Dicimus 1. in sententia Philosophi Deum concurrere cum causis secundis ad effectus earum, non tamen liberè, & contingenter, sed necessariò necessitate naturæ: Conclus. quo ad vtranque partem est Scoti quolib. 7. & 1. d. 8. q. 5. & alibi sæpe, quam etiam tenent quicunque sentiunt, Deum agere ad extra necessitate naturæ, vt Piccol. lib. de Cœlorum motoribus cap. 23. Bonamicus lib. 10. de Motu cap. 36. Pendasius lib. 8. Physicæ texturæ p. 36. Prob. autem, & explicatur, in primis enim quod Deus secundum Philosophos concurrat cum causis secundis, docet Scotus quol. 7. sub lit. M. & Arist. agnouisse ordinem essentialem inter causam primam, & secundam, docet ibidem, & in 2. d. 12. q. 2. & in 4. d. 11. q. 1. inf. E. cum hoc tamen discrimine à Theologis, quòd vbi Theologi ponunt subordinationem essentialem causæ secundæ solùm ad primam, non è contra, Philosophi dicunt, hunc ordinem essentialem esse mutuum, ita quòd causa secunda nihil efficere potest sine prima, neque prima sine secunda, hunc autem ordinem essentialem ex parte causæ secundæ posuerunt oriri, vt etiam Theologi dicunt, ex eius indigentia, & imbecillitate, ex parte verò causæ primæ ad secundam dixerunt ortum ducere, tum ex imperfectione effectus causarum secundarum, vt monet Scotus in 1. d. 2. q. 2. sub Y. cùm enim imperfectio effectus redundet in causam, & effectus causarum secundarum maximam habeant imperfectionem admixtam, si causa prima sine secunda concurreret, iam imperfectio effectus in primam causam refunderetur; tum etiam ex conditione ipsorum effectuum, qui ab ipso Deo produci ex postulant interuentu causarum secundarum, cum enim multitudo effectuum essentialiter distinctorum in rerum natura tanta sit, vt imperfectionem dicere videatur, quatenus opponitur vnitati Dei, non videtur posse immediatè à Deo proficisci, vnde ista necessaria connexio causæ primæ cum secundis in agendo posita est à Philosophis ad saluandam Dei perfectionem, quamuis Theologi clarè demonstrent, summam potius importare imperfectionem.

14 Quòd autem Deus necessariò concurrat cum causis secundis, & necessariò agat ad extra secundum Arist. docet Scotus ex professo 1. d. 8. q. 5. & quidem talem fuisse Arist. mentem, clare colligitur ex varijs eius locis, nam 9. Met. tex. 17. docet, in æternis nihil esse in potentia, sed omnia in actu, ex quo infert, timendum non esse ne Cœlum quiescat, quia neque ipsum est in potentia ad quietem, nec motor eius ad non mouendum, & 12. Met. cap. 6. concludit non satis esse ponere substantiam æternam potentem mouere, quia alias posset non mouere, sed expresè mens eius colligitur ex 8. Phys. ferè per totum, præsertim verò tex. 7. & 8. probare volens æternitatem motus, sic arguit; Si mouens non mouebat priùs, oportebat auferri illud impedimentum, à quo prohibebatur, vt postea moueret, sed hæc ratio nullius esset momenti, nisi supponeret Deum agere ex naturæ necessitate, poterat enim quis respondere, primum mouens esse liberum, & liberè agere ad extra, ac proinde sine aliquo impedimento prius non mouisse, quia noluit; planè ex hoc Arist. argumento colligitur sensisse, Deum ad extra agere necessariò, non tantùm necessitate immutabilitatis, & consequentiæ pendente ex immutabilitate suorum decretorum, vt putauit Cæsar Cremoninus relatus à Raguseo suppresso nomine disp. 6. cap. 8. verùm etiam necessitate ineuitabilitatis, & consequentis; aliter ratio Arist. nihil concluderet, stante enim explicatione Cremonini, qui omninò præter eius morem Arist. trahit in Theologorum sententiam, quis respondere posset, Deum non prius mouisse, non quia impediretur, sed quia decreuit nunc mouere, & non prius.

Dices, immo ex illo loco colligi Deum esse agens liberum in Arist. sent. quia contra illam rationem adducit instantiam tex. 8. quod

concludat de agente naturali quod si prius non mouit, id vtique ex aliquo procedebat impedimento, non autem de agente libero, quod potest prius non mouisse, non quia impediretur, sed quia nolebat, tale autem fuisse mouens ab æterno. Et Arist. vt ibi explicant Tatar. & Parisiens. & nos diximus in expositione textus respondet id etiam in agentibus liberis contingere, quod si modo mouent, & antea non mouebant hoc erit propter aliquam variationem dispositionum vel extrinsecarum, vel intrinsecarum, adeout & ipsum agens liberum contraria non agit nisi secundum diuersas dispositiones intrinsecas non extrinsecas, & ista non possunt fieri sine motu; ecce quod Arist. fatetur primum mouens esse agens liberum, & non naturale. Resp. ibi Arist. more suo valdè obscurè loqui, nec absolutè concedere primum mouens esse liberum agens ad extrà, sed si esset liberum, adhuc argumentum tenere non secus ac si esset naturale, quia nec agens liberum, agit contraria, nisi per contrarias dispositiones; tum quia Arist. benè posuit Deum agens liberum, & non naturale, quatenus est agens à proposito, & per cognitionem, vt mox dicemus, at cum hoc asseruit esse agens necessarium, eo modo quo statim declarabimus necessitatem posse stare cum libertate, quod colligitur ex eo, quod ait agens liberum non agere opposita, nisi secundum diuersas dispositiones; & tandem alijs in locis manifestè indicauit Deus esse agens necessarium ad extra.

Hic tamen aduertendum est, quod cum Scotus, & alij dicunt, Deum ad extra cum causis secundis agere secundùm Arist. naturaliter, seu naturali necessitate, non est intelligendum de ea necessitate naturali, quia agens naturale v. g. ignis absque vlla præuia cognitione comburit; quia optimè Aristot. agnouit, Deum esse agens per cognitionem, & à proposito, nec ea necessitate naturali præuia cognitione, & etiam voluntate aduerbialiter sumpta, quæ ponunt Theologi Patrem in diuinis gignere Filium, quia verissimile est, Arist. vt ex multis locis colligitur, præsertim 1. Met. c. 2. & lib. 12. text. 51. cognouisse, Deum esse agens intellectuale ad extra per intellectum, & voluntatem etiam nominaliter sumptam, idest pro principio formali agendi, sed ea necessitate tantùm, quæ stat cum libertate essentiali, & qua Spiritus Sanctus producitur à Patre, & Filio; idque colligitur ex Scot. in Prol. q. 4. sub lit. M. vbi dicit, Arist. posuisse, Intelligentias inferiores naturaliter amare superiorem, & tamen secundum Scotum nunquàm voluntati potest attribui actio naturalis, sed tantùm libera etsi necessaria, vnde accipit ibi naturaliter pro necessariò, & ita quoq; explicari potest, dum dixit, secundum Arist. Deum ad extra naturaliter agere, idest necessariò necessitate ineuitabilitatis, cum qua naturalitate, & necessitate stat libertas essentialis. Hoc autem probari potest, quia sicut ex summa perfectione Dei oritur, quod, etsi liberè, adhuc tamen necessariò producatur Spiritus Sanctus ex Scoto 1. d. 10. q. vnic. ita etiam ex summa perfectione Dei oritur secundum Aristot. quod necessariò, etsi liberè agat ad extra causis secundis.

15 In oppositum multas obijcit Toletus 8. Phys. c. 2. q. 3. Arist. auctoritates, vt ostendat, mentem eius esse, quod Deus ad extra necessariò non agit, sed contingenter, & libertate exercitij, nam 4. Top. c. 5. ait, Deum quædam facere posse, quæ non facit, & 8. Ethic. c. 7. Deum habere erga bonos amicitiam, & lib. 10. cap. 8. eos, qui verè sunt sapientes, esse Deo carissimos, quæ sunt munera libertatis, non necessitatis, & referente Laertio in eius vita, antequam obiret, Deum orauit; quod non fecisset, nisi putasset, diuinum numen precibus flecti.

Resp. 1. posse dici, Aristot. hac in re fuisse dubium, quia libertatem exercitij in Deo nesciuit naturali ratione demonstrare, & putauit, eius immutabilitati esse noxiam, vnde si aliqua eius attendamus dicta, videtur concessisse, Deum ad extra contingenter agere; si verò perpendamus eius principia, & rationes præsertim 8. Phys. adductas ad probandam æternitatem motus, videtur ad necessitatem inclinare, itaut hac in re Aristot. sententia idem ferendum sit iudicium, quod Scotus tulit in eiusdem sententia de immortalitate animæ 4. d. 43. Quod si Doctor existimauit, Aristot. firmiter tenuisse, Deum ad extra necessariò agere, tunc dicendum, aliqua circa hoc dixisse Aristot. non ex propria sententia, sed populariter, & ita venit intelligendus in Top. aliqua verò inferunt tantum libertatem, essentialem, vt amicitia, quam ait in Ethic. Deum habere cum bonis, & alia plura, quæ ad hoc Toletus adducit, possunt hoc modo exponi de libertate nimirum essentiali. Demum quod ex Laertio adducitur non cogit, quia potuit Arist. sensisse, Deum flecti precibus necessariò, non contingenter: videatur Raguseus citat. capitul. 22. vbi explicat singula Aristot. loca, quæ adduci solent pro libertate Dei ad extra.

16 Dicimus 2. Aristot. ita sentiendo de concursu Dei cum causis secundis, latentes admisisse contradictiones, implicat enim Deo ad extra necessariò agente causas secundas agere, & libertatem in eis remanere; Concl. est Scoti in 1. d. 8. quæst. 5. R. & dist. 2. q. 2. infr. R. sequitur Rubion. 2. dist. 1. q. 6. quam probat contra Philosophos, ducendo illos ad duo inconuenientia, vnum altero maius, ex hoc enim sequeretur, quod nulla daretur libertas, vel contingentia in causis secundis, quod est primum inconueniens, immo quod nulla daretur actio in causis secundis nec contingens, nec necessaria, quod est secundum inconueniens, maius primo; Prob. prima conseq. quia causa mouens inquantum nota, si necessariò mouetur, necessariò etiam mouet, sed quælibet causa secunda agit inquantum mota à prima, vt etiam concedit Aristot. ipse 8. Phys. 33. ergo si causa prima necessariò ageret, necessariò moueret causas secundas, quæ proindè necessariò motæ, necessariò etiam mouerent, & ita periret contingentia in rebus, implicat enim ablata libertate per essentiam à causa prima remanere libertatem participatam in creatis rebus. Altera etiam conseq. prob. prima causa prius naturaliter respicit causatum, quam secunda ex prima propositione de causis, non solùm prioritate à quo, sed etiam in quo, si naturaliter causat, & secundum vltimum potentiæ suæ, quæ est infinita etiam secundum Aristot. vt Scot. docet loc. citat. ergo in illo priori totaliter causaret se sola effectum, & nihil postea causæ secundæ remaneret agendum, quia causa prima omnino præueniret actionem secundæ, si naturaliter ageret. Hæ sunt latentes contradictiones, quæ sequuntur ex positione Aristot. quæ an ita sint latentes, vt eas non agnouerit, vel agnoscere non potuerit, certum omnino non est; planè prima contradictio ita euidens est, vt si Aristot. eam non agnouit, excusari non possit, cum posuerit, causas secundas liberas non mouere nisi motas à prima, sicut ponunt Theologi; quod si alteram contradictionem non agnouit, excusabilis est, vt notat Pater Vulpes tom. 1. p. 2. disput. 6. art. 5. quia Aristot. licèt posuerit Deum omnipotentem, non tamen sicut Theologi, ita quod omnem effectum attingere possit se solo, quem attingit cum causis secundis, vt docet Scotus quol. 7.

Sed Suar. disputatio. 29. Met. sect. 3. numer. 16. Molina part. 1. quæstion. 14. artic. 13. disputat. 11. Vasq. disputatio. 100. & alij cum Caietan. 1. part. quæst. 14. articul. 13. negant sequi illa inconuenientia ex data hypothesi, adhuc enim remaneret actio causæ secundæ, quia causa prima non ageret priùs aliquo instanti durationis, in quo attingeret effectum, sed priùs prioritate naturæ, & priùs prioritate à quo, non in quo, ait Caietan. Addit Suar. quod Deo per impossibile naturaliter agente adhuc actio remaneret in causis secundis, si vteretur eodem influxu, quo nunc vtitur, & non maiori, immo prima Scoti ratio, qua probat ex hypothesi, omnes actiones secundarum causarum futuras esse necessarias, manifestè supponit, actionem causæ secundæ adhuc manere data hypothesi, aliquin ratio illa nihil concluderet. Imò dicunt, quod remaneret actio causæ secundæ contingens, & libera, quia libertas actionis non solùm prouenit à causa prima, sed etiam à voluntate creata, alioquin sequeretur, actum voluntatis nostræ nunc non esse liberum, nisi quia Deus liberè ad illum concurrit, quo sensu liberæ quoque forent actiones brutorum, subdit Suar. ita dicendum esse, dum modo Deus per impossibile agens necessitate naturæ non maiorem adhiberet concursum eo, quem nunc exhibet.

17 Sed nulla harum solutionum satisfacit, non id, quod ait Caietan. Deum data hypothesi priùs agere prioritate à quo, non in quo, quia licèt ita de facto fit, eo quòd liberè cõcurrat, non tamen tunc ita foret, quia ex quo causa prima de necessitate in essendo est prior, quàm secunda prioritate in quo, & in illo priori, quo est, & vt præcedens omnem causam secundam sit perfectissima causa, & nullo modo impedita, certè in illo priori necessariò ageret, atque ita præueniret causalitatem causæ secundæ. Nec minus satisfacit, quod ait Suar. data hypothesi remansuram actionem in causis secundis, si vteretur eodem influxu, quo nunc vtitur, & non maiori, est enim implicantia in adiecto, quòd causa prima naturaliter agat, & non agat, quantum potest, & secundum vltimum potentiæ suæ, & prima ratio Scoti vtique supponit remansuram actionem in causis secundis data hypothesi, sed postea in secunda ratione ostendit, non remansuram; deducens Philosophos ad maius inconueniens, quare secunda ratio non destruit primam, sed deducit ad maius inconueniens, vt explicatum est. Et quamuis libertas actionum humanarum non pendeat tantum à libertate diuinæ voluntatis, sed etiam à libertate voluntatis creatæ, tamen deficiente illa, necesse omninò est, istam quoque deficere, cum implicet, remanere libertatem participatam, qualis est libertas causæ secundæ destructa libertate per essentiam, qualis est libertas primæ, & frustra addit Suar. contingentiam remanere posse in nostris actionibus, si data hypothesi non adhiberet Deus maiorem concursum illo, quem nunc exhibet, nam implicat, vt diximus, quod causa prima naturaliter agat, & non agat quantum potest, nam in cuius potestate non est agere, nec etiam est modùs agendi, vt ostendit Doctor 1. d. 1. q. 4. Vnde falsum est tandem, quod Aduersarij imponunt Doctori, ipsum ita sentiendo facere Dei voluntatem totalem causam contingentiæ in nostris actionibus, atque ita nobis libertatem auferre; Scotus id non sentit, cũm mille in locis doceat, contingentiam actionum non solum à voluntate diuina, sed etiam creata prouenire, quos refert P. Faber 1. disp. 53. c. 3. vt Doctorem ab hac calumnia tueatur, sed solùm dicit, quod sicut diuina voluntas est primum liberum, ita quoque eius libertas est prima radix, & præcipua contingentiæ in nostris actionibus, in quo de diuina voluntate dignius sentit, quàm Recentiores ponentes libertatem nostram primam, & præcipuam radicem contingentiæ in rebus, cum tamen voluntas nostra sit secundum liberum, & non primum.

18 In oppositum objicitur, quod agente Deo per impossibile ad extra necessariò, & naturaliter, adhuc remaneret actio in causis secũ-

dis, atque libertas. Tum quia cum plures causæ concurrunt ad producendum effectum communem, vt ille sit liber, satis est, quod altera causarum sit libera, vt Scotus ipse docet de obiecto, & voluntate quol. 16. illo naturaliter, ista liberè concurrente, & tamen actio tota est libera. Tum 2. quia quando effectus dependet à pluribus causis defectus vnius causæ sufficit, vt in effectum redundet, ergo si altera causarum erit contingens, talis etiam erit effectus vnde videmus in Sillogismo ex vna necessaria, & altera contingente conclusionem sequi contigentem. Tum 3. quia si data hypothesi actio voluntatis humanæ necessaria foret, vt calefactio libertas non foret intrinseca illi, & essentialis, sed extrinseca, & accidentalis. Tum 4. quia concursus causæ primæ modificatur concursu secundæ, ergo etiam in eo casu non necessariò traheret voluntatem humanam. Tum 5. quia tunc magis præsto foret concursus Dei causæ secundæ, quàm modò, nam tunc Deus necessariò illum exhiberet, ergo non tolleretur ex hypothesi actio à causis secundis, quia adhuc haberent omnia ad agendum requisita. Tum denique quia sunt quædam actiones, quæ petunt necessariò à causis creatis produci, vt sunt actiones nostræ vitales, quæ necessariam prorsus habent connexionem cum nostris potentijs vitalibus, ergo hæ saltim non tollerentur in illo casu.

19 Resp. ad 1. concedendo assumptum, quando causa principalis est libera, vt est de obiecto, & voluntate, quæ principaliter concurrit ad actum, sed data hypothesi causa principalis foret necessaria, & ideò etiam tota actio tantò magis, quia causa secunda agit, vt mota à prima, at potentia licèt sit mota ab obiectio, non tamen est mouens mota, vt Doctor declarat 2. d. 3. q. 8 sub F. Ad 2. ad misso anteced. negatur, conseq. quia tunc nulla daretur causa secunda contingens, & libera quantum ad vsum vt supponere videtur argumentum: vnde instantia de Sillogismo non est ad rem, tum quia ille supponitur constare ex propositione necessaria, & contingenti, at in casu nulla daretur causa contingens, tum quia si in Sillogismo tali sequitur conclusio contingens, id est ratione formæ, non ratione materiæ. Ad 3. libertas est essentialis voluntati, at non vsus libertatis, & ideò negatur conseq. in eo enim casu non tolleretur libertas intrinseca voluntatis, sed solùm impediretur ab eius vsu. Ad 4. si Recentiores, qui concursum Dei statuunt genericum, & determinabilem à causa secunda, hoc argumentum afferrent, mirum non esset, sed mirum est, quod afferatur ab assertoribus physicæ prædeterminationis; si concursus Dei in causa receptus secundum ipsos determinat concursum causæ secundæ ad hunc actum, quomodo modificari poterit à concursu eius? & quando etiam concederemus, ita de facto euenire, quia Deus modò causis secundis se accommodat, tamen in eo casu, quo Deus ageret secundum vltimum potentiæ suæ, est prorsus negandum. Ad 5. negatur assumptum, nunc enim concursus Dei est in potestate causarum secundarum, quia Deus sua libertate finit illas motus suos agere, eas expectando, at data hypotesi eas non expectat sed omninò præueniret earum actiones tam prioritate naturæ, quàm temporis. Ad 6. negatur Assumptum, quia actus vitales possunt à Deo immediatè produci in potentia vitali, vt in lib. de Anim. & concesso assumpto, dicendum, quod omnes illæ actiones vitales necessariò exercerentur, & non liberè; alia quædam argumenta adducit Faber, cit. quæ ex dictis facilè soluuntur.

QVÆSTIO II.

Vbi Causæ comparantur cum suis effectibus.

POst collationem causarum inter se, nunc comparandæ veniunt cum suis effectibus, primò quoad distinctionem, deinde quo ad prioritatem postea quo ad perfectionem, demum quo ad determinationem ad effectus tam in specie, quàm in indiuiduo, quomodo nimirum determinentur causæ ad certos effectus in specie, & quomodo ad certos effectus in indiuiduo.

ARTICVLVS I.

Conferuntur causæ cum suis effectibus quoad distinctionem.

20 CIrca distinctionem causæ ab effectu Recentiores communiter hanc negant inter causas intrinsecas, & earum communem effectum, scilicet compositum, vt vidimus disp. 5. q. 13. art. 1. sed aliqui vlterius perrexerunt, & eam negare quoque ausi sunt inter causam efficientem, & eius effectum, asserentes, idem posse semetipsum producere etiam omninò in prima productione, at alij licèt fateantur, idem esse non posse causam sui ipsius quoad primam actionem, per quam accipit esse, dicunt tamen, non repugnare, quod eadem res habens iam esse per vnam actionem, sit causa sui ipsius per aliam secundam actionem posteriorem, quia in hoc casu iam supponitur cum tota sua entitate independenter à secunda actione, ita de facto tenet Suar. humanitatem Christi concurrere ad conseruationem sui in Eucharistia disp. 26. Met. sect. 5. & 3. p. com. 3. disp. 49. sect. 1. & fusiùs disp. 50. sect. 4. quibus in locis ait, quod licèt corpus Christi ante verba consecrationis sufficienter conseruetur per actionem, quæ pendet à Deo, tamen post consecrationem incipit dependere per aliam nouam actionem à seipso procedentem, quæ quidem actio non dicitur propriè productio, sed conseruatio corporis Christi, eò quod per illam non incipit de nouo existere extra causas, cæterum si antea non existeret, hæc ipsa actio talis est, vt per ipsam sufficienter produceretur de nouo, & in hoc sensu posse de potentia Dei absoluta idem producere seipsum, & ad sui existentiam concurrere probabile putat Amicus tract. 14. q. 4. dub. 1. art. 3. num. 19. & Ariag. disp. 7. Phys. sect. 9. qui influxus eiusdem in seipsum, si fiat post existentiam sui secundum aliquam durationem, vt contingit de influxu humanitatis Christi in seipsam, rationem habebit conseruationis; sed si fiat in eodem instanti temporis in aliquo solùm posteriori signo naturæ, tunc dici non poterit conseruatio, quia non connotaret existentiam termini priorem secundum durationem, sed habebit rationem productionis, sed non primæ productionis, quia existentia rei supponitur haberi priùs natura ex vi alterius causæ, solùm igitur habebit rationem secundæ productionis; ita explicat idem Amic. num. 2.

21 Dicendum tamen est, in quocunque genere causæ reali, & physicæ causam ab effectu realiter distingui, & præsertim in genere efficientis causæ idem non posse seipsum producere, non solùm per modum primæ productionis, sed nec etiam per modum secundæ productionis, aut conseruationis. Concl. colligitur ex Scoto 2. d. 23. q. vn. L. vbi inquit, quod relationes omnes, quæ important dependentiam essentialem inter relata, vt causæ ad causatum, repugnant in eadem natura, & supposito, & relationes simplicis originis, etsi non repugnent in eadem natura, adhuc tamen repugnant in eodem supposito, quia nullum suppositum producit se, sequitur Turr. opusc. 14. disp. 1. dub. 5. & 6. citans Vasq. & Valent. & D. Tho. p. 1. qu. 104. art. 2. ad 2. Et 1. Probari potest ex definitione causæ in communi, quæ definitur esse id, ad cuius esse sequitur aliud, vel quæ influit esse in aliud, vbi ly *aliud* importat diuersitatem naturæ numericam saltim vt omnes explicant, nam ponitur in definitione causæ, vt per eam particulam productio in creaturis distinguatur à productione in diuinis. Respondet Amicus, causam secundum se sumptam definiri debere esse id, ad cuius esse sequitur aliquid, quod quia naturaliter est diuersum à producente secundum naturam, ideò dicitur aliud, at supernaturaliter potest istud aliquid esse non aliud, sed idem. Sed hoc parum iuuat, quia definitio explicat essentialem rei, quæ per nullam potentiam variari potest vnde si hoc effugium admittatur, quod causa sic definiatur iuxta communem naturæ cursum, idem quoque dicere quis posset de quacunque alia definitione, & asserere, quod homo supernaturaliter possit esse irrationalis, nec per definitionem hominis communiter receptam poterit conuinci, dicet enim, quod illa hominis definitio valet spectato homine secundum communem naturæ cursum, nam supernaturaliter fieri potest.

22 Secundò relatio realis versari debet inter extrema realiter distincta, quando importat dependentiam essentialem, vt omnes concedunt, sed relatio causati ad causam huiusmodi ex Scoto citat. ergo &c. Respondet Amic. diuersam esse rationem relationis, & productionis, quia relatio semper exigit distinctionem realem extremorum; non sic influxus, nisi naturaliter, sed supernaturaliter idem vt præexistens potest habere rationem principij, & subsequens, rationem termini respectu eiusdem actionis. Sed contrà, quia influxus de sua ratione formali est relatio realis secundum nos, & secundum Aduersarios est via quædam ab vno in aliud, & ideò exigit duo extrema realiter distincta. Item ex allata respons. eadem prorsus existentia respectu eiusdem actionis antecederet in ratione principij, & subsequeretur in ratione termini, quod prorsus repugnat. Respondet, sufficere, quod influxus sit inter duo ratione distincta, nam sicut intellectus vti potest vno, vt duobus, in propositionibus identicis, ita Deus de potentia absoluta potest vti vno, vt duobus in productione, atque adeò vt causa, & effectu, vt principio, & termino actionis eiusdem; addit, repugnare, eandem existentiam antecedere, & subsequi respectu eiusdem, & secundum idem, sed in proposito non ita esset, nam præcedit, vt independenter existens ab actione sua ex vi primæ productionis, & subsequitur, vt dependens ex vi suæ actionis. Sed Contrà, influxus est realis, ergo extrema eius esse debent realiter diuersa, & vnum aliud præcedere prioritate reali; & non rationis tantum, & exemplum allatum est prorsus dissimile, quia hic loquimur de vera productione, & reali non de productione ficta per intellectum, qua Petrus à parte subiecti positus producitur etiam à parte prædicati; & falsum est, quod existentia eadem præcederet, & subsequeretur secundum diuersam rationem, nam dicere, quod præcedit vt existens independenter ab actione sua ex vi primæ productionis, & quod subsequitur, vt dependens ex vi suæ actionis, hoc totum saluat solùm veram prioritatem inter ipsas actiones, non verò inter existentiam sub vna productione cum seipsa sub alia productione, seu inter existentiam eandem sub ratione principij, & ter- causæ, & effectus.

23 Tertiò si idem produceret seipsum, esset antequam fieret, atque ita simul esset, & non esset; esset, quia concipi nequit operari, nisi existere concipiatur; non esset, quia fieri deberet, & generatio substantialis est transitus de non esse ad esse; Item idem esset prius, & posterius seipso à parte rei quod implicat nam causa secundum illud esse, per quod causat, debet præsupponi ad suum effectum prioritate na-

naturæ (nam prioritas temporis per accidens se habet ad causandum) Respondet, hæc non contradicere, quia non sunt de eodem respectu eiusdem, aut eodem modo, idem enim esset per primam productionem ex vi alteris causæ, non esset per secundam productionem ab ipso producentem, & vt existens ex vi primæ actionis esset prius, vt verò existens ex vi secundæ esset posterius. Sed Contrà, quia si per primam actionem supponitur esse in rerum natura, ergo implicat substantialiter reproduci per secundam, quia huic secundæ terminus à quo assignari non posset, scilicet non esse rei, cùm supponatur esse per primam productionem; nec dicere valet, terminum à quo fore non esse rei secundum, quia sicut hoc esse secundum habitum per secundam productionem non esset à primo esset diuersum secundum rem habito per primam, ita hoc non esse secundum nequit esse diuersum à primo non esse, nisi secundum modum, quæ diuersitas non sufficit ad nouam productionem substantialem, vt fusiùs in lib. de Gen. nec ad saluandam contradictionem, quod idem simul esset, & non esset. Nec etiam sufficit ad saluandam contradictionem de prioritate, & posterioritate eiusdem rei cum seipsa, licèt enim actio prima, qua intelligitur res existere ex vi alterius causæ, sit prior, quàm secunda actio, qua intelligitur de nouo à seipsa pendere, & inter illas duas actiones concipere possimus ordinem prioris, & posterioris, & per consequens rem, vt productam per primam actionem esse prius seipsa, vt producta, vel conseruata per aliam, tamen tota hæc prioritas versaretur inter ipsas actiones, non inter eandem rem cum seipsa, quia cum res producta, & conseruata per illas actiones diuersas sit omninò eadem in se etiam ratione, non potest intelligi, quòd sit prius seipsa à parte rei, prioritas enim realis essentialiter est ad aliud; & quando dicimus, causam natura præcedere effectum, non solùm intendimus prioritatem actionis ad effectum, sed presertim intendimus ipsius causæ secundam suam entitatem ad effectum, vt postea dicemus.

24 Quartò ex hac doctrina non parum infirmantur præcipua nostræ fidei dogmata, nimirum quod Deus sit improductus, quod vna Persona diuina procedat ab alia, vt Filius à Patre, & non à seipso, posset enim aliquis dicere, Deum vt præexistentem in vno esse independenter ab alio posse esse principium productionis, quia iterum accipiat idem esse à se ipso, atque ita rueret ratio Aug. 1. de Trinit. cap. 1. qui hac ratione probat, Deum esse ingenitum, quia nihil potest generare se ipsum, posset etiam quis dicere, Filium vt procedentem à Patre, & vt præintelligitur in suo esse accepto à Patre per generationem, posse esse principium generandi se ipsum. Respondet Amic. negando vtranque conseq. quia nec Deus est capax causalitatis passiuæ, nec Filius est capax alterius generationis ab ea, quam nunc terminat, est enim terminus illius totalis, & adæquatus. Sed contra, quia proteruus dicere posset ex doctrina Aduersariorum, quòd licèt Deus non sit capax causalitatis passiuæ ab alio, quia est primum ens tamen est capax productionss passiuæ à se ipso, atque ita dicetur productus à se, licèt improductus ab alio, & similiter dicet, quòd licèt Filius sit terminus adæquatus paternæ generationis, quatenus illa ad alium Filium extendi nequit, adhuc tamen esse potest terminus generationis, qua se ipsum producat; malè quoque ex productione in diuinis probaretur realis distinctio personarum, posset enim proteruus dicere, quod secunda Persona non est realiter distincta à prima, sed eadem à se ipsa genita, quamuis enim Pater non sit productus ab alio, poterit tamen dici productus à se ipso, quatenus improductus dici Pater, quatenus productus, dici Filius.

Postremò tota hæc Opinio fundatur in ruinoso principio, quòd nimirum idem effectus possit terminare duas causalitates totales per potentiam Dei, cuius implicantiam ostendemus quæst. seq. Accedit, quod illa secunda actio, ex vi cuius res existit dependenter à seipsa, non esset actio adæquata respectu effectus, vt isti prætendunt, quia actio adæquata dicitur illa, ex vi cuius nulla alia intellecta terminata ad eundem effectum potest poni sufficienter effectus à parte rei, at ista secunda actio non est talis, cum necessariò præsupponat rem eandem existere ex vi alterius causæ, ergo ista actio de suo conceptu non est adæquata, quia per istam solam nunquam poni potest sufficienter effectus.

25 In oppositum Objicitur 1. probando, idem posse se ipsum producere etiam secundum primam existentiam, & productionem de potentia Dei absoluta; inter producens, & productum non est necessaria distinctio realis ex parte principij formalis, & Quo, ergo neque est necessaria ratione principij Quod, saltim de potentia Dei absoluta, patet antecedens ex diuinis Productionibus, vbi principium Quo producendi est natura, in qua non distinguuntur personæ, Probatur conseq. quia producentis, & formæ, qua producens producit, eadem est relatio ad productum, vt colligitur ex 2. Phys. 38. & 5. Met. 2. vbi vult Arist. quod ad idem genus causæ, & principij pertinet ars, & ædificator.

Resp. Scotus 1. dist. 7. q. vnic. inf. Z. concesso anteced. cum sua probat. in diuinis, negando conseq. inde deductam, nam quamuis ibi terminus formalis non producatur de nouo in supposito producto, sed ei à producente communicetur idem numero, quem in se præhabebat, tamen quia nihil communicat sibi ipsi id, quod habet, ideò suppositum, quod communicat naturam, distinguitur à supposito, cui communicatur; sed in creatis non solùm necessaria est realis distinctio inter producens, & productum, vt Quod sed etiam vt Quo, seu inter principium formale, & terminum formalem, quia in generatione creata terminus formalis habetur in producto per veram productionem, & non per simplicem communicationem ob alietatem naturæ, & ita loquitur Philosophus loc. cit. & hac de causa potest vtique essentia diuina in ratione principij formalis in Patre præcedere se ipsam in Filio, vt terminum formalem, quia communicatum præexistere potest communicationi, non sic productum productioni, vt notat Bassol. 1. d. 7. q. vn. in fine.

26 Secundò si aliquid obstaret, quod nihil se ipsum producat, maximè foret, quia ad efficiendum requiritur existentia efficientis, sed hæc non debet præcedere actionem, & effectum; sed sufficit, quod sit in eodem instanti cum actione, & effectu ipso, vnde in eodem instanti dabit, & recipiet existentiam à se ipso. Confirm. quia etiam si prærequiratur prioritas naturæ, hæc tamen non tollit ab actione, quin sit prima productio effectu, nam adhuc in hoc instanti verificatur, quod traducitur de non esse simpliciter ad esse simpliciter.

Respon. ad minorem, quod licèt existentia causæ non debeat præcedere effectum ordine durationis, debet tamen præcedere necessariò ordine naturæ, qui consitit in dependentia huius ab illa, implicat autem, idem esse prius, & posterius se ipso etiam natura, implicat, esse dependens, & independes à se ipso; nec sufficit dicere, esse independens, vt producens, & esse dependens, vt productum, cùm enim causa, & causatum essentialiter includant illa prædicata repugnantia respectu eiusdem, scilicet esse prius, & posterius; dependens, & independens, planè producens, & productum respectu eiusdem ita repugnabunt, sicut esse prius, & posterius; dependens, & independens. Ad Confirm. concedimus totum, sed negamus in eo instanti posse illum influxum ab eodem exerceri respectu sui ipsius.

Tertiò probat Amic. posse idem se ipsum producere per modum secuudæ productionis, quia hìc nulla est repugnantia ex parte causæ, vel ex parte effectus, vel modi agendi; non primum, quia supponitur causa habere existentiam necessariam ad actionem ex vi suæ causæ; non secundum, quia terminus per potentiam Dei est capax duplicis influxus totalis, quare sicut existens ex vi vnius causæ potest recipere influxum ex vi alterius, ita & à se ipso; non tertium, quia in eodem instanti temporis potest, vt existens per primam productionem, res dici priori se ipsa, vt producta per secundam. Resp. repugnantiam esse, quia idem effectus non est capax duplicis influxus totalis, & quando etiam esset capax, non potest hunc influxum à se ipso recipere, quia nihil sibi ipsi realiter præsupponitur, vt iterum à se ipso recipiat illud idem esse, quod habuit ab alio.

27 Quartò omne producens primario intendit effectum producere sibi similem, & secundario à se distinctum, ergo ex vi productionis non repugnat inter causam, & effectum assimilatio identica sine vlla distinctione à parte rei. Nec respondere valet, intendi distinctionem effectus saltim secundariò quia hoc intantum verum est, quatenus naturaliter idem non potest producere seipsum, at hic est sermo de potentia Dei absoluta.

Resp. saltim secundario semper intendi distinctionem inter producens, & productum, vt Quod, etiam vbi terminus formalis habetur in producto per simplicem communicationem vt est in diuinis, quia nihil sibi communicat, quod habet; in creatis vero vbi terminus formalis habetur per productionem, non solùm est necessaria distinctio inter producens, & productum vt Quod, sed etiam vt Quo, & hoc non tantum iuxta communem naturæ cursum, sed etiam ex absoluta rei necessitate, quia in creatis producens, & productum nequeunt per quancumque potentiam conuenire in eandem numero naturam, & hoc solùm cernitur in diuinis, vbi natura est infinita, communicata, non producta. Accedit hoc argumentum æquè probare, quod idem possit seipsum producere in prima productione, quod non concedit Amic. &c.

28 Quinto tandem obicijciunt; Tum quia potentia actiua, & passiua in eodem non repugnant respectu eiusdem, quia idem potest esse in potentia formali, & actu virtuali vt sæpè Scot. docet ergo sic etiam in proposito. Tum quia finis est causa formæ, quæ producitur ab agente, & tamen non distinguitur ab ipsa forma, qua ratione dixit Arist. 2. Phys. 70. finem, & formam concidere in idem numero. Tum tandem quia ait Arist. 2. de Anim. 47. quod licèt idem nequeat generare seipsum potest tamen conseruare.

Resp. ad 1. ex Scot. 2. dist. 25. q. vn. I. concedendo assumptum, & negando conseq. si per potentiam actiuam intelligatur transmutatiua, & per passiuam intelligatur subiectiua, quia sic sunt relationes importantes dependentiam accidentalem inter actiuum, & passiuum, quæ vtique non repugnant in eodem subiecto, quia idem potest efficere in se perfectionem suam accidentalem, & sic accidentaliter à se dependere, at negatur assumptum, si per potentiam actiuam intelligatur productiua, & per passiuam obiectiua, quia terminus existens in potentia obiectiua necessariò supponit in esse suam causam, & in creatis sunt relationes importantes dependentiam essentialem inter actiuum, & passiuum. Ad 2. conceditur totum in causa finali, quia non est vera, & realis causa physica. Ad 3. loquitur

ibi Arist. non de conseruatione propriè dicta, quæ exercetur per verum, & continuum influxum in rem conseruatam, sed de conuersatione impropriè dicta, & indirecta, quatenus à substantia dimanant dispositiones quædam, & accidentia, & quæ ipsam tuentur, impediendo actionem contrarij per resistentiam, de hoc vide quæ diximus disp. 5. de Gen. & Cor. q. 8. n. 184.

ARTICVLVS II.

Conferuntur causæ cum suis effectibus quo ad prioritatem, & perfectionem.

29 Circa prioritatem possunt causæ cum suis effectibus comparari tum ordine temporis, tum ordine naturæ: possunt autem causa, & effectus dupliciter considerari, vel formaliter quantum ad ipsas formales relationes, secundum quas sunt correlatiua, vel materialiter quoad entitates scilicet eorum absolutas per se inspectas, & certum est apud omnes, in primo sensu causam, & effectum esse simul nedum tempore, vt docuit Arist. 2. Phys. 37. & 5. Met. cap. 2. dum ait, causam in actu, & effectum in actu simul esse, vbi per causam in actu terminantem influxum causæ, sed etiam naturæ, quia peculiaris proprietas relatiuorum est, quòd relatiua, vt sic, sint simul natura, ad quam simultatem cùm duæ conditiones exigantur ex Arist. in Postprædicamentis cap. 3. Vna, quod quæ sunt simul natura conuertantur secundum subsistendi consequentiam, quæ sola non sufficit, quia ita se habent subiectum, & passio, & tamen subiectum est prius natura passione, & ideò alteram subdit Arist. quòd nimirum neutrum sit causa alterius; optima ratione causa, & effectus quoad denominationes relatiuas censeri debent simul natura, quia sub tali ratione posito vno ponitur, & reliquum, & comparando ipsas relationes inter se vna non causat aliam, sed est entitas absoluta effectus, quæ sequitur ad virtutem absolutam causæ.

1 Difficultas igitur est de causa, & effectu materialiter consideratis, num sit necesse, quòd causa secundum entitatem suam absolutam antecedat effectum duratione, vt effectus possit, & debeat sibi attribui in ratione causæ, an potius ad hoc sufficiat sola naturæ prioritas, quæ stat cum simultate temporis: Thomistæ negantes, Angelos potuisse peccare in primo instanti videntur exigere prioritatem durationis, nam vt refert Sco. 2. dist. 5. q. 2. §. *Respondeo primo, &c.* præsertim hanc eorum sententiam fundant in ista propositione, quòd omnis operatio, quæ simul incipit cum esse rei, est effectiuè à causa producente rem in esse, quod probant exemplo lapidis, quia descensus grauis simul incipit cum esse eius, ideo descensus ille causatur à generante graue; & præsertim in causis liberis talem prioritatem temporis exigunt Nominales negantes, voluntatem esse liberam eo instanti, quo operatur, & volunt dici liberam, quatenus ante instans operationis poterat illam elicere, & non elicere.

30 Dicendum tamen est, prioritatem durationis in causa ad suum effectum non esse necessariam, sed solam prioritatem naturæ, hanc que solam sufficere, vt effectus ei tribuatur in ratione causæ. Est Scoti 2. dist. 1. q. 3. §. *Tenentes, &c.* vbi ait, quod *causa non causat, inquantum præcedit effectum duratione, sed est causa, inquantum præcedit effectum natura*, quod priùs de causa libera docuerat 1. dist. 39. sub. E. & repetit 2. dist. 5. q. 2. supra C. & in 3. dist. 18. qu. vn. K. & alibi sæpè quem omnes sequuntur Recentiores, Auersa q. 16. sect. 1. Hurt. disp. 6. Phys. sect. 6. & 7. Amic. tract. 14. q. 5. pub. 1. & 2. art. 3. Suar. disp. 26. Met. sect. 2. & alij passim, qui notant vtique contingere posse, vt experientia docet, quod causa secundum entitatem suam præcedat tempore entitatem effectus, immo in aliquo casu id esse necessarium, si v. g. effectus, effici debeat per actionem successiuam, tunc enim necesse esse, quod causa præextiterit in aliquo instanti temporis, post quod immediatè effectus produci incipiat, at hoc totum merè illi accidit in ratione causæ, sicut merè accidit, quod causet in instanti, vel in tempore, quia ad rationem causæ sola sufficit prioritas naturæ.

Probatur autem quo ad 1. partem ex Scot. cit. Tum quia causa non est causa, nisi eo instanti, quo causat, antea enim erat tantum causa in potentia, ergo in ratione causæ non exigit prioritatem temporis. Tum quia si ponamus voluntatem creatam habere esse tantum in vno instanti, posset pro eo instanti elicere actum liberum, & ita fuit de actu diuinæ voluntatis, quo in istanti æternitatis Petrum prædestinauit, ergo vt voluntas dicatur causa libera, non oportet, quod tempore præcedit actum suum, non enim modo est contingens causa, quia præexistebat ante illud instans; in quo causat, & tunc vt præexistens potuit causare, non causare, quia, sicut hoc ens, quando est, est necessarium, vel contingens, ita causa, quando causat, tunc dicitur causare necessariò, vel contingenter. Tum 3. voluntas in primo instanti, vt prior natura suo actu ita contingenter elicit actum suum, sicut si per diem præcessisset actum elicitum, ergo per solam naturæ prioritatem in eodem temporis instanti saluatur in voluntate ratio causæ, & causæ liberæ. Tum 4. quia sic etiam res se habet in causis naturalibus, nam si Deus crearet, vel agens creatum generaret solam substantiam ignis, illa haberet in se causalitatem respectu quantitatis, & caloris, vnde in eodem instanti temporis, in quo esset secundum substantiam, esset quatus, & calidus, quamuis non in eodé instanti naturæ, posito etiam quod ignis vno tantum instanti existeret; & de facto ita resultant in rebus proprietates, & connaturales earum affectiones, in eo nimirum prorsus instanti, quo ipsæ in lucem prodeunt. Tum denique, quia illud necessariò, & per se est supponendum in causa quod exigitur ad productionem effectus, sed ad hoc sufficit, quod causa existat in eo instanti, quo ipse producitur, ergo existentiæ causæ te illud instans prorsus pro accidens se habet ad hoc, vt causa dicatur.

31 Quoad alteram partem, quod nimirum causa sit necessariò prior natura effectu, probat Hurtad. loc. cit. cum Vasq. 1. par. disp. 167. num. 3. quod ex Arist. 5. Met. cap. 11. prius natura dicitur, à quo non conuertitur subsistendi consequentia, quod nimirum esse potest sine alijs, sed alia non sine ipso, sed ab existentia causæ non valet consequentia ad existentiam effectus, quia causa est separabilis ab effectu, valet tamen è contra, ergo, &c. Sed vt benè notat Amic. hæc probatio non valet, quia licèt prioritas secundum consequentiam sit verus quidam modus prioritatis ab Arist. recensitus in Postprædicamentis cap. 2. & ab eodem 5. Met. cap. 11. appelletur modus prioritatis secundum naturam; de hoc enim loquitur ibi, vt notat Scot. in eum textum, tamen confundi non debet cum alio modo prioritatis naturalis, quæ versatur inter causam, & effectum, & dicitur prioritas causalitatis, seu indepentiæ, tum quia hos modos prioritatis refert ibi in Postprædicamentis Philosophus, vt conditinctos, vt Suarez notat loc. cit. num. 8. tum quia vt notat Scot. 1. dist. 7. q. vn. in fine prius secundum consequentiam non semper est prius secundum causalitatem, sequitur enim ignis, igitur calidus, & non è conuerso; ergo calidum est prius secundum consequentiam, & tamen ignis est prius secundum causalitatem; tum quia etiam è contra, vt notat Scot. 3. dist. 2. q. 2. ad 3. ex Arist. cit. priùs secundum causalitatem non semper est prius secundum consequentiam, nam subiectum dicitur causa passionis, & prius ea secundum causalitatem, non tamen secundum consequentiã; materia, & forma vnitæ sunt priores composito prioritate causalitatis, non tamen consequentiæ, quia mutuò se inferunt, neq; partes vnitæ separari possunt à suo communi effectu; tum tandem quia Arist. ipse in Postprędicamentis cap. 3. inter ea, quæ se mutuo consequuntur, agnoscit interdum prioritatem secundum causalitatem, vnde negat, ea esse simul natura, quorum vnum est causa alterius, etiamsi conuertantur secundum subsistendi consequentiam, ergo prioritates istæ sunt conditinctæ, & malè ex vna arguitur alia.

Ex alio igitur cap. probanda est necessitas prioritatis naturalis causæ ad effectum, quia nimirum priùs causa est in se quàm communicet esse effectui, & implicat concipere effectum habere esse à causa, quæ omnino simul fit cum ipso, alioquin non esset maior ratio, cur effectus sit à causa, quàm causa ab effectu. Accedit, quod independens est ex natura rei prius eo, quod ab ipso dependet, cùm debeat supponi existens, ad hoc vt det esse alteri, idque totum est verum nullo cogitante intellectu, etiam si ista duo existere ponantur in vno solum temporis instanti, sed ita se habet causa respectu effectus, etiam si ponatur ei coæuus, quod effectus dependet à causa, & non è contra; ergo, &c. Et hæc est illa natutæ prioritas, quam recenset Aristot. in Postpredicamentis cap. 2. in vltimo loco, & Trombet. in Formalit. art. 4. §. *Alia prioritas, &c.* vbi eam vocat ordinem essentialis dependentiæ, quem ait cadere inter ea, quorum vnum pendet in esse ab alio, & ab eo progreditur vt à causa: vide quæ diximus de prioritate naturæ disp. 9. Log. q. 2. art. 2.

32 In oppositum Obijcitur 1. probando, quod causa in actu primo & secundum virtutem suam, qua dicitur potens agere necessariò debeat præcedere effectũ duratione, ideo enim causa dicitur præcedere effectum, quia vt illum producat, & ei communicet esse, debet ipsa supponi esse, & existere, sed existentia est in duratione reali, nec mensurari potest per istans naturæ, vt sæpè diximus, & notat Rada 1. part. controu. 7. ergo supponi debet præexistens saltim in aliquo temporis instanti.

Resp. quod licet nullius rei existentia mensuretur per instans naturæ, sit quod in aliquo instanti existat id quod dicitur natura prius, & independens, in quo non existat, quod est natura posterius, & dependens, sed ambo simul existant, adhuc tamen benè intelligitur cum fundamento in re & iuxta exigentiam obiecti, quod vnum existat dependenter ab alio, qui ordo essentialis dependentiæ cum sit realis, & non fictus infert necessariò inter extrema prioritatem, & posterioritatem aliquam realem, semper enim ordo includit prius & posterius iuxta naturam eius, & cum existentia sit necessariò prærequisita ex natura rei ad causalitatem, & effectum, in hoc sensu dicimus, existentiam ex natura rei prius præsupponi in causa, quam in effectu, licet simul sit ambobus quo ad durationem.

Secundò, causa libera ita habet potentiam ad operandum vt simul habeat potentiam ad non operandum, sed operatio, & non operatio non possunt esse in eodem instanti, ergo causa libera debet præcedere duratione actum liberum. Resp. ex Scoto cit. 1. d. 39. quod in eodem instanti temporis, quo voluntas operatur intelligitur prius natura habere potentiam ad actum, & posterius natura illum elicere, & in illo priori naturæ habet indifferentiam, siue potentiam ad eliciendum, vel non eliciendum, non quidem coniunctim sed diuisim, & sic operatio, & non operatio sunt possibiles diuisim in eodem instanti; habere autem voluntatem talem potentiam ad opposita disiunctim, ex

ex eo patet, quia immediatè ante instans temporis, quo actu habet huiusmodi potentiam, & in eodem instanti temporis, quo operatur, adhuc hanc potentiam retinet, vt est prior natura ipsa operatione.

33 Tertiò probatur vlterius, quod causa præcedat effectum tempore etiam vt est sub ipso influxu. Tum quia Deus ab æterno est causa in actu, non solum primo, sed etiam secundo; nam actio est in agente, & hæc non potest Deo aduenire de nouo, & tamen nullus fuit ab æterno effectus, sed tantum in tempore. Tum quia vt notat Sonc. 5. Metap. q. 7. quando effectus est res permanens, & per motum producitur, contingere potest, quod causa agat, & effectum non attingat ob aliquod impedimentum, quod sæpè euenit. Tum quia omne agens per motum est prius tempore suo effectu, quia motus esse non potest in instanti; Tum tandem quia ait Philos. 5. Metaph. causam in potentia non esse simul cum effectu, ergo idem esse poterit de causa in actu, quia ita se habet actus ad actum, sicut potentia ad potentiam.

Respond. ad 1. negando assumptum, licet enim Deus sit volens ab æterno, non tamen pro æterno, & vtique potest voluntate antiqua rem creare in tempore, & dici de nouo agens absque vlla sui mutatione per solam terminationem essentialis dependentiæ creaturæ nouiter productæ, vt Scot. ex professo declarat 2. distinct. 1. quæst. 2. Ad 2. in tali casu, quando agens impeditur ab vltimato effectu intento, attingit saltim dispositiones ad illum, & in hoc sensu sicut causa est sub influxu incompleto, ita etiam intelligitur esse cum effectu incompleto. Ad 3. sicut quando effectus instantaneè producitur successiuè, erit simul cum ea secundum partes correspondentes partibus influxus. Ad 4. per causam in potentia non accipit Aristot. causam, quatenus est potens ad existendum, sic enim vrget, paritas, sed quatenus actu existens est in potentia ad causandum, & ita sumptam negat esse simul tempore cum effectu in actu.

Sed dices, causa sub actuali influxu, si non tempore, saltim natura præcedit effectum, nam licet influxus non sit virtus, à qua ponitur effectus, est tamen via, per quam ponitur, & via est prior termino. Respond. quod licet Recentiores id communiter concedant, tamen concedendum non est, nam rationes omnes, quibus probatur, causam sub actuali influxu effectum non posse tempore præcedere, probant etiam non posse præcedere natura, quia actio concipi nequit sine termino, nec concipi potest causam influere, nisi simul concipiatur in fieri terminus influxus, & denique secundum nos influxus est relatio, quæ terminum supponit in esse, & in quo sensu dicatur via ad illum, satis explicatum est disputat. 5. quæstion. 2. Si tamen causalitas, vel influxus fundamentaliter sumatur, quo sensu dicit virtutem absolutam causæ in exercitio, ad quam sequitur immediatè absolutum in effectu, ita admitti potest, quod causa, vt sub ipso actuali influxu est, adhuc præcedit effectum.

34 Quartò Obijcitur è contra, causam ex ratione causæ non debere necessariò effectum suum natura præcedere, tum quia forma præsertim corruptibilis non est prius natura in se, quam informet, ergo non præcedit natura effectum formalem, quem in materia causat, quia effectus ille formalis est ipsamet forma communicata subiecto, tum quia si materia, & forma vnitæ comparentur composito, non videntur existere in aliquo priori naturæ, cum potius existant ad existentiam eius, qua ratione inquit Doctor 4. dist. 1. quæst. 1. B. formam esse in materia, est compositum habere esse, vt omnem excluderet prioritatem partium vnitarum ad compositum, & si essent priores natura composito possent esse sine illo; priora enim natura dicuntur, quæ possunt esse sine alijs, sed alia non sine ipsis ex Aristot. 5. Met.

Ad 1. multi laborant pro solutione, præsertim Suar. cit. sed breuiter dicendum est, quod sicut effectus formalis formæ ergo materiam non in toto rigore est quid distinctum ab ipsa forma, differunt, enim solum, vt concretum, & abstractum, sicut notauimus disp. 5. n. 23. ita non est curandum ponere inter illa verum ordinem prioritatis naturæ; attamen etiam inter ea suo modo potest assignari, quia vt patet ex dictis disp. citat. forma non pendet in sua existentia à materia per vnionem, sed per concursum sustentatiuum, & prius est formam in materia sustentari, quam vniri, vnio enim est duorum iam existentium, & ideò forma non dependet ab vnione, nisi à posteriori, quatenus concursus sustentatiuus formę corruptibili non debetur, nisi dum materiam informat.

Ad alterum, negatur assumptum, quamuis enim existentia totali, & completa partes participatiuè existant existentia totius, existentia tamen partiali, & qua res à non esse recedit, prius existere partes intelliguntur ex Doctore quol. 9. art. 5. & in 4. dist. 1. quæst. 1. per illum loquendi modum noluit negare prioritatem naturæ inter partes vnitas, & totum, sed tantum insinuare necessitatem impedibilem per quamcunque potentiam intrinsecæ causalitatis; & demum Aristot. 5. Metaph. loquitur de prioritate naturæ per inconuertibilitatem vt notat Doctor ibi, non autem per causalitatem, de qua hic est sermo.

35 Circa Perfectionem conferri possunt causæ tam intrinsecæ, quàm extrinsecæ cum suis effectibus, neque est difficultas de causa sub ratione formali causæ, sic enim causa quælibet est perfectior effectu, nam causa sub hac reduplicatione dicit independentiam, & effectus dependentiam, vnde hac ratione concedit Doct. in 2. dist. 12. q. 2. in fine, formam esse imperfectiorem materia; difficultas igitur est de causis, & effectibus quantum ad entitates eorum absolutas, & quidem de causis extrinsecis nihil hic dicendum occurrit, nam de efficiente fusè dictum est superius, quod causa totalis debet esse perfectior, vel saltim æquè perfecta cum suo effectu, licet partialis possit esse imperfectior; de fine etiam dicendum est, posse esse perfectiorem, vel imperfectiorem suis effectibus iuxta intentionem agentis, quod interdum in ordinatè agens rem perfectiorem ordinat ad imperfectiorem, & de hoc parum est curandum, quia causalitas finis non est realis.

De causis igitur intrinsecis est hic præcipua difficultas, tam inter se collatis in ratione effectus, & causæ, quam in ordine ad compositum, si enim materia conferatur cum forma, quæ est effectus eius, ex vna parte videtur nobilior, cum sit eius causa totalis, quæ semper est effectu præstantior, ex alia parte veritas obstat, & communis omnium sensus, formam statuentium materia nobiliorem, vnde hac de causa Flandria 5. Met. q. 2. art. 1. ad 1. negat, omnem causam totalem esse suo effectu nobiliorem. Deinde si causæ intrinsecæ conferantur singulæ per se sumptæ cum suo communi effectu, qui est compositum, dixerunt Auerroistæ quamplures, formam esse perfectiorem composito, quamuis sit eius tantum causa partialis, ita Iand. 5. Met. Zim. Theo. 10. & 69. Perer. lib. 6. c. 5. cum Auer. 2. Phys. com. 4. in quod inclinat Scot. 7. Met. q. 6. Denique Recentiores, quamuis communiter concedant, compositum esse perfectius singulis partibus per se sumptis, addunt tamen, quod simul sumptæ, & vnitæ non exceduntur à toto, sed sunt æqualis perfectionis cum ipso, ita Amic. tract. 14. qu. 6. dub. 1. art. 2. & tenet Fuentes 2. Phys. q. 2. diff. 2. art. 1. secuti Suar. disp. 26. sect. 1.

36 Dicendum tamen, est formam esse perfectiorem materia quoad entitatem, & compositum esse perfectius nedum materia, & forma singillatim sumptis: sed etiam vnitis. Concl. habet tres partes: quo ad primam est Scoti 2. d. 12. quæst. 2. in fine vbi ait, formam esse nobiliorem materia, licèt ab ea dependeat quia est ipsa actualior, quæ ratio fundatur in regula, quam tradiderat in 1. dist. 8. quæstion. 1. ad 1. vbi inquit, quod quando in duobus entibus creatis reperiuntur duæ perfectiones simpliciter, vna in vno, alia in altero illud censeri debet ens perfectius, quod habet perfectionem absolutè nobiliorem alia (quia etiam inter perfectiones, simpliciter dantur gradus in perfectione) qua ratione ibi docet, quòd licèt materiæ competat simplicitas, quæ composito repugnat, quia tamen composito conuenit actualitas, quæ est perfectio maior simpliciter, ideò compositum perfectius est materia prima, & hac rattone etiam in proposito concludere debemus, formam esse materia perfectiorem.

Quo ad alteram partem, scilicet quòd compositum sit perfectius forma docet Doctor quol. 9. art. 3. & cum eo Ant. And. 7. Met. quæst. 5. Zerb. quæst. 3. Faber disput. 8. ex eodem fundamento, quia licèt forma sit actus, tamen compositum est perfectior actus, quia non est actus informans, sed subsistens, & probatur, tum ex Aristot. qui cap. de Substantia dixit, primam substantiam, per quam intelligit compositum, esse maximè substantiam item etiam ratione, quia illud, quod includit omnem perfectionem alterius, & vltra hoc aliam superaddit, est perfectius illo, sed compositum est huiusmodi respectu formæ, nam supra illam addit perfectionem materiæ, & propriæ entitatis, ergo &c. Nec valet, quod ait Perer. & Zimar. materiam non adiungere perfectionem, sed potius imperfectionem. Nam hoc reijcit multis Trombetta 12. Met. q. 5. concl. 3. tum quia materia habet gradum perfectionalem determinatum in entibus, per quem distat à summo ente, & mensuratur ab ipso; tum quia materia est substantia, cùm sit principium intrinsecum compositi substantialis, tum quia est perfectior quolibet accidente, & quodlibet accidens in suo genere dicit aliquam perfectionem; tum quia est essentialiter ens, ergo habebit bonitatem primariam, quæ est perfectio modalis eius; tum denique quia quando etiam nullam superadderet formæ perfectionem ex inclusione materiæ, adderet illam ex additione propriæ entitatis.

37 Quo ad tertiam partem, scilicet quod compositum sit perfectius partibus etiam vnitis, est Scoti 9. dist. 2. quæst. 2. & dist. 22. quæst. vnic. & Prob. tum quia sicut vltra partes vnitas addit propriam entitatem ex Doctore ibidem, ita & propriam perfectionem; tum quia licèt sit dependens ab eis; tamen est actualius illis, actualitas autem est maior perfectio, quàm sit independentia. Nec valet, quod ait Fuentes citat. totum distingui à partibus vnitis, & aliquam perfectionem includere, quam ipsæ non includunt; nempe causationes actuales, sed totum physicum non debere comparari cum partibus vtcunque, sed vt influunt in effectum, & connotant causationem, sic enim æquales sunt perfectionis. Hoc enim nil satisfacit, tum quia falsum est, perfectionem, quam addit totum partibus vnitis, esse solùm causationes actuales earum, nam istæ sunt relationes; & perfectio, quam addit, est substantialis; tum quia si istæ causationes sumantur fundamentaliter, vt videtur ipse sumere 1. Phys. quæst. 6. num. 18. & 20. vbi asserit totum esse partes vnitas actualiter causantes, adhuc falsum est, totum non distingui à partibus etiam sic sumptis, nam totum non est partes vnitæ actuali-

ter

ter causantes, sed terminus talium causalitatum, vt fusè supra probauimus.

In oppositum Obijcitur 1. quòd forma sit perfectior composito, cum auctoritate Arist.7.Met.tex.7. vbi ait *si species materia est prior, & magis ens, ipso quoq; quod ex vtrisq; est, prior erit ob eandem rationem*, tum ratione, quia forma est essentialiter actus, compositum verò est in actu per formam, ergo forma erit perfectior.

Resp. ad auctoritatem illam, in communi codice non sic legi, sed potius opposito modo, *si forma prior est materia, & materia, & magis ens; illud quoque, quod ex ambobus est, prius erit*, quòd si etiam illi lectioni adhærere velimus, adhuc auctoritas non cogit, quia vt notat Tromb.cit. Arist. ibi permittit, quod forma est prior, & magis ens materia; & sic tangit duo, comperando formam ad materiam, quatenus informatum, scilicet prioritatem, & maioritatem in entitate, cùm verò comparat formam ad compositum, comparat secundum prioritatem, non secundum maioritatem, vnde inquit, *ipso, quòd ex vtrisq; est, prior erit*, non autem magis ens. Ad rationem compositum est perfectior actus forma, quia subsistens, & non informans, & est actus completus non incompletus, & hanc suam consummatam actualitatem non habet ratione formæ præcisè, sed etiam ratione materiæ, quia etiam materia suo modo est pars quidditatis, licèt minus præcipua, & habet suum actum entitatiuum, de quo vide Scotistas præcitatos.

38 Secundò Obijcitur, quòd compositum saltim non sit perfectius materia, & forma vnitis ex Amic. & Fuent. quia effectus omnem perfectionem, quam habet, à causa totali habet, qua ratione Doctor in 4. d.12.q.3. inquit, causam totalem non posse esse suo effectu imperfectiorem, sed materia; & forma vnitæ sunt adæquatæ causæ totius, ergo totum non addit aliquam perfectionem, quam partes vnitæ saltim virtualiter non contineant, & hac ratione etiam probari potest, formam non esse perfectiorem materia, cùm ab ea pendeat vt à causa totali. Accedit, quòd totum solùm est suæ partes vnitæ, & actualiter causantes, ergo æqualis est perfectionis cum ipsis, quatenus actu causant.

Resp. quod licèt materia, & forma vnitæ sint causa totales, & adæquata in genere causalitatis intrinsecæ respectu compositi, quatenus sunt omne id, quod intrinsecè concurrit ad constitutionem eius, non tamen sunt causa totalis simpliciter, & absolutè idest non sunt omne id, quod concurrit in quocunque genere causæ, concurrit enim etiam efficiens, quod verè, & physicè attingit tertiam entitatem, vt notat Scot. 1.d.8. quæst. prima D. & sic etiam dicendum ad illud de forma, quod vtique causatur totaliter à materia in genere causæ materialis, sed etiam efficiens concurrit in proprio genere. Ad Confirm. negatur assumptum, quòd si in hoc sensu tenet Fuent. totum distingui à partibus vnitis, quatenus addit super illas actuales causalitates, valde decipitur, nec mentem Doctoris percipit, qui per tertiam entitatem partibus vnitis additam non intelligit causalitates partium, sed terminum harum causalitatum, quòd si dicat causalitatem sumere materialiter, & ita inspectam esse entitatem effectus in fieri, & vt à causis pendet, vt sæpiùs ipse docet Tract. de Causis, adhuc etiam decipitur, nec mentem Doctoris percipit, qui in 2. d. 1. quæst. 2. & alibi sæpè vult, virtutem absolutam causæ esse causalitatem fundamentaliter sumptam, & in 4.d.13.q.1. solùm æquiuocè ait actionem dici de re acta, quatenus est ab agente, nam propriè est terminus actionis, & non actio.

ARTICVLVS III.

Conferuntur causa cum effectibus quoad determinationem eorum tam in specie, quàm in indiuiduo.

39 CIrca primam determinationem est difficultas, quia esto causa quælibet creata in omni genere causæ determinata sit ad certum genus effectuum, vt ipsa experientia docet, & inductione probari potest, nam non omne agens creatum potest omne effectus producere; non quilibet finis ad quaslibet operationes mouere non quodcunque subiectum recipere quascunque formas, nec quælibet forma cunctos effectus formales tribuere, sed singularum harum causarum genera ad certum genus effectuum determinata sunt: adhuc tamen ad vnam certam speciem non sunt determinata, nam finis vnus, & idem, sicut acquiri potest medijs specie diuersis, ita ad varias specie operationes potest mouere; idem quoque subiectum potest diuersas specie formas recipere, vt constat de materia prima: & in genere efficientis causæ, quamuis agens vniuocum ad vnum specie effectum limiteur, tamen agens æquiuocum virtutem habet ad effectus specie diuersos, immo & quandoque oppositos, & contrarios, quod non solum in causis liberis verum est, sed etiam in causis naturalibus; Sol enim lutum indurat, & ceram liquefacit, in lacte dulcedinem causat, in absinthio amaritudinem, quod etiam in quibusdam causis inferioribus cernitur; & etiam in alijs causarum generibus, nam idem subiectum recipit formas, concrarias successiuè, idem finis mouet ad operationes contrarias; difficultas igitur est, vnde huiusmodi causæ sic illimitatæ determinentur ad effectum in certa specie.

Dicendum est, causas naturales in quocunque genere ad plures specie effectus indeterminatas, ad certum effectum in specie determinari ex varijs causis secum concurrentibus, & varijs conditionibus occurrentibus. Concl. colligitur ex Scot. 1.d.3. quæst. 7. Bb. vbi docet, intellectum ad multas intellectiones specie differentes illimitatum determinari ad vnam, vel alteram in certa specie à certo obiecto concurrente, & Solem ad generationem hominis determinari ex concursu hominis, & bouis ex concursu bouis; sic etiam ex diuersitate dispositionum materiæ, circa quam agit, lutum indurat, & ceram liquefacit, in materia lactis dulcedinem producit, in materia absinthij amaritudinem; sic etiam è contra materia ab hoc, vel illo agente, cuius actioni substernitur, determinatur ad hanc, vel illam formam recipiendam. Immo Scot. 9.Met.q.15. §. *Per dicta potest responderi, &c.* ad hoc propositum docet, quòd licèt causa naturalis sit quandoque illimitata, & principium oppositorum in materijs disparatis, positis tamen necessario requisitis, ita est determinata ad vnum illorum, sicut causa vniuoca, quæ est vnius tantum effectus specie productiua, nam cum materia sic disposita necessariò hunc specie effectum ita producit, vt sic manens alium producere nequeat, & sic intelligendæ sunt axiomata illa de causis naturalibus communiter à Philosophis pronunciata, *Natura est determinata ad vnum*, quod colligitur ex 2. Phys. & *idem manens idem semper facere idem*, quod colligitur ex 2. de Gen. 18. hæc dicta sunt intelligenda de causis naturalibus eodem modo se habentibus cum ijdem concausis, & conditionibus, sic enim determinantur semper ad vnum, & eundem specie effectum, vt explicat Doct. quol. 2.F. & 2.d.2.q.2.F. ex quo deducitur, causam naturalem non efficere contraria, nisi per accidens, vt indicauit Arist. 2. phys. 30. & 5.Met.c.2. exemplo nautæ, qui per præsentiam est causa salutis per se, quia per artem suam positiuè operatur salutem nauis, per absentiam verò est causa per accidens naufragij, licèt Suar. disput. 26. sect. 6. & Auersa q.16. sect. 2. velint, nautam esse per se causam contrariorum, quatenus ex sua libertate potest assistere, aut recedere à naui, vnde dicunt Aristot. exemplum pertinere ad causam liberam.

40 Causam verò liberam vnanimiter inquiunt omnes se ipsam determinare ex sua libertate ad certum actum in specie, v.gr. ad amorem, vel odium, ad volendum, aut nolendum, idque intelligi debere etiam positis omnibus conditionibus necessarijs & prærequisitis ad operandum, & in hoc distinguì à causis naturalibus, ita Suar. & Auers. cit. & sequitur Amic. tract. 14.q.9. & colligitur ex Arist. 9.Met. text. 3. vbi ait, potentiam rationalem posse esse principium effectuum contrariorum, irrationalem verò vnius tantum. Sed hoc absolutè intelligendum non est, si teneamus, bonum esse non posse, nisi obiectum amoris, & malum odij; nam cùm à talibus obiectis necessitetur voluntas quo ad actus specificationem, planè per talem indeterminationem ad effectus contrarios causa naturalis à libera secerni non valebit in vniuersum, sed tantum circa quædam obiecta, quæ bonitatem habent admixtam alicui imperfectioni, aut malitiæ veræ, vel apparenti, nam circa talia obiecta voluntas est libera, etiam libertate contrarietatis, & specificationis, idest ad oppositos actus, velle, & nolle, & in hoc sensu intelligendus est Philos. cum 9.Met. text. 3. penes indifferentiam ad contraria potentiam rationalem ab irrationali secernit.

Absolutè igitur loquendo, & in vniuersum, causa liberè discerni debet à naturali per indeterminationem ad contradictoria, scilicet ad agere, & non agere, positis enim omnibus necessariò prærequisitis ad agendum, voluntas potestatem habet agendi, & non agendi, at causa naturalis remanet prorsus determinata ad alteram contradictionis partem, scilicet ad agendum, & penes hanc indifferentiam contradictionis nimirum essentialiter distinxit Aristot. 9. Met. text. 18. potentias rationales ab irrationalibus, quòd illæ, positis omnibus requisitis ad agendum, possunt operari, & non operari: at istæ, positis omnibus requisitis, nequeunt non operari, indeterminatio igitur ad contradictoria, non ad contraria est illa, quæ essentialiter, & in vniuersum distinguit causas liberas à naturalibus, ita docuit Scot. 1.d.1.q.4.ad 3. & 4.d.12.q.3.M. & quol. 18.ar.2. quibus in locis tradit ex professo hanc doctrinam, idque totum accuratè notauit Lich. 1.d.6.q.2. §. *In ista littera, &c.*

41 Circa determinationem causarum ad certos effectus in indiuiduo censent aliqui, sumendam esse à circumstantijs, & conditionibus indiuiduantibus obiecti, & dispositionum, ignis v. grat. circa hoc lignum, hoc loco, & tempore sibi approximatum non potest, nisi hunc numero inducere calorem; & materia sic, & sic disposita non potest ab hoc agente, nisi hanc numero formam recipere, nec forma aliam numero materiam informare, ita indicauit Fonseca 5. Metaph. cap. 2. quæst. 14. sequitur Franciscus de Raconis in Physica sect. 3. de concursu Dei cum causis secundis quæst. 3. propos. 2. & Faber inclinat 1. disput. 54. num. 48. & enixè tuetur Vasquez tom. 1. in 3. part. disput. 74. c. 8.]

Opposita sententia, causam scilicet secundam tam naturalem, quàm liberam determinari ex concursu primæ ad singularitatem actus, est communis, quam docuit Rubion cum cæteris Nominalibus 2.d.34. quæst. 2. in corpore quæsiti, idem sentiunt Bassol. 4. d.43. quæst. 2. Tatar. in prædic. c. de oppositis, §. *Tertiò sciendum, &c.* vbi inquiunt, non posse naturaliter eundem numero effectum redire, quia de lege ordinarta nunquam Deus eundem numero præstat concursum, P. Vulpes tom. 1. p. 2. disput. 5. art. 3. num. 11. & disput. 7. art. 5. & videtur sententia Doctoris 4.d.43. quæst. 3. vbi inquit, quòd quantum est ex parte naturalium causarum, possent interdum redire idem numero effectus, quia multæ combinationes causarum possunt naturaliter iterum poni, vnde quòd non redeant, videtur secundum ipsum in diuinam voluntatem reduci debere; hanc sequuntur communiter Recentiores, Auersa q.16. sect. 3. Suar. disput. 5. Met. sect. 3. num. 34. Conimbr. 2. Phys. cap. 7. qu. 15. Hurt. disput. 10. Phys. sect. 4. & alij passim.

42 Dicendum igitur est cum hac posteriori sententia, quæ est communior, & Scoti principijs conformior, quòd cum causa creata, quantùm est ex se, sit indifferens ad producendum in hoc tempore, & loco cum omnibus alijs circumstantijs in hoc subiecto varios effectus numero distinctos, determinatur à Deo, vt certum quendam singularem effectum producat. Conclus. est Scoti, & Scotist. loc. cit. & Prob. 1. ex P. Vulpes cit. quia causa naturalis etiam sub requisitis ad agendum considerata est indifferens ad plures effectus numero producendos, quia hæc ad agendum requisita dicunt determinatum ordinem ad vnum effectum specie, non autem numero, ergo talis determinatio in concursum diuinum per se primò reuocanda est tanquam in causam propinquam, & proximam. Confirm. ex Rubione, quia licèt causa naturalis sit determinata ad agendum certum effectum in specie, vt ignis ignem, non tamen indiuiduum, ergo licèt ignis non indigeat aliquo determinante ipsum ad producendum ignem, indiget tamen aliquo determinante ipsum ad certum, & determinatum indiuiduum producendum, non enim magis hic ignis produceret nunc istum ignem, & postea alium à priori distinctum, quàm è conuerso, & ita vel vtrumque simul produceret, vel neutrum producere posset. Accedit ex eodem, quod nisi ita dicamus, nulla videtur assignari posse ratio, quare eadem res corrupta non possit naturaliter riparari, cùm enim ignis iste corruptus non magis sit nihil, nec impossibilis, postquam corruptus est, quàm fuerat, antequam esset ab alio igne productus, non minus nunc est in potentia materiæ, & virtute agentis, quàm antea, planè si idem ignis applicetur eidem materiæ, non videtur quare eundem ignem reproducere nequeat, nisi quia prima causa non vult coagere secundæ ad eundem effectum numero, nisi semel, & hæc est ratio, quare Sol quotidiè idem lumen in vniuersum non producit, & intelligentia eundem motum in Cœlo.

43 Respondent, indiuiduationem effectus prodire ex varijs circumstantijs occurrentibus, quia nimirum agens agit in hoc subiectum hic, & nunc, ex quibus determinatur illimitatio virtutis agentis ad vnum numero effectum. Contrà hæc limitatio in primis ex parte subiecti prouenire non potest, nam sicut agens, v.g. ignis; est de se indifferens ad vnum, vel alium calorem numero producendum, ita è contra subiectum v. gr. aqua est de se indifferens ad recipiendum hunc, vel illum numero calorem. Nec prouenire potest hæc limitatio ex parte loci, quia locus non est causa actiua caloris, nec determinatiua ignis ad hunc calorem producendum, aut aquæ ad recipiendum, quia successiuè in eodem loco idem ignis producit in eadem aqua calores numero diuersos, & idem numero calor in eadem numero aqua posset replicari à Deo in alio loco. Nec prouenire potest ex parte temporis, quia tempus est omninò extrinsecum effectui, nec aliquid imprimere videtur in causa, vel in effectu, nam duo agentia eodem tempore applicata producunt diuersum effectum; & sunt aliqui effectus, qui nullum prorsus sibi determinant certum tempus, & indifferenter existere possunt, & produci in hoc, vel illo tempore, vt notat Doctor cit. sub E. sic Christus fuisset idem, qui nunc, si in ventre Virginis fuisset in vno instanti conceptus priùs, vel posteriùs, quàm fuerit de facto; idem esset mundus, si per annum priùs, vel posteriùs fuisset productus, quam de facto fuerit; idem denique foret Angelus à Deo productus mense Martio, vel Augusto, & stultum prorsus foret asserere oppositum, ne dicamus erroneum, quod si negaretur, eundem esse Angelum mense Martio productum, & Augusto, tunc ait Hurt. §. 67. distinguendi forent Angeli, sicuti fructus in vernos, & autumnales, vel æstiuos, nam aliqui forent Angeli, qui non peterent produci, nisi verè, alij nisi æstate, alij nisi autumno.

44 Respondent, quod licèt nulla singularis causa, aut circumstantia petat determinatè hunc effectum, sed omnes sint indifferentes per se sumptæ, tamen tota collectio illarum petit determinatum effectum; Contra, si nulla singularis causa, aut circumstantia petit determinatum effectum, ergo vna alteri coniuncta nequit eam determinare, ergo tota collectio illarum ita manet indeterminata ad singularitatem effectus, sicut singulæ per se sumptæ, Probatur conseq. à pari, quia sicut ex multis vniuersalibus, licèt fiat aliquid minus vniuersale, nunquam tamen fieri potest aliquod particulare sine hæcceitate, ita in proposito, &c. Accedit, quòd omnis, aut saltim aliqua combinatio causarum secundarum potest naturaliter iterum poni, præsertim in effectibus, qui non dependent directè à tempore reali, vt est motus Cœli, qui à tempore non dependet directè, cùm ipsemet sit formaliter tempus extrinsecum reale mensurans motus inferiores, immo de facto hoc die est idem Angelus, qui mouet Cœlum, est idem Cœlum, quod motum suscipit, est idem locus, in quo fit motus, cur igitur Cœlum hoc numero motu voluitur hodie, & non motu esterno, vel crastino? Neq; dicas, id esse, quia hodiernus motus dependet ab hoc numero tempore imaginario, quia cùm tempus imaginarium nihil sit, non videtur quomodo determinare possit causas ad vnitatem numeralem effectus, talis enim determinatio est quid reale, & non imaginarium.

Secundò hæc eadem determinatio ad virtutem naturalem effectus per concursum primæ causæ necessaria etiam est in causis liberis, tum quia rationes allatæ de naturalibus eodem modo concludunt de liberis; tum quia experimur, nos non esse liberos ad eliciendum potius hunc actum numero, quam alium circa idem obiectum, neque enim de ea re fit à nobis consultatio, vel deliberatio, quia nec agnoscimus rationes indiuiduales eorum, ad hunc ergo vnum numero actum determinamur à Deo sicut determinantur aliæ causæ naturales; tum tandem quia hoc satis consentaneum est diuinæ scientiæ, & prouidentiæ, quòd sicut ab æterno decreuit in tali rerum serie, & circumstantijs me voliturum obiectum, decreuit quoq; simul me voliturum per talem numero volitionem, alioquin distinctè non videret actum à me tali tempore, & loco eliciendum.

45 In oppositum Obijciunt 1. Tum quia Aristot. 2. Phys. 38. effectibus in genere assignat causas in genere, & effectibus singularibus causas singulares. Tum 2. quia causa secunda propria actione attingit effectum secundum omnem eius formalitatem etiam indiuiduam, ergo eius actio ex se determinata est ad hunc numero effectum. Tum 3. si causa est indifferens ad vnum effectum, erit etiam indifferens ad infinitos, quod repugnare videtur eius virtuti finitæ. Tum denique si haberet vim ad plures numero effectus, posset quoque effectum iam præteritum reproducere, nam habet virtutem ex se indifferentem ad omnes, ex quo sequitur, posse eundem hominem decidere semen idem, & disponere materiam ad vnionem animæ filij mortui, atque ita ad eius suscitationem virtute natiua cooperari.

Resp. ad 1. sensum Arist. ex ipso contextu colligi, ait enim quòd sicut secundum rationem genericam assignantur causa, & effectus, vt statuarius statuæ, ita etiam assignari debent secundum rationem indiuidualem, vt hic statuarius huius statuæ, non quia hæc statua determinaret præcisè hunc statuarium, vel è contra, sed cum actiones sint singularium, non potest hic artifex efficere, nisi statuam singularem, non tamen determinatè hanc, vel illam. Ad 2. attingit vtique causa secunda per suum concursum formalitatem etiam indiuiduum effectus, sed non nisi quatenus eius concursus ex se indifferens ad plures numero effectus disiunctim, determinatur ex coniunctione cum concursu primæ ad hunc numero effectum. Ad 3. causa secunda est indifferens ad infinitos numero effectus sincategorematicè, non quidem collectiuè, sed diuisiuè, & successiuè vnum post alium, quod non est inconueniens, quia vnus effectus non postulat maiorem virtutem in causa, quàm alter, sed eadem sufficit ad singulos ponendos successiuè. Ad 4. non potest reproduci à causa secunda effectus iam præteritus, quia vt supra diximus, decreuit Deus non concurrere ad vnum, & eundem effectum, nisi semel, vt continuetur varietas indiuiduorum in vniuerso, vnde repugnantia non est intrinseca ex causarum, & effectuum naturis exorta, sed ex decreto Dei extrinseco: hinc Scot. cit. §: *De secundo art. &c.* concedit. possibile esse naturæ reducere corpus mixtum idem animæ susceptiuum, sed inquit, non esse possibile reducere idem eodem modo, quo fiet in die Iudicij in quo illicò tot corpora extrahentur ex animalibus, ex terra; & tot millia animarum infundentur in ea, totque homines sine concursu maris, & fœminæ reproducentur, ex quibus capitibus miraculosa erit resurrectio mortuorum, & viribus naturæ impossibilis.

46 Secundò Obijcitur, quòd ita dicendo, læditur libertas in causis liberis, quia non solùm est libera voluntas ad actum in specie, sed etiam in indiuiduo, non enim solùm est libera voluntas ad amandum, & non amandum, aut odio habendum, sed etiam ad amandum hoc amore ita intenso, sic arguit Vasq. loc. cit. Addit Franc. de Raconis, quòd si ad quamlibet actionem in particulari, & in indiuiduo Deus determinaret causam secundam, eam pariter ad actus malos in particulari, & in indiuiduo determinaret v. g. ad hoc in particulari homicidium, quod impium est. Denique ex eodem concursus Dei, quem causis secundis exhibet, est vniformis, nam Deus vniformiter omnia operatur, vt docet D. Dion. 4. de Diuin. nom. ergo sicut diuersitas specifica effectuum sumitur ex concursu causæ secundæ, qui determinat concursum primæ quo ad speciem actus, sic etiam diuersitas indiuidualis ex parte causæ secundæ cum his, vel illis circumstantijs positæ sumi debebit, nam prorsus implicat, causam primam determinari à secunda ad speciem actus, & postea ipsam determinare secundam ad indiuiduationem, planè si concursus Dei est determinatus quo ad indiuiduum, erit quoque determinatus quo ad speciem.

Resp. negando assumptum, in nobis enim nulla alia solet poni libertas, quam specificationis; quæ est ad oppositos actus, & exercitij, quæ est ad actum, & suspensionem actus, nec vlterior ponitur libertas ad eliciendum potius hunc numero actum, quàm illum, ad Probat. dicimus, ideò nos liberè amare amore sic intenso, quia per illum ita liberè amamus, vt eum suspendere possimus, & non quia alium consimilem sine determinatione primæ causæ elicere valeamus; neq; per hanc determinationem cogimur ad hunc numero actum amoris eliciendum, quia cum tali determinatione stat libertas exercitij, sed supposito, quòd aliquem actũ sic intensum elicere velimus, cogimur ad hunc numero actum eliciendum, & non illum ex vi talis determinationis, quę proprie non est coactio, quia non est in nobis libertas ad hunc,

hunc, vel illum actum in indiuiduo, idest ad hunc vel illum amorem circa idem obiectum.

47 Ad 2. determinat Deus actum illum in indiuiduo, quæ ad entitatem, non quo ad malitiam, nam in ordine ad istam permissiuè se habet, neque ob id dicitur causa peccati, quia peccatum vt peccatum reduplicat modum, quo peccaminosè oritur à sua causa, sicut vitalitas formaliter reduplicat modum vitaliter producendi actum, vel tendendi in obiectum, vt notauit Hurt. cit. §. 72. actus autem malus in indiuiduo non oritur à Deo modo peccaminoso & imputabili, quia Deus non tenetur dare rectitudinem actui, sed sola voluntas creata, & si actus non elicitur rectus, id voluntati diuinæ imputari non debet, quia per ipsam non stat, quin eliciatur actus rectus, quicquid enim Deus dat antecedenter, d. ret etiam consequenter, nisi humana voluntas obuiaret, ità docuit Scot. 2. d. 37. T. quem sequitur Rubion. d. 34. q. 1. propè finem, de quo fusiùs agere spectat ad Theologum.

Ad 3. concursus Dei materialiter inspectus non solùm est vniformis, sed vnus, & idem numero ad effectus, quantumuis specie diuersos, quia est simplicissimus actus diuinæ voluntatis, virtualiter tamen est multiplex ob suam illimitationem pro effectuum diuersitate, neque indiget determinari ad hunc, vel illum effectum specie à concursu causæ secundæ, nam sicut Scot. 1. d. 35. quæst. vn. ad 3. princ. loquens de diuina essentia inquit, quòd non indiget determinari, vt sic distincta ratio intelligendi hoc, vel illud ens creatum, quia eadem ratio intelligendi illimitata potest esse propria ratio intelligendi quodcunque eorum, ad quæ est illimitata, sicut si esset limitata ad vnum tantum, ita eodem modo dicimus de concursu diuino; Et verissimum est, quòd qui ponunt concursum Dei indeterminatum quo ad speciem, & indiuiduum, magis consequenter loquuntur, quàm qui illum ponunt determinatum in indiuiduo, & indeterminatum in specie; planè hæc est manifesta repugnantia, quam frustra euadere conatur Hurt. cit. §. 62. & 63. vbi distinguit de specie vt contrahitur singularitate ad compositionem indiuidui, vel secundum suam rationem communem præcisè, & in primo sensu concedit, concursum primæ causæ esse determinatum quo ad speciem, quia omnes gradus superiores sunt à parte rei idem cum indiuiduatione, non autem in alio sensu, imò sic determinari à concursu secundo, nam eadem actio procedens ab igne, & à Deo tantum dicitur calefactio, quia oritur ab igne, & sic determinatur voluntas Dei per calorem, vt velit cum eo concurrere ad calefaciendum.

Hæc ipsa respon. conuincit Hurt. nam si concursus Dei est terminatus secundum speciem, vt contrahitur ad singularitatem, quia à parte rei gradus superior est idem cum indiuiduo, planè concedit id, quod contendimus, concursum nempè Dei esse à parte rei determinatum, vt exhibetur causis secundis, tam in specie, quàm in indiuiduo, quòd verò sic indeterminatus secundum speciem, vt est conceptus communis ab indiuiduis præcisus per intellectum, parum refert, quia loquimur de concursu Dei, vt est à parte rei, & vt attingit effectus causarum secundarum, non autem secundum nostrum considerandi modum; actio, autem, qua cum igne concurrit, dicitur calefactio, quatenus est ab igne, & non à Deo, non quia concursus ignis determinet concursum Dei, sed quia actio semper sumit denominationem à causa propinquiore, quæ assimilatur effectui formaliter, & non à remotiori, quæ assimilatur tantum virtualiter, vt notat Doctor 1. d. 3. q. 7. sub Aa.

QVÆSTIO III.

Vbi comparantur effectus cum suis causis.

48 PRo complemento huius disputationis conferendi sunt tandem effectus cum suis causis, & quamuis in ista collatione multa examinari possent scitu digna, duo tamen sunt, quæ præsertim disputari solent, primum est, an effectus certas causas sibi determinent, ita quòd, qui ab vna producitur, non potuerit ab alia etiam consimili formaliter, si est vniuoca; vel virtualiter, si est æquiuoca, & sub eisdem circumstantijs produci, an potius potuerit in eisdem circumstantijs indifferenter à qualibet consimili produci. Alterum est supposito, quod diuisim possit esse idem effectus à pluribus causis consimilibus, & totalibus, num etiam possit esse coniunctim ab vtrisque.

ARTICVLVS I.

An idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis diuisim.

PRoponitur quæsitum de identitate effectus numeralis, quia quantum ad speciem concedunt omnes, posse eundem effectum à pluribus causis etiam genere differentibus produci, vt v. g. eundem calorem ab alio calore, ab igne, à Sole, à motu &c. quod non solùm conceditur in genere causæ efficientis, sed etiam in alijs generibus, nam eadem materia subijcitur formis specie diuersis, & idem opus efficitur ob varios fines. Proponitur etiam quæsitum de causis secundis eiusdem ordinis, & totalibus, nam pariter concedunt omnes, posse Deum producere eundem numero effectum à causa secunda sibi subordinata producibilem, quia continet eminenter, non solum perfectiones specificas, sed etiam indiuiduales causarum secundarum. Et quamuis quæstio examinari posset de causis secundis in quolibet genere causæ, non tamen tractabimus solùm de causis extrinsecis, præsertim efficientibus, nam si loquamur de intrinsecis, certum est, quòd hic numero effectus harum causarum intrinsecarum, v. g. compositum ex hac materia, & forma, non potest idem numero esse ab alijs causis intrinsecis, tum quia vnitas numeralis effectus pendet ex vnitate causarum intrinsecarum, vt docet Scot. 2. d. 20. q. 2. sub C. tum, quia causæ intrinsecæ concurrunt ad suos effectus, communicando, & exhibendo se ipsas, ergo sicut vna causa non potest esse realiter idem cum alia causa, à qua realiter distinguitur, ita hic numero effectus, cum includat hanc numero materiam, & formam, & non aliam, non poterit esse effectus alterius materiæ, & formæ. Et demum intelligitur quæstio non solùm de causis vniuocis, & formaliter consimilibus, sed etiam de æquiuocis continentibus in se virtualiter totam speciem alicuius effectus, vnde non solùm quæritur an ignis hic, & nunc productus ab hoc igne, potuerit ab alio igne produci cum eisdem circumstantijs, sed an pariter potuerit produci à Sole, à silice, & ferro, quæ sunt causæ æquiuocæ.

49 In hac controuersia tres extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media, Prima tenet, effectum eundem numero, qui producitur ab vna causa, potuisse etiam ab alia consimili formaliter, vel virtualiter produci, præsertim si fuisset sub eisdem circumstantijs, & fuit Scoti 2. d. 20. q. 2. & 4. dist. 43. q. 2. quem sequuntur Recentiores ferè omnes, Suar. in Met. disput. 25. sect. 5. Ruuius 2. tractat. 7. q. 2. Morisanus disputat. 3. Phys. q. 25. Auersa q. 26. sect. 4. & est communis inter Nominales.

Altera sententia affirmat, quemlibet effectum determinare sibi certam causam singularem, ita quod hæc numero forma, non possit ex natura sua, nisi ab hoc agente produci, & ex hac materia educi, & addunt aliqui, oppositum nec per diuinam potentiam fiere posse, vnde consequenter inquiunt, quamlibet causam singularem continere in sua virtute certam quandam seriem indiuiduorum distinctorum ab ijs quæ continentur in virtute alterius, ita Perer. 8. Phys. c. 15. Conimbr. 1. Phys. cap. 9. q. 11. art. 4. & 2. Phys. cap. 7. q. 15. Masius 2. Phys. trac. de Causis sect. 5. q. 3. qui citat plures Thomistas, Amic. 2. Phys. tr. 14. q. 7. dub. 2. artic. 3. & Compl. 2. Phys. d. 15. q. 4. Ioan. de S. Thom. q. 10. Phys. art. 5. Manca 2. Phys. q. 8. dub. 6. licèt aliqui ex his auctoribus non satis exprimant, an hoc sit impossibile spectata etiam absoluta Dei potentia.

Tertia demum Opinio negat, eundem numero effectum, qui est ab vna causa, posse per absolutam Dei potentiam, ita Murcia 2. Phys. disp. 4. q. 8. citans pro hac sententia Scotum, sed immeritò, Ranc. de Raconis tr. de Principijs sect. 2. de Causis in specie q. 3. ar. 4. memb. 2. & alij quamplures hanc sententiam tenent; qui solent promiscuè citari pro secunda.

50 Dicendum est pro resolutione quæsiti, nullum dari effectum in indiuiduo, qui ex suis intrinsecis principijs postulet hanc numero causam, ita quod non potuerit produci ab alia causa consimili formaliter, vel virtualiter; Concl. est Scoti loc. cit. quem præter exteros iam cit. sequuntur Scotistæ omnes circa illa loca, & Fab. theor. 42. & 5. Metaph. disp. 6. c. 1. Sghemma 2. Phys. digress. 16. q. 2. Fuentes 2. Phys. q. 9. diff. 4. solet hæc Concl. à diuersis probari diuersimodè, quæ rationes vt plurimum non concludunt, vt notat Auersa citat. & præsertim Suar. & Ruuius rationes Scoti ad hanc conclus. renuentes vt inutiles, quasdam adducunt ipsi, quæ nihil prorsus concludunt, & sunt facillimæ solutionis, vt notat ibidem Auersa, vnde potiores rationes pro hac sententia sunt Scoticæ, ex quibus Physicas adducemus, nam Theologia, qua probat, electos modo natos à patre reprobo, fuisse in statu innocentiæ nascituros ab electo, supponit, prædestinationem factam fuisse ante præscientiam lapsus naturæ, quod Theologicum principium in Schola Subtilium excedit Physicæ limites.

Relicta igitur hac theologica ratione, quam affert in 2. dist. 20. q. 2. Probatur modo philosophico ab eodem ibidem adducto, ad hoc vt effectus sit idem numero, sufficit, si habeat eandem numero materiam, & formam, vnde in resurrectione mortuorum homo quilibet erit idem numero, quia diuina virtute forma cuiusque hominis iterum vnietur cum eadem numero materia, sed materia, ex qua ignis A. generat ignem B. potest applicari igni C. & ex qualibet materia educi potest quælibet forma, materia enim est indifferens ad omnes formas, ergo ignis B. æquè potest generari ab igne A, & ab igne, C, quia à quocunque generetur, erit eadem numero materia, & forma. Respondent Amic. art. 4. cum Thomistis ad identitatem numeralem effectus sufficere vtique eandem materiam, & formam, sed ex eadem materia non posse quamlibet formam à quouis agente educi, sed vnam seriem formarum non posse, nisi ab hoc agente produci, & in hac numero materia recipi, & sustentari.

51 Sed contrà, nam hæc determinatio vel oritur ex parte formæ, ita quod series quædam formarum non exigat recipi, nisi in hac numero materia, vel ex parte materiæ, ita quod hæc materia non petat nisi hanc numeralem formarum seriem, vel ex parte agentis; non primum, quia videmus in nutritionem hominis eandem animam successiuè informare aliam, & aliam numero materiam, & si constituatur aliqua series animarum, quæ suaptè natura petat informare corpus sic organizatum, verb. grat. tectum, & alia series, quæ postulet informare corpus gibbum, hoc nil aliud est, quàm constituere; vt ait Hurtad. disput. 10. sect. 4. §. 69. animas gibbas, simas, & coclites. Non secundum, quia pariter videmus, eandem materiam successiuè subijcit varijs formis, nedum numero, sed etiam specie. Nec denique tertium, nam ponatur series formarum, quæ non possit esse, nisi in hac numero materia A, & ab hoc numero agente B, si huic agenti B. applicetur alia numero materia, aut eidem numero materiæ applicetur aliud agens C. vel facta hac approximatione sequitur actio, vel non; secundum dici non potest, quia cum sit agens necessarium v. g. ignis, & habeat materiam combustibilem approximatam necessario comburet; si primum, ergo ignis B, vel C, producet formam ignis extra seriem illarum formarum, ad quas vnusquisque ponebatur determinatus, ergo falsum est, dari seriem, & collectionem effectuum, qui ex natura sua postulent esse ab hac numero causa, & non ab alia.

Deinde dum inquiunt, hunc ignem continere in virtute sua infinitos alios ignes, quòs efficere queat, & alium ignem alios nec istum posse producere effectus illius, vel id asseritur euenire ab extrinseco tantum scilicet à Decreto Dei, qui determinauit hos numero effectus esse ab hac numero causa, vel ab intrinseco, idest à conditionibus indiuiduantibus; si primum, iam ex natura rei omnia indiuidua vnius speciei se habebunt vniformiter, ita vt effectus, qui possunt ab vno produci; poterunt, & ab alio, & solum extrinsecum Dei decretum erit in causa, cur hic effectus numero ab hoc agente fit, & non ab alio consimili formaliter, vel virtualiter, & hæc est vera sententia; si primum; tunc ignis B. se habebit ad ignes producibiles à C. sicut glacies, vel frigus, & tanquam si non essent agentia eiusdem speciei, vnde neq; per potentiam Dei absolutam posset ignis B. eleuari ad producendos ignes à C. producibiles, nam tales sunt prorsus extra eius indiuidualem sphæram actiuitatis, sicut sunt extra specificam glaciei, & frigoris.

52 Secundò. Probatur Concl. quia in hoc nulla apparet repugnantia; neque ex parte causæ, neque ex parte effectus; non ex parte causæ; quia si hæc sit æquiuoca, virtus eius extenditur ad totam speciem, & quodlibet eius indiuiduum, si est vniuoca virtus eius extenditur ad quodlibet indiuiduum suæ speciei (modo intra eandem speciem sint æqualis perfectionis) nam vt docet Doctor 4. dist. 43. quæst. 3. §. *De secundo &c.* in agentibus vniuocis identitas secundum speciem æquiualet identitati numerali, & ratio agendi est natura communis, in qua omnia indiuidua eiusdem speciei conueniunt, singularitas verò est tantum conditio agentis, non autem ratio agendi, vt docet 1. dist. 3. quæst. 6. ad 1. princ. cùm ergo omnia indiuidua habeant virtutem eiusdem rationis, poterunt eundem numero effectum producere. Neque videtur assignari posse repugnantia ex parte effectus, tum quia sicut idem effectus specie potest esse à diuersis agentibus specie, vt calor idem à Sole, & igne, ita similiter idem numero effectus à diuersis numero agentibus esse poterit; tum quia causa efficiens est penitus extrinseca entitati ipsius effectus, cuius vnitas pendet tantum à causis intrinsecis, vt ait Doctor 2. d. 20. q. 2. sub C.

Respondet Amic. esse repugnantiam ex parte causæ, quæ ex natura sua determinatur ad certam seriem effectuum, & ex æqualitate virtutum in causis vniuocis ait inferri non posse identitatem, sed solum æqualitatem effectuum; nam sicut virtutes, licèt sint æquales tamen sunt distinctæ, ita & ipsi effectus possunt esse distincti cum æqualitate, quod ex Suar. desumpsit loc. cit. qui hac ratione dixit, argumentum allatum non valere. Addit, repugnantiam quoque assignari posse ex parte effectus, qui sibi talem numero causam determinat in creatis, & nō valere paritatem assumptam de vnitate specifica, & numerica, quia plura requiruntur ad vnitatem numeralem, quam specificam, & benè perfectio specifica vnius potest contineri formaliter, vel eminenter in alio ente creato, sed non sic perfectio indiuidualis, per quam nullo modo res conueniunt, ita loquitur numer. 46. quam responsionem adhuc magis explicans num. 53. inquit, agentia diuersæ speciei posse conuenire in virtute productiua effectus eiusdem speciei, sed non in principio numerali, quia hoc nequit esse commune pluribus, nec intra eandem speciem, nec extra, alioquin non foret vnam numero, & sub num. 17. ait, non esse inconueniens, eundem specie effectum esse à pluribus causis specie distinctis, quia adhuc remanent alij effectus, ex quorum productione distinguuntur, at duæ causæ numero si haberent eosdem effectus, non haberent radicem, ex qua sumeretur earum distinctio.

53 Sed sufficienter non ostendit Amicus repugnantiam, nec ex parte causæ, nec effectus, cum enim id ostendit ex parte causæ, quia ex se determinatur ad talem seriem numericam effectuum, & non aliam, hæc est aperta principij petitio, hoc enim est, quod controuertitur, an detur talis collectio effectuum, quæ postulet esse ab ista causa, & non ab alia. Et malè cum Suar. ait, ex æqualitate virtutis in agentibus vniuocis solùm deducit æqualitatem effectuum ab ipsis producibilium, non identitatem, nam cùm ratione istius æqualitatis in virtute habeat agens vniuocum pro adæquato obiecto suæ potentiæ actiuæ quodlibet indiuiduum suæ speciei extra se ipsum poterit consequenter non solùm æqualem effectum producere, sed etiam eundem numero ab alio agente eiusdem speciei producibilem. Nec benè sub num. 46. & 53. negat paritatem de vnitate specifica, & numerali, quia principium numerale respectu eiusdem effectus non potest conuenire pluribus, benè tamen specificum, hoc non satisfacit, quia ex hoc sequeretur, neque Deum posse eundem numero effectum producere ab hac secunda causa producibilem, quia nequit esse in Deo idem principium numerale respectu eiusdem effectus. Quòd si dicat, in Deo esse æquiualens ob eius eminentiam; idem quoque nos dicemus de ente creato, quia licèt ens creatum non habeat tantam eminentiam, vt continere possit perfectiones omnes specificas, & indiuiduales omnium causarum secundarum, potest tamen continere perfectiones indiuiduales vnius speciei, immo, & specificas aliquarum, vt paret de Sole, neque ad talem continentiam requiritur virtus infinita. Denique falsum etiam est, quod ait sub num. 17. quia causæ non distinguuntur per effectus nisi à posteriori, & extrinsecè, à priori verò, & intrinsecè causæ specie diuersæ distinguuntur suis differentijs specificis, & causæ indiuiduales suis hæcceitatibus, eadem enim sunt principia constitutiua, & distinctiua; & sicut omnes potentiæ vnius speciei ferri possunt in quodlibet obiectum indiuiduum contentum sub obiecto communi potentiæ illius speciei, manente adhuc distinctione numerali ipsarum, ita quoque poterunt in proposito plures causæ numeraliter distinctæ ferri in eundem numero effectum manente distinctione numerali ipsarum.

54 Tertiò determinata dependentia, quam habet vnus numero effectus ad vnum numero efficiens, vel est ita illi essentialis vt secundum suam realitatem repugnet ab alia causa per se produci, vel non; si secundum, habetur intentum; si primum, ergo neque à prima causa poterit ille idem numero effectus produci, quia pro vnitate sua numerali ex principijs intrinsecis determinabat sibi talem causam secundam, quod tamen nec Aduersarij ipsi concedunt. Respondet Amic. cum Thomistis non valere paritatem de causa prima, & secunda, siue vniuoca, siue æquiuoca, quia Deus ob suam eminentiam continet virtutem omnium causarum particularium, atque adeo effectus causatur ab eadem virtute numero, siue formaliter, siue virtualiter contenta in causa prima, quod de causis secundis dici nequit, quia principium numerale respectu eiusdem effectus non potest pluribus conuenire, quia tunc non esset vnum numero.

Sed hæc responf. ex dictis satis confutata manet; tum quia sicut ipse ponit ob eminentiam primæ causæ contineri in ipsa virtutes omnium causarum particularium eminenter, & virtualiter, sic etiam nos dicemus de aliquibus causis creatis, quod ob aliqualem earum eminentiam continere possint perfectiones aliquas specificas & etiam omnes indiuiduales eiusdem speciei, quia id non arguit eminentiam infinitam in causa. Tum quia falsum est, principium producendi indiuiduum simile in natura specifica esse principium numerale, idest ipsam singularitatem, cui repugnet esse in pluribus, quia hoc principium est natura ipsa, vt docet Scot. 1. dist. 7. q. vn. & singularitas est tantum conditio agentis. Tum tandem quia quando etiam hoc principium esset vnum numero, & singulare eo modo quo ponitur ab Aduersarijs in Deo respectu omnium effectuum, ita à nobis ponitur in causa secunda respectu aliquorum, virtualiter nimirum, & eminenter.

Postremò opposita sent. contradicit Aristot. 2. Met. c. 2. & 3. Met. c. 11. quibus in locis admittit ordinem essentialem solum inter species, non autem inter indiuidua, quia quòd homo fit ab homine, & bos à boue, non ab equo, ordo essentialis est, sed quod hic homo fit ab isto, & non ab illo, ex accidenti est, & non per se, quia eadem vis reperitur faciendi hunc hominem, tam in vno, quàm in alio; & quamuis aliqui hanc rationem parui faciant, quia inquiunt, in alio sensu negare ibi Aristot. ordinem essentialem inter indiuidua, tamen ratio est valida, quia hic etiam sensus intenditur ibi à Philos, si benè perpendatur.

55 In oppositum Arguitur 1. ex varijs absurdis, quæ sequerentur, nam sequitur 1. quod idem effectus dependeret à sua causa, & non dependeret, dependeret ex hypothesi, non dependeret, quia potest ab alia produci, vel si ab ea dependeret, hoc non esset, nisi per accidens, atque ita quælibet esset causa per accidens. 2. Sequitur in causis vniuocis idem producere seipsum, quia virtus causæ vniuocæ ponitur extendi ad omnia indiuidua illius speciei, in quibus ipsa includitur. 3. Quòd causa vniuoca possit produci à suo effectu, & pater à filio, cùm filius habeat virtutem æqualem patri, nec pater determinet sibi indiuiduum, à quo producatur, diuersum à filio. 4. Tunc causa vniuoca omnes effectus suæ speciei poterit producere, vnde calor vt duo, calorem vt quatuor producere valebit. 5. Sequeretur, esse infinitæ virtutis, nam posset producere infinitos effectus in eadem specie, quod sufficit ad arguendum virtutem infinitam in causa, ex hoc enim capite colligitur infinitas diuinæ virtutis, vt Scotus docet 1. distinct. 2. quæst. 2. Z. 6. Quod idem effectus posset naturaliter sæpiùs reproduci, nam ex actione, quam habet vnum agens, non destruitur virtus alterius agentis. 7. Demum sequitur, eandem visionem posse produci à pluribus obiectis, vt ab albo A, & albo B nam posset produci eadem species, atque ita posset per speciem A, videri B, & è contra etiam absente obiecto.

Re-

Respond. ad 1. quòd actu dependeret à causa, à qua producitur, potuisset tamen non ab ea dependere, sed ab alia, in qua nulla est contradictio, neque ex hoc sequitur, quòd ab ea à qua actu dependet, dependeat per accidens, & non per se, quia ad rationem per se causæ sufficit, vt secundum propriam naturam directè influat in effectum, & non per aliquod sibi accidens, & indirectè, sicut musicus dicitur ædificare, vt Scot. docet 1. distinct. 2. quæstion. 2. I. Nec est de essentia effectus causæ per se, vt secundum suam realitatem non possit procedere ab alia causa per se, alioquin effectus causarum secundarum non possent à solo Deo per se produci; imò in eo instanti, in quo fit effectus ab ista causa, dici debet ab ea essentialiter dependere (licèt id neget Suar.) non enim est de ratione dependentiæ essentialis secundum quid, qualis est dependentia effectus à secunda causa, quòd sine ea existere non possit, nec ab alia produci diuisim, sed tantum, quòd non possit ab alia causa totaliter produci in eo instanti, quo producitur ab ista conuuctim, vt notat Lich. quol. 12. ab initio.

56 Ad 2. licèt causa æquiuoca possit in totam speciem, & quodlibet eius indiuiduum nemine excepto, causa tamen vniuoca potest in quodlibet indiuiduum præter se ipsum, quia nihil potest seipsum producere. Ad 3. concedimus, entitatem rei, quæ modo est causa, potuisse produci ab entitate rei, quæ est effectus, & patrem à filio in alio rerum ordine, & quando dicimus, causam non posse à suo effectu pendere, loquimur de causa pro eo instanti, quo producit effectum, implicat enim, vt causa in eam influat entitatem, à qua actualiter suum esse accipit, successiuè tamen, & in diuerso tempore posset causa corrupta à suo effectu reproduci, & pater à filio, si Deus vellet concurrere. Ad 4. neg. sequela, cum enim dicimus, causam vniuocam posse in quemlibet effectum suæ speciei, loquimur, de indiuiduis omninò similibus, vt notat Doctor. 2. dist. 20. q. 2. C. quia si indiuidua non essent omninò similia, sed quasi indiuidualiter æterogenea, tunc perfectius non posset ab imperfectiori produci. Ad 5. negatur sequela, quia eadem virtus sufficit ad singulos effectus, nec simul applicari potest ad plures in infinitum, sed successiuè tantum; Doctor autem citat. colligit infinitatem diuinæ virtutibus ex infinitis effectis sincategorematicè, vel alterius rationis, quorum vnus ascendendo semper arguit maiorem virtutem in causa, vel eiusdem rationis, sed producendis per virtutem simul applicatam ad plures, & plures in infinitum sine termino intrinseco. Ad 6. non potest reproduci, quia Deus decreuit concurrere cum hoc agente ad hunc effectum, & non cum alio agente, vnde impedimentum reproductionis est ab extrinseco Dei decreto, non ex natura causæ, vel effectus.

Ad 7. species repræsentatiua albi A, non potest effici ab albo B, quia ex earum indiuiduatione habent proprias habitudines ad sua obiecta, quatenus sunt naturales similitudines eorum, & ideo censentur effectus dissimiles, & hac de causa album A, non potest producere speciem albi B, etiam si obiectum sit causa æquiuoca speciei, non quælibet causa æquiuoca est semper virtualiter contentiua cuiuscunque indiuidui, & hoc idem dicendum est de actibus immanentibus, qui sunt species expressæ obiectorum. Neque valet, quod contra obijcit Amic. num. 31. quod sicut visio, & species, quia est participatio talis obiecti, hoc sibi determinat, & non aliud, ita, & quilibet effectus, cùm sit participatio suæ causæ, sibi illam determinabit. Non valet, quia effectus ex generali ratione sua non est participatio suæ causæ, sicut species obiecti, quæ est similitudo naturalis illius, hac enim de causa petit necessario produci ab hoc obiecto, & non ab alio, quare determinatio effectus a causa non est ponenda, nisi ex aliqua peculiari ratione, vt est in proposito.

57 Secundò obijcitur, præcipuum Thomistarum fundamentum, quia actio vnius causæ non potest esse alterius, ergo neque effectus, nam hæc actio numero tendit in hunc effectum numero, & 3. Physic. 47. terminus, & actio non differunt. Tum 2. quia virtus specifica, vt determinatur per hæcceitatem, ita limitatur ad certa indiuidua contenta sub specie, quæ non possunt produci per eandem naturam specificam determinatam per aliam indiuiduationem, sicut essentia diuina determinata per paternitatem est potentia generandi filium non verò determinata per filiationem. Tum 3. quia sicut differentiæ specificæ impediunt, quo minus quodlibet possit produci à quolibet secundum speciem, etiam si contineantur sub eodem genere, ita & differentiæ indiuiduales impediunt, quo minus quodlibet indiuiduum possit produci à quolibet, etiam si contineantur sub eadem specie. Tum 4. quando effectus producitur, non potest alia reddi ratio, cur tale indiuiduum producitur, nisi quia fit ab hoc agente, non enim sufficit assignare subiectum, cum sit indifferens ad plures formas, nec tempus, aut locum, cùm sint valdè extrinseca, & ideo Aristot. 8. Metaph. text. 11. ait, quòd si agens est diuersum, & materia diuersa, effectus erit diuersus, & quòd contingit vna materia existente fieri diuersa propter mouentem causam. Tum denique quia 2. Phys. 38. & 5. Met. 2. effectus determinatus debet esse ex causa determinata.

Respon. ad 1. concedendo, non posse eandem actionem, & causalitatem esse, nisi a tali agente, & ad talem terminum, quibus variatis, vel altero illorum, ipsa quoque variari debet, & hoc verum est in vniuersum de quocunque relatione, cuius vnitas numeralis necessariò pendet ex vnitate numerali extremorum, addimus tamen, posse eundem effectum ab vna causa fieri per vnam actionem, & ab alia per aliam, & posse esse distinctas actiones ad eundem terminum, vt Scot. docet 4. dist. 13. quæst. 1. D. & quæst. 3. §. *Tertia opinio, &c.* vbi inquit, quòd similis influentia sufficit ad identitatem effectus, non enim necessariò substantialiter variatur effectus ex eo, quia procedat ab hoc, vel illo agente per diuersas actiones, sed accidentaliter tantum, fides enim docet; eundem hominem à Deo fore resuscitandum, vbi tamen interueniet diuersa causa, & diuersa actio, & quando ait Philosoph. 3. Phys. 47. terminum, & actionem non differre, loquitur de actione pro re acta, vt Scot. declarat 4. distinc. 3. quæst. 1. Ad 2. negatur assumptum; & in diuinis essentia dicitur determinata per paternitatem, vt sit ratio generandi Filium, quod non habet cum filiatione, quia virtus generatiua memoriæ fœcundæ adæquatur ab vno solo filio, sed non ita in creatis virtus causæ vniuocæ adæquatur ab vno effectu, vel certa collectione plurium, potest enim in omnes extra seipsam. Ad 3. assumptum non est vniuersaliter verum, constat enim calorem eiusdem speciei ab igne, & Sole produci, vnde retorqueri posset argumentum, sed concesso assumpto, neg. conseq. quia natura specifica est ratio agendi, non autem singularitas, quæ est tantùm conditio agentis, quatenus actiones sunt suppositorum: vnde homo generari debet ab homine, & non ab equo, qui caret ratione agendi, & generandi hominem, sed quilibet homo poterit generare hunc hominem, quia natura humana est æquè in omnibus ratio agendi, & parum refert, quod sit determinata per hanc, vel illam singularitatem.

58 Ad 4. negatur assumptum, quia causa identitatis numeralis effectus non est identitas agentis, sed identitas materiæ, & formæ simul, quòd autem materia sit indifferens ad plures formas, infert, non sufficere tantum vnitatem materiæ, sed requiri etiam vnitatem formæ, vt sit idem numero compositum; Et verum est, quod ait Aristot. 8. Met. tex. 11. quòd si materia est diuersa, & agens diuersum, diuersus etiam est effectus, hoc autem dixit, non quia diuersitas agentis sufficeret ad diuersitatem effectus, quia vt inquiunt Ambr. de Incarnat. & August. ad Deo gratias relati a Scoto 3. d. 14. q. 3. §. *Contra &c.* disparitas ortus non facit distinctionem naturæ, sed ideò hoc dixit, quia materia, cùm sit pars intrinseca compositi, hanc indiuiduam differentiam præstare potest; potest etiam dici, Aristot. loqui de diuersitate agentis secundum speciem, non secundum numerum, & planè ita loquimur, cum dicit, contingere vna materia existente fieri diuersa propter mouentem causam, exemplificat enim de artifice, qui ex eodem ligno arcam efformat, & lectum, modo causa mouens respectu arcæ dicitur distincta specie à mouere respectu lecti, quia per aliam, & aliam specie ideam, quæ est principium actiuum artificialium efficitur arca, & lectus.

Ad vltimum, multi exponunt Philosophum, quod loquatur de causa determinata in specie, sed verum etiam est, cum effectus fit, habere determinatam causam in indiuiduo, à qua fiat, non tamen ex natura rei, quasi determinatè potius hanc causam postulet, quàm illam, sed quia Deus decreuit concurrere cum hoc agente ad hunc effectum, & non cum alio agente. Sed dices, singularis effectus similitudinem habet cum singulari causa, videmus enim, filium similem esse patri in colore, figura, &c. ergo singularis effectus singularem causam postulat determinatè, & non vagè. Respond. talem similitudinem esse prorsus accidentalem, nec aliquid conferre ad vnitatem numeralem effectus per se, & intrinsecè, & sine tali similitudine potest aliquis esse filius eiusdem patris, & denique sicut hic filius modò est similis huic patri, ita fuisset similis alteri, si ab eo genitus fuisset, quia hæc diuersitas similitudinis non facit diuersitatem in entitate. Sed iterum vrges, effectus particularis per se dependet à Cœlo, ergo variato Cœli, & siderum aspectu, quem omni temporis momento variari necesse est, non potest idem numero effectus produci. Respond. Scotum loqui in eodem instanti, ita quòd hic effectus, qui nunc producitur sub tali aspectu siderum ab hoc agente, potuisset in eodem instanti, & sub eodem aspectu ab alio produci; tamen absolutè loquendo necessariæ non sunt eædem circumstantiæ temporis, & loci ex Doct. loc. cit. tum quia vnitas effectus sumitur solum ex intrinsecis eius; tum quia tempus, & locus magis extrinseca sunt effectui, quàm agens, & ideò si vnitas eius non pendet ex vnitate agentis, tanto minus ex vnitate temporis, & loci.

Achilles verò, quo Complut. cit. putant euertere præcipuum Scoti fundamentum, quia nimirum indiuidua eiusdem species habent similem naturam, non autem vnam, & eandem numero, ideoque posse producere solùm effectus, non autem eosdem numero, & quia differentia indiuidualis limitat naturam, & virtutem operatiuam ad certam effectuum seriem, vnde licèt abstracta esse possit facultas ad omnia, & singula eiusdem speciei indiuidua efficienda, contracta tamen non potest, nisi in particularia, & æqualia, facilè sternitur ex dictis; coincidit enim cum Amici rationibus iam solutis.

ARTI-

ARTICVLVS II.

An idem numero effectus possit produci à pluribus causis totalibus eiusdem generis, & ordinis coniunctim.

59 Quæstio non est de causis partialibus, has enim plures simul concurrere ad eundem effectum, certissimum est, & necessarium, sed est de causis totalibus, & adæquatis, & hic per causam totalem non intelligimus illam, à qua sola procedit effectus, alia quacunque seclusa in eodem genere, quia tunc quæstio ridicula foret, cùm implicet in adiecto, dari in hoc sensu duas causas totales eiusdem numero effectus, sed per causam totalem intelligimus illam, à qua procedit effectus tanquam à virtute sufficienti, & sine dependentia necessaria ab altera eiusdem generis, & ordinis, vt sensus quæsiti sint, num idem numero effectus possit simul recipere totum suum esse à duabus causis, quæ in ipsum influant tali influxu, vt vnaquæque sola sit per se sufficiens eodem suo influxu ad ponendum effectum in rerum natura.

Et quamuis quæstio sic intellectu examinari posset de causis tam intrinsecis, quàm extrinsecis, quia tamen de intrinsecis res apud omnes explorata est, non posse plures tales esse totales eiusdem effectus, non enim dari potest compositum per se vnum ex pluribus materijs, aut pluribus formis totalibus, ex his enim potius fieret aggregatum quoddam per accidens, hinc tota quæstio reducitur ad causas extrinsecas, finalem, & efficientem, & quia de finali parum curare debemus, eo quia cùm non sit vera, & realis causa, effectus etiam essentialiter, & propriè ab ea dependere non dicitur; ideò præsertim de causa efficienti quæstionem tractabimus, etiam de finali aliqua dicentes ex hypothesi, quòd esset causa realis, & physica. Est autem quæstio, vt patet ex titulo articuli, de causis efficientibus eiusdem ordinis, idest quæ sint omnes causæ secundæ, quia certum est, causam primam, & secundam eiusdem effectus esse causas totales, prima enim est simpliciter totalis, quia se sola sufficiens est ad dandum esse effectui, causa etiam secunda dici potest totalis, saltim secundum quid, quatenus se sola præbet totum concursum necessarium ad effectum in suo ordine; de causis igitur secundis totalibus, idest sufficientibus singillatim ad dandum esse effectui, vt de duobus ignibus, quæritur, vtrum dare possint esse eidem numero effectui, idest eundem numero ignem simul producere, quem alter illorum solus produxisset, & eodem modo de causa finali, vtrum quis possit exercere aliquod opus ob duos fines æquè principaliter, ob quarum singulos adhuc per se sufficienter moueretur ad illud idem opus; & quæstio hæc est diligenter examinanda, quia ex ea pendent multæ quæstiones theologicæ.

60 In hac controuersia tria leguntur Auctorum placita; quidam opinati sunt, id contingere posse etiam naturaliter, pro qua opinione citantur Ocham quol. 4. quæstio. 12. & in 3. quæstion. 1. Gabr. in 3. dist. 1. quæst. 1. artic. 2. dub. 3. & cœteri Nominales; Bonet. 2. Phys. capitul. 3. Caraf. de natural. concurs. disput. 20. concl. 4. citans Caietan. part. 1. quæst. 52. art. 3. & præsertim in genere causæ finalis id naturaliter contingere posse, immo de facto sæpiùs contingere, docet Hurtad. disputat. 13. de Anima sect. 7. Suarez disputat. 26. Metaph. sectio. 5. num. 32. Auers. quæst. 16. sect. 5. conclus. 3. quod prius etiam ex nostris docuerat Franciscus Sans. 2. Physic. quæstio. 6. Alij ex opposito docent, nec per Dei potentiam id fieri posse, vt prorsus implicatorium, ita Scot. 1. distinct. 2. quæst. 3. D. & 2. dist. 20. quæst. 2. & 3. distinct. 1. quæstio. 2. A. & 4. dist. 10. quæst. 2. sup. Q. & eius Expositores circa eadem loca; Fuentes 2. Phys. quæst. 9. diff. 3. Sghemma digress. 16. quæstio. 1. Tatar. 2. Phys. quæst. 2. de Causis dub. 1. Regent. Parisienses 2. Physic. quæst. 3. collat. 2. Faber 5. Met. disputat. 5. capitul. 2. Et tenent Thomistæ grauiores, Capreol. 2. dist. 2. quæstion. 1. & 3. dist. 1. quæstion. 1. Ferrar. 3. Con. Gen. Caiet. 3. p. quæst. 67. art. 6. (licèt citetur etiam pro opposita) ex D. Thoma 1. p. quæst. 52. art. 3. & 3. p. quæst. 82. art. 2. ad 2. & sequuntur ex Recentioribus Vasq. 3. part. tom. 1. disput. 24. cap. 4. Masius 2. Phys. c. 4. sect. 5. q. 2. Complut. 2. Phys. disput. 16. quæst. 3. Ioan. de S. Thom. q. 20. art. 5. & Manca 2. Phys. qu. 8. dub. 4.

Alij demum media incedentes via docent, id fieri non posse naturaliter, benè tamen supernaturaliter per absolutam Dei potentiam, ita Recentiores ferè omnes, Fons. 5. Metaph. capitul. 2. quæstion. 15. Suar. disputation. 26. sectio. 4. Auers. loc. citat. Ruuius 1. Physic. tractat. 7. quæstion. 1. Hieron. Plà disputat. de Causis part. 3. quæstion. 4. Murcia 2. Physic. disputat. 4. quæstion. 7. Hurtad. disputat. 8. Phys. sectio. 10. Amic. tract. 14. quæst. 7. dub. 3. art. 5. Arriag. disput. 7. Physic. sect. 10. & mirum est, multos sequi hanc sententiam ex illis Auctoribus, qui art. præc. distinguebant in eadem specie seriem effectuum ab vno agente producibilium à serie contenta in virtute alterius agentis, ac proinde dicebant, hunc numero ignem, vel calorem ita ab hoc igne fieri, vt nullatenus ab alio fieri potuerit; planè consequenter non loquuntur Auctores isti, dum asserunt in hac quæstione, posse eundem calorem à duobus ignibus adæquatè prodire, cum nequeat secundum ipsos effectus contentus in virtute vnius agentis attingi ab alio, in cuius virtute nullo prorsus modo continetur.

61 Dicendum tamen est, prorsus implicare, eundem numero effectum à pluribus causis totalibus eiusdem ordinis prodire, & totaliter causantibus, ac proinde id tam naturaliter, quàm supernaturaliter est impossibile; ita Scot. loc. cit. in lib. Scot. & Tract. de primo principio cap. 3. Prima ratio, qua Doctor his in locis hanc conclusionem probat, deducitur ex natura dependentiæ per se, & essentialis, quam effectus habet ad causam suam totalem, nam si à pluribus talibus penderet simul, & semel, tunc à neutra penderet essentialiter, vel simul ab eadem penderet, & non penderet essentialiter, quod implicat, probat hanc consequent. Doctor, à nullo aliquid dependet essentialiter, quo non existente, nihilominus esset, sed si ignis habet duas causas totales A, & B, tunc non existente A, nihilominus ignis esset à B, cum ponatur eius sufficiens causa totalis, & non existente B, adhuc esset ab A. eadem ratione, ergo à neutra essentialiter dependeret, vel ab eadem penderet simul, & non penderet essentialiter.

Respond. omnes cum Suar. numer. 20. negando conseq. & ad probat. negant maiorem, quia vt vna res ab alia per se dependeat, & non per accidens, non est necesse vt illa ablata hæc auferatur, sed satis est, quod ab illa verè, & propriè recipiat esse, etiam si illa non dante esse, & cessante dependentia ab ea, possit adhuc retinere esse, vt datum ab alia, & hanc respons. aiunt, nos cogi recipere, qui eundem numero effectum defendimus posse à pluribus per se causis totalibus prodire diuisim quod tueri non possemus, si de ratione per se dependentiæ dicamus esse, quòd effectus ita sit ab ista causa, à qua actu ponitur in esse, vt non possit ab alia prodire; quæ fuit responsio Ocham in quæstion. 1. quol. & Bonet. 2. Phys. cap. 3. hac de causa Masius 2. Phys. cap. 3. quæst. 3. ait, Scotum non fuisse consequenter locutum in decisione huius, & præcedentis articuli.

Sed contra, quia licèt non sit de ratione effectus causæ per se, vt secundum suam realitatem nequeat ab alia causa per se procedere diuisim, est tamen de ratione illius, vt dum actu fit ab ista, nequeat esse sine illa in eo instanti, in quo fit (licèt possit in tempore sequenti, si etiam ab ea non pendet in conseruari, & etiam absolutè potuerit habere esse ex vi alterius causæ) Probatur hoc assumptum, quia dependentia per se supra dependentiam absolutè sumptam aliquam conditionem perfectiuam addit, quæ esse nequit, nisi necessitas, omnis enim perfeitas aliquam semper inuoluit necessitatem, sicut omne per accidens aliquam contingentiam, sed hæc necessitas nequit esse absoluta, nisi respectu causæ per se primæ, quia in secundis effectus vniuocus, qui est ab vna, possit absolutè esse ab alia eiusdem speciei, ergo ex hoc capite attendenda, quod cum actu totaliter fit ab ista causa, virtute istius per se dependentiæ ita necessariò connectitur cum ista causa, vt pro illo instanti implicet, effectum esse sine illa, alioquin per se ab illa causa non dependebit, ergo de ratione per se dependentiæ non tantum quod effectus verè & propriè recipiat esse à causa, sed etiam ita necessariò, vt in sensu composito, quod sit ab ea nequeat simul esse ab alia pro eodem instanti, licèt benè in sensu diuiso, & in hoc consistit vis huius rationis, quæ à multis non percipitur, neque id repugnat his, quæ diximus art. præced. Quod adhuc magis explicari potest ex pronunciato Aristot. de causis per se 2. Physic. 37. & 5. Metaph. cap. 2. causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt; ergo si eiusdem numero ignis A, & B, sunt per se causæ, ex vi perfeitatis dependentiæ effectus à singulis, implicat ablata causa A remanere adhuc ignem in esse ex vi alterius causæ, quia ex hoc manifestè deduceretur, ignem non per se dependere ab A, vt à causa totali, quia causa per se actu influens, & effectus actu per se à tali causa esse recipiens sic se habent, quòd cessante influxu causæ, cessat effectus.

62 Accedit; quòd Scotus in argumento allato non tantum loquitur de per se dependentia, sed etiam essentiali, & inquit, effectum sic dependentem necessariò coexigere causam, à qua sic dependere dicitur, quia dependentia essentialis semper secum affert, necessitatem concursus causæ pro existentia effectus, quod etiam Aduersarij ipsi fatentur. Sed respondent cum Suar. sect. 5. num. 7. negando, vllum effectum creatum, quatenus est à causa efficiente, pendere essentialiter à causa creata, sic enim pendent à solo Deo, vndè inquiunt, Scotum confundere terminos, causam scilicet per se cum necessaria, & dependentiam effectus per se cum dependentia essentiali, dum enim effectus est, vel esse potest à pluribus causis, nulla determinatè est necessaria, & à nulla essentialiter dependet, ab omnibus tamen, & singulis effectus per se dependet, quia à singulis totaliter suum esse agnoscit.

Sed Contrà 1. quia, etsi effectus creati non dependeant dependentia essentiali simpliciter, nisi à solo Deo, negare tamen eis dependentiam essentialem, saltim secundum quid à causis secundis, saltim in instanti, quo fiunt ab eis, est prorsus irrationabile, immò actus vitales ita essentialiter pendent secundum Aduersarios à suis principijs vitalibus vt à Deo se solo produci nequeant, ergo falsum est nullum prorsus effectum essentialiter à causis secundis dependere in genere efficientis causæ. Tum deindè quia effectum dependere essentialiter ab aliqua causa non est, effectum absolutè, & simpliciter existere non posse sine illa, nisi sit sermo de dependentia essentiali simpliciter, quæ solùm

lùm datur in ordine ad causam primam, sed significat, existere non posse sine illa, à qua actu producitur, in sensu composito, quia si ab alia totaliter tunc fieret, vtique ab ista essentialiter non dependeret, vt Lichet. declarat quol. 12. ab initio, sed potius accidentaliter, cùm sine tali causa possit in eodem instanti existere, pro quo ponitur ab ea dependere; & ideo neque Scot. confundit certoinos, quia causa per se est etiam in aliquo sensu necessaria, cùm omnis perfeitas aliquam inferat necessariam connexionem effectus cum causa, & dependentia effectus per se dici debet essentialis, quatenus ab accidentali distinguitur. Denique quando effectus totaliter ab aliqua causa procedit dicitur ab ea essentialiter, & per se dependere, non quia ab alia causa in sensu diuiso non possit produci, vt putauit Masius citat. qui hac de causa dixit, Scotum non loqui consequenter, sed quia non potest produci in sensu composito, sed tantum ab ea à qua actu producitur, ideò in eo instanti ab ea essentialiter dependet, & nequit existere tunc ex vi alterius. Si dicas, hanc esse petitionem principij, id enim est, quod probari debet, effectum scilicet pro eo instanti ita essentialiter pendere ab A, vt pro eodem nequeat esse simul à B. totaliter. Contrà, idest, quod ratio probat, vt implicatorium, ex vi dependentiæ per se, & essentialis, nam talis dependentia non solùm infert verum, & positiuum influxum causæ in effectum, sed etiam necessariam connexionem effectus cum causa in eo instanti, pro quo ponitur ab ea dependere, nam si in eodem instanti potest simul esse ab alia totaliter, signum est, non dependere ab ista per se, & essentialiter, cum nullam necessariam connexionem habeat cum ea.

63 Respondent, ignem in illo casu perfeitate necessitatis à neutra causa determinatè dependere, sed indeterminatè ab altera, ex quo tamen non sequitur, quod absolutè à neutra non pendeat, sicut ex eo, quod ad videndum homo determinatè non indiget hoc oculo, vel altero, non sequitur, quod actu non videat per vtrumque. Contra, dependentia effectus à causa fundatur in indigentia, quam habet causæ ad existendum, ergo si quis in hoc instanti ita procedit ab A, vt pro eius existentia A non indigeat, & similiter à B, signum est, à neutra per se dependere, quia conceptus dependentiæ necessariò imbibit conceptum indigentiæ, sicut è contra Deus dicitur independens, quia nullo prorsus indigere potest, quod autem indeterminatè altera indigeat, infert solùm, quod disiunctim ab altera illa num potest effectus per se dependere totaliter, non verò coniunctim; & exemplum visionis adductum non est ad rem, quia quando vtroque oculo vtimur ad videndum, visio illa determinatè procedit à singulis, vt à causis partialibus, si est vnica visio, de quo in lib. de Anima.

Respondent, quòd vtique effectus determinatè non indiget, nisi vna causa totali, & facta suppositione, quòd habet vnam, non indiget alia, benè tamen potest Deus ei dare id, quo non eget, vt corpus eget vna vbicatione, qua posita, alia non eget, eam tamen potest ei dare Deus, ita Hurtad. cit. §. 194. Sed hæc respons. ex sequenti ratione reijcitur.

64 Secunda ratio deducitur ex totalitate dependentiæ, ait enim Doctor 3. dist. 1. quæstio. 2. sub A, quod cùm dependentia alicuius fuerit totaliter terminata ad aliquid, ipsum non potest dependentia eiusdem rationis dependere ad aliud, quod magis explicans infra B. inquit, talis enim si est vna ad terminum totaliter terminantem, non relinquit fundamentum dependens dependentia simili ad quodcunque aliud, quia tunc esset dependentia totaliter terminata, Vis huius rationis consistit in eo, quod dependentia totalis effectus fundatur, vt dicebamus, in indigentia effectus, cum enim effectus nequeat à seipso esse, vel conseruari, ex necessitate naturæ indiget causa efficiente, vel conseruante, & quia de ratione causæ totalis, & adæquatæ est, quod exhauriat, & expleat totam effectus indigentiam, hinc est, quod eo ipso, quod ab vna causa totaliter dependet, nequit ab alia simul totaliter dependere, & in hoc fundatur alia ratio, quam Lich. adducit 1. distinct. 1. quæst. 3. §. *Ad hanc rationem, &c.* & nos infra, quod scilicet, implicat, eundem effectum his produci in eodem instanti, cum effectus per vnam actionem totalem simpliciter capiat totum suum esse, & consequenter eo instanti alia actione non indigeat, qua capiat esse. Nec valet allata responsio Hurtad. posse Deum tribuere rei id etiam, quo non eget, dependentiam nimirum ad aliam causam, qua non egebat, vt existeret, sicut corpori, dum est in vno loco, alium simul tribuere potest, quo corpus non eget. Non valet, quia vt benè notat Vasq. citat. cap. 4. cùm fundamentum talis relationis dependentiæ debeat esse indigentia naturæ, si talis indigentia per vnam causam totaliter ablata est, nulla remanet ratio fundandi aliam consimilem relationem ad aliam causam, nisi augeatur indigentia effectus, quod fieri nequit sine mutatione naturæ ipsius; nec minus valet paritas de corpore in ordine ad locum ab Hurtad. assumpta, quia vt notat Doctor quol. 11. C. longè maior est indigentia, quam habet effectus respectu causæ, quam corpus respectu loci, quia dependentia, quæ est locati ad locum, non est simpliciter necessaria ex parte eius, quod dicitur dependere, sicut est dependentia causati ad causam, sed est dependentia aliqualis, tanquam ad illud, quod natum est conseruare rem in sua dispositione naturali; tales autem relationes, quæ non important dependentiam essentialem posteriori ad prius, non implicat superi dem fundamentum plurificari ex Scot. 3. d. 1. q. 2. B. quia per eas non suppletur intrinseca rei indigentia, vt sit.

Respond. Amic. citat. num. 63. quod licèt naturaliter indigentia sufficienter expleatur ratione totali vnius agentis, non tamen in ordine ad potentiam Dei, sicut materia per vnam formam naturaliter expletur, non tamen supernaturaliter ob latitudinem potentiæ obedientialis. Contra; quia vt ait Vasq. pro Scoto, si effectus ex natura sua, & ab intrinseco non indiget aliqua causa, vt sit, eo quia ab alia sufficienter ponitur in esse, ergo neque potentiam obedientialem habebit, vt ab intrinseco reddatur indigens tali causa, & per consequens ab ea dependere non poterit simul & semel, hoc enim est ab aliqua causa per se dependere, indigere nimirum eius influxu ac existendum; Probatur consequ. tum quia in re creata potentia naturalis passiua, & obedientialis entitatiuè non differunt. sed tantum in ordine ad agens; tum quia Deus pro sua voluntate efficere non potest, vt effectus suaptè natura pendeat ab eo, a quo non pendebat, quia ab intrinseco non indigebat, non enim Deus potest immutare indigentiam rei non immutata natura.

65 Respond. Amic. citat. effectum habentem esse totaliter ab vna causa posse alia indigere, non ad existendum simpliciter, sed vt perfectiori modo existat, firmiùs nempè, & stabiliùs, cùm enim existentia eius sit defectibilis, quo per plures actiones totales existit, eò magis perficitur; & fit minus defectibilis, quia vt desinat esse, non sufficit desitio vnius actionis, sed vtriusque. At hæc non sufficit desitio vnius actionis, sed vtriusque. At hæc solutio ruit ex doctrina ipsius Amici num. 27. quia explicari non potest, quid dicat hic perfectior existendi modus, aut roboratio effectus in esse, vel enim diceret nouam intensionem formæ, & aliquam nouam perfectionem eius, & hoc non, quia id locum non habet in formis substantialibus, & in accidentalibus supponitur, formam esse ab vno agente productam cum tota intensione, & si aliqua perfectio additur effectui ex vi influxus alterius causæ, iam non erunt causæ eiusdem effectus, sed maioris, aut saltim non tali modo, quo ab vna foret, in quo sensu tantum monetur quæstio, vel diceret nouam conseruationem, & hoc non; tum quia loquimur omninò de primo instanti, in quo effectus dicitur produci, & non conseruari; tum quia multi effectus non indigent conseruari à causa secunda; tum quia si aliqui indigent; eorum indigentia totaliter exhauritur per dependentiam ab vna tantum causa conseruante; tum tandem quia sicut non datur influxus sine effectu recipiente esse, ita nequit cessare influxus, nisi cesset effectus, ergo sicut res per duplicem influxum totalem bis produceretur, ita per subtractionem illius duplicis influxus bis corrumperetur, quod implicat, quia si res desinat esse ex vi desitionis vnius tantum influxus, taliter desinit, vt amplius non sit, vnde non nisi semel potest res corrumpi, dum existit; si dicas, ex vi desitionis huius influxus conseruatiui effectum non corrumpi, quia adhuc conseruatur ex vi alterius. Contra, ergo per illum priorem effectus non conseruabatur, quia nihil prorsus amittit effectus ex vi desitionis eius, nec illo prorsus indigebat, non solùm ad existendum simpliciter, sed neque ad existendum firmiùs, & stabiliùs. Si dicas, ex vi desitionis vnius influxus effectum desinere, non secundum substantiam, sed secundum aliquam dependentiam. Contra, hæc dependentia, quæ effectui deperit ex desitione vnius influxus, vel in effectu dicit quid distinctum ab ipsomet influxu, vel non; si non, est quid distinctum, ergo ex vi desitionis huius influxus non desineret, nisi ipsemet influxus, si verò quid distinctum est ab ipso influxu, & effectu, & perit ex desitione influxus, adhuc remanente effectu secundum substantiam, ergo non substantia effectus conseruabatur per illum influxum, sed tantum aliquod accidens eius.

66 Tertia ratio deducitur ex præcedenti, non potest res eadem in eodem instanti bis produci, ergo nec esse à duabus causis totalibus totaliter causantibus, Conseq. patet, quia si per duplicem actionem totalem res accipit esse, bis vtique in eodem instanti producitur, Prob. assumptum, non potest res eadem in eodem instanti bis corrumpi, vt nuper dicebamus, vt enim res tota, & totaliter desinat, sufficit vna corruptio, qua peracta, nil amplius remanet destruendum, ergo pariter de productione dicendum. Ruiuium quæst. citat. in fine negat consequ. quia licèt in casu effectus duplici actione totali fiat à duobus agentibus, semel tantum exit extra causas suas, quod ex modo procedendi à diuersis causis subordinatis ait intelligi, à quibus, licèt procedat effectus, non bis, sed semel producitur, quia semel ab illis egreditur. Contra, exemplum ipsum à Ruuio adductum in confirmationem sui responsi est eiusdem destructio, quando enim effectus procedit à diuersis causis partialibus, & subordinatis, vtique concipitur semel exire, quia actio vnius non sufficit ad ponendum effectum sine actione alterius, nec sufficienter exit ab vna sine alia, at in proposito vtraque causa totalis esset, & vtriusque actio totalis, & sufficiens propositione effectus, ergo effectus ad singulas relatus sufficienter intelligitur egredi ab vnaquaque, atque ita si in eodem instanti concurrunt tales causæ ad effectum, bis ponitur in esse, semel ab vna, & semel ab alia simul.

Amicus verò concessa conseq. negat assumptum. Ad probat. inquit,

quit, posse rem bis corrumpi in eodem instanti, si in eo desineret per subtractionem duplicis influxus totalis, quo priùs conseruabatur. Contra, ambo hi influxus non sunt ita inter se connexi, vt vnus necessariò cessare debeat ad desitionem alterius, cesset igitur vnus influxus alio remanente, vel desinit effectus secundum substantiam, vel non; si non, ergo per influxum priorem non conseruabatur, nec ille influxus ad hunc effectum prorsus attinebat, cùm ex desitione eius nihil substantiæ huic effectui deperiat; quia si dicat, deperire dependentiam; iam hoc impugnatum est supra; si desinit effectus secundùm substantiam, vel ita desinit, vt nihil amplius destruendum remaneat, & sic habetur intentum, quod res non potest bis corrumpi in eodem instanti; si remanet aliquid, & aliquid destruitur, signum est, quod non conseruabatur id, quod remanet ex vi illius influxus, sed tantùm, id quod destruitur, & hoc semel destructum nequit amplius corrumpi, nisi iterum producatur.

67 Postremò nullus fingi potest casus possibilis, in quo duæ causæ totales æqualis actiuitatis, & eodem modo eidem passo applicatæ producant totaliter eundem effectum, vt docet Scot. 4. d. 10. qu. 2. Q. tali enim modo ab vtraque sic applicata causabitur, quali à singulis diuisim causari non posset, nam si effectus est diuisibilis secundum perfectionem, tunc perfectior effectus ab vtraque exibit, quàm non exiret ab altera seorsim; vt duo luminosa eidem aeri, vel corpori diaphano æquè applicata, & inuicem compenetrata producent intensius lumen; si verò effectus est indiuisibilis secundum perfectionem, vt ponitur forma substantialis, tunc vtique idem effectus ab vtroque prodiret, qui ab altera seorsim, sed non eodem modo, nam ab vtraque erit citiùs, & in maiori distantia, quàm esset ab altera seorsim, sic duo ignes eidem stuppæ æquè applicati producerent eandem ignis formam, sed post ita breuem alterationem (ait Doctor) quæ non sufficeret ad ignitionem ab altero istorum præcisè agente, si denique constituatur casus, quod effectus sit indiuisibilis, & etiam indiuisibiliter producibilis scilicet in instanti, vt v. g. quod duo ignes applicentur materiæ vltimò dispositæ. Dicunt aliqui neutrum agens operaturum, quia vnum impediret actionem alterius, quod non videtur verisimile, cum sint agentia eiusdem rationis, & æqualis virtutis, non verò contraria vnde potius se coadiuuare debebunt in actione quam impedire. Dicunt alij, vnam tantum fore operaturam, & hanc à Deo esse determinandam; sed non videtur, cur altera debeat otiosa relinqui, cùm sit sufficienter applicata passo. Dicunt alij, vtranque attemperare suum concursum, ita quod non totam exerant virtutem, sed partem, at hoc non videtur benè dictum de causa naturali, quæ applicata passo, agit quantum potest, cùm in sua potestate non habeat agere, nec etiam habet modum agendi.

Rectiùs itaque dicetur, quod in tali casu duo illi ignes totaliter agentes duplicem formam producent in eadem materia, cum enim virtus amborum simul sumpta sit maior extensiuè, quam alterius tantum, poterit attingere duplicem formam, & cùm potentia materiæ sit incapax duarum formarum simul solùm respectu agentis naturalis, vt dictum est disput. 5. q. 6. art. 2. consequenter in casu nostro, cùm materia subesset actioni agentis supernaturalis, qui duos ignes applicuit æqualiter illi, consequenter nullum est inconueniens dicere, quòd materia tunc duplicem reciperet formam. Sed dices, si facta tali applicatione, de cætero Deus sineret tales causas operari iuxta naturam suam, certè ex natura rei non producerent plures formas in eadem materia, quia istæ ex natura rei sunt incompossibiles, & supponimus, Deum vlteriùs non impedire talem effectum, Respon. teneri ad solutionem argumenti etiam Aduersarios, negantes, naturaliter eundem effectum posse totaliter procedere ex virtute naturali duarum causarum; itaque dicimus, quod neuter ignis ageret secundum totam virtutem, impedimentum autem oriretur ex incapacitate subiecti, sicut si in subiecto sint sex gradus caloris, ignis huic subiecto applicatus non agit in illud secundum totam suam virtutem, etiamsi sit causa naturalis, quia reperit subiectum non receptiuum nisi duorum graduum, & per hoc soluitur instantia, quam vrget Bonet. cit. de duob. ignibus eidem stuppæ applicatis.

Soluuntur rationes.

68 IN oppositum obijciunt 1. quod de facto si plures Sacerdotes simul super eundem panem verba proferat consecrationis, & simul compleant, omnes simul consecrant; & similiter si plures simul eundem hominem baptizent, pariter conferent eundem effectum gratiæ, ergo &c. Respon. quod licèt in sententia asserente; Sacerdotem, & Sacramentum esse causas physicas gratiæ argumentum vim aliquam haberet, tamen in altera sententia, quæ Sacramentis virtutem dunta xat moralem concedit respectu gratiæ, nullam prorsus vim habet, immo addit Masius, neque in illa priori sententia argumentum vrgere, quia in ea sententia ponuntur Sacramenta causæ physicæ instrumentales, non principales, de quibus tantum verum est, plures totales eiusdem effectus esse non posse ob rationes allatas, esse autem plures instrumentales non inconuenit, quia non proinde multiplicantur virtutes influentes, cùm instrumenta non agant propria virtute; Caraffa tamen, & Auersa volunt rationes vrgere æquè de causa instrumentalis, ac de principali, quia si possent adhiberi plura instrumenta totalia ad eundem effectum, idem quoque sequeretur de pluribus principalibus.

Sed quicquid sit de hoc priori responsioni standum est, quam Scot. dedit 4. d. qu. 2. §. *De primo, &c.* vbi argumentum hoc conficit in terminis, & respondet, propositionem illam, idem esse non posse à duabus causis totalibus, valere de causa inducente formam effectiuè, idest physicè, & talem causam ait esse Deum, non Ministrum. Sed obijcit Doctor, saltim formam Baptismi, vt est Sacramentum, inducit Minister; & sic sunt duæ causæ totales eius in eo casu. Respondet, neutrum Ministrum in abluendo esse causam totalem, quia siue ablutio fiat per immersionem, siue per asperfionem, tamen quando simul mouent, neuter vtitur tota sua virtute motiua, sicut quando duo portant pondus, quod alter solus portare posset; dubitat tamen adhuc, quia saltim respectu prolationis verborum vterque est causa totalis, & sic quantum ad vnam partem effectus exterioris, qui est Sacramentum, erunt duæ causæ totales. Et respondet, difficilè esse, quin alterius verba superfluant, ita quòd non sint per se pars vnius Sacramenti, quia ponere duo eiusdem rationis esse partes vnius, quod simpliciter esset perfectum, habendo alterum eorum pro parte, videtur superfluum, quæ autem superfluant, & cuius proferentis, difficilè est assignare, ait Doctor; addit tamen in extra, quod baptizatio illa valeret, quam Deus acceptaret, Posset dici, Deum instituisse ad exhibitionem talis signi inducere in baptizato effectum supernaturalem, siue hoc exhibeatur ab vno ministro, siue a pluribus, quia id non importat in signato respectu signi physicam, & essentialem dependentiam, quam tantum negamus in effectu ad plures causas totales, & Sacramentum vnum æquè constitui ex ablutione, & verbis ab vno, vel pluribus prolatis, quia ad vnitatem Sacramenti non videtur necessariò requiri prolatio verborum ab vno tantum ministro.

69 Secundò non implicat, idem duplici actione totali conseruari, ergo neque produci, Conseq. patet, cum enim creatio, & productio eandem importet dependentiam, paritas debet admitti. Probatur assumptum, quia Scot. quol. 10. sub L. admittit possibilitatem transubstantiationis productiuæ, ita quod transubstantiatio sit vera actio substantialis de se sufficienter productiua corpus Christi præexistens, ideò non habet rationem productionis, sed conseruationis, iuxta quem dicendi modum, quem sequitur Suar. 3. p. disp. 50. sect. 5. & putat probabilem in via Scoti P. Faber. 4. disp. 45. c. 7. & Aretinus 4. d. 11. qu. 3. art. 7. per vnam actionem totalem conseruatur in Cœlo, & per aliam totalem in Eucharistia ex vi conuersionis, quarum vna cessante, adhuc Corpus Christi existeret ex vi alterius.

Resp. negando assumptum, ad Probat. dicimus, Doctorem de facto non admittere transubstantiationem productiuam, sed tantum adductiuam, etiam quol. illo 10. nam ibi sub L. explicat, quomodo possit fieri transubstantiatio in aliquod præexistens absque aliqua mutatione, nec priori, nec concomitanti in termino ad quem, quod transubstantiationi panis in corpus Christi, quam de facto in Eucharistia fieri credimus, nullatenus potest conuenire, in qua corpus Christi fit de non præsenti speciebus, præsens, & consequenter necessariò debet mutari mutatione acquisitiua: solum igitur ibi ostendit, in quo sensu sit possibilis conuersio vnius in aliud præexistens, productiua, seu conseruatiua, & ait, esse possibilem, non eo modo, quo ponit Suar. quasi actioni, qua conseruatur in Cœlo addatur alia actio Eucharistica, per quam iterum sub speciebus conseruatur ex vi conuersionis panis in ipsum independenter prorsus ab actione, qua conseruatur in Cœlo, sed in hoc sensu, quod si Deus conseruaret Solem in suo esse ex vi desitionis vermis, vlteriùs ipsum non conseruaturus, si vermis non desineret, tunc optima ratione vermis diceretur in Solem conuersus, & Sol perseueraret in esse ex vi desitionis vermis, at si tale decretum non interueniret, de non vlteriùs conseruando Sole, nisi vermis in terra desinat, plane vermis desinens conuersus in Solem dici non posset, quia secundum hoc, inquit Doctor, posset dici; Deum, quidquid annihilat, conuertere in Solem, quia vult Solem manere in suo esse post esse illius annihilati; Ex quo patet iuxta hunc modum possibilem conuersionis productiuæ à Scoto assignatum non interuenire duplicem actionem conseruatiuam, sed terminum ad quem conuersionis perseuerare in esse per actionem, qua prius conseruabatur, sed dependenter a desitione termini conuersi, ita quod si hæc res non desineret, illa non amplius conseruaretur.

70 Tertiò causæ secundæ non sunt de se, & ex natura sua determinatæ ad huc effectum numero potius, quàm ad alium in eadem specie, ergo quod Deus facit per vnam causam, potest etiam facere per aliam, & hoc totum patet ex præced. art. ergo simul existentibus, & applicatis duabus causis totalibus, poterit per ambas eundem numero effectum totaliter producere. Confirm. quia dependentia adæquata effectus ad causam totalem vtique ex natura rei connotat carentiam concursus alterius causæ, sicut quantitas in loco excludit ex natura rei aliam quantitatem ab eo, ergo sicut hæc actualis incompossibilitas duarum quantitatum potest à Deo impediri in ordine ad locum, ita actualis incompossibilitas duarum actionum totalium in ordine ad eundem effectum. Demum eadem forma

ma potest de potentia Dei plures informare materias; & idem accidens esse in pluribus subiectis, quod contingeret, si duo corpora in eodem loco ponerentur, quod diuinæ potentiæ non denegatur, tunc enim haberent idem vbi, ergo idem effectus tunc foret à pluribus causis totalibus in genere causæ materialis.

Respon. concessa prima conseq. disiunctim, negando alteram ob rationes allatas. Ad Confirmationem, negatur paritas, potest vtique Deus impedire incompossibilitatem formarum in eodem subiecto, & quantitatem in eodem loco, non tamen dependentiarum essentialium adæquatarum in eodem effectu, nec rationes, quæ militant de istis, concludunt æquè de illis. Ad aliud negat Scot. assumptum, quod etiam nos ex professo docuimus disputat. 4. quæstion. 7. articul. 2. Ad probat. ait Doctor ad 4. quod illa duo corpora vtique haberent eundem locum pro materiali, quatenus forent in eodem spatio compenetrata, & eadem superficie ambita, at singula haberent distinctas præsentias, & vbicationes ad eundem locum extrinsecum.

71 Quartò possunt esse plures formæ eiusdem rationis in eodem subiecto de potentia Dei, vt plures albedines in eodem pariete, immo de facto in eodem fundamento reperiuntur plures relationes eiusdem rationis, vt plures paternitates in eodem homine, plures similitudines in eodem albo, ergo & plures dependentiæ eiusdem rationis in eodem effectu. Confirm. non minus paries est formaliter albus per albedinem, & homo pater per paternitatem, quam effectus sit formaliter effectus per dependentiam, ergo licut paries potest esse formaliter albus per duplicem albedinem, & homo pater per duplicem paternitatem, ita & effectus per duplicem dependentiam. Confir. adhuc, quia non sunt incompossibiles, simul in causa plures actiuæ productiones totales, nam in diuinis de facto admittitur in Patre generatio actiua respectu Filij, & actiua spiratio respectu Spiritus Sancti, ergo neque erunt incompossibiles plures passiuæ in effectu, immo de facto in diuinis Spiritus Sanctus producitur à Patre, & Filio duplici spiratione totali, neuter enim partialiter, ac insufficienter spirat.

Respond. Scotus, non repugnare, quod plures formæ, & relationes eiusdem rationis sint in eodem, sed aliquibus specialibus relationibus repugnat, puta dependentijs essentialibus, talis enim si est vna ad terminum totaliter terminantem, non relinquit fundamentum dependens dependentia simili ad quodcunque aliud, vnde negat paritatem assumptam. Ad Confirm. quando plures sunt paternitates in eodem patre, & plures forent albedines in eodem subiecto, nunquam sequitur, eundem effectum formalem esse à pluribus causis totalibus, cum enim effectus formalis sit ipsamet forma communicata subiecto, tunc sicut plures essent formæ subiecto communicatæ per plures informationes, ita plures essent effectus formales eiusdem rationis, at per plures dependentias eiusdem rationis haberetur idem numero effectus à pluribus causis totalibus. Dices, effectus formalis secundæ albedinis sufficienter haberetur per primam, & adhuc non repugnat haberi per secundam, ergo ita in proposito. Negatur paritas, tum quia per alteram albedinem non habetur idem numero effectus, sed tantum idem specie; tum quia per albedinem, & cœteras formas accidentales non accipit subiectum esse simpliciter, sed tantum secundum quid, potest autem res pluries eandem recipere denominationem accidentalem, vt pluries dici alba, pluries dici similis, sed non potest dici pluries in esse, vel pluries produci in esse simpliciter, nec simul, nec successiuè, quamdiu existit. Ad aliam confirm. negat Scot. 1. distinct. 11. quæstio. 2. ad 2. paritatem, quia maior est incompossibilitas productionum passiuarum, quam actiuarum in eodem supposito, vnde postea distinct. 12. quæst. 1. negat, Patrem, & Filium esse duo principia Spiritus Sancti, & duos spiratores, quia spirant per eandem numero virtutem spiratiuam in vtrisque existentem.

72 Quinto si duo corpora æqualia in eodem loco circumscriptiuè à Deo ponantur, tunc repletio illius loci, & distantia laterum sufficienter haberet per singula, quia quocunque amoto, adhuc locus dicitur plenus, & non vacuus, & latera continentis distare. Deinde potest res præexistens iterum produci, in quo casu ex vi duplicis actionis haberet esse totaliter, Probatur assumptum, quia ita de facto contingit in cuiuscunque rei conseruatione, quòd eadem res continuò producitur, & si eius esse multo antea præcesserit. Denique in genere causæ finalis id non videtur posse negari, nam vt ait Aristotel. 2. de Anima 88. lingua ordinata simul est ab ipsa natura, & propter gustum, & propter loquelam, & potest aliquis plures fines intendere æquè primo, ita quod altero cessante, adhuc agens operaretur, & eodem modo ob alium finem, idque sæpè contingere in moralibus, sæpius compertum est.

Respond. ex Scoto quol. 11. M. & N. negando, in eo casu vnicam esse repletionem, & distantiam, tot enim sunt, quot corpora interiecta, quia tacere latera distare formaliter, est occupare locum, & replere, itaut verè ab illo loco corpus contineatur, at in casu per vnam repletionem locus ille non dicitur continere, nisi vnum corpus, nec eius latera distare dicuntur, nisi semel, addito igitur nouo corpore, additur noua repletio, & noua distantia laterum loci in genere causæ formalis, & licet prima repletio sufficeret, vt absolutè locus non diceretur vacuus, tamen per alteram, & alteram locus dicitur magis plenus, quatenus magis à vacuitate recedit, vnde nunquam eodem modo dicetur locus plenus per vnam repletionem, & plures, nam perfectiori modo plenus dicetur per plures, quàm per vnam. Ad 2. negatur assumptum, cum enim actio productiua rei ad hunc finem sit destinata, vt fiat per eam res de non existente existens, planè implicare videtur, quod res præexistens possit iterum produci, vt fusius in lib. de Gen. & falsum est, in conseruatione rei id contingere, quia conseruatio non est distinctus influxus à prima rei productione, sed est eadem permanens, & continuata productio eiusdem termini, vt patet ex dictis disp. præced. Ad 3. iam diximus, non multum esse de fine curandum, quia eius causalitas non est vera, & physica; adhuc tamen præstat etiam in moralibus negare, eundem actum virtutis fieri posse ob plures fines totales, & æquè primos, cum enim in moralibus finis totalis, vel principalis det speciem actui essentialem, & primam in genere moris, si actus aliquis æquè primò ex duplici motiuo virtutis exerceretur, iam actus ille æquè primò poneretur in pluribus speciebus essentialibus, quod repugnat in moralibus æquè, ac in physicis; sicut ergo diximus in causis efficientibus totalibus, quod simul applicatæ nunquam eo modo effectum producent, quo facerent seorsim, nam vel eum producent perfectiorem, vel in minori tempore, aut in maiori distantia, & alia consimili disparitate, ita in causis finalibus intentionalibus si duo motiua virtutis voluntati applicentur ad talem actum ponendum, ad cuius productionem alterum illorum sufficeret, dicendum, vel, quòd voluntas in actum duplo perfectiorem prorumperet, vel in actum in æquali gradu, sed citius, & velocius in duplo, & demum, vt ait Tatar. quol. 18. nunquam voluntas ex vno operabitur motiuo eo modo, quo ex duobus, quia cum his semper operabitur cum maiori promptitudine, alacritate &c. in qua verò specie virtutis poneretur actus ita genitus, pertinet ad tract. de actibus humanis; Tatar. cit. ait, pertinere ad quandam virtutem mixtam, quod satis probabile est.

73 Sextò tandem communis vrgetur, sed solida difficultas; de facto eiusdem effectus sunt duæ causæ, scilicet Deus, & creatura, quarum prima est simpliciter totalis, & se sola sufficiens ad ponendum effectum, altera verò partialis; sed eadem est difficultas de superfluitate partialis causæ cum totali, sicut totalis cum totali, vt patet consideranti, ergo si illud est possibile, immo est de facto, etiam, & istud. Nec sufficit communis euasio, quod istæ sunt causæ alterius ordinis, non eiusdem. Quia difficultas æquè vrget in illis, sicut in istis, si ibi ponatur altera causarum simpliciter, & absolutè totalis, & non tantum in ordine suo, vt est in proposito de causa prima. Nec sufficit dicere, quod causa prima est totalis in actu primo, quatenus de se habet virtutem sufficientem ponendi totum effectum, si vellet, at in actu secundo partialis est, & eius concursus est insufficiens secundum rem, vt detur locus actioni causæ secundæ, quæ est communis respons. Recentiorum. Non sufficit, quia tam indignum est vilificare causam primam in actu primo, quam in actu secundo, sicut igitur in actu primo non ponitur causa prima dependens à secunda, ita neque concursus eius secundum rem tam debilis poni debet, & attemperatus, vt necessariò indigeat concursu causæ secundæ, & sine illo sit secundum rem insufficiens, sic enim in actu secundo, dignior non esset concursus primæ causæ, quam secundæ, de quo satis dictum est superius. Nec absolutè satisfacere videtur solutio P. Vulpes tom. 1. p. 2. disput. 7. art. 6. num. 6. quod diuinus concursus licet sit secundum rem sufficiens & totalis, adhuc tamen secundum modum est insufficiens, & partialis, quatenus sua libertate, non necessitate finit causas secundas secum agere. Non valet, nam si secundum modum ideò est insufficiens, quia secum assumit creaturas ad causandum, ergo pariter si essent plures causæ totales, influxus earum singuli dicentur sufficientes secundum rem, quatenus singuli attingerent effectum totum ac totaliter, non tamen secundum modum, quia cum vna causa concurrit alia, licet non ex necessitate. Nec sufficit, si dicas, effectum non dependere essentialiter simpliciter à causa secunda, sed tantum secundum quid, quia potest sine illa esse; nam hoc modo dici posset effectum pendere posse à duabus causis totalibus essentialiter secundum quid.

74 Respond. hanc difficultatem tangi à Scoto 2. dist. 37. M. & N. cui nullam assignat respons. ibi, & ideò Lich. eo loco, & Bassolius adhibent vulgarem resp. de causis subordinatis, & non subordinatis, quæ non sufficit, vt diximus, quando in subordinatis vna est simpliciter, & absolutè totalis; tangit iterum hanc difficultatem Doct. 4. d. 12. quæst. 1. sua S. vbi similiter non soluit, sed ait, difficile esse saluare causalitatem causarum secundarum, si ordo inter primam causam, & secundam non est necessarius, quæ necessitas ordinis non videtur posse poni, nisi ponendo cum Recentioribus concursum causæ primæ insufficientem secundum rem, ac proinde suaptè natura exigentem consortium influxus causæ secundæ, ex cuius coniunctione integretur influxus sufficiens; tetigimus etiam nos hanc difficultatem disp. 2. q. 3. art. 3. ad 1. sed eam sicco pede ibi pertransiuimus, communi solutione contenti, & quidem hic etiam potius audiremus, quid alij dicant, quam aliquid proferre; tamen ne argumentum penitus intactum relinquamus, recolimus ex dictis hac disput. quæst. 1. ar. 2. concursum Dei fundamentaliter sumptum esse vnicum, & sim-

& simplicissimum ad omnes effectus, eundem scilicet actum efficacem diuinæ voluntatis, sed ob suam eminentiam, & illimitationem esse virtualiter multiplicem, & diuersis nedum numero, sed etiam specie influxibus æquiualere maiori, & minori, vt libet diuinæ voluntati, nam vtique maior est concursus, quo Deus vtitur cum equo ad æquum generandum eo, quo vtitur cum calore ad alium calorem producendum, sed talis diuersitas notari nequit in diuino concursu secundum rem, quia à parte rei est idem prorsus numero actus, quo cum equo producit equum, & cum calore calorem, sed tantum in modo applicandi eundem actum ad plures, & plures effectus exigentes iuxta eorum naturam varios, & varios influxus, qui modus applicandi diuinum concursum satis arcanus est, vt potè spectans ad suauem Dei dispositionem, qua vniuersum gubernat, & in hoc sensu dicitur Deus causis secundis suum attemperare concursum, non quod hoc faciat secundum rem, remittendo nimirum, vel intendendo suum influxum, sed quia id facit in modo applicandi illum, & in hoc sensu etiam dicitur influxus Dei insufficiens non secundum rem, sed secundum modum, quatenus ex modo, quo applicatur, indiget consortio causæ secundæ, ita quod sine ea sic applicatus non attingeret effectum, & in hoc demum senso poni potest ordo necessarius inter primam, & secundam causam; hæc autem attemperatio locum habere nequit in duabus causis totalibus totaliter concurrentibus ad eundem effectum.

75 Sed dices, causam præsertim liberam sic applicare ad agendum formaliter per ipsam effectus productionem, & Deum se applicare ad agendum cum causis secundis quatenus eis exhibet concursum suum, exhibet autem illum, dum actualiter concurrit cum eis, ergo hæc varia applicatio modo maior, modo minor concipi nequit, nisi in ipso concursu exhibito, quatenus secundum se modo maior est, modo minor. Respond. assumptum verum esse in sensu formali, sed non in sensu causali, non enim virtus actiua causæ ideo hic, & nunc est applicata ad agendum, quia agit, sed ideò agit, quia applicata est, & magis agit, quia applicata, vnde voluntas in nobis tanto magis applicat suam virtutem, quanto intensiorem actum vult elicere; sicut ergo per eundem actum absque vlla prorsus mutatione in ipso potest Deus velle, & non velle aliquod obiectum, ita eundem actum potest modo magis, modo minus applicare ad varios effectus producendos, qui tamen in se consideratus præcisa hac, vel illa applicatione sufficientimus est sine causa secunda ad ponendum effectum. Ais; ita dicendo, nos incidere in modum dicendi Recentiorum, qui influxum Dei faciunt insufficientem, vt hic, & nunc applicatum, atque ita cum ipsis vilificare causam primam in actu secundo. Negatur assumptum, cum enim Recentiores concursum Dei ponant aliquid creatum ex parte effectus se tenens, non solum in modo exhibendi concursum, sed etiam in ipso concursu exhibito insufficientiam agnoscunt, & ideò secundum rem ipsum statuunt partialem, & insufficientem, & consequenter verè in actu secundo causam primam vilificant; sed nos, qui ponimus, concursum Dei exhibitum esse actum efficacem diuinæ voluntatis, ad cuius absolutam virtutem sequitur immediatè effectus in rerum natura, nullam prorsus agnoscimus in sufficientiam in entitate ipsius concursus, sed solum in applicatione illius, vnde solum in modo exhibendi concursum agnoscimus insufficientiam & attemperationem non in ipso concursu exhibito, & ideò non vilificamus causam primam, nec etiam in actu secundo, quia eius concursus secundum sibi intrinseca sufficiens est, & totalis.

DISPVTATIO NONA.

De Continuo.

1 *IN priori parte librorum de Physico auditu egimus de principijs, tũ in fieri, tũ in facto esse corporis naturalis in communi; egimus, de natura, vt est principium effectionum, & operationum eius, & demũ de causis eius extrinsecis, per se, & per accidens. Nunc alteram partem aggredimur, in qua de affectionibus, ac attributis eius in communi agendum est; & quamuis initio 3. Phys. vnde hæc pars incipit, Philosophus sermonum de motu instituat, quantùm sufficit ad eius quidditatem insinuandam pro maiori explicatione definitionis naturæ, quam præmiserat in 2. quia tamen exactam eius tractationem non prosequitur in hoc 3. quem potius ferè totum insumit in declaranda infiniti natura, sed in 5. vbi agit de speciebus eius, vnitate & pluralitate numerica, & contrarietate, & in 6. vbi agit de continuitate motus, & eius partibus, & in 7. de comparatione motuum ad inuicem, & de causa efficiente motus, ex quo tandem viam sibi parat ad inuestigandum in 8. primam omnium causam efficientem motus, scilicet primum Motorem; hac de causa nos quoque disputationem de motu ad vltimum differemus, præmittendo disputationes illas, quæ nobis viam sternunt ad eius cognitionem, & talis autem in primis est disputatio de Continuo, quia & motus est de genere continuorum, & corpus mobile eius adæquatum subiectum, & constito, quod continuum non componatur ex indiuisibilibus, sed ex partibus in infinitum diuisibilibus, agimus subinde de infinito, vt indè pateat, qualis partium infinitas sit admittenda in continuo, & quia inter species motus principem obtinet localis sedem, vt à quo cæteri pendent motus, naturam loci, & vacui, in quibus motus iste peragitur, inuestigabimus; & quia motus, vt successiuus, tempore mensuratur, de tempore sermonem instituemus; & hinc postremò euactam cognitionem motus deducemus, & trademus.*

QVÆSTIO PRIMA.

In quo consistat ratio quantitatis continuæ, & an à substantia corporea, alijsque eius accidentibus realiter distinguatur.

2 IN principio huius disputationis quæstionem hanc proponimus, non quia continuitatem in sola quantitate agnoscamus, cùm admittenda sit etiam in cœteris rebus corporeis seclusa quantitate, nec quia de quantitate hic intendamus agere ex professo, cùm alibi sit locus eius; sed ideò quæsitum istud præmittimus, eò quia peculiari quodam modo, & quasi appropriatè solet continuitas in quantitate designari, & quia cùm sit affectio quædam insignis corporis naturalis cœteras origine præcedens, & illi ratio essendi in loco circumscriptiuè, non debet in his libris eius natura prorsus sub silentio præteriri; specialiter autem inquirimus hic de ratione quantitatis permanentis, nam de successiua inferiùs agemus sub ratione temporis, & motus.

Circa 1. quæsiti partem variæ sunt opiniones. Prima opinio, quæ tribuitur Thomistis, constituit rationem essentialem quantitatis in ratione mensuræ, tum actiuæ tum passiuæ, ita insinuauit S. Tho. p. 1. q. 29. art. 1. & opusc. 12. Secunda constituit essentiam quantitatis in diuisibilitate in partes entitatiuas, & integrales ad differentiam rerum spiritualium, quæ sunt penitus indiuisibiles in huiusmodi partes, tribuitur Scoto 5. Met. q. 9. & in Prædicam. quæst. 17. Tertia opinio communior statuit essentiam quantitatis in extreitate, seu extensione partium, & hunc esse effectum formalem, quem tribuit substantiæ, Verùm Assectæ huius sententiæ non eodem modo loquuntur de ista extreitate partium, & extensione; cùm enim hæc duplex possit in rebus constitui, vna in ordine ad se, seu partium in toto, alia in ordine ad locum, seu partium in loco, & prima adhuc dupliciter cogitari possit, vno modo, quòd solùm importet pluralitatem partium in toto, & distinctionem entitatiuam vnius ab alia, alio modo, vt vltra hanc distinctionem addat etiam ordinem vnionis earum ad inuicem, quatenus quælibet certa pars immediatè vnitur alij parti, & non immediatè omnibus, sed seruat ordinem, quem postulat totum ipsum integrale nulla habita ratione loci, vt aliæ sint mediæ, aliæ extremæ, & cùm secunda extensio in ordine ad locum adhuc duplex sit, alia actualis, per quã singulis partibus rei cortespondent singulæ partes loci, alia aptitudinalis, per quam etiam si actu essent omnes corporis partes in eodem spatio compenetratæ, adhuc tamen actualem extensionem petunt in eo, & vnam esse extra aliam etiam localiter; Hinc Aliqui constituunt essentiã quãtitatis in extreitate partium in ordine ad se in primo sensu, itaut effectus formalis quantitatis sit afferre pluralitatẽ partium integralium, & earundem distinctionem rebus, quas afficit; ita Aureol. 2. d. 12. q. 2. ar. 4. Capr. 2. d. 18. q. 1. Dur. 1. d. 34. q. 1. Scot. in Log. q. 2. de quant. Tol. 1. Phys. q. 7. Compl. disp. 13. Log. q. 3. Mas. 1. Phys. c. 2. q. 1. Vasq. 3. p. disp. 190. c. 3. & quicunq; negant, substantiã esse diuisibilem in partes entitatiuas, ac integrales quantitate seclusa; Alij constituunt essentiam quantitatis in extensione partium in toto in secundo sensu, vt scilicet dicit non solam entitatiuam distinctionem partium, sed etiam dispositionem, & coordinationem earum in toto, vt aliæ sint mediæ, aliæ extremæ, & non inter se confusæ, & complicatæ ita Fons. 5. Met. c. 3. q. 1. Io. de S. Th. q. 16. Log. ar. 1. & videtur fuisse sententia Doctoris in 4. d. 10. q. 1. M. vbi explicat essentiam quãtitatis per positionem partium in toto, quæ extensionem partium in ordine ad se in hoc secundo sensu importare videtur, nam extreitatem partium in primo sensu tribuit Doctor substantiæ seclusa quantitate 2. d. 12. q. 2. & d. 3. q. 4. ad argumenta, & alibi sæpè, sequuntur hunc dicendi mo-

modum,vt de mente Scoti,P.Faber,Aretin. Iribarnes in 4. sent. in eum locum,& rursus Faber 5.Met.disp.13.c.5. Ex his verò,qui explicant essentiam quantitatis per extensionem in ordine ad locum. Alij constituunt in actuali extensione locali, vt nuper Auersa quæst. 22.sectio 2. Alij in extensione tantum aptitudinali, vt multi ex nostris, P.Sghemma 1.Phys.digress.3.q.3.Fuentes in Log.q.15.diff.1. art.2,Roccus 1.Phys.q.7.Postremò Suar.disp.40.Met.sect.4. considerans substantiam corpoream quantitate exutam adhuc ex natura rei futuram esse in loco extensiuè,& diuisibiliter iuxta extensionem partium, quam in se habet, constituit essentiam quantitatis in impenetrabilitate, vel in radice illius, ita vt effectus formalis quantitatis sit afferre rebus impenetrabilitatem, sequitur Ruuius 1. Phys. c.3. qu. 2. Amicus tract.15.qu.4.dub.4.articul.7. Hurtad.disp.13. Met.sect.5.

Circa alteram quæsiti partem est famosa Nominalium sententia, qui non distinguunt quantitatem velut accidens quiddam à substantia corporea,cœterisque eius accidentibus realiter,sed esse ipsammet earum rerum entitatem, ita vt substantia sit per se quanta, & extensa,pariter & qualitas,atque ideò in quacunque re non vnam assignant quantitatem, sed tot, quot sunt entitates physicæ in ea, ita quod alia est quantitas materiæ, alia formæ, & alia aliorum accidentium, ita Ocham in 4.dist.4. sed fusiùs in tract. de Corpore Christi Domini cap.17. Gabriel in 2.dist.16. Maior in 2.d.12.quæst.2. Rubion 4.d. 12.quæst.5.& fauet Hurt.disp.13.Met.sect.2.& Arriag.disp.5. sect.1. At opposita sententia receptissima est,& plausibilis, vtpotè, & magis consentanea naturali rerum constitutioni, & magis apta ad explicandum Sacratissimum Eucharistiæ Mysterium, vbi Catholici cedunt, quantitatem manere cum cœteris accidentibus sine substantia panis, & vini, quam fusè tractat Faber 5. Met. disput. 13.cap.2.

ARTICVLVS I.

Explicatur essentia Quantitatis continuæ.

3 DIcimus, essentiam quantitatis continuæ consistere in extreitate partium incompossibilium ex natura sua; & in actu primo,in eodem spatio, seu consistit in immediata exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad locum. Concl. est contra omnes relatos dicendi modos excepto vltimo, qui benè intellectus, & explicatus cum isto coincidit, & expresè colligitur ex Doctore 4.d.49. quæst.16. vbi §. *Alij dicunt, &c.* docet, rationem impenetrabilitatis in corporibus a quantitate præcisè prouenire, itaut hic sit effectus formalis quantitatis primarius, secundarius verò actualis expulsio, & impetratio, docet enim ibi ex Philosopho 4. Phys. 76. & 77. quòd si duæ dimensiones à substantia separari possent, adhuc se penetrare non possent, quod nobis fides ostendit in duabus hostijs consecratis se inuicem compenetrare non valentibus, & in 4.distinct.1. quæst.5. infra F. inquit, ideò serram lignum diuidere, quia est incompossibilis ratione suæ quantitatis cum partibus diuidendis in eodem loco, vnde iuxta mentem Doctoris per quantitatem habent corpora in actu primo, quod possint se ab eodem loco pellere, & in actu secundo, quòd actu se excludant, & si Deus hunc effectum suspenderet, ponendo duo corpora simul in eodem loco circumscriptiuè, per quantitates suas haberent, quod possent, & deberent se inuicem pellere, ergo in principio exigitiuo huius expulsionis, & in exigentia impenetrabilitatis essentia quantitatis continuæ sita est; & in hoc fundatur demonstratio Aristotel. 6. Physicor. ab initio, quod indiuisibile additum indiuisibili non facit molem, quia non habent quantitatem, qua se inuicem excludant.

Probatur autem, reijciendo singulos relatos dicendi modos; non enim rectè constituetur essentia quantitatis in ratione mensuræ, aut diuisibilitatis, quia vel accipitur mensura, & diuisibilitas quomodocunque, & in hoc sensu essentiam quantitatis nequeunt constituere, cum competant cœteris rebus, omne enim scibile est mensura scientiæ ex Aristot. cap. De Aliquid, quia perfectio scientiæ mensuratur à perfectione scibilis, & vt dixit Comment. in vnoquoque genere est vnum quod est metrum, & mensura omnium aliorum, & substantia, ac qualitas corporea diuisibilis est in partes entitatiuas, ac integrales citrà quantitatem, non enim quando quantitas superuenit substantiæ, reperit eam prorsus indiuisibilem, sic enim non foret subiectum capax quantitatis, ita docet Scot. de Materia in 2. dist.12.quæst.2 de forma materiali in 4.d.44.quæst.1. & de qualitate corporea in 4.dist. 12.quæst.2. B. & planè cum hæc omnia habeant extreitatem partium entitatiuum, & in ordine ad se,vt mox dicemus, consequenter ex se diuisibilia erunt in partes integrales, si verò loquamur de mensura per applicationem vnius extensi ad aliud, quo sensu specialiter tribuitur quantitati, vt docet Scot.quodl. 13. art. 2. ex Philosopho 10. cap. 2. & de diuisibilitate in partes integrales impenetrabiles, quæ fit per instrumentum materiale, quo sensu est affectio quantitatis, vt notat Scot.4.d.1.quæst.5.F. adhuc in eis essentia quantitatis consistere nequit, sed potius sunt affectiones eam consequentes, vt monet Doctor in Log. quæst.17.prædicamentali, & 5.Met.quæst.9. & Ant.And. ibidem, vnde mirum est, quomodo ibi citentur pro opposita sententia; nam ideò quantitas potest esse mensura actiua, seu ratio cognoscendi aliam quantitatem ignotam per eius applicationem, quia est extensa, & habet plures partes integrales extra se positas, secundum quas potest se coextendi alteri quantitati, & eadem ratione similiter potest mensurari, quia extensa est. Pariter ideò quantitas est diuisibilis instrumento corporeo, quia habet plures partes ad inuicem incompossibiles in eodem spatio, ergo tam ratio mensuræ, quàm diuisibilitatis non potest esse in quantitate prima ominò ratio, quia quantitatem habere partes est prius, quam esse mensuratiuam, & mensurabilem, & diuisibilem, ad summum igitur poterit à posteriori per huiusmodi affectiones essentia quantitatis circumscribi, & ita fecit Philos. 5. Met. cap. 13. dum descripsit quantitatem per diuisibilitatem dicens, *quantum esse diuisibile in ea, quæ insunt*, vt notat Ant. Andreas loc.cit.

4 Secundò. Neque consistere potest essentia quantitatis in extreitate partium entitatiua in primo sensu, vt nimirum dicit pluralitatem solam partium,& distinctionem entitatiuam illarum, quatenus hæc pars non est illa. Tum quia hanc extreitatem habet, & partium pluralitatem substantia corporea ex se citra quantitatem, nam vtique citra quantitatem distinguitur essentialiter à substantia incorporea, & spirituali, nec per aliud distingui potest ab ea, quàm per dictam extreitatem, quando quidem quantitas substantiam corpoream ab incorporea essentialiter non distinguit, cum sit accidens. Tum quia cum quantitas in substantia recipitur, vel tota quantitas recipitur in tota substantia, & pars in parte, vel tota in tota substantia indiuisibiliter, itaut omnes ipsius quantitatis partes applicentur eidem entitati indiuisibili substantiæ; si primum ergo pluralitas partium substantialium in substantia præcedit quantitatem; si secundum, ergo accidens diuisibile recipitur in subiecto indiuisibili, quod repugnat. Tum quia etsi quantitas adueniens substantiæ possit illi tribuere partes extensionis accidentales, non tamen substantiales, quia accidens non causat suum subiectum, nec partes accidentis partes subiecti sui adæquati, sed è contra. Tum quia manifestum est, non solum in capite esse distinctam partem quantitatis,quæ est in pede,sed etiam aliam partem substantiæ, alioquin eadem substantia indiuisibilis secundum entitatem esset in pede, & in capite,immo & in toto corpore. Tum tandem, quia si consecraretur hostia secundum vnam medietatem, & non secundum aliam, tunc pars substantialis consecrata desineret esse, alia remanente, quæ & à Deo expoliari posset sua quantitate, ergo ista quantitas in parte substantiæ remanente,etiam antequam fieret consecratio,subiectabatur, & non in alia, quæ desinit, atque ita necessariò admittenda est pluralitas partium in substantia citra quantitatem. Vide Regentes Parisienses P. Physicor. quæst.5. quæst. collat. 2. vbi optimè hanc rationem deducunt de receptione accidentis diuisibilis in subiecto indiuisibili.

5 Nec valet communis Thomistarum responsio, substantiam, vt natura præcedit quantitatem, habere pluralitatem partium in potentia, non in actu, & in hoc distingui à re spirituali; quia vel per habere partes in potentia intelligunt, quod potentia excludat actum diuisionis, & separationis, vel actum existentiæ, & distinctionis, itaut vel illas non habeat, sed quantitatem expectet, vel saltim non habeat distinctas, sed distinctionem expectet à quantitate; si primum, per hoc non tollitur, quin sint distinctæ,quia etiam cum subsunt quantitati, ita se habent in potentia, quatenus non sunt diuisæ, ac separatæ; sed neque dici potest secundum, nam substantia nequit mendicare entitatem suarum partium à quantitate, sicut nullum subiectum vniuersaliter accipit suam entitatem à forma, quam recipit, neque distinctionem earum, quia si partes substantiæ sunt plures entitates ante quantitatem, & non vna simplicissima, & indiuisibilis entitas, iam etiam erunt distinctæ, quia distinctio super pluralitatem fundatur, & si entitas vnius partis non est distincta realiter ab entitate alterius, vtique per accidens superueniens non poterit huiusmodi realis identitas destrui, & per eius ablationem iterum reparari, ita quod ablata quantitate,quæ substantiæ partes fecit distinctas,iterum istæ identificentur, & in vnam coeant simplicem entitatem. Et pars substantiæ, quæ remanet in medietate hostiæ non consecratæ, & à Deo expoliari potest sua quantitate, vtique sic remanens censeri debet realiter distincta, seclusa quantitate ab alia portione substantiæ destructæ ex vi consecrationis. Denique eadem sunt principia constitutiua, & distinctiua essentialiter, ergo si partes substantiæ non recipiunt entitatem à quantitate superueniente,neque distinctionem, vide Canon. 1.Physicor.quæst. 9. dub.3.

Nec minus valet alia responsio, quæ à Thomistis etiam solet afferri,& Compl. vtuntur disp.13. Log.quæst.3. quantitatem inesse substantiæ diuisibili, non quidem supponendo eam diuisibilem, sed faciendo eam diuisibilem, alioqui idem argumentum fieri posset contra omne aliud accidens, sic lux est in corpore non tenebroso,sed lucido,non quod lux supponat illud lucidum, sed quia efficit lucidum, quam responsionem probabilem putant Amic. & Auers.cit. qui ait, substantiam, quatenus ordine naturæ præcedit quantitatem, esse indiuisibilem priuatiuè, idest non habere in se formaliter diuisibilitatem, sed aptam esse fieri diuisibilem per quantitatem,atque ita substantia non subijcitur indiuisibiliter quantitati, sed coextenditur, & redditur secundum diuersas partes verè diuisibilis per eandem quantitatem.

Sed contra,quia sicut forma præsupponit subiectum, & non efficit illud,

illud, ita etiam partes formæ materialis supponunt distinctas partes subiecti, è quibus educantur, & non illas efficiunt, ergo partes quantitatis supponunt partes substantiæ, sicut tota quantitas supponit totam substantiam, atque ita substantia, vt quantitati supponitur, diuisibilis est positiuè; exemplum de luce nobis fauet, tum quia sicut lux præexigit subiectum aptum, vt in ipso recipiatur, non verò tenebrosum, sic quantitas subiectum præexigit capax eius, & consequenter diuisibile, non indiuisibile; tum quia falsum est, lucem recipi in subiecto lucido formaliter, esto etiam verum sit, non recipi in tenebroso; tum tandem quia nullum accidens constituit subiectum, vt est susceptiuum ipsius, at partium pluralitas reddit ipsum capax accidentis materialis. Vide disput. 6. Log.quæst.2.art.2. vbi rursus hæc responsio reijcitur,& Compl.confutantur.

6 Tertiò. Neque consistere potest essentia quantitatis in extreitate partium in secundo sensu,vt nimirum dicit talem ordinem, & dispositionem partium in toto, itaut vna pars sit immediatè vni parti, & hæc immediatè alteri vnita, & non confuso modo, in quo distingui videtur ab extreitate partium in primo sensu, per quam quælibet pars potest esse immediatè vnita cuilibet parti, sicut se habent partes intensionis, inter quas talis ordo non obseruatur, sed quælibet est immediata cuilibet in eadem parte subiecti. Tum quia vt etiam notauit Auersa loc. cit. conclus. 2. extensio in hoc secundo sensu, scilicet partium in toto, non est distincta ab extensione partium in primo sensu, vel saltim illa concipi nequit sine ista, neque è contra, vnde cogitari nequit substantia corporea cum distinctione entitatiua partium sine vnione, & continuatione illarum ad inuicem, nam si conciperetur sine vnione illarum facta per indiuisibilia substantialia, iam non esset entitas corporea, sed potius in indiuisibilia resoluta, & si concipitur cum vnione partium, concipitur necessariò etiam cum aliquo ordine illarum ad inuicem, quia indiuisibile, quod copulat partem cum A. parte B, non vtique copulat immediatè cum parte C, & nec mente concipi potest substantia corporea sine tali ordine, itaut vnaquæque pars sit omnibus & singulis immediatè vnita, & non potius vna mediante alia. Tum quia etiam in partibus intensionis adhuc hic ordo obseruari potest, ac debet; quamuis enim omnes gradus qualitatis sint inuicem compenetrati in eadem parte, vel puncto subiecti, adhuc tamen distinctus est primus gradus à secundo, & tertio, adhuc ad inuicem per indiuisibilia vniti, & adhuc sic ordinati, vt primus sit immediatus secundo, & secundus tertio, quamuis hic ordo immutari potuerit, si ponuntur homogenei. Tum tandem quia quando etiam extensio accepta pro isto ordine, & dispositione partium in toto distingueretur ab extensione entitatiua primi generis,& illa sine ista reperiri posset, non adhuc in hac secunda extensione essentia quantitatis poni deberet, cum talis ordo partium in toto haberi possit sine quantitate, vt patet in corpore humano, quod vt sit idoneum animæ subiectum, petit talem dispositionem partium inter se, quæ appellari solet proinde organizato substantialis seclusa quantitate, ergo non habetur hic ordo partium substantialium per quantitatem. Vide disputationem cit.Log. vbi etiam hic modus reijcitur.

7 Quartò. Neque essentia quantitatis constitui potest in actuali extensione locali, nam qui ita philosophantur, vel per hanc extensionem intelligunt præsentiam situalem, per quam corpus toti loco actu coextenditur, & partes corporis partibus loci, & in hoc sensu nullo prorsus modo sustineri potest hic docendi modus; tum quia Aristot. distinxit positionem de genere quantitatis à positione de genere situs, & hæc superuenit illi, ergo non sunt confundendæ. Tum quia quantitas est accidens absolutum, præsentia situalis respectiuum, & concipi nequit sine actuali ordine ad locum. Tum quia præsentia situalis separari potest à quantitate, & hæc sine illa existere, vt absolutum prius sine respectu posteriori, & ita de facto contingit in venerabili Sacramento, vbi corpus Christi existit cum sua quantitate sine locali extensione de genere situs, quæ omnia solidè probat Doctor in 4. distinct.10. quæstio. 1.M. vel per extensionem localem intelligunt non illam præsentiam situalem, sed extensionem priorem illa, quæ aliud non sit, quam formalis, & actualis extrapositio partium corporis in loco, de se tamen indifferens ad hunc, vel illum locum, præsentia verò situalis illi adueniat,& illam determinet, vt sit in hoc, vel illo certo loco, itaut per extensionem priore substantia habeat, vt vna pars non sit, vbi est alia; per posteriorem verò de genere situs habeat substantiam, vt per singulas partes sit hic, vel ibi, & extensio prior non varietur in mutatione loci, sed semper eadem permaneat, posterior verò varietur; in quo sensu sustinet hanc sententiam Auersa loc. cit. addens, quod stante ista extensione locali licet substantia reduci nequeat in punctum indiuisibile loci, quia hoc foret vtique contra essentiam huius extensionis, potest tamen certa quædam pars per Dei potentiam compenetrari cum alia parte, vt in ligno bipalmari vnus palmus cum alio, quia tunc non aufertur extensio, & extrapositio suarum partium, tam vnius, quam alterius palmi per se, & vt magis explicat inferius quæstio.27. sect.5. non est de ratione huius extensionis, vt quælibet pars actu sit extra omnem aliam partem in loco, sed satis est, vt sit extra aliquas, quod tandiu seruatur, quandiu non reducitur ad punctum. Sed neque sic explicata hæc opinio defendi potest; tum quia adhuc in hac opinione defendi nequit, corpus Christi esse in Eucharistia cum sua quantitate, vt ibi ipsemet Auersa fatetur, quia omnes eius partes reductæ sunt etiam ad punctum specierum. Tum quia effectus formalis huius extensionis per ipsum est constituere vnum partem substantiæ, vbi non est alia, at facta penetratione vnius partis cum alia, vt in ligno bipalmari vnius palmi cum alio, non adest talis effectus, quia vnus palmus est, vbi alter existit, ergo non aderit quantitas bipalmaris. Tum quia si quantitas absolutè exigit extensionem localem absolutè, ita quòd sine illa seruatiori non potest, ergo tanta quantitas necessario requirit tantam extensionem localem, vt bipalmaris bipalmarem, sicut enim essentia quantitatis constituitur per extensionem localem vagè sumptam, ita indiuiduata essentia huius quantitatis constituitur per tantam extensionem, vt bipalmaris per bipalmarem, vndè nunquam dari poterit penetratio vnius palmi cum alio seruata quantitate bipalmari. Tum quia sicut actu esse in loco supponit existentiam rei locatæ, ita & existentiam quantitatis, quæ locatur, locus enim posterior est re locata. Tum quia licèt quantitas communiter ponatur ratio fundamentalis essendi in loco circumscriptiuè, non tamen ponitur ratio formalis, & actualis; qualis est extensio localis. Tum quia Philos.posuit vltimum Cœlum,& extensum,& quantum,& tamen negauit esse in loco. Tum tandem, quia quantitas est accidens absolutum, ergo malè statuitur eius essentia in actuali ordine ad locum.

8 Quintò. Neque essentia quantitatis constitui potest in extensione aptitudinali ad locum, vt illa aptitudo indicat in substantia formam quandam accidentalem, quæ reddat eam proximè capacem præsentiæ extensiuæ, & diuisibilis in loco, immo quæ naturaliter exigat, & requirat hanc præsentiam, non tamen actu eam collocet sic diuisibiliter in loco, quod etiam probabiliter sustinet Auersa loc. cit. Tum quia talis capacitas reperitur etiam in substantia materiali, & oritur ex partibus vt habent extensionem in ordine ad se, & ad totum, sicut enim in se vna est extra aliam,ita quoque citra quantitatem petunt naturaliter, vt vna sit extra aliam in loco. Tum quia ex hoc,quòd substantia spiritualis partibus caret, connaturalis modus eius essendi in loco est simplex,& indiuisibilis, vt nimirum sit tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci, ergo ex opposito substantia materialis ex hoc, quòd non est simplex, sed habet extreitatem partium,connaturalis modus eius essendi in loco erit extensus, & diuisibilis, intantum vt quamuis naturaliter non sibi repugnet compenetratio cum alia, & eius patrium ad se inuicem, sibi tamen repugnat naturaliter,vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte spatij diuisibilis. Tum quia partes extensionis in qualitate per hoc distinguuntur à partibus intensionis seclusa omni quantitate, quòd illæ petunt extensionem in subiecto,non istæ.Tum tandem quia si substantia maneret sine quantitate, adhuc ex natura rei haberet præsertim diuisibilem, & extensam in loco, licèt partes eius non haberent repugnantiam ad compenetrationem,nec illa substantia corporea cum alia,vt fusè probauimus art.seq.

9 Restat igitur, vt essentia quantitatis constituatur in illa extreitate partium incompossibilium ex natura sua, & in actu primo in eodem loco, seu in immediata exigentia extensionis impenetrabilis in ordine ad eundem locum; ita quòd quantitas aliud non sit, quàm forma quædam accidentalis absoluta, quæ superueniens substantiæ, vbi de se capax erat extensionis localis sine repugnantia ad compenetrationem, eam reddit capacem, immo naturaliter exigitiuam extensionis impenetrabilis, vnde non differt quantitas à substantia, vel qualitate corporea per habere plures partes extra se positas etiam in loco, sed per habere tales partes, quæ suaptè natura sint incompossibiles in eodem loco, quales non sunt neque partes substantiæ, neque qualitatis, quia licet istæ sunt capaces extensionis localis, & iuxta naturalem earum constitutionem quodammodo petant vnum esse extra aliam etiam in loco, non tamen est talis exigentia, & necessitas, vt oppositum etiam sine miraculo contingere nequeat; sicut est de partibus quantitatis. Prob. autem hoc pacto assertio nostra; quando à priori ratio formalis rei dignosci non potest, tunc inuestigari debet à posteriori, recurrendo ad aliquem effectum ita proprium illius rei,vt non ab alia re oriatur,tunc enim principium illius effectus est ratio formalis illius rei, at videmus de facto, substantias corporeas esse impenetrabiles, igitur videndum est, quodnam sit principium istius effectus, certe substantia corporea plures in se claudit rationes, scilicet materiam, & formam, si est composita, quantitatem, & cœtera accidentia; at sanè effectus hic à substantia non oritur, quamuis enim ex sua constitutione petat extensionem localem, hæc tamen exigentia non est talis, vt penetrationem prorsus excludat; nec oritur à materia, & forma, quæ se compenetrant in composito, nec oritur à qualitate, quæ dicatur grossities, nec à quocunque alio accidente, sed præcisè à quantitate, itaut posita quantitate, omni alio ablato, ponitur impenetrabilitas, posito omni alio, & sola quantitate seclusa, tollitur impenetrabilitas, vt fusè probat Scotus 4. distinction.49.quæst.16. §. *Alij dicunt, &c.* ergo principium istius impenetrabilitatis, & exigentia huius localis extensionis impenetrabilis erit ipsamet essentia quantitatis. Accedit,quòd essentia rei illa iudicatur,à qua manant proprietates,quę illi tribuun-

tribuuntur, sed omnes quantitatis proprietates fluunt ab ista forma exigitiua extensionis localis per partes suaptè natura incompossibiles in eodem loco, ergo in ea consistit ratio quantitatis. Maior patet, Prob. minor; nam impenetrabilitas, quæ est prima passio, fluit à tali forma, vt Scotus docet loc. cit. diuisibilitas physica per instrumentum corporeum, quæ est passio quantitatis à tali quoque exigentia diuersorum locorum originatur, vt idem declarat 4. d. 1. q. 5. F. prouenit etiam ratio mensuræ tam actiuæ, quàm passiuæ, ex eo enim quia quantitas habet partes extensas impenetrabiles, potest vna applicari alteri, & eam mensurare, vel mensurari, ergo &c. & ita etiam determinauimus disp. 7. Log. q. 2. art. 2.

Soluuntur Obiectiones.

10 IN contrarium obijcitur 1. probando, quòd essentia quantitatis consistat in diuisibilitate, & extensione entitatiua partium, vel saltùm quòd hic sit formalis effectus quantitatis; Tum quia Philos. 5. Met. c. 13. inquit, diuisibilitatem per se primò competere quantitati, & cœteris per quantitatem; & communis responsio de diuisibilitate in partes entitatiuas, & quantitatiuas, videtur inuenta ad illudendum, nam ita possemus dicere, diuisibilitatem etiam esse propriam qualitatem, vt est in partes qualitatiuas. Tum 2. quia Scot. ipse 4. dist. 12. quæst. 2. ait, qualitatem corpoream à quantitate separatam non esse actu diuisibilem, sed tantum potentia remota. Tum 3. quia habere partes extensas est effectus formalis accidentarius, vt esse album, ergo talem extensionem ex se substantia non habet, sed à quantitate. Tum tandem quia si substantia haberet partes citra quantitatem, remota quantitate, vna esset extra aliam, & vna vbi non alia, atque ita extensio partium in ordine ad locum haberetur sine quantitate.

Respond. ad 1. ex Scot. 4. distin. 1. quæst. 5. F. diuisibilitatem, quæ est passio quantitatis, non esse quamcunque, sed eam, quæ reducitur ad actum per incompossibilitatem duorum in eodem loco, ratione cuius serra diuidit lignum, & vtique diuisibilitas hæc cœteris competit per quantitatem. Ad 2. rectè dixit Scotus ibi, qualitatem à quantitate separatam non esse actu diuisibilem ab agente naturali, quod diuidere nequit, nisi instrumento corporeo, at diuisibilitas in partes entitatiuas, & integrales in eodem spatio compossibiles non est passio quantitatis. Ad 3. negamus, quòd habere partes entitatiuè extensas, hoc est vnam extra aliam, ita quod vna non sit alia, accidat rei materiali, & corporeæ, cum potius sit de conceptu eius essentiali talis partium pluralitas vt sic, & per hoc essentialiter distinguatur à re spirituali; verum tamen est, quod extensio in ordine ad locum sibi accidit, sicut & habere partes ad inuicem incompossibiles. Ad 4. si quantitate expoliaretur, certum est, adhuc vnam partem extra aliam remansuram entitatiuè, qui non coirent in vnam simplicem entitatem, sed an etiam vna maneret extra aliam localiter, seq. artic. discutiemus.

11 Secundo probatur, quòd consistat in illa extreitate, & coordinatione partium in toto. Tum quia structura illius coordinationis partium in toto fieri nequit sine superficiebus, & lineis, & punctis, quæ omnia sunt de genere quantitatis, atque ideò statui nequit in substantia corporea antecedenter ad quantitatem, etiamsi in ea præcedat extreitas partium entitatiua. Tum 2. quia extreitas partium in ordine ad locum etiam in actu primo relationem inuoluit ad locum, ergo non potest in ea consistere essentia quantitatis, quæ est prorsus absoluta, sed potius consistet in extreitate partium in ordine ad se, vel ad totum. Tum 3. quia & Philosophus in prædicamento quantitatis explicuit essentiam quantitatis permanentis per positionem partium in toto, & ordinem ad seinuicem, quod etiam fecit Doctor, Philosophum imitatus, in 4. d. 10. q. 1. M. Tum tandem quia ordo partium ad locum est positio de genere situs, non de genere quantitatis, vt ait Doctor ibid.

Respond. ad 1. negando, quòd extreitas partium in toto sumpta pro illa coordinatione non reperiatur etiam in substantia, seclusa quantitate, & quòd etiam suo modo indiuisibilia illa, quæ ad continuum necessaria sunt, non reperiantur in substantia, & qualitate, vt enim seclusa quantitate habent partes suas integrales vnitas, & continuas, ita quoque habent continuatiua illarum, vt ex nostris notat Smisinch. de Deo vno tract. 2. dist. 6. numer. 213. & magis constabat ex dicendis. Ad 2. concedimus, essentiam quantitatis esse merè absolutam, & consistere non posse in extreitate partium in ordine ad locum, vt expresè tales respectu inuoluit; sed sicut licet essentiam accidentis absoluti circumscribere per inhærentiam aptitudinalem, ita per extreitatem aptitudinalem partium in ordine ad locum licebit in proposito explicare essentiam quantitatis, quæ vtique erit principium exigitiuum talis extreitatis impenetrabilis. Ad 3. quando Philos. explicuit essentiam quantitatis per positionem partium in toto, certè positionem non sumpsit pro coordinatione illa partium præcisè in toto, vt vna sit alteri immediatè vnita, & non immediatè omnibus, quia & distinctio partium, & illarum vnio, & ordo ad inuicem in substantia reperitur seclusa quantitate, sed vt vltra hunc ordinem addit etiam extreitatem in loco impenetrabilem in actu primo, quia actualis extreitas in actu secundo est positio de genere situs; non igitur insinuauit Philos. essentiam quantitatis, & eius positionem præscindendo ab omni ordine ad locum, sed tantum præscindendo ab actuali extensione locali, & in actu exercito, quod etiam Scot. notauit 4. d. 49. quæst. 16. §. *Alij dicunt, &c.* vbi ait, dimensionem non fuisse à Philos. definitam, nec definiri posse sine aliquo ordine ad situm, & colligitur ex ipso Arist. contextu in prædicamento quantitatis, vbi ait, substantiam ratione talis positionis de genere quantitatis habere partes in toto, ita quod vna in ordine ad aliam sit dextera, alia sinistra, vna sursum, alia deorsum, quæ planè sunt differentiæ loci; & in hoc sensu etiam locutus est Scot. Philosophum imitatus, & re vera ibi Doctor contendit tantum excludere ab essentia quantitatis positionem de genere situs, quæ importat actualem ordinem ad locum, quæ ideo illi accidit. Per quod patet ad 4.

12 Sed contra hanc nostram expositionem arguunt Scotistæ aliqui, dicentes nos trahere Scoti doctrinam ad doctrinam Recentiorum, quod & in multis aliis sæpè nobis obijciunt, quando tritam viam nolumus ambulare Scotistarum, nam si Scotus dicit, positionem de genere quantitatis dicere ordinem partium ad totum, & ad seinuicem in toto sine respectu ad locum, ergo expositio illa non est ad mentem Doctoris. Insuper ille respectus aptitudinalis extensionis ad locum est passio prouenienS à quantitate, ergo illi debet assignari ratio formalis, quæ sit fundamentum eiusdem. Demum quantitas est accidens absolutum actu denominans subiectum quantum, & extensum, ergo effectus eius formalis non potest consistere in aliquo respectu aptitudinali; quare concludunt ipsi, effectum formalem quantitatis esse extensionem impenetrabilem partium in toto, hoc est, facere, vt vna pars sit extra aliam impenetrabiliter, non aptitudine, sed in actu, non quidem impenetrabiliter quo ad situm, sed impenetrabiliter in ordine ad seinuicem, hoc est, quòd vna non possit subintrare aliam per identitatem; & inquiunt, hoc esse proprium significatum impenetrabilitatis, & nos abuti vocabuli, dum impenetrabilitatem rerum attendimus penes spatium, & res adinuicem compenetratas dicimus, quando coexistunt in eodem spatio, nam propriè compenetratæ dicerentur, quando vna transiret in aliam per identitatem, quæ penetratio est impossibilis; ex actuali igitur extensione impenetrabili in hoc sensu partium in toto pullulat illa aptitudo, quam habent eædem partes ad extendi in loco, replere locum, & expellere se, & quamcunque aliam quantitatem ab earum loco.

13 Respond. quando nos hic, & alibi aliquam amplectimur opinionem, quæ Recentioribus placuit, & eam ostendimus fuisse Scoti opinionem, & ex illius principijs necessariò deduci, certè non prætendimus trahere Scoti doctrinam ad doctrinam Recentiorum, sed potius ostendere, Recentiores solidiores eorum opiniones non ex sua indole, sed ex antiquis Scholasticis, & præsertim Doctore nostro elicuisse; & in præsenti negotio Suar. qui nostræ est opinionis, cùm ab initio amplexus fuisset Scoticum principium contra Thomistas, quòd substantia diuisibilis est, seclusa quantitate, semper locutus est consequenter ad hoc principium in explicanda essentia quantitatis, & statum substantiæ seclusa quantitate: & quando Doctor in 4. distin. 10. quæst. 1. M. explicuit essentiam quantitatis per ordinem partium in toto, secludendo respectum ad locum, vtique non exclusit, nisi respectum de genere situs, de quo ibi tantum loquitur, hic autem est ordo actualis quantitatis ad locum, non autem aptitudinalis; adhuc tamen rectè locutus est Doct. hanc extensionem impenetrabilem vocans extensionem in ordine ad se, & partium in toto, non exprimendo ordinem ad locum, quia vt adnotauit quoque Hurt. disp. 13. Met. sect. 4. §. 39. hæc impenetrabilitas benè vocatur extensio in ordine ad se, quia per illam partes extenduntur, & quantitate extra se quasi pelluntur, vnde & Christus in Eucharistia dicitur hac ratione retinere extensionem partium in ordine ad se, non tamen in ordine ad locum; at non ob id excluditur ordo aptitudinalis ad locum; & quamuis hic sit passio ipsius quantitatis, adhuc tamen per passionem licebit nobis eius essentiam circumscribere, vt moris est in multis alijs, & eius effectum formalem, & quamuis quantitas sit ens absolutum, poterit adhuc per respectum circumscribi, quod etiam hi Scotistæ faciunt, dum explicant essentiam quantitatis per ordinem partium ad totum, & ad se inuicem, hic enim ipse ordo etiam respectus est. Et dum ipsi assignant pro effectu formali quantitatis actualem extensionem impenetrabilem partium in toto, non quoad situm, sed quoad entitatem, quatenus vna potest aliam subintrare per identitatem, & vna non est, nec esse potest alia entitatiuè, certè talis impenetrabilitas reperitur inter partes substantiæ antecedenter ad quantitatem, quia vna pars integralis substantiæ non est alia, nec esse potest; & hæc extensio partium impenetrabilis in hoc sensu aliud ingenuè non est, quàm extensio vel extreitas entitatiua partium, quam Scotus enixè contendit substantiam ex se habere, & non à quantitate. At certè ipsi vocabulis abutuntur, dum penetrabilitatem, vel penetrationem attendunt penes transitum vnius rei in alteram per identitatem, & non potius per simultatem ambarum in eodem spatio; hoc enim ex vi nominis sonat penetratio duorum, idest coexistentiam illorum in eodem loco, & in hoc sensu accipiunt Doctores omnes penetrationis vocabulum, & Theologi, dum tractant de dote subtilitatis per quam inquiunt corpus beatum posse penetrare corpus non gloriosum, & Philosophi omnes, dum inquiunt, non posse naturaliter dari corporum penetrationem (in alio enim sensu est etiam

etiam supernaturaliter impossibilis) in hoc sensu, quod magis est, etiam accepit D. Paulus, cùm dixit ad Hebr. 4. *Habemus Pontificem, qui penetrauit Cœlos, Iesum filium Dei*, vt ibi communiter explicant Patres, neque enim voluit in Ascensione Christum se identificasse cum Cœlis, sed Cœlos transijsse absque eorum scissione coexistendo in eodem spatio; & denique Scotus ipse in hoc sensu vtitur nomine penetrationis in 4. d. 49. q. 16. D. & E, per duas integras paginas.

14 Tertiò arguitur, probando, essentiam quantitatis consistere in actuali extensione locali. Tum quia quantitas est forma dans suum effectum formalem in actu, ergo cum effectus eius formalis sit extendere rem in ordine ad locum, vtique actualiter extendit subiectum, in quo reperitur. Tum 2. quia in hoc sensu appellatur quantitas moles, & magnitudo, quia constituit magnitudinem per actualem extensionem; & per hoc designantur species eius, linea est longitudo, superficies addit latitudinem, corpus profunditatem, igitur esse quantum aliud non est, quàm esse extensum, longum, latum, & profundum, quod certè non est præcisè in ordine ad se, sed maximè in ordine ad locum, & spatium, in quo ponuntur partes extra partes. Tum 3. quando dicimus, in Sacramento remanere quantitatem cum cœteris accidentibus, aliud non intelligimus, quam remanere extensionem illam, per quam occupatur locus, & spatium; ita arguit Auersa loc. cit. Tum 4. quia, vt obijcit Gabriel, non potest quantitas separari à figura recta, vel curua, & figura concipi nequit sine actuali extensione. Tum 5. quia, vt obijcit Ocham, extreitas per ordinem partium in toto qualis est positio de genere quantitatis, non solum facit, vt vna pars sit distincta ab alia, sed etiam vt sit distans, quatenus omnes partes non sunt inter se immediatè vnitæ, sed mediante quantitate, vt est distantia quædam, & talis distantia non potest esse ordine partium in loco, cui quantitas commensuretur. Tum 6. quia effectus formalis quantitatis est actu reddere partes substantiæ vnam extra aliam, vel hoc igitur significat, vnam esse extra entitatem alterius, & hoc non; quia talem extreitatem habet de se substantia; vel extra locum alterius, & habetur intentum. Tum denique quia si essentia quantitatis non consistit in actuali extensione; & extrinseca, sed in aptitudinali tantum, & intrinseca, ad actum primum pertinente, extensio quantitatiua non erit distincta ab extensione entitatiua substantiæ, & aliorum accidentium, quia tunc sub extensione quantitatiua poterunt pedes hominis esse in eodem puncto indiuisibili cum cœteris membris, in quo casu nulla remanet extensio, aut partium extreitas entitatiuam, quæ etiam conuenit partibus extensionis aliarum rerum, immo, & partibus intensionis qualitatis, quæ compenetratæ simul in eodem puncto indiuisibili, vna tamen remanet extra aliam entitatiuè.

15 Respond. ad 1. formam semper actu præstare effectum suum formalem actu, & cum quantitas sit principium exigitiuum extensionis localis impenetrabilis actu communicat talem effectum subiecto, quod efficit, illud denominando actu exigitiuum talis extensionis, vnde actualis exigentia extensionis localis est effectus formalis primarius quantitatis, non actualis extensio. Ad 2. quantitas appellatur moles, & magnitudo, quia reddit partes substantiæ, quas afficit, incompossibiles in eodem spatio, & distincti loci occupatiuas, non autem actu distinctum locum occupantes, & in hoc sensu corpus quantum dicitur longum, latum, & profundum, quia habet principia exigitiua actualis extensionis in loco per longum, latum, & profundum, & hæc principia sunt linea, superficies, & corpus de genere quantitatis. Ad 3. cum diximus, quantitatem remanere in Sacramento cum cœteris accidentibus ideò intelligimus, remanere illam extensionem localem accidentium, quia intelligimus remanere quantitatem cum suo connaturali modo quantitatiuo, qualis est positio de genere situs; & è contra asserimus corpus Christi esse in Sacramento cum sua quantitate nullam ibi concipiendo extensionem localem illius. Ad 4. duplex est figura, vna intrinseca, & quantitatiua, quæ fundatur in positione de genere quantitatis, altera extrinseca, & situalis; quæ fundatur in positione de genere situs, & de hac verum est, concipi non posse sine actuali extensione locali. Ad 5. si Ocham accipi distantiam prodimensione media inter vnum partem, & alteram, cui illa non est immediatè vnita, verum est, positionem de genere quantitatis facere actu distare partes substantiæ impenetrabiliter, vbi prius distabant penetrabiliter, sed si per distantiam accipit spatium interiectum, falsum est, positionem de genere quantitatis facere sic actu distare partes substantiæ, sic enim facit eas distare in actu primo, & in aptitudine, quatenus suaptè natura petunt diuersa loca, & in hoc sensu dicimus caput Christi in hostia localiter à pede distare, & non tantum entitatiuè. Ad 6. constituit quantitas partes substantiæ vnam extra aliam in ordine ad locum, at non in actu secundo, sed tantum in actu primo sensu nuper explicato. Ad 7. neg. conseq. quamuis enim sub extensione quantitatiua possint membra humani corporis se etiam in puncto spatij compenetrare, vt est modo de corpore Christi in Eucharistia, negatur, in isto casu pedes extra caput esse solum entitatiuè, & in ordine ad se, seu ad totum, adhuc enim pedes sunt extra caput, & magis distantes alijs membris in ordine ad locum in actu primo, & aptitudine, quatenus suaptè natura petunt loca dissita cum naturali repugnantia ad compenetrationem, quod non euenit de partibus substantiæ, & qualitatis, non est tamen de ratione quantitatis quod actualiter ponat partes substantiæ extra seinuicem actualiter, sicut non est de essentia accidentis absoluti actu inhærere, sed tantum esse principium intrinsecum actualis inhærentiæ exigitiuum, quare sicut Deus salus essentia accidentis actualem inhærentiam tollit ab eo, ita salua essentia quantitatis actualem extensionem potest ab ea auferre.

Sed contra vrgebis, talis extensio partium, & extreitas in toto cum ordine ad locum in actu primo competit etiam partibus extensionis qualitatis, vt distinguuntur à partibus intensionis, nam partes extensiuæ qualitatis per hoc distinguuntur ab intensiuis, quod licet omnes æqualiter petant vnam esse extra aliam entitatiuè, tamen partes extensionis petunt etiam extreitatem situalem, vbi partes intensionis eundem situm exposcunt. Resp. adhuc esse discrimen manifestum inter partes quantitatiuas, & partes extensiuas qualitatis, quod illæ petunt distinctum situm impenetrabilem, quia sunt suaptè natura incompossibiles in eodem spatio, at partes substantiæ, & qualitatis minimè, quia licèt petant diffundi diuisibiliter in loco ob suam materialitatem, non tamen est talis exigentia, vt vna naturaliter debeat necessariò excludere aliam, vt est in partibus quantitatis, vnde videmus in qualitate partes extensiuas posse euadere intensiuas, dum in eodem situ congregantur.

16 Quartò probatur, quod consistat in simplici extensione aptitudinali ad locum diuisibilem, præscindendo ab impenetrabilitate. Primò, tum quia est communis sententia Scotistarum, substantiam materialem sine quantitate non remanere in loco, nisi definitiuè & præsentialiter, sicut Angelus, quod ex Scoto desumpserunt in 2. d. 12. quæst. 2. D. & solam quantitatem esse rationem fundamentalem essendi in loco circumscriptiuè, & dimensiuè, quod Scot. docuit 4. dist. 10. quæst. 3. & quol. 10. H. ergo principium aptitudinis essendi in loco diuisibiliter est ipsa quantitas. Tum 2. quia præsentia diuisibilis, & situalis est modus ipsius quantitatis ex Scot. 4. d. 10. quæst. 1. M. ergo quantitas consistit in principio exigitiuo istius modi, quod circumscribimus per extensionem aptitudinalem ad locum. Tum 3. quia si præsentia diuisibilis, & circumscriptiua etiam naturaliter debetur substantiæ materiali ex vi suæ materialitatis, iam frustrà ponitur quantitas accidens ab ea realiter distinctum, nullum enim effectum formalem posset tribuere substantiæ, cùm inueniat illam actu extensam in ordine ad se, & aptitudine in ordine ad locum. Tum 4. quia secundum communem omnium conceptum quantitatem à substantia distinguentium, quantitas est forma quædam accidentalis, reddens substantiam proximè capacem præsentiæ extensiuæ, & circumscriptiuæ in loco. Tum 5. quia si semel admittimus, substantiam materialem ex vi suæ materialitatis extreitatem suarum partium etiam in loco expostulare, iam quoque impenetrabiliter peteret esse in loco, itaut actualis penetratio sibi repugnaret, si enim natura sua petit extreitatem localem, iam contra eius naturam directè erit penetratio, quæ est intreitas localis.

Respond. nequaquam esse nouum in Schola Scotistarum substantiam materialem quantitate expoliatam adhuc retinere præsentiam diuisibilem in loco, hoc enim afferunt, & veriores Scotistæ, & Recentiores; Regentes namque Parisienses in suo Cursu p. Physic. quæst. 5. quæstiunc. 4. collat. quærentes an materia seclusa quantitate sit in loco, & quomodo, dicunt (& sunt eorum formalia verba) *quod si de facto separaretur quantitas a materia, vna pars materiæ posset manere extra aliam. & non esse in loco alterius præsentialiter, & definitiuè, quia propter separationem quantitatis à materia non oportet partes eius alium locum præsentialiter habere ab eo, quem prius habuerunt dimensiuè*, addunt tamen posse seinuicem illas partes penetrare in eodem loco, quia non habent dimensiones, quæ penetrationi obsistant; Tat. 1. Physic. quæstio. 3. not. 2. non semel ait, si substantia materialis in loco existeret, & à quantitate separaretur, adhuc eius partes futuras inter se distantes, etiam distantia præsentialitatis, Io. de Magistris 1. Physic. quæst. 6. ait, præcisa quantitate à materia vnam partem materiæ adhuc esse extra aliam præsentialiter, vnde subdit, quod ablata quantitate non mutantur partes materiæ à suis locis, Pater Sghemma loc. cit. ad sextum, inquit quòd separata quantitate à substantia, adhuc vna pars substantiæ esset hic, alia illic; Fuentes in Log. quæst. 15. diff. 1. art. 5. expresè idem docet; cum verò inquit Doctor, materiam seclusa quantitate fore in loco definitiuè, sicut Angelus, & non circumscriptiuè, quo loquendi modo vtuntur etiam Scotistæ modò citati, accipit modum essendi in loco circumscriptiuè impenetrabiliter qualis est circumscriptio, quam affert quantitas substantiæ, & modum essendi in loco definitiuè, vt excludit talem circumscriptionem, non autem vt excludit diuisibilitatem, & extensionem præsentiæ, quia ratione suæ materialitatis adhuc substantiæ materiali repugnat ita in loco constitui, vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte, vt dicemus art. seq. Cum etiam inquit Doctor, solam quantitatem esse fundamentum, & rationem aptitudinalem essendi in loco circumscriptiuè, loquitur de circumscriptione impenetrabili, quia alioqui fundamentum præsentiæ diuisibilis, & principium aptitudinis sic essendi in loco est corporeitas ex Scot. quodl. 11. articul. 1. quæ in substantia materiali quantitatem præcedit. Ad 2. distinguendus est duplex situs, alius est cum repugnantia penetrationis partium rei situatæ ad inuicem, & hic

hic est modus quantitatiuus, de quo loquitur Doctor loco citato, alius sine repugnantia præfatæ penetrationis, & hic conuenit omnibus entibus materialibus, prout à spiritibus secernuntur. Ad 3. quantitas non additur frustrà, quia sicut reddit partes substantiæ adinuicem incompossibiles in loco, ita affert illi aptitudinem essendi in loco cum extensione impenetrabili; ex quo etiam patet ad quartum. Ad 5. iam patet ex dictis, non esse tantam exigentiam extreitatis localis in partibus substantiæ, sicut in partibus quantitatis, nam eam superare potest agens naturale, & comprimendo partes substantiæ, & compenetrando in eodem spatio, sicut superare potest exigentiam frigiditatis in aqua, inducendo calorem in ea absque miraculo, at nequit superari exigentia partium quantitatis absque speciali miraculo, & ratio huius est, quia materialitas non est principium exigitiuum loci diuisibilis, vt excludit penetrationem, sed vt excludit modum essendi in loco spiritualem, nempè totum in toto, & totum in qualibet parte, qui proindè competere nequit substantiæ materiali, nisi interuentu specialis miraculi, sicut ratione quantitatis nequit competere corpori quanto penetratio absque speciali miraculo.

17 Quintò demum arguitur, quòd non consistat in extreitate partium incompossibilium in eodem loco in actu primo, seu in principio exigitiuo extensionis impenetrabilis. Tum quia prior est in quantitate ratio replendi, & occupandi locum, quàm ratio expellendi aliam quantitatem, ideò enim expellit, quia occupat, ergo melius explicatur quantitas per virtutem occupatiuam, quàm expulsiuam, quæ est impenetrabilitas, vel radix illius. Tum 2. quia si per virtutem hanc expulsiuam explicetur, sequitur, quantitatem fuisse à natura primariò ordinatam non ad extendendum substantiam, sed ad impediendum alterius corporis penetrationem. Tum 3. quia etiam habere partes inter se incompossibiles respectu loci conuenit substantiæ seclusa quantitate, ideò enim vna pars est impenetrabilis cum alia, vt aiebat Auersa loco ciato quia habet esse extrà aliam, & ideò vna res est impenetrabilis loco cum alia, quia est in se extensa per suas partes, & è contra res spirituales, quæ non habent hanc entitatiuam extensionem, ideò coexistere possunt cum alijs rebus, ergo extreitas impenetrabilis in loco oriatur proximè ex extreitate entitatiua rerum, & hæc reperiatur in substantia materiali ante quantitatem, etiam & illa reperiri debebit. Tum 4. quia si impenetrabilitas esset ratio formalis, non posset quantitas fieri penetrabilis, sicut ex eo, quòd brutum est irrationale, nequit fieri rationale. Tum 5. quia si non dicatur ratio quantitatis, sed passio, & essentiam quantitatis esse radicem impenetrabilitatis, sic etiam æquè benè poterit explicari essentia quantitatis per radicem diuisibilitatis, & cuiuscunque alterius passionis eius. Tum denique quia eadem quantitas naturaliter per rarefactionem, & condensationem occupat spatium maius, & minus, ergo essentia quantitatis non consistit in ratione partium se excludentium ab eodem spatio, cùm in condensatione constipentur in eodem spatio.

Respond. rationem replendi, & occupandi in quantitate esse priorem ratione expellendi, seu impenetrabilitate prioritate vniuersalitatis, quia cœteris rebus corporeis etiam conuenit, sicut animal in homine dicitur priùs rationalitate; non tamen prioritate causalitatis, non enim absolutè verum est, vnam quantitatem expellere aliam, quia locum replet, sed cum addito, quia locum replet impenetrabiliter, vnde impenetrabilitas se habet velut ratio specifica non trahens rationem replendi locum rebus omnibus corporeis conuenientem, & ideo distinctiùs per ipsam explicatur ratio quantitatis specifica. Ad 2. neg. conseq. quia in quantitate idem effectus est extendere substantiam impenetrabiliter, & impedire alterius quantitatis subingressum. Ad 3. falsum est, impenetrabilitatem ex sola extreitate partium entitatiua prouenire, cùm potius proueniat ex entitatiua extreitate taliũ partium, quæ suaptè natura exigũt prorsus necessariò distincta loca, quales sunt partes quantitatis; ex extreitate verò entitatiua solùm sequitur, quòd petant res corporeæ esse diuisibiliter in loco, non vt diuisibilitas excludit penetrationem, sed vt excludit modum essendi in loco definitiuum, & spiritualem, totum in toto, & totum in qualibet parte, qui rei corporeæ prorsus repugnat naturaliter: & Auersa in hoc sibi contradicit, cum ibidem asserat, impenetrabilitatem sequi essentiam quantitatis; si id verum est, iam non oritur ex sola extreitate partium entitatiua, quæ etiam secundum ipsum in substantia reperitur ante quantitatem. Ad 4. quantitas, dum impeditur à Deo à sua actuali impenetratione, & expulsione, dicitur à Deo reddi penetrabilis, vt dicit negationem actus secundi, scilicet impenetrationis, non negationem actus primi scilicet impenetrabilitatis, quo sensu dicitur brutum irrationale, quia irrationalitas in bruto nedum dicit negationem ratiocinandi, sed etiam actus primi. Ad 5. meliùs explicatur ratio quantitatis per impenetrabilitatem, quam per cœteras passiones, quia hæc est omnium prima, & rationi formali proximior. Ad 6. qui tenent, per rarefactionem, & condensationem acquiri nouam quantitatem, & antiquam deperdi, facilè se expediunt, negando assumptum; Alij dicentes, manere semper eandem quantitatem, negant consequentiam, quia sicut ratio, cur motus localis fiat in tempore, est essentia ipsius motus, ratio verò, cur fiat tanto tempore, vel tanto, prouenit ex potentia motiua, ex varia eius applicatione, ex resistentia medij, & alijs, ita nunc dicendum, quantitatem in secundùm se esse exigitiuam loci extensi indeterminatè, itaut naturaliter non possit esse tanta condensatio, quæ redigat corpus quantum ad indiuisibile loci, quòd verò habeat tantam, & tantam extensionem, non prouenit à quantitate præcisè, sed ab alijs accidentibus, sicut etiam quòd sit in hoc, vel illo loco, sibi accidit ab extrinseco, quæ responsio pro nunc sufficiat, res enim pertinet ad lib. de Gen. hoc certum, est condensationem non fieri per compenetrationem, vt ibi dicemus disp. 4.

ARTICVLVS II.

Ostenditur distinctio realis quantitatis à substantia corporea, & cœteris eius accidentibus.

18 Dicendum est, quantitatem esse accidens realiter distinctum à substantia, & alijs accidentibus materialibus. Concl. est Scot. in 4. d. 12. q. 2. §. *Ad quæstionem, &c.* & in 2. d. 2. q. 9. & d. 12. q. 1. quem omnes Scotistæ sequuntur, alij 1. Phys. alij in 4. dist. 12. & D. Thom. 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. & est communis omnium sensus contra Nominales; & Prob. 1. auctoritate Philosophi, qui 1. Phys. text. 15. distinguit quantitatem, sicut qualitatem, à substantia, & 4. Phys. 76. ait solam quantitatem seclusa substantia esse loci occupatiuam, & 2. de Anim. 65. docet, substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem verò per se, & 3. Met. tex. 17. ex professo probat, quantitatem realiter non esse substantiam, quod iterum disertè repetit 7. Met. tex. 8.

Deindè probatur ex principijs nostræ fidei, quæ docet, in Eucharistia desinente substantia panis, & vini remanere dumtaxat species, scilicet accidentia eorum, vt declarat Concil. Trid sess. 13. can. 2. sed si destrueretur etiam quantitas panis, non remanerent omnia accidentia panis, & conuersio, quæ ibi fit, non solùm deberet dici transubstantiatio, sed etiam transaccidentatio, quia non sola substantia panis, sed etiam eius quantitas conuerteretur in corpus Christi; nam, & si Nominales non ponant, quantitatem substantiæ esse accidens realiter distinctum ab ea, adhuc tamen aliquam distinctionem agnoscunt inter ea, aut ex natura rei, aut penes connotata, nam alia ratione res dicitur substantialis, & alia ratione quanta. Accedit, quòd si quantitas non maneret, in qua veluti in communi subiecto illæ qualitates hærerent, sapor, color, odor, non posset assignari ratio, quare vno illorum accidentium moto, moueantur etiam alia simul ab illo dissoluta; quòd si Nominales dicant, id esse miraculum, in contrarium est, quòd non sunt fingenda miracula, vbi necessitas non cogit, alioquin etiam dicere possemus, quòd in hostia consecrata disgregare visum est miraculum, quia ad hoc, vt albedo naturaliter visum disgreget, requirit proprium subiectum, quod ibi non est in Nominalium sententia. Insuper secundum eos quantitas formaliter est extensio localis, seu substantia ipsa, vel qualitas, quatenus habent partes extra partes in loco, at substantia, & qualitates corporis Christi in Eucharistia reperiuntur sine hac extensione, ergo sunt à quantitate realiter distincta. Resp. Rubion. cum cœteris Nominalibus loc. superiùs cit. negando conseq. quia Deum facere substantiam, vel qualitatem sine quantitate, non est, ipsum facere substantiam sine quantitate tanquã sine aliqua re ab ipsa distincta, sed est, ipsum facere substantiæ partes penitus indistantes, quod fieri potest nullo distincto à partibus destructo, sicut è contra partes substantiæ, vel qualitatis indistantes possunt distendi, & extendi nullo eis addito in re extra, quia eadem res dicitur substantia, vel qualitas, vt absolutè sumpta, dicitur verò quãtitas vt sic dispositas habens partes. Sed hoc commune, & frequens Nominalium effugium ad connotata satis præcluditur virtute illius principij, quod sæpè suprà vrsimus, & inferiùs vrgebimus, nempè dari non posse mutationem Physicam in rebus ante intellectum absque aliqua re, aut modo reali denuo producto, vel acquisito, neque dari transitum realem à contradictorio in contradictorium sine mutatione reali in aliqua re, quia non posset assignari ratio, cur hæc pars contradictionis modo verificetur, & non priùs, cùm igitur substantia est in loco extensa, & deindè fit inextensa, vel è contra, transit à contradictorio in contradictorium, & modò à parte rei realiter se habet nunc, quam priùs, ergo fit extensa, vel inextensa per alicuius rei, vel modi acquisitionem, vel deperditionem; & cum inquit Rubion, rem esse quantam, aliud non esse, quàm ipsam habere partes sic dispositas in loco, quas ità dispositas non habebat, cum erat in puncto reducta, quærimus, vel illa talis partium dispositio addit aliquid super partes substantiæ, vel non: si nihil, ergo semper fuit substantia illa quanta, & per locum extensa, cùm semper illas partes habuerit; si aliquid, ergo cùm in puncto existens id non haberet, clarè deducitur, substantiam esse à quantitate realiter distinctam; nec curamus, an sit quid distinctum, vt res à re vel modus, vt quid positiuum, vel negatiuum, nobis sufficit, ita distingui, vt substantia esse possit sine illo.

19 Postremò Prob. nostra Concl. naturali ratione; si quãtitas realiter identificatur cũ substantia corporea, & cęteris accidentibus materialibus, sequitur, vnam quantitatem naturaliter penetrari cum alia, quod est falsum, Probatur sequela, nam in vnoquoque composito materiali entitas materiæ, formæ substantialis, & accidentium sunt simul in eodem loco, sed per Aduersarios singulæ istæ entitates sunt etiam quantitates, ergo vna quantitas penetratur cum alia. Respondent Nominales, illa entia quanta solum non posse naturaliter penetrari,

quæ per se subsistunt nec ordinantur ad constituendum, & perficiendum aliud id que à natura factum est ad seruandum debitum ordinem vniuersi, nam si huiusmodi entia se penetrarent, contingeret vacuum in vniuerso, quæ verò ordinantur ad constituendum aliud, eiusmodi sunt forma, & materia, & accidentia materialia, posse vtique naturaliter, immò, & de facto penetrari. Contrà, quia partes entitatiuæ, ac integrales eiusdem corporis v.g. aquæ, non subsistunt per se, & ordinantur ad perficiendum totum integrale, sicut materia, & forma ordinantur ad constituendum essentiale, ergo possent, ac deberent se naturaliter penetrare, sicut de facto penetrantur materia, & forma; & certè accidentia eucharistica, albedo, sapor, odor, ex natura sua ordinantur ad aliud perficiendum, sicut reliqua accidentia, ergo deberent penetrari cum alijs accidentibus, & corporibus, & tamen vna hostia consecrata non penetratur cum alia, nec cum alio corpore. Respondent, non penetrari, quia miraculosè existunt per se, & in tali statu se habent, ac si non ordinaretur ad perfectionem, & constitutionem alterius, vndè sicut habent modum per se subsistentis, ita habent modum rei impenetrabilis. Contrà, ergo albedo, & sapor in eadem hostia se penetrare non deberent, quia vtrunque illorum accidentium habet modum per se subsistentis, quod tamen est contra experientiam.

Resp. Arriag. disp. 5. Met. sec. p. vt defendat hoc Nominalium figmentum, quod licet recedat substantia ex vi consecrationis, manent tamen vbicationes eius, quæ proximè fundant impenetrationem. Hæc solutio confutata est disp. 7. Log. q. 2. ab initio, tum quia modus qualis est vbicatio non potest conseruari sine re cuius est modus, tum quia nunquam posset Deus duo corpora in eodem loco compenetrare, quia vnumquodq; peculiare petit vbi cationem, tum tandem quia hac ratione albedo, & sapor in hostia non se penetrarent, quia peculiares, & distinctas habent vbicationes, vt suo loco dicemus, & ipse concedit.

20 In Contrarium obijciunt Nominales. Primò, quia idem corpus inuariatum quo ad omnia esse potest magis, & minus quantum, eadem enim aqua, quæ priùs occupabat duos palmos, per congelationem deinde restringitur ad locum palmare, ergo quantitas non est accidens realiter distinctum à substantia, sed est eadem substantia vt respondens loco extenso, quæ cum respondet maiori loco, dicitur magis quanta, cum minori minus quanta. Deindè quia substantia, circumscripto quocunque accidente à se realiter distincto, habet omnes effectus, qui dicuntur à quantitate formaliter prouenire, nulla enim extreitas partium, vel extensio cogitare potest à quantitate prouenire, quam substantia materialis de se non habeat, habet enim extreitatem partium, vt dicit alietatem entitatiuam illarum, habet extreitatem vt dicit ordinem partium in toto, habet etiam extreitatem partium adinuicem incompossibilium in eodem loco, quia hæc extreitas originatur ab illa, ideò enim vna pars est impenetrabilis cum alia, quia habet esse extra illam entitatiuè, vndè & locum distinctum petit ab illius loco; nulla item diuisibilitas excogitari potest à quantitate in substantiam deriuari, quàm priùs ex se non haberet, & sic de alijs, ergo &c.

Resp. neg. antec. quia vt diximus, implicat, corpus magis, vel minus extendi nullo penitus inuariatio, præsertim cum rarefactio, & condensatio sint vere mutationes; vndè etiam in Nominalium sententia, qui quantitatem substantiæ dicunt esse localem eius extensionem, implicat illud antecedens; in sententia autem communiori dicendum, quòd cum aqua ex loco bipalmari reducitur ad palmarem, vel deperditur quantitas secundum vnam viam explicandi rarefactionem, & condensationem, vel si maneat eadem, variatur actualis extensio in ordine ad locum, quę non est quantitas, sed modus quantitatis ex Scot. 4. dist. 10. qu. 1. M. spectans ad prędicamentum Situs, & sic idem corpus dicitur quidem magis, vel minus extensum, non tamen magis, & minus quantum: & quando etiam dicitur magis, vel minus extensum per rarefactionem & condensationem, adhuc non dicitur tale nullo penitus inuariato.

Contra hanc responsi. arguit Rubion loc. cit. quantitas, & extensio sunt penitus idem, ergo similiter quantum, & extensum, Prob. assumptum; tum quia alioqui posset dari quantum nullo modo extensum ex hypothesi, quod Deus extensionem à quantitate auferret, immo posset dari quantum indiuisibile, quia inextensum est indiuisibile, & corpus minoris quantitatis posset esse maius, & maioris minus, casu quo illud magis extenderetur, & istud minus, omne enim corpus quanto extensius, tanto maius. Hæc, & alia argumenta congerit ibi Rubion, quorum solutio pertinet ad Disputationem de Rarefactione, & Condensatione, quantum ad præsens spectat, negatur assumptum, ad prob. concedimus, posse dari quantum nullo modo localiter extensum in esse exercito, & in actu secundo, extensum tamen in actu primo per principium exigitiuum extensionis localis, & cœteris paribus, quod est exigitiuum maioris extensionis, dicitur maius, quod minoris, minus, vnde maioritas, vel minoritas corporum attenditur penes principium exigitiuum extensionis tantæ, vel tantæ, non penes actualem extensionem; diximus cæteris partibus, quia vt iudicemus de maiori, vel minori corporum quantitate, comparari debent in eodem statu; scilicet vel ambo rarefacta, vel condensata; & quantùm sine actuali extensione locali, vt corpus Christi in Eucharistia, licet sit indiuisibile per physicam diuisionem instrumento corporeo factam per cessionem vnius quanti alteri quanto, adhuc tamen est diuisibile, vt diuisibilitas importat solam partium separabilitatem. Sed ais diuisibilitatem physicam, & instrumento corporeo factibilem, esse passionem quantitatis ex dictis, ergo implicat, quod est quantum, non esse sic diuisibile, at quod est sic diuisibile, est actu localiter extensum: ergo quantum est actu necessariò localiter extensum. Respond. quantum sine actuali extensione esse sic diuisibile, at hanc diuisibilitatem non posse ad actum proximè reduci, nisi quantum illud sit sub modo quantitatiuo, & in hoc sensu dicimus, non esse sic diuisibile scilicet non potentia proxima, quo sensu lignum sub humiditate diceremus, non esse combustibile.

21 Ad aliud, neg. assumptum, ad probat. negamus, substantiam, & qualitatem habere extreitatem partium incompossibilium, & physicam diuisibilitatem seclusa quantitate, quamuis enim habeant plures partes extra se positas etiam in ordine ad locum, & ex sua materialitate petant præsentiam diuisibilem, attamen hæc exigentia non excludit necessariò penetrationem, sed tantum modum spiritualem essendi in loco, totum in toto, & totum in qualibet parte, & prorsus falsum est, extreitatem partium in loco impenetrabilem, ex sola, & absoluta partium extreitate entitatiua prouenire, vt dictum est art. præced. num. 17. nam & duo Angeli extra se positi entitatiuè, nec tamen inde petunt extreitatem quoque localem impenetrabilem, igitur extreitas ista impenetrabilis non oritur ex qualibet extreitate partium entitatiua, sed ex extreitate talium partium entitatiua, scilicet ex natura sua adinuicem incompossibilium, quales sunt solummodo partes entitatiuæ quantitatis, sic etiam dicimus, quod licet substantia, & qualitas citra quantitatem sint diuisibiles, hoc est absolutè separabiles à Deo vel Angelo, non tamen sunt diuisibiles physicè, & instrumento corporeo, sed hanc diuisibilitatem habent solummodo merito quantitatis superuenientis.

Contra hanc solutionem etiam arguit Rubion. loc. ci. quoniam nulla appparet ratio quare partes accidentis diuersæ diuersas substantiæ partes præsupponentes extra se positas, & entitatiuè, & situaliter, magis sint aptæ naturaliter inter se distare positiuè, scilicet cum repugnantia ad penetrationem, quàm partes substantiæ, quas præsupponunt, ergo extreitas localis positiua competit etiam naturaliter partibus substantiæ, & non priuatiua tantum, idest sine repugnãtia ad penetrationem. Resp. neg. assumptum, hic enim est effectus formalis quantitatis, partes substantiæ, quæ prius repugnantiam positiuam in ordine ad locum non habebant inter se efficere incompossibiles; quod etiam cernimus in ceteris accidentibus, partes albedinis reddunt partes parietis albas, nec eas præsupponunt tales partes caloris reddunt partes manus calidas, quas non præsupponebant tales, & sic de singulis, ad hoc enim institutæ sunt formæ, vt per earum communicationem tribuant subiectis effectus formales, quos de se non habebant.

22 Secundo obijcitur. Tum qua non solum substantia materialis, sed etiam singulæ qualitates ei inhærentes sunt extensæ, non solum entitatiuè, sed eitam quantitatiuè, ergo quælibet habebit suam extensionem, atq. ita non dabitur sola quantitas substantiæ, à qua & qualitates dicantur quantæ, quia forma non denominat, nisi subiectum, quod informat, sed tot quantitates erunt, quot accidentia in subiecto illis realiter identificatæ. Tum 2. quia eædem sunt species quantitatis, & substantiæ, & qualitatis, inquantum sunt res corporeæ, & diuisibiles, in his enim omnibus reperiuntur linea, superficies, & corpus, ergo quantitas non est nisi substantia, & qualitas, quatenus extensæ, & diuisibiles. Tum 3. quia qualitas non est intensa per accidens superadditum, sed tantum quia sunt plures partes qualitatis in eodem situ, ergo pariter substantia dicetur extensa, & quanta sine accidente superaddito per solam pluralitatem partium in alio, & alio loco.

Resp. ad 1. negando conseq. vnica enim quantitas existit in quolibet indiuiduo, quæ sicut per se formaliter extendit substantiam, ita etiam extendit reliqua accidentia quantitatiuè, scilicet impenetrabiliter, & sufficit, quod singula inhæreant subiecto extenso, vt postea dicantur quanta, & extensa; tum quia omne, quod recipitur per modum recipientis recipitur, cum in suo esse à subiecto recipiente dependet, & quantitas non deriuat denominationem suam in qualitates per modum formæ informantis, sed potius per modum subiecti recipientis, vt diximus disp. 2. quæst. 3. art. 2. Ad 2. concedimus, absolutè loquendo, assumptum, cum enim tam substantia, quàm qualitas corporea seclusa quantitate habeant suas partes integrales vnitas, & continuas, etiam & indiuisibilia continuatiua debent habere, appropriatè tamen, & peculiari quodam modo admitti debent in quantitate, quia hæc sola est, quæ molem facit, & corpora magnificat per longum, latum, & profundum, immo in sensu, quo loquitur Philos. de Continuo 6. Phis. continuitas in sola quantitate reperitur quia vt patet ex demonstratione, quam ibi facit de punctis, loquitur de continuitate, quæ facit molem, & ponit vnam partem extra aliam impenetrabiliter, quæ planè continuitas non nisi in quantitate reperitur, & in cœteris rebus per ipsam. Ad 3. dicimus, extensionem comparari posse, & ad partes, quæ formaliter constituunt intensionem, vel extensionem, & etiam ad subiectum, cui communicatur intensio, & extensio, vt igitur teneat paritas, debent vniformiter comparari, sic enim vt intensio non distinguitur realiter à partibus,

ita

ita, neque extensio, & sicut qualitas subiectum intendens realiter distinguitur ab eo, ita etiam quantitas subiectum extendens.

23 Tertiò objicitur, quòd si quantitas est accidens à substantia realiter distinctum, poterit vtique Deus substantiam in instanti à quantitate separare, tunc autem vel manebit substantia illa adhuc extensa per totum spatium, vbi prius erat, vel in punctum confluet illius spatij, hoc secundum dici non potest, quia talis fluxus fieri deberet per motum localem, & sic in tempore, ergo cum quantitas auferatur in instanti, toto illo tempore sequenti, quo duraret fluxus partium substantiæ ad indiuisibile loci, partes illæ existerent diuisibiliter in spatio; si dicatur primum, quod maneat extensa per totum illud spatium, vel ita intelligitur, vt sit tota in totò, & pars in parte, & sic iam adhuc erit quanta, cum fundamentalis ratio essendi in loco tali modo, scilicet circumscriptiuè, sit sola quantitas, vel ita intelligitur, vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte ad modum Angeli, & hoc ex natura rei absq. interuentu noui miraculi contingere non potest, quia hic modus essendi in loco naturaliter solum conuenit rebus spiritualibus ob carentiam partium integralium, quas cum adhuc retineat substantia corporea sine quantitate, habet etiam repugnantiam ex natura rei ad esse in loco modo spirituali. Respondent Soncin. 5. Met. q. 22. substantiam corpoream sine quantitate existere non posse, quia implicat, entitatem diuisibilem in partes integrantes posse simul diuidi in omnem suam partem, quod contingeret in tali separatione, quia tunc auferretur à substantia principium formale, quo partes illæ vniebantur, nam illæ habent vnionem continuationis, quæ est formaliter à quantitate, igitur ex distinctione reali quantitatis à substantia, ait Soncin. sequi solum, posse substantiam conseruari sine hac, aut illa quantitate, non tamen sine omni. Sed malè negatur substantiam à quantitate posse separari, & sine ea à Deo conseruari; tum quia de facto videmus separari quantitatem à substantia in Eucharistia, ergo tanto magis poterit substantiam separare à quantitate, & separatam conseruare, magis enim pendet quantitas à substantia, quam è contra, sicut vniuersaliter magis pendet accidens à subiecto, quam è contra; tum quia omne absolutum prius altero, à quo realiter, & essentialiter distinguitur, (vt excludamus subiectum respectu passionis, partes physicas respectu totius) potest esse sine illo, tum quia non minus necessariam connexionem, si ad hanc recurrant (vt solent) videtur habere actualis extensio localis cum quantitate, quàm quantitas cum substantia, ergo sicut de facto separatur quantitas corporis Christi in Eucharistia ab extensione locali, ita poterit substantia à quantitate; tum tandem, quia falsum, est substantiam non habere suam continuitatem ante quantitatem, & vt est totum integrale pendere à quantitate in genere causæ formalis, & ideò esse à quantitate inseparabilem, vt dixit Masius 1. Phys. c. 2. q. 1. in fine.

24 Resp. Hier. Plà 1. Phys. cap. 2. q. 2. & videtur accepisse à Durand. 2. dist. 37. p. 2. q. 1. concedendo, posse substantiam à quantitate separatum conseruari, sed tunc non habere vllam vbicationem, vel præsentiam, quare diceretur esse in seipsa, non in loco, vt dicunt Thomistæ de Angelo non operante. Sed neque hoc benè dicitur? Tum quia in eo loco non solum erant partes quantitatis, sed etiam partes substantiæ quantitate affectæ, ergo ad hoc vt partes substantiæ cessent esse in dicto spatio, non satis est, si in eo cessent partes solius quantitatis. Tum quia substantia præcisa quantitate ratione suæ entitatis nata est fundare præsentiam ad spatium, vt videmus in substatijs immaterialibus, ergo & substantia materialis poterit eam fundare seclusa quantitate, quia ita potest dici indistans ab hoc loco sine quantitate, sicut Angelus. Tum quia quantitas non affert rebus præsentiam, & vbicationem, cum hæc conueniat singulis rebus per suam entitatem indistantem à loco, sed solum affert præsentiam impenetrabilem, & circumscriptiuam, ergo cessatio quantitatis in loco non est cessatio substantiæ in loco, sed tantum cessatio tali modo, scilicet impenetrabiliter. Tum tandem quia etiam si responsio hæc admitti posset, ex hypothesi, quòd substantia quantitate expoliata extra Vniuersum foret, vbi locus non est, attamen supposito, quòd sit in vniuerso, necessariò dici debet esse in aliquo loco, si enim in istanti, quo spoliatur à Deo, esset in hoc gymnasio illa substantia, sanè etiam post expoliationem inter latera huius gymnasij adhuc remaneret, nec per fenestras euolasset.

Resp. Auersa q. 22. sect. 1. cum multis alijs, quòd in eo casu tota substantia reduceretur in punctum, vel ad exiguam quandam partem illius spatij; sed quomodo fieret ista reductio in punctum, non omnes conueniunt, licèt enim concedant omnes, non posse fieri per motum localem, quia hic nequit fieri in instanti, sed in tempore, & in eo tempore substantia occuparet locum extensum, dicunt tamen aliqui, quòd fieret per mutationem localem, quæ non includit totam realitatem motus eiusdem rationis cum ea, qua Angelus virtute sua transit ab extremo ad extremum, non transeundo per medium, & cum ea, quia Christus fit præsens in Sacramento in instanti terminatiuo consecrationis sine motu è Cœlo ad terram, & hanc mutationem translatiuam in instanti partium singularum ad punctum spatij, quidam volunt fieri virtute diuina; quidam sequi ex natura rei ex sola quantitatis ablatione, quia sicut Angelus existens in sphæra diuisibili potest in instanti se ponere in puncto ita partes illius substantiæ ablata quantitate possunt in punctum se colligere, quia tota repugnantia simultatis oriebatur ex quantitate. Alij tandem dicunt, hanc reductionem partium substantiæ in punctum fieri sine vllo motu, aut mutatione locali, sed per solam ablationem rationis formalis, qua partes illæ extendebantur in spatio, & inter se distabant, nam dupliciter possunt partes non distare, vel quia proximæ fiunt per motum, aut mutationem localem, vel per ablationem rationis formalis, qua distabant, & hoc secundo modo fierent indistantes ex natura rei in illo casu.

25 Sed fluxus iste in eo casu substantiæ materialis in punctum nullo illorum modorum benè saluatur; Non in primis benè saluatur per solam ablationem rationis formalis substantiam extendentis in spatio, Tum quia hæc non est quantitas, vt nuper dicebamus, cùm vnaquæque res per propriam præsentiam dicatur à spatio, in quo est, indistans, atque ideò alia est præsentia partium substantiæ, alia partium quantitatis, quare sicut entitas substantiæ potest manere sine entitate, quantitatis, ita respectus præsentiæ fundatus in partibus substantiæ manere potest sine respectu fundato in partibus quantitatis. Tum quia intelligi nequit rem esse alicubi, vbi priùs non erat, nisi sit ibi de nouo producta, vel adducta, at non possunt partes substantiæ constitui in puncto, vbi non erant prius per productionem, quia supponimus, substantiam conseruari, & solam quantitatem destrui, adductio verò intelligi non potest sine mutatione locali. Tum quia ablatio quantitatis est actio negatiua, & constitutio partium substantiæ in puncto est actio positiua, & acquisitio nouæ præsentiæ. Neque benè saluatur per mutationem localem ex vi ablationis quantitatis ex natura rei sequentem; Tum quia vt nunc dicebamus, ablatio quantitatis est actio negatiua, ergo transitus ille simultaneus partium in punctum, cum sit actio positiua, nequit formaliter esse ex vi ablationis quantitatis. Tum quia etiam si concedamus, Angelum in instanti posse se trãsferre ab extremo ad extremum, non transeundo per medium in sensu, quo Scot. docet 2. dist. 2. quæst. 12. C, ratione suæ simplicitatis, in nullo tamen sensu id potest concedi de substantia materiali ratione suæ materialitatis. Tum quia ex 4. Phys. habetur, quòd si à vase in instanti tolleretur medium, quod eius latera faciebat distare, non propterea illa latera concurrerent in instanti, ergo etiam si admittamus, partes substantiæ esse inter se distantes ratione quantitatis, non idcircò si illa auferatur in instanti, debemus dicere, statim sequi ex natura rei concursum, & fluxum instantaneum omnium illarum partium ad punctum. Tum quia etiamsi concedamus, absque nouo miraculo posse contingere penetrationem omnium illarum partium adinuicem in puncto, quia ablata est quantitas, quæ eas reddebat impossibiles, non propterea sequitur, quòd eius ablationem statim ex natura rei debeatur materali substantiæ nõ quantæ punctũ indiuisibile vt locus; cũ hocnõ debeatur substantiæ immateriali ex natura rei, de qua magis videtur. Tum tandẽ quia quando sunt duo entia absoluta, quorum vnum est prius alio, ex mutatione facta circa posterius, non sequitur necessariò mutatio circa prius, nisi in eis, quæ pendent à posteriori absoluto, at substantia nec in se, nec in sua præsentialitate pendet à quantitate, ergo. Nec tandem benè saluatur per mutationem à Deo factam, quæ translatiua sit in instanti omnium illum partim in punctum, vt ait Auersa, quia quæstio est de substantia suæ naturæ relicta sine interuentu noui miraculi præter illam ablationem, quæritur enim si Deus expoliare substantia quantitatem, nec vllam prorsus positiuam adiungeret mutationem, qualem statum, qualemue præsentiam sit habitura ad spatium, in quo prius erat, nulli enim dubium est, quod si Deus adiungere vellet talem mutationem, vtique ex vi illius singulæ illius substantiæ partes in punctum fierent.

26 Resp. Fonseca 5. Met. cap. 13. quæst. 2. sect. 3. ad 4. substantiam in tali casu mansuram in eodem toto loco priori, non tamen eo modo, quo priùs circumscriptiuè per partes extra partes, sed definitiuè ad instar substantiæ spiritualis, totam in toto, & totam in qualibet parte, quam responsionem multi amplectuntur Scotistæ, veluti expressè insinuatam à Doctore 2. dist. 12. quæst. 2. D. & quia talis mutuus partium transitus ad locum alterius fieri nequit sine locali mutatione, quidam aiunt, talem mutationem ex natura rei contingere ex sola ablatione quantitatis; quidam verò fieri diuina virtute in eodem instanti, vt tota illa substantia, & singulæ eius partes collocentur in omnibus partibus spatij sine transitu per mediam, & ita vbi caput esset, ibi manus, ibi crura, ibi pedes existerent, & è contrà.

Sed planè responsio hæc cæteris est intolerabilior, quamuis enim gratis concedamus, Deum efficere posse, vt substantia materialis sit tota in toto, & tota in qualibet parte spatij, vt de facto manet Christi corpus in hostia, id tamen fieri nequit sine nouo miraculo etiam posito priori, scilicet separatione quantitatis. Tum quia hic modus essendi in loco indiuisibiliter connaturalis est spiritibus, quia carent multitudine partium integralium, & hac ratione vbicunque sunt, etiam in puncto, ibi sunt secundum se totos, & necessariò ibi habent totum suum esse ergo quia substantiæ materiales citrà quatitatem habent talem partium multitudinem, & extreitatem, non necessariò vbi sunt ex natura rei habent totum suum esse, sed sicut totum suum esse ex multis constat partibus, ita secundum vnam partem est præsens huic spatio, & secundum aliam alteri. Tum quia si substantia materialis non habet esse diuisibiliter in loco præcisè per quantitatem, ergo ex vi ablationis huius non remanet indiuisibiliter in loco. Tum quia etsi Angelus naturaliter esse possit in pluribus locis inadæquatis, non tamen in pluribus adæquatis sine miraculo, ergo eadem ratione non poterit sine miraculo substantia non quanta esse indiuisibiliter in loco tota in toto, & tota in qualibet parte, quia naturaliter eius partes essent in pluribus locis adæquatis; ex vi enim talis modi essendi, quælibet pars est in suo loco, & in loco aliarum, atque ita in pluribus locis sibi adæquatis, licèt tota substantia dicatur in vno loco sibi adæquato. Tum quia pars exigit minorem locum toto ex natura rei, at si ad ablationem quantitatis poneretur substantia materialis tota in toto, & tota in qualibet parte, tunc quælibet pars ex natura rei tantum exigeret locum, quantum exigit totum; Tum quia repugnantia existendi in duobus locis non oritur à quantitate, sed à limitatione, rei ergo substantia materialis ex simplici ablatione quantitatis non redditur apta, vt in multis locis adæquatis simul possit existere, quod tamen sequitur, si ex natura rei ad ablationem quantitatis ei talis modus debeatur; quia licet substantia materialis respiciat adæquatè secundum omnes partes totum illud spatium, tamen id ipsum spatium respectu singularum est inadæquatum, & excedens. Tum quia si substantia materialis antecedenter ad quantitatem est suapte natura capax talis præsentiæ indiuisibilis in loco diuisibilis, itaut sit sibi connaturalis, sicut Angelo, ergo per superuenientem quantitatem violentatur, dum per eam redditur capax præsentiæ diuisibilis, immo tantum aberit, vt substantia materialis de se sit capax quantitatis, quæ eam reddat spatijs diuisibiliter præsentem, quod potius ad eam naturaliter haberet repugnantiam. Tum denique, quia si hæc penetrabilitas in substantia materiali resultans ex ablatione quantitatis debet statim reduci ad actum in instanti, præter quam quod hæc instaneanea localis mutatio de extremo in extremum sine transitu per medium substantiæ materiali non conceditur ob suam materialitatem, debet adhuc assignari ratio, cur potius debeat reduci ad actum hoc modo indiuisibili, vt sit tota in toto, & tota in qualibet parte, & non potius per fluxum omnium partium ad punctum, cum hæc sit reductio facilior illa, & naturæ rei magis consentanea; sic enim solum fit, quod plures partes eiusdem corporis eundem locum subintrent, quod non repugnat suæ naturæ absente quantitate, reductio ad actum priori modo vltra hoc exigit etiam, quod eadem pars eiusdem corporis sit simul, & semel in pluribus locis adæquatis, & exigat ex natura rei tantum locum, quantum exigit totum corpus. Quod si concedant huiusmodi mutationem, qua tota substantia constituitur in instanti in toto loco, & tota in qualibet parte, fieri immediatè à Deo per superadditum miraculum, iam ista responsio non satisfacit quæsito, quod mouetur de substantia suę naturę relicta post expoliationem eius a quantitate, absq. quod Deus nouam mutationem adiungat; quo nam verò sensu Scot. dixerit loc. cit. in 2. substantiam materialem quantitate denudatam fore in loco definitiuè, explicatum est articulo precedenti in solutione ad 4.

27 Restat igitur dicendum cum Scotistis loco proximè citato relatis, substantiam quantitate exutam ex natura manere secundum omnes, & singulas sui partes in eodem situ, in quo prius erat sub quantitate, quem dicendi modum sequuntur Suar. disput. 40. Met. sect. 4. Hurt. disp. 15. Met. sect. 5. Amic. tract. 1. 5. q. 4. dub. 5. art. 3. & alij quamplures, & planè sequitur ex dictis, cum enim substantia à quantitate separata sit alicubi, & non in puncto, sed in toto spatio, vbi prius erat sub quantitate, & quidem in eo non indiuisibiliter ad modum Angeli, sed diuisibiliter, sanè erit tota in toto, & pars in parte, adhuc tamen quanta dici non posset, quia non maneret quantitatiuè, idest impenetrabiliter extensa, sed penetrabiliter, nec molem corpoream faceret alijs corporibus obsistentem, nec eius partes essent inter se inuicem in eodem loco incompossibiles.

At hanc respons. impugnat Auersa loc. cit. Tum quia adhuc vrgeri potest difficultas, vt sicut Deus abstulit quantitatem à substantia, ita etiam auferat effectum illum, seu modum essendi, & præsentialitatem, & tunc adhuc querendum superest, quomodo substantia remaneret. Tum 2. quia quamuis ille modus essendi in loco dicatur effectus formalis præsentię diuisibilis, non verò quantitatis, tamen talis, ac tanta est dependentia huiusmodi præsentię à quantitate; vt necessariò illam præsupponat in subiecto, nec possit substantia coextendi sic loco, nimirum circumscriptiuè, nisi supponatur habere quantitatem, tanquam fundamentum talis præsentiæ, vt colligitur ex Arist. 1. Phys. tex. 15. vbi docet, non posse concipi substantiam, aliamue rem infinitam, nisi per quantitatem, quia scilicet nulla res potest esse extensa sine quantitate. Tum 3. non rectè dicitur, substantiam sic extensam in loco non manere extensam quantitatiuè, & impenetrabiliter nam cum illo modo essendi in loco extensiuè per partes extra partes necessariò connexa est impenetrabilitas, sicut eo remoto statim vna substãtia est cum alia penetrabilia. Tum demum quæri potest, cur eo ipso quod substantia est à quantitate superueniente impenetrabilitattem habuerit, statim hæc reducitur ad actum, & actu ponitur in loco per situm impenetrabilem, non etiam eodem modo penetrabilitas, quam acquirit ad ablationem quantitatis, statim reducitur ad actum, itaut omnes eius partes, vel statim in puncto se penetrent, vel tota sit in toto spatio, & tota in qualibet eius parte?

28 Resp. ad 1. communem esse opinionem, nullam rem extare posse in vniuerso sine aliquo Vbi, sine vlla prorsus præsentialitate sibi proportionata, vt etiam ipse Auersa fatetur qu. 28. sect. 2. & eundem casum possumus illi proponere, quòd Deus, auferat substantiæ, quæ defluxit in punctum, præsentiam illam punctualem, & quærere, quomodo tunc illa substantia remaneret, & quod ipse respondebit dicemus & nos; & si admitteretur, quod tale præsentia posset à Deo auferri, dicendum esset quod remaneret adhuc præsens diuisibiliter toti illi spatio, non quidem formaliter, vt prius, sed tantum fundamentaliter. Ad 2. art. præcedenti dictum est, quantitatem esse fundamentum præsentiæ circumscriptiuæ impenetrabilis, non autem penetrabilis, & hac ratione dixi Philos. 1. Physic. non posse concipi rem magnam sine quantitate, quia per quantitatem solum constituitur moles, & magnitudo sensibus apparens, quatenus per eam vna pars necessariò excluditur à loco alterius, ita fit moles occupatiua loci. Ad 3. pariter dictum est art. præcedenti, falsum prorsus esse, quod impenetrabilitas oriatur ex sola extreitate partium entitatiua, & quod idem sit esse impenetrabiliter in loco, ac esse diuisibiliter per partem extra partem. Ad 4. dicimus, quod impenetrabilitas verè est passio corporis quanti, & ideò effectus eius naturalis, idest actualis impenetratio impediri non potest à naturali agente, ne statim sequatur, sed non ita penetrabilitas est passio corporis non quanti, quia si ita foret, tantum abest, vt suaptè natura foret capax quantitatis, quæ illud reddit impenetrabile, quod potius ad eam haberet naturalem repugnantiam, & in eius aduentu ad statum reduceretur violentum, cum igitur dicimus, substantiam quantitate expoliatam esse penetrabilem, sensus est, quod sibi non repugnat penetratio, quod est esse penetrabilem negatiuè, non tamen hinc sequitur, quod sit positiuè talis, idest apta suaptè natura ad eam recepiendam, sicut neq. aqua, ex eo quia non sibi repugnat calefieri, sequitur, quod aptitudinem habeat ad calefactionem.

QVÆSTIO II.

An Continuum ex solis indiuisibilibus, vel solis diuisibilibus, vel ex vtrisque simul constituatur.

29 NOmine Continui hoc loco non solam quantitatem intelligimus sed substantiam quoq. corpoream, eiusq. cætera accidentia materialia, cum enim hæc omnia suas habeant entitatiuas partes, vnam extra aliam quantitate seclusa, propriamq. compositionem habeant integralem, consequenter continua erunt, & sub hoc communi nomine Continui poterunt comprehendi, & dum quærimus, an continuum ex solis indiuisibilibus constituatur, vel solis diuisibilibus, vel potius ex vtrisq. simul, per diuisibilia intelligimus partes, quæ rursus in minores, & minores diuidi possint; per indiuisibilia verò intelligimus indiuisibilia mathematica, qualia sunt puncta, lineæ, & superficies, quæ nullas prorsus habent partes, ex eo capite, quo indiuisibilia sunt; per quod excludimus indisibilia tum Physica, sicut sunt minima naturalia, vt oculus pulicis cuspis acutissimæ acus, & similia, quæ indiuisibilia dicuntur non quia careant partibus, in quas à Deo saltim possint diuidi, & à nobis saltim mente distribui, sed quia talis diuisio fieri nequit ab agente naturali per instrumenta naturalia, tum Metaphysica, sicut sunt res spirituales, quia licet ista careant partibus integrantibus, vt Mathematica, possunt tamen locum occupare diuisibilem ratione extensionis virtualis, qua carent Mathematica, & in hac quæstione tam celebri sic intellecta, tres tantum extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media vt notarunt Parien. 6. Phys. q. 1. Prima extrema est Stoicorum quibus præiuit Zeno, componentium continuum ex solis indiuisibilibus, lineam nimirum ex solis punctis, superficiem ex solis lineis, & corpus tandem ex solis superficiebus. Altera extrema est Nominalium negantium indiuisibilia, cõstituentium continuum ex solis partibns semper diuisibilibus, quos sequuntur Auersa q. 23. sect 4. Aref. 1. de Gen. disp. 2. q. 23. at Fons. 5. Met. c. 13. quæst. 6. sect. 4. negat indiuisibilia continuatiua, quod etiam probabile putant Conimb. 6. Phys. c. 2. qu. 1. art. 4. vnde solum superficiem terminantem in corpore admittit. Tertia sententia est media, quæ ex vtrisque continuum constituit ex diuisibllibus quidem, vt ex partibus componentibus, & integrantibus molem corpoream, ex indiuisibilibus verò, vt continuantibus, ac terminantibus partes, & hæc est germana sententia peripatetica, quam sequitur Scot. 2. d. 2. q. 9. T. & communiter tam antiquiores, quam Recentiores, vt Suar. disp. 40. Met. sect. 5. Ruuius 6. Phys. c. 2. tract. de Continuo, Masius q. 1. Hurt. disp. 15. Phys. sect. 2. & alij infra citandi, licet Arriag. disp. 16. Phys. valde trepidet.

ARTICVLVS I.

Physicè, & mathematicè ostenditur repugnare compositionem Continui ex indiuisibilibus.

30 DIcimus, prorsus implicare compositionem Continui ex indiuisibilibus Concl. est Arist. ex professo contra Zenonem disputantis 6. Phys. & Scoti in 2. d. 2. qu. 9. Philosophus eam probat duabus præsertim rationibus physicis omninò hanc veritatem demonstrantibus; Scotus verò eam corroborat duabus Mathematicis, quibus omninò ostenditur sententiæ Stoicæ impossibilitas.

Prima ratio Physica ab Arist. desumpta 6. Phys. ab initio fundatur in eo principio quod indiuisibile additum indiuisibili non potest facere maius extensiuè, & quo ad molem, nec consequenter constituere continuum: nam si vnum indiuisibile additum alteri faceret maius, deberet in indiuisibili assignari pars tacta, ratione cuius esset vnitum alteri,

alteri, & pars non tacta, ratione cuius esset extrà illud, nam vt fiat aliquod maius ex duobus vnitis, quàm ex vno solo, debent ita inter se vniri, vt secundum aliquid sui sint extrà se, sed in indiuisibili non sunt partes, vndè se toto adæquatè in eodem spatio coexistit alteri indiuisibili, & ambo se penetrant, ergo ex illis non potest constari continuum, quod importat magnitudinem molis.

Respondent 1, hanc rationem, si quid valet, etiam contra nos concludere, ex illa enim sequitur, quòd si illa duo corpora se tangunt in superficie, superficies erit pars corporis, cuius oppositum intendimus probare, & quòd si duæ lineæ se tangunt in punctis extremis, puncta fore partes lineæ, quia quæcunque duo se tangunt, vel se tangunt secundum se totum, vel secundum aliquam sui partem. Sed hoc subterfugium nil valet, si benè intelligatur ratio Arist. & eo modo, quo eam declarat suus Comment. 6. Phys. Comment. 2. & Canon. 6. Phys. q. 1. & Parisienses 7. Phys. dub. p. super tex. nec fiat visin verbis, quia quando Philos. ait tex. 2. *Tanget autem omne, aut totum totum, aut pars partem, aut totum pars*, non accipit ibi partem propriè, sed vocat partem omne illud, quod est aliquid per se alicuius, dummodò non sit totum, quo sensu sub nomine partis etiam terminus rei venit intelligendus, quia terminus etiam rei est aliquid rei, & non est tota res; propositio ergo Philosophi sic intelligitur, quòd illa, quæ se tangunt vel secundum totum se tangunt vel se tangunt secundum aliquid sui, & secundum aliquid non, sed puncta non se tangunt secundum aliquid sui, & secundum aliquid non, cum punctus sit simplex, & indiuisibilis, ergo tactus punctorum est secundum se totum, & sic eorum tactus erit superpositio, & penetratio, non autem extrapositio, & consequenter magnitudinem non facit, quoniam omnis magnitudo habet partem extrà partem, Ex quo patet, duas illas instantias demonstrationem Arist. non infirmare, quæ proportionaliter applicata lineis respectu superficiei, & superficiebus respectu corporis, pariter probat, ex suppositione lineæ super lineam non posse fieri magnitudinem in latitudine, & ex suppositione superficiem in superficiem non posse protendi magnitudinem in profundum, & denique cùm hæc ratio fundetur in natura indiuisibilium, & in natura continui, probat, compositionem cõtinui ex illis repugnare, siue finita statuãtur, siue infinita, quia finitas, & infinitas indiuisibiliũ non mutat naturam eorum, quare si suaptè natura sunt prorsus inepta ad compositionem continui, erunt etiam talia, si infinita ponantur.

31 Respondent 2. quòd licèt vnum indiuisibile additum alteri non faciat maius, plura tamen & plura inter se ordinata constituunt molem, quia si punctum B. addatur puncto A, vtque tanget illud secundum se totum, at si deinde puncto B, Addatur punctum C, licèt hoc immediatè tangat B, non tamen immediatè attingit A, & in hoc sensu extra se ponuntur, & molem constituunt. Sed hoc parum valet, quia si ex natura indiuisibilium est, quòd molem nequeant constituere, quotquot ista ponantur, semper erunt eiusdem naturæ, sicut in Arithmetica quia vnum O alteri additum, numerum non constituit, ideo quotquot illi addatur, nullus vnquam numerus ex eis resultat & in proposito prorsus falsum est, punctum C non tangere secundum se totum punctum A, vel enim punctum B medium tãgitur à C, secundũ illud idem, in quo tangitur ab A, vel secundum aliud; si secundum aliud, ergo non est amplius indiuisibile, quia poterit diuidi in id, per quod tangitur ab A, & in id, per quod tangitur à C, si primum, ergo punctum C tangit A secundum se totum, & secundum omne id, per quod tangit B.

Respondent 3. Alij, indiuisibilia se tangere secundum se tota, non tamen se penetrare, sed esse immediatè vnum post aliud, quemadmodum se habent extremæ superficies, in quibus corpora se tangunt, & ideo posse facere extensionem, qua solutione vtitur Ariag. cit. nu. 88. vt ostendat insufficientiam rationis Arist. Sed contrà, quia implicat, vnum indiuisibile esse alteri immediatum, & extra illud positum, nam si A, B, C sint tria puncta sibi immediata, vel B medium tangeretur secundum se totum ab vtroque collaterali, vel secundum aliud, & aliud hoc est contra rationem indiuisibilis, illud verò manifestè ostendit, illa tria puncta esse inuicem compenetrata, & ita se habent extremæ superficies, in quibus corpora se tangunt, quando ex parte vnius corporis illis duabus superficiebus vna tantum superficies correspondet, signum euidens compenetrationis ambarum, vt patet exemplo superficiei continuatiuæ baculi in aqua, correspondentis superficiebus aquæ, & aeris.

Respondent 4. alij, vnum indiuisibile alteri additum facere maius, quia licèt se tangant secundum totum, & se penetrent, non tamen sunt in eodem loco adæquatè, sed inadæquatè, quatenus vnumquodque eorum occupat locum diuisibilem, vt duo Angeli, quorum alter occupat medietatem huius gymnasij, alter verò aliam medietatem, qui se contingunt, & penetrant in medio gymnasio, & non in extremis illius, vnde aiunt, punctum esse indiuisibile formaliter, diuisibile verò virtualiter, & extensionem virtualem habere sicut Angelus; hac via tuentur passim Doctores Salmaticenses, continuum ex indiuisibilibus componi, vt refert Amic. tract. 15. qu. 7. art. 4. quorum sententia fulciri etiam posset exemplo è rarefactione deducto, vt notauit Hurt. disp. 15. sect. 5. §. 95. sicut enim eadem quantitas densa occupat palmum, rara autem occupat duos palmos, sic & punctus poterit occupare spatium seipso maius, scilicet diuisibile, & hoc modo ratione loci diuisibilis extrà se ponentur, & molem poterunt constituere.

32 Sed hæc Salmaticensium opinio noua est, & prorsus irrationabilis. Primò enim falsissimo nititur fundamento, quòd nimirum indiuisibilia rerum corporearum sint virtualiter diuisibilia, & habeant extensionem virtualem, vt Angelus, & anima, quia substantia spiritualis ob sui perfectionem caret partibus, & quacunque extensione formali, non sic indiuisibilia rerum corporearum, alioquin perfectiora forent ipsis corporibus, ergo diuersa est indiuisibilitas horum, & illorum, & ideò non sequitur, quòd si Angelus est virtualiter diuisibilis, & extensus, talis etiam sit punctus. Tum quia modus existendi in loco diuisibili indiuisibiliter totum in toto, & totum in qualiber parte, perfectior est modo existendi in loco diuisibiliter, vndè, & ille modus supponit perfectiorem entitatem in re locabili, quàm iste, ergo non potest puncto conuenire, alioquin punctus esset longè perfectior corpore. Tum quia si ratione virtualis extensionis potest punctus spatium occupare diuisibile, poterit etiam corpus naturaliter occupare locum ampliorem, quàm sua quantitas exposcat, nam licèt ratione extensionis formalis ei tantus locus competat, & non maior, poterit tamen competere ratione extensionis virtualis, quæ si puncto tribuitur, vtique nec corpori denegari debebit. Tum quia si corpus non habet pro partibus nisi sola puncta, & hæc omnia sunt in loco diuisibiliter, tota in toto, & tota in qualibet parte, sic etiam erit corpus in loco, non enim totum est alio modo in loco, quàm eius partes 1. Cœli tex. 19. Tum quia sicut Angeli, & si habeant extensionem virtualem, tamen ratione indiuisibilitatis formalis possunt esse in eodem loco, ita & de punctis dicendum erit, ergo non repugnabit corpori habere naturaliter omnes eius partes in eodem loco, cùm hæ sint illa puncta, quæ naturaliter se possunt compenetrare non obstante virtuali extensione, vt duo Angeli. Tum quia sequeretur, punctum lactis palmarem locum occupans ratione extensionis virtualis non posse vnquam diuidi, quantumuis geminentur ictus, quia punctum illud in se est indiuisibile. Tum quia si punctum de genere quantitatis potest habere extensionem in loco, habebit etiam illam in subiecto, quod informat, atque ita informabit illud ad modum animæ rationalis. Tum denique quia in ordine ad locum in hoc distinguuntur res corporeæ ab incorporeis, quod illum habent esse in loco per extensionem formalem, istæ per virtualem, quare à toto genere repugnat, & corpori, & eius partibus, & earum indiuisibilibus extensio virtualis in ordine ad locum; Immo ita de facto videmus hac ratione instans non habere virtualem indiuisibilitatem quo ad coexistentiam cum duratione imaginaria, vnde intrinsecè incipit, & desinit, ergo idem dicendum de puncto respectu puncti imaginarij, quia ita se habet punctum ad spatium loci, vt instans ad spatium durationis.

33 Deinde admissa etiam hac virtuali extensione indiuisibilium, immo quod de facto occupent spatium diuisibile, adhuc implicat, Continuum ex talibus constitui indiuisibilibus. Tum quia ens permanens formaliter, & virtualiter successiuum non potest intrinsecè constituere ens formaliter successiuum, vt patet de durantibus Æuo, ergo nec pariter ens formaliter indiuisibile, & virtualiter solum diuisibile, vt puncta ab his posita, poterit componere molem formaliter diuisibilem. Tum quia partes extendunt totum, quod constituunt in genere causæ formalis, quia extendunt illud per semetipsas extensas, ergo ad hoc, vt puncta possint constituere molem formaliter diuisibilem, requiritur, quod in se formaliter sint talia, & non virtualiter tantum, quia hæc extensio procedit ab eis in genere causæ formalis. Tum tandem quia stante hac extẽsione locali puncti in spatio, vel continuum componitur ex substantia ipsorum punctorum præcisè, vel ex formali eorum extensione præcisè, vel ex vtroq. simul. non primum, quia vt sic sunt prorsus indiuisibilia, non secundum, quia corpus Christi in Eucharistia quantum est sine tali extensione punctorum in spatio; nec tertium, quia nemo vnquam dixit, ad compositionem integralem substantiæ necessariò exigi accidens, qualis est illa formalis extensio, siue vbicatio punctorum.

Postremò quando etiam hæc assumpta à Salmaticensibus forent omnia vera, adhuc nec difficultatem euitant ortam ex infinitate continui, ob quam præcisè hæc indiuisibilia virtualiter diuisibilia excogitarunt, nec incommoda Mathematica, nec satisfaciunt quæsito; non euitant difficultatem illam, quia cum punctum ratione virtualis extensionis occupat palmare loci, hic iam habemus extensionem ipsam formalem in loco formaliter diuisibilem, & spatium, cui coextenditur punctum supponitur quoque formaliter diuisibile, quærendum igitur manet, ex quibus sit constituta illa localis extensio puncti, & ex quibus item sit constituta magnitudo spatij; cui coextenditur punctus, si ex partibus proportionalibus idem dici poterat de re locata; si ex punctis, iterum quærendum manet de ipsis, quomodo sint apta constituere molem, & dabitur processus in infinitum. Non euitant incommoda mathematica, quia non potest reddi ratio, cur vnum punctum petat maiorem extensionem alio, & ita si æquè extensa ponantur puncta circuli interioris, ac interioris, nunquam esse poterunt in circulo interiori tot puncta, quot in exteriori, ex quo sequitur ab omni puncto in centrum non posse duci lineam, & alia absurda mathematica, vt infra dicemus. Nec demum satisfaciunt quæsito, quia concesso, posse constitui continuum ex indiuisibilibus formaliter, sed virtualiter diuisibilibus, adhuc remanet quæstio de indiuisibilibus formaliter, & virtualiter, de quibus instituit disputationem Arist. 6. Phys. contra Zenonem, qui ex talibus indiuisibilibus continuum com-

componebat. Neq. etiam exemplum de raritate corporum ratione cuius acquirunt locum ampliorem, quàm prius haberent, illis suffragatur, quia corpora rarescere possunt, & condensari, cum suas partes habere possint sub maiori extensione, & minori, at punctum rarescere, quod nullas habet partes prorsus impossibile est.

24 Respondent proinde 5. alij, concedẽtes, puncta singula in seipsis re vera constare pluribus particulis, & ita habere aliquam minimam extensionem, at in tales partes prorsus diuidi non posse, nec etiam per potentiam Dei, & hoc modo assignant in puncto partem tactam, & non tactam. Sed etiam hæc resp. vel prorsus vana est, vel recidit in opinionem communem ex diuisibilibus continuum componentem, vel enim partes illius minimæ extensionis constant ex alijs partibus, vel non; si secundum, ergo tandem ad indiuisibilia, & puncta deuenitur, quæ nulla prorsus particula constabunt, & sic vrget Arist. ratio; si dicatur primum, rursus dici debebit illas alias partes constare ex alijs, & sic in infinitum, quæ est opinio communis, nec refert, quod istæ partes non possint in actu exercito in vlteriores diuidi etiam à Deo (licet hoc gratis negetur) sufficit enim quod verè tales partes habeant.

Respondent demum alij, concedentes quidem punctum carere partibus prorsus, addunt tamen in puncto latera extrinseca assignari posse, & posse tangi punctum per vnum latus, & non per aliud, atque ita putant, solutum esse argumentum, quia licet in puncto distingui nequeat pars tacta, & non tacta, potest tamen distingui latus tactum, & non tactum, quod sufficit ad hoc, vt vnum punctum non dicatur penetrare illud, quod tangit, penetratio enim supponit tactum rei penetratæ ex omni latere. Quòd verò talia latera extrinseca distingui possint, & debeant in indiuisibilibus, ostendit Gerardus noster de Odonis, qui est auctor responsionis, vt refert Canon. loc. cit. exemplo superficiei, in qua licèt non distinguamus partes versus profunditatem, distinguimus tamen intra, & extra, dicimus enim quod corpus est intra superficiem, & non extra, sed corpus tangens est extra, non intra, & sic superficies indiuisibilis existens per partes diuiditur per latera extrinseca per intus, & extra; ostendit idem exemplo puncti, qui in medio quadrati existens potest terminare diametrum venientem ex parte dextra, non terminando illud ex parte sinistra, ergo in puncto potest assignari latus dextrum, & sinistrum, secundum quorum vnum tangatur, & non secundum aliud.

35 Sed sufficientiam responsionis huius, qua etiam vtitur Arriag. cit. num. 92. ostendit optimè Canon. cit. quia vel hæc latera extrinseca in puncto entitatem absolutam dicunt, quæ sit aliquid ipsius puncti, vel solum diuersos respectus ad partes vniuersi; si primum, ergo in puncto intrinsecè distinguitur aliquid, & aliquid, & secundum hoc tangitur, & secundum illud non tangitur, atque ita non erit prorsus indiuisibile; si secundum, vel isti respectus fundantur omnes in eadem entitate indiuisibili puncti, vel in diuersis partibus eius; non secundum vt patet; si primum, ergo realiter, & physicè tangitur totus punctus, & vndequaque quia fundamentum illorum quatuor laterum formaliter sumptorum, vt respectus important ad partes vniuersi, est simplex, & indiuisibilis entitas puncti ad diuersa comparata, hoc autem sufficit ad penetrationem puncti cum puncto exemplum autem de superficie, & puncto adductum probat solum, quod in eis possunt assignari formaliter diuersa latera extrinseca, non tamen diuersa latera fundamentaliter, vt assignantur in corporibus, quæ fundant diuersa latera per partes diuersas, atque ideò cum ex vno latere tanguntur, non propterea penetrantur, at non sic est de indiuisibilibus.

Altera ratio physica deducitur ex velocitate, & tardiate motus, data enim sententia opposita, sequitur, mobile velocissimum, vt aquilam, atque tardissimum, v.g. testudinem, æquali tempore æquale spatium conficere, Probat. sequela, sit spatium centum punctorum; & vtrumque incipiat simul omninò moueri, certè cum aquila primum decurrit diuisibile, testudo quoque aliquid transibit, & planè id nequit esse minus in diuisibili, & idem dicetur cum aquila percurrit secundum indiuisibile, vnde tandem sequitur, æquali tempore fore ab vtroque spatium illud decurrendum. Fortè dices, nobile velocius in vno instanti percurrere duo puncta, quo tempore mobile tardius percurrit vnum. Sed contra, quia quo tempore aquila pertansit primum punctum, aliquid etiam pertransit testudo, cum non quiescat, & non potest pertransire minus indiuisibili, ergo æquali tempore illud decurrit, vt aquila. Similiter inferri posset, instans esse diuisibile, si argumentum formetur ex parte instantium. Inferri etiam posset eodem argumento, quod velox insequens tardissimum, nunquam ipsum pertinget, vt notauit Ocham quol. 9. si semel supponamus pro vno solum instanti prius incipere motum mobile tardum.

36 Resp. motum non esse quantitatem continuam, vt argumentum supponit, sed discretam per morulas imperceptibiles, quę, quo breuiores sunt, motum velociorem efficiunt, & quo longiores, tardiorem, quarum morularum breuitas, & longitudo prouenit ex maiori, vel minori conatu mobilis, atque ideò dicunt, testudinem tardius moueri, quia plus sistit in morulis, aquila verò minus, & sic ponendo motum discretum, omnes difficultates se putant effugere; ita respondet Arriaga sect. 11.

Sed contra 1. quia istæ morulæ sunt omnino fictæ, vt disp. 3. de Gen. & Cor. q. 5. dicemus, nam si darentur in motu, vtique perciperentur, sicut vniuersaliter quies percipitur ex desitione motus, & quamuis morulæ aquilæ dici possent imperceptibiles, quia parum sistit, morulæ saltim testudinis deberent percipi, quia sunt longiores; & si sensu dignoscitur tarditas motus testudinis in comparatione ad motum aquilæ, vtique & morulæ testitudinis deberent percipi, si tarditas causatur ab eis. Deinde si istæ morulæ darentur in motu, sequeretur rotam citissimè concitatam non moueri secundum omnes partes, quia partes exteriores rotæ, vt à centro remotiores, velocius mouentur interioribus, quia æquali tempore maiorem circulum efficiunt, quare si ex morulis intercidentibus prouenit tarditas motus, pars interior rotæ aliquando quiescet, cum exteriores mouentur, sequeretur, saxum ingens è turri deturbatum sæpissimè in descensu quiescere, & in medio aeris sistere per aliquod tempus, immo & semper ibi quiescet, quia si in tempore illo medio non vincit aeris resistentiam, tantò minus superabit in instanti sequenti, cum in eo non sunt auctæ vires mobilis, nec imminutæ vires resistentis; alia demum sequerentur absurda, & impossibilia, quæ fusè, & euidenter probat Hurt. loc. cit. §. 127. & sequentibus, occasione desumpta à Canon. nostro 6. Phys. q. 1. ar. 1. vbi hæc, & alia infert absurda ex huiusmodi positione, quæ fruſtrà conatur Arriag. effugere.

37 Prima demonstratio mathematici Scoti est hæc; si continuum componeretur ex indiuisibilibus, tunc maior, & minor circulus essent æquales, quoniam tot esset puncta in minori, quot in maiori, & ita componeretur ex partibus æqualibus in magnitudine, & multitudine, Consequentia probatur; describantur duo circuli, vnus maior, alter minor circa idem centrum, quod vocetur A, ducatur ab isto centro vna linea recta ad circumferentiam maioris, & terminetur in puncto B, & iterũ ducatur alia, & terminetur ad punctum illi immediatum, quod sit C, vel istæ duæ lineæ transeuntes per circulum minorem, ipsum intersecant in vno puncto, vel in duobus; non primum, quia duæ lineæ paralellæ nunquam concurrunt, nec coincidunt, & de ratione linearum discedentium à centro ad circumferentiam est, quòd in progressu semper magis inter se distent, & tandem tunc ab illo puncto vsque centrum non esset nisi vna linea, quoniam inter duo puncta non cadit nisi vna linea recta, hoc autem est contra hypotesim, quia supponimus, quòd duæ sint protractæ; si in duobus, vel ista sunt mediata, vel immediata; Si primum, minor circulus, seu interior, erit maior ipso exteriori; Si secundum, erit illi æqualis, quia cuicunq; puncto maioris correspondet punctum in minori, & sic quot sunt partes in maiori, tot sunt in minori in magnitudine, & multitudine.

Respondet Gerard. de Odonis apud Canon. quòd istæ duæ lineæ ductæ à centro ad circumferentiam circuli maioris non accipiunt de circuli circumferentia, nisi quantum acciperet vna earum, quia transeundo per circulum minorem, se inuicem æquitarent, ac superponerentur. Sed quòd istæ duæ lineæ non se æquitent, ac concurrant in circulo minori, iam probatum est, hoc autem suppofito, est manifesta contradictio, quòd duæ lineæ sic ductæ, cùm peruenient ad circumferentia circuli maioris tãtum accipiant de illa, quantum caperet vna tantùm; eodem ferè modo Arrig. cit. à n. 116. huic rationi respondet, ait enim plures lineas à circulo exteriori ductas concurrere in interiori in vncto priusquam ad centrum peruenianr, nec sequi esse obliquas, quia non habent breuiorem viam, qua possint ad centrum pergere. Sed hæc solutio eodem quoque modo refellitur, quia de ratione linearum rectarum est, vt statim ac à centro exeunt paulatim incipiant disiungi, nec vnquam concurrant, vt magis infra declarabimus num. 80.

Respon. Salmaticenses, quòd cum puncta interioris circuli sint virtualiter extensa, linea vna ducitur ad partem loci minorem, & indiuisibilem, & similiter alia, & sic transibũt per idem punctum virtualiter extensum. Sed fruſtra, nam si puncta circuli interis sint æquè extensa, ac puncta exterioris, vt ipsi fateri tenentur in corpore æquè rarò, quia in tali casu præsertim non est maior ratio de extensione virtuali vnius, quàm alterius, tunc redit argumentum, cùm in tali casu omnes lineæ rectæ constent punctis æquè tumentibus, & virtualiter extensis.

38 Altera demonstratio mathematica est hæc; data opposita sententia, sequitur, diametrum esse commensurabile costæ, quod repugnat, Consequen. prob. accipiendo quadratum in se habens lineam diametralem, & à duobus punctis immediatè se habentibus in costa protrahendo duas lineas rectas vsque ad aliam costam, tunc vel illæ duæ lineæ secabunt diametrum in duobus punctis, vel in vno; non in vno, quia tunc costa longior esset diametro; si in duobus, vel mediatis, vel immediatis; non mediatis, quia tunc ab illo puncto medio poterit duci linea inter duas lineas prædictas vsque ad costam, quæ necessariò terminabitur ad punctum medium inter puncta costæ, quoniam paralellæ nunquam concurrunt, quod tamen est impossibile, quoniam illa duo puncta costæ supponuntur immediata si immediatis, sequitur intentum, quod tot erunt in puncta in costa, sicut in diametro.

Resp. Gerar. de Odonis apud eundem Canon. & Lichet. 2. 2. qu. 9. quod cùm duæ lineæ ducuntur à duobus punctis immediatis vnius costæ ad duo puncta alterius, intersecant vnaquæque diametrum in duobus punctis, ratio est, quia vnaquæque illarum diametrum secat non per directum, sed per obliquum, & transuersum ratione positionis

nis diametri, ratione enim talis positionis linea quælibet intercipit diametrum in longum, & non in latum, quod declarari potest exemplo vnius virgæ super aliam cadentis obliquè, plus enim ita cadendo tangit de illa, quàm si super eam directè caderet per modum crucis, & sic etiam respondet Arriag.cit, num. 125.vbi ait opus esse, vt linea ducta à costa in costam aliquando transeat per duo puncta diametri.

Sed quamuis solutio hæc aliquam preferat euidentiam, tamen est prorsus intelligibilis, quia si quæliber linea cadens super diametrum accipiat plus, quàm vnum punctum per longum, sequitur, quòd illa linea non erit recta, quia descenderet per punctum diametri, quod ita declaratur ex Canon, quia cum linea ducitur ab vna costa ad aliam, & diametrum intersecat, vel exit à diametro per illud idem punctum, per quod intrauit; vel per aliud immediatè inferius descendendo; si exit per vnum punctum, non accipiet, nisi vnum punctum; si non per idem, sed descendendo per diametrum plus quam per vnum, iam manifestè patet, quòd linea illa obliquabitur per descensum illum. Addit Lichet. quòd cùm linea intersecans tangat per idem punctum duo puncta diametri, sequitur, punctum lineæ tangentis simul in diuersis locis, & sitibus, nimirum vbi sunt puncta diametri tacta, quod est impossibile; exemplum de virga tangente aliam obliquè non est ad rem, quia, quando virga, vel aliud corpus cadit super aliud obliquè, tunc multæ partes virgæ cadentis tangunt multas partes alterius virgæ, quas prius non tangebant, & sunt aliæ partes cadentis, & tangentis, quando tangunt obliquè, quàm quando tangunt rectè, & ideò non mirum, si plures partes tanguntur in tactu obliquo, quàm in recto; at in proposito semper est idem punctus lineæ tangentis diametrum directè, & obliquè; de quo rursus dicemus num. 80.

39. Sed istas demonstrationes contendunt propugnatores indiuisibilium contra partes retorquere, nam quando lineæ à circulo maiori ductæ transeunt per partes minoris ad centrum, vel transeunt per aliam, & aliam partem circuli minoris, & sic erunt partes æquales in vtroque, aut per eandem, & tunc illa pars per maioritatem circulorum corresponderet mille partibus, & esset in mille sitibus, vt dicimus de puncto, si esset idem, per quod transirent plures, & plures lineæ ex circulis maioribus deductæ. Respon. Lichet. loc. cit. non esse aliquàm partem in maiori circulo, cui non correspondeat aliqua pars in minori, licèt multo minor; & ideò non sequitur, quòd sint æquales partes eiusdem quantitatis in vtroque, sed si componantur ex punctis; tunc duobus punctis immediatis in maiori circulo, aut correspondent duo puncta immediata in minori, aut idem punctus vtrique; si primum, æqualia erunt puncta vtriusque circuli; si secundum, tunc erit idem punctus in diuersis sitibus; & ideò argumentum vrget de punctis, non de partibus, quia partes circuli minoris correspondentes partibus circuli maioris semper sunt minores illis, vt si circulus exterior constat quatuor palmis, interior constabit quatuor semipalmis; de numero verò partium proportionalium, an sit æqualis in vtroque circulo, tot nimirum in minori, quot in maiori, infrà dicemus à num. 80. & 92. & ex ibi dicendis adhuc magis constabit intelligentia harum demonstrationum mathematicarum, & patebit solutio ad omnes instantias, quas contra illas vrget Arriag. à num. 116. & 124.

Postremò, hanc Stoicorum sententiam esse errorem in Philosophia statuit Concil. Constantiense sess. 12. vbi inter alios errores Ioannis Hus, hunc etiam retulit, & condemnauit, continuum scilicet componi ex indiuisibilibus, refert Concilij verba P. Fuentes 5. Phys. q. 1. diff. 2. art. 2. & sunt ista, *linea autem mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis simpliciter finitis: vel tempus est, fuit, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus, & linea, si sint, aliter componantur*, & statim subdit: *Prima pars est error in Philosophia, sed vltima errat circa diuinam potentiam.*

ARTICVLVS II.

Ostenditur implicare compositionem continui ex solis partibus diuisibilibus.

40. DIcimus, dari actu indiuisibilia, tam terminatiua, quàm continuatiua in continuo à partibus realiter distincta; ita Scot. 2. distinct. 2. quæst. 9. Ll. estque Arist. pluribus in locis, sed præcipuè 5. Metaph. cap. 13. vbi tres quantitatis species enumerat, scilicet lineam, superficiem, & corpus; quo in loco ex propria loquitur sententia, quia ex professo, & non obiter quærit species quantitatis, & 4. Physicorum definiendo locum, post longam disputationem asserit, esse vltimam continentis superficiem, & alijs in locis infra adducendis, estque etiam communis Mathematicorum consensus supponentium ista indiuisibilia à parte rei, & non secundum nostram imaginationem, aliter inter scientias reales Mathematica numeranda non foret; neque solummodo præcisione, considerando scilicet vnam dimensionem, alteram non intelligendo; quia saltim considerando punctum, omnem diuisibilitatem excludens, vt est quid positiuum, verè fallerentur; nec vera esset propositio illa, de ipsis maximè pronuntiata, *Abstrahentium non est mendacium*.

Primò ergo Prob. quod dentur ista indiuisibilia in continuo realia, & à parte rei ex Doct. citat. lit. L. Tum quia acquisitio cuiuslibet indiuisibiliter acquisibilis, siue substantiale sit, siue accidentale, non fit in tempore, vt contra Auersam fusè ostensum est disp. 14. q. 2. art. vlt. sed in instanti, vt illuminatio, generatio animatorum, &c. ergo instans temporis non est aliquod priuatiuum ens, sed positiuum, quia mensura debet esse proportionata mensurato nec priuatiuum potest esse mensura positiui. Nec valet, quod ait Greg. 2. distinct. 2. quæst. 2. art. 1. tales generationes dici in instanti fieri, non quòd verè detur instans in tempore, sed quatenus negatio illa temporis concipitur ad modum entis positiui ab intellectu. Non valet. Tum quia istæ generationes sunt verè mutationes reales à parte rei, ergo propriam debent habere durationem intrinsecam, quia duratio nequit ab existentia rei separari, talis autem duratio intrinseca est instantanea; non successiua, ergo aliquod instantaneum coexistens positiuum erit in tempore, quia per Philos. 6. Physic. eodem modo se habent magnitudo, spatium, motus, & tempus, & semper simul sunt ergo non potest dici, generationem in non tempore in sensu ipsius fieri. Tum quia verè realiter incipit, non per intellectum, ergo nequit in non tempore incipere. Tum quia si simplex negatio temporis instans esset, ergo partes temporis essent interruptæ, & consequenter non continuæ, quia nunc non est pars præterita, neque futura, neque aliquid, quod si vtriusque, quale ponitur instans ab Arist. 4. Phys. cap. 11. quæ ratio probat de continuatiuis temporis.

41 Secundò idem probatur alia ratione Scoti; pleraq. sunt quæ corpori insunt ratione superficiei tantum, vt sunt colores, & præcipuè lumen in corpore opaco, nam in hoc differunt corpus opacum, & diaphanum, quod primum solummodo in superficie recipit lumen, at secundum etiam in profunditate, ergo saltim dari debent indiuisibilia terminatiua; idem argumentum fieri potest quoad locum, & contactum, sed de hoc infra in rationibus mathematicis. Respondet Greg. lumen recipi in corpore lato, & profundo, non tamen quatenus profundum est, sed quatenus latam reduplicatiuè, negat verò consequentiam, quod hæc latitudo indiuisibilis sit secundum profunditatem; & hoc est, quod alij dicunt, dari actu indiuisibilia, sed non actu distincta, scilicet datur longitudo, non tamen à latitudine distincta.

Contra, saltim habemus, quòd lumen in corpore opaco est aliquod latum non profundum, quia subiectum ipsius est subiectum quatenus latum, non vt profundum, ergo dabitur aliqua entitas, quæ indiuisibilis erit secundum profunditatem, hoc enim lumen non est idem cum lumine in aere, quia hoc, & illud sunt in subiectis realiter distinctis, ergo inter se realiter distinguuntur; quod lumen potest à Deo separatum à corpore opaco conseruari (modo enim nomine continui, vt diximus, quacunq. entitatem ex partibus integrantibus compositam intelligimus.) Tum quia admittitur indiuisibile terminatiuum ex parte subiecti, quia datur in subiecto aliqua entitas luminosa, & aliqua non luminosa, scilicet latitudo, & profunditas opaci corporis, quæ vel sunt entitates realiter distinctæ, & sic habetur intentum, vel non; ergo idem esset, & non esset luminosum, & sic contradictio. Si dicas, non esse respectu eiusdem, sed diuersorum. Contra, ista duo diuersa vel dicunt entitates diuersas, physicas, & sic realiter distinguuntur, vel metaphysicas, & si dicent vnam entitatem physicam, licet diuersas formalitates, at corpus est subiectum accidentis materialis, & corporalis secundum physicam, & non metaphysicam entitatem, huius enim non est sustentare accidentia, sed illius, ergo respectu respectu eiusdem esset luminosum, & luminosum; facit etiam contra hoc tertia ratio principalis pro Conclusione.

Resp. aliter Auersa, cui fauent Amic. tract. 15. qu. 10. art. 6. & Hurt. cit. lumen non recipi solummodo in superficie, sed in parte aliqua determinata, vel indetermicata, & profunda differentia autem diaphani, & opaci est, quod illud totum illuminatur, hoc verò secundum modicam sui partem, vt patet experientia, vna enim subtilis pagina transmittit lumen, non totus liber; & dum ex lignis, lapidibus, vt metallis subtilissima quædam folia conficiuntur, hæc peruia sunt lumini. Sed contra, ista pars determinata, vel indeterminata, quæ subiectum est luminis, est eiusdem omninò rationis cum alijs partibus, cum sit totum homogeneum, ergo si vna est capax luminis; altera etiam erit talis, deberet enim assignari disparitatis ratio: exempla etiam nihil concludunt, nam hoc prouenit, non quia lumen in profunditate recipiatur opaci, sed quia propter subtilitatem aliqui pori interponuntur, per quos transit lumen, vt etiam Amicus concedit, pori autem non sunt profunditas corporis, sed potius cauitates in funditate aere repletæ; vnde si responsio esset vera, non in poris, sed in ipsa profunditate deberet recipi lumen, at contra Hurtad. infra in rationibus mathematicis fusius arguemus.

42 Tertiò Prob. præcipuè dari indiuisibilia continuatiua. Continuum ex 5. Physic. 26. est, cuius partes ad aliquem communem terminum copulantur, contigua verò, quorum partes non copulantur communi termino, sed sunt simul, & iuxta positæ, quæ definitiones non solum sunt ab Aristot. traditæ secundum famosam opinionem admittentem indiuisibilia, vt asserunt Greg. & Conimbr. sed in se sunt veræ, quia ad hoc, vt aliquod dicatur continuum, debet habere partes copulatas, & vnitas vnione continuationis, est enim vnum per se tali vnione, vbi contigua sunt vnum aggregatum, per accidens,

dens, quæ vnio est quid à partibus distinctum, quia partes possunt esse absque ista vnione, sed non potest esse ista vnio partium, nisi terminum aliquem habeant indiuisibilem, cui copulentur, ergo &c. Minor Prob. quia non poterit attendi vnitas continuationis, eo quia continuum est eiusdem rationis, contigua verò habent aliquam diuersitatem, vt ait Fons. Quia etiam in entibus eiusdem rationis potest continuitas, & contiguitas reperiri, vt in lapidibus, &c. Neque eo, quod partes seipsis vniantur per negationem extremorum, vbi prius terminatæ erant in extremitatibus per indiuisibilia terminatiua, vt videntur velle Conmibr. Quia negatio, vel vlterioris extensionis, vel extremitatis vtrique parti conuenit, sicut quælibet poterat esse ex se terminata, ergo non vna, sed duplex negatio ibi reperiretur, & sic continuæ ille partes non erunt. Tum quia indiuisibile terminatiuum arguit continuatiuum, ergo vel vtrumque debet admitti, vel vtrumque negari, Anteced. probatur; si aliquod medium continuum tantum secundum partem calefieret, calor ille haberet suum indiuisibile terminatiuum, saltim extensiuum, & tamen non subiectaretur in superficie terminante medium, quia supponimus, partem aliquam, non totum medium alterari; neque potest esse in aliqua medij parte diuisibili, quia non est subiectum proportionatum, ergo erit in superficie medij continuatiua. Quod verò terminus iste communis sit indiuisibilis, patet, quia aliter deberet habere alium terminum suarum partium copulatiuum.

Auersa concedit, definitionem illam ab Arist. traditam esse secundum famosam opinionem de indiuisibilibus, sed inquit, reduci posse ad bonum sensum, itaut continua dicantur illa, quorum partes sunt inter se vnitæ peculiari modo vnionis integralis, contigua verò solummodo partes habent iuxta se positas, & loco propinquas, non vnitas; & explicans infra modum istum vnionis, ait, quod est quædam entitas absoluta diuisibilis per totum continuum diffusa, qua pars v.g. media vnitur tam cum parte antecedenti, quàm cum sequenti, tum per vnionem, quam habet in se cum illa parte; tum per vnionem illius partis ad se; quæ vnio in toto continuo subiectatur, vt ad quamuis diuisionem ipsius diuidatur entitas illius vnionis, aliter deberet dari alia vnio, qua partes istæ vniantur, sed totaliter deperdatur, quæ prius erat, & alia de nouo fiat in vna, & alia in alia continui parte, quæ remanent diuisæ. Hanc tamen vnionem tantummodo ponit in continuis permanentibus, sed successiua, ait, continuari per ipsorum existentias absque media vnione, non enim potest intelligi (inquit ipse) talis vnio in partibus præteritis ad futuras, & in futuris ad præteritas.

43 Sed contra istam respons. arguitur; tum quia sequeretur, quod si aliquis è mari guttam aquæ separaret, totam maris vnionem destrueret, quod est falsum præcipuè ex distantia, & improportione agentis ad passum. Tum quia si modus iste est extensus, ergo partes habet realiter distinctas, quæ ab inuicem possent separari, cum non videatur essentialis dependentia vnius ab alia. Tum quia Oceani Mare non fuit secundum partem diuisum ex eo, quod gutta è Mediterranea fuit extracta, ergo non amisit propriam continuitatem, quam prius habebat, Probatur conseq. quia continuitas per diuisionem deperditur. Tum quia anima petit corpus continuum, licèt hæterogeneum informare, itaut si partes principales corporis per instans solummodo discontinuarentur, statim cessaret informare, & homo moreretur, ergo si quando ab homine abscinditur digitus, tota corporis continuitas dissolueretur, cessaret etiam vnio animæ ad corpus. Neque dicas, denuo reuniri partes corporis inter se per nouam vnionem; Quia parum hoc refert, cùm isti nouæ reunitioni dissolutio præcedentis vnionis præcesserit, immo si successiuè fit diuisio, semper successiuè noua, & noua vnio fieret partium, ad informationem autem præsupponitur continuitas corporis, & non sufficit, vt concomitetur. Tandem quia deberet vnionem istam admittere in continuo successiuo vel negare illam in permanenti, quia secundum Aristot. 6. Physic. 4. & 17. eiusdem rationis sunt quoad continuitatem, & diuisionem magnitudo, tempus, & motus, vnde si partes motus possunt per propriam existentiam vniri ad inuicem, multò magis partes permanentes, quæ minus variabiles sunt. Si dicas, hoc esse, quia permanens potest diuidi in partes, quæ adhuc existerent, ideoque dicere debemus aliquid amittere, scilicet vnionem, at successiuum, si interrumpitur, non remanet, sed totaliter deperditur. Contra, quòd partes permaneant in diuisione, vel fluant, nihil facit ad rationem continui, quæ communis est ad successiuum, & permanens, ergo quod dicit de sua ratione formali in vno, debet dicere in alio, sic enim se habent omnia genera respectu suarum specierum; immo contiguum se haberet, vt continuum successiuum, Tum quia est petitio principij, hoc enim quæritur, cur partes illæ, quæ fluunt, seipsis possunt vniri, & continuari, non verò partes permanentes; præscindimus enim à diuisione.

44 Quartò potest idem probari quibusdam Mathematicis rationibus, quas tangit Scot. cit. lit. T. si corpus perfectè sphæricum tangeret perfectè planum, non nisi in puncto illud tangeret, ergo, &c. Antecedens præterquamquòd est Aristot. 1. de Anim. 13. probatur, quia si tangeret in aliquo diuisibili, sequeretur, quòd esset in corpore sphærico aliquod planum, sed hoc est falsum, ergo &c. Sequela prob. quando corpora diuisibiliter se tangunt, adæquantur in eo, secundum quod fit contactus, sed planum nequit adæquari nisi plano, ergo &c. Tum quia totum illud sphæricum esset aliquod planum, & tota illa circumferentia circuli esset vna linea recta, quia illa pars circuli, secundum quam primò est contactus, totam tangeret plani partem, quæ vtique est recta, & per consequens tota coaptatur illi, & extrema eius tangunt extrema recti, & medium eius, medium recti, & per consequens ipsa est recta; cum autem rectum illud secundum illam eandem partem possit successiuè tangere totum circulum, sequitur, quòd tota circumferentia circuli sit ex rectis lineis præcisè composita, & totum corpus sphæricum ex corporibus planis. Et tandem si in parte diuisibili tangeret, non esset perfectè sphæricum, quia illud tale dicitur, à cuius centro omnes lineæ rectæ ad circumferentiam ductæ sunt æquales, si verò ducerentur tres lineæ à centro circuli ad duas extremitates, & ad medium illius partis, secundum quam fit contactus, longiores essent lineæ ductæ ad extremitates, quàm ad medium, vt patet, ergo &c. Simile argumentum huic fit de columna perfectè rotunda, quam cylindrum vocant, quæ cadens super planum, tangeret in linea propter eandem rationem; & de cubo, seu perfectè quadrato, nam si per angulum tangat perfectè planum, tanget in linea, & de duobus planis, & solidis, quæ tantum in aliquo indiuisibili secundum profunditatem, scilicet in superficie se tangunt.

Respond. multipliciter huic rationi Aduersarij, quas omnes responsiones tangit Ocham quol. 1. quæst. 9. Aliqui enim, vt Buccafer. 1. de Gen. text. 10. & Arefius cit. sect. 7. negant, dari posse corpus perfectè sphæricum Mathematicè, sed solum Physicè, & secundum apparentiam propter minimam inæqualitatem, circulus enim constituitur ex partibus rectis, non in rectum connexis, sed obliquè in circulum, vnde nec lineæ ad circumferentiam ductæ propriè sunt æquales, nisi apparenter; rationem huius assignant, quia alioqui duo sequuntur absurda, primum, quòd duæ quantitates distantes inter se propter solum punctum medium, quod locum occuparet, nam pars illa lineæ in sphærico immediatè sequens punctum distat à plano, cùm illud non tangat, sed non distat, nisi per punctum, quia solum punctum inter illa mediat, ergo &c. secundum, quod punctum esset diuisibile quia circulus minor in maiori inclusus illùm tangit in puncto, & si ambo super planum ponerentur, per punctum distarent à plano, vt dictum est, & tamen maior minus distaret, quàm minor, ergo minus puncto, quapropter negari debet perfectè sphæricum; huic responsioni etiam annuit Amicus cit. articul. 7. conclusione 1.

45 Sed falsò negant talem figuram saltim de potentia Dei, & si non secundum totum corpus, saltim secundum aliquam partem; aliter sequeretur non dari sphæricum, nec etiam physicè. Prob. partes rectæ quando obliquè in circulum flectuntur, vel faciunt angulum, vel perfectè circulariter flectuntur: si secundum, ergo non constat sphæricum ex omnibus partibus rectis, sed aliquam perfectè circularem habet, quod sufficit ad argumentum, quia hæc non nisi in puncto tanget, aliter non esset perfectè sphærica: si primum, vel angulus ille est indiuisibilis scilicet vt punctum, vel lineam dicat, & habetur intentum, vel diuisibilis, itaut planitiem habeat; sed hoc est contra rationem anguli, & potius partes illæ essent in rectum connexæ, quàm in obliquum, ergo &c. Ad illa absurda dicimus, falsum esse, sphæricum, & planum per punctum distare, immo per punctum sunt simul, cùm se tangant, sed distant per spatium interiectum, quia statim post punctum linea circularis incipit per inflexionem à plano recedere, & distare.

Dices cum Amico cit. non magis distat à plano linea circularis sequens punctum, quàm illa, quæ rectè, & perpendiculariter tendit ad centrum, sed hæc non distat nisi per punctum, quia inter illam, & planum non est nisi spatium à puncto occupatum, ergo &c. Maior prob. quò magis lineæ circulares à plano recedentes accedunt ad perpendicularem tendentem in centrum, magis distant à plano, quia maiorem angulum acutum faciunt cum plano, vnde perpendicularis maximè distat, quia facit angulum rectum. Sed debebat Amicus probare minorem, falsum enim est, perpendicularem per punctum distare à plano, immo per punctum est simul cum plana superficie, quo ipsam intersecat, distat verò per partem immediatè sequentem punctum; sicut quando duo corpora se tangunt, non distant per superficies, sed per partes immediatè sequentes ipsas superficies, quibus vnum corpus est extra aliud.

49 Alij verò, inter quos est Auersa admittentes globum, negant tangere planum, sed aiunt debere aliquantisper distare, & hoc propter improportionem istorum corporum, nam sphæricum, cùm sit incommensurabile cum plano secundum omnes partes, debet à plano distare, quamuis hæc distantia non esset ex natura rei determinata, sed à Deo determinaretur, & maior, vel minor posset esse. Vel si deberent se tangere, fieret iste contactus per penetrationem modicæ partis vtriusque corporis, idem dicit de cylindro; ad id verò de perfectis planis respondet in fine sectio. 5. contactum fieri per immediatam iuxtà positionem vnius profunditatis cum alia absque penetratione, quomodo etiam in loco aduenit, non tamen sequitur, dari superficiem terminantem; quod aliqui dicunt etiam de globo, scilicet planum, & globum esse summè approximata, vt nihil mediet inter illa tota categorematicè sumpta, quamuis sincategorematicè, & secundum quamlibet partem mediet aer, & retorquent contra nos argumentum propter

pter tactum indiuisibilis cum diuisibili parte sequente; quod ar. 5. adducemus.

Sed hæc responsio multa continet falsa; quod enim primò dicit de illa distantia, est voluntariè dictum, graue enim naturaliter tendit deorsum, si non est impeditum; & naturaliter vincit medium, illud diuidit, & frangit, vel secum defert, modo aer ille intermedius non est tantæ actiuitatis, vt patet, cùm sit ejusdem rationis cum alio à globo diuiso, ergo non potest impedire descensum, neque planum, quia ad hoc requiritur contactus, nam expulsio vnius quantitatis ab alia fit per contactum, immo sequeretur, planum leue, vt est papyrus, posset impedire motum deorsum plumbeo globo. Tum quia si aer destrueretur intermedius, posset globus ille distantiam mediam superare, & vsque ad planum peruenire: tandem posset iste contactus fieri à Deo. Secundum quod asserit de penetratione, est falsum, quia naturaliter implicat penetratio, & si illa corpora secundum aliquas partes possent penetrari, cùm sint eiusdem rationis, naturaliter se penetrarent secundum omnes partes. Tertium, quod de duobus planis adiungit, coincidit cum responsione Greg. ad 2. Scoti rationem, quam respons. ipse reijcit, & eodem modo potest confutari, vt patet; Tandem contra immediationem globi est, quod responsio illa admittit tactum in puncto; etenim si inter illa tota categorematicè sumpta nihil mediat, ergo se tangunt, sed non secundum partes quia partes omnes sunt incommensurabiles, ergo secundum aliquod punctum, aliter si neque per punctum se tangerent, inter illa mediaret aer, sicut inter quaslibet partes, maximè quia tactus fit propter indistantiam duorum corporum, & sic immediata non essent.

47 Alij concedunt, globum tangere planum, negant verò, ipsum tangere in puncto, sed in parte diuisibili, indeterminata, quia scilicet non potest signari pars tam parua, in qua tangit, quin alia minor in infinitum assignari possit, secundùm quam tangat, quod est tangere indiuisibiliter in parte diuisibili, Hanc respons. dat etiam Hurtad. qui licèt nobiscum teneat indiuisibilia, asserit tamen hoc argumentum nihil concludere, quia non solum sphæricum tangit planum in puncto, sed etiam in parte proportionali propter rationem art. 5. adducendam; addit tamen, ex hoc non sequi, sphæticum adæquari plano, nec aliquam corporum penetrationem, quia ad vtrumque requiritur pars determinata; planum enim est, quod habet certam magnitudinem extensam æqualiter, penetratio autem est duorum contactus secundum se tota; quadoctrina vtitur etiam in successiuis; ait enim §. 80. quod quando datur instans, datur etiam aliqua pars temporis existens, non tamen determinata, sed indeterminata; nec ex hoc sequitur, patrem istam esse permanentem quia ad hoc requiritur, vt sit determinata pars. Hanc quoque respons. amplectitur Fuentes 6. Physic. quæst. 1. diff. 1. articul. 2. eò inquit ipse, secundum Scot. potest indiuisibile successiuè moueri, quomodo necessariò correspondere debet partibus indeterminatis, & minimis spatij.

Contra istam respons. multipliciter instatur; Primò quòd iste contactus, si hoc modo fieret, necessariò esset secundum partem determinatam, sint duo plana se tangentia, potest Angelus stylo paruissimo vnum planum percurrere vique ad extremum, quo alterum tangit, tunc vel antequam perueniat ad superficiem terminantem, tanget aliquid alterius plani, vel non; si secundum, ergo totum planum est extra illud, necerit in aliqua parte etiam indeterminata penetratum; si primum, ergo dabitur prima pars, quæ simul est cum altera, quia potest cognoscere, vbinam sit superficies alterius plani, & quando primò plam tangit, ergo cognoscit quantum restat illius plani accipiendum, & consequenter non erit indeterminata pars, sed determinata, saltim extrinsece. Tum quia magis patet in lumine, quia concedit etiam lumen penetrare corpus opacum secundum aliquam indeterminatam partem; nam indiuisibile terminatiuum luminis non potest recipi in aliquo diuisibili corporis, sed indiuisibili; quia forma in subiecto extenso necessario, vel est tota in toto, & pars in parte, si est diuisibilis, vel tota in toto, & tota in qualibet parte, si est indiuisibilis, vt anima rationalis, quæ virtualiter diuisibilis est, quod nequit superficiei conuenire, ergo pars corporis lumen recipiens, cùm istud lumen proprium etiam habeat indiuisibile, erit determinata, duobus enim clauditur extremis, scilicet indiuisibili terminatiuo ipsius ex vna parte, & indiuisibili continuatiuo, quod subiectum indiuisibilis terminatiui luminis ponitur ex alia.

48 Deinde Probatur, quòd neque in parte indeterminata posset tangere; quia pars ista est quædam dimensio, ergo si duæ dimensiones indeterminatæ sunt simul, erunt etiam penetratæ, quod est falsum, quia penetratio repugnat naturaliter partibus, non ex determinatione, vel indeterminatione ipsarum, sed ex formali ratione dimensionis, ergo cùm dimensio formaliter de vtraque parte dicatur, nulla pars simul cum altera potest esse. Tum quia si mille partes palmares diuisæ perfectè, per contactum vnirentur, non efficerent longitudinem mille palmorum, & quia bis mille partes indeterminatæ efficiunt aliquam extensionem, quæ dependeretur propter simultatem illarum partium simul existentium. Tum quia nullum continuum esset extensum, nam si partes indeterminatæ simul cum puncto sunt, non faciunt extensionem, aliter punctum extensum esset, & consequenter nec aliæ partes istis continuæ, quia inter ipsas mediat punctum, sic simul essent, & idem de alijs dicendum. Tum quia locus nunquam esset æqualis locato, quia corpus continens tangeret contentum etiam secundum partem indeterminatam, & sic propter istam partem maior est locus, quamuis excessu indeterminato.

Tandem in successiuis hoc est absurdius, nam tunc pars aliqua indeterminata temporis duraret per instans, & instans per tempus, Tum quia diuisibilis esset in alias partes, quæ simul essent, ergo permanentes essent, nam indeterminatio non officit, quia sicut pars indeterminata continui permanentis permanens dicitur, & si indeterminata, non ob aliud, nisi quia partes, ex quibus constat, sunt simul, sic idem esset dicendum de parte successiua indeterminata. Tum quia continua esset, ergo haberet alia instantia, quibus partes illæ continuarentur, & sic in vno instanti essent infinita instantia. Tum tandem quia instans est continuatiuum partis prioris, & posterioris temporis, quæ tunc non sunt, ergo si cum instanti esset pars aliqua temporis indeterminata, se tota esset cum illis partibus continuata, sicut instans, aliter si per partes continuarentur, non solùm instans mediaret, verùm etiam tempus, cui instans coexisteret, quæ omnia sunt falsa. Contra Fuentes est ipse Scot. cit. apertè dicens, sphæram in puncto tangere planum; licèt in motu postea lineam describat, tamen semper punctum sphæræ est, quod describit, non pars aliqua sphæræ indeterminata; aliter non probaret Scot. ex hoc, indiuisibile posse successiuè moueri; immo lit. Y. ait, dum moueatur, in quolibet instanti illius temporis esse in spatio indiuisibili, & sibi æquali.

49 Fons. ait, in casu punctum reduci ad actum per solam intellectus designationem; vel contactum fieri in puncto solùm eminenter, non formaliter in plano existente; at Conimbr. aiunt, hunc contactum non esse positiuum, sed negatiuum, quatenus fit per punctum ab intellectu designatum, quod nil aliud dicet, nisi negationem vlterioris extensionis. Sed contra, quia neque contactus duorum corporum arguet superficies terminatiuas, quod est contra ipsos. Tum quia tactus præsupponit, non efficit tangibilia. Tum quia realiter tanguntur, & actualiter, ergo per aliquid reale actuale, & non per aliquid factum à ratione, vel eminenter contentum. Tum quia si non distant, hoc vel est per aliquid, vel per nihil; si primum, ergo positiuè non distant; si secundum, ergo per nihil non distant, quod est falsum, quia sequeretur, quod distarent, duæ enim negationes affirmant.

Quintò. Tandem principaliter Prob. indiuisibilia realiter à partibus distingui, quod etiam allatis rationibus est demonstratum; Tum quia partes sine indiuisibilibus remanent, vt in diuisione. Tum quia essent realiter identificata cum rebus realiter distinctis vt sunt illæ partes quas copulant quod soli essentiæ diuinæ conuenit. Videatur de hac re Faber 5. Metaph. disputat. 14. sed non multum quis fidat solutionibus argumentorum, quia ibi grauia absurda concedit, scilicet quod linea constet ex solis punctis, quod punctum sit immediatum puncto, &c. nos autem tutius respondebimus infrà.

ARTICVLVS III.

Astruitur compositio continui ex partibus, & indiuisibilibus.

50 PArtes continui aliæ sunt proportionales, aliæ æquales, seu vt alij dicunt, aliæ sunt eiusdem proportionis, aliæ eiusdem quantitatis; proportionales sunt, quæ inter se sic se habent, quòd licèt sint inæquales, semper tamen seruant inter se aliquam proportionem duplam, vel subduplam, & sic deinceps, vt si diuidatur vna linea in duas medietates, & iterum vna medietas in alias medietates, tunc proceditur per partes eiusdem proportionis, & partes primæ diuisionis habent proportionem duplam respectu partium secundæ diuisionis, & sic deinceps. Partes æquales sunt, quarum vna non excedit aliam, & ideo dicuntur eiusdem quantitatis, & hæ sunt duplices, quædam determinatæ, quædam indeterminatæ: pars æqualis determinata dicitur illa, quæ est vnius certæ, ac determinatæ mensuræ, tales sunt duo semipalmi in palmo, & octo palmi in vlna; pars æqualis indeterminata dicitur, quæ non est vnius certæ, ac determinatæ mensuræ, sed indeterminatè talis est pro varia partium diuisione, partes enim primæ diuisionis quantitatis bipalmaris essent æquales secundum quantitatem palmarem, & partes secundæ diuisionis æquales essent secundum semipalmarem; & sic deinceps; sed partes æquales determinatæ adhuc sunt duplices, aliæ communicantes, & aliæ non communicantes: illæ sunt, quarum vna aliquid accipit alterius, & ideò dicuntur communicantes, istæ verò sunt, quarum vna nihil accipit de alia, & ideo dicuntur non communicantes, sic in quantitate bipalmari assignantur duo palmi non communicantes, nempè vnus, & alter palmus extra se inuicem, sed assignari possunt tres communicantes, quia designari potest palmus medius ex dimidio primi, & secundi palmi constans. Hinc duplex oritur difficultas, vna de existentia, & distictione harum partium in continuo præsertim proportionalium, multi enim ad euitandam quæstionem de numero, & multitudine earum, negarunt dari tales partes actu distinctas in continuo, dicentes, dari tantum, & distingui in potentia, quatenus possunt omnes huiusmodi partes in continuo assignari per mentis designationem, & etiam à continuo realiter extrahi per diuisionem, & ita pariter loquuntur de indiuisibilibus, quare concludunt, continuum esse entitatem quandam simplicem extensam sine vlla partium actuali compositione, & distinctione, ita quamplures ex Interpretibus Arist. Themist. 2. Phys. 19. & 8. Phys. 68. vbi Diuus Tho. Simpl. Auerr. & Alex. 5. Met. 2. Niphus 5. Met. c. 31. Durand. 2. dist. 1. qu. 3. Fons. 5. Met. c. 13. q. 6. sect. 4. & alij.

51 Altera difficultas est de numero, & multitudine partium continui, quæ licèt præcipuè vrgeat admittentes eas actu distinctas in continuo, tamen non totaliter euitatur à negantibus talem partium distinctionem, cùm enim etiam apud eos non sit continuum entitas simplicissima, sicut Angelus, vel punctum, consequenter debent & ipsi in aliquo sensu admittere in continuo partium multitudinem, de qua quæri poterit, qualis, & quanta sit; & cùm duplex sit multitudo, alia finita, alia infinita, & hæc iterum duplex, alia actu infinita, & categorematicè, quæ nimirum intrinsecè attingi numerum infinitum infinitè distantem à numero finito, alia infinita potentia, & sincategorematicè, quæ caret vtique termino, nec certo numero concluditur, sed non proinde attingit intrinsecè numerum infinitum, vnde hæc multitudo consetur veluti media inter multitudinem actu finitam, & actu infinitam, & ideò dici solet multitudo finita in infinitum, & per hoc explicari, quòd eius partes non sint tot, quin adhuc sint, vel esse possint plures, de quò fusiùs infrà; hinc dubitatur, an partes continui sint numero finitæ, nec ne, & si sunt infinitæ, an earum infinitas sit primi, vel secundi generis.

Et vt in hac re, concessa à controuersis, & certa ab incertis secernamus, concedunt omnes, partes non communicantes æquales vni certæ esse finitas, & certo numero conclusas, vt in vlna sunt octo palmi, in die horæ vintiquatuor, & in milliario passus mille, & istæ sunt partes illæ, quæ dici solent aliquotæ, quia aliquoties sumptæ reddunt ipsum totum, & de quibus Arist. 3. Phys. 59. ait, continuum per ablationem talium partium tandem consumi, & planè si partes istæ æquales vni certæ, & non communicantes infinitæ ponantur vno, vel altero modo, quantumcunque sint exiles, & paruæ, molem constituerent infinitam, nam pars determinata quantumuis modica infinities replicata infinitum actu constituit, si non communicat cum alia; concedunt item omnes è contrà partes proportionales non esse finitas, & certo numero conclusas, nam assignato vno certo numero, quæritur, num illæ partes sint diuisibiles, vel indiuisibiles, non secundum, quia tunc continuum ex indiuisibilibus componeretur, ergo primum, atque ita nunquam poterit assignari numerus certus istarum partium in continuo, quantumuis, paruo, nec indiuisibilium eas continuantium; idem etiam concedunt de partibus æqualibus indeterminatis, eadem est ratio de istis, & proportionalibus, tum quia sunt communicantes cum illis, ex quarum diuisione procedunt; tum quia si fiat diuisio secundum istas proceditur in infinitum versùs minoritatem, quod manifestum erit, si fingamus aliquam lineam in duas medietates æquales diuidi, & vnam medietatem alteri super positam rursus diuidi, & sic deinceps, ex ista enim superpositione & diuisione semper orientur partes æquales, sed sèper minores, & minores in infinitum communicantes cum maioribus. Demum id etiam concedunt de partibus æqualibus determinatis, & communicantibus, si enim accipiatur quantitas bipalmaris, poterunt ni ea assignari infiniti palmi communicantes, si enim primò diuidatur in duos palmos, & secundò sumatur semipalmus ex vno, & semipalmus ex altero palmo, habebimus tertium palmum communicantem, & si rursus assumatur semipalmus remanens ex vno, & alter remanens ex altero, habebimus quartum palmum communicantem, & sic deinceps potest in infinitum protrahi hæc distributio, & communicatio palmorum quo plus, vel minus de vno, vel alio palmo vsurpetur in communicatione, sic intelligitur Arist. dum ait 5. Phys. mobile in quolibet instanti esse in spatio sibi æquali, sumit enim spatium sequens, vt communicat cum præcedenti.

52 Difficultas igitur est de istis partibus continui, per quas diuidendo proceditur in infinitum, an sint infinitæ categorematicè, & simpliciter, vel sincategorematicè solùm, & secundum quid, idest finitæ in infinitum; esse actu infinitas, & categorematicè docuerunt Nominales omnes Greg. 2. d. 2. qu. 2. concl. 2. & 1. d. 46. qu. 5. art. 2. ad 2. Maior. 1. d. 18. q. 2. art. 2. Burlæus 6. Phys. tex. 68. dub. 3. & sequuntur multi ex Recentioribus, Conimbr. 3. Phys. cap. 8. q. 1. Ruuius 6. Phys. tract. de Continuo, Morisan. disp. vlt. Phys. q. 4. & idem videtur asserere Suar. disp. 40. Met. sect. 5. licèt infinitatem istam vocet non finitatem simpliciter sed secundum quid, eò quia non est entium per se existentium, & sequitur ex nostris Fuentes 6. Phys. qu. 1. & licèt de partibus non satis se explicet de indiuisibilibus tamen expressè habet diff. 1. art. 3. ad 5. esse infinita in actu simpliciter, Lichet. in 2. d. 2. q. 9. & Vulpes tom. 1. p. 1. disput. 27. art. 7. & Nominales addunt, posse per Dei potentiam diuidi totum continuum in omnes istas infinitas partes, ita quòd dentur actu infinitæ partes separatæ, & infinitæ diuisiones. Sed esse tantum sincategorematicè infinitas docuit Aureol. quem refert, & sequitur ex professo Canon. 3. Phys. qu. 3. & 6. Phys. q. 1. & Tatar. 3. Phys. qu. de Infinit. Not. 2. Ioan. de Magist. 6. Phys. qu. 1. Parisienses ibid. Gabriel 2. d. 1. q. 3. & hæc sententia modò communis est, & plausibilis, inter Recentiores, eam tenet Auersa q. 22. sect. 8. Hurt. disp. 15. Phys. sect. 6. Amicus tract. 15. qu. 8. conclus. 5. Tolet. 6. Phys. ad primum dub. post. quæst. 1. & alij passim; Sed pro resolutione vtriusque difficultatis.

Dicimus 1. in continuo verè, & realiter dari partes tum æquales, tum proportionales actu ab inuicem realiter distinctas: Concl. hæc est communis apud Recentiores, & veteres, exceptis quibusdam Arist. Expositoribus, qui sensum Philosophi non intelligentes, vel intelligere nolentes, dum pluries dixit, esse partes in continuo potentia, non actu, obstinatè contendunt, & faciunt continuum potius simplicem entitatem, vt est Angelus, quàm ex partibus integrantibus compositam; eam tenuit Scot. in 2. d. 1. quæst. 3. & d. 1. q. 3. & d. 2. qu. 9. vbi ponit partes, & indiuisibilia actu in continuo, & 4. d. 12. q. 4. §. *De quarta transmutatione, &c.* vbi docet, partes esse actu distinctas in continuo, & explicat, in quo sensu dicantur esse in potentia, *quia scilicet secundum entitatem positiuam erant in toto, & postea extra totum, sed in toto habuerunt continuationem quæ prohibuit illam actualitatem includentem præcisionem, extra totum autem habent eam*. Et Prob. primò author. Concil. Trid. sess. 13. cap. 3. vbi ait, quòd *totus, & integer Christus sub panis specie, & sub quauis ipsius speciei parte, totus itè sub vini speciei, & sub eius partibus existit*, ergo sicut Christus actu existit sub specierum partibus, ita quoque actu existunt partes earum, idem docuit Arist. in Prædicamento quanti, vbi de ratione quantitatis in communi ponit esse, quòd habeat plures partes, & continuam à discreta distinguit, non quia hæc habeat partes actu distinctas, & illa non, sed quia partes quantitatis continuæ copulantur termino communi, non verò partes discretæ; idem docuit 1. Phys. 17. vbi manifestè supponit, continuum habere multitudinem partium, & quod pars in toto continuo non est idem cum toto, & 4. Phys. 23. numerat inter modos essendi in actu illum, quo pars est in toto, & 5. Met. tex. 18. definit quantum continuum, quod *sit diuisibile in ea, quæ in sunt*, quod vtique intelligi debet de actuali inexistentia, sicut materiam definiens 1. Phys. dixit esse primum subiectum, ex quo fit aliquid, cùm insit, tum quia ita se habet in ratione componendi actualiter pars integralis ad totum integrale, sicut essentialis ad essentiale, tum quia sicut totum essentiale physicum resoluitur in materiam, & formam quia actu constat ex illis, ita integrale; ideò est diuisibile in partes integrales, quia actu ex eis integratur, nullum enim totum diuidi potest in partes, quas actu non habet; tum denique quia particula illa *quæ in sunt*, vt notant Scot. & D. Thom. in eum textum ponitur ad differentiam mixtorum, quæ componuntur ex elementis in illis virtualiter existentibus. Demum Probatur auct. D. Augustini 2. de lib. arb. cap. 15. vbi ait, *quicquid corporis sensu attingitur, iam non est vnum, sed multa esse conuincitur, corpus enim est, igitur habet innumerabiles partes*.

53 Deinde Prob. ratione; Tum quia de ratione quantitatis est, vt faciat partem extra partem, & de ratione continui, vt partes eius copulentur termino communi. Tum quia si partes producerentur, dum actu diuiditur continuum, tunc agens naturale diuidendo materiam crearet eius partes. Tum quia non possunt naturaliter contraria recipi in eodem subiecto, nec eadem res esse simul, & semel in pluribus locis, sed quantitas palmaris potest esse simul alba, & nigra, ergo non nisi secundum diuersas partes; Cœlum occupat Oriens, & Occidens, ergo non nisi per diuersas partes.

Respond. aliqui, hæc argumenta demonstrare solùm, continuum non esse simplicem entitatem, sed plures, sed quia sunt vnitæ, & totum continuum dicitur vnum, ideò non probant, tales entitates, vt in continuo existentes esse actu distinctas. Contrà. Tum quia si sunt plures entitates in continuo in actu, ergo sunt actu distinctæ, quia distincto fundatur super multitudinem entitatum, sicut identitas super vnitatem 5. Met. tex. 20. Tum quia argumenta allata non solùm probant pluralitatem actualem entitatum in continuo, sed etiam distinctionem, nam qualitates contrariæ, & diuersæ præsentiæ locales naturaliter arguunt distincta subiecta; Tum quia potest à Sacerdote consecrari sola medietas hostiæ, & tunc Christus non diceretur esse sub alia; potest in vino consecrato infundi aliud non consecratum, & tunc sub isto non esset sanguis Christi, sed tantum sub illo, quæ omnia inferunt actualem distinctionem.

Resp. Fons. 2. Met. cap. 2. q. 1. sect. 8. partes quantitatis, dum sunt in continuo, non solùm esse plures, sed etiam distingui inter se realiter, non quidem in actu, sed in potentiam tantum, quatenus possunt separari. Contrà, tum quia argumenta allata concludunt actualem distinctionem; tamen quia potentialis separatio supponit actualem distinctionem in rebus, quæ separari possunt, vt patet de partibus physicis, quæ ideò separari possunt, quia sunt actu realiter distinctæ; tum tandem quia, vt aliqua dicantur realiter distincta, non est necesse, vt sint actu separata, sed sufficit, vt separari possint.

54 Respondent alij, concedendo, partes actu distingui, etiam dum sunt in continuo, non tamen realiter, sed per designationem intellectus ex eo, quòd distinguimus, & assignamus vnam partem ab alia diuersam. Contrà, tum quia argumenta allata concludunt distinctionem realem actualem præter quodcunque opus intellectus, nam antequamcunq; designationē vna pars est separabilis ab altera, & diuersis, atque

atque contrarijs possunt accidentibus subiacere, tum quia quantitatem palmarem ex duobus constare semipalmis non est quid ab intellectu fictum, sed ita est à parte rei; tum tandem hoc totum manifestum est in continuo successiuo, cujus partes sunt in continuo fluxu, & cum vna existit, altera est corrupta, ergo vna pars actu ab altera distinguitur.

Respondent alij, duplicem esse vnitatem, altera est, quæ negat distinctionem intrinsecam fundatam in negatione termini intrinseci, qui est hæcceitas cuiuscunque rei, altera, quæ negat distinctionem extrinsecam fundatam in negatione termini extrinseci, & hæc est vnitas, & identitas, quæ reperitur inter partes continui, vnde Arist. 5. Met. tex. 11. docet partes continui esse vnum, quatenus non habent diuisionem, itaque argumenta concludunt distinctionem actualem primi generis in continuo, non autem secundi generis. Contrà, tum quia ex vnione partium in toto non benè colligitur identitas illarum, vt patet de partibus physicis, vnio namque, sicut non destruit rationes formales extremorum, ita non destruit eorum distinctionem, & vnio excludit separationem, non distinctionem; tum quia aliud est vnitas, aliud identitas, & ex eo, quod continuum sit vnum quid, non rectè infertur, partes eius esse idem inter se sicut etiam constat de toto physico; tum quia hæc eadem vnitas continuationis orta ex negatione termini extrinseci, necessariò supponit plura, inter quæ sit continuatio, vt docet Philos. 5. Met. tex. 8. nam continuatio non eiusdem rei ad se ipsam; tum tandem quia hæc responsio concedit, quod prætendimus, distinctionem nimirum entitatiuam, actualem inter partes continui, ortam ex termino intrinseco illarum, idest ex hæcceitatibus singularum, quæ semper eædem manent tam post diuisionem, quàm antea, per diuisionem enim non acquiritur noua hæcceitas, & terminus intrinsecus, & entitatiuus, sed solùm nouus quantitatiuus, & noua denominatio totius.

55 Resp. alij, quòd licèt partes continui singulæ singulas habeant hæcceitates, tamen dici nequeunt in toto plures entitates in actu, vt sunt in toto, quia sic existunt per vnam existentiam totius, & hac ratione dicuntur vnum, & idem ens, quam solutionem approbant Complut. 3. Phys. disp. de Infin. qu. 1. Contrà, tum quia falsum est, partes non habere in toto suas partiales existentias; tum quia etiam si tales non haberent, sed existentia totius existerent, adhuc non concluditur, non esse distinctas entitates, nam in schola D. Thomæ materia, & forma existunt per existentiam totius, & tamen adhuc sunt diuersæ entitates; tum tandem quia id solum concludit, quod partes quamdiù existunt in toto, nequeant dici plura entia per modum totius, & vt hoc aliquid, vt Aristot. significat 5. Met. text. 18.

Resp. denique alij concedendo, dari in continuo has plures entitates, non tamen actu partes denominari, sed tales dici solùm post diuisionem respectu totius iam corrupti. Contrà, tum quia Arist. loc. cit. & 5. Met. tex. 30. & 31. vocat partem in toto id, in quod totum diuidi potest, tum quia pars vt pars debet componere totum, ergo tunc est actu pars, quando actu componit, & solùm pars in potentia, quando componere potest; tum quia si posse componere faceret actu partem, cùm pars diuisa possit plura tota componere successiuè, tunc esset actu pars plurium compositorum; tum tandem quia isti non ob id effugiunt difficultatem, ob quam ad negandas plures actu partes in continuo inducti sunt, difficultatem scilicet de numero illarum, an sit finitus, vel infinitus, nam de his quoque pluribus entitatibus vrgeri potest eadem difficultas, an sint finitæ, vel infinitæ.

Dicimus 2. Partes continui, tam proportionales, quàm æquales indeterminatæ, & communicantes non sunt infinitæ actu, & categorematicè, sed sincategorematicè tantum, & finitæ in infinitum. Concl. traditur in terminis à Canon. 6. Phys. q. 1. art. 2. vbi eam probat tribus rationibus, quarum prima est, quod admissa hac partium infinitate in continuo, sequitur, dari actu à parte rei infinitum in actu, si non secundum extensionem, saltim secundum multitudinem, quatenus in continuo includerentur infinitæ actu entitates. Resp. Ruuius in præsenti, & 3. Phys. q. 1. de Inf. Conimbr. ibidem, & alij quamplures negando consequentiam, nam partes istæ multitudinem actu infinitam non constituunt, quia esto sint distinctæ, non tamen sunt discretæ, & diuisæ, numerus autem, & multitudo dicit actualem discretionem, vel separationem, potius ergo dicentur omnes istæ partes vnum simpliciter, cùm vnum continuum vnitæ componant, hoc autem modo adeò diminuto admittere infinitum, nullum est inconueniens, nec infinities infinitum (ait Ruuius) quia omnes istæ partes sunt res incompletæ, ordinatæ ad constitutionem vnius rei completæ, neque hoc infinitum intendit negare Arist. sed solùm infinitum rerum separatarum, & completarum in genere discreto.

56 Sed hæc solutio friuola est, & mera fuga argumenti nam si partes in continuo non possunt dici, nec multæ, nec paucæ, cùm ibi nullam constituant multitudinem, cur ab istis appellantur infinitæ? cur quæritur ab istis, quot partes sint in continuo? nonne hæc omnia multitudinem sonant? fortè dicent, ipsos non loqui in rigore, sed accipere nomen multitudinis, prout cum pluralitate conuertitur; etiam nos loquimur in hoc sensu, & contendimus, hanc pluralitatem actu infinitam repugnare, quia demonstrationes contra infinitum tam impugnant infinitam pluralitatem partium separatarum, quàm solummodo distinctarum, cùm vim sumant ex ipsa infinitudine rerum, non autem ex earum separatione. Accedit, quòd Arist. in Prædic. quanti non distinguit discretam quantitatem à continua, quia hæc non habeat multitudinem partium actu distinctarum, & illa sic, sed supponens, multas vtranque habere partes, distinguit vnam ab alia, quia partes continuæ sunt copulatæ termino communi, non autè discretæ, ergo nomen ipsum multitudinis poterit tam amplè sumi, vt transcendat genus quantitatis discretæ, & conueniat continuæ; Cum autem Arist. dixit, numerum causari ex diuisione continui, loquebatur de numero prædicamentali, cuius partes molem important, & discretionem, non autem de transcendentali, quo numerare solemus octo gradus qualitatis, decem relationes, viginti Angelos, &c. ergo quamuis partes in continuo numerum non subeant prædicamentalem, quia non sunt ab inuicem discretæ, tamen quatenus sunt distinctæ, subiacent numero transcendenti, & rationes impugnantes actualem infinitudinem æquè procedunt contra omnem talem multitudinem, siue prædicamentalem, siue transcendentem.

Sed ne fiat lis de nomine, partes relinquamus, & loquamur de relationibus distinctionis, quas fundant ad inuicem, planè cùm istæ sint reales, & actu infinitæ, habebitur infinita relationum multitudo. Resp. Conimbr. ex Capr. relationes partium ad seinuicem, non esse reales, sed rationis, quia non sunt inter entia actu plura, idest separata inter se, & ab alijs; sed Ruuius ipse vidit sufficientiam responsionis, quia partes continui non fundant præfatas relationes solùm quando sunt separatæ, sed etiam quando sunt coniunctæ, quia etiam tunc entitas vnius non est entitas alterius, & etiam siessent relationes rationis, dummodo sint infinitæ in actu, & categorematicè, subiacent eisdem impugnationibus, quæ vim sumunt ex ipsa entium infinitudine præcisè siue sint realia, siue rationis, & ideò concedit Ruuius infinitas relationes in actu inter partes continui, sed incompletas, quemadmodum etiam natura partium incompleta est, & talem infinitatem admittere in rebus incompletis non reputat absurdum. Sed certè rationes impugnantes infinitum categorematicum pariter impugnanti infinitudinem entium incompletorum, quia infinitudo non repugnat in entibus, eò quia sint realia, vel rationis, completa, vel incompleta, separata, vel non separata, sed ratione sui ipsius præcisè, & ideò omnes allatæ responsiones corruunt.

57 Suar. disp. 40. sect. 5. num. 43. fatetur quidem, partes, & puncta esse actu infinita in continuo, subdidit tamen, hanc infinitudinem non esse vocandam infinitatem simpliciter, sed tantum secundum quid, quia talis partium multitudo non facit extensionem infinitam, neque implet infinitum spatium, sed tota hæc inter certos, ac definitos terminos continetur. Sed sic dicendo euitat solùm Suarez infinitum in magnitudine, non autem in multitudine, quod hic vrgemus, & impertinens est velle per finitatem magnitudinis euitare infinitatē multitudinis partium proportionalium, plures enim, & plures proportionales in infinitum continentur in vna certa, & determinata quo ad extensionem. Sed neque etiam euitat vniuersaliter infinitum secundùm extensionem, nam, vrgeri potest argumentum de linea tortuosa per columnam girante per innumerabiles circulos ab vna extremitate in aliam, conflatur enim ista ex pluribus, & pluribus circulis æqualis, ac determinatæ longitudinis circularis, quam tum nempè columna ipsa ambit, eruntque ifiniti in actu in sententia istorum, sicut infinitæ sunt partes proportionales columnæ, quas continuat. Nec audiendus est Suar. cum iterum dicit, hanc lineam tortuosam ex infinitis partibus æqualibus conflatam ideò non esse simpliciter infinitam, quia clauditur terminis, hæc enim duo manifestè repugnant, quòd reperiatur continuum aliquod ex partibus infinitis in actu æqualibus, & non communicantibus constitutum, & postea sit terminis conclusum, ac definitum. Nec etiam audiendus est Ruuius, cum difficultatem subterfugere studuit, dicendo hanc lineam tortuosam non esse vnam sed plures. Quia sanè talis vna linea girans infinities columnam in circuitu ab vna extremitate in aliam continuata per totum cogitari potest, & talem de facto circuire columnam tenentur fateri omnes, qui indiuisibilia continuatiua admittunt, videatur Arriag. cit. sect. 3. vbi benè hanc solutionem refutat.

58 Secunda ratio Canon. Si in quolibet continuo essent infinitæ partes in actu, sequitur, quod omnia continua essent æqualia, componerentur enim omnia ex partibus æqualibus multitudine, & magnitudine, multitudine quidem, quia tam sunt infinitæ partes proportionales in grano milij, quam in toto vniuerso, cum vtrunque sit diuisibile in infinitum; haberent etiam æquales partes in magnitudine, quia si partes vnius essent maiores, possent diuidi in partes æquales partibus alterius continui, & adhuc non essent plures illis, quia cùm partes alterius continui sint infinitæ in actu, non potest in isto assignari maior pluralitas, quia infinito nihil est maius, per quod impugnatæ manent responsiones Ruuij, & Suar. qui dicunt, vnum continuum esse maius alio, quia habet partes maioris magnitudinis, & efficaciores; quamuis enim in omni continuo admittant infinitas partes in actu proportionales, in maiori tamen plures, & maiores admittunt, quam in minori: impugnatur directè hæc responsio per argumentum Canon. Quod si dicant, quòd tales partes in vtroque continuo non essent æquales, nec inæ-

inæquales, quia æqualitas, & inequalitas sunt passiones quantitatis finitæ. Contrà, arguit Canon. quia licèt æqualitas, quæ est commensuratio duarum quantitatum, passio sit quantitatis finitæ, & nequeat conuenire infinitæ, æqualitas tamen negatiua, idest non excessus, reperiri potest in infinitis, vnde personas diuinas dicimus esse æqualis perfectionis, quoniam infinitum neque excedit, neque exceditur, & ita si partes vnius continui non excedunt partes alterius, neque totum excedet totum.

Et si dicatur, partes continui maioris esse plures, & non esse inconueniens, quòd sint in continuo maiori plures partium infinitates, & partes infinities infinitas, vt de facto concedit, Ruuius ea ratione fisus, quia partes sunt quid incompletum. Contrà, arguit Canon. quia multitudo semel infinita totam multitudinem partium possibilem absorbet, ergo implicant aliæ partium infinitates supra illam. Accedit, quòd hoc admisso in omni continuo, vt Ruuius admittit, non potest amplius defendi, vnum esse maius alio, nec quo ad maioritatem, nec quo ad pluralitatem partium, vbique enim erunt infinities infinitæ, & ideò Ruuius non videtur in hac re consequenter locutus, omnes enim auctores, qui asserunt, quamlibet infinitam multitudinem non posse esse semel infinitam, sed debere esse infinities infinitam, negant pariter, vnum infinitum maius alio tum formaliter, tum materialiter. Et tandem si dicatur, quòd in multitudine infinita non est totum, vel pars. Contrà, arguit Canon. talis multitudo est diuisibilis, sed omne diuisibile habet partes, quia nihil diuiditur, nisi in ea, ex quibus componitur; cuius rationis efficacitas magis patebit ex disp. seq.

59 Tertia ratio Canon. si in continuo darentur infinitæ actu partes, & categorematicè, tunc componeretur ex indiuisibilibus, quia quælibet illarum partium numero infinitarum est diuisibilis, vel indiuisibilis; si primum, ergo erunt in continuo plures partes, quàm infinitæ, quod supra improbatum est; si secundum habetur intentum. Vel aliter deduci potest hæc ratio, vt facit Auersa, & erit efficacior, admissa enim tali partium infinitate, tunc in continuo dari deberet pars infinitè minima atque adeò indiuisibilis, Consequentia probatur, quia partes certæ, ac determinatæ sunt simpliciter finitè, ergo partes simpliciter infinitæ debent in infinitum simpliciter ab his distare, ergo deberent esse infinitè minores, seu in maxima minoritate, quod esse nequit, nisi ponantur minimæ, & indiuisibiles, Prob. hæc conseq. nam nisi tales partes sint infinitè minores, vel sunt finitè, ac determinatè minores, vel finitè indeterminatè, hoc est semper magis, ac magis minores; non primum, quia si essent finitæ; si secundum, ergo erunt infinitæ sincategorematicè solum, seu finitæ in infinitum, hoc est semper plures, ac plures, nunquam tamen actu infinitæ, quæ ratio certè demonstrat.

Resp. aliqui, dari in continuo aliquam partem infinitè minorem, non tamen minimam, quia adhuc illa pars habet aliam se minorem. Contrà, id implicat in adiecto, nam si hæc pars infinitè minor habet aliam minorem se, iam non esset infinitè minor nec infinitè distaret in minoritate à parte determinata, cùm magis alia distet. Hinc alij negant, dari aliquam partem infinitè minorem, quia non datur vltima, quæ deberet esse infinitè minor. Contrà, id est, quod intendimus, quod non detur vltima pars, & infinitè minor in continuo, sed quacunque data, siue in re ipsa, siue in cognitione diuina, semper detur alia, & alia minor, cum quælibet sit diuisibili in plures seipsa minores, & hæc est infinitas sincategorematica. Resp. Alij, hanc infinitam minoritatem esse in aliqua parte indeterminata. Contrà, tum quia saltim eam cognosceret Deus; tum quia est dicere, quod non possit dari pars ita minor, vt adhuc minor assignari nequeat, & hoc est assignare minoritatem indeterminatam in parte indeterminata, non autem minoritatem infinitam, quod verissimum est: tum tandem, quia infinita minoritas repugnat tam in parte determinata, quam indeterminata. Hæc est opinio Canon. loc. cit. vbi ait, omnes in hac materia dubiè loqui & nunquam ab aliquo Doctore potuisse illam benè intelligere.

60 Eodem modo de indiuisibilibus loquendum est, nam hæc in continuo ponuntur ad continuandas partes, ac propterea mediant inter partes, multiplicanda ergo sunt ad multiplicationem partium, sed partes multiplicantur in infinitum sincategorematicè, ergo & indiuisibilia, quod adhuc declarari potest in hunc modum: sicut partes eò plures dicuntur, quò fiunt minores, & quia nunquam attingunt maximam minoritatem, ideo nunquam dicuntur actu infinitæ, sed solùm plures, & plures in infinitum, ita seruata proportione indiuisibilia eò plura erunt, quò inter minores partes mediabunt, & sibi inuicem proximiora erunt, & quia nunquam reperiuntur in maxima approximatione, ita vt sint sibi inuicem immediata, sed semper proximiora sint, ac proximiora in infinitum, sicut partes minores, & minores, & ita semper plura erunt, & plura, sed nunquam maximè plura, hoc est actu infinita, sed tantum finita in infinitum. Ea ergo est conditio huius admirabilis compositionis continui, vt ad eam concurrant necessariò, tam partes, quàm indiuisibilia, non quasi indiuisibilia sint partes continui, sed quia cum partibus componunt continuum, duo enim reperiuntur in continuo, extensio, & continuatio; extensio est ponissimum à partibus, continuatio ab indiuisibilibus, & partes in continuo iunt ita dispositæ, vt nunquam signari possit prima, & vltima pars eius, quia aliqua signata sicuti prima, adhuc extat aliqua re vera prior illa, & alia signata velut vltima, adhuc extabit alia posterior ea, cum quælibet signata si adhuc diuisibilis in alias, & alias indiuisibilia verò ita disposita sunt per totum continuum, vt inter singulas partes mediant copulando eas ad inuicem, ex quo fit, nunquam reperiri posse indiuisibile ita alteri immediatum, vt non sit inter ea aliqua pars interiecta, & hac de causa inter quælibet duo puncta in linea quantumuis propinqua mediant plura alia, & alia puncta; quia mediat pars diuisibilis adhuc in infinitas partes, quarum quælibet puncto copulatur cum alia: ex quo rursus sequitur, non esse possibilem in continuo vnam diuisionem immediatam alteri, quia cùm diuisio cadat supra punctum, siue in puncto fiat, sanè si duæ diuisiones possent sibi immediatè succedere, iam duo puncta forent sibi immediata, inter vnam ergo, & alteram diuisionem possunt aliæ, & aliæ in infinitum mediare diuisiones, sicut inter quælibet duo puncta mediant alia, & alia in infinitum iuxta numerum partium interiacentium.

61 Ex his sequitur demum, continuum nec etiam per potentiam Dei absolutam posse esse diuisum in omnes suas partes collectiuè, licèt singillatim, & in quocunque signo possit in singulas diuidi, immò in plures, & plures simul in infinitum, admissa enim tali indiuisione in omnes partes planè continuum in indiuisibilia resolueretur, vel enim illæ singulæ partes infinitæ, in quas diuisum ponitur, sunt rursus diuisibiles in alias partes, vel indiuisibiles, non primum, quia est contra hypothesin, qua supponimus, continuum esse diuisum in omnes prorsus partes in quas est diuisibile, ergo secundum. Nec valet responsio Greg. in 2. dist. 2. qu. 2. art. 1. ad quintum contra 1. concl. dum ait, indiuisibile posse sumi dupliciter, vel pro carente partibus quibuscunque actu diuisis, vel possibilibus quomodo diuidi, vt est punctum, vel pro eo, quod licèt habeat partes, quælibet tamen est actu diuisa ab alia, & per oppositum diuisibile posse sumi dupliciter, vel vt opponitur indiuisibili primo modo, vel secundo modo; diuisibile primo modo est, quod habet partes actu, val potentia diuisas; diuisibile secundo modo est, quod habet partes non actu diuisas, subditque partes continui in omnes diuisi remanere indiuisibiles secundo modo tantum, non autem primo, quia adhuc quælibet includit partes in potentia in quas est actu diuisa, & ita non concluditur (ait ipse) continuum diuisum in indiuisibilia simpliciter resolui. Hæc responsio prorsus vana est, & in intelligibilis, potest quidem vna pars ab alia distincta illam adhuc includere, quia distinctio inclusionem non excludit, sed vna pars ab alia diuisa, & separata nequaquam potest illam includere, nec potest intelligi, aliquid esse diuisibile in ea, quæ actu non habet, ergo si continuum posset esse actu in omnes partes diuisum, certè quælibet indiuisibilis, remaneret ad modum puncti. Accedit quòd etiam admittendo illud indiuisibile secundi generis à Greg. fictum, vt argumentum solueret, adhuc rationabiliter non possumus concedere, continuum ex similibus indiuisibilibus esse conflatum, quia quælibet continui pars, vt distinguitur ab indiuisibilibus simpliciter, includit actu partes alias, in quas diuidi potest, & non in potentia tantum, vt hæc excludit actum inexistentiæ in sensu Greg. ergo continuum per nullam potentiam potest esse diuisum in omnes suas partes, vt fusè Doctor ostendit in 2. d. 2. q. 9. sed in quotcunque partes ponatur diuisum, illæ adhuc diuisibiles remanent in alias, & alias. Hinc soluitur argumentum de totali diuisione continui, quod objicit Arriag. cit. sec. 6. contra sententiam Arist. quia talis diuisio etiam de potentia Dei absoluta est impossibilis, vt rursus infrà dicemus num. 96. vbi rationem repugnantiæ assignamus, quæ adhuc magis apparebit infr. disp. 10. qu. 3. in solutione argumentorum, vbi etiam soluuntur instantiæ, quas hic facit Ariag. contra allatam responsionem; vide ibi à nu. 53. & Scotum 2. d. 2. q. 9. lit. K. vbi soluit argumentum in terminis.

ARTICVLVS IV.

Soluuntur rationes Zenonistarum pro compositione continui ex solis indiuisibilibus.

62 ESto explorata sit veritas, continuum ex indiuisibilibus non componi, & satis à nobis art. 1. cum Aristot. demonstrata, tot tamen, ac talibus impetitur difficultatibus, vt veritas cum falsitate (sicut ait Amicus) æquo Marte pugnare videatur, vnde hic enitendum est, argumenta in oppositum quantum fieri potest reluctari.

Primò, se offert vulgaris quidem, sed satis molesta difficultas de corpore sphærico supra planum moto, nam siue volutetur, siue trahatur per planum, tanget illud semper in punctis, ergo totum planum erit ex punctis compositum, Prob. assumptum, quia toto illo tempore, quo sphæra planum percurrit, semper tangit aliquod nunquam diuisibile, ergo immediatè post hoc instans tangit indiuisibile immediatum, quia contactus non intermittitur.

Resp. mirum esse, quantùm Peripateticos terruerit globus iste à Zenonisti eiaculatus, nam aliqui negarunt, fieri posse globum ita perfectè sphæricum, vt nulla sui parte sit planum. Alij concedunt, esse possibilem, sed negant, quod positiuè tangeret planum, tantùm enim negatiuè diceretur indistans: alij concedunt, quod tangeret positiuè,

non tamen in puncto, sed in parte indeterminata tamen, minori semper, & minori in infinitum; vel quòd cum illo penetraretur in aliqua modica sui parte, qui singuli modi dicendi art. 2. sunt refutati, vbi conclusum est, quòd si sphæra ponatur super planum, illud tangit in puncto, Complut. disput. 25. Physic. quæst. 2. ad 1. aiunt, quòd licèt corpus illud sphæricum continuo moueatur per aerem circumfusum motu continuo, per ipsum tamen planum non mouetur, nisi discretè, & quasi per saltus de puncto in punctum, ita vt inter vnum, & aliud tanti sper eleuetur à plano, quod explicant exemplo pilæ, quæ in planum proiecta per saltus mouetur, quod etiam affirmant, si globus trahatur per planum, & non voluetur, subdunt tamen saltus in tali casu non esse ita perceptibiles, & sic etiam respondet Io. de S. Th. q. 10. art. 3. sed sanè potius Complut. saltant, vt argumentum illud prætereant, non verò globus sphæricus, præsertim quando trahitur super planum, & vt excludatur motus iste per saltus globi super planum, ad quem dicere possent conferre figuram sphæricam, sit columna perfectè rotunda, cylindrus dicta, quæ super planum moueatur, aut corpus quadratum, & perfectè cubum, quod secundum latus angulare definit in linea, trahatur per planum tangens illud tantum secundum latus angulare; vtique in his casibus saltus horum corporum fingere non licebit, & tunc argumentum procedit, sicut de corpore sphæriço. Tum quia esto verum sit globum moueri per aerem quoque circumfusum, & hunc ab ipso non tangi in puncto, adhuc tamen negari nequit moueri quoque continuè per planum, illudque continuò tangere, neque sensus, neque ratio demonstrat cur & à quo globus ille interpolatè debeat eleuari à plano sicut homo pedes eleuat in motu, quo exemplo vtitur Io. de S. Th.

63 Resp. ergo faciliter, quòd si sphæra voluetur, argumentum non habet difficultatem, quia non tanget planum in puncto, sed secundum lineam circularem, & non idcircò linea curua congruet rectæ, quia huiusmodi contactus non fit simul, sed successiuè; si autem sphæra trahatur super planum, dicimus in instanti tangere planum in puncto; sed immediatè post in tempore tangit in linea, vt Scotus docet 2. d. quæst. 9. ad 3. princ. neque id mirum videri debet, quia quodlibet corpus, dum mouetur, occupat maius spatium, quam occupet, dum quiescit, dum enim quiescit, occupat tantum spatium, quanta est propria extensio, at dum mouetur, toto illo tempore occupat totum illud spatium, quod suo motu percurrit, nam in instanti terminatiuo motus verum est dicere, quòd toto tempore antecedenti occupauit mobile totum illud spatium. Quare hoc argumentum, quod multi tanti faciunt, non habet specialem difficultatem in puncto, quàm non habeat in corpore, nam tota difficultas consistit in hoc, vt notat Doctor cit. sub Y. quòd dum punctus mouetur, semper est in spatio sibi æquali, & sic pertransit totum spatium, ergo totam lineam suppositam comensurat, atque ita tota linea erit ex punctis composita: sed idem argumentum vrget de quolibet corpore, quod dum mouetur, semper est in æquali loco, ergo cum locus sibi æqualis, sit secundùm profunditatem indiuisibilis, quia est superficies ipsum immediatè circundans, totum illud spatium, quod percurrit, erit ex talibus superficiebus sibi immediatè succedentibus compositum. Ad hoc autem argumentum respondent omnes ex Arist. 6. Phys. 74. falsum esse, quòd corpus, dum mouetur, sit in spatio sibi æquali, solum enim in quodlibet instanti est in spatio sibi adæquato, quod & in instanti acquirit, sed in tempore immediato est in spatio maiori, quod non est inconueniens, quia successiuè occupat illud; sic igitur de globo sphærico supra planum moto dicendum est cum Scot. cit. quòd punctus, in quo fit tactus licèt semper, idest in quolibet indiuisibili sit in spatio sibi æquali, non tamen semper, idest in quacunque temporis parte, quia sic tangit lineam contactu inadæquato, seu successiuo, & quidem si semel concedatur, punctum in tempore posse occupare locum maiorem seipso, consequenter admitti debet, quod successiuè possit lineam tangere contactu inadæquato, & planè non videtur maior difficultas de puncto, quòd in motu sit in maiori loco seipso, quàm de corpore, & ita respondent Tolet. Auersa, Moris. Amic. & alij ex Scot. cit. Canon. & Trombet. 2. Met. q. 1. ad 2. principale.

64 Sed dices ex hoc sequi, lineam mensurari posse per replicationem puncti, & ita ex punctis componi. Negatur sequela, nam quantumuis punctum replicetur, nunquam lineam reddet, & aliud est aliquid moueri super aliquod spatium, aliud verò illud commensurare, motus enim fit continuè super spatium, at mensuratio fit interpolatè in singulis replicationibus rei motæ super spatium, ad quod assumitur dimetiendum, & tunc res mouetur super spatium, cum occupat successiuè maius spatium sua propria extensione, mensurat verò spatium, cum replicata semper est in loco sibi æquali in singulis replicationibus. Et quando etiam concederemus, digitum ideò assumi posse ad mensurandum pannum, quia super illum potest continuè moueri, non propterea concedere debemus idiplum de puncto super lineam, in tantum enim illud verum esset, quia continuitas motus digiti non sumitur tantum ex spatio, sed etiam ex mobili, quod in se diuisibile est, at non ita continuè mouetur punctum super lineam quia continuitas motus illius sumitur tantum ex diuisibilitate spatij, vt Scotus docet loc. cit. V. & X.

Sed iterum vrgebis; si ponatur punctum separatum motum super lineam, quod non negaret Doctor, licèt acquirat aliud, & aliud vbi, non tamen amitteret semel acquisitum per potentiam Dei, qui rem ponere potest in diuersis locis, tunc in fine motus tanget totam lineam, & non nisi in puncto, quia permanenter. Respondetur, in casu hunc non fore motum puncti per lineam, sed replicationem potius eiusdem in singulis lineæ punctis, & sicut indiuisibile, non potest esse ita alteri immediatum, vt illud tangat manens extra illud, & in spatio distincto, sic neque idem punctum potest à Deo ita sibi immediatè pluries replicari, & ideò punctum permanenter existens in linea, & à Deo pluries replicatum per totam lineam, erit distans à seipso, pro vt est in vno, & in alio lineæ puncto. Sed adhuc dices, potest saltim facere Deus, quòd contactus sphærici super planum fiat per id, quod immediatè sequitur ad punctum, in quo tangit, tactus in tali casu erit permanens, & non successiuus, atque ideo adæquatus, ergo debebit admitti in plano indiuisibile immediatum indiuisibili. Responderur, immediatè post non posse fieri contactum, nisi successiuè in linea, & fiet postea contactus permanens in puncto post partem sequentem, quod omnes de diuisione concedere debent, si enim continuum in vna parte diuidatur, planè nec per diuinam potentiam poterat diuisio cadere immediatè post, quia quod sequitur, est diuisibile, nec assignabilis est primas pars.

65 Secundò indiuisibile additum indiuisibili potest facere maius, ergo concidit fundamentum sententiæ Perip. Prob. assumptum à simili in Angelo, & anima rationali, quæ per plures spiritales, & indiuisibiles replicationes spiritali extensione se possunt extendere ad maius spatium, quàm per pauciores. Et Christus Dominus existens modo spirituali in Eucharistia pro maiori, vel minori replicatione coextenditur speciebus continuis maioribus, vel minoribus, ergo poterit etiam indiuisibile quantitatiuè facere extensum, sicut enim se habent indiuisibilia spiritalia ad extensionem spiritalem, vt multiplicatæ sint extra se, & sibi immediatè succedant, vel continuè, vt in Angelo, & anima rationali, vel contiguè, vt in Eucharistia, ita se habent indiuisibilia quantitatiua ad extensionem quantitatiuam, vt immediatè sibi succedentia extra poni possint continuè, & aliquid maius efficere. Confirm. quia vnitas prædicamentalis, quamuis sit indiuisibilis, tamen alijs vnita facit numerum, qui est quantitas extensa, sic etiam & instans temporis cum parte temporis longiorem facit durationem, quia Angelus durans per horam, & instans terminatiuum eius plus durat Angelo, qui per totam horam duraret, & in instanti eius terminatiuo desineret, quia in eo instanti de priori verum esset dicere, quòd est, de posteriori, quod non est.

Resp. difficultatem hanc quibusdam tam arduam esse visam, vt Moris. disp. vlt. phys. q. 4. art. 2. ingenuè fateatur, sibi nil hactenus occurrisse, quod difficultati satisfaceret, & tribus adhibitis responsionibus, viam insinuat declinandi vim argumenti, sed non soluendi; & quidem sistendo in illo communi modo explicandi extensionem virtualem spiritualis substantiæ per iteratas replicationes per singulas partes loci, quibus est præsens, argumentum est difficillimum, & fortè insolubile, vnde potius eligimus dicere, substantiam spiritualem replere locum, non per tot replicationes sui esse, sed per vnam, & æquabilem totius sui esse diffusionem in loco adæquato, sic vt totus quidem Angelus sit in quoliber puncto, & qualibet loci parte, non tamen completè; si autem Angelus poneretur à Deo in pluribus locis adæquatis, hoc vtiquè per replicationem eiusdem Angeli in illis locis fieret, sicut etiam dicimus de corpore, at sicut corpus, quando est in loco sibi adæquato, non est ibi per replicationem sui esse, sed ratione suæ quantitatis molis semel occupat totum illud spatium per vnam, & æquabilem totius sui esse diffusionem, sic etiam spiritus in loco sibi adæquato semel diffusus erit per vnam, & æquabilem totius sui esse diffusionem absque vlla replicatione, quia quicquid corpori conuenit per quantitatem molis, & partium diuersitatem, id totum conuenit Angelo per quantitatem virtutis, & illimitationem sui esse in ordine ad locum, & si dicendo, nullum est assignare indiuisibile, alteri, vel sibi ipsi immediatè succedens, quod faciat maius, nec enim spiritus habet in singulis punctis esse aliquod omninò completum ab eo, quod in alijs punctis est omninò diuisum, sed vnum integrum esse per totum spatium instar alicuius continui diffusum.

66 Et ex hac doctrina benè percepta colligitur ratio, cur indiuisibili corporeo repugnet virtualis extensio, non autem incorporeo, & cur res indiuisibiles spiritales immediatè sibi succedens possint facere aliquod spirituale extensum, non ita indiuisibilia corporea extensionem corpoream; hæc enim est ratio, quia quod in corporibus efficit quantitas molis, hoc in Angelis efficit quantitas virtutis, atque ita sicut per quantitatem molis occupat locum diuisibilem corpus, ita per quantitatem virtutis spiritus, & cùm Angelus id habeat per simplex quoddam esse, quod corpus habet per diuersas partes, hinc vt Angelus concipiatur extensus per aliquem locum, debebit concipi idem numero esse ipsius per totum illud spatium diffusum, & tanquam suaptè natura illimitatum ad omnes illas præsentias, quare sibi ipsi succedens, vel alteri, poterit facere maiorem extensionem, quod de materiali indiuisibili est impossi-

possibile, quia rebus corporeis dedit Deus esse in loco solum per quantitatem molis, quæ cùm in puncto non reperiatur, non poterit punctus loco extendi; & hic modus essendi in loco satis consentaneus est naturæ spirituali, cùm enim in alijs vitis consentaneus est naturæ spirituali, cùm enim in alijs videamus quæ sunt dispersa in inferiobus esse vnita in superioribus, quia virtus nobilioris entis est illimitatior virtute inferioris, ac proindè munera, quæ exercet ens inferius per plures facultates, ea omnia exercet superius per vnicam virtutem illis æquiualentem, vt in multis induci potest, ita in proposito esse per locum extensa conuenit corporibus ratione plurium entitatum, & partium, sed substantiæ spirituali conuenit ratione vnius simplicis entitatis illimitatæ in ordine ad locum, & æquiualentis illis partibus, quibus constat corpus: postquam hæc excogitauimus de modo essendi in loco substantiarum spiritualium, inuenimus non sine ingenti gaudio (ne hac in re singulares videremur) Coninch. de Sacr. q. 75. art. 4. dub. 3. ita adamussim explicantem modum essendi spiritualem Angeli in loco.

Ad Confirm. concedimus, indiuisibile additum indiuisibili facere plus, non tamen maius, aut extensio, & ideò cùm ad quantitatem discretam sola sufficiat pluralitas entitatum, hinc est, quòd vnitas alteri addita facit maius in genere quantitatis discretæ, hoc est plus; pariter etiam concedimus, instans additum temporis facere maiorem durationem, non tamen maius tempus, idest extensionem successiuam; potest autem dici, quòd faceret maiorem durationem, quia duratio abstrahit ab extensione, & res in instanti dici potest indiuisibiliter durare, loquendo autem de duratione successiua, seu extensione in duratione, quam tempus importat, non plus duraret Angelus durans per mille, & infinita instantia sibi immediata, Angelo durante per vnum solùm. Immo si quis concederet, quòd punctum additum lineæ, & instans tempori faciant maiorem extensionem, adhuc negare debere hanc consequentiam, quòd indiuisibile additum indiuisibili faciat maius, nam posset dicere, indiuisibile tali modo se cum diuisibili coniungere, vt cum eo faceret, quid maius, quod tamen cum alio indiuisibili coniunctum facere non valebit, sicut in Arithmetica dicimus, quòd O additum cum numero aliquo facit maius, & additum cum alio O nihil facit.

67 Tertiò occurrit alia difficultas, quæ infirmare videtur alteram Arist. rationem, qua 6. Phys. probat, continuum ex indiuisibilibus non componi; eò quia nunquam mobile velox posset velociùs moueri, quàm mobile tarduum, quæ ratio non videtur concludere, militat enim etiam contra nos, nam licèt continuum ex indiuisibilibus mathematicis non componatur, componitur tamen ex indiuisibilibus physicis, quæ scilicet non possunt à nobis per instrumenta naturalia diuidi, & secari, potest igitur idem argumentum, & eodem modo formari de indiuisibilibus physicis, ac conficit Arist. de mathematicis, nunquam enim mobile posset pertransire medietatem physici indiuisibilis, priusquam pertransfeat aliam medietatem, alioqui diuisibile naturaliter esset, immo de facto diuideretur per instrumenta naturalia, scilicet per motum. Resp. negando assumptum, nequaquam enim concludit contra indiuisibile physicum Arist. demonstratio, quia licèt hoc sit physicè indiuisibile, adhuc tamen à parte rei est indiuisibile in duas medietates, quarum vna pertransiri nequi, nisi priùs alia pertransfeatur, quod dici nequit de indiuisibili mathematico. Et cum vrgetur, quòd illud indiuisibile physicum esset iam physicè diuisibile, immo quòd de facto diuideretur per instrumenta naturalia, scilicet per motum, hoc quoque negari debet, quia per motum non diuiditur continuum, sed indiuisum pertransitur successiuè, licèt ergo minimum illud naturale possit successiuè pertansiri per motum, non enim potest acquiri per instans cùm sit diuisibile, adhuc tamen indiuisum remanet à parte rei, ac etiam indiuisibile per instrumenta naturalia.

Quartò obijcitur. Tum quia linea est in triangulo, & punctum in linea, vt ea ex quibus substantia ipsorum est, ex Arist. 1. Post. cap. 4. & sicut numerus componitur ex vnitatibus, ita linea ex punctis, nam ita se habet punctum ad lineam, sicut vnitas ad numerum 1. Top. c. 14. Tum secundò quia punctus dicitur esse vbique in linea 1. de Gen. tex. 8. & 9. quia vbique potest diuidi, & diuisio fit in puncto. Tum tertiò quia vel inter punctum terminans in linea, & quodlibet aliud est aliquid lineæ interiectum, vel non; non primum, quia cum in qualibet parte lineæ sint infinita puncta, tunc inter punctum terminans & quodlibet aliud interiacerent infinita puncta, quod implicat; si secundum, ergo puncta sunt sibi immediata. Tum 4. lignum existens partim in aqua, partim in aere, necessariò debet habere in medio duas superficies immediatas, quæ respondeant superficiebus immediatis aquæ, & aeris, à quibus tangitur. Tum 5. quia à mathematicis dicitur lineam esse fluxum puncti, superficiem lineæ, & corpus superficiei, ex quibus fluxibus haberi nequit, nisi vel longa, vel lata, vel profunda series indiuisibilium sibi immediatè cohærentium. Demum quando linea diuiditur, diuisio non cadi super partem, quia per eam non minuitur quantitas lineæ, non super punctum, quia est indiuisibile, ergo inter duo puncta immediata cadere debet.

68 Resp. ad 1. Arist. illa afferre vt exempla ex famosa Antiquorum opinione, continuum componentium ex indiuisibilibus. Vel indiuisibilia ingrediuntur definitionem continui, non vt partes eius, sed vt continuatiua, & terminatiua partium, vnde sicut in composito essentiali physico vnio propriè non est de essentia totius, licet sit aliquid necessariò requisitum; sic quoque dicendum est de indiuisibilibus in Continuo: Primò Top. 14. non comparat Arist. punctum cum vnitate, quoad rationem componendi quantum, sed quo ad rationem principiandi, nam sicut vnitas est principium numeri, ita lineæ punctum; disparitas verò, quare linea componi nequeat ex punctis, sicut numerus ex vnitatibus, est, quia linea est quantitas continua faciens extensionem, quæ ex indiuisibilibus consurgere nequit, numerus verò minimè. Ad 2. negatur, punctum esse vbique vniuersaliter in linea, & posse vbicunque diuidi, nam facta diuisione lineæ in certo puncto non potest immediatè fieri alia diuisio, verum est igitur assumptum solum in hoc sensu, quod non potest signari punctum in linea, in quo non possit fieri diuisio, & quod vbique potest diuisio fieri, vbi sunt puncta, & sic intelligitur Arist. cita. sic quoque soluendum est argumentum, si fiat de linea, quòd possit super corpus imponi, vel protrahi vbicunque, verum enim est, vbicunque linea correspondet, non autem vniuersaliter vbicunque, & hoc est, quod ait Doctor 2. d. 2. q. 9. M. ly *vbique* posse distribuere vniuersaliter pro partibus lineæ, & indiuisibilibus eiusdem, vel præcisè pro istis, vel illis, & iuxta hanc variam distributionem debere argumentum dissolui. Ad 3. vel ly *quodlibet aliud* supponit confusè, vel determinatè; si primo modo petitio est impertinens, cum enim punctum continuans confusè sumptum nullibi sit, quia vt sic non habet determinatam positionem, non potest dici inter hoc, & illud aliquod esse interiectum, vel non esse, si verò supponat secundo modo, linea interiacet, & per consequens infinita puncta; neq. hoc est inconueniens. Vel ly *quodlibet aliud* sumitur collectiuè, vel distributiuè; si primo modo sumatur fallacia committitur, quia cum illa multitudo punctorum sit indeterminata, & confusa, non potest tota colligi; si secundo modo sumatur interiacet linea, & tunc negatur consequentia. Ad 4. duabus superficiebus aquæ, & aeris correspondet in ligno vna tantum superficies, cum enim duæ illæ superficies aquæ, & aeris sint omninò simul veluti compenetratæ in eodem situ, benè vna tantum ex parte ligni ambabus illis correspondere potest, sicut si ducatur linea à centro vsque ad vltimum Cælum, secabit Cælos contiguos in vno puncto. Ad 5. Mathematici vtuntur eo modo loquendi, non quia re vera ex fluxu puncti, & aliorum indiuisibilium aliquod continuum constituatur, sed vt ostendant indiuisibilitatem omnimodam lineæ in latitudinem, & solam diuisibilitatem secundum longitudinem; & quando etiam non fieret linea, nisi per fluxum puncti, adhuc constaret ex diuisibilibus, & non ex solis punctis, puncto enim fluenti, & in transitu correspondent partes diuisibiles lineæ, vt patet ex dictis. Ad 6. ait Canon. quod diuisio cadit super punctum, non quod punctus diuidatur, nec quod punctus iste, qui continuabat partes lineæ, remaneat facta diuisione, sed corrumpitur, & fiunt duo puncta de nouo, quia prius erant in potentia obiectiua.

69 Quinto tempus non est nisi series instantium immediatè se consequentium, ergo componitur ex indiuisibilibus, Prob. assumptum; tum quia nihil est in tempore, quod aliquando non sit præsens, sed de tempore nihil est præsens, nisi nunc, ergo est continuata series istorum; tum quia potest Deus spatio vnius horæ creare semper Angelos successiuè, vnum immediatè post alium, quia non cogitur expectare per aliquam temporis moram: quo casu erunt instantia sibi immediata, sicut Angeli, quorum singuli postulant creari in instanti. Confirmatur, quia etiam motus localis non est nisi series plurium Vbi indiuisibilium, se inuicem in mobili consequentium, quia de isto Vbi, quod non acquirit mobile per motum, aut erit aliquid post hoc instans, aut non; si secundum, habetur intentum, quod in instanti acquiritur, & deperditur; si primum, vel in eadem parte mobilis, vel alia; ergo illa pars quiescit; si secundum, ergo migraret de subiecto in subiectum. Deinde, aut omni parte continui est aliqua minor, aut non; si secundum, ergo hæc erit minima, & indiuisibilis, si primum, aut illa est diuisibilis, aut indiuisibilis; non diuisibilis, quia tunc non esset minor omni parte continui, non enim esset minor parte sua, ergo indiuisibilis. Tandem Deus distinctè, & simul cognoscit omnes diuisiones continui possibiles, ergo cognoscit illud ex indiuisibilibus componi, Consequentia patet, eo enim ipso quod cognoscit omnes diuisiones continui prorsus possibiles, nouit etiam, partes illas non esse amplius diuisibiles, aliter non intelligeret omnes diuisiones.

70 Resp. neg. assumptum, Ad probat. 1. dicimus eum Scoto 2. d. 2. qu. 9. sup. M. nihil vtique existere de tempore, nisi nunc indiuisibiliter, & simul, at negatur de existentia successiua, hoc enim modo partes temporis existunt, & copulantur termine commui, nec habent aliam continuationem, quàm existentiam successionis immediatæ, successiua enim talis sunt naturæ, vt quando fiunt, sunt, & eorum esse in fieri consistit, vt docet Doctor quolib. 12. de quo fusè disp. 13. qu. 4. art. 1. post igitur instans immediatè non sequitur instans, sed tempus. Ad aliam probat. dicimus, non posse Deum ita immediatè vnum Angelum creare post alium in instanti creatum, quin potuerit adhuc magis, & magis immediatè illum creare, quia post instantia sequitur tempus, necessariò igitur expecta Deus aliqua

mora diuisibili, vt ereet alium Angelum, in qua potest expectare minus, & minus in infinitum, neq. hoc absurdum est asserere, quia talis necessitas oritur ex suppositione, vt ait Moris. supposito, enim quod velit successiuè creare, consequenter etiam vult expectare, quia de ratione creationum sibi succedentium est, vt vna sequatur aliam, & distet ab alia, non distarent autem, si solo indiuisibili seiungerentur, quia duo instanti, coexisterent, nec durationem extenderent ex dictis. Ad Conf. negatur assumptum, quod Vbi successiuum, quod in motu acquiritur, sit forma indiuisibilis. Ad cuius probat. dicemus ex professo infra disp. 15. qu. 6. art. 5. Ad aliam dicimus, omni parte continui esse aliquam minorem, distributiuè loquendo, non collectiuè, & si ly *omni* tenetur collectiuè, committitur fallacia, quam ex professo detegemus in simili modo arguendi inferius disp. seq. Ad vltimam dicimus ex Tromb. q. de præsentia Dei ad 3. princ. diuisiones continui possibiles simul actu, & distinctè à Deo intelligi stare dupliciter, vel simultate, & distinctione se tenente ex parte actus comprehendentis, vel ex parte obiecti, seu partium diuisarum, primo modo Deus intelligit, & distinctè cognoscit simul, & actu omnes diuisiones continui, sed secundo modo nequaquam; non intelligit simul omnes diuisiones possibiles, quia talis intellectio implicat, esset enim intelligere diuisiones continui sub modo eis repugnanti, neq. in hoc sensu omnes partes continui distinctè cognoscit, sed confusè, quia cognoscit illas, vti sunt, quatenus scilicet diuisibiles in alias, & alias quas singulæ in se continent, & si intelligeret distinctione se tenente ex parte obiecti, illas intelligeret modo sibi repugnanti, quia vt sic, non nisi confusè possunt intelligi; Instat Arriag. citat. section. 6. contra hanc solutionem, ad quas instantias patebit ex dicendis disputat. 10. quæst. 3. & magis quæst. 6.

ARTICVLVS V.

Diluuntur Ratione Nominalium pro compositione continui ex solis diuisibilibus.

71 INdiuisibilium hostes acriter etiam contra indiuisibilia iam posita inuehuntur, siue terminatiua, siue continuatiua, præcipuè Greg. & Auersa, tum authoritatibus, tum rationibus. Primò igitur obijcitur ex D. Aug. lib. de Quant. Animæ c. 10. vbi volens ostendere, animam incorpoeram esse probat ex hoc, quod ista indiuisibilia intelligit, quæ, ait, esse incorporea, *Nam sola longitudo*, inquit, *non nisi intelligi anima potest, in corpore inueniri non potest*, & 7. super Gen. cap. 15. dicit, quòd si anima esset corporea, nullo modo posset cognoscere tales lineas. Confirmatur Arist. authoritate 8. Met. 18. faciens mentionem punctorum, ait *Vipotè puncta, si sint quidem*; ex quo loco colligitur, ait Auersa, de indiuisibilibus loqui potius ex suppositione, si dentur, quandocunque de illis agit; tum quia 3. Met. 17. asserit, superficies, lineas, & puncta solùm in potentia esse in corpore, sicut Mercurius in rudi lapide; tum quia 1. Met. 43. docet contra Platonem, magnitudinem non constare ex superficieus, lineis, & punctis, per hoc autem noluit asserere, magnitudinem non constare ex solis indiuisibilibus, quia neque hoc Plato asserebat, sed absolutè voluit illa negare; tum quia 3. de Anim. 26. ait; punctum negatione cognosci, & in lib. de Com. Anim. motu cap. 2. docet, polos, quæ puncta dicuntur esse, nullam habere substantiam.

72 Resp. mentem D. Aug. non esse omninò talia indiuisibilia negare, nam ibidem loquens discipulo ait, posse intellectum illa concipere, quia corpus illis non caret, & cap. 11. & 12. docet, lineam à puncto terminari, figuram non posse rectis lineis fieri, nisi puncto angulus claudatur, lineam per punctum diuidi, & puncto alteri lineæ copulari; in lib. 11. Confess. cap. 16. expresè admittit in tempore momentum, & præsens indiuisibile; sed negat, puncta, & lineas in corpore reperiri, vt a sensibus cognoscibilia, qui solum corporea percipiunt, vnde si anima corporea esset, nullo modo posset ista indiuisibilia apprehendere. Ad 1. Arist. authoritatem dicimus, textum illum varie ab Interpretibus adduci, nam licet vulgata lectio sic habeat, versio tamen Argyroli, quam sequitur Doctor in Met. legit. *Quoniam verò quædam sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt, vt puncta siquidem sunt, & totaliter species, & forma*, ex quo patet, Arist. solùm asserere, puncta esse talia, scilicet, quòd sine generatione, & corruptione sunt, & non sunt: attamen admissa communi lectione nihil aliud sequitur, nisi quòd loquatur Arist. conditionaliter; non tamen ex hoc debet inferre Auersa, dubium fuisse Arist. de punctorum existentia, quia vbi ex instituto aliquid de illis quærit, vel disputat, resolutè loquitur, vt vidimus art. 2. & quòd mens ipsius non possit ex hoc loco cognosci, colligitur ex 3. Met. 17. vbi eandem adducit rationem, scilicet, quòd indiuisibilia ista non generantur, neque corrumpuntur per generationem, & corruptionem, ait enim, *Puncta verò, & lineæ, & superficies non contingit neque fieri, neque corrumpi, quandoque quidem existentes, quandoque non existentes*; hic dubitatiuè non loquitur, quamuis professo quærat, an sint substantia, vel accidens. Ad 2. authoritatem dicimus, non loqui de continuatiuis actu, sed quæ terminare possunt, & ista in potentia sunt, & ad actum reducuntur per diuisionem, quæ expositio habetur in eodem textu paulò infrà, vbi explicans, quomodo indiuisibilia quandoque existentia, quandoque non existentia sint, ait, *Nam quando copulantur, aut diuiduntur corpora simul, quandoque quidem vna copulatorum, quandoque verò duæ diuisorum fiunt, quare non compositorum est, sed corruptum est diuisorum, quia sunt prius non existentes*; idest quando continuum diuiditur ex vna superficie continuatiua non fiunt duæ, sed illa corrumpitur, & de nouo duæ adueniunt, quæ priùs erant non existentes, similiter quando duo corpora copulantur, pereunt duæ superficies, & fit vna copulatiua. Ad 3. dicimus, Arist. improbare Platonem ponentem diuersa esse principia constituentia lineam à principijs constituentibus superficiem, & ista esse diuersa à principijs constituentibus corpus, vnde arguit, quorum principia sunt diuersa, & ipsa sunt diuersa, ergo nequit linea in superficie esse, & hæc in corpore, quia diuersa sunt, vnde non negat indiuisibilia, sed expositione Platonis deducit absurdũ, dicens, *At quomodo habebit aut planum lineam aut solidum lineã, & planum*? quasi diceret, nõ videtur; quare potius est ad oppositũ, pro absurdo habet, ista indiuisibilia in corpore non inueniri; istas expositiones docet Doctor in Comm. Met. Ad 4. dicimus, nihil determinatè ex illo colligi, quia comparat punctum nigredini, & malo, quorum primum est positiuum, secundum negatiuum; quapropter comparatio non est quo ad entitatem, sed quo ad cognitionem, nam vnum contrarium per priuationem alterius cognoscitur. Ad vltimam, non negat Arist. polos esse puncta quædam, immo ipsos supponit existentes, sed negat esse substantias virtutem motricem habentes, aliter idem motus duos motores haberet, hæc est ratio Arist.

73 Secundò instat Greg. ratione; aut præter singula, & omnia puncta collectiuè sumpta in linea est, & mediat aliquid, vel nihil; si secundum, ergo continuum ex indiuisibilibus constaret; si primum, tale erit diuisibile, & extensum absque punctis, alioqui præter singula, & omnia puncta daretur punctum, quod est falsum, ergo si datur pars lineæ continua sine punctis, tota erit sine punctis. Tum 2. quia partes, & indiuisibilia realiter distinguuntur, ergo saltim de potentia Dei separari possunt, destruat igitur Deus omnia puncta, aut omnes partes lineæ palmaris remanentibus punctis in eodem situ, vbi priùs; vel inter illa puncta aliquid mediat spatium, vel nullum; si secundum, ergo puncta erunt immediata: si primum, ergo partes illæ spatium occupantes non habebant puncta, aliter non remansissent omnia puncta, & tamen erant continuæ. Neque dicas cum Suar. non posse omnia puncta a partibus separari, licèt possit quodlibet in particulari separari, eo quia partes, quæ debent destrui à Deo, sunt extensæ, debent idcircò aliqua puncta continuatiua ad desitionem illarum desinere. Non valet, inquit Amicus q. 10. ar. 10. quia licèt partes quo ad existentiam pendeant à punctis propter continuationem, non tamen è contra puncta à partibus lineæ dependent quo ad existere, aliter nullum posset separatum esse per Dei potentiam, ergo non est necesse, ad desitionem partium lineæ etiam puncta desinere. Tum 3. quia saltim posset Deus, vel alius separatus intellectus cognoscere omnia puncta; si nihil superest, continuum ex indiuisibilibus componeretur, si aliquid, ergo puncta non includeret. Si dicas, non posse cognosci omnia puncta, quin partes etiam apprehendantur, hoc est falsum; tum quia partes à punctis dependent vt à continuatiuis, quibus partes continuantur, ergo priùs sunt, quàm continuentur, & continuationi præsupponuntur, & vt sic possent intelligi præscindendo à punctis; tum quia si realiter distinguuntur, possent cognosci vt realiter distincta, & vt vnum ab altero seiunctum; tum quia licèt linea includa puncta attamen puncta non includunt lineam, ergo vt sic possent apprehendi sine linea.

Resp. antecedens posse habere duplicem sensum vel scilicet quòd omnia puncta sint separata, & distincta in continuo a partibus, non solum in entitate, sed etiam situ, & hoc est falsum, vel quòd ista puncta sint cum partibus, quas continuant, per mixta, & est verum, tunc ad argumentum dicimus, quòd præter omnia puncta sunt partes in continuo, quæ diuisibiles sunt, continuæ, & extensæ includentes illa omnia puncta, à quibus, vt continuæ sunt, essentialiter dependent, vt diximus art. 3. in fine. Ad 2. aliqui respondent, indiuisibilia esse talis exiguæ entitatis, vt per Dei potentiam nequeant à partibus existere separata. Alij vero, & probabiliùs, talem dependentiam non admittunt, & ad rationem respondent vt ibi, ad impugnationem verò dicimus, puncta, etsi distributiuè à partibus lineæ in existendo non dependeant, collectiuè tamen dependent à partibus lineæ, quia cum linea sit non solùm extensa, verum etiam continua, quando destruitur, non tantum extensum destruitur, sed etiam continuum, & consequenter aliquod includens puncta; tum quia daretur secundum punctum post primum quod tamen in continuo non erat assignabile, sicut nec prima pars proportionalis, quamuis post punctum diuisibile immediatè sequatur. Ad 3. cognitis illis punctis, cognoscitur etiam aliquid aliud, scilicet partes extensæ includentes illa puncta, nunquam tamen cognosci possunt partes, vt non includentes puncta. Ad 1. impugnationem dicimus, partem vt continuam posse duo respicere, vel aliam compartem, cui copulatur per indiuisibile continuatiuum, vel partes illas copulatas, quas includit, & à quibus constituitur, & integratur; partes vt respiciunt indiuisibilia continuatiua cum alijs compartibus, & prioris generis, præsupponuntur illis, non verò vt respiciunt indiuisibilia cõtinuantia partes integrantes, & inclusas in qualiber illarum, vt dicemus art. seq. nu. 85. Ad 2. impugnationem dicimus, cognosci quidem vt realiter distincta, sed non vt realiter seiuncta, quia partes includunt puncta. Ad 3. respondemus, nihil ex hoc se qui, nam adhuc deberet postea linea apprehendi includens illa puncta; vel dicimus, nec posse apprehendi omnia, non considerando partes, quia esset cognoscere primum, & secundum indiuisibile, licèt quodlibet in particulari sit cognoscibile ex se.

74 Tertiò impugnantur indiuisibilia, quia non potest assignari, in quo subiectentur; nam cum sint accidentia, debent inhærere, vel ergo subiectum puncti v.g. est aliquod diuisibile, vel indiuisibile; si primum, vt asserunt Masius 6. Phys. sect. 1. q. 1. Conimbr. cap. 2. q. 1. art. 3. ad 6. & Tatar. cap. de Quant. q. vn. dub. 2. scilicet quòd sit in subiecto partis terminatæ, quia non est adæquatum, sed inadæquatum. Contra hoc est, quia tunc punctum esset extensum saltim virtualiter, sicut est anima rationalis, quod est falsum, Sequela prob. quia omnis informatio fit per penetrationem formæ cum subiecto, ergo si punctum esset in diuisibili subiecto, esset cum illo penetratum & consequenter vel formaliter extensum, vel saltim virtualiter, seu naturaliter replicatum, quæ omnia sunt falsa ex dictis artic. præced. tum quia subiectaretur in partibus, quas non vnit, quod etiam est absurdum, quia vnio est solum in rebus vnitis per illam, Sequela prob. quia istud diuisibile, quod est subiectum puncti est in infinitas partes diuisibile, quæ per alia indiuisibilia sunt vnitæ, ergo punctum in illis omnibus esset, quas tamen non vnit; tum quia partes quantitatis essent naturaliter penetratæ, nam punctum, quod subiectari ponitur v. g. in parte A, cum qua penetratur, esset etiam penetratum cum mediatibus partis A, absq. sui replicatione, quia replicatio in pluribus subiectis non fit naturaliter, ergo illæ immedietates essent etiam inter se penetratæ, quia occuparent solummodo locum puncti. Neq. distinctio aduersariorum de forma completa, & incompleta aliquid valet; nam si forma completa, quæ est perfectius ens, non potest informare, nisi subiectum adæquatum, non verò excedens, & inadæquatum, multo minus forma incompleta, quale est punctum, nam posse informare maius subiectum absq. sui extensione formali dicit maiorem perfectionem ex dictis disp. 5. q. 7. Neq. secundum potest admitti scilicet quod istud subiectum sit aliquod indiuisibile: nam hoc necessariò esset substantiale, quod est falsum; Tum quia ex 8. Meta. 15. prædictorum indiuisibilium nulla est substantia; Tum 2. quia punctum non vniret partes lineæ, sed potius indiuisibile substantiæ cum partibus lineæ, quia vnio est essentialis ratio vniendi id, in quo subiectatur.

Resp. admittendo secundum, quod in indiuisibilibus substantialibus subiectentur, quia enim substantia seclusa quantitate suas partes habet entitatiuas, erit etiam ex partibus integrantibus, & extensis composita, ac proprijs indiuisibilibus continuatiui, vt dictum est qu. 1. Cum impugnantur ex Arist. dicimus, ibi loqui de indiuisibilibus quantitatiuis, quæ negat esse substantias, quærit enim ibi, sint substantia, vel accidens. Ad 2. negamus sequelam, cum probatur, dicimus vnionem esse duplicem, alteram informationis, quæ secundum nos est relatio ex dictis disp. 5. quæst. 9. & hæc denominat vnitum subiectum, in quo fundatur, quia quæ per talem vnionem vnita dicuntur, vniuntur immediatè inter se; alteram continuationis, & per modum nexus, & ista non denominat subiectum, in quo recipitur, vnum; sed potiùs partes, quas afficit, & quibus adhæret, non inhæret, quia partes per talem vnionem non dicuntur immediatè vnitæ, sed in aliquo tertio ad modum glutinis vnientis partes tabulæ, in hoc sensu indiuisibilia dicuntur vniones partium.

75 Sed contra instatur, quia posset dubitari de istis indiuisibilibus substantialibus, nam in diuisione continui non solum quantitas, sed etiam substantia diuiditur, vnde non tantum indiuisibile quantitatiuum continuans deperditur, & duo quantitatis terminatiua generantur, verum etiam idem de indiuisibilibus substantiæ dicendum; quamuis autem non sit magna difficultas de indiuisibilibus formæ; quippe quæ ex indiuisibilibus materiæ dici possent educi; dubium tamen est de indiuisibilibus materiæ, nam hęc non habent subiectum, tale enim esset necessariò diuisibile, cum non dentur alia priora indiuisibilia; & sic indiuisibile subiectaretur in diuisibili, quod esse falsum, supra ostendimus: si ergo non habent subiectum, ergo crearentur, & annihilarentur, & per consequens non posset agens naturale diuidere aliquod corpus, quia non potest creare, vel annihilare. Si dicas, non propriè creari, aut annihilari, quia creatio excludit omnem concursum secundæ causæ in ratione materiæ non solum per se, sed etiam reductiuè, modo materia concurrit ad productionem horum indiuisibilium recipiendo aliquo modo illa, etsi non recipiuntur vt forma in subiecto, saltim vt terminus in suo terminabili, nam ista indiuisibilia verè sunt suo modo in materia, ab ea resultant, & terminant ipsam, propter quam dependentiam à materia cui petunt vniri, & fieri in ipsa naturaliter, nequaquam creari dicentur; sicut dicunt de subsistentia, quæ à natura substantiali dimanat vt terminus, non tamen creatur. Contra, quia resultantia ista est vera actio ex dictis disp. 7. q. 2. ar. 3. ergo materiæ, quæ est pura potentia passiua, nequit conuenire. Tum quia hoc admisso, aliquid materiæ esset verè generabile, & corruptibile, contra naturam ipsius, non enim esset subiectum primum indiuisibilium formæ, quæ ex indiuisibilibus materiæ educerentur.

Resp. concedendo, indiuisibilia illa materiæ non habere subiectum inhæsionis, aut informationis, sed quasi adhæsionis modo explicato in responsione allata quæ efficientia non debet à materia excludi, vt diximus disp. 2. q. 8. art. vlt. quia ratione etiam creatio dici non debet ista resultantia. Nec quoque est absurdum, non materiam, sed aliquid materiæ esse in hoc sensu generabile, & corruptibile, non enim est rigorosa generatio, cum non educatur de potentia subiecti, quod informet.

Dices etiam, si indiuisibilia quantitatis in indiuisibilibus substantiæ subiectantur, ergo in speciebus vini consecrati dum agitantur, vel diuiduntur multa de nouo indiuisibilia essent, sub quibus non esset Christus, nam non est sub nouis speciebus sine noua consecratione, & quæ non essent in aliquo subiecto. Tum quia non posset agens creatum species illa diuidere, quia non posset per diuisionem producere illa indiuisibilia, quæ creari deberent, cum careant subiecto. Resp. Christum Dominum de nouo fieri sua illis indiuisibilibus etiam absq. noua consecratione, quia illa non sunt propiè nouæ species, sed sunt aliquid pertinens, vel vt continuatiuum, vel vt terminatiuum ad species consecratas, & hoc quia Christus ex decreto debet omnia munera substantiæ panis exercere, si ad esset, cum ergo sub illis nouis indiuisibilibus eadem substantia panis cum suis indiuisibilibus reperiretur, & non alia simpliciter de nouo adueniret, etiam Christus erit sub illis speciebus. Ad aliam dicimus, propriè illa indiuisibilia à Deo immediatè produci propter defectum concursus substantiæ in genere causæ materialis, agens autem creatum dicitur diuidere illas species, quatenus Deus concurrit ad illum motum, & actionem, qua diuisio causatur; quod de indiuisibilibus materiæ non æquè commodè dici potest, quia ista materiæ non sunt nata inhærere, sicut indiuisibilia quantitatis quæ propriè inhærent, & educuntur. Sed adhuc contra hæc indiuisibilia substantialia instant Io. de S. Th. qu. 20. Phys. art. 2. & Manca 6. Phys. quæst. 1. dub. 4. quia his admissis tunc haberet substantia materialis sufficiens principium impenetrationis, quod neque nos concedimus, cum hoc sit sola quantitas, Probatur sequela, quia munus indiuisibilium in quantitate nedum est terminare partes sed etiam illas ita vnire, & copulare adinuicem, vt continuæ inter se dicantur, & non compenetratæ, si enim per suas extremitates non vnirentur, sed se totis, se vtiq. penetrarent, & vna intraret diuisibilitatem alterius, ergo si substantia habet ex se hæc indiuisibilia, habet sufficiens fundamentum impenetrabilitatis. Resp. neg. conseq. Ad probationem dicimus munus indiuisibilium in quantitate esse partes terminare, & continuare, non autem extendere, & vnam extra aliam ponere, immo potius hoc eis repugnat, quia indiuisibile additum indiuisibili, vel diuisibili non facit maius; partes ergo quantitatis seipsis extenduntur, & extraneantur ab inuicem, & indiuisibilia inseruiunt solum ad earum continuationem; in hoc autem differunt partes substantiæ materialis, & quantitatis, vt dictum est q. 1. huius disp. art. 2. & dis. 7. Log. qu. 2. art. 2. quod licet omnes sint extra seinuicem, tamen extreitas partium substantialium non facit repugnantiam ad impenetrationem, quia non sunt partes natura sua in eodem loco incompossibiles, vt sunt partes quantitatis, quæ sola est radix impenetrabilitatis. Dices si simul iungerentur duæ partes quantitate præcisis indiuisibilibus tunc vnirentur se totis per intromissionem, & penetrationem vnius cum alia, ergo re vera ad sola indiuisibilia spectat partes quantitatis ponere extra seinuicem & impenetrabiles reddere. Neg. conseq. sicut enim non benè argueretur dicendo, si materia, & forma vnirentur præcisis dispositionibus, totum substantiale constituere non possent, ergo ad solas dispositiones spectat substantialiter constituere totum; inde enim solum inferri potest, quod sint necessariæ conditiones ad talem constitutionem; ita in proposito ex assumpto in argumento solum inferre licet, quod indiuisibilia in quantitate necessaria sunt, vt impenetrabilitas quæ illis conuenit ex natura sua etiam indiuisibilibus præcisis, reducatur ad actum; in substantia verò materiali licet indiuisibilia ita vniant eius partes, vt vna sit extra aliam, & in solo in diuisibili copulentur, quia tamen illæ partes non sunt suaptenatura impenetrabiles, ideò absq. miraculo compenetrari possunt adinuicem, & cum alijs corporibus; non ergo indiuisibilia sunt principia impenetrabilitatis in quantitate, sed requiruntur solum, vt talis aptitudo reducatur ad actum, & ideo non sequitur, quod eis in substantia admissis, habeat substantia sufficiens principium impetrabilitatis, seu resistendi penetrationi, vt infert Ioan. de S. Thom. quia ad hoc inducendum sola indiuisibilia non sufficiunt, sed requiruntur etiam partes suaptenatura in eodem loco incompossibiles, quales non sunt partes substantiæ.

76 Quartò ostenditur, non dari indiuisibilia, propterea, quòd nihil iuuant; nam primò non inseruiunt propter contactum, quia (& est argumentum Hurt. quod contra contactum puncti conficit) adhuc pars debet esse simul cum comparte, non enim indiuisibile est extra locum partis, sed simul cum illa, ergo quod est simul cum indiuisibili, est etiam simul cum parte, & sic quia in continuatione vtraque pars est simul cum indiuisibili continuatiuo, erunt etiam simul ipsæ partes, &

in eodem loco; & idem dicendum de partibus duorum corporum se tangentium, quare possent poni simul sine isto indiuisibili. Tum 2. quia sphæra tangens planum vitreum, frangeret illud; ergo non in puncto tangit, sed in parte aliqua, Pater consequentia, nam fractio prouenit ex resistentia vnius corporis respectu alterius impellentis illud, ergo cùm illa puncta sphæræ, & plani sint simul, nec vnum alterum expellat, sequitur, quòd fractio proueniat ex partibus, secundum quas illa corpora se tangunt, & ad inuicem resistunt. Tum 3. quia nequit assignari, quid immediatè tangat indiuisibile in continuo, non aliud indiuisibile, quia non datur immediatum; non partem, quia nequit indiuisibile alicui diuisibili coexistere, vt contra Masium diximus in præced. argumento, ad quid ergo ponenda erunt? Tum 4. si quantitas esset absque superficie, posset tangi, illuminari, videri, vt si ignis esset propè aerem, & vterque propria careret superficie, posset ignis in aerem agere, ipsum illuminando, & calefaciendo. Item esset adhuc finita, non enim est intelligibile, quòd si Deus punctum auferret à linea, confluere deberet linea in infinitum, ergo esset verè finita. Neque dicas, negatiuè tantum fore finitam, non positiuè; nam cùm ratio termini, & finis propriè in negatione vlterioris perfectionis consistat, verè, & propriè linea illa terminata, & finita intelligetur absque puncto. Si dicas, non posse Deum punctum separare absque eo, quòd aliud insurgat in linea. Contrà, quia in alijs continuis à quantitate hoc euenit, nam si aliquod quantum ex vna parte haberet vnam formam, ex alia alteram oppositam, vel disparatam, si substantiales esset (vt est in corpore humano, quod continuum debet esse, vt sit aptum informationi animæ, & tamen ex partibus constat specie diuersis) tunc in indiuisibili continuatiuo medio non essent indiuisibilia duarum formarum, quia hoc naturaliter repugnat, & per Arist. specie diuersa nequeunt continuari, ergo altera illarum esset extrinsecè terminata, & consequenter absque indiuisibili terminatiuo, immo de quantitate idem esset dicendum, nam quantitas formæ extrinsecè terminatæ erit etiam extrinsecè terminata, sicut proprium subiectum, in quo inuenitur.

77 Resp. ad 1. esse maximè necessaria propter contactum, vt probatum est art. 2. cum impugnantur, dicimus, indiuisibile non esse extra partem, sed simul cum ipsa, non quidem quo ad existentiam itaut verè indiuisibile in parte existat, & subiectetur, vt dictum est, sed quo ad extensionem, & molem, nam non reddit quantitatem magis extensam, ac esset sine illo, & consequenter non occupat distinctum locum quo ad extensionem, sed sicut est extra partem per existentiam, quia in illa non existit, ita ipsi correspondet aliquid in loco partis, quod erit aliquid indiuisibile loci ipsi proportionatum, vt si indiuisibile locati est continuatiuum, correspondet in loco aliud continuatiuum, si est terminatiuum, aliud terminatiuum; qua propter pars, quia est cum indiuisibili simul quo ad extensionem, non quo ad existentiam non erit simul cum alia parte quo ad existentiam, itaut vna pars sit in alia, & cum ipsa penetretur, sed sequitur duntaxat, quod illæ partes simul sumptæ non faciant maiorem extensionem, nec maiorem locum occupent cum illis indiuisibilibus, ac sine illis. Ad 2. negamus fieri contactum per partes, sed per puncta, resistunt tamen, & franguntur, non quia adæquentur secundum aliquas partes, & compensurentur, sed propter summam approximationem, quam habent illa corpora sumpta non sincategorematicè, idest, secundum partes, quia cùm quælibet pars plani sit plana, & sphærici sit sphærica, secundum istas distant inter se, cùm non commensurentur, sed categorematicè, quatenus inter illa corpora non potest contingere maior approximatio secundum lineam rectam, ex quo sequitur, contactum fieri secundum punctum, & quia sunt maximè approximata, propter virtutem motuum vnius aliud impellitur, & frangitur.

78 Ad 3. Respondemus ex Scot. 2. dist. 2. q. 9. S. diuisibile esse indiuisibili immediatum stare dupliciter, vel quod secundum se totum est cum indiuisibili statim, seu post indiuisibile, vel quia inter ipsum secundum se totum, & indiuisibile nihil mediat; primo modo, inquit Doctor, diuisibile non tangit, nec est immediatum indiuisibili, quia nihil secundum se totum sequitur indiuisibile, sed secundum priorem, partem in infinitum sequitur, secundo modo, concedit, quia inter indiuisibile, & partem nihil mediat; ex qua doctrina dicimus ad argumentum, quod iste contactus, seu immediatio indiuisibilis cum parte non est per existentiam, quasi quòd aliqua pars siue determinata, siue indeterminata secundum se totam sit simul cum indiuisibili, vt vult Hurt. sed fit secundo modo, quatenus scilicet inter indiuisibile, & partem nihil mediat, vnde iste contactus est per quandam iuxta positionem, quia post partem immediatè sequitur punctum. Neque ex hoc eneruantur argum. Mathematica de contactu, vt infert Auersa, quia ait, posse dici, partes seu duas quantitates iuxta se poni sine indiuisibilibus. Non eneruantur, quia sequeretur primò, nullam esse differentiam inter continuum, & contiguum, vt art. 2. probauimus. Secundò, quia ista iuxta positio partium, seu quantitatum inter se nequit intelligi, nisi secundum aliquod indiuisibile, in quo vniantur, & tangantur, nam quod iuxta ponitur alteri debet esse determinatum, & terminatum; nequit autem vt sic intelligi, nisi aliquod indiuisibile, vt terminus eius ponatur, nam partes ex se non sunt determinatæ, cùm non sit prima pars, hoc autem non est necesse in iuxta positione partis cum indiuisibili, quia indiuisibile ponitur, vt terminus eius, & hinc bene dicere possumus, nihil primò vniri cum indiuisibili, sed post ipsum sequi partem tanquam aliquid indeterminatum, immo hoc est necessarium, quia res sine termino est necessariò indeterminata, & interminata, at si vna pars alteri iuxtaponitur absque indiuisibili, nec possemus in continuis dicere, post istam partem sequitur altera, quia ly *ista* supponit pro aliquo determinato, non indeterminato, & tunc quod sequitur, vel est determinatum, vel indeterminatum; non secundum per ipsos, quia eodem modo se habet vtraque pars; si primum, iam non erit quid continuum. Similiter in contiguus non possemus dicere, ista corpora sunt secundum aliquid simul, nam vel ly *aliquid* supponit pro diuisibili, vel pro indiuisibili; si secundum, habemus intentum; si primum daretur penetratio. Dices, sunt simul, quia statim sequitur aliud corpu post alterum, sicut indiuisibile est simul cum parte, quia statim post ipsum sequitur. Contrà, simultas non arguit diuersitatem loci, vt patet in parte, & indiuisibili, quæ in eodem sunt loco, ergo si contigua sunt aliquo modo simul, debent aliquot modo non habere diuersum locum, sed eundem ergo esset necessariò aliqua penetratio, concedenda. Dices etiam, si vnum indiuisibile vnitur parti, ergo per vnionem, talis autem vnio nequit esse diuisibilis, sed indiuisibilis, ergo duo indiuisibilia immediata, & idem quæritur de isto alio in infinitum. Respondemus, vnionem illam secundum nos non esse quid absolutum, sed relatiuum, vt diximus disp. 5. q. 2. de vnione substantiali, ideo negatur sequela.

79 Ad 4. dicemus, quod si quantitas careret superficie, ex vna parte deberemus concedere, posse illuminari, videri, tangi, &c. quia hoc est proprium quantitatis, ex alia deberemus admittere penetrationem, negare opacitatem in corpore, & similia, vt vidimus art. 2. ex quo apparet falsitas opinionis negantis indiuisibilia, sicut si esset per impossibile infinitum actu, non posset ipsi fieri additio ex ratione infiniti, & tamen concedendum esset adhuc, quòd Deus posset illud diminuere, & postea addere numerum aliquem; ex qua implicantia concluditur improbatio opinionis affirmanti dari posse infinitum in actu. Dicendum igitur est, quantitatem nunquam posse esse sine superficie terminante, licèt enim Deus destrueret vnam superficiem, statim per necessariam sequelam altera resultaret, quamuis realiter distinguatur à quantitate, quod colligitur ex Scot. 2. d. 2. qu. 9. sub M. vbi habet; quòd quantitas ratione superficiei habet multa, scilicet esse subiectum coloris, luminis, visionis, &c. vnde si subiectum est ratione, superficiei, sine ipsa non posset esse subiectum: quòd clariùs patet de figura, nam licèt possit quantitas esse sine hac, & illa figura, non tamen sine omni. Neque in generatione substantiali, aut in continuo etherogeneo, vt est corpus animatum, quantitas est extrinsecè terminata, quia eadem superficies est continuatiua vtriusque quantitatis, & quamuis in diuersis subiectis illæ quantitates inexistant, ex hoc enim solùm sequitur, realiter distingui, non tamen realiter esse disiuncta, nam illæ quantitates sunt eiusdem rationis inter se, & per consequens si vna est interminata, verè erit alteri terminatæ continua; propositio enim illa Arist. quæ specie differunt, nequeunt continuari, intelligitur, quòd quatenus specie differunt, non possunt habere aliquod vnum indiuisibile, quod eiusdem rationis sit cum illis partibus specie distinctis, vnde ignis, & lignum non possunt habere vnum indiuisibile continuatiuum, & eiusdem rationis cum igne, & ligno, sub illo enim indiuisibili quantitatis continuatiuo quantitatis ligni, & quantitatis ignis non est aliquod indiuisibile substantiale eiusdem rationis cum forma ignis, & ligni, sed vel est indiuisibile ignis, vel ligni. Neque est eadem ratio quantitatis, & alterius formæ continuæ, quod si ista potest esse extrinsecè terminata, etiam quantitas; ratio desumitur à posteriori, nam aliæ formæ solummodo indiuisibili indigent, vt terminatæ dicantur intrinsecè, & positiuè, ideoque si propter aliquod impedimentum istis indiuisibilibus carerent, nihil sequitur implicantiæ; at quantitas non solùm indiget superficie terminante, vt positiuè dicatur finita, & terminata (non enim ratio termini semper quid negatiuum dicit, quamuis per negationem explicetur) sed etiam vt per ipsam munera exerceat, quæ non posset prestare sine superficie.

79 Quintò si corpus perfectè piramidale, quod est illud, cuius nulla pars est æquè ampla cum altera, sed quæ basi est propinquior, est latior, quæ propinquior cuspidi, est arctior; signetur aliqua superficies in medio, hæc vel est æqualis parti inferiori tantum, vel superiori tantum, vel vtrique; si primum, ergo remanet aliquid superficie, quod parte superiori non cooperietur, & sic angulum faceret, nec esset perfectè piramidale; si secundum, iam aliquid partis inferioris non cooperitur superficie; si tertium, ergo non quælibet pars est inæqualis alteri, quod est contra naturam corporis piramidalis, quòd clariùs intelligetur, si piramis illa esset in duas partes diuisa, non ergo danda erunt hæc indiuisibilia. Tum 2. quia motus localis non potest esse ratio productiua alicuius, ergo nequit agens per diuisionem aliquod indiuisibile producere. Tum 3. quia per diuisionem quantum fieret maius, nam haberet duo indiuisibilia, & per consequens plures entitates. Tum 4. quia res materialis nequit esse indiuisibilis, cum de conceptu rei materialis sit partium multitudo extensiua, de conceptu rei spiritualis carentia istarum partium, sed punctum, si esset, deberet esse materiale, ergo non posset omni parte carere contra rationem ipsius puncti, ergo si negatur punctum, debent omnia alia indiuisibilia negari.

Respond. ad 1. retorqueri posse contra ipsum Auersam de partibus, nam si ex partibus dumtaxat esset compositum continuum, diuidatur piramis illa in medio, quando postea superponitur pars superior inferiori, vel est illi æqualis, & sic non esset perfectè piramidalis, vel minor, & tunc remaneret inferior in aliqua parte discoperta: quapropter dicimus, vel argumentum loquitur de parte determinata, vel indeterminata, determinata non datur post superficiem, pars indeterminata datur, sed non prima, & immediata, quare non poterit superficies dici illi æqualis, vel inæqualis, quia hoc conuenit partibus determinatis, vnde partes illæ erunt inter se inæquales, sed vt in superficie vniuntur, erunt æquales, quia vt sic sunt simul; potest hoc exemplo declarari, nam corpus locans est maius corpore locato, quia illud continet, & tamen si ambo secundæ superficies considerentur, dicuntur æqualia, quia secundum illas sunt simul; sic Cœlum superius secundum superficiem concauam non est maius inferiori secundum superficiem connexam. Ad 2. motus localis non est ratio formalis productiua alicuius, sed conditio sine qua non, nam indiuisibilia resultant ex partibus corporis. Ad 3. quando continuum diuiditur, non fit maius ens, sed habet plura entia, scilicet indiuisibilia, quæ non faciunt maius. Ad 4. res materialis non solum dicitur illa, quæ partes habet entitatiuas, sed etiam quæ ad istam habet attributionem, & pertinet, & in hoc sensu punctum est quid materiale, quia est continuatiuum, vel terminatiuum rei materialis, qualis est linea.

80 Sextò, si reuera darentur ista indiuisibilia, sequeretur, tot esse puncta in circulo minori, quot in maiori, etiam si iste circulus esset magnitudinis Cœli, ille verò aliqua palmaris linea circa centrum, patet, quia omnes lineæ à punctis Cœli ductæ ad centrum transirent per distincta puncta circuli minoris; hoc autem est absurdum, quia si illa linea palmaris, concipiatur iuxta Cœlum parum curua, adæquatè corresponderet omnibus punctis illius partis palmaris correspondentis in Cœlo, ergo nequit adæquatè correspondere, quando est circa centrum, omnibus punctis Cœli, quia Cœlum multò plura puncta continet, quàm pars illa palmaris, cùm contineat omnia puncta illius partis, & alia omnia aliarum partium: quod etiam demonstrari posset in diametro posito in quadrangulo: in rarefactione quoque, nam idem corpus absque additione nouæ quantitatis coexistit adæquatè minori loco, quando est densum, sed rarefactum maiori centies ampliato: rursus idem motus per horam factus adæquatè correspondet instantibus horæ per sua mutata esse, & tamen si idem motus fieret tardiùs, vt per annum duraret, adhuc deberent singula mutata esse singulis instantibus correspondere, quæ omnia sunt intelligibilia. Compl. disp. 25. Phys. q. 4. non audentes negare, plura puncta esse in circulo maiori, quàm in minori, vt dicebant Conimbr. vt huic responderent argumento, negarunt, posse à quolibet puncto circuli maioris duci lineam ad punctum circuli minoris, seu ad centrum per minorem circulum transeuntem, sed plures lineas ortas ex punctis circuli maioris terminari, antequam accedant ad circulum minorem, vt in figura, quam conficiunt, conspici licet.

Sed isti Doctores errant in principijs Mathematicæ; certum est enim, quod à centro ad circumferentiam possunt duci lineæ ad omnia puncta circumferentiæ, sicut è contra, à quodlibet puncto circumferentiæ ad centrum, quæ lineæ non nisi in centro concurrent, quia lineæ paralellæ sunt talis naturæ, quòd nunquam coincidunt inter se, etiamsi in infinitum protrahantur; vnde lineæ à centro ductæ quo magis à centro dilongantur, eò magis inter se distant, & consequenter solùm in puncto coincidunt, extra punctum verò statim spatio diuisibili in infinitum incipiunt seiungi, per quod aliæ lineæ in infinitum possunt duci à circumferentia ad centrum, ergo falsum est, quod lineæ à circumferentia circuli maioris ductæ antequam ad circulum minorem perueniant, vniantur inter se, & terminentur. Figura verò illa ab ipsis formata est nimis grossa, & materialis, non enim conspiciuntur lineæ paralellæ, & ad centrum directè protractæ, sed potius in latera flectentes. hinc est, quòd terminantur, antequam ad circulum minorem perueniant, vnde se habent vt lineæ incidentes, & obliquæ, cùm causent incidentes in lineam rectam à centro ad circumferentiam angulos inæquales. Accedit etiam, quod à quolibet puncto diametri ad costam possunt duci lineæ in infinitum, nunquam tamen istæ lineæ erunt terminatæ ad idem punctum costæ, sed ad diuersa, quia sunt paralellæ; tum quia ab isto puncto costæ ad aliud alterius costæ vnia tantum linea recta duci potest, quæ diametrum intersecaret in vno puncto, non in duobus, aliter vel ista puncta erunt simul in diametro, vel illa linea propè diametrum in duas partes se diuideret, quarum vna descenderet, vt per punctum inferius secaret diametrum; deinde iterum in vnam lineam vnirentur; igitur si à quolibet puncto diametri potest duci linea ad puncta costæ, quamuis diameter longior sit costa, etiam a quolibet circuli minoris duci poterunt lineæ, absq; eo quòd antea terminêtur.

81 Respondemus ergo, quòd ista ratio non solùm infert difficultatem contra indiuisibilia, sed etiam contra diuisibilitatem partium in infinitum, nam non posset assignari pars aliqua in Cœlo, quin correspondeat sua pars in circulo minori, & palmari circa centrum, & tamen si iuxta Cœlum poneretur, non posset correspondere nisi parti palmari ipsius Cœli; idem de diametro dicendum, ac de corpore rarefacto, & de motu, quæ non solum correspondent loco, vel tempori, aut costæ secundum indiuisibilia, sed etiam secundum partes, vt scilicet quælibet correspondeat cuilibet parti, in quas fieret diuisio. Nec soluit difficultatem paritatis, quod ait Auersa, scilicet quia partes sunt in infinitum diuisibiles, posse optimè intelligi adæquationem istam. Non satisfacit, quia annus plures habet partes, quàm hora, etiamsi hora sit in infinitum diuisibilis, nam continet partes horæ, & plures alias, quomodo ergo potest idem motus omninò adequari horæ, & anno secundum proprias, & easdem partes? nisi dicatur totum non esse maius sua parte; quicquid igitur respondetur ad hanc difficultatem de partibus, optimè adaptare poterit, quatenus contra puncta formatur.

Ex his autem, quæ art. seq. ad 4. dicemus, & disp. seq. respondere possumus, quòd sicut plures partes sunt in continuo maiori, quam in minori, ita plura indiuisibilia reperiuntur in maiori, quam in minori, & sicut cum ex hoc excessu in maiori continuo stat adhuc, quòd diuisio in vtroque possit in infinitum protrahi, quamuis plures partes maioris continui semper remaneant accipiendæ, itaut quo ad designationem actualem non tot partes proportionales possunt actu assignari in maiori, quin possint in minori assignari, cum hac tamen differentia, quòd quælibet pars proportionalis maioris continui excedat proportionalem minoris eadem proportione, qua continuum maius excedit minus, at si diuisio fieret secundum partes eiusdem magnitudinis, non possent tot partes accipi in minori, quot in maiori, sed istud semper illud excederet; Ita de punctis dicendum, quòd non obstante excessu punctorum in maiori circulo, possent adhuc in infinitum designari puncta in vtroque, quamuis plura semper in maiori remaneant accipienda, cum hac tamen differentia, quòd si designatio fieret secundum partes proportionales, to: idem puncta erunt accepta in vtroque, sed in maiori magis inter se distantia, quàm in minori, sicut partes sunt etiam maioris molis, at si fieret per partes eiusdem magnitudinis, plura puncta erunt semper accepta in maiori, quàm in minori; tunc ad argumentum respondemus, concedendo, quòd à quolibet puncto maioris circuli ad quodlibet minoris distributiuè potest protrahi linea, non verò collectiuè, nam vt sic maior excedit minorem in multitudine punctorum, sicut diuisio in partes potest in vtroque in infinitum fieri, non collectiuè, sed distributiuè; cum improbatur per positionem lineæ minoris propè Cœlum, dicimus, idem secundum diuersas positiones posse equari, vel correspondere minori, & maiori continuo, quia diuersimodè posset fieri diuisio in partes, & designatio per lineas, sic quando linea est circa centrum, designatio fieret per partes proportionales, & ideò potest in isto processu adæquari toti Cœlo, at quando est propè Cœlum, tunc per partes equales, & eiusdem magnitudinis fieret designatio, quomodo non potest toti Cœlo adæquari.

82 Eadem doctrina responderi potest alijs exemplis adductis, nam diameter quando est in quadrato, diuisio fit secundum partes proportionales, quia si costa à linea diuiditur secundum partem quartam, octauam, aut decimam, secundum eandem proportionem diuiditur diameter, sed quælibet proportionalis diametri excedit proportionalem costæ, sicut diameter costam excedit; vnde longior est linea diametri interiacens inter lineas secantes, quàm pars costæ inter illas inclusa, nam lineæ secantes costam conficiunt angulos rectos, at cum diametro faciunt angulos obtusum, & acutum: cum verò diameter est extra quadratum, diuisio fieret secundum partes æquales, quo modo diameter nequit costæ commensurari. Per idem ad alia exempla de corpore rarefacto, & de motu tardiori, quia cùm per rarefectionem in corpore non acquiratur noua quantitas, vt dicimus in lib. de Gen. sed solùm fiat mutatio positionis de genere situs, itaut partes, quæ priùs per densitatem correspondebant minori loco, postea nulla facta variatione positionis inter se extendantur in ordine ad situm, & minores partes correspondeant maiori loco, vnde si corpus locans est densius, habebit in se plures partes quantitatis, & plura puncta, quàm pars locati, attamen propter illam positionem de genere situs, quam habet de nouo quantitas rarefacta, se habebit sicut circulus minor correspondens maiori, cum hoc tamen discrimine, quòd diuisio circuli maioris, & minoris fit penes molem partium, itaut æqualitas, vel inæqualitas attenditur penes extensionem quantitatiuam localem partium; at in rarefacta quantitate, & in loco comparato in æqualitate, non fit penes occupationem loci, & spatij, quia in hoc conueniunt, sed penes partes quantitatiuas illorum, nam plures partes quantitatis sunt in denso, quàm in raro, in eodem tamen spatio, & per hoc saluatur maioritas corporis densi; sic idem motus velox correspondet horæ, at tardus potest anno correspondere, quia vbi priùs alicui parti motus velocis correspondebat tanta pars temporis horarij, eidem parti, & minori correspondet deinde tempus diurnum, vnde adæquantur in duratione, sed plures partes sunt in motu Cœli, quam in motu isto sublunari, quamuis si fieret diuisio in partes, tot partes proportionales essent in vno acceptæ, quot in alio, & in vtroque in infinitum fieret diuisio, licèt plures partes semper remanerent acci-

accipiendæ in illo motu veloci, quàm in tardo. Sed de his plura in lib. de Gen. vide tamen art. seq. vbi aliæ responsiones ad istam rationem adducuntur, & confutantur. Postremò Arriag. quoque nuper disp. 16. Phys. sect. 4. nonnullas facit contra indiuisibilia difficultates, quę cum allatis coincidunt, vel certè ex dictis facillimè diluuntur, quare eas missas facimus.

ARTICVLVS VI.

Enodantur difficultates contra existentiam actualem, & multitudinem assignatam partium in continuo.

83 Contra compositionem continui ex partibus explicatam artic. 3. graues sunt difficultates in hoc artic. expendendæ. fit 1. obijcitur probando, quòd partes actu non existant in continuo inter se distinctæ. Tum quia Aristot. vbicunque de continuo locutus est, semper dixit habere plures, & infinitas partes, non actu, sed potentia, ita pronunciauit 5. Met. 14. & 31. & 7. Met. 49. 3. de Anim 23. 9. Met. text. 11. & per hoc etiam soluit 8. Physicor. 69. argumentum quoddam Zenonis, qui ex infinitate partium negabat motum. Tum 2. quia quicquid est actu, debet esse determinatum, vt colligitur ex 7. Met. 49. & præsertim quælibet actualis quantitas habet propriam figuram, sed in continuo nulla facta signatione, aut diuisione, nulla quoque habetur determinatio, aut figura in partibus, quia ratione numeri possunt sumi semper plures, & plures, & ratione diuisionis possunt sumi variæ figuræ in infinitum triangularis, cubica, &c. Tum 3. quia si admittantur actu partes in continuo, tunc quoque deberent dici plures, quod est falsum, quia vnum dicitur, quod est indiuisum in se, & diuisum à quolibet alio, sed partes continui sunt indiuisæ, ergo sunt vnum, & etiam quia si quantitas continua haberet plures partes, non differret à quantitate discreta, nam multitudo est ratio quantitatis discretæ, & numerum constituit. Tum 4. quia si plures, & multæ constituantur partes continui, deberent quoque poni actu distinctæ quod dici nequit absque manifesto periculo incurrendi easdem difficultates, ac si poneremus eas esse actu diuisas, nã sicut si partes forent diuisæ, vna non includeret aliam, ac proinde continuum in indiuisibilia resolueretur, ita si ponantur omnes inter se distinctæ, vna non includeret aliam realiter, & etiam quia si sunt inter se distinctæ, iam nulla pars manet amplius distinguibilis in plures, atque ita nec diuisibilis, quia diuisibilitas fundatur in distinguibilitate. Tum 5. quia quælibet pars continui est magis vna in se, quàm cum alia comparte, nam alioqui vel non distingueretur à comparte, vel distingueretur a seipsa, sicut distinguitur à comparte, sed ante designationem, vel diuisionem nulla pars est magis vna in se, quàm cum alia comparte, cùm in se non habeat aliam rationem vnius, quam continuitatis, quo modo etiam est vna cum comparte, ergo ante designationem, vel diuisionem non sunt plures actu, nec distinctæ partes in continuo. Tum denique, quia si partes continui sunt plures entitates in actu ab inuicem distinctæ, continuum non erit ens per se vnum, sed per accidens.

84 Resp. sensum phrasis Arist. esse, quem ipse indicauit 1. Met. text. 18. definiendo quantum continuum, dum ait, *esse diuisibile in ea, quæ insunt, quorum, vnumquodque hoc aliquid aptum est esse*, atque ita non negat, partes esse actu in continuo in ratione partium, sed in ratione totius, & entium completorum, per se idest solitariè existentium, quantum enim ad hunc essendi modum solùm sunt in potentia, quousque diuidantur, quem etiam sensum ipsemet Arist. aptissimè dedit 7. Met. text. cit. 49. dum reddens rationem, quare continuum vnum non potest fieri ex multis actu inexistentibus, sed potentia, vt duplum ex duobus dimidijs in potentia, subdit, quia actus separat, &c. de sensu verò Arist. 8. Physic. 69. mox dicemus in solutione arg. Zenonis; satis nunc erit aduertere, argumentum eius vrgere, siue partes sint distinctæ, siue non, quia argui posset, quod mobile per motum designaret partes continui, atque ita nunquam posset incipere motus, quia incipere non posset designatio primæ partis. Ad 2. duplex est rei determinatio, alia quæ fundatur in termino rei intrinseco, seu in hæcceitate rei, & hæc à diuisione pendet, alia, quæ fundatur in termino extrinseco, & hæc à diuisione pendet, & propriè spectat ad res corporeas, quæ tantæ, vel tot iudicantur, cum sunt separatæ, & diuisæ, maior illa intelligitur de determinatione extrinseca, & accidentali, quæ habetur ex termino indiuisibili per diuisionem resultante, quæ determinatio est in toto, & non in partibus, non autem intelligitur de intrinseca, & essentiali, quæ oritur ab hæcceitate; & etiam figura sequitur ad quantitatem determinatam, non in primo, sed in secundo sensu, quia oritur ex varia quantitatis terminatione, vt notat Doctor 4. dist. 12. quæst. 4. F. Ad 3. duplex vnitas in partibus continui considerari potest, vna transcendentalis, & entitatiua, altera prædicamentalis, & quantitatiua, seu integralis, illa oritur ex propria rei hæcceitate, ista ex accidentali copulatione ad eundem terminum communem, partes continui in ipso dicuntur vnum in hoc secundo sensu, non autem in primo, quia vnitas continui non excludit pluralitatem partium, nec tollit hæcceitates earum. Neque ob id confunditur ratio quantitatis continuæ cum discreta, falsum enim est multitudinem partium esse rationem propriam discretæ, cum potius sit ratio quantitatis in communi, & postea distinguantur per habere proportionem ad inuicem, vel non habere, vt docuit Aristot. in prædicamento quanti, & patet ex dictis art. 3. concl. 1.

85 Ad 4. conceditur, partes continui, & esse plures, & esse actu distinctas, & negatur, eadem difficultates incurri, ac si ponerentur diuisæ, quia cum distinctione vnius partis ab alia stat adhuc inclusio istius in illa, & pars includens distingui dicitur ab inclusis distinctione inadæquata, quæ propriè versatur inter includens, & inclusum, at diuisio omnem inclusionem excludit, vt de se patet. Negatur etiam ex hoc, quòd ponantur actu distinctæ, sequi esse indiuisibiles, potius enim sequitur esse diuisibiles, quia diuisibilitas fundatur non in distinguibilitate, sed in actuali dist. partium, & potius è contra, si non essent realiter distinctæ, indiuisibiles forent, quia separari nequeunt, quæ sunt realiter idem. Ad 5. variæ sunt solutiones, quia argumentum aliquam habet difficultatem, sed breuiter Respondetur ex Scot. in 4. d. 10. quæst. 3. ad 4. & d. 43. q. 1. D. quam resp. amplectitur Amic. tract. 15. q. 6. nu. 80. duplicem esse continuitatem in parte, vnam intrinsecam, seu inclusam, alteram extrinsecam, seu coniunctam; prima dicitur intrinseca, quia sibi conuenit ratione partium, quas includit, altera dicitur extrinseca, quia sibi quasi ab extrinseco aduenit, ex coniunctione nimirum cum alia comparte, ex quo colligitur, partem maiorem habere in se vnitatem, quam cum comparte, cum illa enim habet tantum vnitatem continuationis extrinsecæ, quatenus ab extrinseco, & per accidens ei coniungitur, sed in se est vna vnitate continuitatis intrinsecæ, & inclusæ, quatenus in se constituitur, ex partibus, quæ habent continuationem. Ad 6. negatur conseq. quia aliud est loqui de toto physico essentiali, & eius partibus, & aliud de integrali, nam essentiale, vt sit vnum per se, tales vtique exigit partes, quæ nec sint entia in actu, nec hoc aliquid esse possint, etiam si separarentur, vt est de materia, & forma, & de hoc toto loquebatur Arist. 7. Met. dum dixit, ex duobus entibus in actu non fieri per se vnum, at totum integrale non exigit partes sic in potentia, immo Arist. 5. Met. 18. significauit, has esse posse hoc aliquid, si ab inuicem separentur, sed petit partes in potentia, vt potentia excludit actum totalitatis, & subsistentiæ, & proprium terminum extrinsecum, quia isto carere debent; & copulari vni termino communi, & hoc sufficit, vt faciant vnum per se vnitate continuitatis.

86 Secundò occurrit contra infinitatem partium Zenonis argum. antiquum quidem, cuius tamen vis nunquam debilitata est ob senectutem, data enim hac partium infinitate, aiebat Zeno, motum de medio ablatum iri, quia antequam mobile pertranseat aliquod spatium, debet prius pertransire illius medietatem, & rursus illius medietatis dimidium, & sic deinceps quauis designabili minorem, & minorem in infinitum, ergo nunquam incipit motus, quia infinitum pertransiri non potest ex 5. Phys. 34. Resp. Arist. 6. Phys. text. 19. quod sicut in spatio sunt partes minores, & minores in infinitum, ita, & in tempore, vnde infinitum secundum partes proportionales pertransiri potest, pariter in tempore infinito secundum easdem partes. Sed hæc solutio est ita friuola, vt ipsemet Arist. 8. Physic. 68. ingenuè fateatur insufficientiam eius, vtpotè quæ transferat quæsitum à spatio ad tempus, quia adhuc posset quis instare, quomodo pertransiri possit ipsum tempus constans partibus infinitis, & ideò ibidem aliter soluit, dicendo, in continuo esse infinita dimidia, & partes non actu, sed potentia, & ideo benè pertransiri posse, qua responsione postea vsi sunt Peripat. omnes, quorum tamen nullus clarè dedit intelligentiam eius.

Quidam enim dixerunt, esse ibi infinitas partes in potentia, non in actu, ita quòd voluerit negare Philosophus actualem distinctionem inter partes continui, cuius expositionis falsitas patet ex dictis, nam partes verè sunt actu in continuo distinctæ, & quando etiam non forent nisi in potentia, adhuc vrgeri potest difficultas ob designationem partium factam per motum. Alij verò dicunt, Arist. negare in continuo esse actu infinita dimidia quo ad diuisionem, vel designationem, quasi possint esse actu diuisa, vel assignata infinita dimidia, & affirmat esse infinita in potentia, hoc est, posse semper assignari plura, & plura absque termino, ita tamen vt nunquam assignanda sint actu infinita, & ideò posse per motum omnia pertransiri, & videtur expositio Simplicij. Sed non apparet, ex quo cap. per hoc soluatur argumentum Zenonis, & quomodo ex hoc, quòd partes non sunt infinitæ in actu, & categorematicè, sed in potentia, & sincategorematicè, sequatur, per motum posse pertransiri, quia tam infinitum primi generis, quàm secundi est impertransibile. Lichet. 2. d. 2. q. 9. §. *Contra 3. &c.* explicat, quòd partes dicuntur esse in potentia in continuo quo ad subsistere, sed esse in actu quo ad existere; vnde inquit non esse inconueniens, quod infinita in actu inexistentiæ possint pertransiri, esset tamen inconueniens de infinitis in actu subsistentiæ. Sed neque hoc satisfacit, nam si daretur spatium actu infinitum ex infinitis partibus æqualibus constitutum, adhuc pertransiri non posset, & tamen partes illæ forent infinitæ existendi, non subsistendi, quia non essent diuisæ.

87 Complut. 6. Phys. disp. 25. quæst. 5. inquiunt, quòd post primum instans temporis, quamuis non fluat aliqua determinata pars, quæ prior, ac immediatior prædicto instanti fluxerit, nihilominus datur aliqua indeterminata, & confusa, quæ indeterminato, & confuso modo sit immediata instanti, & sic ratione illius potest tempus indeterminatè, & confusè incipere, sicut etiam potest desinere ratione alterius partis indeterminatæ, & confusæ, quæ eodem modo sit immediata instanti terminatiuo temporis, & sic pariter in spatio, & in motu admittunt immediatam partem indiuisibili initiatiuo spatij, & motus, & in ea parte dicetur motus incipere, & eam primò pertransire. Sed planè repugnat admittere primam partem motus, vel temporis etiam indeterminatam, repugnat admittere partem temporis, vel motus etiam in eo sensu immediatam indiuisibili initiatiuo motus, vel temporis, aut terminatiuo; tum quia ex tali primitate, & immediatione dici deberet determinata, vnde implicat in adiecto dari primam partem, & immediatam indiuisibili initiatiuo indeterminatè, & confusè; tum quia saltim Deus, qui eam creauit, perfectè discerneret, potius ergo eam non discernit, quia nec est, nec dabilis est aliqua pars etiam indeterminata ita prima, & immediata indiuisibili initiatiuo, vt aliqua alia prior non sit assignabilis, nam vtique pars illa indeterminata, quæ sic immediata ponitur, adhuc diuisibilis foret.

Auersa q. 22. sect. 7. explicat, ideò Arist. dixisse, partes continui esse infinitas in potentia, & hac ratione pertransiri posse, non autem si ponantur infinitæ in actu, quia partes infinitæ primo modo dum taxat constituunt magnitudinem finitam, eò quòd sint semper minores, & minores, & vna in aliam inclusa, & ita facilè pertransiri poterunt, quatenus concluduntur intra finitam extensionem, quod certè de partibus actu infinitis dici nõ posset, subdit tamen, has infinitas partes pertransiri non posse, quatenus infinitæ sunt in multitudine, hoc est non posse distinctè numerari omnes à prima ad vltimam, sed pertransiri tantum, quatenus constituunt finitam magnitudinem, quæ fuit expositio Pendasij 8. Phys. par. 85. vbi docet, partes continui, vt plures, esse impertransibiles, non vt faciunt vnum, & ideò continuum absolui per motum, vt vnum quoddã totum extensum, non vt multa; ita q; Arist. ait, infinitas partes esse in continuo potentia, nõ actu, quatenus in eo non terminantur proprijs terminis, nec sunt extra se inuicem, sed minores includuntur in maioribus; eam verò determinationem accipiunt partes per diuisionem, vel signationem, dum in continuo, in quo est vnum punctum continuans partes, concipiuntur duo, quorum vnum est principium, & alterum est finis alterius partis; motus igitur non ita tangit partes; vt eas determinet, vel designet, vel ita quod per eum numerentur partes continui, nec proportionales, nec æquales, quia numeratio fit per signationem partium modo explicato, vnde falluntur illi, qui dicunt, motum fieri non per partes proportionales, sed per æquales, nam neque æquales designantur per motum quo continue sine interposita mora à termino à quo ad terminum ad quem decurritur.

88 Hæc Pendasij expositio cæteris antecellit, & hunc genuinum arbitramur fuisse Arist. sensum; verùm Amic. tr. 15. q. 7. ar. 9. eam vexare conatur; quamuis paulò infra in eodem art. iunctis pedibus prolabatur in ipsam, ait enim, impossibile esse pertransire continuum, vt extensum, nisi pertranseantur partes, nam essentia extensionis non constat ex alijs, nisi ex illis partibus, ergo non potest pertransiri continuum, vt vnum, sed vt constat ex illis partibus, quia motus magis respicit terminum, vt dicit pluritatem, quam vt dicit vnitatem, quia consistit in acquisitione partis post partem. At hoc à præfata expositione nos non debet retrahere, quamuis enim verum sit, quòd concomitanter ad motum nos numeramus per designationem partes æquales continui, eò quòd videmus, mobile acquirere modò hanc, modò vlteriorem spatij partem, tamen formaliter ipse motus non est instrumentum, quo diuidantur, vel designentur partes continui, sed respicit illud, vt vnum quoddam extensum continuè pertransiendum; non tamen ob id asserere intendimus, quòd respiciat continuum, vt vnum quoddam simplex, immò constanter asserimus respicere aliud, vt compositum ex pluribus partibus actu inter se distinctis, sed quia cum tali distinctione stat inclusio vnius partis in alia, & infinitarum in vna determinata, ideò dicitur pertransire infinitas per accidens ex Arist. 8. Phys. 68. quatenus nimirum proportionales continentur in æqualibus, & hoc est, quod dixit Scot. 1. d. 3. q. 2. ad 3. infinitum pertransiri posse, & cognosci, non tamen secundum modum suæ infinitatis, qui est accipere numerando vnam illius partem proportionalem post alteram.

Sed licèt vis argumenti Zenonis factum de partibus spatij quoquo modo declinari possit, dicendo, quòd mobile pertransit successiuè spatium sine numeratione partium eius, quia pertransit sine determinatione, & alia est ratio motus, alia numerationis, vt notat Arist. lib. de lineis insecab. ex quo fit, partes continui per numerationem successiuam pertransiri non posse, posse tamen per motum: tamen si argumentum à fluxu motus ad fluxum temporis transferatur, dissimulari non potest, nam dum fluit tempus, certè singulæ partes eius numerantur, vna enim horæ medietas prius accipitur, quàm alia, & prius dimidium huius medietatis, & sic deinceps, & tamen non obstante tali partium proportionalium enumeratione ad finem horæ peruenitur, ergo partes proportionales in tempore non erunt infinitæ, & sic quoque erit de partibus motus.

89 Adhuc tamen per eandem doctrinam vis argumenti declinãda est, negando, quòd transitus temporis, & horæ fiat per numerationem partium, transit enim hora, vt totum quoddam vnum habens extensionem successiuam, habens plures, & infinitas partes minores, & minores in maioribus tamen, & determinatis inclusas, horæ autem diuisio in partes æquales, & proportionales determinatas fit à nobis (nam alioqui à parte rei sunt inuicem vnitæ, & continuæ,) & potest vtique protrahi in infinitum. Hæc de argumento Zenonis, quibus acquiescere debemus, tum ob reuerentiam maiorum, qui ita respondent; tum quia nihil adhuc occurrit, quo plenè huic argumento satisfieri potuerit, neque id nos à sententia Perip. deterrere debet, quia vt docet Arist. 8. Phys. 22. infirmitas est intellectus propter apparentes rationes sensatam relinquere probationem, & lib. de Lin. Insec. dicit, imbecillis, & ignaui ingenij esse opinionem aliquam, quam euidens ratio euincit, ideò deserere, quia alicui argumento non potest plenè satisfieri, sunt enim apud nos, inquit, falsa permixta veris, & ea sæpè mens nostra ægrè distinguit.

Tertiò, quia Arist. fundamentum ad soluendum Zenonis nodum in eo consistit, quòd numerus partium infinitarum incertæ magnitudinis possunt pertransiri, quatenus sunt ita ad inuicem dispositæ maioribus minores includentibus, quòd constituunt, finitam magnitudinem, & magnitudo absoluitur per motum, non multitudo, Probatur modò, ex tali partium multitudine, infinitam quoque extensionem consurgere debere, cum enim omnes huiusmodi partes sint quantæ, ac proindè se cum aliquam afferant magnitudinem, nec vna se penetret cum alia, sed distinctam loci partem occupet, ex his certè, quamuis sint proportionales, consurget infinita magnitudo, si sunt infinitæ.

90 Resp. neg. sequelam, infinita enim magnitudo consurgere nequit, nisi ex partibus infinitis determinatis, quarum vna non continetur in alia, at ex partibus infinitis indeterminatis, hoc est, minoribus semper, & minoribus in infinitum, non nisi finita magnitudo consurgere potest, licet enim omnes istæ partes sint infinitæ, tamen etiam infinitè decrescunt, & minores semper includuntur in maioribus, ex quo fit quod licèt in quantitate bipalmari palmus vnus non compenetretur cum altero, semipalmus tamen, quia communicat cum palmo, potest hac ratione dici penetrari cum eo, quia ratione talis communicationis non magis palmum extendit, quam si palmus illum non includeret, sed esset entitas quædam omninò simplex carens partibus realiter distinctis, ex quo tandem fit, omnes illas partes infinitas in quibusdam certis inclusas non esse occupaturas, nisi spatium toti continuo proportionatum, neque conficere extensionem maiorem, quam faciant illæ determinatæ, in quibus includuntur. Exemplo res manifesta fiet; sit certa aquæ copia, diuidatur in decem decimas, confundatur iterum, tum de nouo diuidatur in centesimas proportionales respectu decimarum, planè illæ centesimæ non conficient extensionem maiorem, quam illæ decimæ, & si iterum illæ centesimæ diuidantur in millesimas, non facient maiorem extensionem, quàm illæ centesimæ, & illæ decimæ, & hoc non alia ratione, nisi quia vt dicebamus, iste processus fit semper versùs minoritatem, & versùs partes inclusas, & communicantes cum maioribus, & paucioribus, quæ proinde non faciunt extensionem maiorem, quam faciant illæ maiores, & pauciores, & per hoc soluitur argumentum, quo nititur Arriag. cit. n. 35. ostendere esse in continuo infinitas partes determinatas, cum enim vna pars est minor alia, atque in ea inclusa dicitur indeterminata, vt explicauimus n. 50.

Sed vrgebis, hoc ipso, quòd partes proportionales sunt infinitæ, nõ sunt communicantes, ergo infinitam constituent extensionem, Prob. assumptum, ideò enim pars vna dicitur communicare cum alia, quia in ea includitur, vt medietas eius, vt semipalmus cum palmo, nam extensio semipalmi includitur in extensione palmi, at si partes proportionales continui sunt infinitæ, inter singulas mediabit punctum, ratione cuius erunt in continuæ, & vna extra aliam, atque ita neutra alteram includet. Resp. negando assumptum, ad cuius probationem dicimus, partes proportionales non esse ita inter se dispositas, vt inter hoc, & illud punctum mediet aliqua certa, & sic deinceps, sed ita sunt dispositæ, vt quacunque assignata inter duo puncta, adhuc aliæ minores, & minores sint assignabiles cum ea communicantes, & quamuis verum sit, vnam partem non communicare cum alia, ad cuius integritatem non spectat, sed tantum cum ea copulari in puncto, vt palmus cum palmo, vel semipalmus cum alio semipalmo, comparando tamen partem minorem cum maiori, vt semipalmum cum palmo, non dicitur cum ea puncto copulari, sed in ea realiter includi, vt pars minor in maiori.

91 Sed iterum dices, infinitæ partes proportionales inserunt infinitas æquales, ergo infinitam molem constituunt, Prob. assumptum, nam in quolibet continuo sunt duæ medietates æquales, & in qualibet medietate duæ aliæ æquales, & sic deinceps, atque ita in prima diuisione duas habebimus medietates æquales, in secunda quatuor æquales, postea octo, deinde sexdecim, & sic in infinitum dabitur processus per medietates hinc inde æquales. Resp. concedendo in hoc sensu infinitas partes æquales in continuo non inuicem communicantes, quia istæ sunt indeterminatæ, & in diuisione fit semper processus versus minoritatem, vnde de istis idem iudicium ferri, debet, ac de proportionalibus in astruenda magnitudine; sunt enim semper minores, & minores, & quamuis vna aliam non includat, tamen singulæ includuntur in maioribus, ex quarum diuisione oriuntur; quando autem negantur infinitæ partes in continuo, fermo est de determinatis æqualibus certæ. Instabis adhuc, partes proportionales infinitas inferre æquales etiam determinatas, & eiusdem quantitatis infinitas, non data magnitudine longitudinis palmorum decem, & latitudinis palmi vnius, si diuisio fiat per primas duas medietates, & postea per medietates medietatum in infinitum, certè quælibet illarum erit latitudinis palmaris. Resp. negando sequelam, quia diuisio, quæ procedit in infinitum,

nitum,nõ fit ſecundum eam rationem, ſecundum quam eſt æqualitas, ſed ſecundum longitudinem , ſecundum quam eſt inæqualitas partium, nam primæ duæ medietates erunt ſingulæ quinque palmorum, aliæ ſequentes duorum & dimidij, & ſic deinceps, vnde quando negantur in continuo infinitæ partes æquales,& determinatæ,ſermo eſt de partibus æqualibus ſecundùm omnem dimenſionem,ſic enim molem infinitam conſtituerent .

Ex dictis colligitur , quare ſi inuicem continuarentur infinitæ partes æquales non communicantes,molem infinitam conſtituerent,non ſic verò infinitæ proportionales, diſcrimen enim colligi debet ex diuerſo modo exiſtendi in continuo harum, & illarum , partes enim æquales eſſent actu in continuo determinatæ tam quo ad exiſtentiam,quam quo ad tantitatem, ſingulæ enim eſſent determinatæ magnitudinis,& ſingulæ extra ſeinuicem,ita quòd non communicarent, niſi in puncto , partes autem proportionales non ita ſunt diſpoſitæ in continuo , & diſtinctionem vnius ab alia,tamen quo ad tantitatem ſunt prorſus indeterminatæ,cùm vna ſemper includatur in alia , nec aliqua tam modica aſſignari poteſt, quin adhuc poſſint aſſignari minores, & minores in ipſa incluſæ, quæ diſtinctum locum non occupant , cùm ſint partes eius , qua ratione poſſunt dici minores quaſi compenetratæ cum maioribus , at partes æquales ſunt prorſus determinatæ, & eiuſdem quantitatis, & vna prorſus extra locum alterius, & ideò ſi ſunt infinitæ, infinitam facient extenſionem eo prorſus modo , quo ſuntinfinitæ .

92 Quartò , ex hac partium proportionalium infinitate ſequitur, non eſſe plures partes in vno continuo, quam in altero, non plures in maiori , quàm in minori,non plures in Cœlo, quàm in grano milij, non plures in toto,quàm in parte,ex quo deinde ſequitur, omnes magnitudines eſſe inter ſe æquales,nec totum eſſe maius ſua parte. Reſp. Conimb.cum Greg.in 2.d.2.q.2.ad 12.concl.& Lich.2.d.2.q.9. §. *Reſpondeo ad primum, &c.*gratis concedendo,non dari plures partes proportionales in continuo maiori quàm in minori,quia ſi darentur duo circuli,quorum maior minorem intra ſe contineat,tunc omnes lineę à circumferentia maioris ductæ ad centrum tranſirent per circulum minorem,Ex quo patet,tot puncta in eo reperiri,quot in alio, negant tamen conſequentiam alteram hinc illatam,quèd omnes magnitudines eſſent inter ſe æquales , & totum non maius ſua parte, quia magnitudo non oritur ex multitudine partium proportionalium ,ſed ex earum magnitudine,eò quod partes proportionales continui maioris ſemper ſunt maiores partibus alterius .

Sed malè conceditur prima ſequela,& negatur altera inde deducta, malè conceditur, quo ad multitudinem tot eſſe proportionales in cõtinuo maiori,& minori,in toto,& parte , tum quia pars reſpectu totius non ſolùm poteſt conſiderari ſecundum magnitudinem , ſed etiam ſecundum multitudinem, & in vtroque debet excedi à toto, quia totum continet quicquid eſt in aliqua parte,& aliquid amplius; tum quia ſi linea minoris circuli, & maioris extendantur in lineas rectas , & vna ponatur ſub alia cum aliqua diſtantia, clarum eſt, lineam maioris circuli fore duplò longiorem , & tunc à ſingulis punctis lineæ minoris circuli poterint duci lineæ ad ſingula puncta vnius medietatis lineæ maioris circuli , ſed non ad puncta alterius medietatis excedentis,vt demonſtrauimus art.præc.ad 6.vbi doctrinam Compl. circa hos circulos refutauimus .

Idcircò Suar.in Met.diſp.40.ſect.5.n.49. Ruuius tract. de Inf.& de Cont.& lib.de Gen.tract.de raref.n.137.& 138. admittunt,non ſolùm maiores,ſed etiam plures eſſe partes continui maioris,quam minoris, plura puncto in circulo maiori,quam in minori, atque ita concedũt , vnum infinitum poſſe eſſe maius alio materialiter , licèt non formaliter . Contrà ,tum quia vt ſeq.diſp.dicemus, implicat, vnum infinitum eſſe maius alio etiam materialiter,nimirum quo ad res ipſas, ex quibus componitur , hoc enim directè deſtruit rationem ipſam formalem infinitudinis in hoc conſiſtentem,quòd non habeat terminos, eos autem haberet admiſſa hac materiali maioritate , vt ibi oſtendemus , ibi enim terminaretur vnum infinitum, vbi inciperet ab alio excedi . Tum quia infinito repugnat excedi in eo genere , in quo eſt infinitum . Tum quia , vt inquit Canon. tandem deueniendum erit ad hoc , quòd in continuo quolibet ſint infinities infinitæ partes , cum enim continuum quodlibet contineat infinitas partes proportionales in actu , quarum quælibet eſt ſimiliter diuiſibilis in infinitas partes , planè in quolibet continuo erunt infinities infinitæ partes .

93 Compl. gratis concedunt , eſſe in quolibet continuo infinities infinitas partes,adhuc tamen affirmant,plures eſſe in continuo maiori,quam in minori,quia plures partes ſunt poſſibiles, quàm infinities infinitæ,ſi enim multitudo partium infinities infinita bis , & pluries multiplicetur, maior eſt, quàm prædicta multitudo , vndè ſi in vna medietate continui ſunt infinities infinitæ partes , tot etiam ſunt, & in altera , ſed multitudo partium totius adhuc erit maior , quia talis multitudo infinities infinita bis ſumitur in toto,ſemel in ſingulis partibus . Sed multitudo huiuſmodi partium in quolibet continuo infinities infinita,infinities infinitas patitur difficultates,vt ſeq.diſp. dicemus : nam præterquamquod multitudo ſic infinita implicat ex 3. Phyſ.37.hac admiſſa multitudine partium in omni continuo , nõ poteſt amplius defendi,plures eſſe in continuo maiori,quàm in minori, vbique enim erunt infinities infinitæ, vnde auctores admittentes infinitum eſſe poſſibile,& dicentes , quamlibet infinitam multitudinem non poſſe eſſe ſemel infinitam, ſed debere eſſe infinities infinitam, negant pariter, vnum infinitum eſſe maius alio , & cùm quodlibet continuum contineat infinities infinitas partes , quarum ſingulæ tot alias continent,& toties, tandem ad hoc deueniendum erit , quòd in vnoquoque continuo erit infinities infinita partium multitudo, & infinities quoque multiplicata,& ideò ſicut dari non poteſt multitudo infinita ſemel,ſed debet eſſe infinities infinita , ſic quoq; dari non poterit multitudo infinities infinita, & ſemel ſumpta,ſed debebit quoque eſſe infinities multiplicata , & ſi eſt plus multiplicata in toto , quam in parte , redit difficultas , quòd vnum infinitum ſit maius alio. Ex hoc patet quam difficulter hunc laqueum effugiant , qui ponunt partes proportionales in continuo infinitas in actu , & categorematicè .

94 Præſtat igitur ponere illas infinitas ſyncategorematicè tantum,ſic enim ſaluatur partes in continuo maiori eſſe maiores,& plures numero,quam in minori, etiam ſi vtrobique ſint infinitæ , quamuis enim infinitati categorematicè repugnet habere maius ratione ſuæ actualitatis, & multitudinis in gradu ſupremo , tamen infinitas ſyncategorematica poteſt habere maius ratione ſuæ potentialitatis; & indeterminationis , & ideò in infinito ſyncategorematico non repugnat dari magis, & minus . Sed quomodo infinitum ſyncategorematicum poſſit maius,& minus recipere,variè explicatur ab auctoribus hunc dicendi modum ſequentibus , quidam enim diſtinguunt in iſto infinito partes acceptas, & accipiendas, & ratione partium acceptarum aiunt vnum infinitum ſyncategorematicum eſſe maius , vel minus alio, licèt non ratione accipiendarum , cum enim per diuiſionem palmaris habebimus duos ſemipalmos,per diuiſionem bipalmaris in partes eiuſdem quantitatis habebimus quatuor ſemipalmos , & ita ſemper erit in toto proceſſu , quòd plures partes in actu eiuſdem quantitatis erunt acceptæ diuidendo continuum maius , quam diuidendo minus, ſed in potentia tot partes eiuſdem quantitatis erunt accipiendæ in maiori,quot in minori . Sed modus iſte dicendi tenendus non eſt;tum quia ſecundum hac viam de partibus accipiendis redeunt difficultates omnes,quæ obijciuntur contra tenentes,tot eſſe partes in continuo minori,quot in maiori , tum quia recipere maioritatem ſecundum partes acceptas eſt eam recipere ſecundum partes finitas , quia acceptæ ſemper ſunt finitæ , ſed etiam infinitum categorematicum ſecundum tales partes magis,& minus poteſt ſuſcipere. Ideò dicendum eſt, ſyncategorematicum infinitum etiam ſecundum partes accipiendas , quæ dicuntur infinitæ, poſſe magis,& minus ſuſcipere, vnde Cœlum ſi diuidatur ſimul cum grano milij , dicetur maius eo , non ſolùm quia partes ex eius diuiſione acceptæ, vel accipiendæ ſemper ſunt maiores, ſed etiam quia ſunt plures accipiendæ ex vno quam ex alio . Et huius ratio eſt , quia de ratione partium ſyncategorematicè infinitarum , non eſt , vt vltra , vel præter illas non ſint aliæ partes,vt de infinito categorematico,ſed ſolùm vt ſint tot, quod illarum acceptio ſucceſſiua finem habere non poſſit ; vt fusè diſp.ſeq.qu. 1.art.2.

95 Quintò vrgetur alia ardua difficultas, quæ totam videtur euertere doctrinam in præc. reſponſione allatam de infinitate ſyncategorematica partium , nam ſi ſunt actu in continuo, & non ſunt finitæ, ſed infinitæ,ergo erunt categorematicè infinitæ, & non ſyncategorematicè,Prob.conſequentia hæc enim eſt differentia inter vtrunque infinitum, quod categorematicum eſt, vel eſſe poteſt totum ſimul in actu , ſyncategorematicum verò partim eſt in actu, partim in potentia, vnde ſemper includit ſucceſſionem,& potentialitatem , ita Ariſt. diſtinxit vtrumque hoc infinitum 3.Phyſic.56.& 57.& Scotus quol.5. ab initio .

Reſp.difficultatis huius ſolutionem pendere ex 1. q. diſp.ſeq.art.1. vbi aperiemus diſcrimen inter infinitum categorematicum,& ſyncategorematicum,multi namque falluntur in hac materia,ſupponẽtes, infinitatem ſyncategorematicam non poſſe in rebus actu exiſtẽtibus reperiri,ſed tantum in illis,quæ ſunt in potentia quo ad exiſtentiam, ſiue partim in actu,partim in potentia,ſed hoc fundamentum eſt prorſus ruinoſum, quia eſtò infinitas ſyncategorematica potentiam dicat actui admixtam in præfato ſenſu , adhuc tamen reperiri poteſt in rebus actu exiſtentibus cum potentia actui admixta in alio ſenſu,& adhuc benè diſtinguetur ab infinito categorematico , nam de concepru intrinſeco infiniti categorematici non eſt , quòd omninò abſtrahat à potentia,neque ſyncategorematici,quòd abſtrahat ab actu , quia ante mundi creationem nihil erat in actu,niſi Deus,ſed omnia in potentia, & tamen conceptus vtriuſque infiniti inter ſe differebant , ſed propria ratio infiniti categorematici eſt hæc , vt tanta ſit multitudo, quòd nequeat eſſe maior,& ſint tot eius partes,quòd plures eſſe nequeant,hoc eſt in maxima,& ſuprema multitudine, & ita è contra infinitum ſyncategorematicum illud erit,cuius partes non tot ſunt,quin adhuc ſint plures , aut plures eſſe poſſint , nunquam tamen attingere maximam multitudinem , quæ ratio infinitatis etiam reperiri poteſt in rebus actu exiſtentibus,de quibus affirmari poſſit,quòd non ſunt tot, quin adhuc ſint plures , nunquam tamen dici poſſit , quod ſint ſimpliciter infinitæ,& in ſuprema multitudine.Ex quo colligitur,numerum ſyncategorematicè infinitum,ſiue ſit in rebus actualibus,ſiue potentialibus,mediare quodammodo inter ſimpliciter finitum, & ſimpliciter infinitum,nam numero finita ſimpliciter dicuntur, cum tot ſunt, & non plura infinita ſimpliciter,cum dantur ea,quæ dici poſſunt ſimpliciter infinita,& in maxima, & ſuprema multitudine:infinita ſyncategorematicè tandem, cum quæ dantur, ſint actu plura,aut potentia ſine termino,nunquam tamen in tanta multitudine,vt dici poſſunt ſimpliciter infinita,& ideò dici ſolet numerus iſte finitus in infinitum; Id autem genus infiniti , infinitum in potentia dici conſueuit , & penes potentialitatem explicari, non quia partes illius omnes eſſe debeant in potentia obiectiua,vel partim in actu,partim in potentia , vt omnes ferè imaginati ſunt , ſed propter illam innatam indeterminationem,quam ſemper includit, ſiue ſit totum in actu , ſiue totum in potentia,ſiue partim in actu,partim in potentia,in quocunque enim ſtatu ſemper hanc indeterminationem habet , quatenus omnes eius partes nunquam poſſunt ſimul , & ſemel accipi,ideſt numerari, & ſignari,ſed quibuſcunque acceptis,vel ſignatis remanent adhuc aliæ infinitæ,ſeu finitæ in infinitum ſignandæ,& accipiendæ, vnde modus infinitatis eius conſiſtit in accipiendo partem poſt partem ſucceſſiuè , vt docet Scot.1.d.3.q.2.ad 3.quę doctrina de infinito ſyncategorematico traditur à Scoto 2.Met.q.6. §. *Ad rationes, &c.* & ſequitur Tromb.tr. de plurif.anim.cont. Auerr.art.2.p.2.in reſp.ad 6.& Auerſa q.22. ſect. 8.ad 3. & quamuis hæc indeterminatio infinito quoque categorematico conueniat , tamen peculiari modo tribuitur ſyncategorematico, vt explicabitur diſp.ſeq.q.1. Et ex hoc doctrina benè intellecta ſoluitur argumentum,quo Arriag.cit.ſect.3.probat in Ariſt.ſententia partes nedum proportionales , ſed etiam determinatas poni debere,actu, & categorematicè infinitas .

96 Sextò demum obijcitur probando , quòd continuum non ſit in infinitum diuiſibile , quia tunc ſaltim à Deo poſſet ſecundum omnes partes diuidi, & tunc vel eſſent diuiſibiles , quod eſt contra ſuppoſitum,quòd continuum ſit in omnes,& ſingulas ſui partes diuiſum, vel indiuiſibile,& tunc ex indiuiſibilibus componeretur ; Aſſumptum probatur, quia omni potentiæ actiuæ correſpondet paſſiua ſaltim ſupernaturalis . Reſp.ex Ariſt.9.Met.text.10.duplicem eſſe potentiam, vna eſt ad actum perfectum,& adæquatum, qui poteſt totus,& ſimul acquiri, altera ad actum imperfectum, & inadæquatum, qui non poteſt ſimul acquiri, diuiſibilitas ergo continui , ſeu potentia ad diuidi non eſt potentia aliqua paſſiua,quæ poſſit vno actu adæquato perfici, ſed eſt potentia ad actum ſemper inadæquatum, & imperfectum, vt docet Ariſt.3.Phyſ.57. Sed contra id obijcies, paradoxũ videri,quòd Deus per totam æternitatem nequeat diuidendo exhaurire cuſpidem acutiſſimæ acus,oculum pulicis. Reſp.vtique paradoxum hoc eſſe viſum P.Fabro Theor.52. vbi proindè in fine negat,continuum eſſe diuiſibile in infinitum etiam ſecundum partes eiuſdem proportionis , nam etiam ſecundum iſtas diuidendo , ait, continuum conſumi . Sed planè toto aberrat Cœlo, quamuis enim per inſtrumenta Phyſica diuidendo tandem ſit deuenire ad partem ita minimam,vt amplius non poſſit Phyſicè diuidi,vndè ſolet dici minimum naturale, & indiuiſibile Phyſicum,tamen hoc ipſum à parte rei plures in ſe continet partes , in quas poteſt à nobis ſaltim cogitatione diſtribui , & à Deo etiam realiter diuidi ; neque hoc eſt paradoxum,quia id manifeſtè ratio Phyſica , & Mathematica demonſtrat, & difficultas id capiendi oritur ex noſtra falſa imaginatione , quæ concipit diuiſionem fieri per partes ſenſibiles ; & ex hac difficultate detumeſcere diſcant humana ingenia , quorum imbecillitas tanta eſt , vt nec compoſitionem vnguis percipere valeant . Hinc etiam ſoluas aliud ſimile paradoxum , quod obijcit Arriag.citat.ſectio.6. nimirum ex diuiſione actus tot partes extrahi poſſe , quot ſufficiunt ad totum Cœlum tegendum .

QVÆSTIO III.

An quodlibet continuum terminos habeat ſuæ magnitudinis , & paruitatis .

97 HVcuſq; quaſi Mathematicè loquuti ſumus de continuo quo ad ſuam compoſitionem, quatenus ex partibus ſemper diuiſibilibus conſtat,& nulla datur prorſus indiuiſibilis,ſicut punctum; in præſenti conſideramus ipſum ſecundum diſpoſitionem quandam naturalem , an ſcilicet ex propria natura petat terminos tam verſùs magnitudinem , vt non poſſit ſub quacunque magnitudine exiſtere, quam verſus paruitatem , vt nequeat actualiter in quamcunque partem diuidi,an verò indifferens ſit ad quamlibet magnitudinem,& paruitatem; quod poteſt inquiri tum in ordine ad naturalem potentiam, tum in ordine ad ſupernaturalem.Diximus ex propria natura, nam per accidens continua poſſunt eſſe vtroque modò determinata,imò de facto ſunt terminata tam verſus magnitudinem, quia nullum corpus Cœlum tranſcendit,& quælibet qualitas eſt determinatæ intenſionis, quia conſequitur naturam ſubiecti,& potentiam agentis, quæ finita , & determinata ſunt , quam verſùs paruitatem, quia cùm ſublunaria præſertim contrarijs ſint prædita, non poteſt reperiri continuum aliquod in infinitum minus, & minus, quamuis taliter ſit diuiſibile in potentia , quia ſtatim conuerteretur in continens aliquo modo contrarium,cui non poſſet reſiſtere,ſic notat Scot.2.d.2.q.9.F. & hoc eſt, quod alij dicunt,in toto dari partes per ſe exiſtentes,quæ ſcilicet propter ſuam magnitudinem poſſunt ſeparatim exiſtere,alias dici inexiſtentes,quæ licet non poſſint per ſe,& ſolitariè exiſtere, inexiſtunt tamen in toto .

98 Secundò accipiendum eſt,vtrumque terminum, & verſùs magnitudinem & verſùs paruitatem diuidi in intrinſecum , & extrinſecum.Terminus magnitudinis intrinſecus eſt magnitudo illa,ad quam res poteſt peruenire,non tamen poteſt ſub maiori reperiri,vt ſi leo nequeat eſſe ſub maiori magnitudine octo palmorum , magnitudo octo palmorum erit terminus leonis , quia vltra illam nequit pertranſire, erit etiam intrinſecus,quia poteſt illam attingere,ideoque appellatur *maximum quod ſic* , quia inter magnitudines, quas poteſt attingere leo,hæc eſt omnium maxima . Terminus magnitudinis extrinſecus eſt magnitudo illa,ad quam nequit res peruenire,benè tamen eſſe poteſt ſub quacunque minori, vt ſi leo non poteſt eſſe ſub magnitudine octo palmorum,ſed ſub quacunque minori , hæc magnitudo erit terminus extrinſecus,quia non poteſt attingi à leone,& vocari ſolet,*minimum quod non*, quia inter magnitudines,quas nequit attingere leo , quales ſunt nouem,decem palmorum, &c. magnitudo octo palmorum eſt omnium minima. Terminus paruitatis intrinſecus eſt paruitas illa,ſub qua poteſt reperiri res, non tamen ſub minori, vt ſi leo nõ poteſt eſſe minor palmo , paruitas palmaris erit terminus intrinſecus paruitatis leonis,& dicitur *minimum quod ſic*, quia inter omnes quantitates minores, ſub quibus eſſe poteſt leo, palmaris eſt omnium minima . Terminus extrinſecus paruitatis eſt paruitas illa , ſub qua nequit eſſe leo,ſed ſub qualibet maiori, vt ſi leo non poſſet eſſe ſub quãtitate palmari,ſed ſub qualibet maiori, & *maximum quod non* appellatur,quia inter quantitates omnes, ſub quibus nequit eſſe leo verſùs paruitatem,vt ſunt medietas palmi,quarta pars,&c. palmaris eſt omnium maxima. Hic tamen eſt aduertendum,quod ſicut in modis incipiendi,& deſinendi tam intrinſecis,vt ſunt primum eſſe , & vltimum eſſe,quæ explicantur (vt diſp.14.dicemus q.2.) per hoc,quod eſt,nunc res eſt,antea non erat,ſi incipit,vel,poſt non erit,ſi deſinit,tam extrinſecis,vt vltimum non eſſe,& primum non eſſe, & explicantur , nunc res non eſt,poſt erit,ſi incipit,vel antea erat,ſi deſinit ; ly *nunc* ſupponit pro temporis inſtanti , & indiuiſibili, ly *antea* , vel *poſt* ſignificat tempus diuiſibile,ſic in præſenti hi termini *maximum quod ſic, &c.* dicunt indiuiſibile illud terminans partes continui intrinſecas , vel extrinſecas rei diuiſibili .

Et vt ordinatè procedamus , ad duo capita poſſumus res omnes diuiſibiles reducere,vel enim ſunt animata, vt plantæ, & animalia , vel inanimata,vt reliqua corpora ſubſtantialia,quantitas ipſa,& qualitates, tam ſecundum extenſionem , vt materiales , quam ſecundum intenſionem,vt omnes,ſiue materiales, ſiue ſpirituales ; & quia ſolùm de rerum diuiſibilium terminis loquimur , non agemus de terminis potentiarum,de quibus commodiùs in lib.de Gen.dicimus in diſp.de actione,& reactione q.5. de qualitatibus verò loquimur,non quidem vt diſpoſitiones ſunt ad generationem ſubſtantialem , vt ſic enim ad eoſdem libros attinent in diſp.de alteratione qu.6. ſed tantum ſecundum proprias ipſarum naturas .

99 Circa res inanimatas eſt prima Opinio aſſerens terminum intrinſecum magnitudinis habere,quam ſuſtinent Scotiſtæ illi, qui infinitum ſincategorematicum verſùs maximum negant, vt diſp. ſequẽti dicemus,Iandun.quoq;1.Phyſ.q.16.Compl.diſp.27.Phyſ.q.1.& Ferr. ibid.q.2.quod aſſerit etiam Maſius 1.Phyſ.ſect.2.q.3.concl.4. de mixtis inanimatis ætherogeneis . Alij verò licèt terminum magnitudinis non admittant,ponunt tamen terminum paruitatis , ita communiter Thomiſtæ cum D.Tho.1.p.q.2.art.3. Duran.in 2.d.18.q.1. Greg.in 1. d.17.q.2.art.3.Tol.1.Phyſ.q.9.Compl.cit.qu.2.Maſius ſect.cit.q.4.& ſect.3.q.3.Zanard.8.Phyſ.q.9.Sonc.8.Met.qu.22. vndè tam alterationem , quàm generationem ſubſtantialem negant ſucceſſiuas eſſe, ſed vel totas morulis interpolatas,vt in inſtanti aliquo agens ſolùm alteret ſubiectum,vel generet , & in tempore ſequenti quieſcat vſque ad aliud inſtans,in quo aliud minimum producat, vt Sonc. vel quod ſolùm in primo inſtanti agens producat minimum aliquod qualitatis, vel ſubſtantiæ, ſed poſteà continuè alteret ſubiectum, vel generet, & hoc quia cùm præcedat aliquid qualitatis, vel ſubſtantiæ, nunquam exiſtet medietas minimi qualitatis,vel ſubſtantiæ ſeparata, nam præexiſtenti continuatur , vt Greg. At Conimbr.1.Phyſ.c.4.q.vn.art.7. concedunt in generatione ſubſtantijs materialibus minimum quod ſic, ſed in conſeruatione terminari dicunt maximo quod non, & extrinſecè; in qualitatibus nullum terminum admittunt. Scot,tamen in 2.d.2.q.9.C.& ſeq.& lit.N. nullum terminum in nõ viuentibus agnoſcit tam quoad magnitudinem,quàm quoad paruitatem,ſiue ſubſtantialia ſint,ſine accidentalia,quem ferè omnes Recentiores ſequuntur, Ruu.1.Phyſ.c.4.q.2. Areſius 1.de Gen.q.35. Dandinus 2.de Anim.digreſſ.21.Auerſa q.38.ſect.1.Amicus tr.16.q.2.dub.3.& q.3. & Scotiſtæ omnes præcipuè de termino paruitatis,vt Lich.in 2.cit. Fab.theo. 36.Tat.1.Phyſ.q.4.Sghemma digreſſ.3.q.5. nam de termino magnitudinis eſt diſſidium,vt innuimus,& Reg.Pariſienſ.p.Phyſ.q.6.collat.3.

Nõ minor diſſenſio eſt circa viuentia, nam aliqui in ordine ad naturam admittunt terminos magnitudinis,& paruitatis,ſiue extrinſecos, vt Venet.1.Phyſ.tex.38.not.1.ad 4.ſiue intrinſecos,vt communis;Alij verò diſtinguunt,nam vel termini conſiderantur,vt ex propria natura haberi poſſunt,& ſic intrinſeci ſunt,vel quatenus per accidens acquiruntur,ſcilicet inflatione,infirmitate,&c.&hoc modo ſunt extrinſeci, ita Tolet.Sot Murcia.Conimb.verò ar.2.diſtinguunt,vt de non viuentibus ſubſtantijs dixerunt. In ordine tamen ad potentiam ſupernaturalem,aliqui omnem terminum negant,ita Pater Sghemma cit.& Pariſ.Alij vtrumque admittunt;Alij vt Maſius ſect.2.q.5.negant terminos,ſed addunt,non poſſe poſtea proprias operationes exercere.Quas opiniones probabiles putat Amic.q.2.dub.4.

A R-

ARTICVLVS I.

Deciditur quæstio quo ad continua inanimata.

100 DIcendum est, nullum inanime continuum ex propria ratione terminum habere magnitudinis, & paruitatis; nisi velimus, dicere habere terminos extrinsecos, qui versus maximum sit infinitum actu, & versus minimum sit punctum. Concl. est Scot. cit. & quo ad magnitudinem probabitur commodius sequenti disp. vbi ostendetur, possibile esse infinitum sincathegorematicum in quolibet continuo, & rationes in contrarium adducentur. Quo verò ad paruitatem Prob. 1. rationibus communibus omnibus continuis. Tum quia inquit Scot. essentiale est continuo posse diuidi in partes, ergo essentiale etiam erit cuilibet parti posse per se esse, ergo; si daretur minimum, adhuc esset diuisibile, & partes per se existere non erit impossibile, quia possibili posito in esse, non sequitur impossibile, aliter non esset possibile. Tum quia partes illæ sunt eiusdem rationis cum toto, ergo si per se existere conuenit toti, conueniet etiam partibus omnibus. Tum quia quod habet naturam specificam, non repugnat illi esse indiuiduum illius speciei, & consequenter per se existere, quia hoc præsupponitur illi, nam indiuiduum est indiuisum à se & diuisum à quocunque alio, sed partes omnes participant eandem naturam, ac totum, & independenter à toto, & quolibet parte, non enim vna pars est talis naturæ propter aliam compartem, ergo vna pars potest simpliciter esse independenter ab alia, ergo non est dabilis pars aliqua continui, quin alia minor sit possibilis. Nec valet, quod ait Greg. quod sicut partes inexistentes minores minimo possibili per se existere non possunt, ita non possunt esse indiuidua illius speciei, & vtrumque illis repugnat ex propria natura, vt in viuente, cuius pars separata nequit existere. Non valet, quia hoc improbat argumentum, si enim quælibet pars habet quidditatem, & essentiam ignis v.g. contractam per differentiam indiuidualem distinctam à quidditate alterius partis, propriam habebit existentiam distinctam, & sic posset, cum sit indiuiduum completum, per se existere. Exemplum de animali non currit, quia animalia determinant sibi minimum, vt dicemus art. seq. immo est ad oppositum, quia ratio hoc ostendens non militat in non viuentibus. Tandem partes sunt priores toto, quod constituunt, ergo non repugnat illis esse sine toto, quia omne prius sine posteriori potest esse.

101 Resp Masius ex Capr. esse in potentia, seu possibile, dupliciter intelligi potest, vel quod reducatur ad actum per propriam existentiam, quomodo secundum nos aliquid dicitur esse in potentia obiectiua, & ad actum reuocatur, cum actualiter existit; secundò quod reuocetur ad actum per existentiam non propriam, sed alienam, vt homo est in potentia albus, quæ potentia actuatur non per existentiam hominis, sed albedinis in ipso, & dicitur à nobis esse in potentia subiectiua; in proposito dantur in minimo naturali partes inexistentes, in quas potest diuidi totum, non quod reuocentur ad actum per proprias existentias, ita vt separatæ à toto existant, aut possint existere, sed in quas diuidi potest secundo modo, ita vt existant per existentiam totius; ac proindè huiusmodi diuisio nunquam reuocabitur ad actum, quia requireretur, vt existerent per propriam existentiam, quod est impossibile, illa verò propositio *Possibile posito in actu, non sequitur aliquid impossibile* est vera de possibili, quod separatum ex se potest existere, non verò quod nequit esse per propriam existentiam, vt sunt illę partes inexistentes ininimo naturali.

Sed ista responsio, præterquamquod manet ex dictis impugnata, eo quia ostensum est, quamlibet partem posse per se existere, cum sit completum indiuiduum speciei, adhuc de se ruit, nam diuisio actualis dicit separationem partium à toto, ita vt propria existentia existant, non existentia totius, ergo si partes in minimo existentes non possunt ab ipso separari, nec etiam poterunt inter se diuidi, ergo nullo modo totum est potentia diuisibile; patet hæc conseq. quia non datur potentia ad impossibile, sicut homo non habet potentiam ad formam lapidis recipiendam, quia hæc potentia non posset actuari nec existentia propria hominis, nec existentia aliena, scilicet formæ lapidis in ipso.

102 Secundò Prob. de qualitate (nam de quantitate vt sic omnes concedunt) si datur minimum in qualitate, ergo in instanti, non in tempore acquireretur, quia indiuisibile nequit in tempore produci, vnde animalia per hoc incipiunt per primum sui esse, vt fusè in disp. 14. dicemus, sed hoc est falsum, ergo &c. falsitas probatur, vel enim tota qualitas producitur per ista minima ab agente, vel agens solum in primo instanti producit primum minimum, sed postea intendit illam successiuè, quomodo non datur minor qualitas, quàm minima, quia quæ aduenit non separatè existit, sed præcedenti vnitur; non primum, quia agens quiesceret per tempus, quia post instans nō est aliud instans sed tempus, & tamen esset applicatum, non impeditum, in quo tempore nequit subiectum disponere, vt aliqui dicunt, quia ista dispositio esset qualitas, & cum in tempore produceretur, iam minimum non habebit primo productum. Tum quia Sol per motum medio applicatus continuè illuminat medium, & in tempore, non in instanti, quia in tempore approximatur, non in instanti, & agens, quo est proximus, eo magis qualitatem intendit. Tum quia si habet potētiam producendi totam qualitatem, nec adest impedimentum, quia potest in instanti vincere resistentiam passi, cur in primo instanti vnū minimum qualitatis tantum producit, & non totam qualitatem? nihil enim recipit agens in tempore medio, per quod eius potentia auidum ipsum propter maiorem approximationem, ergo quia in tempore vigoratur, cum approximatio in tempore fiat, in tempore quoque producet qualitatem, & consequenter non poterit aliqua minima pars assignari, quin minor fuerit præexistens in infinitum. Si verò solum in primo instanti produceret primum minimum, sed postea successiuè ageret, & in tempore sequenti prius produceret medietatem minimi; quàm aliud minimum. Contra, quia daretur primum mutatum esse motus, contra Arist. 6. Phys. vt videbimus disp. 14. de motus inceptione. Tum quia successio in motu prouenit ex aliqua resistentia vel mobilis, vel formæ, vel contrarij ipsi agenti, ergo cum in minima subiecti parte, in quam primò agit sit qualitas contraria, non poterit in instanti calorem illorum inducere. Prob. consequentia, si in tempore sequenti successiuè alterat propter frigoris resistentiam, multo magis in principio alterationis, vbi maior est resistentia frigoris, quia ponitur in principio partem determinatam frigoris destrui, sed in tempore sequenti indeterminatam, quo autem maius est resistens, & extensiuè, & intensiuè, fortius resistit. Faciunt etiam contra hunc modum dicendi rationes contra præcedentem assignatæ.

103 Tandem principaliter Prob. assumptum de qualitatibus quod non habet minimum in extensione si hoc esset, tunc in vltima parte sphæræ agentis debebit tale minimum qualitatis assignari, applicetur aliquod corpus totam partem minimam sphæræ occupans, iam agēs producet in illo corpore minimum qualitatis, tunc elongetur corpus per medietatem, itaut minima illa sphæræ pars occupetur secundum medietatem proximiorem agenti ab aere subintrante, & secundum remotiorem ab illo corpore, quærimus, vel adhuc aer, & corpus illud habebunt in se qualitatem aliquam, vel nullam, vel aer solum, aut corpus solum; si primum, ergo cum illæ qualitates actu sint diuisæ, quia in subiectis diuisis, licet contiguis reperirentur, daretur minor qualitas, quam sit minima signata, quod est nostrum intentum, idem sequitur, si vnum illorum tantum haberet qualitatem; si secundum, ergo agens non aget per totam sphæram, etiam si à nullo impediatur; diuisio enim illorum corporum non impedit, aliter si talis applicatio fieret in primo minimo sphæræ proximo agenti, impediretur tota actiuitas agentis, quia non potest agens agere in distans actione eiusdem rationis, & quando medium est susceptiuum, nisi prius agat in medium; & si hoc Aduersarij non habent pro absurdo, non possumus alio modo absurditatem ostendere, nisi ipsos maximo igni in tali dispositione applicare, nam tunc experientia victi, nostram fateretur sententiam veram esse; faciunt insuper rationes, quibus in lib. de Gen. alterationem successiuam esse demonstratur, præcipuè exactione vniformiter difformi agentis in passum, scilicet quod agens intensiorem qualitatem in propinquius producit, & debita proportione remissiorem in remotius.

104 Tertiò idem Prob. de continuis substantialibus non viuentibus, præterquamquod rationes adductæ pro qualitate, probant etiam de istis; Detur minima pars subiecti, in qua primò perit v.g. esse formæ ignis, ista pars est diuisibilis secundum omnes dimensiones, & consequenter non erit æquè agenti approximata, ergo prius agens introducet dispositiones prætias in prima medietate, quàm in secunda, quia agit vniformiter difformiter, quando ergo disponit secundam medietatem, vel agit in primam, vel non; si agit, ergo cum omnes dispositiones introduxerit, remanet introducenda forma ignis, & sic habetur intentum; si non agit, ergo quia secundum Aduersarios dispositiones vltimæ expellunt substantialem formam, iam illa medietas materiæ disposita erit omni substantiali forma spoliata. Tum quia cum non omnia corpora eundem terminum sibi determinarent, posset dari pars aliqua stuppæ, vel sulfuris igni applicata, quæ minor sit illa mole, quam sibi determinat ignis, quæ nunquam combureretur, & tamen pars aliqua maior longius existens combureretur; dicere autem, hoc preuenire, quia caret debita dispositione molis, est petitio principij, hoc enim impugnatur. Tum quia si ignis minimum quod sic haberet generationis, ergo lignum non habebit minimum quod sic, sub quo petat necessariò esse, Prob. consequentia, si moles illa esset minimum quod sic respectu ignis, & ligni in eodem instanti erunt formæ ignis, & ligni in materia, quia vtraque requisitam quantitatem haberent, quod est falsum, & contra ipsos Aduersarios, vel materia esset sine forma tempore illo medio inter instans, in quo lignum fuit sub minimo quod sic, & instans, in quo ignis habuit suum minimum quod sic.

105 Dices cum Conimb. quam respōsionem videntur sequi Compl. lignum, & quodlibet inanimatum in generatione esse intrinsecè determinatum per minimum quod sic, at in conseruatione solum terminari per maximum quod non, & extrinsecè, quod erit minimum quod sic formæ ignis, & sic nullum inconueniens, plus enim requiritur ad generationem rei, quam ad eius conseruationem. Contra, per generationem res accipit existentiam, per conseruationem eandem retinet existētiam, ergo quod necessariò simpliciter requiritur ad generationem rei, qua recipit existentiam, requiritur etiam ad conseruationem eiusdem existentiæ, quia est eadem omninò existentia, ergo vel res nullum habebit terminum paruitatis intrinsecum, vel tam in gene-

generatione, quam in conseruatione habebit. Dices, saltim habebit terminum extrinsecum in generatione, & conseruatione, quod sufficit. Contra, quia eadem ratio fieret postea de igne generando, qui si haberet maximum quod non in generatione, & per vltimum non esse inciperet, lignum habebit minimum quod sic, & per vltimum esse desineret, vel materia esset sine forma, quapropter rectius omnem terminum negare debemus inanimatis, & generationem, & corruptionem ipsorum non ex magnitudine, vel paruitate petere; itaut sit dispositio necessaria, sed potius ex qualitatibus ipsis conuenientibus, vel contrarijs. Ista ratio non rectè percipi potest, nisi de modis incipiendi, & desinendi perfecta prius cognitio habeatur; quam trademus disp. 14. Tandem contra Conimb. sustinentes generationem ignis v.g. post acquisitionem primæ partis successiuè deinde fieri, est argumentum de vltima ligni parte, quando enim peruenitur ad maximum quod non ligni, iam in illa materia non est amplius ligni forma, aliter non esset maximum quod non neque est forma ignis, quia cum sit illa materia diuisibilis, consequenter non erit tota disposita, sed vniformiter difformiter alterata, scilicet solum propinquior pars erit disposita perfectè, non remotior, vnde vt hoc euitetur, deberet dici, quod tunc forma ignis in instanti in tota illa materia introduceretur in instanti disposita ab agente, quod est falsum, quia vel agens talem habet virtutem ante, & sic semper in instanti disponeret, & generaret, vel non habet, & sic nunquam instantaneè aget; vel quod introduceret formam in materia indisposita secundum qualitates, quod etiam est falsum, quia si forma potest esse absque dispositionibus proprijs qualitatiuis, multo magis absque dispositionibus quantitatiuis, & sic si diuideretur minimum ligni, non per hoc forma ligni destrueretur.

106 Quod tandem posset dici habere terminos extrinsecos magnitudinis, scilicet quod sit infinitum in actu, & paruitatis aliquod punctum, quæ erat secundam pars concl. Patet, quia infinitum in actu non est dabile de potentia Dei absoluta, ergo quodlibet continuum non potest esse sub magnitudine actu infinita, benè tamen sub qualibet minori. Neque continuum potest esse sub puncto, quia continuum est essentialiter in partes diuisibile, punctum essentialiter indiuisibile, ergo continuum nequit esse sub puncto, sed benè sub qualibet quantitate minori. Hoc tamen non propriè dicitur, quia inter punctum, & molem, & inter infinitam magnitudinem, & finitam non est proportio, ergo nec maioritas, nec minoritas propriè; vnde non rectè infinitum in actu minimum quod non, nec punctum maximum quod non appellantur.

In contrarium obijcitur, probando, res naturales determinatam molem poscere. Tum quia Arist. 1. Phys. 36. & 38. ait, dari minimam carnem, ex qua non possit alia extrahi, & 2. de Anim. 41. habet quod omnium natura constantium est determinata ratio magnitudinis, & augumenti, & in lib. de Sensu, & Sen. c. 6. videtur velle, passiones naturales, sensibiles scilicet qualitates non esse in infinitum diuisibiles, quia tunc sensus posset intendi in infinitum, quia ad percipiendum minus, & minus requiritur acutior sensus. Tum 2. quia omne ens ratione sui, & omne corpus ratione formæ habet finitam, & determinatam naturam, ergo secundum hanc poscit certam quantitatis mensuram, sicut determinatas poscit qualitates; vnde Arist. 2. Phys. 38. habet, quod causæ, & effectus commensurantur ad inuicem, & determinatæ causæ determinatos habent effectus, & 2. de Anim. 24. actus actiuorum est in agente benè disposito. Tum 3. quia natura producit rem quamlibet propter aliquam operationem ab eadem re exercendam 2. de Cœlo 17. & 1. Eth. c. 7. sed non potest res quælibet operari, nisi determinatam habeat quantitatem, ergo &c. Tum 4. quia in mixtione quidam liquores vt aqua, & vinum, dum inter se miscentur, amittunt propriam naturam, & in aliam conuertuntur, & hoc quia adeo inter se comminuuntur, vt in tam paruis partibus per se conseruari non possint. Tandem quia actio prouenit ex proportione maioris inæqualitatis, vt dicitur in lib. de Gen. idest fit propter excessum actiuitatis agentis supra resistentiam passi, sed iste excessus est determinatus, ergo qualitas propter talem excessum producta erit determinata, & in instanti producibilis.

107 Resp. ad Arist. ex Scot. 2. d. 2. q. 9. M. quod in 1. Phys. arguit contra Anaxagoram potentem ex quolibet generari, & extrahi posse quodlibet; contra, inquit Arist. datur res, vt caro, quæ determinatam habet magnitudinem, quare non poterit ex qualibet minima aqua segregari, vnde sufficit, quod aliqua res detur, quale est viuens, determinatam exposcens magnitudinem, vt verificetur ratio Arist. hinc loquitur de homogeneis, non simpliciter, sed vt constituunt ætherogeneum animatum, & quatenus segregatio fieret secundum partes æquales, & determinatas. In 2. de Anim. loquitur de Animatis, de quibus est verum assumptum, vt dicemus art. seq. In lib. de Sensu, & Sens. inquit Scotus, quod loquitur de qualitate sensibili non secundum se, sed vt sensibilis est, quo modo requirit determinatam magnitudinem. Ad 2. antecedens est verum de essentiali, & quidditatiua perfectione, non de quantitatiua, ad quam pertinet maior, vel minor ei extensio, & hac ratione requiruntur determinati gradus intensionis qualitatis, quia isti consequuntur perfectionem intensiuam, quæ sicut determinata est, ita determinatos postulat gradus, at sicut substantia indeterminata est in extensiua perfectione, ita in quantitate; non sequitur tamen ex hoc, qualitates determinatas esse, quia aliud est loqui de ipsis secundum proprias naturas, aliud, vt dispositiones sunt formarum. Ad 3. propositionem Arist. esse veram de rebus perfectis tantum, & conseruante non indigentibus; vel sufficit, vt saltim res illa potentiam habeat exercendi propriam operationem, etsi non solitariè, saltim cum altero adiuncto, quod competet particulæ illi admodum paruæ, vt notat Scot. cit. lit. N. & in 4. d. 44. q. 1. §. *Quantum ergo ad istum art. &c.* Ad 4. non semper in mixtione liquores in tertiam naturam transeunt, sed vel remanent, vel vnus in alium prævalentem conuertitur, cum verò transeunt, non prouenit ex ratione assignata, sed potius quia ex mutua actione, & reactione talis qualitatum temporis resultat, vt alia tertia entitas sequatur. Ad 5. quando potentia agentis est ad formam successiuè producibilem, excessus requisitus est determinatus non intrinsecè, sed extrinsecè, ita vt tantus non sufficiat, sed benè qui libet maior, vt dicitur in lib. de Gen. disp. de Act. & React. hinc negatur, formam primo productam esse determinatam; quando verò est ad formam in instanti producibilem, qualis est anima, excessus est intrinsecè determinatus.

ARTICVLVS II.

Ostenditur, quomodo termini viuentibus competant.

108 DIcimus, viuentia ex propria natura terminòs habere magnitudinis, & paruitatis, non extrinsecos, sed intrinsecos in quocunque statu; at supernaturaliter, excepto puncto, & infinito, nullum terminum agnoscunt, præter viuentia illa indiuisibili anima prædita, quæ versus magnitudinem etiam de potentia Dei sunt intrinsecè terminata; probantur singula. Primò quod sint naturaliter terminata, habetur à Scoto 2. d. 2. q. 9. N. habetur quoque ab Arist. 1. Phys. 36. 2. de Anim. 41. 2. de Gen. Anim. c. 11. & 7. Pol. c. 4. vbi apertè ipsam asseruit, & patet ratione, quia anima est actus corporis organici, cuius membris vtitur tanquam instrumentis ad varias operationes exercendas, ergo nequit quodlibet corpus sub quacunque magnitudine, vel paruitate existens informare, quia possent ob magnitudinem, vel paruitatem improportionata euadere, vt patet in instrumentis artificialibus. Tum quia virtus animæ est finita, & limitata, augentur quoque viuentia non ab extrinseco, vt inanimata, sed propria virtute, ergo ad certam magnitudinem poterunt peruenire.

109 Secundò, quod isti termini sint intrinseci, non extrinseci, colligitur ex Scot. cit. vbi loquens de principio augmentatiuo in animatis, ait, quod debet esse determinatum ad quantitatem perfectam illius speciei, vt illam solam producat, & non vltra illam, quod est habere terminum intrinsecum. Probatur de termino versus magnitudinem tum ex Arist. cit. præcipuè ex 2. de Gen. Anim. tum ratione, quia rem aliquam habere terminum intrinsecum magnitudinis est attingere quantitatem aliquam determinatam proprio indiuisibili, vt vltra illam nequeat procedere, habere verò terminum extrinsecum, est non posse peruenire ad aliquam quantitatem determinatam proprio indiuisibili, benè tamen ad quamlibet infra illud indiuisibile, quæ proinde indeterminata erit, itaut tota differentia in hoc consistat, vt habens terminum intrinsecum, habeat magnitudinem, & indiuisibile illam terminans, habens verò extrinsecum, habeat solummodo aliquam magnitudinem incompletam, & absque indiuisibili ipsam terminante, sed impossibile est dari rem aliquam, quæ pertingere possit totam magnitudinem, & non indiuisibile illam complens, ergo impossibile est dari aliquod viuens termino extrinseco tantum terminatum, cui scilicet magnitudo aliqua illi non repugnet, sed indiuisibile illam complens repugnet, Min. probatur, quia indiuisibile additum diuisibili non facit maius extensiuè, vt dictum est supra quæst. 2. art. 4. ergo potest attingere totam magnitudinem diuisibilem, attingit quoque indiuisibile terminatiuum illius, aliter si excluderetur ab illo indiuisibili, hoc esset, quia excederet suam magnitudinem naturalem, ergo indiuisibile additum diuisibili faceret maius. Dices, indiuisibile facere maius indiuisibiliter, & entitatiuè. Contra, sufficit, vt maius non faciat extensiuè, implicantia enim sumitur in ordine ad maiorem, vel minorem extensionem, & molem, ergo cui non repugnat extendi aliqua magnitudine, non repugnat habere indiuisibile terminās illam. De paruitate idem patet, quia anima præsupponit corpus perfectè organizatum, vnde in instanti introducitur in illo, ergo etiam determinatum, & completum, seu intrinsecè terminatum; eo, vel maximè quia membra supponit vt instrumenta apta ad agendum propter quorum ratione est, vt in actu primo sint entia completa, & intrinsecè terminata, aliter si deberent nouam quantitatem recipere, vt aptari redderentur, non essent perfecta organa, nec corpus illud esset verè organicum; verum est tamen, quod isti termini diuersi sunt pro diuersitate specierum. Ex dictis patet falsitas asserti à Masio art. præc. cit. quod mixta ætherogenea terminos habeant magnitudinis; non enim ab intrinseco augentur, sed ab extrinseco, nec partibus vtuntur vt instrumentis, & vniuersaliter cessat in istis omnis ratio, qua terminus magnitudinis in viuentibus probatur.

Tertiò, quod de potentia Dei non possint esse sub puncto, & sub infinito in actu, patet ex dictis art. præced. & maximè, quia anima est actus corporis organici, punctum autem ob suam indiuisibilitatem nequit organa habere.

110 Quartò, quod versus magnitudinem viuentia animam diuisibilem habentia non habeant terminum determinatum, benè tamen quæ indiuisibilem habent animam, vt homo, quamuis expresse non habeatur à Sco. colligitur tamen euidenter ex duobus principijs eius; pri-

primum est, animam etiam de potentia Dei non posse informare plures materias simul, vt videmus disp.5.q.7,art.2.cum ipso in 3.d.1.q.2. alterum desumitur ex 4.d.44. q.1. quod in augmentatione in alijs viuentibus ab homine acquiritur noua pars formæ, eo quia diuisibilis est,ex quibus probatur assumptum;nulla forma ex se potest quamcunque materiam informare, sed limitata est ad materiam proportionatam,nisi virtus informatiua ipsius augeatur, sed in anima indiuisibili nequit augeri hæc virtus,benè tamen in diuisibili,ergo &c. Min. probatur,indiuisibiles nullum augumentum possunt habere, at diuisibiles possunt augeri per nouas partes aduenientes, quibus nouæ partes materiæ possent informari,posset ergo Deus impedire, ne in nutritione partes fluant, sed solum quod fiat noua conuersio alimenti absque deperditione alicuius partis præcedentis; vnde in infinitum fieret accretio,eo quia semper augeretur vis digestiua, attractiua alimenti, & conuersiua in proprias partes.

Sed quod versus paruitatem nullum habeant terminum, patet ex eo, quod corpora homogenea sunt in infinitum diuisibilia ex dictis in præc.art.ergo ætherogenea etiam in infinitum possunt minui,cum ergo de ratione animæ sit partes corporis dissimilares informare, non videtur essentialiter à quantitate, & magnitudine illarum dependere, præcipuè quia Deus posset omni qualitate viuens expoliare, ergo etiam dispositionibus quantitatiuis,à quibus minus dependet. An verò possit tunc aliquas operationes exercere,de potentia Dei videtur affirmatiuè responderi posse,nam posset saltim Deus potentiam eleuare ad illas operationes, cum maior improportio adsit inter potentiam naturalem,& visionem beatificam,quam inter hanc potentiam diminutam,& propriam operationem.

Sed 1.obijcies,probando,nullum terminum viuentia habere. Tum quia non habent terminum paruitatis, aliter anima esset cum quantitate incompossibilis,quod probatur ratione Scoti in 2.d.2.q.9. D. quâ contra minimum naturale conficit; si per se consequentia aliqua sunt incompossibilia,& illa,ad quæ consequuntur, incompossibilia erunt, sed diuisibilitas in partes essentialiter consequitur quantitatem, indiuisibilitas in partes secundum nos consequitur animam,quæ duo sunt incompossibilia,ergo &c.Tum 2. quia potest esse in puncto,vt patet de Christi corpore in Eucharistia. Tum 3. quia nec terminum magnitudinis habent, nam virtus actiua, quantum est ex se,in infinitum tendit,hinc Gigantes vltra statum naturæ excreuerunt,Crocodilli etiam, dum viuunt,semper crescunt. Tum 4. quia si esset homo in termino magnitudinis, & illi esset parum alimenti applicatum, in propriam substantiam conuerteret, cum haberet potentiam nutritiuam, ergo non erat in termino.

111 Resp.negando assumptum,cum probatur ex Scot. explicamus ipsum;nam ibi impugnans minimum naturale tres modos dicendi affert,quibus tale minimum declaratur; primus est, vt minimum naturale sit illud, quod partibus integralibus omninò caret; secundus, quod possit naturaliter existere,licet in eo reperiatur alia pars minor, non tamen potens per se existere: tertius, vt sit pars aliqua formæ sine materia,& omittendo tertium tanquam falsum, impugnat primum, & secundum,& contra primum adducit rationem iam formatam,quę vtique concludit, nam si omne quantum ratione quantitatis est in partes diuisibile,ergo idem ratione formæ non potest dici minimum, vt omnibus partibus careat, & simpliciter indiuisibile dicatur, quia sic forma naturalis,& quantitatis essent incompossibiles,sicut effectus formales ipsarum incompossibiles sunt; & quod hic sit sensus Scoti, patet ex his,quæ postea subiungit, nam ait,si istud minimum daretur; omnes rationes Arist.concluderent contra illud,quas 6.Phys. contra compositionem continui ex indiuisibilibus efformat,nam si est quantum, ergo habet partes;ergo datur aliqua pars minor in eo existens, ergo nequit esse simpliciter indiuisibile, vt caro punctualis; nec possent ista minima facere maius, quia indiuisibile additum indiuisibili non facit maius; ecce intentum Scoti, præterquamquòd si illud minimum,in priori sensu partes haberet, iam coincideret cum secundo modo; ad propositum, ergo ratio Scoti concludit contra illum modum, quia habere partes est de essentia quantitatis, & diuisibilitas in illas,est eius passio,ergo omne quantum partes habere debet, non erit igitur simpliciter indiuisibile;at nos non dicimus, viuentia partibus carere,etiam quatenus viuentia,sed solum non posse sub minori, & minori quantitate existere id,quod est cum quantitate; Tum quia, quantitas proprie afficit formam corporeitatis, & corpus, non animam,vnde remanet adhuc post examinationem; hinc non rectè aliqui Scotistæ ex ista ratione negant minimum in non viuentibus, quia neque ad hoc probandum vtitur illa Doctor.

112 Ad 2. potest esse in puncto in ordine ad locum non verò in ordine ad se,vt partibus omninò careat. Ad 3.negatur,potentiam nutritiuam naturaliter posse in infinitum tendere, differt enim viuentium augmentum ab augmento non viuentium, quòd istud fit ab extrinseco, & per iuxtapositionem materiæ, idcircò potest in infinitum crescere; at illud fit ab intrinseco per alimenti intus susceptionem, nec solùm est conuersio alimenti in viuentibus, sed etiam restaurati deperditio, & ideò non semper fit augmentatio, quamuis semper fit nutritio,vt in lib.de Gen.dicimus. Gigantes autem non præterierunt terminum magnitudinis naturæ humanæ,sicut nec Pigmæi (si dantur) terminum paruitatis, nam inter paruitatis,& magnitudinis terminos alicuius speciei datur latitudo,qua indiuidua illius speciei sunt maiora,alia minora, quod præcipuè conuenit ex conditionibus extrinsecis,scilicet loci,temporis,materiæ, &c. & idem in plantis videmus, quæ in aliquibus regionibus mirum in modum excrescunt, in alijs verò valdè sunt diminutę; Crocodilli, si diù viuerent, non semper augerentur, sed quandoque ad statum augmentationis peruenirent. Ad 4. in casu fieret tanta alimenti conuersio, quanta viuentis substantiæ per actionem caloris naturalis fuisset facta deperditio.

Secundò,quod non habeant necessariò terminos intrinsecos,sed extrinsecos: detur maximus homo,& morsu venenoso infletur,vel morietur, vel non; si non, daretur maior maximo,si primum,ergo quia tunc non est homo, cum incipit inflatio, & hæc per vltimum nõ esse incipit,cum sit motus,homo desineret per vltimum esse, quod est contra Arist.8.Phys.69.dicentem,formam permanentium per primum esse incipere, ergo forma sequens ad mortem hominis taliter inciperet,ergo vel duo instantia immediata, vel homo necessariò per primum non esse desinere debet; idem potest dici versùs paruitatem,si restringeretur,& condensaretur.

Resp. negando assumptum, tum quia inflatio est quædam auctõ per extrinsecum humorem inanimatum; tum quia non implicat, viuens per vltimum esse desinere,vt disp.14.in fine dicemus; Arist.verò loquitur vt in plurimum, & quando forma subsequens per primum esse incipit; modò non datur noua forma adueniens, quia forma corporeitatis iam præerat. Per rarefactionem verò, & condensationem non acquiritur,vel deperditur noua quantitas,vt innuimus q. 1. & in lib.de Gen.fusiùs dicimus.

113 Tertiò ad idem contra rationem fundamentalem; si quod est potest pertingere quantitatem aliquam, potens quoque est attingere indiuisibile completium, sequitur, nullum dari terminum extrinsecum in rerum natura,sed omnem intrinsecum esse,quod patet esse falsum, quia isti termini sunt ab omnibus accepti, & nos in præcedenti diximus,excessum ad agendum, quando forma in tempore producitur,esse extrinsecè determinatum: multæ etiam qualitates,vt dispositiones sunt formarum substantialium,extrinsecè determinatæ dicuntur tam versùs magnitudinem, quam versùs paruitatem. Sequela prob.eadem ratione, qua probatum est, quodlibet viuens terminum intrinsecum, non extrinsecum habere.

Resp. quod si loquamur de termino extrinseco versùs magnitudinem, concedimus, nullum dari extrinsecum terminum ex natura rei, quia vt optimè probat argumentum,quod potest pertingere aliquam quantitatem, pertingit quoque indiuisibile terminatiuum illius; si posset dari ratione alterius, & per accidens, si scilicet forma aliqua substantialis ad sui existentiam requireret necessariò determinatum gradum qualitatis, itavt ad desitionem illius gradus etiam secundum minimam partem desinat quoque substantialis forma, tunc agens, quod non potest destruere formam substantialem, neque poterit gradum illum corrumpere, vnde solùm erit extrinsecè terminatum ad introductionem qualitatis oppositæ,non quia ex se nequeat attingere indiuisibile terminatiuum,sed quia à forma contraria impeditur.At si loquamur de termino extrinseco versùs paruitatem, negamus non dari istum terminum ex natura rei in aliquibus, nam poterit esse, quod res aliqua nequeat reperiri sub determinata quantitate, puta palmari, sed benè sub quacunque maiori, contra quem terminum non vrget ratio, nam res illa non debet pertingere indiuisibile alicuius quantitatis, sed quantitatem quamlibet subsequentem indiuisibile,quod terminus extrinsecus ponitur,quæ cum sit diuisibilis,verè ad illam pertingendam requiritur maior virtus; vrgeret ratio,si diceremus attingi debere aliquod indiuisibile, sicut ponitur in termino extrinseco versùs magnitudinem.

DISPVTATIO DECIMA.

De Infinito.

POst tractationem de Continuo consulto sequitur proposita disputatio de Infinito,finitas enim,& infinitas propriè magnitudini, & continuo conueniunt, & cum præced. disputat. sancitum sit, partes continui proportionales esse infinitas tantùm syncategorematicè,& in potentia,non autem categorematicè, & in actu,hic necessariò differendum erat de natura vtriusque infiniti. vt hinc adhuc magis innotescat,quàm rationabiliter id ibi statutum sit; & quidem etiam Arist. ipse in huius rei gratiam tract. de Inf.3.Phyfic.instituit, vt protestatur text.24. dicens, quoniam naturalis scientia est circa magnitudines, & motum, & tempus, quorum vnumquodque necesse est, aut infinitum aut finitum esse, conueniens vtique erit de natura pertractantem speculari de Infinito.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura Infiniti, & eius affectionibus.

1 QVantùm spectat ad quid nominis, Infinitum est id, quod caret fine, vel termino, vnde si consideretur secundum id, quod significat, dicit quid positiuum, & connotat negationem finis, ac termini in tali positiuo repertam: si verò consideretur secundum id, per quod explicatur à nobis, negationem præsefert finis,ac termini, connotando illud positiuum, quod tali termino caret, quare estò infinitas à parte rei quo ad significatum nominis videatur significare negationem limitis, & termini,dicitur enim infinitum,quod non est finitum,seu quod fine caret,extendendo rationem finis ad terminum, quo aliquid finitur; non tamen inde deduci debet, infinitatem quoad significatum rei acceptam, idest vt à parte rei est aliquid in re modificans eius entitatem, esse puram negationem limitis, ac finis,ita colligitur ex Scoto quol. 6. B. & E. in hunc modum loquente de infinitate Dei. Sicut verò res multis modis finitæ intelliguntur,ac limites habere, scilicet quo ad perfectionem essentiæ, intensionem,extensionem, numerum, & durationem, ita etiam concipi potest aliquid esse infinitum in essentia, intensione, extensione, numero, & duratione. Rursus quia rem carere termino, & fine potest intelligi dupliciter, vel extrinsecè tantùm, ita quòd determinari non possit, quanta sit alicuius rei perfectio,vel extensio, aut duratio, nec alicuius numeri, quanta sit multitudo, sed solùm, quod magnitudo illa, vel multitudo non est tanta,quin adhuc sit maior; vel intrinsecè,ita quòd intrinsecè infinitatem attingat, & asseri possit, quòd illius rei extensio,aut perfectio, vel plurium multitudo sit simpliciter infinita, & in supremo gradu, ita quod nequeat esse maior, hinc duplex cogitari potest infinitum in essentia,quantitate,& qualitate,categorematicum,seu in actu,syncategorematicum, seu in potentia, illud constituitur in esse per carentiam finis intrinsecam, & istud per extrinsecam solùm, & vtriusque natura hic explicanda est,deinde vtriusque affectiones.

ARTICVLVS I.

Quid sit infinitum categorematicum, & syncategorematicum.

2 DEfinit Arist.3.Physic.text.62.& 63. infinitum quòd sit, *cuius semper est aliquid extra accipere*, sed dubium est,cui infinito conueniat hæc definito. Vasq.1.p.disp.26.cap.3.num.20. inquit, Arist. ibi definire infinitum categor.& in actu. Scotus quol.5.§.*De primo,&c.* docet esse illam definitionem infiniti syncategorematici, seu in potentia sequuntur Canon.3.Phys.q.3.art.1. Bargius 1.d.3.q.1. §. *Ad tertium dico, &c.* Parisiens.3.Phys.q.2.collat.p. Durand.1.d.23.q. 2.Albertinus to.2.corol.in Prædic.quant.dub.4. q.3. & citantur Auer. Bust.& Vicomer.in eum textum. Alij tandem putant,hanc definitionem esse communem vtrique infinito, & conuenire illis secundum rationem communem infinitatis, licet non secundum rationes proprias, ita significare videntur Simpl.Them.Philop.& D.Tho.in eum textum, & tenent Ferr.3.Phys.q.3.not.1.& Amic.tract.18.qu.1.dub. 3. art. 2.

Dicendum tamen est cum Scoto, & Canon.citat. præfatam diffinitionem conuenire infinito syncategor. tantum: probat hanc Conclus. Doctor ex his, quæ habet ibi Philos. de Infinito ab ipso descripto,ait enim quòd sicut illud infinitum habet esse in fieri, & in potentia,ita etiam habet rationem partis,& non totius, habet rationem incompleti,& imperfecti,sed hæc de infinito categor.intelligi non possunt,quia cùm secundum omnes suas partes sit positum, & nihil desit spectans ad gradum infinitatis eius,habet rationem totius, perfecti, & completi, ergo definit ibi infinitum syncategorematicum, id enim quia non ponitur in actu secundum omnes sui partes, ita quòd extra nihil remaneat spectans ad gradum infinitatis eius, benè dicitur habere rationem partis,& incompleti, quia semper fieri potest additio, vel numerorum in quantitate discreta, vel partium in continua. Deinde probatur ex processu Arist.ibi,cùm enim text.62. posuisset definitionem infiniti traditam ab antiquis, quòd sit *id, cuius nihil est extra*,hanc postea definitionem impugnat tex.63.& seq.dicens,hanc definitionem potius esse totius,quam infiniti, probat etiam contra antiquos non dari infinitum in actu, quod ipsi definiebant,sed tantum in potentia, & postquam id probauit,tandem deducit,infinitum esse id, cuius semper est aliquid extra accipere,ergo definit ibi tantum infinitum in potentia.

3 Denique si hæc definitio exponatur vt vulgo solet, ita quod ly *cuius* referatur ad partes tantum, & sensus sit, infinitum esse id, cuius semper est aliquid extra, hoc est quod habet partes in tanta copia, vt quacunque parte acceptà,extra illam, vel vltra illas semper accipi possit alia, sanè si in hoc sensu explicetur, conuenit hæc definitio vtrique infinito, vtrumque enim est id, cuius semper est aliquid extra accipere, siue enim sit categorematicum, siue syncategorem. dum acceptio fit successiuè, seu per partem post partem, semper aliquid manet accipiendum, quia nunquam exhauriri possunt. Sed hæc expositio non est integra, estò enim ly *cuius* referri debeat ad partes modo exposito, adhuc tamen, vt notat Doctor, referri debet ad totum, nam in constructione refertur ad ly *id*, quod vtique significat ipsum totum infinitum, de quo prædicatur in recto, ita quod integer sensus definitionis sit iste; infinitum est id, cuius semper est aliquid extra, idest quod habet tantam partium copiam,vt quacumque parte accepta, semper vltra illam sit aliam accipere, *sed*, hoc non obstante, adhuc extra totum ipsum aliquid remaneat spectans ad gradum, & ordinem infinitatis eius; Sic autem explicando cum Doctore definitionem allatam, certè infinito cathegor. applicari non potest, nam de ratione istius est, vt extra illud nihil penitus remaneat, spectans ad gradum infinitatis eius, nam magnitudo sic infinita dicitur, extra quam alia magnitudo reperir. non potest,infinita hominum multitudo, extra quam nec vnus homo potest reperiri.

Ex hac verò definitione infiniti syncategorematici, & in potentia sic explicata facilè deducitur,inquit Doctor quol.cit. definitio infiniti categorematici,& in actu,& erit illa tradita ab antiquis, si rectè intelligatur,infinitum est *id, cuius nihil est extra*, idest cui non solùm nihil deest eorum, quæ spectant ad constitutionem eius, sed extra quod nihil penitus remanet in illo gradu,& ordine; vnde tale infinitum in actu,ait Scot. verè esset totum, & verè perfectum totum,quia nihil sui esset extra; perfectum,quia nihil sibi deesset in illo gradu,& ordine, vnde nihil posset addi secundum rationem quantitatis, tum quia tanta esset in actu illa quantitas, quanta esset in potentia; tum quia tunc posset excedi, quod est contra rationem talis infiniti,& in hoc sensu etiam explicat,& retinet Auersa quæst.24.sect.1. definitionem antiquorum ab Aristot. reiectam; Canon. verò cit.definit Infinitum in actu cum Arist.1.Cœl,130. quòd sit *id,quo non est maius,nec esse potest*.

Verùm ex definitionibus allatis orta est alia grauis difficultas, cum enim ex vi illarum non discernantur hæc duo infinita, nisi ratione actualitatis, & potentialitatis; hinc, Aliqui dixerunt, hæc duo genera infinitorum non differre in extensione, siue continua, siue discreta, sed tantum in modo essendi potentiali, vel actuali, eo quod multitudo, vel magnitudo syncategorematicè infinita includit actum permixtum potentiæ, atque adeo habent modum essendi imperfectum, & incompletum, nam quæcunque ex ea multitudine existunt, sunt simpliciter finita; infinitudo verò categorem. dicit actualitatem, & simultatem omnium suarum partium; ex quo duo deducunt, vnum est, infinitatem syncategorem. statui non posse in rebus actualibus, eò quia abstrahi nequit à potentia ad existendum secundum multas sui partes indeterminatas; alterum est, quòd si per impossibile simul acciperentur, & ponerentur in actu partes omnes infiniti syncategorem. tunc multitudo illa foret categorematicè infinita, quia hæc duo infinitorum genera non differunt in ipsa multitudine, vel magnitudine, sed in modo essendi ipsius, ita loquuntur omnes illi auctores, qui disput.præced.quæst.2.art.3.ponebant in continuo partes proportionales actu infinitas, eò quia singulæ actu sunt in continuo, & nulla illarum est in potentia ad existendum. Et hanc sententiam expressè tenuit Doctor quol. citat. dum ex commutatione rationis infiniti in potentia in rationem infiniti, in actu in quantitate deducit definitionem ejus, inquit enim Doctor.

si semper crescere quantitas infiniti per acceptionem partis post partem, & imaginaremur omnes partes accepti[illegible] esse simul acceptas, & simul remanere haberemus infinitam quantitatem in actu, quia tanta esset in actu, quanta esset in potentia, clariùs adhuc id expressit Doctor 1.dist. 2 quæst.2. § *Ostenso proposito, &c.* dum inquit, *quæcunque sunt infinita in potentia ita quòd accipiendo alterum post alterum, nullum poterunt habere finem, illa omnia, si simul actu sunt, sunt infinita actu*; hunc demum dicendi modum sequuntur quæcunque tenent, multitudinem infinitam syncathegorematicè rerum possibilium secundum existentiam realem esse cathegorem, in cognitione diuina ob simultaneam, & actualem existentiam obiectiuam, quæ videtur fuisse mens Scoti loc.vlt.cit. & tenet Ruuius tract.de Inf.q.2, Murcia 3.Phys.disputat.2.q.vlt.Granat.1.p.q.14.tract.2. & Gonz.disput.42. & alij.

4 Adhuc tamen dicendum est, hæc duo infinitorum genera inter se differre, non solùm in modo essendi potentiali, vel actuali, sed etiam in extensione ipsa, siue continua, siue discreta, ita quod si omnes infiniti syncathegorem, partes simul ponerentur, & in actu, adhuc multitudo illa syncathegorematicè infinita dici deberet, & non cathegorematicè: Concl. hæc conformis est statutis de continui partibus præced. disput. & est non minùs expresse Doctoris 2. Met.quæst.6. §. *Ad rationes &c.* vbi in solutione argumenti de animabus hominum posita generatione perpetua, quo probabatur infinitum in actu ait, *quod si omnes animæ humanæ, quæ fuerunt posita generatione perpetua à parte ante, siue si omnes partes in potentia in magnitudine essent, quod non essent infinitæ actu coniungendo infinitatem cum actu, vnde fortè posset concedi, quod actu essent infinitæ in potentia, quia in potentia, accipiendo vnam animam post aliam, quia aliter non competebat eis infinitas, sed non essent infinitæ actu, quia non sunt tot, quin plures possint esse, infinitæ [illegible] tot sunt, quod non possunt plura compossibilia esse*, & paulò infra rursus ait, quòd successiua infinita, si essent simul, non essent infinita, vel si essent tot homines simul, quot fuerunt successiuè, non essent infiniti actu, quia infiniti fuerunt in accipiendo, & in potentia, ideò nunquam sequitur ex illis, si essent simul, infinitas actualis, quia alterius rationis sunt infinitas actualis, & potentialis, ideo ex infinitate potentiali nunquam potest concludi infinitas actualis: Amplectitur Trombet. hanc doctrinam tractat.de Plurif. Anim.cont.Auerr.art.2.par.2.in solut.ad 6. de multitudine infinita animarum, ait enim, quod amissa mundi æternitate, & animarum immortalitate, nunc non forent, nisi infinitæ animæ syncategorematicè, & explicat propositionem illam Doctoris 1.dist.2.quæst.2. quæcunque sunt infinita in potentia, sic quòd accipiendo alterum post alterum nunquam possunt habere finem, si simul actu sunt, sunt actu infinita, ait Trombeta, quòd ly actu, vel potest determinare ly sunt, vel ly infinita, & in primo sensu vera est maior, quia illa, quæ erant infinita accipiendo alterum post alterum modò simul actu sunt, & existunt, sed in secundo sensu est falsa, quia infinitas actualis, & Potentialis sunt alterius rationis & ex vna non potest sequi alia, & in primo sensu, inquit, intelligi debere Doctorem, quia iuxta hunc sensum adhuc concludit intentum, infinitatem scilicet diuini intellectus, & in hunc sensum etiam videtur eum exponere ibi Tataret.& posset etiam exponi quol.5. licèt ægrè hanc expositionem ibi recipiat, quia ingenuè eo loco ex simultate partium infiniti in potentia concludit infinitum in actu, vnde expeditiùs ad hæc S. oti loca dici posset, quòd sicut ipse varius fuit in hac materia de infinito, nec vnquam expresse se determinauit, vt benè notat P. Cauellus in Met.Scot.lib.2.q.6.Scol.1.& 2. ita variè, varijs in locis locutus est.

5 Hæc autem conclusio, quam tenet Albertin.tom.2.de Prædicam. quant.disputat.4.quæst.1. & Auersa quæst.22. sect.8.ad 3. Prob. primò, quia vt disputat.præced.quæst.2.art.6.ad 4. præscindendo ab omni actualitate, & potentialitate obiectiua, adhuc hæc duo infinitorum genera inter se differunt, ergo non differunt solùm in modo essendi potentiali, vel actuali, Probatur assumptum, quia vt docet Scot.loc.cit.in Met. ratio infinitatis syncategorem. est, quòd eius partes non sint tot, quin plures possint esse, & plures accipi, & signari, Ratio verò infinitatis cathegorem. est, quòd eius partes tot sint, quòd nequeant esse plures, quæ rationes sunt ita oppositæ, vt sint contradictoriæ, sicut notauit Trombeta cit. sed hæ rationes oriuntur ex natura illarum multitudinum, & non tantum ex modo essendi ipsarum potentiali, vel actuali, ergo præciso tali modo, adhuc differrent, nec vna infinitas euaderet aliam, Probatur min. quia res ad extra possibiles sunt infinitæ syncathegorematicè, & adhuc eandem retinent infinitatem, quamuis actu, & simul existant in intellectu diuino in esse obiectiuo, vt dicemus quæst. vlt. huius disput. ergo eodem quoque modo se haberent quoad infinitatem, si ad extra per impossibile simul omnes producerentur; Adhuc autem tota hæc infinitas sincategorem. potentialis diceretur, & non actualis, quia vt notat Trombeta, consistit eius infinitas in accipiendo partem post partem de ista multitudine, & sic successiuè, vnde licèt infinitæ species essent in actu (inquit ipse) quantùm ad vnitates materiales, tamen essent præcisè infinitæ in potentia, quia modus suæ infinitatis est per acceptionem intellectus, accipiendo partem post partem in infinitum, vbi è contra modus infinitatis cathegorematicæ est perfectus, & completus in eo consistens, vt eius partes sint in maxima, & suprema multitudine, & tot sint, quòd nequeant plures esse plures, hinc dicebamus disp.præc. q.2, art.cit. quòd licèt præfata indeterminatio accipiendi partem post partem infinito categ. connenire possit, tamen propriè conuenit solùm infinito syncathegor. quia hic est modus infinitatis eius proprius, vt docet Scot.1.d.3.q.1.ad tertium principale.

6 Deindè in hoc differunt hæc duo infinitorum genera, quod cathegorem, attingit infinitatem intrinsecè, syncatheg. verò solùm extrinsecè, ita quod de illo verificari potest multitudo, vel magnitudo in supremo gradu, quòd nimirum tanta sit, quòd nequeat esse maior, de isto autem non, sed benè omne id, quod est infra infinitatem, eo modo, quo dicimus, quòd si vna potentia possit attingere calorem vt quatuor: altera verò non, sed omnem alium, qui est infra calorem vt quatuor, prima potentia attingit intrinsecè calorem vt quatuor, secunda extrinsecè solùm, ergo si per impossibile infinitum syncathegorematicum poneretur in actu, non indè fieret cathegorem, quia poneretur in actu sicuti est, atque ita etiam in actu positum solum extrinsecè esset infinitum, quatenus nunquam assignari posset eius vltima pars, nec tamen vnquam possent dici partes eius in suprema, & maxima multitudine; Probatur assumptum, quia alioqui non admittendo statum in speciebus, posset à Deo creari creatura infinitè perfecta, & in diuisione continui posset deueniri ad aliquam minimam partem, & indiuisibilem, & in velocitate motus maiori, & maiori posset deueniri ad velocitatem instantaneam, quæ motui locali repugnat, cùm ergo hæc omnia implicent, dicendum est, processum syncategoremat. attingere posse infinitatem intrinsecè, & ideò si per impossibile omnes creaturæ possibiles ponerentur in actu, nulla foret infinitè perfecta, quia nulla talis est possibilis, & tunc non poneretur à parte rei, nisi quod est possibile; pariter si tota motus velocitas possibilis poneretur in actu, nullus motus localis adhuc esset instantaneus, quia nullus talis est possibilis.

Si dicatur, ex hypothesi impossibili, quòd infinitum sxncathegoremat. ponatur totum in actu, sequi hoc aliud impossibile, quod intrinsecè attingat infinitatem. Contra, ex hypothesi impossibili non sequitur per locum intrinsecum impossibile quodcunque, sed illud tantum, quod necessariam habet connexionem cum tali hypothesi, vt v.g. ex eo, quòd lapis est animal, sequitur quoque, ipsum fore sensitiuum, non tamen quod non sit corporeus, ergo in proposito ex eo, quod infinitum syncathegorem. sit totum simul, sequitur esse simul, quæ non sunt compossibilia, non tamen esse plura, vel pauciora; & ex illa hypothesi sequitur compossibilitas partium talis infiniti, non autem pluralitas, & huius ratio est, quia multitudo variari non potest, nisi varietur principium multitudinis, quod est differentia specifica, vel indiuidualis, sed existentia à parte rei non est tale principium, cùm supponat rem, cui aduenit, determinatam esse in specie, & indiuiduo, vt docet Doct.2.d.3.q.4. & quando etiam esset tale principium, cùm non sit diuersa secundùm se in esse actuali, & possibili, si in hoc statu non facit multitudinem categorematicè infinitam, nec etiam faciet in illo.

7 Ex his colligitur, qualis sit potentialitas, quæ necessaria est ad infinitum syncathegorem. vt sic, hæc enim non est necessariò talis, vt magnitudo, vel multitudo, quæ sic dicitur infinita, partim debeat esse in actu, & partim in potentia, & secundum partes existentes sit finita, & solùm penes possibiles infinita: quamuis enim infinitum syncathegorem. in hoc sensu, præcipuo modo dici soleat in in potentia, & in multis talis potentialitas sit essentialis, & necessaria, tamen absolutè loquendo, potest tale infinitum syncathegor. dari, quod habeat actu partes finitas in infinitum, cui tamen adhuc aliæ possint addi, & talis est multitudo partium continui: potentialitas ergo, quæ constituit infinitum syncategorem. vt sic, est indeterminatio, illa accipiendi partem post partem in infinitum, hic enim est modus infinitatis eius, vt supr. diximus cum Tromb.& capacitas, quam habet, vt possit adhuc augeri per maiorem, & maiorem accessum ad infinitatem, & per potentialitatem in hoc sensu præsertim distinguitur infinitum syncathegorem. à categor. nam indeterminatio illa accipiendi partem post partem, licèt sit propria infinitatis syncateg. potest tamen aliquo modo applicari etiam categ. sed capacitas augmenti nullo prorsus modo conuenire potest categ. quia de ratione eius est, quòd nihil extra illud remaneat spectans ad infinitatem, in illo gradu, & ordine, & sic potentialitas in hoc sensu remanet propria infiniti syncateg. cuiuscunque, quia siue à parte rei habeat determinatas partes, & finitas, siue indeterminatas, & infinitas in infinitum, adhuc tamen semper illi additio fieri potest, & eius accessus ad infinitatem esset maior, & maior.

Ex his denique patet, quàm benè infinitum illud, quod habet omnes suas partes in actu, & simul, & in tanta copia, vt nequeant esse plures, nec vllum prorsus possint suscipere incrementum dicatur categorem. Alterum verò, quod suas non habet partes in tanta copia, sed vel determinatas, vel indeterminatas, ita tamen, vt semper possit illi additio fieri aliarum, dictum sit sincathegorematicum nam sicut apud Logicos terminus categorematicus dicitur ille, qui est absolutè significatiuus sine addito, syncategorem. verò cum additos vndè nomen est terminus categor. Aduerbium syncategor. ita infinitum primi generis recti ratione dicitur categorematicum, quia absolutè, & directè infinitum est, & sine vllo addito infinitatem attingit intrinsecè, vndè nominaliter dicitur infinitum. At infinitum secundi generis recta ratione dicitur syncathegorematicum, quia si partes, quas actu includit, sunt finitæ, non dicitur infinitum, nisi considerando additionem, quæ semper, & semper sibi fieri potest, & si sunt infinitæ, adhuc talem additionem suscipere possunt, ex quo fit, quòd tale infinitum non dicatur nominaliter tale, & in recto, sed solùm aduerbialiter, & in obliquo finitum in infinitum.

8 In oppositum obijcitur 1. quod Aristot. definitio 3. Physicor. 63. tradita, quod sit *id, cuius semper est aliquid extra accipere*, conueniat etiam infinito categorematico. Tum quia Arist. tradit definitionem infiniti ad destruendam definitionem positam ab antiquis, sed illi definiebant, vel infinitum categ. vel in communi ergo &c. alioquin incideret in fallaciam æquiuocationis; Tum quia siue infinitum sit sincateg. siue categor. dum acceptio fit successiuè, semper manet aliquid accipiendum, ergo eadem indeterminatio vtique conuenit in sensu definitionis illius.

Resp. Aristot. probare contra antiquos, non dari infinitum in actu, quod ipsi definiebant, sed solum infinitum in potentia, quod ipse definit opposito modo, quia habet oppositas conditiones, & in hoc sensu quærit destruere positionem, & definitionem antiquorum. Ad 2. patet ex dictis, quod indeterminatio illa acceptionis partis post partem est proprius modus infinitatis syncathegorem, vt à cathegorematica distinguitur, & quando etiam talis indeterminatio posset quoque conuenire infinito cathegoremat. tamen potentialitas illa ad incrementum importata per illud, quod extra infinitum semper remaneat aliquid accipiendum, quod ei potest addi, infinito cathegor. prorsus repugnat, & denique si daretur magnitudo cathegorem. infinita, acceptio in illa esset partium æqualium, qualismodo non est in continuo, vbi est tantum infinita acceptio proportionalium, & in illa partes essent determinatæ, tam quoad existentiam, quàm quoad tantitatem essent enim partes illæ eiusdem quantitatis, sed modo partes infinitæ in continuo, licet sint determinatæ quo ad existentiam, quatenus non sunt tantum in potentia obiectiua, tamen sunt indeterminatæ quoad tantitatem, quia semper vna includitur in alia.

Secundò obijcitur, probando quod hæc duo infinitorum genera non differant in extensione continua, vel discreta, sed tantum in modo essendi potentiali, vel actuali. Tum quia multitudo rerum possibilium secundum existentiam realem est infinita sincathegorematicè, & tamen quia in diuino intellectu est tota simul obiectiuè, dicitur ibi cathegorematicè infinita, sed hæc multitudo in esse obiectiuo non est diuersa ab ea, quæ est sincathegorematicè possibilis secundum existentiam realem, ergo &c. Tum 2. quia in vtroque infinito reperitur magnitudo, vel multitudo sine termino, ergo solum differunt in modo essendi actuali, & potentiali. Tum 3. quia Arist. 3. Physic. à text. 56. distinguit infinita huiusmodi, quia vnum est in actu, aliud in potentia, nec vnquam meminit diuersitatis secundum multitudinem, vel magnitudinem. Tum 4. quia si tota hominum multitudo possibilis poneretur in actu, non posset Deus alios producere homines, quia omnes possibiles supponuntur producti, ergo erit cathegorematicè infinita. Tum denique, quia talis multitudo tota in actu posita non est maior infinito cathegor. neque minor, quia caret vltimo, ergo est æqualis.

9 Resp. negando assumptum, nam etiam in esse obiectiuo talis multitudo est sincathegorematicè infinita, quia talis infinitas est tamultitudini essentialis, & intrinseca, esse verò obiectiuum est tantum extrinseca denominatio, quæ proinde illam variare non potest. Ad 2. vtraque multitudo caret termino, sed non eodem modo, nam vni est intrinseca talis carentia, quia intrinsecè infinitatem attingit, alteri extrinseca, quia dicit potentiam ad actum nunquam explebilem. Ad 3. Aristot. distinguit infinitum syncathegorematicum a cathegorematico per potentiam, & actum, quia prorsus implicat, vt illud sit aliquando totum in actu, quia de ratione eius est, vt semper aliquid extra illud remaneat addendum. Ad 4. ex illo impossibili, quod tota infinitas syncathegorematica ponatur simul in actu, sequitur hoc aliud impossibile, quod ei additio fieri nequeat, id enim habet necessariam connexionem cum illa hypothesi impossibili, adhuc tamen illa multitudo non esset cathegorematicè infinita, nec diceretur in suprema multitudine, quia repugnantia additionis non oritur ex ratione intrinseca ipsius multitudinis, sed ab extrinseco ex impossibilitate aliarum rerum producibilium, qua ratione etiam dicemus, creaturis cognitis additionem fieri non posse. Ad 5. licet vtraque multitudo careat vltimo, tamen syncathegorematica est minor altera, quia ipsa est finita in infinitum, idest sine vlla determinatione, quod sit tanta, vel tanta, sed altera multitudo est simpliciter infinita, & potest absolutè dici, quod sit in statu supremo.

ARTICVLVS II.

De affectionibus, & attributis Infiniti.

10 VAria sunt attributa, quę passim de Infinito promiscuè enunciari solent, non distinguendo, cuinam infinito conueniant, quæ ad maiorem naturæ infiniti intelligentiam valdè iuuabunt, si diligenter, & distinctè considerentur.

Primò igitur infinitum dicitur mensurari non posse, quod attributum vtrique infinito conuenit, & ratio est euidens, & communis ambobus, illud enim dicitur mensurari, quod determinatè cognoscitur, quantum sit, tantum nempè, & non maius, hoc autem de nullo infinito verificari potest, vt patet ex dictis sup.art.sed Auersa quæst. 24.sect.2. inquit, infinitum esse immensurabile per mensuram finitam, siue successiuè per repetitionem eiusdem mensuræ, & in hoc sensu, ait, intelligi debere, quod communiter dicitur, infinitum mensurari non posse, adhuc tamen contendit aliquo modo sub mensura cadere posse, & posse adæquatè mensurari per mensuram pariter infinitam, vt si data prius quadam multitudine infinita, illi comparetur alia multitudo infinita, & inueniatur illi æqualis, ac proportionara, & sic dicatur esse tanta, quanta est illa, ac pariter infinita. Sed hoc non benè dicitur, tum quia mensurare, propriè loquendo est, in notitiam quantitatis ignotæ per alteram notiorem deuenire, vt docet Scot.quol.15.M. & 2.d.2.quæst.2.G. vnum verò infinitum non est notius alio, atque ideò pro mensura ad aliud dimetiendum assumi non poterit, tum quia vt idem docet 2.dist.1. quæst.3.ad vlt.argum. æqualitas est affectio propria quantitatis finitæ, & vnum infinitum non est æquale alteri positiuè, & veluti per commensurationem, sed solum dici potest æquale negatiuè per negationem excessus, & defectus, verè igitur infinitum mensurari non potest.

Secundò dici solet infinitum totaliter pertransiri non posse, nec numerari, quod Arist. docuit 3. Phys.41. & ratio similiter est euidens quia illud totum pertransitur, & numeratur, ad cuius vltimum peruenitur, sed hoc infinito repugnat, ergo, &c. & hoc attributum similiter conuenit vtrique infinito, quia vtrumque caret vltimo. Solet in contrarium adduci, quod per motum totum continuum percurritur, in quo sunt partes infinitæ, & quod si mundus fuisset ab æterno, vt voluit Arist. & plerique admittunt esse possibile, iam transisset nunc tempus infinitum. Sed ad primam difficultatem fit satis disp.præc.in solut.argum. Zen. ad alteram verò vel ex ibidem dictis respondendum est, vel potius ex ea duci debet argumentum cum Scoto in 2.d.1.q.3. infra I. ad probandum, non potuisse dari tempus æternum, quia non potest infinitum pertransiri, id quod infra tuebimur disput.14.quæst. 1. art. 2.

11 Tertiò infinitum dici solet ignotum, & cognosci non posse, idque docuit Aristot. 1.Physic.35. & libr.3. 65. & intelligi non posse perfectè, & adæquatè cognosci, cum semper aliud, & aliud remaneat cognoscendum, idque conuenit vtrique infinito, vt de se patet; declarat autem hoc attributum Doctor 1.d.3. quæst. 1. ad 3. princ. vbi ait, quod infinitum dicitur ignotum non quia à nullo intellectu possit intelligi, quia intelligitur ab intellectu infinito, & fortè etiam ab intellectu animæ Christi, vt ipse docet 3.d.14.quæst.2. dicitur ergo infinitum cognosci non posse (ait Doctor) ab aliquo intellectu cognoscente ipsum secundum modum suæ infinitatis, modus enim suæ infinitatis est accipiendo alterum post alterum, & intellectus, qui cognosceret hoc modo alterum post alterum, cognosceret semper aliquod finitum, & nunquam infinitum, & in hoc sensu dixit Arist. infinitum esse ignotum loc.cit. vt patet ex eius discursu. Neque ob id dicetur infinitum pertransiri, quia transitus propriè successionem dicit. Sed dices, si infinitum secundum modum suæ infinitatis non potest attingi, ergo ab intellectu diuino cognoscetur per modum finiti. Resp. hoc totum posse, & debere concedi in eo sensu, quo dixit D.Aug.de Ciu.lib.3.c.18. *quidquid scientia comprehenditur, scientis cognitione finitur*, quod dictum explicat Doct.3.d.14.q.2.F. ita esse intelligendum, non quod absolutè finiatur, quia tunc Deus non comprehenderet se, sed finitur cognoscenti; quia respectu eius se habet, ac si esset finitum, in hoc igitur sensu dicetur infinitum à Deo cognosci per modum finiti, non quod verè non cognoscatur, sed quia ita perfectè cognoscitur, vt in diuina cognitione dicatur penitus finiri, quatenus nihil eius remanet cognoscendum. Alia, quæ de infiniti cognoscibilitate desiderantur, videri possunt apud Can. & Samson.3.Phys. q.4.& Bargium 1.d.3.q.1.§. *Ad 3. dico &c.* in his enim, quæ nostri exactè pertractant, nec nouæ difficultates in oppositum à Recentioribus excitantur, non est tempus conterendum.

12 Quartò dubitatur, an infinitum posset esse maius, vel minus, & id quamplures affirmant, nedum de infinito syncathegorematico, sed etiam cathegorematico, ita docuisse videtur S.Thom.3.part.quæst.10. art.3.Caiet.ibidem, Ferr.3.Con.Gen.cap.57.Masius 3.Physic.disput. de Inf.sect. 1.quæst.4.Ruuius ibidem tract.2.quæst.4. Hurt. disputat. 13. Physicor. sectio. secunda, §.21. Arriag. disputatio.13. sectio. part. Complut. disputatio. 18. de Inf. quæstio.7. Fuentes 3. Physic. quæstio.3. diff. 2. articul.2. & Alij, quod probant euidenti ratione; nam si daretur actu infinitus numerus hominum, tunc plures forent oculi, quàm homines, plures digiti, quàm oculi, adhuc plures capilli, quam digiti, nam quilis homo duos habet oculos, decem manuum digitos, & multo plures capillos. Nec respondere valet; maius, & minus esse affectiones proprias quantitatis finitæ cum Conimbr.3. Physicor.capit.8.quæstio.2. articul.4. Nam quicquid continet totum, quod continet aliud, & aliquid præter illud, est maius illo; sed numerus capillorum tot vnitates includit, quot numerus hominum, & adhuc multo plures, ergo est maior illo; quod argumentum, si non concludit, planè omnis via præluditur ad probandam illam maximam, quod totum est maius

sua parte, in hac enim demonstratione fundatur; vnde nec rursus valet dicere cum eisdem, principium illud, quo omne totum est maius sua parte, est verum in rebus finitis, non infinitis, quia hoc est primum principium, quod in omnibus irrefragabilem habet veritatem, & eadem ratione, qua eius veritas probatur in reb. finitis, probabitur quoque in infinitis.

Respondet proindè Greg. 1. d. 44. q. vlt. art. 1. ad 2. maius posse sumi dupliciter, propriè, & impropriè; illa multitudo est maior alia propriè, quando continet tot vnitates, quot illa, & adhuc plures; illa est maior alia impropriè, cum continet tot, quot illa, sed non plures, licet contineat aliquid aliud, primo modo totum est maius sua parte in rebus finitis, secundo modo tantum in infinitis, ita quoque Tat. 3. Phys. q. de infinito §. *Tertio sciendum*, &c. Sed hæc responsio seipsam destruit, quia si vna multitudo tot continet vnitates, quot alia, & adhuc multas alias, necessariò sequitur, quod plures contineat, quam illa; quia ex hoc solum deducitur, vnam multitudinem continere plures partes, quam alia, quia tot continet, quot illa, & adhuc alias, implicat enim, aliquid includere omnes vnitates alicuius multitudinis, & quasdam alias ab illis diuersas, & non includere plures, nam illæ aliæ vnitates necessariò addunt pluralitatem, quia pluralitas non est aliud, quam vnitas plures multiplicata. Respondet Greg. pluralitatem dicere relationem inæqualitatis, quam non dicit ly aliud. Contra, hoc absolutè verùm est, sed quando ly aliud additur alijs tribuit toti vtrumque includenti pluralitatem, & consequenter inæqualitatem.

13 Respondet proinde Vasqu. 1. p. disp. 26. c. 3. quod licet in infinitis non sit assignare maius, & minus, æquale, vel inæquale secundum proportionem, quæ tantum inuenitur in rebus finitis, quia tamen vnum infinitum re vera continet aliqua, quæ in alio non continentur, poterit dici vnum infinitum maius altero secundum inclusionem, non tamen secundum proportionem, & in eodem sensu etiam in infinito totum erit maius sua parte, non quidem secundum proportionem, quia vtrumque erit infinitum, sed tantum secundum inclusionem. Sed hæc solutio nulla est, nam maioritas, & minoritas proportionis inseparabilis est à maioritate, & minoritate inclusionis, tam in rebus finitis, quàm infinitis, nam proportio est habitudo quantitatum inter se, æqualitas est species illius habitudinis rerum quantitatum inter se secundum negationem excessus, & defectus, inæqualitas verò est habitudo earundem secundum excessum, & defectum entitatis inclusæ, maius verò, minus, & æquale sunt extrema illarum relationum, iam verò ad has relationes impertinens est finitudo, & infinitudo, sufficit enim vt reperiatur excessus, & defectus entitatis inclusæ, vel eorum negatio, non enim sunt res finitæ maiores, vel minores ratione extremitatum, quia illæ non sunt præcisè fundamentum relationis, sed ratione inclusæ entitatis, itaut eo ipso, quod vnum plus entitatis includit, quam aliud, præcisis etiam per impossibile terminis, necessariò sit maius illo.

Respondent, in infinitis non dari excessum, hic enim propriè tantum est in numero finito, quando enim per adæquatam numerationem v. gr. denarij peruenimus ad quinarium, qui ad denarium comparatur, vt dimidium ad duplum, & postea prosequimur numerando, immediatè post quinarium sequitur excessus dimidij, & ideò quia in multitudine infinita, vel magnitudine nunquam est peruenire ad dimidium, consequenter etiam ad excessum peruenirì non potest, qui sequitur immediatè post illud, sed semper, & semper procedimus; vnde in infinitis datur processus, non excessus; sed hæc responsio reijcitur ex dictis, quia inæqualitas est habitudo duarum quantitatum secundum excessum, & defectum entitatis inclusæ, sed multo plures vnitates, & numeros includit multitudo infinita capillorum, quam hominum, ergo illa excedit istam; & sic verum est, vnum totum aliud excedere, quando includit, quicquid includit illud, & etiam aliquid aliud, vt patet in exemplo denarij respectu quinarij allato in responsione, planè cum numerus capillorum tot includat vnitates, quot numerus oculorum, & hominum infinitorum, consequenter excedit illos. Immo etiam poterit assignari dimidium, nam infra ostendemus infinitatem hominum esse dimidium infinitatis oculorum; qui sunt in duplo plures, & sic poterit etiam assignari excessus.

14 Dicendum tamen adhuc est, quod quamuis maius, & minus infinito syncathegorem. competere possit, tamen cathegor. prorsus repugnat; ita Scot. quol. 5. sub A. vbi docet, infinitum in actu non posse excedi, idem habet 1. d. 2. quæst. 2. §. *Quarta via &c.* & ad 2. princ. & 2. d. 1. q. 3. ad vlt. arg. Mayron. 1. d. 43. quæst. 10. Bass. 2. d. 1. q. 5. Can. optimè 3. Phys. q. 3. art. 3. Conimbr. Auersa q. 24. sect. 2. & probatur; Tum quia ex dictis art. præc. infinitum in actu est illud, quo non est maius 1. de Cœlo text. 130. vbi exponunt, non solum secundum existentiam, sed etiam secundum imaginationem, & ideò quia Deus est infinitum ens, dicitur ab Anselmo, quo maius excogitari non potest in entibus, ergo ab intrinseco repugnat infinito excedi ab alio in eo genere, in quo est infinitum. Tum quia infinitum in entitate dicitur esse illud, cui nihil entitatis deest eo modo, quo possibile est omnem entitatem haberi in aliquo vno, & hinc probant Theologi, Deum esse simpliciter, & in omni genere infinitum, quia ita omnia continet, vt nihil sit extra ipsum, idest nihil sit, quod in eo eminenter non contineatur, & ideò dicitur habere omnem essendi plenitudinem, ergo à pari infinitum in quantitate continua, vel discreta erit illud, quod continet omnem huiusmodi quantitatem. Tum 3. vt arguit Canon. infinitum in actu, & infinitum in potentia debent per opposita definiri, sed infinitum in potentia definitur, cui aliquid deficit, & cuius semper est aliud, & aliud accipiendum, ergo infinitum in actu definietur per hoc, quod nihil sibi deficit in genere, in quo est infinitum, sed omni excesso aliquid deficit ergo &c. Tum 4. quod est imperfectum in aliquo genere, non est infinitum in eo genere, quia infinitum in aliquo genere dicitur, quod habet omne spectans ad illud genus, vnde perfectè, & infinitè calidum est illud, quod habet omnes gradus possibiles caloris, sed omne excessum in aliquo genere est imperfectum respectu eius, à quo exceditur, ergo respectu eius non est infinitum. Tum 5. quia eo ipso, quod aliquid exceditur, finitur, & terminatur; finitur enim ibi, vbi incipit ab alio excedi; Tum 6. quia in quantitate continua illa dicitur extensio infinita, quæ vlterius, & vlterius protenditur sine termino, ergo repugnat dari lineam infinitam, quæ non extendatur sicut altera, nam finiretur ibi, vbi incipit ab alia excedi, & esset tanta, & non maior. Tum denique in quantitate discreta si vnus numerus est alio minor, ergo hic non est tantus, quantus ille, nec tot vnitates includit, quot ille, ergo erit tantus, & non maior, tot vnitates habebit, & non plures, ergo finitus erit, non infinitus.

Resp. auctores cit. pro altera sententia, hæc, & similia argumenta probare tantum, non posse dari vnum infinitum maius alio formaliter, & in ratione infiniti, nam ratio infinitudinis in indiuisibili consistit, scilicet in negatione termini, adhuc tamen stat posse vnum infinitum esse maius altero, vel æquale materialiter, quantum scilicet ad res, ex quibus componitur, quia licet non possit habere vnum infinitum maiorem rationem infinitudinis alio potest tamen habere plures res, quibus conueniat infinitas, & in hoc sensu maior est multitudo infinitorum Angelorum, & hominum, quam Angelorum tantum.

15 Sed contra hanc doctrinam, quæ Recentioribus omnibus satis est familiaris, arguitur, quod in primis falso innititur fundamento, quod infinitas sit vna forma indiuisibilis, & simplex, quod omnino dici non potest, cum sit in subiecto diuisibili; & ideò ipsa negatio finitatis extenditur ad extensionem rerum, quæ dicuntur infinitæ, vnde infinitas erit quidem tota in tota multitudine, sed non tota in qualibet illius parte v. grat. in denario vel centenario. Deinde sicut numerus non est aliqua vna forma ex natura rei distincta à rebus numeratis præsertim secundum istos, sed est aggregatio plurium vnitatum, ita in proposito infinitum non erit nisi aggregatio quædam plurium vnitatum, & ideò si vnitates aggregatæ plus, & minus recipiunt, infinitum quoque formaliter erit maius, & minus. Nec dicere possunt, infinitatem dici formam indiuisibilem, quia exigit aggregationem vnitatum talis rationis, sicut quinarius forma dicitur indiuisibilis quinque vnitatum, quia in illis quinque fundatur collectiuè sumptis. Nequeunt hoc dicere, quia sequeretur, quod sicut ablata vnitate à quinario destruitur quinarius, quia destruitur collectio, in qua fundabatur, sic etiam ablata qualibet vnitate destrueretur infinitas. Denique solutio illa se ipsam destruit, nam eo ipso, quod concedunt, vnum infinitum posse aliud excedere materialiter, coguntur dicere, quod etiam excedit formaliter, nam ratio formalis infinitudinis consistit in negatione termini, sed eo ipso quod vnum infinitum exceditur ab alio, finitur, & terminatur, vt probatum est, definit enim ibi, vbi incipit excedi, ergo &c.

Ex his concludendum est cum hac 2. sententia, infinito cathegorematico prorsus repugnare maius, & minus, & adhuc primæ sententiæ concedendum est, quod si daretur multitudo infinita hominum maior esse deberet infinitas oculorum, & adhuc maior capillorum, nam vt inquit Suar. disput. 44. Met. sect. 5. num. 49. mens capere non potest, qua ratione singuli dies non sint pauciores, quàm horæ, & tota collectio dierum non sit minor, quàm collectio horarum, cùm singulis vnitatibus dierum respondeant viginti quatuor vnitates horarum; recta igitur ratione ostendit prima sententia, vnum infinitum categorematicum debere esse maius alio, (si daretur) recta item ratione ostendit 2. sententia, hoc prorsus repugnare, quare hæc erit vna ratio implicantiæ euidenter demonstrans impossibilitatem talis infiniti.

16 Quòd autem infinitum syncatheg. possit recipere magis, & minus, Prob. Tum ex ratione ipsius infiniti syncateg. quæ est, quòd extra illud semper aliquid remaneat, quod sibi possit addi. Tum quia sub vna specie multiplicari possunt indiuidua in infinitum, & similiter sub altera specie, maior autem est numerus indiuiduorum possibilium sub vtraque specie, quàm sub vna tantum. Tum quia possunt à creatura produci plures, & plures effectus in infinitum, sed adhuc plures produci possunt à Deo, sicut maior est potentia Dei, quam creaturæ, & tamen hæc omnia sunt syncategorematica infinita. Tum etiam admisso præsertim processu specierum in infinitum, quælibet creatura distat in infinitum à Deo, & tamen sub hac infinitate magis distant creaturæ imperfectiores, & minus distant perfectiores, sicut istæ magis accedunt ad diuinam perfectionem, quàm illæ, vt colligitur ex Scoto 4. d. 1. quæst. 1. §. *Ratio secunda, &c.* Tum denique quia præced. disputat. statuimus hac ratione plures partes proportionales & in-

& indiuisibilia in Cœlo, quàm in grano milij, & tamen vtrobique sunt syncategorematica infinita.

Ratio autem, cur hoc infinitum sit capax maioritatis, & minoritatis, & quare rationes allatæ à 2. sententia concludant contra infinitum categ. non syncateg. attenditur, vt notauit Amic. tract. 18. qu. 3. dub. 5. concl. 8. ex diuerso modo essendi vtriusque infiniti, & ex diuerso modo attingendi infinitatem, nam infinitum syncatheg. quia est potentiale, semper potest magis, & magis augeri, & quia non intrinsecè attingit infinitatem, sed extrinsecè tantum, ideò potest magis, & minus accedere ad infinitatem; Neque ex hoc, quòd multitudo vna syncatheg. partium, v. g. circuli minoris exceditur à multitudine infinita proportionalium circuli maioris, sequitur, quòd habeat terminum intrinsecum, & possit in ea signari vltima pars, sed tantum habere terminum extrinsecum, quem non attingit, scilicet infinitatem, vndè licèt secundum suas partes absolutè loquendo procedat vlteriùs, & vlteriùs sine termino, tamen secundum quid, & comparatione diuisionis circuli maioris potest dici vlteriùs non progredi, hic tamen non vlterior progressus non tollit infinitatem syncateg. partium circuli minoris, quia benè concipi potest, diuisionem vtriusque circuli posse in infinitum protrahi, cum hoc tamen, quòd diuisio maioris magis semper in progressu accedat ad infinitatem, quàm diuisio minoris.

17 Complut. loc. citat. num. 85. conati sunt hanc doctrinam adhibere pro solut. difficultatis eiusdem contra infinitum categorematicum, in quo admittunt maius, & minus materialiter, dicentes, infinitum habere terminum extrinsecum in comparatione maioris, quatenus non pertingit ad habendam tantam materiam, quantam numerus maior, non tamen ex tali minoritate sequi, quod habeat terminum intrinsecum, & possit in eo signari prima, aut vltima vnitas, quod tali manifestant exemplo; fit per impossibile daretur aliqua creatura infinitæ perfectionis essentialis intra latitudinem entis creati, tunc & si non haberet terminum intrinsecum in sua perfectione, haberet tamen pro termino extrinseco infinitam perfectionem Dei, quia quantumuis esset perfecta, nunquam pertingeret ad perfectionem Dei, & nihilominus talis creatura non ob id amitteret infinitatem in latitudine entis creati. Sed non leuiter falluntur PP. isti, dum solutionem hanc, quæ satis est pro infinito syncategorematico, voluerunt quoque ad cathegorematicum extendere, nam est omnimoda disparitas, ideò enim solutio valet ad tollendam difficultatem factam contra infinitum syncategorem. quia hoc non habet terminum intrinsecum, sed extrinsecum, scilicet infinitatem ipsam, siue magis, siue minus accedat ad eam, at infinitum categ. habet pro termino intrinseco infinitatem ipsam, vndè omnia infinita huius generis debent ex sua ratione formali æqualiter attingere infinitatem, nec in tali attingentia intrinseca potest admitti latitudo illa, quæ reperiri potest in extrinseca, vnde & exemplum illud à Complut. allatum nobis inseruit, & non illis. Posset etiam ad vberiorem doctrinam solutionis allatæ dici, quòd tunc excessus infert terminationem, finem, & vltimum in re excessa, quando excessus ille inciperet a certa quantitate, & determinata parte excessi, quam in proposito assignare est prorsus impossibile, quia sicut non datur vltima pars eius, ita non datur determinata pars, à qua incipiat excessus iste.

18 Quintò dubitatur, num infinito possit aliquid addi, vel detrahi, & quidem de infinito categ. in quantitate continua fatentur omnes, nihil posse addi, aut detrahi, qua parte infinitum est, benè tamen qua parte est finitum, vnde si daretur linea hinc incipiens, & in infinitum tendens versùs Orientem, benè posset illi ex hac parte addi, vel detrahi, quia finita est, at non ex alia, qua in Orientem tendit in infinitum, quia vbi adderetur, vel detraheretur, ibi esset terminus, & finis totius lineæ, sic etiam si daretur corpus vndequaque infinitum, non posset illi fieri additio, quia talis additio fieri non posset, nisi per vnionem cum aliqua determinata parte, non enim fieri potest immediatè cum omnibus, & tunc illa pars determinata esset vltima, vltra quam corpus illud non protenderetur. Posset tamen Deus è medio illius corporis, aut lineæ ex vtraque parte infinitæ auferre, quot voluerit partes, semper maiores, & maiores, nam partes illæ essent inter se independentes quo ad existentiam in corpore infinito, sicut sunt modò infinito, & detractis ab infinito quibuscunque partibus finitis, id, quod remaneret, semper infinitum esset, nam sicut continuum exhauriri non potest per ablationem partium proportionalium finitarum, quia partes proportionales eius sunt infinitæ, ita neque infinitum corpus exhauriri potest per ablationem æqualium finitarum, quia partes æquales illius sunt infinitæ.

De infinito autem cathegorematico discreto absolutè fatentur posse augeri, & minui intra latitudinem infinitatis, nam si infiniti milites Hispani, & infiniti Galli bellum ineant, & Hispani mille Gallos occidant, minor remanet exercitus Gallorum Hispano, sed adhuc infinitus, quòd si loco occisorum alij mille Galli subrogentur, non vtique mutant rationem infiniti numeri, cui adduntur, tamen intra limites, seu rationem infiniti constituunt maius, quàm esset antea post prælium, sicut decem additi numero centenario, vel ab eodem detracti non tollunt rationem numeri finiti, tamen intra limites finiti constituunt maiorem, vel minorem numerum.

19 Sed potius dicendum est, spectata natura infiniti categor. non posse additionem, nec detractionem pati, siue sit continuum, siue discretum. Tum quia infinitum intra latitudinem infinitatis non potest suscipere magis, & minus, ergo nec augeri potest, ac minui, vnde non valet assumpta paritas de multitudine finita, quæ suscipit magis, & minus intra latitudinem numeri finiti. Si dicatur, infinitum in additione non fieri maius, nec in detractione minus; præterquamquod hoc manifestè repugnat naturæ additionis, & detractionis, nam additio partium alicui toto illud auget, detractio minuit, tunc sequitur, totum non esse maius sua parte, vt discurrenti patebit. Tum quia hæc additio, vel detractio, aut fieret secundum partes finitas, vel etiam fieri posset per infinitas, additio neutro modo fieri potest, quia infinitum in aliqua specie includit omnes res possibiles in illa specie, & natura specifica adæquatur in illa infinitate, nam infinitum est, quo maius non solùm dari, sed nec etiam cogitari potest in eo genere, vt iam probatum est; & neutro etiam modo fieri potest detractio, non quidem secundum partes infinitas, adhuc alijs infinitis remanentibus, sic enim Deus posset creare infinitos homines, & singulos cum vna rosa, & postea rosas ab omnibus auferre singulis adhuc remanentibus cum rosa, quod implicat; sed nec etiam talis detractio fieri potest per partes finitas, nam si ex infinitis hominibus productis posset Deus annihilare centum, vel mille, vtique posset etiam eosdem reproducere, & addere infinitis, qui remanserat, vnde eadem ratione poterat ab initio non creare illos centum, vel mille, sed postea, & illis infinitis antea creatis addere, quod est impossibile, nam probatum est, infinitum esse additionis incapax.

20 Resp. Aliqui, hæc argumenta probare tantum, fieri non posse additionem quantitati continuæ infinitæ, non tamen discretæ, quia totum continuum est vnum simpliciter, vnde si fieret additio, fieret toti per se primo, & cum hoc sit infinitum, fieret per se primò additio infinito totum verò discretum est simpliciter plura, & in eo sunt diuersæ vnitates, quæ sub diuersa ratione componunt collectionem finitam, & infinitam, nam si omnes simul sumantur, componunt infinitam, si verò distributiuè secundum aliquem numerum finitum, vt decem, centum, mille, componunt finitam, vnde cum additio in toto discreto fiat per se primò partibus, poterit totum suscipere additionem secundum aliquam collectionem partium finitam. Sed contra, quia in infinita collectione non sunt diuersæ vnitates, quæ fundant finitatem, & quæ fundant infinitatem, sed sunt omninò eædem, quæ secundum diuersam rationem dicuntur componere collectionem finitam, & infinitam, ergo à parte rei si fit additio finitis, fiet etiam infinitis; & cum discreta quantitas non consistat, nisi in aggregatione plurium vnitatum, planè ad variationem earum, debet ipsa quoque in se variari, immo cum eius vnitas non pendeat ex partibus suis distributiuè, sed collectiuè sumptis, destruetur vna ex illis partibus detracta, & augebitur, vna addita, vt patet in quacunque specie numeri finiti, talis enim est natura totius collectiui, vt per vnius partis ablationem destruatur, quia pendet indiuisibiliter à singulis.

Resp. Alij, duplicem esse posse infinitatem hominum v. g. vnam vndequaque complectentem omnes prorsus homines possibiles, & huic certum est, non posse addi alium hominem, alteram determinatam, quoad vnam seriem, & hanc constat totam secundum se esse sumptam, si tota est producta, quia illa series infinitatis non est capax aliorum hominum, sed si alij sunt producibiles, inchoant aliam infinitatem, sicut si numerus denarius esset vltimus numerus, quo non posset esse maior, si fierent aliæ vnitates, non crescceret numerus denarius, sed fieret alius numerus denarius, & in sententia Scotistarum producto summo calore, potest vtique alter produci in æquali gradu, sed cum illo non efficiet calorem magis intensum, quia non est capax vlterioris intensionis & hæc fuit responsio Mayron. 1. d. 43. qu. 10. art. 2. vbi ait, producto infinito, posse adhuc produci infinities, infinita, nec esse statum in vna infinitate.

21 Sed contra. Tum quia vt supra demonstratum est ex Scot. quol. 5. de ratione infiniti categorematici vt sic, est, quod nihil sibi deficiat in eo genere, in quo est infinitum, vnde infinitum in magnitudine est id, cui nihil deest magnitudinis, & infinita multitudo indiuiduorum in aliqua specie est, quæ absorbet omnia indiuidua possibilia sub illa in quacunque serie excogitabili, vt fusè probat Rubion. 1. d. 43. qu. 1. Tum quia non sunt compossibilia plura infinita formaliter in eodem genere infiniti, vt docet Arist. 3. Cœli 53. *impossibile est, vt vnum infinitum sit extra aliud*, & Scot. quol. 5. alioquin in genere entis esse possent duo entia infinita, & duo Dij. Tum 3. quia vel sub eadem specie potest Deus tantam indiuiduorum multitudinem producere, vt adæquetur latitudo illius speciei, vel non; si primum, ergo vltra illam infinitatem non erit alia possibilis; si secundum, vel id asseritur in hoc sensu, vt nõ tot indiuidua possit producere, quia adhuc plura possit; & sic est relinquere infinitum cathegorematicum, & amplecti solum syncathegorematicum, vel si dicatur posse vnam infinitatem cathegorematicam, & adhuc aliam, & aliam, & tunc deueniendum erit ad infinities infinitas, in quibus nec status dari debebit ob eandem rationem, qua nõ dabatur in vna infinitate, & hoc est facere infinitates cathegorematicas esse quoque syncathegorematicè infinitas; sed melius est dicere, indiuidua ipsa possibilia esse syncathegorematicè infinita, nõ autem infinitates cathegorematicas eorum. Tum 4. quia si possibile essent plures

res series infinitatum cathegorematicarum indiuiduorum sub eadem specie, falsum est, quod vna alteri addita non faceret maiorem multitudinem quia non est aliud multitudinem augeri, quam plures vnitates includere, sed plures vnitates esse sub duplici serie, quam sub vna; vnde non est ad rem exemplum de duobus caloribus in Summo ex Scoti doctrina allatum, quia vt illi faciant maiorem intensionem deberent continuari, & in eodem subiecto recipi, quod necessarium non est ad multitudinem constituendam. Tum demum quia si plures tales infinitates essent possibiles, vtique omnes istæ deberent in vna sola infinitate includi, non enim dari potest multudo semel infinita, sed necessariò poni debet infinities infinita, cum enim in ea non tantum poni debeant infinitæ vnitates sed etiam infiniti binarij, ternarij, & sic de singulis numerorum speciebus, consequenter erunt in ea infinitæ vnitatum infinitates, nam infiniti binarij exigunt duas vnitatum infinitates, ternarij tres, & sic de aliis.

22 Ex his concludendum est cum hac 2. sententia, naturæ infiniti cathegor. siue in continua, siue discreta quantitate ponatur, repugnare prorsus additionem, & detractionem, sicut repugnat magis, & minus; & adhuc primæ sententiæ concedendum est, quod si tale infinitum daretur, posset ei aliquid addi, vel detrahi, nam nulla videtur ratio, cur Deus ex infinitis hominibus productis possit aliquos annihilare remanentibus alijs, non enim maiorem dependentiam habent partes inter se, vt componunt infinitum, ac vt componunt finitum, & ideò sicut quælibet pars multitudinis finitæ potest destrui remanente alia, idem dici poterit, ac debebit de partibus infiniti, & sicut potest Deus iterum reproducere illos homines, & addere infinitis, qui remanserat; sic poterat ab initio illos non creare; sed postea de nouo addere; Quod si hæc duo inter se pugnare videantur, mirum esse non debet, quia hæc quoque est vna ratio implicantiæ contra infinitum, quam expressit Doctor citat. 1. distinct. 2. quæst. 2. ad 2. princ. dum ait, *Corpus infinitum, si esset cum alio, fieret totum maius vtroque ratione dimensionum, quia dimensiones alterius corporis essent aliæ à dimensionibus corporis infiniti, & eiusdem rationis cum eis, & ideò totum maius esset propter diuersitatem dimensionum, & totum non maius, quia dimensio infinita non potest excedi.*

De infinito autem syncatheg. dicendum, esse capax tam detractionis, quàm additionis, quod probatur; tum experientia, quia quodlibet continuum, quod constat ex partibus proportionalibus syncathegorematicè infinitis, crescere potest in infinitum per appositionem, & decrescere per diuisionem, & subtractionem. Tum ex ratione talis infiniti, quod est talis naturæ, quod semper extra illud aliquid remanet accipiendum, ergo semper est aliquid extra, quod potest addi, immo cum suapte natura sit incompletum, semper est capax additionis, per quam affertur semper complementum maius, & accessus ad infinitatem. Tum tandem quia vt patet ex dictis, duplex esse potest infinitum syncathegorematicum, aliud partim in actu, & partim in potentia quoad existentiam, & hoc quantum ad partes existentes semper dicitur in potentia ad possibile, quæ sibi possunt addi, & ex tali potentia dicitur infinitum, quia quantum ad id, quod est in actu, est finitum aliud verò, quod est in actu quo ad infinitas partes, seu finitas in infinitum, & hoc etiam dicitur esse in potentia ad alias adhuc partes, quæ sibi possent addi.

23 Sed dices, infinitum catheg. potest additionem admittere, quia pars illa, secundum quam immediatè fieret additio, esset determinata, & consequenter vltima illius magnitudinis vel multitudinis, ergo neque infinitum syncatheg. potest additionem admittere ea ratione, qua infinitum est. Respon. infinitum syncathegorem. quod partim est in actu quoad partes finitas, & in potentia quoad infinitas, additionem sumere, vt finitum est, & ideò fit ei additio in parte determinata, & vltima, sed infinitum syncathegor. quod habet actu infinitas partes proportionales, potest additionem sumere, etiam quatenus infinitum, absque quod signetur vltima pars, cum enim huiusmodi partes non sint determinatæ, sed indeterminatæ quoad tantitatem, & vna inclusa in alia, non potest vnquam vltima pars signari, & immediata, cui fiat additio, quia nulla ibi est talis, & ideò additio fit per se primò toti, & secundariò partibus, & quia totum est simpliciter finitum, ideò additio per se primò fit finito, & secundariò infinito; hoc autem de infinito cathegor. dici non potest, cum enim omnes suas partes haberet æquales, & determinatas, tam quoad existentiam quàm quoad tantitatem, planè additio fieri non posset, nisi in parte determinata, quæ proindè esset vltima.

QVÆSTIO II.

An creari possit infinitum in essentia cathegorematicum, vel saltim syncathegorematicum.

24 SEnsus quæsiti quoad 1. partem non est de infinitate essentiali in tota entis latitudine, infinitum enim in hoc sensu est quod absorbet omnem perfectionem possibilem in ratione entis, & talis est sola perfectio diuina, quæ est incommunicabilis creaturæ, quia infinitas essentialis in tota entis latitudine inter cœteras perfectiones includit etiam independentiam, quæ cum creaturæ repugnet, necessariò etiam talis infinitas illi repugnabit; sensus ergo quæsiti est de infinitate essentiali sub latitudine entis creati, vt notauit Bassol. 1. d. 34. quæst. vn. art. 2. an scilicet possit dari creatura, quæ dicat perfectionem specificam infinitam, adhuc tamen à Deo dependentem, & hoc siue in genere substantiæ, siue accidentis, & quamuis communior opinio sit negans, non defuerunt tamen, qui oppositam sint tutati, & nuper eam amplexus est Auersa quæst. 45. sect. 8. & 9. vbi quamuis cum communi defendat, repugnare infinitum in intensione, extensione, & multitudine, admittit tamen esse possibile infinitum in perfectione essentiali, & specifica, quia hæc infinitudo non est per modum latitudinis intensiuæ, vel extensiuæ, sed indiuisibiliter se habet, & impossibilitas infiniti rationabiliter argui non potest (inquit ipse) nisi ex latitudine illa intensiua, vel extensiua.

Quoad alteram quæsiti partem, quamuis communior opinio admittat de potentia Dei absoluta processum syncathegorematicum in speciebus, ita quòd quacunque data, adhuc potest Deus perfectiorem carere in infinitum, ita Suar. disputat. 30. Metaph. Conimbr. 3. Physic. cap. 8. quæst. 3. art. 3. Complut. ibi disputat. 18. quæst. 3. Auersa citat. sect. 4. Amic. tractat. 18. quæst. 5. dub. 4. ex D. Bon. 1. d. 44. quæst. 1. & Mayron. 1. d. 43. quæst. 9. Opposita tamen Sententia grauissimis viris visa est probabilis, Henr. quol. 8. Aureol. 1. d. 44. art. 4. Durand. ibi quæst. 2. Ocham quæst. vn. Scot. 2. Met. quæst. 6. quod etiam significat 3. d. 13. quæst. 1. vnde Scotistæ communiter hanc defendunt vt Scoti opinionem circa ea loca, & Vulpes tom. 2. 1. p. disputat. 42. art. 2. Smifinch. tractat. 3. disputat. 7. quæst. 5. Fuent. 3. Phys. diff. 2. quæst. 3. art. 5. & alij passim quod, & nouissimè Arriag. defendit disp. 13. Phys. sect. 3.

ARTICVLVS I.

Resoluitur quæstio quoad infinitum categorematicum.

25 DIcendum est, dari non posse creaturam cathegorematicè infinitam quo ad gradum specificum. Concl. est communis, sed probationis difficilis; Scotistæ passim eam probare solent, quia talis creatura esset ens per essentiam, & non per participationem, quia haberet perfectionem essentialem sine termino, & cum tota plenitudine essendi, atque ita non esset creatura, sed Deus; ita P. Vulpes tom. 1. 1. p. disputat. 13. art. vlt. Faber 1. disputat. 22. & 3. disputat. 29. & 12. Met. disputat. 12. cap. 2. Fuent. citat. art. 1. & alij passim. Sed hæc ratio ostendit tantum non posse creari infinitum secundum essentiam in tota latitudine entis, at hic est quæstio de infinito in latitudine entis creati, quod dependentiam non excludit, & malè ex infinitate entis creati in aliquo certo genere deducitur infinitas simpliciter, & in tota entis latitudine, vt docet Doctor 1. d. 8. quæst. 3. R. cuius ratio est, quia data creatura sic perfecta, adhuc excederetur à Deo, & respectu Dei non esset infinita, sed tantum respectu creaturarum sub ipsa possibilium in infinitum, vt notauit Canon. 3. Phys. quæst. 3. art. 3. & Lichet. quol. 5. §. *Respondeo ad omnes obiectiones &c.* soluendo secundam contra primum dictum, vbi docet, quòd aliud est loqui de infinito simpliciter, in quo ponitur omnis perfectio virtualiter, & eminenter, & aliud est loqui de infinito intensiuè in genere, vt v. gr. albedo infinita infinitum primi generis excludit omnem imperfectionem, & independentiam, non autem infinitum secundi generis, vnde 1. d. 8. quæst. 2. §. *Sed videtur, &c.* ait idem Lichet. quod si daretur substantia illimitata continens virtualiter, non tantum accidentia, sed etiam plures substantiæ species, adhuc ista foret in genere, & à Deo dependens, vt patet de Sole.

Thomistæ verò, vt Complut. cit. quæst. 2. probant, quia quicquid est sub aliquo genere, debet esse finitum secundum essentiam, nam essentia limitat naturam generis, & genus est potentiale ad illam, & cùm omne genus diuidatur per differentias oppositas, quarum vna excludit perfectionem alterius, necessariò vtraque debet esse determinatæ perfectionis in illo genere, & ideò repugnat aliquid esse sub genere, & habere infinitam perfectionem essentialem, qua ratione etiam vtitur Fuent. loc. cit. quia Scotus etiam 1. d. 8. q. 3. hac ratione excludit Deum à genere, quia quicquid est in genere, est ens limitatum. Et confirmari posset hæc ratio ex eo, quod docet quol. 5. quod infinitum debet includere omnia in illo genere, in quo est infinitum, & ideò si daretur essentia infinita continens omnes perfectiones in aliquo genere, planè nulla alia prorsus possibilis foret species sub eo genere.

26 Sed hæc ratio non magis concludit, quam prima; tum quia inclusio rei sub genere tollit tantum ab ea infinitatem in tota latitudine entis, quia excludit ab ea esse à se, esse actum purum, habere necessitatem essendi, & similia, non tamen excludit infinitatem essentialem in eo genere; & in hoc sensu procedunt rationes Scoti loc. citat. quibus probat, quod Deus non est in genere, quia tunc non esset à se actus purus, & summè necessarius; tum quia licèt differentia limitet naturam generis, & vt speciem distinctam ab alijs constituat sub eo, non tamen limitat naturam speciei, nisi ipsa differentia supponatur finita, sed si in eo genere esset infinitæ perfectionis, & virtualiter contineret differentias omnium specierum inferiorum, planè species ab ea constituta esset infinitæ perfectionis essentialis;

tialis; tum etiam quia, & si differentiæ oppositæ sint incompossibiles formaliter secundum proprias, & specificas rationes, tamen quod ambæ virtualiter contineantur in aliqua eminentiori differentia implicare non videtur; nam experimur, assensum, & dissensum coniungi non posse simul secundum proprias, & specificas rationes formaliter, & tamen virtualiter contineri in eadem potentia intellectiua; tum denique quia falsum est, infinitatem vnius speciei ablaturam fore existentiam, & possibilitatem aliarum sub eodem genere; videmus enim animam rationalem virtualiter continere animas inferiores, quarum tamen existentiam non impedit, Deus est infinitus in ratione entis, nec tamen aliorum entium possibilitatem impedit, & existentiam.

Alij impossibilitatem talis creaturæ ex eo probant, quòd data tali creatura perfectionis infinitæ, hæc naturaliter videret Deum, esset naturaliter in gratia ipsius impeccabilis, potens Deum comprehendere, cognoscere futura contingentia, &c. quæ ratio similiter non concludit, nam semper negabitur sequela; cùm adhuc ista creatura ponatur à perfectione Dei infinitè distare, & si aliquam vim haberet, solummodo impossibilitatem ostenderet in genere creaturæ intellectualis, non autem in alijs generibus.

27 Cùm igitur hæc impossibilitas à priori ostendi nequeat, nec euidenter, ac immediatè à posteriori concludi, quòd talis creatura non tantum in genere esset infinita, sed simpliciter, & absolutè, atque ita Deus, id tamen ostendi potest à posteriori implicitè. Primò per famosam Scoti regulam, quam docet 1. d. 8. quæst. 3. R. nunquam ad summum in inferiori sequitur summum in superiori, nisi illud inferius sit nobilissimum contentum sub illo superiori, sicut non sequitur, perfectissimus asinus, ergo perfectissimum animal, sed benè gratia materiæ sequitur, perfectissimus homo, ergo perfectissimum animal, quia homo est perfectissimum animalium, si igitur creata specie accidentali potest creari perfectior scilicet substantialis, creata substantiali corporea potest creari perfectior, scilicet spiritualis, certè creata demum substantia spirituali infinitè perfecta, per datam regulam concludi potest, quòd hæc sit Deus, quia cùm substantia spiritualis sit perfectissima contenta sub ente, argui potest, est perfectissima, & infinita substantia spiritualis, ergo est perfectissimum, & infinitum ens. Bassol. cit. conatur hanc consequentiam elidere negando, quòd substantia spiritualis absolutè loquendo sit perfectissimum contentum sub ente, hoc enim est substantia spiritualis, quæ est necesse esse, & actus purus, & omnem perfectionem includit in tota entis latitudine, & ideò in allata consequentia, inquit committi fallaciam à secundum quid ad simpliciter. Sed Vir iste supponit, posse dari creaturam infinitam etiam in genere substantiæ spiritualis, cum dependentia tamen à Deo, & alijs imperfectionibus creaturam consequentibus, & inde ait deducere non licere, quòd esset perfectissimum ens in tota entis latitudine, quod vtique verissimum est, facto semel illo supposito, sed hoc suppositum est, quod negamus, & dicimus, quod data tali substantia spirituali sic infinita, posse concludi, quòd esset perfectissimum ens, quia esset perfectissimum contentum sub ente, nec hoc negari potest, nisi supponendo, quod probandum est.

Secundò efficaciùs probari potest omnibus illis rationibus, quibus probat Scotus in 2. d. 3. quæst. 10. non posse dari speciem impressam, quæ distinctè repræsentet omnes quidditates creatas possibiles, quia inquit Doctor, dari nequit aliqua quidditas creata illi speciei correspondens, in qua virtualiter contineantur cœteræ naturæ creatæ, ex quo loco manifestè deducitur proposita conclusio cum eius probatione, cùm enim species se habeant sicut numeri 8. Met. text. 10. & infinitæ species syncategorematicæ possibiles forent sub ea, quæ supponitur categorematicè infinita, planè ex hoc, quòd virtualiter, & eminenter continuat omnes illas, quatum vna semper est alia perfectior, clarè deducitur, quòd sit simpliciter, & absolutè infinita in genere entis, & non tantum in certo genere: Videantur rationes Doctoris loc. citat. quia mirabiliter hanc impossibilitatem probant, quisque enim pro libito poterit eas huic proposito applicare; ita etiam notauit Lichet. 2. d. 2. quæst. 9. §. *Respondetur ad primum, &c.* in solutione ad 4. vbi ait, quòd quidditas intensiuè infinita secundum gradus specificos esset infinita simpliciter, quia æquualeret secundum perfectionem infinitis speciebus.

28 Tertiò ostendi potest omnibus illis rationibus, quibus demonstratur, quacumque specie data posse adhuc Deum creare perfectiorem, & perfectiorem, & sibi in infinitum proximiorem in tota entis creari latitudine, nam si posset aliquam creare infinitam, quia perfectiorem creare non posset, consequenter concludi deberet, talem speciem à Deo non distare imperfectione, quia si distaret, vtique supra ipsam alia adhuc perfectior, & perfectior species creari posset, & hac ratione vtitur Bassolius 1. p. quæst. 7. art. 4. dub. 13. numer. 11. Demum probari posset ostendendo inductione, talem speciem locum habere non posse in vllo genere siue accidentis, siue substantiæ, siue sub genere inanimatorum, siue animatorum, nec vegetantium, nec sentientium, nec intelligentium, vt facit Amic. cit. dub. 2. & 3.

Sed contra Obijcitur 1. Tum quia Deus potest producere speciem perfectiorem in infinitum, ergo poterit creare infinitè perfectam, quia in collatione specierum possibilium tandem aliqua infinitæ perfectionis reperiri debebit. Tum 2. quia infinitæ potentiæ actiuæ debet respondere effectus proportionatus, ergo potentiæ Dei infinitæ cathegorematicè, & per essentiam, poterit correspondere effectus consimilis. Tum 3. quia si Deus per impossibile ageret necessitate naturæ, vtique talem produceret effectum, quia tunc applicaret totam virtutem suam, ergo idem nunc facere posset, cum ei liberum sit totaliter eam applicare, vel non applicare. Tum 4. quia Deus potest creaturæ infinitatem communicare quoad durationem & præsentiam creando illam ab æterno, & replicando vbique, ergo pariter infinitatem essentiæ participatam, & dependentem. Tum 5. quia hæc infinita perfectio in essentia adhuc esset infra perfectionem diuinam, quia esset in certo genere, non autem in tota latitudine entis. Tum denique quia hæc infinitas essentialis specierum, vt ait Auersa, non consistit in aliqua latitudine intensiua, vel extensiua, sed in indiuisibili, at impossibilitas infiniti argui non potest, nisi ex tali latitudine.

29 Resp. ad 1. negando consequ. quia ex tali processu syncathegorematico potius sequitur oppositum, quod nunquam erit deuenire ad speciem infinitè perfectam, vt patebit art. seq. Ad 2. effectus infinitus negatiuè, qualis est illa successiua inexhausta productio plurium, & plurium specierum possibilium, satis proportionatus est infinitæ potentiæ Dei, cum id per nullam finitam potentiam fieri possit, nec ob id potentia ipsa Dei dici debet finita in infinitum, sicut obiectum ipsum possibile, siquidem est tota actu, & per se perfecta in sua entitate, continens eminenter perfectiones specificas omnium effectuum sic infinitorum; & si non attingit effectum infinitum in essentia, defectus non est ex parte eius, sed ex repugnantia rei; satis etiam proportionatus effectus infinitæ potentiæ Dei est res quælibet creata, & finita, si attendatur modus, quo potest à Deo ex nihilo produci. Ad 3. admissa hypothesi illa impossibili adhuc negatur consequ. quia cum tale infinitum in essentia, sit impossibile, produci non potest quantumcunque applicetur diuina virtus ad agendum. Ad 4. negatur paritas, quia cum limitatione creaturæ benè stat, quod ab æterno producatur, & vbique replicetur, vt infra suo loco patebit, sed infinitas in essendo illi repugnet, quia facit eam infinitè perfectam, quatenus æquualeret infinitis perfectionibus specificis, quas in se eminenter contineret. Ad 5. negatur assumptum, ex continentia enim eminentiali infinitarum specierum in tali natura argueremus, ipsam esse infinitam simpliciter, & absolutè, & non in certo genere tantum. Ad 6. negatur minor, satis enim ostenditur impossibilitas infiniti in essentia, quamuis eius infinitas in indiuisibili consistat, ex eminentiali continentia infinitarum specierum in eo.

Secundò arguit Auersa, quod non solum possibile sit tale infinitum in essentia, sed etiam de facto detur in rebus supernaturalibus, & moralibus; vnio enim hypostatica cum persona diuina est infinitæ excellentiæ; omne opus Christi Domini erat infiniti valoris: peccatum dicitur esse infinitæ grauitatis, quæ est ostensa Dei infinitè digni; visio etiam beatifica est infinitæ excellentiæ, quia clarè attingit Deum. Et in naturalibus possibilis esset talis virtus motiua, quæ haberet vim velocius semper, ac velocius mouendi, & possibilis esset substantia, cui talis virtus esset connaturalis, scilicet Angelus. Item subiectum tantæ capacitatis in recipiendo, vt de se aptum esset suscipere maiorem semper, & maiorem qualitatem, & similiter causa productiua maioris semper, & maioris qualitatis, quæ omnia essent infinita in essentia in suo genere; immò de facto intellectus noster habet virtutem percipiendi plura, & plura sine termino eliciendi actus, ac recipiendi habitus magis, ac magis intensos, similiter voluntas, ergo, &c. Accedit, quod possibilis est species distinctè repræsentans diuinam essentiam, quæ proinde in genere repræsentantis infinita censeri debet, cum nequeat dari perfectior illa.

30 Respond. nihil horum concludere infinitum in essentia, nam quantum attinet ad ordinem supernaturalium vnio hypostatica est physicè finita, sicut & Christi meritum, & moralitèr tantum censentur infinita, quatenus ex Verbo infinitam quandam contra hunt dignitatem, & excellentiam secundum moralem existimationem, quæ etiam infinitas in genere moris non habet propriè rationem infinitatis positiuæ, sed potius cuiusdam summitatis, & excellentiæ in certo genere; & eodem modo è contra peccatum dicitur esse infinitæ grauitatis, quia enim est offensa Dei, inde contrahit summitatem quandam in genere mali, vt dicitur in proprijs tract. Theologicis, & idem dicendum de visione beatifica, quod ratione obiecti habet summitatem quandam in genere visionis, sed non propterea est intrinsecè infinita in essentia. In rebus autem naturalibus falsum est, possibilem esse virtutem motiuam, quæ vim habeat velocius semper, ac velocius mouendi, & virtus productiua maioris semper, & maioris qualitatis, quia tales virtutes essent infinitæ perfectionis, quod facilè ostendi potest per maximam Scoti in 2. d. 3. quæst. 10. A. Vbi pluralitas numeralis requirit infinitam perfectionem, ibi infinita pluralitas requirit infinitam perfectionem, & virtutem, vt si posse portare simul plura pondera, concludit, maiorem virtutem posse simul portare infinita pondera, siue non tot quin plura, concludit infinitam virtutem, sic in proposito posse mouere se, vel aliud corpus per aliquod spatium per horam arguit aliquam virtutem in motore, posse illud mouere per mediam horam per idem spatium arguit maiorem virtutem, ergo posse mouere per quadrantem,

huc

huc maiorem, ergo posse mouere velocius semper, & velocius in infinitum arguit infinitam virtutem in motore, & currit eadem paritas de causa productiua maioris semper, ac maioris qualitatis. Nec obstat dicere, talis virtus ex hoc argueret tantum infinita in potentia, & syncathegorematicè. Nam potentia diuina ex hoc ostenditur infinita cathegorematicè, quia non potest tot producere creaturas, quin plures semper producere possit seinuicem excedentes in perfectione.

31 Nec quia intellectus virtutem habet producendi plures, & plures intellectiones sine termino, idcircò infinitæ virtutis censendus est, quia tunc tantum hoc sequitur, quando quodlibet producibilium requirit specialem perfectionem in causa, intellectus verò non requirit sic aliam & aliam perfectionem, vt hanc, & illam intellectionem eliciat, sed per eandem virtutem partialiter concurrit ad cognitionem obiecti imperfectioris, sicut & perfectioris, vt docet Lich. 2. d. 3. quæst. 10. vbi latè, & subtiliter hoc dubium prosequitur. Nec similiter, quia intellectus recipere potest habitus magis, ac magis intensos, est infinitæ perfectionis, quia vt Lich. ibi docet ex Scoto 3. d. 14. quæst. 2. in fine recipere passiuè à toto genere nullam dicit perfectionem, vt patet de materia prima, quæ habet capacitatem ad infinitas formas, vnde etiam si fieret subiectum illud, quod contendit Auersa tantæ capacitatis, vt susceptiuum esset maioris semper, & maioris qualitatis, hoc in ipso nullam argueret infinitam perfectionem. Demum species impressa diuinæ essentiæ, quamuis sit possibilis, & distinctè diuinam essentiam repræsentaret, non idcircò infinitæ perfectionis censenda est, quia eam repræsentaret finito modo, & non quantum repræsentabilis est, vt notat Doctor 2. d. 3. quæst. 9. I. & illa calculatio, quæ fieri solet, quod species est perfectior, quo est perfectioris obiecti, non infert infinitatem in specie, sed tantum summitatem quandam, & excellentiam in serie specierum, cuius ratio est, quia cum species ex sua natura semper ab obiecto deficiat, calculatio procedit, & crescit secundum proportionem, non verò ad æqualitatem, per quod in Theologia multa eneruantur argumenta in materia de merito Christi, & grauitate peccati.

32 Tertiò ex calculatione virtutis supra virtutem colligitur virtus infinita, vt patet ex illa Scoti maxima iam relata 2. d. 3. quæst. 10. A. & hac via colligunt Theologi infinitatem diuinæ potentiæ, ergo pariter ex calculatione excessus vnius speciei super aliam in infinitum in ea specie, argui poterit, & debebit infinita perfectio, sed inter accidens, & substantiam sunt possibiles infinitæ species syncathegorematicè accidentium, quarum nulla vnquam pertingeret perfectionem substantiæ, sic etiam inter speciem humanam, & brutalem infimam possibiles sunt infinitæ species brutorum, quarum nulla vnquam attingeret perfectionem speciei humanæ, ergo de facto multæ dantur species, quæ in perfectione æquiualent infinitis, atque ita erunt infinitæ perfectionis, si modus ille arguendi calculatorius tenet.

Resp. Amic. cit. num. 15. ex Scoto 1. d. 2. quest. 1. §. *Ostensis igitur &c.* & d. 3. quæst. 1. ad 3. & 3. d. 14. quæst. 2. ex præfata calculatione solum colligi infinitatem in superiori respectu inferiorum, quando continet omnes, & singulas perfectiones eorum formaliter, vel eminenter, aut virtualiter, quando autem nullo ex istis modis continet inferiora, colligi non potest in superiori, nisi gradus superioris rationis, quam doctrinam fusè declarat Lichet. loc. cit. vbi distinguit de duplici continentia eminentiali, vna per essentiam, & per participationem altera, & hanc iterum subdistinguit, quædam enim attenditur in correspondentia maioris perfectionis, non tamen illa maior perfectio continet minorem, quædam verò attenditur in correspondentia maioris perfectionis, & in continentia etiam minoris, quo sensu anima rationalis dicitur continere sentientem, & vegetantem, & ex continentia eminentiali tantum per essentiam, vel per participationem secundo modo significat argui posse infinitatem in aliqua specie superiori, si eo modo contineret infinitas inferiores, & eandem habet doctrinam 1. d. 3. q. 1. 2. 3. & 6. d. 3. q. 7. in fine, & quol. 14. in fine, & alibi sæpè; in proposito verò homo non continet in eo sensu infinitas species brutorum, sed tantum obtinet gradum superioris rationis, & sic etiam dicendum de substantia in ordine ad infinitas accidentium species possibiles; estò enim multas virtualiter contineat, non tamen omnes.

33 Sed dices, homo in infinitum distat ab infima specie in genere brutorum, & substantia ab infima specie in genere accidentis, ergo sicut ex infinita distantia Dei à creatura arguimus in Deo perfectionem essentialem simpliciter infinitam, in qua fundatur talis infinita distantia, sic etiam in proposito dicendum erit. Respon. negando paritatem, distantia enim Dei à creatura est simpliciter infinita quia fundatur in entitate Dei eminenter continente omnes perfectiones creaturarum possibilium, at distantia, qua homo differt ab infima specie brutorum, & substantia ab infima accidentium, & sic in alijs generibus, est distantia tantum secundum quid infinita, quæ fundatur in excellentia gradus superioris rationis, & ordinis, quam nunquam attingere possunt res inferioris, & ideò sicut diximus ex calculatione perfectionis vnius speciei supra aliam in infinitum non colligi infinitatem simpliciter, nisi quando perfectio superioris ordinis continet formaliter, aut virtualiter, & eminenter perfectiones ordinis inferioris, ita in proposito dicendum est de indeterminata distantia vnius speciei ab alia, quod non infert infinitatem simpliciter in specie sic distante, nisi superior illa species contineat perfectiones omnium inferiorum virtualiter, vel eminenter modo explicato.

Hoc totum significauit Tatar. quol. 5. ab initio, dum ait, quod non sequitur, hoc excedit aliud in infinitum, ergo est infinitum, quia est arguere à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, sed oportet addere, hoc excedit illud in infinitum infinitè, sic enim esset infinitæ entitatis, Et si obijcias (ait Tatar.) Scotum quol. 5. sub B, quod vnum finitum aliud excedit in aliqua proportione determinata, ergo non in infinitum. Respon. Tatar. Doctorem per hoc non velle, quod species superior excedat inferiorem in proportione determinata dupla, vel tripla, quia tunc posset facere Asinum perfectum vt est homo, sed solum vult habere, quod ens finitum non excedit aliud, sicut ens infinitum, quia ens infinitum infinitè excedit, idest in entitate infinita; quam solutionem Doctor ibidem insinuat illis verbis, *Qualitercunque procedis in entibus semper esset dare in qua proportione determinata supremum excedit infimum, non quod ibi sit propriè proportio talis, quali vtuntur mathematici, quia non constat Angelus, &c.*

ARTICVLVS II.

Resoluitur quæstio quoad infinitatem syncathegorematicam.

34 DIcimus, non esse possibilem supremam creaturam in perfectione essentiali, sed quacunque data, adhuc posse perfectiorem in infinitum à Deo procreari sine termino; Conclusio est D. Bon. 1. dist. 44. quæst. 1. Alens. 2. Metaph. text. 12. quæst. 1. Riccard. quol. 2. quæst. 4. Mayron. & Canon. citat. Bassol. 1. dist. 36. quæst. 3. art. 3. & sequitur ex Recent. Scotistis P. Herrera in 1. dist. 15. quæst. 6. & Cauellus 2. Metaph. quæst. 6. schol. 2. vbi ait, de infinitate syncathegorematica specierum nihil certi posse ex Scoto colligi, vnde cum Doctorem non habeamus in hac materia determinatum, quia 2. Metaph. quæst. 6. non se resoluit, & 1. distinct. 2. quæst. 2. infr. X. dubitatiuè loquitur, licet illam neget secundum Philosophos, dignum est, vt tot insignes Doct. nostri Ordinis sequamur cum torrente Recentior. & omnium Thomistarum. Et Prob. 1. communi omnium fundamento, quia hoc non implicat, nec ex parte Dei, cuius potentia est infinita, nec ex limitatione creaturæ, quia per huiusmodi processum nunquam peruenietur ad aliquam speciem actu infinitam, sed quacumque erit limitata, immo dicendo, quacunque specie data posse perfectiorem procreari, hoc ipsum ostendit, nunquam dari posse infinitam, quia hac data, non posset dari maior, quod manifestari potest exemplo continui, cuius quacunque parte data potest dari alia minor in infinitum, nec propterea sequitur, quod deueniendum sit ad partem minimam, seu infinitè minorem. Fundatur autem hic processus in infinitum in infinita perfectione Dei, quæ nunquam adæquari, & exhauriri potest, quantumcunque à creatura participetur, vnde assignata creatura quantumuis perfecta, hæc adhuc distabit in infinitum à perfectione diuina, atque ita adhuc remanent infiniti gradus, per quos ascendere potest creatura in imitando perfectionem diuinam.

Respondet Henr. quol. 8. non esse in Deo plures perfectiones, quæ participentur, sed vnam indiuisibilem eminenter continentem omnes perfectiones creaturarum, & ideò argumentum procedit ex falsa imaginatione, qua concipimus in Deo varios, & varios perfectionis gradus. Sed hæc solutio parum valet, quia licet diuina perfectio sit formaliter indiuisibilis, & vna, tamen est virtualiter diuisibilis, & multiplex ob æquiualentiam ad infinitas, & ideò nunquam ab vlla creatura potest adæquatè participari, ex quo fit, quod semper dari possit perfectior, & perfectior in infinitum.

Resp. Arriag. disputat. 10. Physic. sect. 3. argumentum nihil concludere, quia sumpta tota collectione creaturarum possibilium adhuc est verum dicere, tota hæc collectio distat infinitè à Deo, & tamen inde non licet inferre, ergo est possibilis aliqua creatura, quæ perfectius, quam tota ista collectio Deum participet, ergo nec valebit eadem forma argumenti in vna sola creatura; itaque ad materiam argumenti respondet omnem creaturam ex conceptu suo debere infinitè à Deo distare, nec illam distantiam posse repleri per creaturas magis, ac magis perfectas, quousque inter illas, & Deum nulla sit vacuitas, alioquin esset aliqua, quæ finitè à Deo solum distaret; quod repugnat, non ergo ex distantia infinita potest inferri possibilem esse aliam perfectiorem. Sed fallaciam, qua detinetur Arriag. in hac materia de infinito, iamdudum aduertimus disputat. 7. Log. quæst. 2. articul. 4. supponit enim ipse, quod tota collectio creaturarum à Deo possibilium sit quid certum, ac determinatum, vt possit totum simul accipi, & ad actum reduci, quod tamen prorsus falsum est, vt ex dicendis in hac disputat. constabit, nam de se est quid indeterminatum, & confusum, sicut tota diuisio continui, quæ nunquam simul potest accipi; admissa tamen adhuc illa propositione tota collectio creaturarum distat infinitè à Deo, licet inde non valeat inferri quod sit possibilis aliqua creatura, quæ perfectior sit tota illa collectione, valet tamen inferre, quod intra infinitam latitudinem illius collectionis possumus fine progredi semper ad creaturas perfectiores, sicut ex hoc quod infra hominem possibiles sint infinitæ species animalium, inferre valet, quod intra latitudinem infinitam illius generis dari potest processus in infinitum in ascendendo in productione animalium, quæ nunquam attingant perfectionem humanæ speciei; responsio denique quam ad argumentum affert, illud potius corroborat, quam soluat, ex hoc enim quod infinita distantia inter Deum, & creaturam nunquam repleri potest per creaturas magis, ac magis perfectas, sequitur euidenter non posse dari statum in aliqua creatura omnium perfectissima, quia hæc finitè à Deo distaret, nec videmus quomodo hinc Arriag. oppositum deducere præsumat.

35 Respondet P. Vulpes loc. cit. benè sequi ex huiusmodi processu syncathegorematico, quod demum deueniendum sit ad speciem infinitè perfectam saltim per diuinum intellectum simul comprehendentem omnes partes infiniti syncategor. & in hoc sensu explicat rationem Scoti 3. d. 13. quæst. 1. quod ascendendo ab aliqua specie infima, quæ dicatur A, tandem deueniendum erit ad aliquam, quæ infinitè excedat in perfectione ipsum A, inquit Vulpes, id non esse intelligendum à parte rei, quia sic nunquam ad talem peruenieretur, quia vna acciperetur post aliam in infinitum, benè tamen ad talem peruenieretur ab intellectu diuino, qui omnes simul huiusmodi species attingeret. Hinc etiam concedit, quod imitatio creaturæ comparatione diuini esse semper deficit, & semper est imperfecta, sed adhuc negat consequ. inde deductam, dari scilicet posse aliam, & aliam in infinitum, quæ perfectiori modo illud esse imitetur, etenim comparatione diuini intellectus simul comprehendentis infinitum syncathegor. secundum omnes eius partes de facto inueniretur aliqua species in mente diuina, quæ modo infinito diuinum esse imitaretur, & ait hanc esse solutionem Doctoris 1. d. 1. quæstio. 2. sub D. vbi tamen nihil horum inuenimus.

Sed licet ingeniosè satis rationem Scoti declaret, frustra tamen eam conatur ostendere necessariam, cum tantum probabilis sit, & topica; neque per hoc argumentum soluitur, Deus enim non nouit res, aliter quàm sint, alioquin falleretur, sed talis species infinito modo Deum participans in tota entis latitudine non est factibilis, ergo illam non nouit Deus, etiam si distinctè comprehendat totum processum infiniti syncathegor. quod manifestatur exemplo continui, nouit Deus in continuo simul, & semel totum processum syncatheg. diuisionis continui, & singulas eius partes, nec tamen ex hoc valet inferre, quod cognoscat minimam, vel infinitè minorem, quia hæc dabilis non est, alioquin continuum ex indiuisibilibus componeretur, sic igitur in proposito, quia huiusmodi species infinitè perfecta non est dabilis à parte rei in hoc processu, ita neque reperitur in mente Dei, vt notauit Bass. cit. in fol. ad 6. Dices, in infinita illa tendentia, & collectione specierum factibilium perfectissima species, quam Dens nouit, non est finitæ perfectionis, qualibet enim finita perfectiorem nouit, ergo erit infinitæ. Resp. hanc instantiam adhuc ex falsa imaginatione procedere, quia in tota collectione possibilium specierum, sicut non datur, ita nec cognoscitur à Deo perfectissima, licet Deus totam illam collectionem comprehendat, ratio est, quia hæc collectio non est quid determinatum, vt in ea possit vltimum reperiri, seu perfectissimum, sed est quid confusum, & indeterminatum. Dices iterum, ergò non nouit Deus distinctè effectum perfectissimum à se producibilem. Resp. hoc non solum absurdum non esse, immo potius necessariò fatendum, quia nullus talis esse potest. Instabis adhuc, quod saltim tota vniuersitas erit infinita, & adæquabit diuinam perfectionem. Respondet Bass. quod tota vniuersitas erit infinita secundum multitudinem syncathegor. & diuinam perfectionem adæquabit, non intensiuè, sed extensiuè, quatenus extra totam illam vniuersitatem non posset aliam producere. Sed tandem vrgebis, finitum infinities sumptum, constituit infinitum, ergo tota perfectio specierum, quarum singulæ sunt finitæ perfectionis, erit infinita, quia constat ex finitis infinities sumptis; quod si tota perfectio totius multitudinis non est infinita, necessariò sequitur, non posse dari multitudinem infinitam in ascendendo. Resp. hanc multitudinem esse confusam, & indeterminatam, vnde nec à parte rei tota simul existere potest, successiuè solum per partes finitas in infinitum, nec simul mente etiam concipi potest, ita quod attingatur vltimum, & ideò nec de tota multitudine dici potest, vt aliqui concedunt, quod discretè contineat infinitam perfectionem, sed solum finitam in infinitum, qualis est ipsa multitudo.

Resp. Smisinch. repugnare talem progressum in speciebus ex parte differentiæ, quæ cum sit proportionata generi, sicut genus tanquam perfectibile est determinatæ perfectionis, ita & differentia specifica, vt actus illius, erit indeterminatæ perfectionis, & consequenter hac ratione tota latitudo specierum sub eodem genere erit perfectionis determinatæ. Sed contra. Tum quia licet per hoc ostendatur, quod quælibet species data à parte rei, & differentia contrahens genus est determinatæ perfectionis, adhuc tamen non probat, quod non sit possibilis differentia perfectior contrahens illud idem genus, cuius potentiam esse determinatam ad tot differentias specificas, & non plures falsissimum est, alioquin & potentia speciei erit ad tot differentias indiuiduales determinata, & non plures; nec valet dicere differentias indiuiduales esse perfectione æquales, non verò specificas; nam sicut specificæ sunt inæquales in perfectione specifica, ita indiuiduales in indiuiduali, præsertim secundum Scotistas, contra quos disputamus; atque ita suo modo vtrinque currit paritas. Tum 2. quia etiam secundum istos in aliquo genere infra speciem illam supremam, quam statuunt, possibiles sunt infinitæ species inferiores, vt v.g. sub genere animalis possibiles sunt species infinitæ brutorum, quæ nunquam attingerent perfectionem speciei humanæ, & tamen non per hoc natura generica animalis ponitur infinitæ perfectionis. Tum 3. quia etiam si per hoc concluderetur, in aliquo certo genere deberi statum dari in aliqua specie suprema, vt in genere animalis in specie humana, quod vtique probabilissimum est, ex hoc tamen non sequitur, quod non possit dari perfectior species extra illud genus, & in tota entis creati latitudine, in quo sensu præsertim hic agitatur quæstio, & quod ita sit discurrendum de cœteris generibus, quod in omnibus ad supremam speciem sit deueniendum.

Resp. alij cum Rada tom. 1. controu. 19. huiusmodi progressum implicare, quia ponendo statum in speciebus, creata specie suprema, licet hæc finita sit, & limitata, iam implicat, perfectiorem ista posse produci, quia alias illa non fuisset suprema, & perfectissima creabilis. Sed hæc est manifesta petitio principij, quia quæstio de processu specierum in infinitum est quæstio, an sit in eis dare supremam, vel potius quacunque data possit adhuc perfectior procreari; dicere ergo, non posse perfectiorem procreari, quia datur status in speciebus, & suprema, qua perfectior creari non potest, est assumere in responsione id, quod quæritur. Et si pro euitanda petitione principij dicant, debere statum dari in vna specie suprema perfectissima, ne creatura exeat limites perfectionis creatæ. Contra hoc est, quod si detur alia species superior, ista adhuc intra limites creaturæ remanebit, neque ob additionem vnius gradus perfectionis essentialis extra limites finitatis constituetur, nam vel illa species, quæ ponebatur suprema, distat infinitè à Deo, vel non; non secundum, quia cum sit creatura, infinitè debet à Deo distare; si primum, ergo supra illam dari possunt aliæ, & aliæ species in infinitum perfectiores intra limites finitatis.

37 Secundò principaliter arguitur ex Bassol. Tum quia in numeris potest in infinitum abiri secundum Aug. 12. de Ciu. cap. 18. & quelibet vnitas variat speciem numeri, ergo cum species se habeant, sicut numeri 8. Met. 10. poterit in eis dari progressus in infinitum. Tum quia actus reflexi procedere possunt in infinitum, qui tamen sunt alterius rationis, sicut & obiecta prima eorum, & saltim circa singulas differentias indiuiduales, quæ inter se sunt alterius rationis, & primò diuersæ, possunt multiplicari actus distincti intellectus iuxta earum distinctionem. Tum tandem, quia etiam admissa in aliquo genere specie suprema, poterunt adhuc dari infinitæ species intermediæ, vt supra dicebamus de homine comparatione infimæ speciei brutalis.

Resp. Smisinch. cum alijs, in numeris ideò non esse per se statum, quia additio, quæ fit, non est formalis, per accessum scilicet maioris perfectionis, sed materialis, seu per multiplicationem, vel appositionem plurium entitatum perfectionis æqualis, sicut sunt vnitates in numero, & ideò species numerorum dicuntur non esse de perfectione vniuersi, at differentiæ specierum, quæ sunt de perfectione vniuersi, sunt perfectione inæquales, & ideò earum multiplicatio est formalis, non materialis. Aristot. verò 3. Physicor. 68. & 69. licet concedat, additionem secundum materiam posse in infinitum procedere, id tamen negat de additione secundum formam, & 8. Met. text. 10. comparat essentiam cum numerus quoad variationem tantum, non vero quo ad multiplicationem specierum. Sed contra, tum quia si Arist. comparat essentias cum numeris quoad variationem tantum, non quoad multiplicationem (quod tamen gratis dicitur) tamen D. Dion. de Diu. nom. cap. vlt. comparat etiam quoad multiplicationem. Tum quia gratis dicitur, species numerorum non pertinere ad perfectionem vniuersi (si numerus semel ponatur vnum, & per se ens) & gratis dicitur, vnitatum additionem, ex quibus variantur species numerorum, esse secundum materiam, non secundum formam, nam in sententia eorum, qui veram speciei rationem dant numeris, non sunt vnitates materiales, quæ numerum constituunt, & sunt eiusdem rationis in omnibus, sed sunt vnitates formales, vnde alia est vnitas ternarij, alia quinarij, &c. & de istis loquendo vna est alia perfectior. Tum quia quando Arist. negat, additionem secundum formam procedere in infinitum, loquitur de potentia naturali, vt notat Bass. ad 4. non supernaturali. Tum tandem, quia quando etiam species numerorum non essent de perfectione vniuersi, & additio in eis esset secundum materiam, non secundum formam, saltim ex hoc habetur, quod stante tali processu in infinitum non propterea deuenitur ad aliquem numerum actu infinitum secundum multitudinem, ergo etiam admisso processu in infinitum secundum formam, & in speciebus, quæ sunt de perfectione vniuersi, numquam ad talem deueniemus, quæ sit infinita secundum essentiam.

38 Tertiò demum probatur ex infinitate potentiæ Dei, cui præfigere certum specierum numerum in tota entis latitudine, vltra quem aliam speciem producere nequeat, est ipsam certis limitibus coercere, finitam reddere, & exhaurire, nam si ponamus Deum posse producere in infinitum plures, & plures species, patet per hoc diuinam potentiam minimè coerceri, sed potius in infinitum dilatari, & si ponamus, Deum hunc totum numerum specierum possibilem posse simul producere, ita vt producat infinitum specierum numerum in actu, ne-

que hoc modo coercetur potentia Dei, aut exhauritur; non coercetur, quia numerus iste productus supponitur infinitus, nec exhauritur, sed potius proportionato effectu adæquatur, & ad actum reducitur, alioquin potentia etiam intellectiua in Deo de facto diceretur exhausta; quia exercet totum actum suæ cognitionis sibi possibilem omnia comprehendendo; Si verò ponamus, Demum certo numero specierũ dato non posse vlterius progredi, planè potentia eius limitatur, quia finito numero specierum ita determinatur, vt nec alteram possit producere, & exhauritur etiam, quia potentiam aliquam actiuam exhauriri, est per tot effectus productos eius virtutem expleri, & ad alios validam non esse, & hæc ratio fundatur in doctrina D. Dion. de Diu. nom. vbi inquit, quòd *Deus est infinita vi, & potentia præditus, non solum quod vim omnem in lucem proferat, sed etiam quòd omnem quoque vim ipsam multum superet, quodque possit etiam infinitè infinitas altas potentias præter eas, quæ sunt, in lucem proferre*. Nec respondere valet, infinitatem potentiæ Dei non consistere in productione extensiua specierum creatarum, sed in modo producendi eas ex nihilo. Tum quia hæc responsi Dion. relato manifestè repugnat. Tum quia non est omninò certum, ad creandum requiri virtutem infinitam, & graues viri id negant. Tum quia tunc diuina potentia esset potius secundum modum infinita, quam secundum rem. Tum denique, quia hic modus dicendi fauet errori Abaylardi, & Vuichelph damnato in Conc. Constan. vt refert Vualdensis tom. 1. lib. 1. art. 1. c. 11. asserebant namque isti Hæretici, Deum non posse plures species producere præter eas, quas produxit, & producet, & damnati fuerunt in præfato Concilio, quia sic dicendo Lædebant infinitam Dei potentiam, at potuissent ipsi respondere, se illam non lædere, quia species, quas Deus produxit, ex nihilo extraxit, & penes hoc attendi debet infinitas potentiæ Dei, non verò penes extensionem rerum creabilium.

39 In contrarium Objicitur 1. Tum quia si procederetur in infinitum perfectionibus specificis, superior species contineret perfectiones singulas inferiorum, vel saltim erit gradus superioris in infinitum, & tota multitudo continebit discretè infinitam perfectionem. Tum 2. quia species procedunt à Deo, vt numerus ab vnitate ex Dion. cit. sed aliquis numerus est ita vnitati propinquus, vt inter hunc, & illum alius cadere nequeat, ergo & aliqua creatura dari debet ita Deo propinqua, vt inter ipsam, & Deum alia effici nequeat, quæ fortè erit Angelus, sicut è contra datur alia ita infima, vt inferior esse non possit, vt est materia prima, vndè D. Aug. art. 12. Confess. cap. 7. duo fecisti, Domine, alterum propè te, idest naturam angelicam alterum propè nihil, idest materiam primam. Tum 3. id, in quod primò à Deo incipiendo descenditur, oportet dari, nam inquit Dion. cit. infima iunguntur supremis per media, ita quòd supremum infimi attingit infimum supremi. Tum 4. Deus, & infima creatura sunt duo extrema non distantia in infinitum per modum intercedentis medij, sed per infinitatem alterius extremi, ergo inter ea esse nequeunt infinita media. Tum 5. in essentialiter ordinatis non datur processus in infinitum 2. Met. c. 2. sed inter species essentialis ordo reperitur. Tum 6. Deus non est tot modis, & tantum imitabilis, quantum in se est, quia non est imitabilis secundum puritatem actualitatis, necessitatis essendi, &c. ergo non dabitur processus in infinitum in eius imitabilitate. Tum 7. processus ad mensura est finitus, ergo etiam processus ad speciem superiorem in aliquo genere, quæ est metrum, & mensura cæterarum. Tum denique vbi est finitudo perfectionis, non potest infra illam procedi in ascendendo in infinitum, vt si ex numero millenario fiat binario additio vnitatum, non potest fieri additio in infinitum infra millenarium, sed tota latitudo perfectionis essentialis creaturarum est finita, ergo non potest intra illam dari processus in infinitum ascendendo.

40 Respondent ad 1. aliqui negando Conseq. quia talis excessus specierum possibilium ad seinuicem non est ponendus secundum partes certas, & determinatas perfectionales, ita quòd si quantitas perfectionis vnius speciei sit vt vnum, species illi immediata habeat perfectionem vt duo, vel vt vnum, & dimidium, sed habebit perfectionem vt vnum, & aliquid amplius, vndè erit excessus secundum partes proportionales, atque ita nec sequitur, dabilem esse aliquam speciem, quæ sit infinitæ perfectionis, nec totam collectionem, etiam si actu daretur, esse infinitè perfectam, quia nec illa species superior alias excederet per gradus certæ, & determinatæ perfectionis, nec illa collectio ex talibus partibus componeretur, sed tantum proportionalibus, quæ sicut in quantitate molis magnitudinem infinitam non constituunt, ita neque in quantitate virtutis, aut perfectionis, ita Complut. loco citato. Sed quando etiam diceremus, huiusmodi excessum esse per partes determinatæ quantitatis, quod probabilius est quia species debent habere determinatam perfectionem, & inæqualitatem, neque adhuc argumentum vrget, vt ibi fatentur Complut. quia non est necesse, speciem superiorem virtualiter continere inferiorem, sed tantum esse superioris ordinis, vt patet de homine, & Angelo; tum quia quando etiam superior ita inferiorem contineret, nunquam dabitur vna suprema, nec à parte rei, nec in mente Dei continens perfectiones omnium inferiorum: tum demum quia sicut tota illa collectio non est infinita in actu quo ad multitudinem, sed tantùm finita in infinitum, sic neque discretè dicenda est infinitam continere perfectionem, sed tantùm finitam in infinitum.

Ad 2. dicimus, paritatem illam in eo sensu fuisse à D. Dion. assumptam quòd quemadmodum numeri in vnitate continentur, tanquam in radice, & in ea quodammodo vniuntur, sed ab illa profecti multiplicantur, ita species omnes in Deo quodammodo vniuntur, sed extra illum multiplicantur, paritatem verò non valere quo ad immediatione, vt sumitur in argumento ex eo patet, inquit Bassol. cit. quia inter Deum, & creaturam, quantumuis perfectam est distantia infinita; non sic autem inter vnitatem, & binarium. D. autem August. loco citato loquitur de speciebus iam factis, & inquit, supremam factam in genere substantiæ esse Angelum, & infimam in eodem genere esse materiam primam, nam absolutè loquendo accidens est inferius, de possibili verò dari potest species perfectior in genere substantiæ intellectualis omnibus Angelis iam creatis, nisi velimus intelligere. Aug. de Natura angelica secundum gradum genericum intellectiuum, quo fortè non potest perfectior dari, non autem secundum species. An autem de possibili posset fieri pariter substantia imperfectior materia prima, Scot. 2. dist. 12. quæst. 2. §. *Ad argumenta, &c.* manet dubius, & quando etiam genere substantiæ non posset talis descensus fieri in infinitum, non propterea negandus videtur in alijs generibus, præsertim si fieret per gradus proportionales, vt nimirum possit semper fieri species minus, & minus perfecta, & quando etiam talis descensus syncategorematicus in quocunque genere negaretur, non propterea negandus est ascensus; disparitas est, vt notant Complut. quia creaturæ eo crescunt in perfectione, quo magis accedunt ad diuinum esse, & ideò sicut in isto accessu fieri potest processus in infinitum, ita semper possibilis est perfectior, & perfectior creatura, decrescunt autem creaturæ, quo magis à diuino esse recedunt, & ideò sicut est possibilis omnimodus recessus ab eo, talis enim est annihilatio, ideò in descensu potest dari status.

41 Ad 3. concedimus de facto, quòd descendendo à Deo datur prima species facta, sed non prima possibilis, dictum verò Dion. intelligitur non de connexione inter Deum, & creaturam, sed creaturarum ad inuicem. Ad 4. ratio illa se ipsam destruit, quia stare nequit infinita distantia inter aliqua duo ex infinitate alterius extremi, quin necessariò ponantur infinita intercedere media, saltim in potentia, vt patet exemplo distantiæ, quæ reperitur inter lineam infinitam, & palmarem, quia enim hæc distat ab illa per infinitatem illius, possunt inter hanc, & illam intercedere infinitæ lineæ cuiusuis quantitatis. Ad 5. asumptum intelligi debet de causis essentialiter subordinatis, cùm enim ibi vna essentialiter dependeat ab alia, vtique omnes debent esse actu in rerum natura, atque ita processus in infinitum dari non poterit, sed non ita species essentialiter subordinantur, sed in eo sensu tantum dicuntur essentialiter inter se ordinari, quatenus vna semper est altera perfectior, & nunquam fieri potest, vt duæ sunt perfectione pares. Ad 6. etiam secundum puritatem actualitatis, & necessitatem essendi est imitabilis Deus à creatura, nunquam tamen adæquatè, semper enim fieri potest vna creatura actualior alia, & minus defectibilis. Ad 7. iste processus non est ad mensuram intrinsecam, idest ad aliquam speciem supremam, ad quam possit peruenire, quæ sit metrum cœterarum, sed ad mensuram extrinsecam, quæ est infinita perfectio Dei, ad quam nunquam pertingere potest, & licèt processus ad mensuram intrinsecam sit finitus, non tamen ad extrinsecam. Ad 8. tota illa collectio (eo modo, quo colligi potest totum confusum, & indeterminatum) sicut quò ad multitudinem non est actu finita, nec actu infinita, sed finita in infinitum, ita neque in perfectione potest absolutè dici actu finita, nec actu infinita, etiam discretè, sed finita in infinitum, & ideò infra illam benè dari poterit processus in infinitum ascendendo.

42 Secundò, obijcit Sinisinch. præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ; omne genus entis creati est limitatæ perfectionis, & ideò negatur communiter, Deum esse sub genere non potest sub illo genere dari processus in infinitum in speciebus, sed debet dari status in aliqua perfectissima, Consequentia prob. quia non solùm, hæc vel illa differentia specifica, sed tota latitudo differentiarum determinatiua generis est limitata, tum quia debet esse proportio inter determinabile, & determinatiuum, vndè genus accidentis non potest contrahi per differentiam substantialem, nec genus substantiæ corporeæ per differentiam immaterialem, at vbi est finitudo differentiarum, ibi nequit esse progressus in infinitum; tum quia, sicut potentiæ actiuæ finitæ respondet effectus finitæ perfectionis, vltra quem non potest perfectionem, ita passiua Metaphysicæ, qualis est generis, debet respondere actus Metaphysicus, idest differentia determinatæ perfectionis, vltra quam non detur perfectior.

Resp. etiam Sinisinch. teneri ad solutionem argumenti, vt patet ex dictis contra ipsum supra; tum quia etiam data specie suprema in aliquo genere, adhuc inter illam, & infimam eiusdem generis erit processus in infinitum in ascendendo, nam in genere animalis possunt infinitæ brutorum species produci, quæ nunquam attingent perfectionem humanæ speciei, vt notat Tatar. quol. 5. ab initio ex Scoto ibidem, & 2. d. 1. q. 6. & 3. d. 13. q. 1. ad 2. princ. & 4. d. 49. q. 5. tum quia idem prorsus argumentum potest fieri de potentia naturæ specificæ ad infinitas differentias indiuiduales, quæ se inuicem excedunt in indiuiduali perfectione, vt notauit Bassol. Ad 5. igitur dicendum est ex Bassol. ibidem, quòd sicut natura generis non est vna in omnibus speciebus

ciebus per inexistentiam, sed per solam indifferentiam, & ideò multiplicatur, & patitur iuxta speciorum multiplicitatem, ita, & potentia generi non est vna ad omnes differentias, sed multiplex, & ita non est infinita, nisi secundum multitudinem, sicut, & differentiæ ipsæ, & quando etiam esset vna potentia ad omnes differentias, adhuc negandum esset, quòd tali foret infinitè perfecta, quia potentia passiua, vt sæpiùs dictum est, nullam dicit perfectionem, vndè materia habet vnicam potentiam ad omnes formas possibiles, quæ tamen in ea nullam dicit perfectionem, & ideò negatur paritas assumpta à Smisinch. de potentia actiua, & passiua Metaphysica, qualis est potentia generis. Quòd autem genus accidentis per differentias substantiæ contrahi nequeat, nec substantia corporea per differentias immaterialeis, concludunt solùm, quòd species inferioris ordinis nunquam attingere possunt gradum ordinis superioris; sed non concludit, quòd in tota entis latitudine dari non possit species perfectior, & perfectior in infinitum, & genus etiam aliquod per differentias semper perfectiores posse contrahi intra latitudinem eius existentes.

43 Tertiò id probat Smisinch. ex his, quæ de facto creata sunt, & in genere suo sunt ita perfecta, vt nequeant fieri perfectiora, ita enim communiter loquuntur Theologi de vnione hypostatica, de maternitate Beatæ Virg. de gratia, & gloria, istæ enim formæ supernaturales sunt ita perfectæ, vt in proprio cuiusque genere nequeant perfectiores fieri; Sic etiam passim concedunt Philosophi hominem esse substantiam perfectissimam in genere substantiæ corporeæ, & supremum in genere animalium, & sub genere substantiæ creatæ non posse dari aliud genus subalternum præter substantiæ inanimatæ, & animatæ, vegetantis, sentientis, & intelligentis. Resp. hæc omnia probare solùm, quòd in quibusdam generibus deueniendum est ad speciem supremam, quod satis probabile est, at per hoc non euitatur processus infinitum extra illud genus, vel infra illam speciem supremam in eodem genere; de formis autem illis supernaturalibus iam diximus præced. art. moraliter tantum censeri infinitam negatiuè, quatenus supremam quandam dignitatem contrahunt ex termino, vt vnio hypostatica, & maternitas ex Verbo, & visio beatifica ex obiecto, quapropter nobilitas hæc suprema non est illis formis intrinseca in genere Physico. Addunt aliqui, posse dari vnionem hypostaticam perfectiorem ex parte subiecti, si nimirum per eam vniretur natura angelica Verbo, & perfectiorem maternitatem, si sundaretur in humanitate aliqua pura, sicut est Christi humanitas, perfectiorem item visionem beatificam, quia cum vnitate obiecti formalis compossibilis est diuersus modus tendendi sufficiens ad distinctionem specificam; & demum speciem animalis homine perfectiorem, quia sicut angelicæ species intra latitudinem proprij generis multiplicari possunt in infinitum ita de animabus rationalibus videtur posse philosophari.

Demum arguit Arriag. cit. quia si sumatur tota collectio creaturarum possibilis, vtique non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione exceduntur à creaturis, quia daretur mutuus excessus in perfectione inter illas, quod repugnat ergo, aliqua est quæ non excedit, & hæc est suprema. Tum 2. quia in ea collectione est summa propinquitas in perfectione cum Deo, quæ in creaturis esse potest, & talis non reperitur in omnibus, quia non omnes species sunt in perfectione æquales, ergo in vna, quæ erit Deo summe vicina. Tum 3. quia dum diuinus intellectus totam eam percurrit collectionem, vtique discernit quæ ni species excedat, & quæ excedatur, ergo pergẽdo sursum vno ictu, vel ad vnam peruenit omnium supremam, vltra quã non progreditur, vel debet per omnes, & singulas vsque ad seipsum ascendere, & sic etiam noscet illam, quæ ipsi immediatior fuerit, & erit hæc omnium suprema. Tum tandem, quia potest Deus producere summè perfectam, quam potest, quæ est propositio identica, ideoque verissima, producat ergo illa, vel ergo hæc est omnium perfectissima, vel non, hoc secundum est contra suppositum, ergo primum.

Resp. argumentum vel nihil concludere, vel etiam probare sub genere animalis possibiles non esse species infinitas brutorum, quæ nunquam attingant perfectionem speciei humanæ, nam idem prorsus argumentum fieri potest de tota illa collectione animalium infra hominem excluiuè; dicimus ergo vt sæpius est inculcatum hũc arguendi modum esse deceptorium, quia collectio creaturarum possibilium, cum sit fincategorematicè infinita, ac indeterminata, non potest simul tota sumi; sed adhuc eo modo quo colligi potest totum confusum ac indeterminatum concedimus vtique non omnes illas creaturas seipsas excedere, sed adhuc negatur aliquam futuram, quæ alias excedat, nam potius vna semper excedet aliam nunquam peruenienda ad vltimam; Ad 2. hoc idem argumentum fieri potest de tota collectione brutorum infra hominem possibilium, dicendum ergo totam illam collectionem esse Deo summè propinquam non determinatè, & signatè, quasi designari possit vna species suprema, quæ sit Deo summè vicina, sed indeterminatè & confusè, quatenus vna semper excedit aliam, & magis, ac magis accedit ad Deum sine termino, eo modo, quo totam numerorum possibilium collectionem diceremus esse infinitati summè vicinam, hoc enim vtique non diceretur, quasi signari posset multitudo, quæ esset omnium suprema citrà infinitatem. Ad 3. patet ex iam dictis sub n. 35. Ad 4. latè satisfacimus infra q. 5. art. 2. n. 85. quia est argumentum Doctoris, quo probare tentauit 3. d. 13. q. 1. gratiam Christi esse summam.

QVÆSTIO III.

An possit dari infinitum categorematicum in multitudine, vel saltim syncategorematicum.

44 INfinitum syncategor. saltim in rebus quibusdam quoad multitudinem negari non potest, nam in numeris concedunt omnes posse dari processum in infinitum ita docuit D. Aug. 12. Ciuit. c. 18. vbi de tali infinitate loquens ait, certissimum esse, numeros infinitos esse, & Arist. 3. Phys. quamuis tex. 41. neget eos esse actu infinitos, postea text. 68. ait, augeri in infinitum, sicut magitudines in infinitum diuiduntur, vndè hac via possunt plura in infinitum indiuidua multiplicari. Immo qui præced. quæst. negabant infinitum hoc in speciebus, gratis id admittunt in indiuiduis, quia ipsa natura speciei, quantùm est ex se, est in infinitum multiplicabilis, nec ab intrinseco ad aliquem certum numerum indiuiduorum determinatur, vt Scotus docet 2. distinct. 3. quæst. 6. & 7. & quol. 2. vndè patet, Hurtad. disput. 13. Phys. sect. 1. falsò calumniari Doctorem, quòd oppositum senserit. Item creaturæ intellectuales per totam æternitatẽ plures actus elicient, nec tot, quin plures, quare de hoc infinito nullus relinquitur ambigendi locus; sed tota difficultas ad categor. deuoluitur, & quamuis communior opinio reputet illud impossibile prorsus etiam per potentiam Dei absolutam, vt probat D. Tho. 1. p. qu. 7. art. 3. & 4. & Scot. significat in 2. d. 1. qu. 3. & in 3. d. 13. qu. 2. vbi fatetur, oppositam sententiam contradicere auctoritati Philosophorum, & SS. & in Reportatis 1. d. 36. qu. 4. cum eorum asseclis, S. Bonau. 1. d. 43. art. 1. qu. 3. & cæteri Antiquiores, ac Iuniores. Tamen quia vt inquit prouerbium, nulla est fæditas sine amatore, nulla fatuitas sine patrono, non desunt grauissimi viri, qui partem oppositam conati sunt ostendere probabilem potius, vt ingenia exercerent, quam veritatem docerent, ita Ocham quol. 2. q. 5. & 1. d. 44. qu. 1. Greg. d. 43. Mayron. & Bassol. ib. ex Iunioribus Vasq. 1. p. disp. 26. Hurt. disp. 13. Phys. Arriag. dis. 13. Phys. sect. 4. Fasolus 1. p. q. 7. art. 4. dub. 12. immo ex nostris Nolanus, & Vulpes, hic tom. 2. 1. p. disp. 42. art. 10. ille in Pinachot. q. 10. vnanimiter defendunt, infinitum in actu in indiuiduis non solùm esse possibile, verùm de facto reperiri in accidentibus spiritualibus, sed Fuentes solùm ait, esse possibile 3. Phys. q. 3. diff. 2. art. 3. Aliqui verò, vt effugiant difficultates ductas ex infinitis corporibus positis in spatio, per quas ostenditur, simul esse finitam, & infinitam eorum multitudinem, concedunt, infinitum catag. in spiritualibus, negant in corporeis esse possibile: Amicus tandem tract. 18. q. 6. dub. 2. art. 3. inquit, nec possibilitatem, nec impossibilitatem huius infiniti euidenter ostendi posse, ideòque sibi displicere obstinationem quorundam in reijciendo infinitum in multitudine, sicut, & aliorum, qui infinito adhærent, vt spondylus scopulo.

45 Dicendum tamen est cum communi, hoc infinitum in multitudine prorsus repugnare; ita Canon. 3. Phys. q. 3. art. 2. Parisiens. cit. q. 2. Barg. 1. d. 8. q. 2. vbi explicat duo loca Scoti in oppo. Smisinch. loc. cit. & cæteri Scotistæ, ac Thomistæ passim, & probatur rationibus ita euidentibus, vt si Amicus earum euidentiam non videat, poterit quoque oculis apertis negare se Solem videre; estò verum sit quasdam ab Antiquioribus adductas parum valere, quas singulas refert, & rejicit Auersa. cit. vt inutiles.

Prima ratio deducitur ex attributis inter se repugnantibus, quæ simul infinito connuenire deberent, si daretur, vt ostendimus qu. 1. a. 2. deberet enim vnum infinitum esse maius alio; nam si producta infinita hominum multitudine, creet deindè Deus infinitam Angelorum multitudinem in eorum custodiam, planè numerus Angelorum, & hominum simul maior erit numero hominum seorsim sumpto; tamen ex alia parte infinito repugnat excedi, quia illo excessu finiretur, & terminaretur. Rursus possent infinitæ multitudini plures, & plures vnitates detrahi, vt ait Canon. cit. cùm enim eas produxerit Deus, vtique etiam destruere potest, sed ex alia parte id non videtur fieri posse, nam ablatis decem, vel centum, vnitatibus, vel quæ remanent sunt finitæ, vel infinitæ; si primum, ergo totus numerus finitus erit; si secundum, cum illud residuum esset pars numeri præcedentis, ergo pars erit æqualis toti, & totum non maius sua parte.

Resp. Vulpes cit. non esse maiorem multitudinem Angelorum, & hominum simul, quàm altera tantùm, immo addit, quòd non essent duo infinita formaliter, sed tantũ materialiter secundum connotata diuersę speciei, sed contra, tum quia implicat fieri additionẽ sine augmento, ergo si multitudini hominum infinitæ additur alia Angelorum infinitas, sicut in duplo plures erunt entitates, ita, & vnitates, & consequenter multitudo; tum quia antea erat multitudo solùm continens infinitos homines, postea est multitudo continens infinitos homines, & Angelos, ergo maior; tum tertiò stante multitudine infinita hominum, & Angelorum, potest vnam infinitatem destruere v.g. Angelorum, altera remanente, scilicet hominum, sed data sola hominum infinitate id non potest fieri, quia si destrueret infinitos homines, vtique illi forent, quos nuper produxerat, ergo multitudo hominum, & Angelorum simul essent duo infinita formaliter, & non materialiter tantum, nam ibi forent duæ multitudines, singulæ seorsim formaliter infinitæ.

46 Resp. Alij ad alteram partem argumenti de detractione partium

tium ab infinito infinitum esse capax detractionis, vt habet rationem totius, non vt habet rationem infiniti, & ita non sequi, partem esse toti æqualem, quia fit minus in ratione totius. Contrà, quod conuenit positiuè generi, & vt supponit simpliciter, conuenit etiã singulis speciebus illius ex regula ante præd. sed totum est superius, & veluti genus ad finitam, & infinitam quantitatem, ergo si infinitum est capax detractionis vt totum pariter etiam vt infinitum, Prob. minor, quicquid constat ex pluribus partibus, habet rationem totius, sed tam finitum, quàm infinitum constat ex pluribus partibus, in quas diuidi possunt, ergo &c. Respondent, duplex esse totũ, vnũ essentiale, quod ita pendet à partibus, vt sine aliqua illarum conseruari non possit, alterum integrale, quod sine aliqua illarum potest esse, vt homo sine brachio, vel pede; infinitum detractis partibus perit, & minuitur, vt totum integrale, sed conseruatur, vt totum essentiale, quia adhuc manet ratio totius, vt infiniti. Contrà, tum quia multitudo non habet aliam essentiam, quàm esse totum integrale, tum quia nequeunt assignari partes, à quibus essentialiter pendeat; tum quia etiam vt totum integrale ita pendet ab omnibus, & singulis vnitatibus suis, vt vna, vel pluribus ablatis, pereat, & minuatur, nedum in ratione totius integralis, sed etiam essentialis, Probatur assumptum, totum integrale, quod pendet ex partibus collectiuè acceptis, & non tantum distributiuè, destruitur, vna ex illis partibus detracta, talis autem est quælibet numeralis multitudo, siue finita, siue infinita, quòd ad quamlibet speciem multitudinis constituendam omnes, & singulæ vnitates collectiuè concurrunt, non distributiuè, alioquin quælibet numeri species in quolibet numero vnitatum conseruaretur, ergo sicut in numero finito ablata vnitate sola destruitur species, & minuitur numerus finitus intra latitudinem finitatis; ita in infinito detractis vnitatibus deficit infinitum intra latitudinem infinitatis, etiam sub ratione totalitatis essentialis exemplum de homine non valet, quia manet idem secundum rationem specificam, sed non in ratione totius integralis.

Hoc totum libenter concedunt infiniti tutores dicentes, quod sicut per additionem, vel ablationem non destruitur ratio numeri finiti; sed tantum variatur determinata species finiti, ita per ablationem, vel additionem non destruitur ratio infiniti, sed determinata ratio talis infiniti, nam sub infinito etiam continentur variæ species, sicut sub finito. Sed contra istos redit difficultas, quòd detur vnum infinitum maius alio; aliæ solutiones, quæ solent ad hoc primum argumentum adhiberi q. 1. art. 2. confutatæ sunt.

47 Secunda ratio ex eo deducitur, quòd nunquam inueniri potest sufficiens modus, quo constitui debeat multitudo infinita; nam quæritur, quot binarij, aut ternarij sint in ea, & sic de alijs numerorũ speciebus. Neque hæc est petitio impertinens, eò quia omnis numerus debet esse finitus, cùm sit multitudo mensurata per vnum, quamuis enim id verum sit de numero finito, falsum est de infinito, & cum numerus sit multitudo ex vnitatibus aggregata, si possibilis est infinitatum vnitatum aggregatio, possibilis quoque erit numerus infinitus, & sicut multitudo distinguitur in finitam, & infinitam, ita quoque numerus distingui debebit, vnde minus consequenter locutus est Fuentes citat. dum ait, non implicare multitudinem actu infinitam, implicare tamen numerum actu infinitum. Cùm igitur binarij, ternarij, & cæteræ numerorum species non sint finitæ, quia tunc tota multitudo finita foret, ergo erunt infinitę. Sed neque hoc benè dicitur, tunc enim sequitur, in vnaquaque infinitate debere esse plures, ac infinitas infinitates, nec dari posse multitudinem semel infinitam, sed semper esse debere infinities infinitam, quod licèt aliqui defensores infiniti concedant, omninò tamen contra lumen rationis militat, tam, in quantitate discreta, quàm continua, quia in discreta admissa infiniti possibilitate, vtique vna tantum esse poterit infinitas, sex, decem, & certè si infinita malogranata forent, posset Deus infinita grana annihilare, non destructa infinitate malogranatorum, non tamen ita posset infinita malogranata annihilare, remanentibus adhuc infinitis, quia si infinita annihilaret, vtique illa forent quæ nuper extabant, & in multitudine hominum infinita posset abscindere Deus infinitos digitos pollices remanentibus adhuc digitis infinitis, non ita posset infinitos homines destruere infinitis remanentibus, ergo vna est infinitudo malogranatorum, & hominum, plures verò granorum, & digitorum, &c.

48 Idipsum patet in quantitate continua, quia ad infinitam longitudinem constituendam planè sufficiunt infiniti palmi, ad quid ergo toties multiplicare palmorum infinitatem, vt longitudo infinita consurgat? Infinita semel corpora sufficiunt ad replendum totum spatium imaginarium, ergo frustra ad hoc multiplicantur corporum infinitates, immo si decies multiplicabis palmorum infinitatem, decem euadent longitudines infinitæ, & si infinities, euadent infinities infinitæ, quia quælibet vna palmorum infinitas non constituit minus, quam vnam longitudinem infinitam, hoc autem est contra suppositum, quia supponimus, Deum vnam tantum creare infinitam longitudinem, quæ etiam ratio applicari debet gradibus in qualitate, vt ita tam à quantitate, quàm à qualitate infinitum penitus eliminetur. Accedit, ex hac doctrina sequi absurda, & mirabilia, ex infinitis cadis posse infinita dolia impleri, quorum singula sint decem cadorum capacia, quia in infinitate cadorum sunt infiniti denarij; sic etiam si Deus crearet vnam hominum infinitatem, deinde aliam Angelorum ita adæquatam, vt singuli homines vnum habeant Ang. custodem, & ob hominum demerita Angelos custodes separaret ab eis, posset deinde pœnitentia facta restituere singulis binos, denos, centenos, & millenos Angelos in custodiam, nullo penitus Angelo de nouo producto, quia in ea multitudine Angelorum, quam ab hominibus segregauit, erant infiniti binarij, denarij, &c. Hoc autem est contra suppositum, quia supponebamus, multitudinem Angelorum esse ita adæquatam multitudini hominum, vt vnus Angelus tãtũ singulis hominibus esset in custodiam deputatus. Demum si in qualibet infinitate vnitatum necessariò continentur infinitæ species omnium numerorum tunc non erunt plures vnitates, quã binarij, nec plures binarij, quàm quaternarij, & tamen in quolibet binario duæ includuntur vnitates & in quaternario binaria duo, & ita totum non esset maius sua parte, & in multitudine infinita equorum tot essent equi, quot pedes & pili, in magnitudine infinita tot palmi, quot vlnæ, in spatio infinito tot milliaria, quot leucæ, &c.

49 Resp. Aliqui, in quolibet infinito contineri infinitas vnitates, & infinitas species aliorum numerorum cum hoc discrimine, quòd vnitates sunt infinities infinitæ, non autem binarij, vel ternarij, & ideò non sequi præfata absurda. Sed contra, tum quia vt præfata sequantur absurda, sufficit, quòd in quolibet infinito sint infiniti binarij, & ternarij, vt discurrenti patet; tum etiam quia si infinitas binariorum est tantum vna, ergo quaternarij non erunt infiniti, cùm vna quaternariorum infinitas contineat duas binariorum, ergo sic discurrendo per singulas species numerorum dicere oportebit, quòd non solùm in quolibet infinito sunt infinities infinitæ vnitates, sed etiam infinities infiniti binarij, ternarij, &c. Ex quo rursus sequitur, omnia infinita esse æqualia. Nec sufficit dicere cum Complut. disp. 25. qu. 4. in fine, vt saluent totum esse maius sua parte etiam quo ad numerum, plures partes esse possibiles, quam infinities infinitas, multitudo enim partium infinities infinitas, si bis pluries multiplicetur, maior est, quàm prædicta multitudo. Non sufficit, nam præterquamquod hanc solutionem satis refellimus disput. præced. q. 2. art. 6. num. 93. si in quolibet infinito omnes numerorum species sunt infinities infinitæ, planè non poterunt pluries sumi in vno, quam in alio, nam esse infinities infinitas in quolibet est esse in eo multiplicatas pluries, & pluries in infinitum, & quando etiam concederemus totum hoc, aliam postea incurrunt difficultatem, quòd detur vnum infinitum maius alio, non quidem semel, sed etiam infinities infinito.

Fasol. loc. cit. dub. 9. distinguit duplicem infinitatem, vnam per se & adæquatam, alteram per accidens, & inadæquatam: illæ dicuntur infinitates per se, & adæquatæ, quarum singulæ habent suas vnitates adæquatè distinctas ab vnitatibus alterius, infinitas autem inadæquata, quæ non constat ex vnitatibus omninò, & adæquatè distinctis ab vnitatibus alterius infinitatis, igitur in multitudine infinita hominum sunt infiniti binarij tam hominum, quàm oculorum, sed cum hoc discrimine, quòd infinitas binariorum in multitudine oculorum est adæquata, quia constat est duplici infinitate vnitatum inter se distinctarum, & hinc est, quòd corrumpi potest vna oculorum infinitas, alia remanente; infinitas autem binariorum in multitudine hominum est inadæquata, quia constat ex primis vnitatibus componentibus primam infinitatem, & non alijs distinctis; vndè tandem infert, quòd infinita multitudo hominum, & infiniti hominum binarij est vna infinita multitudo diuerso modo considerata, sicut centum vnitates, & quinquaginta binarij dicunt eandem multitudinem vnitatum, sed diuerso modo consideratam, idcircò subdit, non posset ex infinitis hominibus auferri infinitos alijs remanentibus, & sic consequenter respondet ad alia absurda.

50 Sed quamuis dist. ista de duplici infinitate adæquata, & inadæquata plausibilis sit apud tutores infiniti, vana tamen omninò est, & seipsam destruens, tum ex ratione infinitatis, tum numerorum; repugnat hæc dist. ratione infinitatis, quia supposita binariorum infinitate in multitudine hominum, necessariò concedi debet, plures esse vnitates simplices hominum, quam compositæ binariorum, nam pluralitas vnitatum simplicium augetur proportionaliter iuxta pluralitatem numerorum ex eis compositorum, ergo sicut vnus binarius supponit duas vnitates, ita vna infinitas binariorum duas infinitates vnitatum ab inuicem distinctarum, atque ita destrui poterit vna hominum infinitas, alia remanente; repugnat etiam ex parte numerorum, quia binarius essentialiter constituitur ex duplici vnitate, quarum vna non est alia, ergo suppositis infinitis binarijs in multitudine infinita hominum, necessariò ibi supponi debet duplex vnitatum infinitas, atque ita binariorum infinitas adæquata erit, & poterit vna hominum infinitas destrui, alia remanente. Nec iuuat dicere posse destrui vnam oculorum infinitatem, quia ibi verè quilibet binarius constat ex duobus oculis, sed ita dici non posse de infinitate binariorum hominum, quia hæc non est distincta à multitudine infinita vnitatum, sicut quingenti binarij non est multitudo distincta à mille vnitatibus. Nam vtique concedimus, hæc esse paradoxa, sed hæc necessariò sequuntur ex positione infiniti, ex eo enim quòd multitudo hominum constituta supponitur ex vna infinitate vnitatum, sequitur, non esse ibi tot hominum binarios, quot oculorum, sed pauciores; sed ex suppositione quòd ibi sint etiam infiniti binarij hominum, sequitur, tot esse binarios hominum, quot oculorum, nam implicat, binarios infinitos esse compositos ex vna sola infinitate vnitatum, sicut vnum binarium implicat ex sola vnitate componi; ex quo rursus sequitur, illam multitudinem hominum non fuisse com-

compositam ex vna sola infinitate vnitatum, quia implicat vnum esse plura secundum eam rationem, qua est vnum, nam vnum dicitur quod est indiuisibile in plura talia, v. g. dicitur vnus palmus, quia est indiuisibilis in plures palmos, licèt diuidi possit in plures semipalmos, cùm igitur in ista hominum multitudine plures reperiantur vnitatum infinitates, quia sunt in ea infiniti binarij, ternarij, &c. Hinc sequitur, hominum infinitatem non fuisse vnam, quia non posset in plures tales diuidi.

51 Hoc totum confirmatur exemplis à Fasolo adductis, nam inquit, infinitos binarios se habere ad primam vnitatum infinitatem, sicut quinquaginta binarij ad centum vnitates, vel quingenti ad mille, at in mille vnitatibus quingenti binarij constant singuli ex duabus vnitatibus distinctis, nec alij binari inadequati reperiuntur, qui dicantur mille inadæquatè, & per accidens, ergo pariter in vna infinitate hominum binarij erunt in duplo pauciores, quam vnitates, nec vllo modo poterunt dici infiniti, & quia infinitas binariorum est duplo minor infinitate vnitatum, tunc eorum infinitas esset veluti medietas infinitatis vnitatum; repugnat autem in multitudine infinita dimidium, sicut extremum; & denique contra hunc dicendi modum, dum facit vnum infinitum alteri inadæquatum, redit difficultas, quòd non potest dari infinitum vnum minus alio, in hac autem sententia darentur infinitæ infinitudines se inuicem minores, nam infinitas binariorum esset minor infinitate vnitatum, & infinitas quaternariorum adhuc minor infinitate vnitatum, & binariorum, & sic deinceps.

Tertia ratio militat specialiter contra admittentes infinitum possibile etiam in rebus corporeis, (nam duæ precedentes infinitum impugnant in omnibus) ex hoc enim sequeretur, infinitas arenulas, & grana milij æquale spatium occupare, ac infinitos montes, quia non minus spatium occupare possunt, quàm infinitum; immo sequitur, posse occupare maius spatium, quàm infinitos mundos, quia infinitæ arenulæ ita possent inter se constipari, vt occuparent omne spatium, infiniti verò Orbes non ita, sed vastum inter singulos interiaceret spatium. Nec respondere valet, infinitatem arenarum fore maiorem infinitate Orbium; quia redit difficultas, quod vnum infinitum non est maius alio; & si crearet Deus infinitatem montium, vel Orbium æqualem multitudini Arenarum, vel tunc occupabunt æquale spatium arenulæ, & Orbes, & habetur intentum, vel non, & tunc daretur spatium ab arenis non occupatum, occupatum tamen à montibus, ergo spatium ab arenis occupatum non erit infinitum, nec infinitæ arenæ, contra suppositum.

52 Resp. Aliqui, vt hæc euitent absurda, posse vtique fieri infinita corpora, non tamen in ordine ad spatium, sed in ordine ad se, & penetrata simul. Sed hæc respons. manifestè ostendit, infinitatem in rebus corporeis repugnare directè naturæ quantitatis, & spatij imaginarij, nam partes quantitatis petunt extra se inuicem poni in spatio, & spatium suaptè natura est capax cuiusuis magnitudinis.

Hæc sunt absurda, & paradoxa, hæ sunt chimeræ, quæ sequuntur ex positione infinitæ multitudinis; vel vnum infinitum esse maius alio; vel datis infinitis hominibus tot esse oculos, digitos, capillos, quot homines; facta additione, vel detractione huic multitudini non propterea augeri, vel minui; ex vna hominum infinitate posse infinitos infinities destrui, adhuc infinitis remanentibus, ex singulis nummis, cum quibus creati supponantur homines illi, deinde in vnum cumulum coniectis posse singulos homines resumere denos, centenos, millenos nummos, nullis de nouo additis; idem spatium occupari ab infinitis montibus, & formicis; & alia huius generis absurda occurrunt, quæ naturam infiniti ostendunt manifestè impossibilem. Nouimus infiniti fautores dicere solere, quæ ex positione infiniti sequuntur portentosa nobis, & mira videri, eò quia naturam infiniti non penetremus conditionibus finiti assueti. Sed sanè hac via posset defendi, vt benè notat Auersa, possibilem esse chimeram: à Deo contradictoria fieri posse, hominem irrationalem, asinum rationalem, &c. quia si diceremus, has esse rationes inter se repugnantes, negaret id proteruus, asseuerando, talem esse chimeræ naturam, vt ex his, & his partibus constet, quòd si nobis hæc mira videantur, hoc ideò esse, quia assueti sumus naturæ hominis rationalis. Demum quæ ex infinito sequuntur, tam sunt incredibilia, vt si inter credenda fide diuina ponerentur, inter difficiliora creditu locum haberent, nec deessent, qui ex animo ea non crederent; vndè P. Smisinch. tract. 2. disp. 2. nu. 40. hac solùm ratione infinitum reprobat, quia contradictoria, quæ ex ipso sequuntur, admittuntur ab assertoribus infiniti, dicendo, illam esse naturam infiniti nobis incognitam, quam euasionem, ait, minus philosophicam esse, cùm sine diuina reuelatione nihil sit asserendum, quod captum rationis excedat.

Soluuntur rationes.

53 In oppositum obijcitur 1. ex Hurt. infiniti homines, & infinitæ partes quantitatis sunt entia realia possibilia, quæ cognoscuntur à Deo, ergo nulla erit implicantia, quòd ponantur in re, cùm omne possibile dicat potentiam ad existendum. Si dicatur, esse possibilia secundum se, sed non compossibilia, sicut assensus, & dissensus sunt entia realia, & in eodem intellectu possibilia, non tamen compossibilia. Contrà, instat Hurt. vnus homo non est cum alio incompossibilis, nec vna pars quantitatis permanentis cum alia, sicut assensus, & dissensus, ergo neque ex hoc capite auspicari potest impossibilitas infiniti. Si dicatur repugnare, quia actualis infinitas ex se implicat; iam hæc est manifesta petitio principij.

Resp. hanc esse rationem Scoti in 3. dist. 13. q. 1. quà ibi tenuit probabiliter, dandum esse summum in qualitatibus, quia scilicet in permanentibus, quantumcunque procedatur, summum possibile est ita factibile vnica factione, sicut quodcunque aliud inferius; vndè si possibile foret infinitum, id etiam vnica factione fieri posset; hæc autem ratio apud Doct. non est demonstratiua, sed logica, alioquin probaret, non solùm infinitum in magnitudine, & multitudine esse possibile in permanentibus, sed etiam continuum posse simul esse diuisum in omnes suas partes, cùm vna diuisio alteri non repugnet; quia igitur ratio est logica, Doct. ipse in 2. dist. 2. qu. 9. K. dat modum eam soluendi, vndè respondendum est, vt ipse ibi respondet de diuisionibus continui, quòd licèt quælibet singularis sit vera, & quælibet signata productio compossibilis sit cum alia in eodem nunc, vt sit verum dicere, in isto nunc potest simul produci hic homo, & ille, & ille, & sic de singulis signatis, vel signabilibus, attamen adhuc vniuersalis non rectè infertur, dicendo, ergo omnes homines possibiles produci, possunt in isto nunc creari, sed est fallacia figuræ dictionis à pluribus determinatis ad vnam, quia licèt cuilibet singulari acceptæ, vel acceptibili nulla singularis determinata accepta, vel acceptibilis repugnet pro eodem nunc, tamen cuicunque acceptæ repugnant infinitæ indeterminatæ; apto satis exemplo rem manifestat Doctor, ponamus, ait, quod iste non possit portare decem lapides, sed nouem tantum, & sint illi lapides prorsus in pondere æquales, ista propositio, possibile est, omnem lapidem portari ab isto, falsa est, non quia aliqua singularis in se sit falsa, nec quia aliqua singularis determinata, sit alteri determinatæ incompossibilis, sed aliquibus determinatis est aliqua indeterminata incompossibilis, quæcunque enim nouem singularia sunt compossibilia, & decimum indeterminatè est incompossibile; posset etiam dari exemplum de existentia locali, nam istæ singulares sunt veræ; potest Petrus esse sine isto loco, & sine illo, & illo naturaliter, nec vlla determinata repugnat alteri, & tamen non valet inferre vniuersalem, ergo potest naturaliter esse sine omni, quia quibuscunque determinatis est aliqua indeterminata incompossibilis.

54 Sic in proposito, vtique omnes istæ singulares sunt veræ, nunc potest produci hic homo, & ille, & ille, nec vlla determinatà repugnat alteri, quia non est homo signatus, vel signabilis, qui non possit produci in eodem nunc, tamen non valet inferre vniuersalem, ergo omnes possibiles possunt in isto nunc produci, quia quibuscunque determinatis repugnant infinitæ indeterminatæ; ratio autem repugnantiæ oritur ex impossibilitate reductionis omnium potentiarum simul ad actum, cum quarum vna reducta, vel pluribus necessariò sunt aliæ infinitæ non reductæ, cùm tota magnitudo, vel multitudo à Deo possibilis non sit quid certum, ac determinatum, vt possit totum simul accipi & ad actum reduci, sed indeterminatum, & confusum, sicut tota diuisio continui: vnde vt talis multitudo ponatur in esse, debet à Deo determinari, vt sit tanta, vel tanta, quia de se nullum habet terminum intrinsecum, sed tantum extrinsecum, infinitatem nimirum actualem, quam nunquam attingere potest, quam doctrinam tradidit etiam Tromb. quæst. de Præscientia Dei art. 4. vbi docet, aliud esse loqui de existentia rerum simpliciter aliud de coexistentia, & ait, omnes numeros absolutè posse existere, sed non omnes simul coexistere, quia multitudo numeralis est indeterminata, & ideò non tota simul producibilis. Et quando etiam concederemus, totam rerum producibilium congeriem posse simul à Deo produci, adhuc negare deberemus, talem multitudinem esse categorematicè infinitam, quia sicut quando multitudo illa erat potentialis, non erat infinita categorematicè, sic etiam dicendum est, talem remanere, si actu produceretur tota, quia diuersitas status non variat naturam multitudinis, & ex vna infinitate non rectè deducitur alia, vt diximus qu. 1. art. 1. ex Scot. 2. Met. qu. 6. §. *Ad rationes, &c.* licèt ex tali casu impossibili aliud quoque sequatur impossibile, quòd infinito syncategorematico nulla posset fieri additio, quod est contra naturam eius.

55 Secundò arguunt Nominales; tum quia potest continuum à Deo diuidi simul in omnes eius partes, cùm enim in hoc instanti possit singulas continui partes diuidere, & non magis hanc, quàm illam, ergo poterit omnes; tum quia in quolibet instanti istius horæ potest vnum creare Angelum, & illum conseruare, vnde cùm in continuo sint infinitæ partes proportionales, & in hora infinita instantia, peracta diuisione continui habebimus infinitum in actu, & completa hora Angelos infinitos. Resp. communiter, in his, & similibus argumentis committi fallaciam, quia fit processus à sensu distributiuo collectiuum, nam distributiuè potest Deus in hoc, & illo instanti vnum Angelum creare, sed non in omnibus collectiuè, potest etiam in hoc instanti diuidere in continuo hanc, & illam partem distributiuè, sed non omnes collectiuè. Sed Scot. 2. dist. 2. qu. 9. sup. K. optimè notauit insufficientiam huius communis responsionis, nam procedere à sensu distributiuo ad collectiuum non solùm fallacia non est, sed potius optimus arguendi modus, in quo fundatur vis, & ener-

energia inductionis, in qua semper fit processus à pluribus singularibus sufficienter enumeratis ad vnum vniuersale: tum quia si hic modus arguendi non valeret, sequeretur, omnes singulares posse esse possibiles, vniuersali existente impossibili, atque ideò ex vero posset sequi falsum; tum quia vniuersalis æquiualet singularibus copulatiuè acceptis, & è contra, sed quando terminus supponit distributiuè, potest sub eo descendi ad omnia singularia copulatiuè sumpta, quia terminus distributus stat pro singulis nullo excepto, vnde hæc vniuersalis, omnis homo currit, æquiualet his singularibus, & Franciscus currit, & Petrus currit, & sic de alijs.

56 Ad arg. igitur Nominalium soluenda, & percipiendam vim illatiuam inductionis, notanda est regula Scoti sup. allata, & id, quod docet Tatar. 3. Phys. q. 2. quod quamuis omnes singulares sint veræ, non idcircò rectè inferunt vniuersalem, sed adhuc requiritur, quòd omnes sint compossibiles, cùm vniuersalis æquiualeat singularibus copulatiuè sumptis, & in hoc consistit vis illatiua inductionis, quòd datur intelligi per ly *sufficienter enumeratis*, sensus enim est, quòd singulares omnes sint veræ, & simul compossibiles; in proposito verò quamuis in hoc instanti singulæ diuisiones continui sint possibiles, & omnes signatæ, vel signabiles simul compossibiles, quia diuisiones continui non habent inter se ordinem essentialem, ita quod priùs diuidi debeat in vna parte, quàm in alia, adhuc tamen (ait Doct.) quibuscunque determinatis, & acceptis repugnant infinitæ indeterminatæ, & sic etiam dicendum est de Angelorum productione in hoc, & illo instanti, quod licèt nulla determinata signata vel signabilis alteri repugnet, vel pluribus, repugnant tamen infinitæ indeterminatæ, quia multitudo Angelorum à Deo producibilis nullum habet terrminum intrinsecum, nec eius possibilitati actus adæquatus correspondere potest, sed semper permixtus potentiæ; vnde quòd quibuscunque determinatis repugnent infinitæ indeterminatæ, oritur ex impossibilitate reductionis omnium potentiarum simul ad actum, cum quarum vna reducta, vel pluribus, necessariò sunt aliæ infinitæ non reductæ; quidam solent afferri casus, in quibus continuum in omnem sui partem diuideretur, vt de filo per totum vniformi; sed soluti videri possunt apud Sampson. 3. Phys. q. 4.

57 Tertiò obijcitur; Tum quia non repugnat rebus infinitas in esse obiectiuo, nam in mente Dei simul existunt omnes, ergo neque repugnat in esse reali, probat consequentiam Hurtad. quia omnes repugnantiæ, quæ afferuntur contra infinitum in esse reali, obijci possunt contra infinitum in esse obiectiuo. Tum deinde, quia videt Deus infinitam multitudinem actu existentium in tota æternitate, nam actus in æternitate futuri non sunt finiti, sed infiniti, alioquin tandem veniretur ad vltimum, & sic finirentur damnatorum cruciatus, illos autem actus esse in actu monstratur, quia futuri non cognoscuntur scientia simplicis intelligentiæ, sed visionis, quæ terminatur ad rem, vt existentem à parte rei.

Responderi solet ad 1. concesso antec. negando conseq. quia potest vtique omne possibile adæquari simul per cognitionem ab intellectu, non verò à virtute actiua per productionem, modus enim cognitionis est compositorius, quia cognitio plura attingit per modum vnius, modus verò productionis est resolutorius, ita vt quòd vnum erat in mente, necessariò sit multa positum in actu existentiæ. Sed quamuis rectè negetur conseq. quia non benè infertur ex eo, quòd aliqua coexistant in mente Dei, possunt etiam coexistere à parte rei, nam assensus, & dissensus, omnes diuisiones continui possibiles, partes temporis, & motus, simul sunt in mente Dei, & simul esse non possunt à parte rei, adhuc tamen non benè disparitatem assignant, falsum enim est, Deum intelligere plura per modum vnius, hoc enim solùm dicitur de intellectu creato, quatenus plura confusè concipit per modum vnius; & verissimum est, quia ait Hurt. argumenta allata contra infinitum tam oppugnare illud in esse reali, quam obiectiuo, vt dicemus vlt. qu. ideò præstat negare antecedens, & dicere cum Canon. quòd sicut essentia diuina non exemplar infinitorum, quia hæc non sunt possibilia, sed finitorum in infinitum, ita etiam non infinita, sed finita Deus cognoscit in infinitum, vt explicabimus infra. Ad alterum ex professo infra dicemus, cogitationes per totam æternitatem futuras non debere dici categorematicè infinitas, sed syncategorematicè solùm, & licèt non considerentur sub mera potentialitate, sicut res possibiles, sed in ordine ad existentiam, & quatenus futuræ, tamen quia non sunt ita futuræ, vt aliquando sit verum dicere, totam cogitationum seriem esse ad finem deductam, sed ita se semper habebunt, quod nunquam tot erunt, quin plures futuræ sint, hinc potius syncategorematicè infinitæ dicendæ sunt, & eo modo cognosci à Deo, quo cognosceret diuisiones omnes continui, si ab Angelo per totam æternitatem diuidendum esset, nec refert, quòd illi actus pertineant ad scientiam visionis, & non simplicis intelligentiæ, quia futuritio non tollit à rebus futuris rationem infiniti syncategorematici.

58 Quarto obijcitur; Tum quia communiter conceduntur infinita puncta, & partes proportionales actu distinctæ in continuo. Tum quia in permanentibus quicquid potest fieri successiuè, potest fieri simul, vt Scot. docet 2. dist. 1. qu. 3. sub I. ergo si potest multitudinem, vel magnitudinem infinitam producere successiuè, idipsum potest facere simul. Tum tertiò, maior est potestas Dei, quàm infinitorum hominum, si forent, sed illi agendo infinitos producerent effectus, ergo &c. Tum quartò vltra omnem multitudinem finitam datam, & dabilem, Deus potest producere maiorem, sed numerus maior omni numero producto, vel possibili est infinitus, ergo &c. Tum denique mundus potuit esse ab æterno, & in sententia Arist. de facto fuit ab æterno, ergo cùm anima rationalis sit immortalis modò forent infinitæ animæ, si mundus fuisset ab æterno, & tot de facto erunt in sententia Arist.

Resp. ad 1. multos vtique ita sentire, & mirum esse quomodo tam libenter admittant infinitum categorem. in multitudine de facto quo ad partes actu distinctas, & ita enixè postea negent illud possibili quo ad vnitates discretas, nos verò tam puncta, quàm partes ponimus in continuo syncategorematicè tantum infinitas. Ad 2. Assumptum ex Doctore intelligi debet de quacunque multitudine signabili, & determinata, nulla enim talis in permanentibus potest fieri successiuè, quæ non possit fieri simul, sed falsum est de omni magnitudine, vel multitudine absolutè possibili, cùm enim hæc quid certum, ac determinatum non sit, sub certa productione cadere non potest, sed pluribus, ac pluribus in infinitum producitur. Ad 3. si darentur infiniti homines, darentur vtique infiniti effectus, at non magis repugnat hoc, quàm illud, adhuc autè maior arguitur potestas Dei, quàm infinitorum hominum, si forent, ex modo operandi, quo potest effectus ex nihilo producere, quod illi homines infiniti non possent. Ad 4. ait Canon. ly *omnem* posse sumi coniunctim, sic quòd colligat omnes numeros, vel diuisim si diuisim, sic est vera maior; & sensus est, quòd vltra hunc, & illum numerum Deus potest producere maiorem, sed tunc minor est falsa, nam numerus, qui est maior omni numero diuisim sumpto, semper erit finitus, licet sit indeterminatus; si verò ly *omnem* stet in maiori coniunctim, sic implicat maior, nam Deus non potest producere aliquem numerum, qui sit maior omni numero producto, vel possibili ab eo produci, quia ille numerus, qui est alius, & distinctus ab omni numero possibili produci, non erit possibilis produci à Deo. Ad 5. negatur, mundum potuisse esse ab æterno quo ad generationes, & entia successiua, & non minus hoc implicat, quàm infinitum in actu, vt disp. 14. dicemus; de mente Arist. variè loquuntur Peripatetici, quidam dicunt, vel tenuisse animam mortalem, vel saltim dubium fuisse; hoc certum est, quod si mundus ab æterno fuisset, animæ rationales, quæ modò extarent, adhuc non essent infinitæ categorematicè, quia huic multitudini additio fieri posset, sed tantum essent infinitæ syncategorematicè, vt docent Scot. 2. Met. q. 6. §. *Ad rationes, &c.* & Tromb. tract. de Plurif. Anim. cont. Auerr. art. 2. par. 2. in solutione ad 6. Vide quæ contra Ferchium disputamus disp. 5. de Gen. & Cor. qu. 7. art. 2. à num. 168. qui Veltig. 6. lib. 2. cap. 10. & 14. vt soluat hoc argumentum ex motus æternitate, & animæ immortalitate deductum, statuit finitum animarum numerum, & earum circulationem, seu regressum incorpora humana ad mentem Arist. quod est merum delirium, & principijs tum Arist. tum fidei nostræ omninò contrarium.

QVÆSTIO IV.

An dari possit Infinitum in magnitudine categorematicum, vel saltim syncategorematicum.

59 TRes extant sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema est Nominalium concedentium possibilitatem infiniti vtroque modo, quam sequuntur omnes, qui quæst. præced. possibilitatem infiniti in multitudine admiserunt, quibusdam exceptis, qui minus consequenter loquentes, ibi infinitum in multitudine etiam in rebus corporeis affirmarunt possibile, hic verò negant infinitum in magnitudine, cum quibus est P. Vulpes 1. p. disp. 27. ar. 8. quæ duo sanè non cohærent, nam sicut potest Deus infinita corpuscula, vt maris arenas producere separata, posset etiam producere coniuncta, vel per continuationem, vel ita vt omnia essent contigua, quo modo molem efficerent infinitam, & infinitum spatium occuparent. Altera extrema sententia est negantium in quantitate continua possibilitatem vtriusq. infiniti, ita Henr. quol. 5. q. 22. Aureol. 1. dist. 44. q. vn. art. 2. prop. 2. qui volunt, definitam esse ex natura rei certam magnitudinem possibilem, vltra quam maior fieri nequeat etiam per Dei potentiam, & sequuntur aliqui Sotistæ, qui eodem modo loquuntur de qualitate, & quantitate, quia rationes, quas Doctor adducit 3. dist. 13. qu. 1. pro determinatione qualitatis videntur eodem modo vrgere de quantitate. Tertia tandem sententia media negat possibilitatem infiniti categ. etiam per potentiam Dei absolutam, & concedit possibilitatem syncateg. quam sequuntur omnes illi, qui negarunt in præced. quæst. possibilitatem infiniti categorematici in multitudine.

Dicendum est, infinitum categor. in magnitudine prorsus repugnare, non tamen syncategorematicum. Conclusio est Can. cit. & Barg. 1. d. 9. q. 2. §. *Sed contra hoc instatur, &c.* vbi cit. Doct. 2. Met. qu. vlt. & d. 2. q. 1. ad 3. & d. 8. q. 2. & 3. d. 13. q. 1. sed in 2. d. 2. q. 9. N. admittit expresè infinitum syncateg. nam concedit, ignem posse in infinitum excrescere, si continuò sibi apponatur combustibile, & idem concedere videtur in 3. dist. 13. qu. 1. ponens differentiam inter augmentum quantitatis, & qualitatis. Et pro vtraque parte euidentissimis probatur rationibus.

60 Prima ratio impossibilitatis infiniti categ. deducitur ex præcedentibus; Tum quia infinita magnitudo categorematica constat ex multitudine partium æqualium eodem modo infinita, ergo si talis infinitas partium repugnat, consequenter, & magnitudo ex eis constituta. Tum quia vt ait Canon. talis vtique magnitudo diuisibilis foret, & ab ea posset aliqua pars detrahi, ergo quæ remanet, vel est finita, vel infinita; si primum, ergo tota magnitudo finita erat; si secundum, ergo pars erit æqualis toti; vel dabitur infinitum maius alio; & responsio, quam ad hæc, & similia argum. adhibet Fuentes citat. argum. 5. vnam magnitudinem infinitam posse aliam excedere materialiter, non formaliter, ex dictis manet explosa. Tum tertiò sic refellebatur infinitum in multitudine, quia in quacunque infinitate tot essent binarij, ternarij, &c. quot vnitates, ita infinitum in magnitudine modò vitandum est, quia tunc in quacunq; magnitudine tot essent palmi, quot semipalmi, tot vlnæ, quot palmi, cũ tamen vlna quælibet octo contineat palmos, & sic de singulis mensuris maioribus, & maioribus; & dicere oportebit, in quacunque magnitudine infinita reperiri infinities infinitos palmos, quod prorsus falsum est; quia ad vnam longitudinem infinitam constituendam sufficit vna sola palmorum, infinitas. Tum denique quia si maior est infinitas palmorum, quàm vlnarum, & vlnarum infinitas ponatur inadæquata, sicut binariorum in multitudine, redeunt difficultates superiùs agitatæ contra similem responsionem.

61 Secunda est de columna, vel virga vtrinque infinita tam versùs Orientem, quam Occidentem, nam in ea parte, quæ nobis respondet, potest Deus quatuor annihilare palmos, & postea illas columnas admouendo iterum reunire, quo casu illi columnæ, quæ supponebatur infinita, poterunt ex defectu quatuor palmorum duo præfigi termini, nam in illa admotione, & reunione necessariò deserunt duæ illæ virgę duos palmos spatij, quos antea occupabant, atque ita tangendo vtriusque extremitatem versùs illos palmos vacui derelictos, verum est dicere, hi sunt termini hius virgæ, vel columnæ. Resp. Hurt. facta illa diuione posse à Deo columnam, vel virgam reuniri, aut per rarefactione aliquarum partium, aut per nouarum additionem, vel constituendo aliquas partes duobus in locis, at eo modo, quo ponitur in argomento, implicare contradictionem, quia totum illud corpus simul non posset moueri, quia motus est desertio termini à quo, & acquisitio termini ad quem, latio enim est inter duos terminos, sed illæ virgæ versùs Orientem, & Occidentem nullum haberent terminum. Sed hæc est mera fuga, quia defensores infiniti ideò dicunt, corpus infinitum versùs omnem loci differentiam non posse motu recto moueri, quia sibi deficit spatium, per quod moueatur, cùm omne repleat, & ex alia parte concedunt, columnam hinc incipientem, & infinitam versùs meridiem posse in latus moueri quia sibi non deficit spatium per latus, ergo cùm quælibet virga in casu posito habeant in longum spatium duorum palmorum, quos occupando iunguntur iterum, poterunt à Deo per illud moueri, & mediante tali motu reuniri; & cùm inquit Hurt. illas virgas hoc modo reuniri implicare, quia ex eo quòd approximentur, sequitur esse terminatas versùs Orientem, & Occidentem, & ex hypothesi sunt infinitæ versùs illas; partes; ex hoc potius debebat negare, infinitam magnitudinem dari posse, ex qua talia sequuntur absurda, quàm casum non admittere.

62 Tertia ratio est de eadem columna casu, quo Deus omnes eius partes coaceruet in figuram rotundam, sic enim efficeretur infinita moles versùs omnem loci differentiam nullo prorsus addito, quod est impossibile. Nec valet, quod aiunt Conimbr. ex vario situ posse illam eandem magnitudinem nunc maius occupare spatium, quàm antea, Nam mens capere nequit, vt ait Auersa, quomodo possit columna illa ita disponi in situ, vt absque vlla additione occupet, & impleat totum vndequaque spatium infinitum. Ideò aliter Auersa conatur ostendere huius rationis inefficaciam, negando posse omnes illius columnæ partes ita situari, & coaceruari, vt occupent vniuersum spatium, sed possent solùm à Deo transferri ad occupandum simile spatium in longum versùs Occidentem, aut Meridiem possent etiam quotcumqe partes finite abscindi, & inter se confundi; Sed neque Auersa rationem eneruat, quia non ponimus casum, quòd Deus quotcunque partes finitas abscindat, & inter se confundat, vel omnes simul transferat ad occupandum simile spatium in longum versùs aliam loci differentiam, sed casus est, quòd omnes illas partes coaceruet in figuram rotundam, & dum ait Auersa, in hunc modum diffusas totum spatium occupare non posse versùs omnem loci differentiam, non satisfacit, quia si sic dispositæ non occupant spatium infinitum; signum est, quòd nec priùs partes illæ erant infinitæ, & si priùs erant infinitæ æquales vni certæ, planè repugnat, quòd dispositæ in figuram rotundam, totum spatium vndique non occupent. Demum ne ratio vllam patiatur calumniam, in hunc modum formetur, fingatur linea infinita versùs Orientem, & ab ea auferat Deus alternos palmos, & collocentur versùs Occidentem, vel constituent lineam infinitam versùs illam partem, vel non; si primum, ergo ex infinito versùs vnam partem fine additione factum est infinitum versùs vtramque, quod est incredibile; si non, ergo neutra linea est infinita, cùm totidem palmi sint ablati, & relicti, & ita ab initio illa linea non fuit infinita. Neque negari debet, talem lineæ diminutionem fieri posse per palmos alternos, quia sicut omnes simul auferre potest, ita etiam & alternos.

63 Quarta ratio deducitur ex illo principio mathematico, quòd duæ lineæ facientes angulum, quo magis protrahuntur, eò magis inter se distant, quare si tales duæ lineæ infinitæ fierent à Deo, interciperent distantiam finitam, & infinitam, infinitam quidem, quia supponuntur infinitè distare, finitam verò, quia totum illud interuallum duabus illis lineis clauditur, & terminatur. Resp. Hurt. negando, spatium infinitum illis lineis terminari, quia per illas non ponitur vltimum in infinito, videt enim Deus, incipiendo ab vna non posse successiuè venirì ad aliam, termini autem sunt extrema rerum, quæ successiuè pertransiri possunt ab vno ad aliud. Sed contrà, tum quia ideò spatium infinitum dicitur pertransiri non posse, quia non habet terminos, vnde priùs est spatium habere extrema, quàm posse pertranri, terminus enim dicitur, vltra quòd non pertransitur, ergo malè deducit Hurt. ideò spatium illud terminos, non habere, quia petransiri non potest; tum quia Deus videt extremitates illius distantiæ, & eas signando dicere potest, hucusque peruenit hæc distantia, nec vlteriùs procedit, ergo illæ lineæ verè sunt termini, & extrema spatij interiecti.

Resp. Arriag. disput. 13. num. 4. non esse contra rationem infiniti in magnitudine, vel multitudine duobus terminis includi, quia ratio infiniti non consistit in eo, quod terminis careat, sed præcisè in eo, quod ex vno termino ad alium successiuè peruenirì nequeat; hoc probat, quia inter hominem, & lapidem clauduntur infinitæ species animalium inæquales inter se, respectu quarum homo est vltimus, quia est perfectissimus illarum, & lapis est primus, quia est imperfectissimus illarum. Hæc solutio in re coincidit cum allata ab Hurt. & eodem modo reijcienda est, quia imò ratio infiniti formalissimè in huc consistit, quod terminis careat, hoc enim sonat ipsum infiniti nomen, quod sine fine, ac termino, tum quia vt contra Hurt. dicebamus, ideò infinitum pertransiri non potest, quia terminis caret, sicut è contra finitum dicitur pertransibile, quia habet terminos, & extrema, ergo de ratione infiniti, est quod terminis careat, & extremis in eo genere, in quo est infinitum; Exemplum vero ab Arriag. adductum de infinitate specierum possibilium inter hominem, & lapidem non est ad rem, vt disp. 7. Log. notauimus qu. 2. art. 4. quia talis infinitas non est categor. de qua hic est sermo, sed syncategor. cui non repugnat terminus extrinsecus, ad quem scilicet sit in via, nunquam tamen attingat & ideò in allato exemplo malè appellatur homo terminus vltimus illius infinitatis, per hoc enim significatur, quod sit terminus intrinsecus.

Resp. proindè Fasolus concedendo illas lineas esse extrema distantiæ, & spatij intercepti, non tamen determinata, sed indeterminata, ac proindè valentia infinitum intercipere, vnde infert, illas lineas esse terminos illius spatij potius infinitantes, quàm terminantes: qua responsione vtitur etiam Fuent. Sed contrà tum quia implicat in adiecto, terminum quantitatis quantitatem ipsam infinitare, seu infinitam reddere, quia terminus quantitatis est id, ad quod quantitas pertingens non progreditur vltra; tum quia habere terminum indeterminatè, conuenit potius infinito syncateg. quàm categ. istud enim negat omnem rationem termini.

Quapropter respondent alij, illas lineas esse terminos extrinsecos tantum spatij intercepti, & ideò per eas non accipere finitatem, quia infinitum nequit reddi finitum, nisi per terminum intrinsecum; vnde idcircò puncta non destruunt infinitatem partium proportionalium, quia eas terminant extrinsecè tantùm. Contrà, tum quia infinitum categ. vt dicebamus, negat omnem rationem termini, & habere terminum extrinsecum solùm conuenire potest infinito syncateg. cuius terminus extrinsecus est ipsa actualis infinitas. Tum quia si inter illas lineas creat Deus lineam transuersalem, vel superficiem certè illæ lineæ dicerentur termini intrinseci latitudinis eius; Tum quia esto puncta in linea non sint termini intrinseci partium proportionalium quantùm ad multitudinem, sunt tamen quantùm ad magnitudinem. Tum demum quia terminus quilibet semper rem terminat ea ratione, qua est terminus, & finitam reddit. Denique dicunt alij, illam distantiam non fore infinitam, sed potius finita in infinitum, quatenus illæ lineæ, quò magis elongatur, semper magis distant inter se. Sed hoc est fateri, illas lineas non esse actu infinitas, & categorematicè, sed syncateg. tantùm magis, & magis protentolas in infinitum; at si ponatur actu infinitam habentes longitudinem, planè distantia quoque intercepta poni debet actu infinita, nam distantia esse debet proportionata longitudini linearum.

64 Quinta ratio similis est illi, quam Scot. fecit circa æternitatem temporis in 2. d. 1. quæst. 3. §. *Item arguitur &c.* si esset linea infinita tam versùs Orientem, quàm Occidentem posset vtique Deus illam quocunque puncto diuidere, diuidat ergo eam in aliquo certo puncto, & Orientalem ponat Occidentem versùs paralellam cum Occidentali per simplicem mutationem præsentiæ, vel productionem, si placet; tunc quæritur, an vtraque istarum linearum sit æqualis semper ex ea parte, qua finitæ sunt, & vbi facta fuit diuisio, vel vna longior, altera breuior, si non fiat in illo certo puncto, sed citra, vel vltra; hoc secundum dici non potest, quia istud certum punctum, in quo solo facta diuisio reddit eas æquales, esset in rigore medium totius lineæ, quæ vtrisque infinita fingebatur, vbi autem reperitur medium, reperiuntur etiam extrema æqualiter à medio distantia, qua de causa Arist. 6. Top. loc. 78. dixit, lineam infinitam, neque medium, neque fines habere, neque primum dici potest, quia si peracta diuisione in quocunque puncto lineæ remaneant æquales, tunc pos-

posset Deus ab vna linea auferre palmum, & alteri addere, in quo casu hæc euaderet longior illa, ergo idem quoque fuisset, si diuisio facta fuit, non enim potest reddi ratio, cur talis contingeret variatio post diuisionem, & non antea, quam rationem cum absurdis à Doct. allatis loc. cit. fusè prosequitur Auersa.

Aliqui defensores infiniti, vt se ab his libenter angustijs, concedunt non posse fieri magnitudinem infinitam in ordine ad spatium, seu per spatium extensam, sed solùm fieri posse in ordine ad se, ita vt tota compenetrata existeret in vno palmo, vel etiam vno puncto loci. Sed quis non videt hanc vilissimam esse figam? at non omninò euadunt, tum quia repugnantia, & absurda, quæ sequuntur, non oriuntur ex locali extensione infiniti, sed potius ex infinitate ipsius; tum quia non videtur, cur necessitetur Deus ad faciendum duo miracula simul, & si infinitas in quantitate continua necessariò petit compenetrationem partium eius, hoc manifestum est signum, rationem infinitatis directè pugnare cum ratione quantitatis, quæ petit occupare locum, & in spatio reponi per extrapositionem suarum partium; tum etiam quia adhuc vrgeri possunt rationes allatæ vrget enim adhuc argum. sumptum ex multitudine infinita palmorum, cubitorum, vlnarum, istæ enim partes determinatæ sunt in quantitate, etiam si inter se compenetratæ, & adhuc quantitas illa potest à Deo in partes diuidi, vndè integra redit prima difficultas, & licèt aliarum robur magis videatur dependere ab extensione locali, tamen adhuc promoueri possunt, nam vbi nunc vrgent suppositæ extensione actuali, facta penetratione, possunt seruata proportione confici de extensione apticuomali, ac etiam actuali obiectiua in mente diuina.

65 Postremò Prob. altera conclusionis pars, quòd possit dari per potentiam Dei infinitum syncategor. in magnitudine, saltim in corporibus homogeneis, tum quia ignis crescere in infinitum, si continuò apponeretur sibi combustibile, vt ait Doctor 2. d. 2. qu. 9. N. ex Philosopho, tum quia posset Deus mundum perpetuare, & singulis diebus eidem quantitati addere vnum palmum. Resp. Aduersarij, concedendo, posse Deum quacunque magnitudine data aliam distinctam procreare, sed negant posse semper vnam alteri continuari, & vniri, quia si illa sit in termino, alia quantitas etiam minima non potest illi addi. Contrà, tum quia hæc est manifesta petitio principij, nos enim dicimus, semper posse addi, eò quia nunquam illa magnitudo ad maximum quod sic peruenire potest; tum quia dato, quòd Deus crearet tantam aquarum colluuiem, quanta sufficit ad maximum quod sic, & super illam effunderet vas magnum aquæ positæ creatæ, paradoxum est dicere, quod aqua non egrederetur à vase, vel egressa maneret suspensa, vel versùs illam partem non moueretur, in quàm à Deo propellitur; & adhuc mirabilius est dicere, quod si daretur ignis in suprema magnitudine, & in eum parum stuppæ proijceretur, non posse eam comburere, & in se conuertere. Et si dicas, hoc non posse, quia ignis est maximus, & in termino; hoc adhuc mirabilius est, non posse ignem maximum stuppam comburere, quia maximus est; immo potius quia maximus est, citissimè deberet eam comburere, quia magnitudo in igne non impedit, sed promouet actionem. Tum demum quia potest Deus diuidere virgam palmaris latitudinis per partes proportionales in infinitum secundum longitudinem, & addere interim vnam alteri secundum latitudinem, quomodo dispositæ omnes illæ partes forent æquales, scilicet magnitudinis palmaris, ergo potest augere quantitatem in infinitum, Consequentia patet, quia tam possibile est hoc augumentum per partes æquales, sicut est possibilis diuisio illius continui per proportionales. Arriag. cit. disp. 13. nu. 44. quamuis sit infiniti tutor acerrimus, nihilominus argumentum quoddam adducit de pyramide infinita, quo ostendit manifestam inuolui implicantiam in compositione infiniti categorematici, & solum à Deo fieri posse infinitum sincateg. de quo argumento verba fecimus disp. 7. Log. q. 2. ar. 4. & fatetur nullam habere solutionem.

66 In oppositum objicitur 1. quòd detur infinitum in actu secundum extensionem, & argumentum sumitur ex linea illa giratiua, quæ cerebrum Doct. tamdiu agitauit, hæc enim conflatur ex infinitis circulis columnam ambientibus, quorum singuli sunt determinatæ, & æqualis longitudinis circularis, quantum nempe columna ipsa circumdat, ergo hæc linea erit actu infinita, & si per Dei potentiam tota extraheretur à columna, quam veluti fascia cingit, clarè appareret infinita eius longitudo. Nec valet, quod ait Suarez. disp. 40. sect. 5. num. 48. dari quidem in ea linea infinitas partes æquales actu vnitas, nihilominus lineam non esse infinitam, quia clauditur terminis. Imò potius hæc est difficultas, quæ ex tali linea giratiua emergit, quomodo possibile sit, quòd ex infinis partibus æqualibus non communicantibus conflet, & tamen claudatur terminis.

Resp. Auersa q. 22. sect. 88. quod sicut circuli illi sunt plures, & plures, non tamen actu infiniti, & sicut post vnum circulum sequitur alius, & alius magis, ac magis propinquus, at nunquam in maxima propinquitate, ita lineam illam esse semper maiorem, & maiorem, at nunquam maximam, seu infinitam, quia in longitudinis maioritate progressus non consistit in hoc, quòd vltra extrema longiùs, & longius linea protendatur, sed quòd intra certa extrema habeat plures, & plures semper reuolutiones in girum, quibus maior, & maior longitudo finitè in infinitum coalescat, & subdit, nec per Dei potentiam posse totam hanc lineam abstrahi à suo continuo, & in rectum extrahi, hoc enim ita repugnat, sicut totum continuum diuidi in omnes sui partes, & indiuisibilia resolui, quare putat, argumentum concludere contra ponentes illos circulos, ex quibus constat linea tortuosa, infinitos in actu, & categorematicè.

Sed hæc resp. non satisfacit; quia si illa linea giratiua ponitur syncategorematicè infinita, ergo magnitudo illius lineæ non erit certa, & determinata, quod est falsum, quia non potest dari quantitas actu existens, nisi sub aliquo determinato termino, licèt enim secundum se exigat terminum vagè, tamen dum in effectu ponitur, exigit illum determinatè, & hoc est, quod docuit Ricar. 1. d. 43. ar. 5. ad 3. quòd licèt lineæ non repugnet carentia termini determinati, vt linea est, tamen illi repugnat, vt est in effectu; & idem docent Summulistæ, dum explicant suppositionem confusam, & determinatam, aliquis enim calamus est ad scribendum necessarius vagè, sed actualis scriptio non fit, nisi determinetur calamus, & in hoc distinguitur multitudo à magnitudine, quòd multitudo syncateg. dari potest à parte rei sine termino intrinseco, vt patet de partibus continui, non tamen magnitudo. Accedit, quòd puncta in linea sunt termini, & extrema magnitudinis eius, non autem multitudinis partium, ergo non quia multitudo circulorum lineam giratiuam componentium est infinita syncategorematicè, idem debemus dicere de magnitudine. Insuper partes proportionales continui, quamuis sint syncategorematicè infinitæ, ideò constituunt molem finitam, & determinatam, quia non sunt eiusdem magnitudinis, & minores communicant cum maioribus; sed in proposito ciruli componentes lineam giratiuam sunt æquales, ergo si sunt infiniti syncategorematicè, longitudinem constituent immensam, & indeterminatam. Denique concedit Auersa, quòd si tota illa linea extraheretur à columna, longitudinem expanderet infinitam, ergo etiam columnæ coniuncta eandem constituet longitudinem; tum quia eadem esset linea coniuncta, & abstracta à columna, & situs diuersitas non variat partes quantitatis; tum quia licèt columnæ coniuncta propriam non habet existentiam solitariam, habet tamen inexistentiam, seu existentiam coniunctam partibus columnæ.

67 Respondendum igitur est, multis dimissis responsionibus, quas referunt Sampson 3. Phys. qu. 4. & Amic. tract. 18. qu. 4. dub. 1. negando assumptum, quòd illi circuli syncategorematicè infiniti, ex quibus componitur linea tortuosa, sit eiusdem longitudinis circularis, sunt enim semper minoris, & minoris non enim illi circuli dicuntur ex vno puncto ad idem punctum, vt linea circularis, vt benè notat Amic. cit. num. 44. sed ad aliud distans à puncto initiatiuo secundum longitudinem, vnde excedit quilibet ille circulus tortuosus lineam circularem iuxta distantiam secundum longitudinem, quam habet punctum initiatiuum à terminatiuo; ex quo patet, lineam giratiuam mixtam esse ex circulari, & recta, & circulos eam componentes se potius habere per modum spirarum, quam simplicis lineæ circularis, circuli ergo illi non sunt æqualis longitudinis circularis, & quamuis illa linea constet ex circularibus, tamen quia eius augmentum non procedit secundum circulum simplicem, sed per longitudinem ad instar spirarum, ideò augmentum semper fit per partes minores & minores; quare tandem longitudo lineæ tanta est, quanta longitudo columnæ constituta ex partibus proportionalibus secundùm longitudinem sumptis.

Secundò objicitur. Tum quia infinitum est ens reale, nam definitur 3. Phys. 63. ponitur proprium quantitatis 1. Phys. 32. & quantitas ipsa ita definitur, vt si daretur infinitum; in eius prædicamento poni deberet, vt docet Doct. 1. d. 8. qu. 3. Tum 2. quia infinitudo non repugnat enti, vt ens est, cum detur primum ens infinitum, nec enti creato, vt creatum est, quia posset esse infinitum in quantitate, quod non esset in finitum in essentia, nec quantitate, vt quatitas est, quia ponitur eius affectio. Tum 3. potentia Dei est infinita producat ergo magnitudinem, quantam potest, vel illa est finita, vel infinita; non primum, quia Deus potest supra quodcunque finitum, ergo secundum. Tum 4. potest Deus virgam digitalis latitudinis diuidere in partes proportionales, & vnam addere secundum eandem dimensionem, quo casu emergeret quantitas infinita constans partibus digitatibus infinitis secundum longitudinem. Tum 5. quia de facto mirabiliora efficit Deus in Sacram. Eucharistiæ, &c. in mysterio Incarnat. Natiu. & cæteris nostræ fidei arcanis, ergo &c.

68 Resp. ad 1. negando assumptum, nam ens reale dicitur per ordinem ad realem existentiam possibilem, vt docet Scot. 1. d. 36. qu. vnica, & 3. Phys. describit Philos. infinitum in potentia, non in actu, immo istud reijcit, vt prorsus impossibile, solet etiam considerari, & describi ipsum infinitum in actu, sicut considerantur, & describuntur chimera, hircocerus, & alia entia fictitia, vt hinc appareat, an talis natura sit possibilis; & quando Philos. posuit infinitatem quantitatis passionem, loquebatur de infinitate potentiali, seu syncateg. vt monet Doct. 2. Met. qu. 6. & Canon. cit. & falsum est, quantitatem definiri, ita vt eius definitio possit etiam infinito competere; describitur enim vel per habere partes extra partes, vel per esse diuisibilem, quæ duo repugnant quantitati infinitæ, vt patet ex dictis, si tamen daretur, ait Doct. in prædicamento quanti reponi deberet, quia maiorem haberet cum eo affinitatem, quàm cum alijs. Ad 2. patet per idem, rationem infiniti verè destruere rationem quantitatis, quod, & si à priori pro statu isto demonstrari non possit, manifestè tamen ostenditur à posteriori. Ad 3. sæpè dictum est, obiectum omnipotentiæ Dei non esse quidpiam certum, & determinatum, vt possit simul accipi, & vna productione prduci, sed sicut suaptè natura indeterminatum est, & confusum, ita successiuè solùm produci potest, in quo imitatur naturam successiuorum; immo ratio quidditatiua infiniti syncategor. quale est obiectum omnipotentiæ Dei, in successione consistit, vt Canon. citat. Ad 4. sicut Deus diuidere nequit continuum latitudinis digitalis secundum omnes suas partes simul sed successiuè tantum, ita nequit vnam alteri vnire ad constituendum corpus infinitæ longitudinis, nisi successiuè. Ad 5. negatur assumptum, tum quia vt patet ex dictis, longè mirabilia sunt, quæ ex infinito actuali sequuntur, quàm ex mysterio Eucharist. & cæteris, tum quia prædicta fidei mysteria licèt sint difficilia, non tamen implicant, vt à Theologis demonstratur, qui eriam satis, superque soluunt argumenta in oppositum; tum quia hæc omnia sunt nobis reuelata, at nihil de infinito, & sine reuelatione diuina nihil est asserendum, quod captum rationis excedat.

69 Tertio è contra probat Aurel. cit. non posse dari magnitudinem infinitam etiam syncategorematicè, quia ex 3. Phys. 69. in quantitate molis quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu, vbi Comment. ait, omnes potentias, quæ sunt in maioratione quantitatis, esse vnius potentiæ determinatæ, hoc est, esse vnam potentiam ad supremum actum, in quo continentur omnes actus, ad quos sunt istæ multæ potentiæ. Dum 2. quia omnis quantitas, ergo habet determinatum terminum. Tum 3. Deus videt omne factibile, ergo si omni quantitate data potest fieri maior, videt infinitam, quæ est maior omnibus, quod est falsum. Tum 4. quia quantacunque magnitudo permanens, potest à Deo fieri successiuè, potest fieri simul, sed nulla magnitudo infinita potest simul fieri, ergo nec successiuè. Tum 5. quia omnium natura constantium determinata est ratio magnitudinis, & augmenti 2. de Anima 41.

Resp. ad 1. dictum illud Philosophi intelligendum esse de quacunque multitudine, vel magnitudine signabili, & determinata, nulla enim talis in permanentibus est in potentia, quæ non possit fieri actu simul, & vnica factione, falsum tamen est de omni magnitudine, & magnitudine absolutè possibili, cum enim hæc sit quid incertum, & indeterminatum, non vnica factione, sed pluribus, & pluribus produci potest; exactè tamen huic argumento satisfaciemus, qu. seq. quia est vna ex illis rationibus, quibus Doct. probauit in 3. d. 13. qu. 1. maximum in qualitatibus, vbi aduertit dictum illud Philosophi, & Comment. quantum contingit esse in potentia, &c. ex falso fundamento procedere, quia putauerunt non esse dabilem maiorem quantitatem Cœlo, & nullum quantum augmentari posse, nisi per additionem quanti præexistentis, quod secundum Theologos falsum est, quia Deus potest maiorare quantum sine additione quanti præexistentis per creationem; vnde doct. ibidem non videtur tenere hoc dictum quantum ad quantitatem molis. Ad 2. verum est, quantitatem semper sub tantitate existere, idest sub termino aliquo, nam quantitas à parte rei non existit, nisi determinata, tamen secundum se non exigit esse sub aliquo termino, nisi vagè, & ideò potest esse maior, & minor. Ad 3. videt vtique Deus omni quantitate facta posse maiorem fieri, sed non omni factibili, nam tunc foret implicantia in adiecto, at non videt aliquam maiorem omni alia, quia nulla talis est dabilis. Ad 4. dicitur, vt ad primum, maiorem valere de quacunque magnitudine signabili, vel determinata, sed non quacunque absolutè possibili, & confusè. Ad 5. Arist. ibi loquitur de corporibus animatis, vt notat Doct. 2. d. 2. q. 9. & loquitur in ordine ad potentiam naturalem, non verò supernaturalem.

QVÆSTIO V.

An dari possit Infinitum in intensione categorematicum, vel saltim syncategorematicum.

70 TRia quoque sunt in hac quæst. auctorum placita, duo extrema, & tertium medium; quidam enim admiserunt, infinitum in qualitate esse vtroque modo possibile, ita Nominales omnes loc. cit. & sequitur Hurt. Alij ex opposito negant vtrunque, vt Henr. quol. 5. q. 22. Aureol. 1. d. 17. p. 3. q. 1. art. 3. D. Bonau. 1. d. 17. art. 2. qu. 4. Scot. in 3. d. 13. qu. 1. loquens de gratia Christi, & sequuntur Scotistæ ferè omnes eo loco, Rada tom. 1. Controu. 19. Smisinch. tract. 3. disp. 7. q. 5. num. 78. Fuent. & Vulpes loc. cit. licèt inter istos auctores aliquod sit discrimen, nam hunc terminum intensionis aliqui auspicantur ex parte formarum, quæ suaptè natura possunt determinatum gradum versùs maximum; aliqui verò sumunt non ex parte formarum, sed parte subiecti, quod est finitæ, & determinatæ capacitatis, vnde forma extra subiectum posset in infinitum intendi, ita Bassol. 1. dist. 17. q. 3. Communis tandem sententia est media, negans, etiam de potentia Dei absoluta infinitum categor. in qualitate esse possibile, & affirmans esse possibile syncateg. ita D. Thom. 2. 2. q. 24. art. 7. vbi omnes eius discipuli excepto Caiet. contendente 3. p. qu. 7. art. 9. 10. & 12. D. Thom. admittere summum in qualitatibus, & terminum intrinsecum etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam; ex Scotistis inclinat Canon. 3. Phys. q. 3. Tatar. 1. Phys. q. 4. not. 4. Sghemma 1. Phys. digress. 3. qu. 5. Cauel. cit. probabilem magis putat, & defendit Herrera 1. d. 15. q. 6.

ARTICVLVS I.

Non posse dari in qualitate Infinitum categorematicum.

71 DIcendum est cum communi quo ad 1. quæsiti partem, nec naturaliter, nec supernaturaliter posse dari qualitatem infinitam in intensione, siue sit naturalis, siue supernaturalis ita communis, tenent Canon. et Sampson. loc. cit. cum cæteris Scotistis, nec dissentiunt Thomistæ, quorum plurimi, vt Complut. cit. qu. 4. probant hanc conclus. ex finita capacitate subiecti, nam si dantur infinitum accidens, dari quoque deberet infinita substantia talis accidentis susceptiua. Sed si hæc ratio valeret, probaret etiam, qualitatem non posse fieri in suo subiecto semper maiorem, & maiorem, quod tamen est contra eosdem Thomistas, nam ad talem intensionem syncathegorematicè infiniram proportionata capacitas requiritur ex parte subiecti.

In qualitatibus igitur naturalibus solet probari Concl. quia si daretur lapis concauo Orbis lunæ cum infinita grauitate, deberet in instanti descendere, vt docuit Arist. 1. Cœli text. 51. & 52. quo enim grauitas est intensior, eo motus celerior, sed motus localis in instanti repugnat, vt disp. 15. dicemus, ergo, &c. Ex quo infertur, nullam aliam qualitatem infinitam esse possibilem, cum enim quælibet ferè sit actiua, posset quæcunque suum effectum in instanti ponere, vt calor infinitus posset transferre corpus frigidum à frigiditate in calorem summum in instanti, arguit Canon. cit. & sic de alijs. Greg. 1. d. 43. qu. 4. ad 2. totum gratis concedit etiam motum instantaneum localem; quæ responsio nulli est accepta; & ideò ait Hurtad. lapidem illum nunquam descensurum cum tota, atque infinita velocitate, sed posse cum maiori semper, & maiori, atque in breuiori, & breuiori tempore, sicut omnes, qui negant possibilitatem infiniti in rebus creatis, fatentur adhuc, Dei potentiam esse infinitam, ideoque dicunt, Deum posse maiorem semper, ac maiorem effectum producere, nunquam tamen actu infinitum ob quam solut. Auersa, etsi nobiscum in conclus. conueniat, renuit tamen hanc communem antiquorum rationem veluti inutilem.

72 At sine causa antiquos spernit Auersa, non enim solutio data rationem eneruat, quia lapis infinitè grauis esset causa naturalis, quæ necessariò operari deberet iuxta totam virtutem suam, nec haberet vnde determinaretur ad tantam, & non maiorem velocitatem vt descenderet in tanto, & non minori tempore, non ergo est eadem ratio de diuina potentia, & virtute motiua istius lapidis, Deus enim potest pro libito suum determinare effectum, sed lapis ille mouebitur iuxta impetum suæ virtuti possibilem, & in instanti, vel certè prorsus non moueretur. Hoc præuidentes auctores cit. dixerunt, lapidem illum debere determinari à Deo ad certam velocitatis mensuram; quod si ponatur casus, vt Deus nolit determinare, addit Auersa, quod lapis non descenderet, nec mirum esse debere, quia idem est, vt Deus nolit concurrere ad vllam motum lapidis illius, sine autem concursu diuino nulla operatio ab vlla causa creata perfici potest. Sed contra, quia in proposito quærimus, quid fieret de illo lapide supposito concursu generali Dei, qui finit causas secundas motus suos agere, & quid fieret ex natura rei nullo adhibito miraculo? non posset autem determinare Deus velocitatem grauitatis illius absque miraculo, & concursu speciali, & ita non sumus in casu; tum quia falsum est, hoc, quod est Deum nolle determinare grauitatis illius velocitatem esse idem, ac illi denegare concursum generalem; immo tunc verè non denegat, cum illam non determinat, sed finit lapidem moueri secundum totum impetum innatum; & è contra tunc verè concursum generalem denegaret, & miraculum adhiberet, quando illam determinare vellet. Tum denique dicere, quod in casu, quo Deus nolit velocitatem lapidis illius determinare, lapis non descenderet, est idem, ac dicere, quod lapis tanta præditus grauitate moueri non posse sine miraculo, vnde sicut ipsi derident, (& merito) qui præced. quæst. ponentes terminum intrinsecum in quantitate dicebant, ignem maximum non posse stuppam in eo coniectam comburere, quia maximus est, ita & ipsi nunc deridendi sunt, dum aiunt, lapidem infinitæ grauitatis, si Deus non determinat eius velocitatem, non descensurum, quia nimia præditus est grauitate, ratio igitur allata concludit, & neganda est potius infinita grauitas, ne præfata sequantur absurda.

73 In qualitatibus verò supernaturalibus solet probari Concl. quia alioquin dari posset lumen gloriæ infinitum, & visio beata infinita, quia data vtique comprehenderetur Deus ab intellectu creato, quod est impossibile. Resp. Hurt. cum Gregor. citat. illam infinitam visionem non proinde fore Dei comprehensione, quia licet in genere visionis, & cognitionis infinita foret, adhuc tamen diuinam perfectionem non adæquaret in essendo, quod exigitur comprehensio dici debeat, vel saltim quod ita adæquet diuinam cognoscibilitatem, vt illam penitus exhauriat, quod non faceret visio creata, & si intensiuè infinita quia Deus est infinities infinitus, & non semel tantum, vt foret illa visio.

Sed non satisfacit, tum quia apud omnes inconfessio est inter cognoscens, & cognoscibile non requiri adæquationem, seu proportionem naturæ, & in essendo, alioquin Deus nullo modo posset cognosci ab intellectu creato, etiam eleuato per habitum supernaturalem, sed sufficit adæquatio potentiæ, & obiecti, vt sicuti obiectum est infinitum in ratione cognoscibilis, ita potentia sit infinita in ratione cognoscentis, & cognitio in ratione cognitionis, his enim habitis per talem cognitione optimè exhauritur tota obiecti cognoscibilitas, & totaliter, atque ita comprehenditur, vt docet Scot. in 3. d.14. qu.2.F. Tum quia non dicitur Deus infinities infinitus, quia à parte rei sint in eo infinities infiniti gradus perfectionis distinctì, cùm sit simplicissimum, sed hoc intelligitur æquiualenter tantum, ergo visio semel infinita sufficeret ad comprehensionem Dei. Tum quia ex dictis non potest dari infinitum semel infinitum, quando infinitum consistit in latitudine graduum, ergo visio infinita esset infinities infinita. Tum quia ex Aug.ep.112. tunc res comprehenditur, cum nihil eius videntem latet, & ipsum penetrat secundum omnes gradus cognoscibilitatis eius, sed ita attingeretur Deus per talem visionem, videret enim omnia, quæ sunt in eo tam formaliter quàm virtualiter, quia videret Deum infinita claritate, & distinctione, vndè si aliquid Dei lateret, esset aliquo modo obscura, & confusa, atque adeò non infinita.

Istæ igitur rationes optimè concludunt, & in eo solùm deficientes notari possunt, quod vniuersaliter non probant, & ideò ratio generalis ad ostendendam repugnantiam intensionis infinitæ ex eo petenda est, vt benè notat Auersa, quòd infinita multitudo in actu repugnat, vt patet ex dictis, intensione autem infinita, infiniti necessario gradus forent assignandi, supponimus enim intensionem fieri non posse, nisi per additionem gradus ad gradum, & consistere in latitudine entitatiua qualitatis per multiplicationem, & coniunctionem plurium graduum, vt docet Scot.1.d.17.q.3. & nos demonstramus in lib. de Gen. qua facta suppositione, contra intensionem infinitam adduci possunt rationes omnes contra infinitum in multitudine, & extensione militantes; nam sicut in extensione infinita esse deberent tot palmi, quot semipalmi, tot cubiti, quot palmi, &c. Sic in intensione infinita tot essent gradus, quot semigradus, & sic de alijs portionibus qualitatis maioribus, & minoribus, & sicut in extensione infinita dari deberet vna magnitudo maior altera, si ab vna aliquid desumatur, sic ex duabus qualitatibus dari deberet vna magis intensa alia, &c.

74 In oppositum Obijcitur 1. ex Greg. quia si per horam Deus continuè augeret charitatem, sic tamen quòd in prima medietate totius horæ crearet charitatem tanti gradus, & in prima medietate sequentis medietatis crearet æqualem charitatem, & iterum in prima medietate residui crearet æqualem, & sic semper velocitaret suam actionem secundum quamlibet talium partium, in fine horæ haberetur infinita charitas, quia haberet infinitas partes æquales correspondentes infinitis proportionalibus horæ; idem conficit argumentum de instantibus initiatiuis cuiuslibet partis proportionalis horæ, si enim in quolibet crearet tantam charitatem, idem sequitur. Imò totum id naturaliter etiam videtur contingere posse, nam vt arguit Tatar.3. Phys.qu.2.dub.2. si calefaciens ponatur in medietate horę corrumpere medietatem frigoris in aqua, & generare duos v.g. gradus caloris, tunc sequitur, in alia medietate semihoræ motum esse duplò velociorem, quia ablata est medietas resistentiæ, atque adeò producentur duo alij gradus, & rursus in medietate illius partis erit motus duplò velocior ob ablatam resistentiam, & sic procedendo tandem in fine horæ erunt producti infiniti gradus, quia in qualibet medietate proportionali tantum caloris erit productum, quantum in prima medietate. Et constat de corpore luminoso, quòd si alicui medio approximetur, in quolibet instanti illius temporis producit in medio determinatam luminis partem, sicut produxit in primo instanti, non enim apparet maior ratio, cur potuerit in primo instanti producere determinatam luminis partem, & non in quolibet instanti approximationis.

75 Resp. satis patere ex dictis qu. præced. quomodo, & qua ratione impossibilis sit distributio, & partitio illa, quam Nominales sæpe facere solent, vt infinitum afirmant; & si Deus augeret charitatem cum partitione horæ à Greg. conficta per partes proportionales successiuè acceptas, vel augmentum illud nunquam inciperet, vel nunquam finiret, vt probari potest argumento Zenonis, & eadem ratione tanto magis negandum est, id posse naturaliter contingere, quia actiones agentium naturalium non fiunt cum ea determinatione partium proportionalium, sed æqualium, & dato eo casu, & ea partitione, adhuc negat Tatar. in qualibet medietate produci æquales gradus, quia calefaciens non calefacit nisi ratione contrarietatis; vnde dum agit in aquam totaliter calore priuatam, agit secundum totam actiuitatem, & quando est priuata solùm secundum medietatem, agit secundum medietatem virtutis, & sic deinceps, quare semper erit æqualis velocitas, & ideò in minori tempore non producet æquale, sed minus, & minus in infinitum, sicut tempus minoratur in infinitum; quæ responsio quantum valeat patet, ex dicendis de Reactione in libr. de Gener. quando enim calor. agit in frigidum vt octo, non quælibet pars frigoris resistit, sed tantum illa pars, cui immediatè applicatur calor, licet quando agit, agat secundum omnes partes, & ratio discriminis est; quia resistere actu est impedire, ne agens introducat formam in passum, ergo tantum secundum illam partem, & secundum illum gradum resistit passum, circa quam agens applicatur, & in quâ intendit producere formam; qua stante doctrina falsum esset, initio calefactionis magis aquam resistere, quam postea, prius per plures deinde per pauciores, semper enim resistit secundum illum gradum, qui proximè expellendus est, nam talis resistentia fit in genere causæ formalis. Ad illud autem de corpore luminoso negandum est assumptum, licet enim in primo instanti acquisita sit pars luminis determinata, tamen in instantibus postea approximationis, & intensionis luminis in illa parte medij, cui successiuè approximatur, non acquiritur pars luminis, sed indiuisibile continuatiuum, & ratio discriminis est, quia in primo instanti potest corpus luminosum producere determinatum lumen in medio, at non potest ipsum intendere, nisi approximetur, cum ergo approximatio sit conditio necessaria simpliciter ad intensionem luminis, sequitur, quod tunc solum intensio fiet, cum fit approximatio, agens autem non dicitur in instanti magis approximari, sed in tempore; sicut etiam motus localis non fit in instanti, sed in tempore, & hinc sequitur, in quolibet instanti approximationis non fieri partem aliquam luminis sed solum indiuisibile continuatiuum correspondens indiuisibilis approximationis.

76 Secundò ad idem moueri solet satis molesta difficultas à Theologis, dum loquuntur de circumstantia durationis in actibus humanis, potest enim homo in primo instanti vnius horæ mereri, & determinatum gradum meriti acquirere, quia meritum in primo instanti perfici potest, & potest actum suum per totam illam horam continuare; quo facto meritum erit infinitum in fine horæ, cum ibi sint infinita instantia. Ad hanc difficultatem variæ sunt responsiones, sed quantum sufficit ad præsens, neganda est sequela, actui enim in primo instanti respondet certum meritum, non ratione ipsius instantis, sed quia in eo ponitur primum substantia ipsius actus, qui tunc efficitur bonus ex obiecto, & aliis, vnde bonitatem, & meritum referre in illud instans est committere fallaciam non causæ, vt causæ, continuatio autem incipit tempore sequenti, quia est actio continuata supponens seipsam in priori, & ratione huius moræ augetur bonitas in actu, hoc autem augmentum non fit in instanti, sed successiuè, & per partes illius temporis crescit con proportione ad illas, ideoque per instantia non adduntur illi partes meriti, sed in eis continuatur meritum cum eadem proportione, quasi permutata esse indiuisibilia, & ideò etiam ex instantibus non consurgit infinitas, quia ex vi eorum non augetur meritum perseuerantiæ actus, sed terminatur, vel copulatur, prout ex partibus successiuis constat. Dices, eadem substantia producta in primo instanti conseruatur in reliquis, ego sicut illi productæ in primo instanti respondet certum meritum, cur non etiam vt conseruatæ in reliquis? Rspond. quia conseruatio indiuisibilis neque affert ipsam substantiam actus, neque aliquam moram. Dices ergo plus merebitur homo interrumpendo actum, & postea producendo alium similem, quam continuando priorem per totam horam. Respon. ex hoc capite plus vtique mereret, sed ex alio tempus medians inter vnum, & alium actum transit absque merito, & ideò quasi compensatio. Instabis adhuc, inter instans, & tempus non est proportio, ergo nec inter meritum primi instantis, & meritum continuationis, ideoque hoc excedet illud in infinitum. Respond. quod potest esse proportio in genere moris, quia primo instanti ponitur pars meriti correspondere, vel negatur consequentia, & ratio est, quia illud meritum, quod correspondet instanti, & tempori sequenti, non correspondet ipsis ex proprijs rationibus, sed ratione elicitionis, & conseruationis actus, & hac de causa potest esse proportio inter meritum primi instantis, & meritum sequentis.

77 Tertiò obijcitur. Tum quia Christus de facto habuit gratiam infinitam, iuxta illud Ioan.3. *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum Filio*, & ratio est, quia se extendit ad iustificandos infinitos homines, qua ratione Christi meritum ponitur infinitum; quod si finita, esset posset tantum crescere gratia alicuius creaturæ, vt pertingeret ad intensionem gratiæ Christi Domini. Tum 2. quia grauitas peccati est infinita, crescit enim ex infinita improportione inter creaturam offendentem & Deum offensum, & si aliquis occidere vellet omnes homines, non solùm existentes, sed etiam possibiles, haberet tale peccatum infinitam malitiam, nam velle occidere vnum, est alicuius malitiæ, velle occidere duos, est maioris, & sic deinceps, ergo &c. Tum 3. quia tota graduum latitudo in qualitatibus procedit in infinitum, ergo tota latitudo, quam Deus cognoscit vt possibilem, est infinita, quia infinitos complectitur gradus. Tum demum, sit subiectum palmare vniformiter calidum, vt vnam, si Deus auferat calorem ab vno semipalmo, & ponat in alio, erit ibi calor vt duo, & si Deus totum calorem reducat ad millesimam partem, fiet calor vt mille, & tandem cùm possit Deus totum calorem reducere ad solum punctum, tunc fiet caloris infinita intensio.

Resp. ad 1. fatentur omnes gratiam etiam Christi Domini in genere Physico esse finitam, dici tamen solet infinita, quatenus est gratia capitis, & dicitur fuisse illi collata sine mensura, quatenus tantam habuit gratiam, quantam omnes creaturæ

turæ præteritæ, præsentes, & futuræ nunquam habere poterunt ex lege ordinaria, & in hoc sensu gratia habitualis dicitur fuisse proportionata gratiæ vnionis; & nunc præscindendo à quæstione quomodo meritum Christi fuerit infinitum, quia merè Theologica est, pro nunc satis est, quòd neque apud illos, qui meritum Christi ponunt intrinsecè, & formaliter infinitum; ideò tale dicitur quia procedat à gratia secundum intensionem infinitam etiam operationes Christi etiam apud eos fuerunt finitæ secundum intensionem, & solùm infinitæ secundum meriti dignitatem, ad quam necessaria non erat infinita intensio. Et verum est de potentia absoluta posse puram creaturam habere maiorem gratiam habitualem, quam Christus habuerit, attamen quo ad modum gratia Christi semper excedet quàmcunque gratiam possibilem haberi in pura creatura, tum quia hæc est gratia capitis, tum quia eam habet inamissibiliter, saltim proximè, quia non est purus viator, sed etiam comprehensor; tum quia Christus eam habet vt filius naturalis, & pura creatura haberet, vt adoptiuus, vt dicitur in materia de Incarnatione. Ad 2. iam dictum est supra quæst. 2. art. 1. infinitatem peccati non esse in genere Physico, sed morali, & non esse positiuam, sed negatiuam, quatenus in genere mali obtinet supremum gradum, & superioris rationis, intra quam infinitatem adhuc admitti debet latitudo, vt vnum esse possit grauius alio, & non omnia æqualia, sicut dixit Hæreticus Nouatianus, & dictum est crescere ex dignitate personæ infinitæ offensæ secundum proportionem, non verò ad æqualitatem. Sic etiam ex illa supputatione non infertur in actu volendi occidere infinitos homines, si essent, infinita malitia, nisi secundum quid idest summa, quanta haberi potest ex circumstantia quantitatis obiecti malitiam aggrauantis intra eandem speciem, nam ex tali circumstantia non potest dari actus peior, si cœtera sunt paria; simpliciter tamen & absolutè est finita malitia, quia adhuc augeri potest ex cœteris circumstantijs, infinito autem simpliciter repugnat addito in eo genere, in quo est infinitum.

78 Ad 3. valet consequentia de infinito syncategor. non autem categ. tota enim gratia possibilis non est vna determinata qualitas factibilis vnica factione, sed sunt plures, & plures in infinitum, quarum vna est intensior alia, & inter eas non videt vltimam possibilem, quia talis non datur, nec aliquam, quæ si actu infinita, sed tota latitudo gratiæ cognoscitur à Deo, vt in infinitum. Ad 4. quod censetur argumentum difficillimum, cuius pondere pressi multi diuerterunt ad æterogeneitatem graduum, negandus est casus, quia tunc auferri deberet à partibus qualitatis tota vnio extensiua, & conuerti in intensiuam; id autem aliud non est, vt benè notauit Auersa qu. 23. sect.7. in fine, nisi diuidere rem quantam in omnes sui partes, quod est impossibile, & ideò vtique posset Deus auferre vnionem extensiuam à pluribus, & pluribus partibus extensius qualitatis, eas in eadem parte subiecti collocando, & vnionem intensiuam tribuendo, non tamen ab omnibus partibus extensiuis auferre potest vnionem extensiuam, & simul tribuere intensiuam eas in puncto collocando, quia nequit diuidere continuum simul in omnes suas partes.

ARTICVLVS II.

Posse dari in qualitatibus Infinitum syncathegorematicum.

79 Dicendum est, quod licet qualitas respectu causarum naturalium habet summum gradum, & terminum intrinsecum suæ intensionis, tamen in ordine ad potentiam supernaturalem non habet certum terminum, sed potest intendi in infinitum, Conclus. est communis, & quamuis Doctor 3. distinct. 13. quæst. 1. videatur de gratia Christi oppositum tenuisse, id nos terrere non debet, hoc enim ibi non docuit, vt omninò certum, vt adnotauit P. Cauellus 2. Metaphys. quæst. 6. Scol. 1. quod colligit ex illis verbis Doct. *in commendando Christum, malo excedere, quam deficere*, & ex quo motiuo Scot. id afferuerit, dicemus infra; solet autem probari Concl. ex proportione extensionis in quantitate, & intensionis in qualitate, sicut enim quantitas respectu absolutæ potentiæ Dei nullum habet terminum intrinsecum, sed potest in infinitum augeri, ita pariter de qualitate dicendum in ordine ad intensionem, nulla enim ratio afferri potest de qualitate, quæ non etiam de quantitate conuincat, vt Tatar. ingenuè fatetur 1. Physicor. quæst. 4. not. 4. vbi proinde in nostram inclinat sententiam, & quidem hæc sola paritas aut omnino conuincere debet auctore 2. sententiæ, aut si hoc de qualitate defendunt, id ipsum de quantitate tueri debebunt etiam discreta, qua de causa Lychet. 3. distinction. 13. quest. 1. eodem modo loquitur de quantitate, & qualitate; sed quia de quantitate hoc defendi nequit sine magno labore, ideò Scotistæ communiter, & alij 3. sententiæ auctores hunc terminum præfigunt qualitatibus tantum, & varias disparitas rationes conantur afferre de quantiate, & qualitate.

80 Respondent igitur communiter, diuersam esse rationem intensionis, extensionis, quia intensio est perfectio magis intrinseca qualitati, quam extensio quantitati, & ideò in quantitate potest dari processus in infinitum, quia additio in quantitate est materialis, seu per multiplicationem plurium entitatum æqualis perfectionis, sed in qualitatibus additio graduum est formalis, quia fit per accessum maioris perfectionis, iuxta Aristot. documentum 3. Physicor.68. & 69. augmentum secundum materiam posse in infinitum procedere, non tamen secundum formam. Sed contra. Tum quia vtrobique augmentum fit per partes homogeneas, & quatum vna non est alia perfectior, nec aliam supponit ex natura rei, sed solum per accidens, & absolutè loquendo quælibet potest vniri cuilibet sine necessario ordine inter illas; tum quia Aristot. loc. citat. vt notat Doct. etiam augmentum secundum magnitudinem vocat additionem secundum formam, vnde inquit Lichet. quod ire ad formam, est ire ad perfectionem, quod contingit in augmento, vel secundum intensionem, vel secundum extensionem. Tum quia cum ait Philos. augmentum secundum formam non procedere in infinitum, loquitur in ordine ad potentiam naturalem, non supernaturalem. Tum tandem quia quando etiam processus in qualitate esset secundum formam, & in quantitate secundum materiam, non proinde processus syncatheg. in qualitate negari debebit, quia sicut in quantitate ex tali processu admisso secundum materiam non propterea deuenitur ad quantitatem infinitam in magnitudine, ita etiam admisso processu in qualitate, non propterea deueniemus ad qualitatem aliquam infinitè intensam.

81 Respondet Fuent. num. 17. gradus qualitatis esse ætherogeneos, & inæqualis perfectionis, vnde si daretur processus in infinitum, deueniretur ad gradum infinitè perfectum secundum entitatem; quia gradus superior semper continet perfectionem inferioris, partes autem quantitatis, cum non sint inæqualis perfectionis, facta quacunque additione, non augetur eius perfectio, nec pars de nouo aduenies continet perfectiones aliarum partium, & inquit, hoc esse fundamentum Doct. cum neget processum syncatheg. in qualitate, non in quantitate. Sed contra, tum quia falsum est, hoc esse Doct. fundamentum, nam vbique agnoscit gradus in qualitate homogeneos, non autem ætherogeneos, vt præsertim videre est 4. d. 13. qu. 3. & nos ex professo dicimus in lib. de Gen. disp. de Alterat. vnde doctrinam allatam non accepit Fuent. à Scoto, sed à Lorca in 3. part. disp. 43. & 2.2. disp. 19. tum quia etiam differentiæ indiuiduales secundum communem Scotistarum, sunt inæqualis perfectionis numericæ, & tamen multiplicari possunt in infinitum; tum quia etiam quando gradus essent ætherogenei non propterea superior contineret perfectionem inferioris formaliter, vel virtualiter, alioquin in aduentu illius recederet iste, sed tantum diceretur illum continere per excessum maioris perfectionis, & superioris ordinis, vt species superior continet inferiorem; tum denique, quia quando etiam superior contineret perfectionem inferioris formaliter, vel virtualiter, adhuc nunquam haberetur qualitas infinitæ perfectionis, quia nunquam aliqua contineret perfectiones infinitas, sed tantum finitas ei subordinatas, & de facto quantitas maior continet minorem, illamque necessariò supponit, siue discreta sit, siue continua, & tamen in vtraque processus in infinitum non negatur.

Resp. alij, præsertim in augmento charitatis non posse dari processum infinitum, quia cum charitas dicat perfectionem simpliciter, ac propterea sibi non repugnet infinitas, deueniretur tandem ad charitatem simpliciter infinitam, atque ita extra Deum esset aliqua perfectio simpliciter creata infinita. Sed vt bene notauit Bassol. cit. soluendo rationes, 2. op. falsum est, charitatem creatam dicere perfectionem simpliciter, sed si charitas talem dicit perfectionem, hoc non habet, nisi secundum rationem transcendentalem, qua conuenit cum charitate diuina, secundum quam non intenditur, vel remittitur, cum consistat in indiuisibili; & quando etiam charitas creata diceret perfectionem simpliciter, adhuc negandum esset, quod in tali processu deueniretur vnquam ad charitatem infinitam in intensione, hoc enim directè repugnat processus syncathegorematico.

82 Secundo Prob. quia ex triplici tantum capite potest poni hæc determinatio intensionis prouenire, vel ex parte formæ determinantis sibi certum limitem, quem transgredi nequit, vel ex parte agentis, cuius virtus limitata est ad introducendam formem in subiecto, vel tandem ex parte subiecti, quod maioris intensionis non est capax; sed non potest prouenire ex parte formæ, quamuis enim qualitates mediæ naturales videantur in intensione certum habere terminum, quia cum contineantur inter duo extrema per progressum in infinitum, facile in alterum extremorum transirent, vt viriditas in nigredinem, pallor in albedinem, cæteræ tamen qualitates nullum habent terminum ex natura sua, præsertim in ordine ad potentiam Dei absolutam, vt benè probat Bassol. cit. §. *His præmissis, &c.* tum quia nulla forma secundum suam speciem, quantum est ex natura sua, sibi potius determinat vltimum gradum possibilem in summo, quam in infimo, qua ratione Doct. 2. dist. 2. qu. 9. quibus formis negat etiam versus maximum: tum quia tale augmentum non ponit qualitatem extra limites creaturæ, tum quia non habet terminum quoad extensionem, possunt enim plures produci partes qualitatis extensiuæ, ergo neque terminum habebit quoad intensionem, nam parte extensiuæ euadunt intensiuæ, cum ponuntur in eadem parte subiecti. Nec respondere valet, posse in eadem parte subiecti augeri in gradu supremo, ita quod vnibilis non sit alteri.

Tum quia partes homogeneæ semper sunt vnibiles ad aliquod totum integrale constituendum. Tum quia vnibilitas est passio conueniens indiuiduis homogeneis, & eiusdē rationis, vnde si qualitas posset vnquam peruenire ad talem cōditionem, vt amitteret vnibilitatem cum ceteris indiuiduis eiusdem rationis à posteriori posset argui, quod tale indiuiduum mutatum fuisset in natura. Tum tandem, quia hæc est mera petitio principij, ratio enim cur non possit augeri, ponitur esse, quia est in termino, sed hoc est, quod impugnamus, non posse qualitatem sic terminari, quia cum alia qualitas eiusdem rationis sit creabilis, & hæc proinde illi vnibilis, signum est illam nunquam esse in termino.

83 Sed neque hæc determinatio formæ desumi potest ex parte agentis, quia cum hoc sit supernaturale, & infinitæ virtutis, poterit qualitatem semper augere. Nec demum sumi potest ex parte subiecti; tum quia cum subiectum talem intensionem recipiat per potentiam passiuam obedientialem, vt Scot. docet in 3.d.13 q.1.I. sicut hæc nullum intrinsecum terminum magnitudinis habet, ita per ipsam non determinatur subiectum ad tot gradus recipiendos, & non plures, sed determinatur tantum per terminum extrinsecum, quatenus per potentiam obedientialem finitum non habet capacitatem ad formam infinitam, quæ solum terminus extrinsecus ponitur in intensione formæ; vt ait Scot. sub L. Tum quia vt ait sub F. quando accidens est habens gradus, & conueniens subiecto, & non determinatur subiectum ad aliquem gradum certum habendum (quod potissimum ei conuenit in ordine ad potentiam supernaturalem) non videtur, quare non possit sibi quicunque gradus inesse; quia non inuenitur contradictio, & vbicunque non inuenitur contradictio, illud ponitur absolutè possibile. Nec satisfacit Smisinch. num. 80. dum ait, non per hoc velle Scot. quod subiectum sit ex se proportionatum ad quemcunque gradum formæ in infinitum, quia hoc negat in solut. ad 3. sed tantum quod capere potest quemcumque gradum intra latitudinem formæ finitæ possibilis. Non satisfacit, quia Doctor in solut. ad 3. limitat capacitatem subiecti solum per terminum extrinsecum, ait enim, *quia, Esi capacitas sit respectu cuiuscunque gradus in forma, non tamen capacitas alicuius finiti est ad formam infinitam*, ergo vult, subiectum, quantum est de se, esse capax cuiuscunque gradus formæ simpliciter, & absolutè, & non tantum intra certam latitudinem; tum tandem quia potentia passiua, vt sæpè dictum est ex Scot. 3. distinct. 14. quæst. 2. in fine, nullam à toto genere dicit perfectionem, quod ibi declarat exemplo materiæ primæ, quæ receptiua est infinitarum formarum, & tamen hæc tam ampla potencialitas in ea nullam ponit perfectionem, immo potius imperfectionem.

84 In oppositum occurrunt 1. tres rationes, quibus Doctor. loc. citat. probabiliter oppositum tenuit de gratia Christi. Prima est, quia si quacunque charitate finita potest perfectior fieri, sequitur tandem dari posse gratiam infinitam, quæ in ascendendo infinitè distabit à gratia determinata infima, & cum ipsa videatur ab intellectu diuino sicut vnum creabile, poterit vna creatione creari. Secunda ratio, quam fusè prosequitur Aureol. 1.d.44.qu. vn. fundatur in dicto Arist. 3. Phys. tex. 60. quantum contigit esse in potentia, tantum contingit esse in actu, ex quo sic arguit Doct. omnis vna potentia vnica factione potest reduci ad actum, quia vna potentia potest habere totum, quod adæquatè respicit, sed potentia ad augmentum in quibuscunque permanentibus est vna, ergo &c. Prob. minor, quia quæcunque potentiæ eiusdem res sunt ad actus partiales vnum actum totalem constituentes sunt partes vnius potentiæ demonstratæ, seu determinatæ, sed potentiæ ad augmentum in permanentibus sunt huiusmodi nam omnes actus partiales constituunt vnum totalem, gradus enim decimus cum præcedentibus vnam magnitudinem constituit, & sic centesimus, & millesimus, ergo vnus actus tantum totalis est, ad quem res augmentabilis est in potentia, atq. ita vnica actione haberi poterit; & ideò si in infinitum procedere potest tale augmentum per additiones partiales, poterit etiam totum illud in esse poni vnica factione totali. Et quia in continuo non est dabilis vna suprema diuisio omnes alias includens, hinc singulæ potentiæ partiales ad singulas diuisiones non sunt partes vnius potentiæ totalis ad vnicum actum totalem, nec ideò vnica factione sunt reducibiles ad actam, sed in infinitum diuisio procedit. Tertia ratio, quantamcunque charitatem Deus potest facere, tantam potest facere, subiectum includit prædicatum, ponatur ergo in esse, quod quantamcunq. potest creare, tantam creet, ergo non poterit vlterius maiorem creare, & per consequens non poterit facere maiorem in infinitum, aut illa creata erit infinita.

85 Resp. primam rationem non concludere, vt patet ex dictis q.2. quia vt ait Bassol. 1.d.36.quæst.3.art.3. hoc est de ratione processus in infinitum, quod nunquam attingatur infinitum in actu, nec est necesse, quamcunque assignabilem qualitatem versus maximum distare ab infima infinitè, vt de speciebus numerorum notauit Tromb. q. de Præc. Dei ar. 4. quia inter hanc, & illam semper erit distantia finita, vt potest declarari in numeris, & diuisione continui, vbi inter primam partem proportionalem assignatam, vt palmarem, & quamcumque aliam inde assignabilem minorem, & minorem semper est distantia finita, & semper vlterior progressus. Et si ratio concluderet, non solum in diuisione continui vim haberet de monstrandi, quod deueniri debeat ad partem minimam à prima proportionali infinitè distantem, sed etiam in omni quantitate tam discreta, quàm continua idem demonstrabit; nam supposita aliqua magnitudine, vel multitudine, quæri potest, an in ascendendo sit status ad supremam, & habetur propositum, & si non est status, tunc deueniendum erit ad multitudinem, vel magnitudinem infinitam: & quidem de quantitate continua permanenti concludit, quia hæc quantacunque sit, est vnica factione factibilis, concludit etiam de discreta, quia non potest cogitari certus indiuiduorum numerus, qui veluti vnum factibile simul, & semel à Deo produci non possit, sicut enim vnica creatione potest creare qualitatem, vt decem, vt centum, &c. ita vnica quasi creatione totali creare potest simul decem homines, centum, &c. & si vnica creatione facere potest omnem aquam possibilem, poterit consequenter vnica creatione creare totam illam multitudinem singularium aquarum, quæ ad constituendam illam magnitudinem concurrunt. Ex quo ruit responsio Smisinch. nu. 81. vbi ait, rationem Scoti non concludere statum in augmento numeri, & continui, quia in his non datur potentia determinata, nec sunt vnica actione factibilia. Hoc est prorsus voluntariè dictum. Tum quia, vt modo ostensum est, ita augmentum continui est vnica factione factibile, sicut augmentum qualitatis; tum quia ipse assumit ibi, quod omne factibile est determinata, quia nil fieri potest, nisi determinatum, ergo cum augmentum continui sit factibile, & etiam quilibet numerus, erunt hæc omnia in potentia determinata.

86 Ad 2. rationem, iam Doct. ipse concedit, dictum illud Philos. & Comment. quantum contingit esse in actu, &c. esse fallo fundamento procedere. Ad rationem igitur in se posset absolutè negari maior, quia potentia materiæ ad omnes formas est vnica, & tamen naturaliter non potest omnes recipere; potentia voluntatis ad voluntatis ad volendum, & nolendum est vnica, & tamen neq. supernaturaliter potest simul reduci ad actum perfectum, valet igitur maior de potentia indiuisibili, quæ adæquatur per actum indiuisibilem; at si potentia est indiuisibilis in se, sed ad actum diuisibilem ordinata, vel ipsa in se est diuisibilis, hæc non necessario habet actus simul sibi adæquatos, sedeo modo, quo ipsi esse possunt; talis autem est potentia, quam habet continuum ad diuidi, vel augeri, non enim est vnica potentia per simplicitatem; sed per integritatem ex pluribus partialibus, quarum esto quæcunque signatæ, vel signabiles possint simul reduci ad actum, nec vlla determinata repugnet alteri; tamen quibuscunque determinatis repugnant infinitæ indeterminatæ, & cum vna reducta, vel pluribus, necessario sunt aliæ infinitæ non reductæ cum tota intensio, vel extensio à Deo possibilis non sit quid certum, ac determinatum vt possit totum simul accipi, & ad actum reduci, sed indeterminatum, & confusum, sicut tota diuisio continui, vt diximus q.3.ad 1.

87 Sed dices, non valere partitatem, tum quia diuisiones continui non sunt partes vnius potentiæ totalis ad vnicum actum totalem, quia non est dabilis vna suprema alias includens, & ideò vnica factione non sunt reducibiles; tum quia in diuisione sunt plures potentiæ ad minoritatem; sed ad maioritatem est vna potentia, quia omnes illi gradus partiales ordinantur ad vnam intensionem totalem, quæ prius respicitur à Deo, quam partes; tum quia in augmento continui potentia prius respicit totum, quàm partes, & ideò est vna, quia partes ponuntur ad positionem totius, at in diuisione sunt plures potentiæ, quia diuisio respicit partes, non totum. Resp. quod licet in continuo non sit dabilis vna diuisio suprema cæteras includens, quia inter illas nullus est ordo, vbi in augmento magnitudinis cum reductione potentiæ ad centum, vel mille reducuntur etiam ad actum omnes potentiæ inferiores ad decem, viginti, &c. quia omnes istæ includuntur in illa; tamen ex alio capite adhuc tenet paritas, quod sicut omnis magnitudo, vel intensio possibilis, est vnica factione factibilis, & simul producibilis, distributiuè loquendo, ita quælibet multitudo diuisionum continui possibilis vnica diuisione quasi totali, & adæquata in vno instanti confici potest, sicut contingit in collisione vitri, quod simul in mille fagmenta diuiditur, & saltim in numeris valeret omnino paritas, quia in reductione potentiæ numeri maioris reducuntur potentiæ numerorum minorum Ad 2. tam potentia continui ad minoritatem per diuisionem, quam potentia ad maioritatem per additionem est vna vnitate tantum integritatis, nam vt tota magnitudo est in potentia ad minoritatem per detractionem minoris, & minoris partis, ita est in potentia ad maioritatem per additionem plurium, & plurium partium, & ideò vtrobiq. non est vna potentia per simplicitatem, sed vna totalis integrata ex pluribus, vndè neque à Deo videtur aliquà vna qualitas, in qua sint omnes gradus possibiles, quia gradus illi sunt finiti indeterminatè, & propterea inepti ad constituendam vnam certam totalem qualitatem. Ad 3. si valeret, concluderet idem de numero, & ideò cum totum integrale non distinguatur à partibus, sic etiam potentia ad hoc totum non est vna, nisi vnitate integritatis ex pluribus partialibus, quæ omnes simul ad actum reduci non possunt, licet nulla determinata repugnet alteri.

88 Si autem hæc ratio Scoti intelligatur, vt explicat Smisinch. quod loquitur de eo, quod est potentia determinata, tunc vtique verissimum est, quod quantum contingit esse in potentia determinata, tantum contingit simul esse in actu, & quod omnis potentia est vnica

vnica actione totali reducibilis, & quicunque talis actus est vnicum factibile, sed omne à Deo factibile non est in potentia sic determinata, vt totum simul dici possit, quia obiectum omnipotentiæ Dei est infinitum syncathegorematicum, quod essentialiter includit aliquam indeterminationem, & actum potentiæ per mixtum, vt explicat Arist. 3. Phys. 5. vbi proinde negat habere rationem totius. Sed instat Smisinch. quod omne factibile est in potentia determinata, quia non nisi determinatum quid fieri potest, ergo totum id, quod potest à Deo fieri determinatum erit. Respond. hoc etiam argumentum æquè concludere de numero, & diuisionibus continui, quod in infinitum abire non poterunt, quia omnis multitudo est à Deo factibilis, atque adeò determinata; & ideò dicendum, obiectum omnipotentiæ Dei, quod est omne factibile, dupliciter posse considerari, remotè, & proximè; primo modo est omne finitum indeterminatum, seu finitum in infinitum correspondens potentiæ Dei indeterminatæ, secundo modo est omne finitum correspondens potentiæ Dei determinatæ, quod tunc fit, cum diuina voluntas seipsam determinat ad producendum centum, mille, &c.

89 Ad 3. rationem Doctor ipse concedit non concludere gratia formæ, sed esse fallaciam consequentis, sicut si diceretur si tu potes currere, potest moueri, ergo si potes currere, moueris, illa de possibili non debet sic poni in esse, quia antecedens est necessarium, cum illa conditionalis sit necessaria, sed non consequens, & licet potentia sequatur ad potentiam in antecedenti, non tamen actus consequentis sequitur ad illam potentiam, & ideò debet sic poni in esse, si tu curris, vt moueris, ponendo simul antecedens, & consequens, ita Scot. in Reportatis. Ait igitur argum. [illegible] tenere tantum gratia materiæ, quatenus in permanentibus, quantumcunq. procedatur, summum possibile est ita factibile vnica factione, sicut quodcunq. aliud, & concludit, duas vltimas rationes habere euidentiam ex prima, & quidem admisso semel, quod ait in prima ratione, dari isto processu primum, & supremum, omnes istæ rationes concluderent, & hæc vltima præsertim euidentissima foret, quia quitquid posset facere ex hypothesi vnica factione foret factibile collectiuè loquendo. Sed tale supremum non est dabile, nec per consequens ab intellectu diuino videtur, & ratio est inculcata sæpius, quia tota collectio rerum à Deo producibilium non est determinata, sed indeterminata, & confusa, vt collectio diuisionum continui. Ad formam argumenti distinguendum est assumptum, vel ly *quantamcumque* supponit distributiuè, & in sensu diuiso, vt sensus sit, quod determinatè, & sigillatim loquendo de hac, & illa potest facere simul quamcunque maximam charitatem, vel magnitudinem, aut multitudinem, & sic veram est antecedens, sed negat. Conseq. quia hac data quantumuis maxima potest aliam creare maiorem, vel supponit collectiuè, vt sensus sit, Deum posse facere simul vnica factione quamcunque magnitudinem, vel multitudinem, quam potest facere disiunctim, ita vt nihil supersit producendum, & sic antecedens contradictionem inuoluit, quia ly *quantamcumque* in hoc sensu supponit determinatè, quasi totum, quod Deus facere potest, sit certum quid, & determinatum, quod nullo modo concedi debet.

90 Dices, cum ergo istæ rationes sint solubiles, & præsertim prima, ex qua aliæ duæ procedunt, vnde Maior. 3. d. 13. q. 2. ad 1. miratur, quod vir tam acri ingenio simili ratione sit confisus, cum ipse inter corpora admittat posse dari maiora, & maiora in infinitum, & tamen nullum ibi videretur esse maximum, quare illis permotus tantus Doctor admisit terminum intrinsecum in qualitate quoad intensionem seipsum conijciendo in angustias id quoq. defendendi de quantitate tam discreta, quàm continua in permanentibus? Respond. Scotum ad hoc probabiliter tenendum non tam fuisse motum illis rationibus, quas etiam ipse solubiles vidit, quam ex deuotione, & reuerentia erga Christum Dominum, vt ipse potestatur ibi sub H. illis deuotissimis verbis *in commendando Christum, malo excedere; quam deficere à laude sibi debita, si propter ignorantiam opportet in alteram incidere*, sicut ergo Scotus omnes Doctor. excessit in laudibus, & attributis animæ Christi, vt patet ex illis distin. 13. & 14. vbi præter communem ei tribuit, quod per intellectum videat, quæcunque Verbum videt, & quod per voluntatem summè fruatur, ita etiam in hoc excedere voluit, vt inde concluderet, summam gratiam possibilem fuisse illi collatam; & certè in hoc voluit intellectum illum subtilissimum captiuare in obsequium Christi iuxta præceptum Apostoli; vnde cessare debet admiratio Maioris, quod vir tam acri ingenio hoc asseruerit, nam Doctor protestatur apertis verbis ob Christi reuerentiam se potius notam ignorantis incurrere velle, quam indeuoti, qui solus punctus deberet tanti Doct. obtrectatoribus ora obstruere. Adhuc tamen nos oppositum tenentes à reuerentia Christi non deficimus, nec Franciscanæ deuotioni erga Christum Dominum derogamus, quia licet dicamus, de potentia absoluta potuisse Christum, immo & quamcunque aliam puram creaturam maiorem recipere gratiam, tamen quoad modum, quo Christo data fuit, non est possibilis haderi à pura creatura, vt art. præc. dictum est, immo etiam Scoti viam sectantes hanc difficultatem euitare non possumus, quia licet ea via defendatur, Christum habuisse summam gratiam absolutè, tamen quia eam ponit Doctor summam negatiuè solum, & quod Deus potuit creare æqualem, & alteri creaturæ tribuere, adhuc eadem recurrit difficultas, quæ commodius dissoluì non potest, quàm præfato modo.

91 Secundò, obijcitur ex Smisinch. & alijs probando in primis id repugnare ex parte formæ; quia intensio est perfectio intrinseca essentiæ qualitatis, quia est modus essendi eiusdem qualitatis, excedere non potest potentiam, quæ est in essentia ad illam perfectionem, quia actus, & potentia debent proportionari, sed potentia, & capacitas, quam habet qualitas ad intensionem, finita est, sicut essentia ipsa qualitatis, ergo, &c. Deinde eadem ratione probatur repugnare etiam est parte subiecti, quia omni potentiæ receptiuæ ob eius limitationem respondet actus formalis determinatæ perfectionis specificæ, ita vt nequeat perfectiorem recipere, ergo eidem pontentiæ respondere debet actus formalis determinatæ perfectionis gradualis, vt perfectionem gradum recipere nequeat, Consequentia patet, Prob. antec. nam hac ratione quantitas non est capax formæ substantialis, nec substantia spiritu lis est capax quantitatis, quia nimirum hæc subiecta sunt essentialiter limitata ad certas formas; sic etiam natura intellectualis non est capax perfectioris vnionis substantialis, quàm sit hypostatica vnio, nec perfectioris accidentis, quam sit gratia, & gloria, nec materia prima est capax perfectioris formæ substantialis, quam sit anima intellectiua.

Nec respondere velet, qualitatem esse capacem maioris, & maioris intensionis, & subiectum similiter maioris, & maioris qualitatis per potentiam, non quidem naturalem, sed obedientialem, quæ nullum habet terminum intrinsecum. Non valet, tum quia intensio est perfectio naturalis essentiæ qualitatis, atque adeò respicit capacitatem eius naturalem; tum quia si forma ex sua natura petit determinatam intensionem, idem quoque erit in ordine ad potentiam Dei, quia Deus rerum naturas immutare nequit, quod enim naturæ debetur, est essentiale; tum quia si potentia obedientialis, per quam subiectum ab agente supernaturali recipit qualitatem, termino intrinseco caret, sequitur hanc capacitatem fore infinitæ perfectionis cathegorematicæ, & in actu, quia posse recipere formam alicuius intensionis est aliqua perfectio, posse recipere formam magis intensam erit maior perfectio, ergo capacitas reddens subiectum aptum ad recipiendam formam magis, & magis intensam sine termino reddet ipsum perfectum sine termino, & talis infinita perfectio erit actualis, quia eam habet in se subiectum à principio, cum capacitas subiecti non augeatur ex receptione formæ, vt docet Scot. 4. dist. 13. quæst. 1.

92 Respond. argumentum non magis vrgere in intensione, quam in extensione, vt de se patet, quare cum diuersi gradus intensionis non sint, nisi diuersæ perfectiones indiuiduales eiusdem qualitatis specificæ, sicut capacitas naturæ specificæ non est ad tot differentias indiuiduales determinata, quin possit semper sub pluribus, & pluribus in infinitum, ita nec capacitas essentiæ qualitatis ex se determinata erit ad tot gradus in ordine ad potentiam Dei absolutam, & ex hoc nulla sequitur infinitas in essentia qualitatis; tum quia talis potentia ad plures gradus non est vna, sed plures, quot sunt partes entitatiuæ qualitatis, quæ possunt intensionem suscipere, vnde non est vna, nisi per integritatem; tum quia quando etiam esset vna, nullam affert perfectionem, quia est potentia passiua potius, quam actiua; tum quia omnes perfectione graduales sunt inferioris rationis respectu essentiæ, & ideò quantumuis multiplicentur nequeunt perfectionem attingere.

Ad alteram ex parte subiecti negatur assumptum, quia potentia materiæ est indeterminata ad plures specie formas in infinitum. Ad probat. dicimus, exempla illa demonstrare solum quod cætera subiecta determinata sunt ad certum genus formarum, tamen intra latitudinem illius generis possunt finitas recipere in infinitum, vt quantitas infinitas figura; & substantia spiritualis infinita accidentia eiusdem generis, & sic quoq. erit in proposito, quod licet albedo intendi nequeat per gradus nigredinis, quia sunt extra latitudinem suæ capacitatis, potest tamen per varios albedinis gradus intendi in infinitum. Ad exempla verò illa de vnione hypostatica, gratia, & gloria patet ex dictis q. 2. art. 2.

Benè etiam dicitur qualitatem esse intensionis infinitæ syncatheg. capacem per potentiam obedientialem potius, quam naturalem, non quia potentia obedientialis sit distincta entitatiuè naturali, & per naturalem petat terminum intrinsecum, & per obedientialem illo careat, quia potentia obedientialis est eadem entitas cum naturali, & solum distinguitur ab eo per ordinem ad diuersa agentia vt sup. dictum est disp. 7. q. 6. art. 5. qualitatis igitur ex natura sua nullum terminum petit determinatè, sed tantum vagè, sicut quantitas exigit figuram, & illum habet, quem ei determinat agens, & quia agens naturale non potest eam perficere nisi intra latitudinem finitæ perfectionis, & singulæ formæ substantiales exigunt qualitates in determinato gradu, hinc dicimus qualitatem iuxta capacitatem naturalem, quæ attenditur penes causas naturales habere summum gradum per potentiam verò obediētialem, quæ attenditur penes agens supernaturale, potest adhuc habere plures, & plures. Ex quo patet, quomodo intensio dicatur perfectio naturalis essentiæ, nam quoad certos gradus dicitur ei connaturalis, & debita ex naturali rerum constitutione, sed quoad cæteros possibiles dicitur naturalis non quia eos exigat positiuè, sed quia non habet ad eos repugnantiam, vnde vt ait Amicus, gradus illi non essent super-

supernaturales secundum substantiam, sed tantum quoad modum. Nec etiam sequitur talem potentiam obedientialem ponere in subiecto infinitam perfectionem, quia potentia obedientialis est eadem realiter cum naturali, & quando ipsam dicimus infinitam in potentia, & syncathegorematicè, hoc intelligendum est per denominationem quasi extrinsecam, quatenus eadem prorsus, & sine augmento finita permanens potest recipere à superioris agente perfectiorem formam in infinitum. Ex hoc verò nequit deduci, quod talis potentia sit infinita in actu, sed solum quod perfectius in infinitum possit actuari, & cum hæc actuatio semper finita sit, sed tendens in infinitum, potentiam obedientialem ex hac parte secundum quid solum, & syncathegorematicè infinitam denominabit, in quantum recepta quacunque intensione formæ potest maiorem adhuc recipere eo ferè modo, quo diuisio continui infinita vocatur in potentia.

93 Tertiò arguit Rada citat. intensio qualitatis est definita quoad minimum, ergo etiam quoad maximum, quia est eadem ratio finitatis hinc, & inde, probatur assumptum, tum quia si per motum diminutionis, & remissionis non esset deuenire ad infinitum gradum, in quo forma saluari posset, tunc actio calidi remittentis frigidum posset in infinitum procedere, nec vnquam compleretur; tum quia omnis res permanens, vt est qualitas, incipit per primum sui esse, quod esse non posset, nisi detur minimum, quod in instanti acquiratur, nam si non datur, posset minus, & minus acquiri, atque ideò successiuè per vltimum sui non esse. Deinde nullus motus alterationis, qualis est motus intensionis, potest esse infinitus ex 8. Physic. text. 62. & 94. tum quia tunc natura inciperet moueri ad id, quod non potest attingere; tum quia tunc esset aliquis motus sine termino ad quem, quod est impossibile, quia motus ab intrinseco petit terminum ad quem; tum quia omnis motus rectus est inter duos terminos. Tandem quod charitas nequeat augeri in infinitum, docuit Aug. in Enchirid. cap. 121. dicens, *Cupiditatem minui charitate crescente, donec veniat ad tantam magnitudinem, quæ maior esse non possit*: quod etiam probatur ratione, quia Deus non potest tantum à nobis diligi, quantum est à se diligibilis, sed à se non est diligibilis plusquam in infinitum, ergo actus nostræ dilectionis non potest in infinitum tendere.

Respond. ad 1. negando assumptum, ad primam probationem dicimus, illam non esse nouam difficultatem, sed esse difficultatem Zenonis, quæ superius soluta est; ad alteram licet res permanentes ex natura sua possint acquiri per primum esse, tamen vt motui subiacent, acquiruntur per accidens per vltimum non esse. Ad 2. negatur assumptum, & Aristot. loquebatur de alteratione in ordine ad causas naturales, quæ tendunt ad gradum determinatum, & in hoc ipsum distinguit à circulari. Ad primam probat. iam dictum est, per causam naturalem hunc motum fieri non posse. Ad secundam, quamuis esset absurdum, motum esse sine termino in hoc sensu, quod aliquid moueatur, & non in aliquid tendat, non tamen absurdum est dari posse motum sine termino in hoc sensu, quod per eum non acquirat mobile complere id, in quod mouetur; ad tertiam, motus rectus esse debet inter duos terminos à quo, & ad quem saltim secundo modo. Ad 3. Aug. loquitur de charitate viæ, & eam appellat maximam charitatem, quando quis ita Deum diligit, vt paratus sit pro eo sanguinem fundere, iuxta illud Ioan. 15. *Maiorem charitatem nemo habet, &c.* Vnde loquitur de perfectione charitatis in excellentia, non in intensione, quia possunt duo esse parati pro Christo mori, & tamen vnum intensius alio diligere, ad rationem negatur minor; diligit enim Deus seipsum infinitè, quòd est plus diligere, quam finitè in infinitum.

QVÆSTIO VI.

An saltim in mente Dei admittendum sit Infinitum in actu, & cathegorematicum.

94 FAmosa sententia est, & quasi communiter supposita, obiecta à Deo cognitatum possibilia, tum futura per totam æternitatem esse actu, & cathegorematicè infinita, licet enim à parte rei non sint possibilia, vel futura, nisi cum successione, & finita in infinitum, tamen quia in mente Dei simultatem habent in esse cognito, ideò, in tali esse obiectiuo constituunt in mente diuina infinitum cathegoremat. ita supponere videntur multi ex antiquis, & sequuntur Recentiores quamplures, Vasq. 1. part. disput. 63. capitul. 2. Nauarret 1. part. controuers. 52. Lorca 3. part. quæst. 10. disputatio. 48. Conimbr. Ruuius, Hurtad. Arriag. Murcia in Physicis, Bec. 1. part. sum. cap. 10. quæst. 13. Bassol. 1. dist. 35. quæst. 7. Faber, Vulpes, & Nolanus in suis tract. de Scientia Dei. Opposita sententia asserit Deum non cognoscere infinita in actu, & cathegorematicè, sed tantùm finita in infinitum, quatenus non tot possunt designari res à Deo cognitæ, quin plures sint adhuc, quæ in infinitum cognoscit, ita Maior 3. dist. 14. quæst. 3. Durand. 3. distinct. 39. q. 2. Almain. 1. d. 35. q. 1. & 3. d. 14. q. 1. Tromb. q. de Præscientia Fut. conting. Nicol. de Nis. tract. 1. p. 3. Port. 1. quæst. vnic. ad 8. Canon. expressè pluribus in locis 3. Physic. q. vlt. 3. Phys. q. 3. & 6. Phys. q. vn. quibus in locis negat, Deum cognoscere infinita in actu, sed tantum cognoscere ait finita in infinitum, & sequuntur Valen. 1. p. q. 14. p. 6. Auersa q. 24. sect. 9. in solut. ad 3. Amic. tract. 16. quæst. 6. dub. 5. licèt aliquo pacto alterum quoque probabilem putet.

95 Dicendum est consequenter ad superiùs dicta cum Scotistis cit. obiecta cognita non esse actu, & cathegorematicè infinita, sed tantum finita in infinitum. Et Prob. tum quia loquendum est de rebus in mente Dei, vt sunt possibiles à parte rei, quia res omnes cognoscit, sicuti sunt, ergo sicut extra nulla infinitas categ. rebus competere potest, ita nec in mente diuina, & sicut extra possibiles sunt finitæ in infinitum eodem modo cognoscuntur à Deo vt finitæ in infinitum, non autem actu infinitæ, quia nunquam verum est dicere, Deus infinita cognoscit, sed solùm non tot cognoscit possibilia, quin adhuc plura cognoscat, non cognoscit tantam magnitudinem possibilem, quin adhoc cognoscat maiorem. Tum quia si res successiuè possibiles infinitæ forent in intellectu diuino, tunc continuum esset obiectiuè diuisum in mente Dei, & sic sequitur à parte rei ex indiuisibilibus constare, quia Deus intelligeret partes non vlteriùs diuisibiles, vt fusè prosequitur Tromb. & Canon. citat. Tum denique, & hæc est præcipua ratio, quia omnes repugnantiæ alicuius momenti, quæ impugnant infinitum catheg. in esse reali, æquè impugnant etiam in esse obiectiuo, vt discurrenti patebit, & ratio est, quia implicantiæ, quæ sequuntur ex infinito, sequuntur ex ipsa ratione infinitatis, cuius constitutio implicatoria est, non autem ex rebus, in quibus statuatur, nam siue ponatur in rebus realibus, & actu existentibus siue in rebus possibilibus esse obiectiuum tantum habentibus, semper quærendum manebit, quot partes, vel vnitates sint in tali infinito, & an sint tot binarij, quot vnitates, & an totum mente conceptum sit maius sua parte, & an ei possit fieri additio, vel detractio per actum intellectus, qua ratione motus Hurt. & cum eo Arriag. vt consequenter loqueretur, quia admisit actualem infinitatem, & cathegorematicam rerum in esse obiectiuo, ideò eam quoque possibilem agnoscit in esse reali.

96 Neque quantum ad hoc vllum potest poni discrimen inter possibilia, & futura per totam æternitatem, vt sunt cogitationes Angelorum, & hominum, sicut arbitrantur aliqui, qui tales cogitationes nullo prorsus modo volunt agnoscere syncathegorematicè infinitas ea ratione ducti, quia cogitationes huiusmodi sunt aliquando futuræ. Hoc non obstat, quin etiam ipsæ sub ista futuritione syncathegorematicè infinitæ dici debeant; tum quia non aliter intelligit Deus futura, quàm sint in se futura, sed cognitiones Angelorum, & hominum, ita sunt futuræ per totam æternitatem, vt nunquam verum sit dicere, nunc positæ sunt in actu cogitationes infinitæ, sed potius semper erit verum dicere, non sunt tot, quin sint futuræ plures, cum ipsa quoque æternitas nullum sit habitura finem, ergo cum ista successione se tenente ex parte earum intelliguntur à Deo, & cùm sint futuræ in infinitum, non autem actu infinitæ, ita quoque cognoscentur à Deo; tum quia si ponantur categorematicè infinitæ, eadem semper incommoda recurrunt.

Resp. Ruuius 3. Physic. tract. 2. quæst. 2. cogitationes futuras posse in duplici statu considerari, vel quo ad existentiam realem, vel obiectiuam in cognitione diuina, & licèt in primo statu sint infinitæ in potentia, tamen in secundo sunt infinitæ in actu, quia omnes sunt præsentes in diuina cognitione, & nulla datur ibi futura. Sed Ruuius vim argumenti dissimulat; cum dicimus, Deum intelligere cogitationes illas, sicut futuræ sunt, & non aliter, planè nolumus intelligere, quòd Deus eas cum successione cognoscat, se tenente ex parte Dei, sed ex parte rei, & quia cum tali successione, & potentialitate intelliguntur, hinc inferimus, non efficere infinitum in mente diuina, quod amplius declarari potest exemplo diuisionum continui, quia non alia ratione cognoscit Deus cogitationes futuras, quàm cognosceret diuisiones futuras continui, si per totam æternitatem foret ab Angelo diuidendum, sed dato hoc casu nunquam cognosceret Deus diuisiones continui actu infinitas, & licèt omnes sibi præsentes forent, non tamen essent infinitæ in actu, alioquin continuum iam foret in mente diuina in indiuisibilia resolutum, ex quibus à parte rei demum constaret, sed semper forent finitæ in infinitum, & singulas attingeret Deus simul & semel, nunquam tamen vltimam, quia talis non datur, ergo eodem de facto cognoscit omnes futuras cogitationes.

97 Resp. Ruuius negando paritatem, & inquit, hanc esse differentiam valdè notandam inter cogitationes futuras, & diuisiones continui, quòd omnes, & singulæ cogitationes collectiuè, atque diuisiuè sumptæ sunt futuræ per totam æternitatem, ita vt in tota æternitate habituræ sint esse extra causas, sed diuisiones continui, etiam si à Deo fiant, non erunt omnes faciendæ, immò neque omnes futuræ per totam æternitatem collectiuè, sed tantum diuisiuè; & ratio huius est natura eiusdem continui, quod cùm non componatur ex indiuisibilibus implicat vnquam esse in omnes partes diuisum etiam per totam æternitatem; vndè sequitur nec verum esse, quòd omnes diuisiones collectiuè sumptæ sint præsentes diuinæ cognitioni, neque quòd omnes sint futuræ, sed tantum hoc verificari potest diuisiuè, cogitationes verò, cum sint inter se distinctæ, & nulla dependeat ex altera, non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè sumptæ futuræ sunt per totam æternitatem; ex quo non sequitur, quòd aliquando erit verum dicere, quod omnes sint positæ; quia tunc per totam æternitatem non multiplicarentur.

Sed

Sed frustra verborum copia conatur Ruuius euadere paritatem assumptam inter cogitationes, & diuisiones continui, quæ in hac re mirabiliter Aduersarios conuincit, sicut enim diuisiones continui non sunt possibiles omnes, vel omnes futuræ etiam per totam æternitatem, collectiuè, sed solum diuisiuè, ita etiam futuræ cogitationes, quod etiam concessit Ruuius, dum inquit, quod per totam æternitatem nunquam verum erit dicere, quod cogitationes futuræ fuerint omnes acceptæ, hoc enim idem est ac dicere, non esse futuras omnes per totam æternitatem, nisi diuisiuè, quatenus nunquam tot erunt, quin plures sint futuræ. Deinde ratio discriminis allata nulla est, quia & si in diuisionibus continui peculiaris natura illius impedit, quin omnes possint esse simul acceptæ, & collectiuè, adhuc tamen remanet ratio communis, pro diuisionibus, & cogitationibus, quæ ad ipsum impedit in vtrisque, & ea est, quia tam collectio diuisionum continui, quàm futurarum cogitationum important quid incertum, ac indeterminatum nunquam ad actum completum reducibile, & cum addit Ruuius, cogitationes, quia sunt inter se distinctæ, & nulla ex altera dependens, hac ratione non solùm diuisiuè, sed etiam collectiuè sumptas esse possibiles, & futuras, eadem ratione id ipsum asserere poterat, & debebat de diuisionibus continui, quia etiam istæ sunt inter se distinctæ & nulla dependet ex altera, non enim inter illas est ordo essentialis, vt aliqui putarunt, quòd vna essentialiter aliam præsupponat, quia in quolibet puncto signato, vel signabili potest vna diuisio exerceri independenter ab alia. Demum vt omnia argum. contra conclusionem obiecta clidantur sufficit nobis, vt Aduersarij dicant de diuisionibus continui in mente diuina, quod nos dicimus nedum de illis verùm etiam de cogitationibus futuris, cæterisque possibilibus, eodem enim modo, quo ipsi defendent, nullam continui diuisionem latere diuinam mentem; sed omnes actu esse illi præsentes, nec tamen in esse obiectiuo esse actu infinitas, sed finitas tantum in infinitum, eodem prorsus modo etiam nos id ipsum defendemus de futuris cogitationibus, cæterisque possibilibus.

98 Respond. Alij, per hæc, & similia argumenta probari tantum, Deum, vt cognitione directa attingit res in ordine ad existentiam realem possibilem, vel futuram, nullam attingere infinitatem categor. in eis, sed tantum syncateg. quia talem habent in ordine ad existentiam realem; sed si res considerentur, vt habent existentiam obiectiuam, & Deus vt quasi reflexè cognoscens creaturas sub tali esse obiectiuo, sic vtique cognoscit eas vt categorematicè infinitas, nam sicut per cognitionem directam in ordine ad existentiam realem eas cognoscit syncategorematicè infinitas, quia nequeunt habere simultaneam existentiam realem, ita è contra quia habent simultaneam obiectiuam, dicentur in tali esse categorematicè infinitæ, & vt sic cognoscentur à Deo quasi reflexè.

Sed contrà, tum quia rationes adductæ impugnant infinitatem actualem rerum etiam sub esse obiectiuo, & diuisiones continui præsertim nequeunt sic èsse infinitæ in diuina mente; tum quia existentia obiectiua nihil ponit in obiecto nisi denominationem quandam extrinsecam, ergo si multitudo rerum in se syncategor. est, non poterit simultanea existentia obiectiua illam variare, & categor. facere, sicut centum homines successiuè existentes, eo quod simul concipiantur, non plures euadunt, cognitio enim non variat quantitatem obiecti; tum quia vt patet ex dictis quæst. 1. art. 2. infinitum categor. & syncateg. non differunt tantum ex modo essendi simul; vel successiuè, actu, vel potentia, sed etiam in ipsa multitudine, ita quòd si per impossibile totum infinitum syncateg. poneretur in actu, adhuc differret à categor. & de illis contradictoria verificarentur, ergo si existentia realis simultanea infinitum syncategor. non faceret categor. tanto minus id faciet simultas existentiæ obiectiuæ: tum etiam tempus, quod est suaptè natura successiuum, etiam à Deo reflexè cognitum, vt stat sub simultanea existentia obiectiua, non ideo definit esse successiuum obiectum, ergo etiam in proposito infinitum syncateg. vt à Deo reflexè cognoscitur quo ad obiectiuam existentiam, adhuc erit syncategorematicum obiectum.

Respond. Amicus, vt probabilitatem ostendat oppositæ sententiæ, hæc argumenta probare tantum infinitatem categorematicam, quæ consequitur ad existentiam obiectiuam, non esse realem sed ab intellectu confictam. Sed contra. Tum quia ex dictis ita repugnat ista infinitas in entibus rationis, sicut realibus. Dum quia illa simultas obiectiua non infert necessariò talem infinitatem, vt patet de partibus continui. Tum quia illa simultas tota se tenet ex parte diuini intellectus, non ex parte obiectorum, quia verum est dicere, diuinum intellectum simul omnes creaturas possibiles cognoscere, sed non vt simul, ergo quando etiam simultas hæc inferret infinitatem categorematicam, adhuc tamen eam ponere nequit in creaturis cognitis, quia eas nullo modo afficit, etiam per denominationem extrinsecam, vt afficit diuina cognitio. Tum quia cùm talem infinitatem haberent creaturæ etiam nullo intellectu creato existente, planè talis infinitas rationis esset conficta ab intellectu diuino, quod repugnat.

99 In oppositum obijcitur 1. quia de ratione infiniti syncateg. est aliqua potentialitas, & successio quo ad existentiam, & ei potest fieri additio, at creaturæ in diuina mente quo ad existentiam obiectiuam nullam habent potentialitatem, aut successionem, & earum multitudini nulla potest fieri additio, alioquin Deus omnia possibilia non attingeret, ergo cum non sint numero finitæ; erunt infinitæ categorematicè, & hoc est vnicum fundamentum Aduers. Resp. Amic. cit. creaturas in mente diuina habere potentialitatem ad existentiam realem, & ait, simultatem existentiæ obiectiuæ non destruere potentialitatem necessariam ad infinitatem realem syntegor. qua ratione, inquit, etiam partes continui actu existentes esse infinitas syncategorematicè, quia licèt determinatæ quo ad existentiam, adhuc tamen sunt indeterminatæ quoad tantitatem: vnde concludit, infinitatem syncatheg. solum destrui posse per determinationem rerum quoad existentiam, & quoad determinationem perfectionis. Addit deinde, quod licet considerando infinitum syncatheg. secundum totam latitudinem, nihil extra illam remaneat, quod ei possit addi, tamen illud accipiendo secundum partes, semper restat aliquid extra, quod ei potest addi, & in hoc sensu multitudini creaturarum in mente diuina fieri potest additio, quatenus cuicunque finitæ distributiuè acceptæ semper plures, & plures possunt addi creaturæ adhuc Deo cognitæ.

Sed hæc resp. non satisfacit, tum quia non benè explicat potentialitatem, quæ necessaria est ad infinitum syncatheg. in vniuersum. Tum quia dicere, partes continui esse syncathegorematicè infinitas, quia non sunt determinatæ quoad tantitatem, est idem ac dicere, non esse cathegorematicè infinitas, quia licet sint distinctæ non tamen sunt diuisæ, quam resp. ipse sæpius reijcit, & rationabiliter, nam licet per eam saluetur, quod non detur multitudo infinita prædicamentalis, non tamen euitat transcendentalem, ad quam sufficit infinitarum rerum distinctio, & prorsus impertinens est diuisio, tum quia in proposito non est quæst. de Infinitate reali, sed solum obiectiua, & Aduers. vltro concedunt, multitudinem creaturarum in ordine ad realem existentiam esse syncathegorematicè infinitam, & vt talem à Deo directè cognosci, sed difficultas est de infinitate obiectiua, & de creaturis, vt terminant cognitionem Dei reflexam secundum existentiam obiectiuam; tum denique dum ait, infinito syncatheg. posse additionem fieri, si secundum partes accipiatur, non secundum totum; præter quamquod hoc etiam conuenit infinito catheg. non consequenter loquitur Amicus, quia superius per hoc distinxit infinitum syncatheg. à catheg. quod huic ea ratione, qua infinitum est, potest adhuc additio fieri, non illi, at si additionem non patitur, nisi secundum partes acceptum, hoc non est suspicere additionem; nisi vt finitum est.

100 Resp. igitur est ex dictis quæst. 1. art. 1. falsum esse, quod potentialitas necessaria ad infinitum syncathegor. sit ad existentiam realem, ita quod tota illa multitudo debeat esse in potentia ad existere, vel partim in actu, partim in potentia, & per hoc distinguatur ab infinito cathegorem. quia, & hoc potest esse in rebus mere potentialibus, & illud in rebus actualibus, vt diximus de partibus continui, potentialitas ergo quæ constituit infinitum syncathegor. vt sic, est indeterminatio illa accipiendi partem post partem, hic enim est modus proprius huius infinitatis, vt docet Scot. 1. d. 3. qu. 1. ad 3. vnde infinitas syncathegor. per hoc explicatur, quod eius partes non sunt tot, quin plures, ratio verò infinitatis cathegor. est, quod eius partes tot sint, quod nequeant esse plures, cum sint in maxima multitudine, vnde abstrahit ab illa indeterminatione potentialitas etiam, quæ infinitum syncatheg. distinguit à catheg. est capacitas illa, quam habet, vt possit adhuc augeri per maiorem, & maiorem accessum ad infinitatem actualem, quæ prorsus repugnat infinito catheg. cum id ponatur intrinsecè infinitatem attingere. Vnde vt ad alteram argumenti partem respondeamus, cum dicitur, multitudinem creaturarum in mente diuina obiectiuè existentium non posse additionem suscipere, & ideò non esse syncathegorematicè infinitam, fatemur talem repugnare additionem, sed talis repugnantia non oritur ex ratione intrinseca talis multitudinis, sed aliunde, quia nimirum creaturæ aliæ possibiles non sunt, vnde si aliqua entia impossibilia euaderent possibilia, posset illi multitudini fieri additio, at si illa multitudo poneretur cathegorematicè infinita, additio foret impossibilis ex vtroque capite, ex intrinseca scilicet ratione talis multitudinis, & ex impossibilitate ipsa aliorum entium.

Secundò obijcitur; tum quia res omnes possibiles, & cogitationes futuræ per tota æternitatem ita per cognitionem diuinam omnes accipiuntur, vt non remaneant aliæ cognoscendæ, ergo in esse cognitio non possunt dici syncathegorematicè infinitæ, Conseq. patet, quia sicut in essendo res dicuntur syncathegorematicè infinitæ, quia non tot existunt, quin possint existere plures, ita in cognosci res dicentur syncathegorematicè infinitæ, quando non tot cognoscuntur, quin plures cognosci queant. Tum 2. quia hac ratione Scot. probatur 1. d. 2. qu. 2. §. *Ostenso proposito, &c.* Deum intelligere infinita in actu, nam quæcunque sunt infinita ita in potentia, ita quod accipiendo alterum post alterum nullum possunt habere finem, illam omnia, si simul sunt in actu, sunt infinita in actu, sed intelligibilia infinita in potentia respectu nostri intellectus sunt simul intellecta à Diuino, ergo &c. Tum 3. infinitum cathegorem. quia consequitur rerum actualitatem, si sit in esse, explicatur per non esse tot quin actu sint plura, si in cognosci, explicatur per non tot cognosci, quin plura actu cognoscantur, ergo è contra, quia infinitum syncathegorem. attendit penes rerum potentialitatem, si sit in esse, explicatur per non esse tot, quin possint esse plura, si in cognosci, per non tot cognosci, quin plura cognosci queant, illud demum explicatur per propositio-

tiones de ineſſe, hoc per propoſitiones de poſſibili, ergo ex eo, quod Deus non tot cognoſcit, quin actu plura cognoſcat, deduci non poteſt, niſi quod infinita cognoſcat cathegorematica. Tum denique de cogitationibus præſertim nullo modo videtur aſſerri poſſe, quod ſint cathegorematicè infinitæ, quia cum attingantur ſcientia viſionis, quæ terminatur ad rem vt exiſtentem à parte rei, & cum omnis propoſitio de futuro ſit vera ratione alicuius propoſitionis veræ de præſenti, cum tota collectio cogitationum ſit futura, planè ſicut aliquando verum erit dicere de præſenti, cum tota collectio cogitationum habet exiſtentiam realem, ita nunc erit verum dicere, quod habeat exiſtentiã obiectiuã, & ſic erit infinita cathegorematicè.

101 Reſpon. hæc omnia argumenta ſicut etiam præcedens poſſe retorqueri adamuſſim de diuiſionibus continui, quare Aduerſ. nihil vnquam concludent, niſi etiam admittant diuiſiones continui eſſe cathegorematicè infinitas in intellectu diuino, itaut ſingulæ partes ſingulis diuiſionibus reſpondentes remaneant indiuiſibiles, & quod ipſi ad hæc argumenta dicent confecta de diuiſionibus continui, nos quoque ſtatim dicemus de multitudine creaturarum in diuina mente. Pro ſolutione igitur harum, & ſimilium rationum, valdè notandum eſt, quod docet Canon. lib. 2. Phyſ. qu. 4. & Tromb. quæſt. de præſcientia Dei, quod ſigna vniuerſalia, vt omnis, quilibet, poſſunt dupliciter teneri, collectiuè, & diuiſiuè, & quod collectiuè ſumpta non poſſunt in materia infiniti adhiberi ſine fallacia, quia collectio habet rationem finitionis, & ſupponit in rebus collectis determinationem, & complementum, quæ penitus infinito repugnant; diuiſiuè autem ſumpta poſſunt adhiberi, quia ſic ſupponunt pro aliqua finita multitudine, quo ſenſu dixit Philoſ. mundum ab æterno ponens, ante omne tempus fuiſſe tempus, & ante omnem diem fuiſſe diem, & ſenſus eſt, ante iſtud tempus fuiſſe tempus, ante iſtum diem fuiſſe diem, nam ſi ly *omne* ſumeretur collectiuè, eſſet manifeſta implicantia, quia extra omne tempus non eſt tempus, hoc ſtate. Ad 1. neg. aſſumptum, quia ly *omne* ſumitur collectiuè, verumtamen eſt in hoc ſenſu, quod diuiſiuè nulla poteſt ſignari multitudo, quæ Deo non ſit cognita, ſed quacunque aſſignata, remanet adhuc alia ſignanda Deo cognita, vt dicimus de Diuiſionibus Continui. Ad 2. locus ille Scoti iam explicatus eſt ex Tromb. qu. 1. art. 1. & illa ratio, niſi benè intelligatur, poteſt retorqueri contra diuiſiones continui; vnde etiam ly *omnia* debet ſumi diuiſiuè, quo ſenſu non concludit, niſi infinitatem ſyncatheg. adhuc tamen ratio Scoti ſic explicata probat intentum eius, ſcilicet infinitatem diuini intellectus, quia intellectus intelligens infinitum in potentia, non ſecundum modum ſuæ infinitatis, qui eſt accipiendo alterum poſt alterum, ſed totum ſimul, & ſemel percurrendo in infinitum, adhuc eſt infinitus, vt idem Scot. docet 1. diſt. 3. q. 2. H. vbi benè explicat, quomodo diuinus intellectus infinitum intelligat, vnde ratio allata debet intelligi iuxta ſenſum, quem poſtea docet d. 3. q. 2. ad 3. neq. de mente Scoti in hac re ſolliciti eſſe debemus, quia variè locutus eſt, vnde qu. 3. Prologi. Aa. dixit in mente diuina intelligibilia non eſſe actu infinita, quem fruſtra Scotiſtæ quidam de ſpeciebus explicare conantur.

102 Ad 3. neg. aſſumptum ex dictis q. 1. art. 1. vtrunq. eum infinitum poteſt explicari per propoſitiones de ineſſe, & de poſſibili; de ineſſe, ſi ſit in rebus actualibus; de poſſibili ſi ſit in poſſibilibus, nec per hoc diſtinguuntur infinitum cathegor. & ſyncathegor. ſed per hoc, quod de infinitis ſyncatheg. poteſt ſolum dici, quod non ſunt tot quin adhuc ſint plura, & poſſint eſſe plura, quantum eſt ex ratione multitudini, de infinitis verò cathegorematicis quod ſunt tot, quod nequeunt eſſe plura ex ratione ipſa multitudinis; ſic in propoſito res Deo cognitæ ſunt ſolum ſyncathegorematicè infinitæ, quia non ſunt tot res poſſibiles cognitæ, quin adhuc ſint plures, & poſſint etiam eſſe plures, quantum eſt ex ratione ipſa multitudinis, licet aliunde id repugnet, ex impoſſibilitate, ſcilicet aliarum creaturarum. Ad 4. neg. aſſumptum, & parum refert, quod cogitationes cadant ſub ſcientia viſionis, & non ſimplicis intelligentiæ, nam nec ſcientia viſionis tribuit futuris coexiſtentiam quandam realem cum æternitate, vt putant Thomiſtæ contra quos diſputat Doctor 1. diſt. 39. qu. 1. nec tribuit illis futuris, quæ pro tota æternitate debebunt exiſtere cum continua ſucceſſione, quòd de illis collectiuè ſumptis aliquando ſit verum dicere, quod tota eorum collectio habeatur, alioquin eorum ſucceſſio non duraret per totam æternitatem, aut æternitas aliquando finem haberet; ſed tantum diuiſiuè loquendo de hac, vel illa multitudine cogitationum futura; verum erit aliquando dicere, quòd eſt expleta, & elapſa, & ideò ſicut tota collectio erit ſyncategorematicè infinita per totam æternitatem in eſſe reali, talis etiam eſt modò in eſſe obiectiuo, quia à Deo cognoſcitur cum tota hac ſua potentialitate, quatenus eſſe poſſunt, & erunt plures, & plures cogitationes, nunquam tamen actu infinitæ.

DISPVTATIO VNDECIMA.

De Loco.

1 *QVamuis Ariſt. 4. Phyſ. cui hæc diſput. reſpondet, de ſolo corporum loco, quem circumſcriptiuum appellant, tractationem habeat, & hæc ſolum ſufficeret, ſi intra limites Philoſophiæ Ariſt. cui pro adæquato ſubiecto corpus naturale ſtatuimus, ſiſtere vellemus, quia tamen Philoſophiam etiam ſecundum totum ambitum ſuum, quo ſenſu habet pro ſubiecto adæquato ſubſtantiam finitam naturalem, tradere decreuimus, hinc conſequenter agendum hic eſt nedum de loco corporum, ſed etiam ſubſtantiarum immaterialium, quia hæ quoque dicuntur eſſe in loco, & locum ſibi vendicant, vt aiunt, diffinitiuum, & in hoc attributo eſſendi in loco cum rebus corporeis conueniunt abſtrahendo à circumſcriptiuo, & diffinitiuo, & ideò loco corporum, & ſpirituum promiſcuè hic agemus. Neque enim audiendi ſunt Recentiores quidam, qui vt hanc noſtram methodum condemnent, diſtinctionem Philoſophiæ ſecundum ſe conſideratæ, & prout fuit ab Ariſt. contexta, quam dedimus quæſt. proœm. reiiciunt, vt inutilem; aiuntque Angelos etiam, vt mobiles, ad Metaph. pertinere non ad Phyſicam; tum quia abſtrahunt omninò à materia phyſica; tum quia Phyſica de rebus ſolum materialibus agit, & in hoc ſecernitur à Metaph. Hæc enim omnia falſa ſunt, Metaphyſica ſiquidem de rebus immobilibus agit, vt docet Ariſt. 6. Met. tex. 3. & 2. Phyſ. 71. & 3. Phyſ. 8. vbi etiam per hoc, phyſicam diſtinguit à Metaph. quod illa res mobiles conſiderat, hæc verò res prorſus immobiles, non autem quia vna conſideret res materiales, & alia immateriales; immo remouit Ariſt. ſubſtantias ſeparatas à phyſica conſideratione, non quia ſint immateriales, ſed quia eas poſuit penitus immobiles; & ideò res omnes corporeas phyſicæ conſiderationi demandauit, quia has omnes poſuit mobiles, & cum motibilitate conuertibiles; Quando autem dici ſolet Phyſicum conſiderare res materiæ immerſas, & Metaphyſicum abſtractas; non vtique hoc debet intelligi de materia phyſica, ideſt de materia partis, tunc enim Cœlum non foret phyſicæ conſiderationis, cum ſit corpus ſimplex phyſicam excludens compoſitionem in ſententia Philoſophi, ſed intelligi debet de materia, quæ ſecundum locum mobilis eſt, de qua Ariſt. 8. Met. 12. quam habere dicuntur quæcunque motui poſſunt ſubiici, ſiue ſint materialia, ſiue immaterialia; quæ omnia fusè declarata ſunt præfata quæſt. proœm.*

QVÆSTIO I.

Quid ſit illud, quod dici ſolet locus, & cui conueniant munera loci.

VAriæ ſolent eſſe loci acceptiones, nam quandoque ſumitur metaphoricè, quo ſenſu Philoſ. 3. de Anim. tex. 6. mente appellauit locum formarum, ideſt ſpecierum intelligibilium, & Plato materiam primam locum formarum ſubſtantialium; quandoque pro loco artificiali, quo ſenſu vas vt amphora dicitur locus aquæ, & quodlibet corpus, quod continet aliud per modum vaſis, quia nempe cùm eo mouetur, dicitur locus eius, vt aqua locus nauis. Hic non loquimur de loco metaphoricè, ſed propriè dicto, qui ſcilicet ſit aliquid extrinſecum rei locatæ, & ab eo ſeparabile, neque de loco artificiali, ſed phyſico, qui nempè ita in ſe recipit, & continet locatum, vt non moueatur cum eo, ita enim loquitur de loco Philoſophus 4. Phyſ. & quia adhuc locus phyſicus duplex eſt, proprius cuiuſque corporis, & communis, quale eſt Cœlum reſpectu omnium inferiorum, ſermo eſt de proprio, non de communi, & etiam neque de proprio loqui intendimus, vt inuoluit qualitates conſeruatiuas, vel deſtructiuas rei locatæ, quo ſenſu diuiditur in naturalem, & violentum, ſed de eo præcisè ſumpto, vt ab omni abſtrahit qualitate, & dici ſolet locus mathematicè ſumptus, ita enim etiam de loco diſputat Philoſ. 4. Phyſ. vt notat Doct. 2. diſt. 2. q. 6. §. *Ad Quæſtion. &c.* & tandem quia adhuc locus Phyſicus ita ſumptus, poteſt ſumi materialiter, & formaliter ideſt vel pro ea re, quæ locus dicitur, vel pro ipſamet formalitate loci, quæ rem illam in ratione loci conſtituit; hic non quærimus de loco pro formali, quia nec ipſe Philoſ. de loco loquitur in hoc ſenſu 4. Phyſ. dum contra antiquoſ. diſputat, & in ſpatium ab eis pro loco poſitum acriter inuehitur, aſſerens eſſe potius ſuperficiem corporis continentis, nulla enim inter eos de hoc erat controuerſia, vt liquet ex tota illa diſputatione, omnes ſiquidem in hoc conueniebant, quòd formalitas loci conſiſtat in receptione, & continentia locati, ita conſtat ex text. 30. vbi ſic habetur, *accipiamus autem de ipſo, quæcunque videntur verè ſecundum ſe illi ineſſe*, & primum omnium ait eſſe ſtatim ipſam continentiam, *cenſemus igitur, locum eſſe primum quidem, quod continet locatum*; Quo igitur ad hoc nullum erat prorſus diſſidium inter antiquos Philoſophos, & Ariſt. ſed ſolùm erat controuerſia de re, cui talis continentia, & receptio conueniret, nam antiqui contendebant id eſſe interuallum inter latera corporis continentis incluſum, Ariſt. verò dicebat eſſe potius ipſam ſuperficiem concauam corporis continentis, quia corpus incluſum ab hac dicitur ambiri, & contineri, non autem à ſpatio, vel interuallo.

2 Ex quo conſequenter habemus, locum formaliter in reſpectu conſiſtere ad prædicamentum Vbi ſpectante, illa ſiquidem continentia, qua dicitur locus continere locatum, non eſt niſi reſpectus continentis ad contentum, quod Vbi actiuum appellatur, & quidem locus formaliter non videtur quod formaliter intelligi poſſit ſine ordine ad locatum, ita docet Scot. quol. 11. per totum. Sed adhuc dubium eſt, an hæc continentia, in qua formalitas loci conſiſtit, poni debeat actualis, vel aptitudinalis ſufficiat, & non eſt dubium de loco actuali, vel potentiali; de ratione enim loci actualis eſt continentia actualis. quia tunc actu locus eſt, cùm locatum eſt ab eo actu circumſcriptum, & locatum facit actu diſtare latera continentis, & pariter de ratione loci potentialis eſt continentia potentialis; ſed dubium eſt de loco abſolutè ſumpto. Auerſa q. 27. art. 1. ait, ad abſolutam loci denominationem ſufficere continentiam potentialem, capacitatem nempe, & aptitudinem ad continẽdum, nam abſolutè vacuum dicitur locus carens corpore per hoc ſolùm, quòd eſt capax corporis, & paſſim dicimus, rem tendere ad locum, vt ab eo contineatur, ergo continentia actualis non conſtituit rationem loci, ſed potius eam ſupponit, quæ priùs ſunt ſententia Can. 4. Phyſic. quæſt. 1. art. 2. concluſ. 2. Sed verius eſt, ad rationem loci abſolutè conſtituendam requiri continentiam actualem, & ſolam potentialem non ſufficere, vt Scot. docet in 2. diſt. 2. quæſt. 6. ſub G. vbi hac ratione ait partem non eſſe in toto, ſicut locatum in loco, ex Ariſtot. 4. Phyſic. at ſi potentialis ſufficeret pars in toto eſſet, ſicut locatum in loco, quia poteſt extrinſecè ambiri, & contineri à ſuperficie concaua, per quam in toto continuatur cum alia comparte, quæ continuatio ex Ariſtot. ibi 34. & 44. impedit ne vna pars contenta in alia ſit in ea, vt in loco, quia locus, & locatum non ſunt continua, ſed contigua. Tum quia baculus ex aqua extractus adhuc dici poſſet eſſe abſolutè in aqua, vt in loco, & in aqua locus eius, quia poteſt eum recipere, & locare; & tandem Philoſ. locum abſolutè definiens planè eum definiuit per continentiam actualem, non autem potentialem text. 41. dum verò vacuum dicitur locus carens corpore, hoc intelligi debet materialiter, & per ampliationem, quatenus id, quod eſt locus dum continet, eſt vacuum, dum non continet, quo ſenſu dicitur Matth. 11. *Cæci vident, claudi ambulant*, ideſt qui erant cœci, & claudi; & particula carens corpore eſt particula diſtrahens à ratione loci, ſicut cùm cadauer dicimus animal mortuum. Et cùm dicimus, rem tendere in locum ſuum, vt ab eo contineatur, intelligitur de loco potentiali & dicitur locus eius, quatenus eſt receptiuus illius.

3 De loco igitur pro materiali, cui nempè conuenire debeat hoc munus recipiendi, & continendi corpora, tres extant celebres opiniones dimiſſis alijs minoris famæ. Prima tuetur, ſpatium inter latera corporis continentis incluſum, & à corpore contento occupatum eſſe locum, quæ quidem ſententia licèt in eo ſenſu quo à quibuſdam antiquis ab Ariſtot. relatis, & ſecutus eſt Philoſ. 4. Phyſic. defendebatur ponentibus ſpatium illud ens reale, & poſitiuum, corpus nempè aliquod de genere ſubſtantiæ, aut de genere quantitatis, ab omnibus modò ferè reſpuatur (Maſio excepto, qui 4. Phyſic. capitul. 4. ſect. 1. quæſt. 3. inquit, ſe libenter manibus, pedibuſque ligatis in hanc ſententiam abiturum, niſi ad oppoſitum auctoritas Ariſtot. & D. Thom. compelleret) quia præſertim naturaliter daretur corporum penetratio, vt arguit Philoſophus 4. Phyſic. text. 8. vocando tamen ſpatium interuallum illud, vel inane, in quo modò intelligimus eſſe corpora realia, & quod in vaſe intelligeretur, ſi omne corpus ab eo extraheretur, in hoc ſenſu ſpatium accipiendo, non modò non reijcitur, ſed ab omnibus amplectitur Recentioribus, qui dicunt, Ariſtot. reieciſſe opinionem de ſpatio in primo ſenſu, non autem in hoc ſecundo; & re vera rationes Philoſophi faciunt contra ſpatium illud dimenſionarium, vt notat Doct. quol. 11. articul. 2. addunt tamen, ne Ariſtot. omninò contradicere videantur, locum poſſe, ac etiam debere ſumi pro ſuperficie corporis continentis, & in hoc ſenſu de ipſo locutum fuiſſe Ariſtot. diſtinguunt alij de duplici loco, intrinſeco, qui dicitur occupari à locato, & extrinſeco, à quo locatum dicitur ambiri, & contineri, & ſpatium inquiunt eſſe locum intrinſecum, quia dimenſiones, quas imaginamur in eo, cum dimenſionibus realibus corporis locati compenetratas putamus, ſuperficiem verò appellant locum extrinſecum, quatenus ab ea locatum ambitur, & continetur ab extrinſeco, & de hoc inquiunt locutum eſſe Ariſt. ita Auerſa loc. citat. Moriſ. diſp. 5. Phyſ. q. 1. Amic. tract. 20. q. 3. dub. 2. num. 16. Valleſ. contr. 23. & probabilem putant Tolet. 4. Phyſ. q. 3. concl. 4. Conimbr. c. 5. quæſt. 1. art. 2. Hurt. verò diſput. 14. Phyſicor. liberiùs abſque his theoriis ait, Ariſtot. ſententiam nullam præter eius auctoritatem habere probationem.

Secunda ſententia eſt Ariſtot. cum tota eius ſchola, qui ingenuè abſolutè pronunciauit, non ſpatium inter latera corporis continentis incluſum, ſed potius latera ipſa, ſeu ſuperficiem corporis continentis eſſe locum corporis in ea contenti, neque in vllo ſenſu admiſit opinionem de ſpatio, ſed omninò intendit, munus recipiendi, & continendi corpora non niſi ſuperficiei concauæ corporum continentium conuenire, quicquid iuniores dicant, vt patet ex toto proceſſu 4. Phyſic.

Tertia ſententia, quæ ortum habuit poſt Ariſtotel. tempora docet, locum conſiſtere in ſitu, quem habent corpora in vniuerſo, quatenus ſingula ſitum quemdam in mundo occupant, quem præcipuè deſignare ſolemus per comparationem ad puncta fixa vniuerſi, quæ ſunt poli, & centrum mundi, ſub qua comparatione dicimus, rem eſſe hìc, aut ibi, abſtrahendo à quacumque ſuperficie, quæ opinio tribui ſolet Damaſio, qui fuit Simplicij præceptor, & eidem Simplicio, ac Aureol. in 2. diſtinct. 2. quæſtio. 3. & ſequuntur eam quotquot ex Thomiſtis rationem loci conſtituunt in relatione diſtantiæ à polis mundi, & à centro, hæc enim eſt poſitio, ſeu ſitus, de quo loquuntur auctores huius tertiæ opinionis, qui dum aiunt, locum in tali poſitione conſiſtere, nedum de loco pro materiali, ſed etiam pro formali loqui videntur.

ARTICVLVS I.

Nec ſpatium, nec ſitus, quem habent corpora in vniuerſo, poſſunt habere rationem loci.

4 DIcendum eſt, rationem loci, nec ſpatio, quocunque modo explicetur, nec poſitioni, quam habent corpora in vniuerſo in ordine ad polos, & centrum mundi, poſſe conuenire. Concl. eſt contra auctores 1. & 2. ſententiæ, & in primis quòd ſpatium primo modo explicatum locus rerum dici non poſſit, ex eo manifeſtè patet, quia cùm ponatur corpus quoddam trinè dimenſionatum, non poſſent in eo cœtera collocari corpora ſine penetratione, quæ naturaliter repugnat; & de illius etiam corporis loco quærendum eſſet, cùm cuicunque corpori proprius ſit aſſignandus locus, & ſi ponatur corpus de genere quantitatis, accidens daretur ſine ſubiecto. Sed quòd neque etiam ſecundo modo explicatum ſtatui poſſit locus rerum, probatur, quia munera loci ſunt recipere rem locabilem, eam continere, & ab ea repleri, ſed hæc illi ſpatio conuenire non poſſunt, quia hæc munera ſunt realia, & poſitiua, & ſpatium in eo ſenſu non eſt quid reale, & poſitiuum, ſed purum nihil, vt fatentur huius ſpatij fautores, eſt enim mera negatio repugnantiæ ad capienda corpora, quæ proindè ab ipſis appellatur, capedo quædam negatiua, igitur munera illa exercere non poteſt, & idem erit dicere, rem eſſe in ſpatio, ac eſſe in nihilo. ſeu à nihilo contineri, & conſequenter nullibi eſſe dicatur.

Confirm. quia etiam ſi concedamus, Deum eſſe in ſpatijs imaginarijs extra Cœlum, & terram in vacuo futuram, ſi Deus deſtrueret omnia corpora circa ipſam, non tamen concedimus, eſſe in illis, vt in loco, vel vt alicubi, quia re vera non eſſent in alio, cui localiter præſentes forent, ſed tantum in ſe ipſis; & cum de facto dicimus, hoc corpus eſſe in hoc ſpatio, & non in illo, non eſt conſtructio tranſitiua, quaſi ly *in* inſinuet eſſe in alio, ſed intranſitiua, vt ſenſus ſit, corpus eſt ibi, vbi ſecluſo quocunque corpore foret vacuum, quod etiam fatetur Suarez in Met. diſput. 30. ſect. 7. & diſput. 51. ſect. 1. num. 24.

5 Reſp. Auerſa ex Molina, & alijs, ſpatium non eſſe quodcunque nihil, ſed tale nihil, quod dicat illam non repugnantiam ad corpora capienda, & ſic res, quæ eſt in ſpatio, eſt quidem in nihilo reali, ideſt non in aliquo ente reali, eſt tamen realiter in hac inanitate, quæ ſuo modo apta eſt continere res locabiles, non enim res eſt in ſpatio quaſi ſubiectiuè, aut alio modo poſitiuo, ſed coexiſtendo tali ſpatio de ſe inani, & ſimiliter res dicetur eſſe nullibi, hoc eſt, non in aliquo loco poſitiuo, ſed verè eſt alicubi, hoc eſt in aliquo ſpatio, & eodem modo omnia illa munera recipiendi, & continendi res locabiles poterunt ſpatio applicari, immo propriè ſpatium eſt illud, quod repleri dicitur corpore ſuperueniente, & ab eo occupari, non autem ſuperficies corporis ambientis.

Sed contra, quia licet admittenda ſit huiuſmodi negatio tanquam realis, vbi nullum eſt corpus (quicquid dicat Arriag. diſp. 14. Phyſic. ſect. 3. vbi contendit ſpatium eſt purum ens rationis fictum ab intellectu) verè enim extra Cœlum datur negatio alterius Orbis cum non repugnantia, vt ibi ſit, nullo operante intellectu, ſicut dantur aliæ negationes reales, cæcitas, tenebra, &c. & res ſpirituales huic negationi coexiſtere valeant, res tamen corporeæ ei coexiſtere nequeunt, cum enim inanitas illa, & vacuitas aliud non dicat, quam negationem corporis cum non repugnantia, vt ibi ſit, planè ſicut per poſitionem corporis dicitur inane repleri, ita etiam eo ipſo tollitur negatio corporis importata per illud, quia negatio non ſtat cum forma, quam negat. Confirm. quia ſpatium illud, quod modò dicitur repleri à corporibus interiectis inter Cœlum, & Terram, eſt omnino illud idem, quod inane daretur, ſi omnia iſta corpora deſtruerentur, ſed ſic eſt, quod inanitas, & vacuitas, quæ inter Cœlum, & Terram remaneret ablatis corporibus, non remaneret illis denuo interiectis, ergo pariter, & nunc nulla vacuitas datur, in qua ſint corpora, & nullum ſpatium, quod modo occupare dicantur, eſto daretur, antequam pro-

producerentur. Demum ſpatium, & vacuum ſunt idem formaliter, & ſolum differunt ratione connotati, quod ſpatium non connotat terminos reales, ſed eſt negatio diffuſa ſine termino, vnde ſpatium, quod eſt extra Cœlum, inane dicitur, non vacuum, vacuum verò connotat terminos reales, vnde deſtructo aere huius ſcholæ relictis parietibus, vanum, quod remaneret, diceretur vacuum, ſed vacuum formaliter eſt negatio corporis contenti cùm non repugnantia, vt ibi fit, quod ibi poſito tollitur talis negatio, ergo ſimiliter, & ſpatium.

6 Reſp Amicus 4. Phyſic.tract.21. quæſt.5.dub.1.articul.2. negationem conſtituentem ſpatium non eſſe per ſe, & propriè negationem corporis repletiui, ſed negationem repugnantiæ ad illud capiendum, quæ manent, etiam ſi prima tollatur per aduentum corporis; cùm enim concipiatur vt receptaculum, & capedo corporis, non debet tolli per aduentum eius, quia recipiens non deſtruitur per receptum, ſed potius perficitur; vndè infrà ſubinfert, ſpatium differre à vacuo nedum ratione connotati, ſed etiam ratione formalis ſignificati, quia licèt vtrumque formaliter negationem dicat, tamen vacuum per ſe, & formaliter dicit negationem corporis replentis, & ideò per eius aduentum tollitur, ſed ſpatium per ſe non dicit talem negationem, eſto per accident interdum eam habeat annexam, vt erat ſpatium, in quo nunc mundus exiſtit, ante mundi productionem, & modò eſt extra Cœlum.

Sed contrà, oſtendimus, in corporis aduentum tolli vtramque negationem, negatio corporis cum non repugnantia ad corpus capiendum per ſpatium formaliter importata eſt negatio extra genus, ſeu extra ſubiectum, connotans proinde in termino talem non repugnantiam, & aptitudinem, quæ negatio repugnantiæ ex parte termini ſe tenens dicitur potentia obiectiua, ſicut quando ſe tenet ex parte ſubiecti dicitur ſubiectiua, ſed potentia obiectiua in hoc differt à ſubiectiua, quòd perit in aduentu actus, & ſubiectiua permanet, ergo poſito corpore in ſpatio tollitur nedum negatio corporis, ſed etiam negatio non repugnantiæ ad ibi exiſtendum. Minor patet ex 9. Met.7.Prob.maior, quia eſtò talis negatio concipiatur à nobis ex parte ſpatij per modum receptaculi, & capedinis, re tamen vera aliud non ſit, quam poſſibilitas obiectiua corporis, vt ibi exiſtat, ſicut determinata capedo aliud realiter non eſt, quam tanti corporis poſſibilitas ad ibi exiſtendum, ita enim explicat ſpatium Scot.quol.11.art.2. F. & Suarez diſp.51.ſect.1.num.12.& Hurt.diſp.14.ſect.2.§.15. vndè dicere, ſpatium extra mundum poſſe infinitos mundos recipere, aliud non eſt, quam poſſe infinitos mundos creari, vbi nunc nihil eſt. Quod autem ait Amic.vacuum, & ſpatium etiam in formali ſignificato differre eſt contra omnium ſenſum, & contra rationem, omnes enim nullam aliam agnoſcunt differentiam inter ſpatium, quod modò extra Cœlum eſt, & illud, quod foret inter Cœlum, & terram deſtructis corporibus intermedijs, niſi quia illud in infinitum protenditur, hoc non, ſed terminis clauditur, quæ differentia certè non eſt, niſi penes connotata.

7 Prob. etiam Concluſio quo ad alteram partem, quòd ſcilicet ſitus, quem res obtinent in hoc vniuerſo in ordine ad polos, & centrum, dici nequeat locus; quia vt arguit Sampion 4.Phyſ.q.1. quiescente aliqua columna in aere eodem numero per diuinam potentiam poteſt totus mundus moueri verſus vnam differentiam poſitionis v.g. verſùs Antipodes, aut rarefieri, aut condenſari, quo caſu maneret columna loco immota, & tamen variaretur ordo illius, ſeu diſtantia ad centrum, & polos. Nec ſufficit dicere, quòd retineret columna eandem poſitionem ad puncta imaginaria; quia cùm hæc ſint prorſus ficta ab intellectu, non poteſt penes ea conſtitui locus verus, & realis corporum, & planè prorſus vanum eſt, & ridiculum, à punctis per imaginationem fixis ſumere verum ſitum corporum, & iuxta illa metiri variam eorum diſtantiam, veram, & realem, quæ ſumi debet in ordine ad terminos verè fixos nec non immobiles.

Deindè è contra, ſi totus Orbis moueretur à Deo per ſpatium imaginarium ſeruata naturali diſpoſitione elementorum, & corporum, vt nunc iacent, tunc corpora inter Cœlum, & terram locum mutarent, & non poſitionem, nec recurrere iuuat ad puncta imaginaria in ſpatio fixa, à quibus tunc mundus recederet nam hunc recurſum eſſe vanum veluti puncta illa, iam oſtendimus. Immo ſequeretur, Solem die 21.Martij, & 24.Septembris non moueri, nam cum ſtatis illis diebus ſit in Æquinoctio, eius reuolutio tunc temporis fit ſub æquatore, & ideò cum eo tempore ſemper æquatore diſtet à centro, & polis mundi, aut mutabit locum non mutata poſitione, aut prorſus non mouebitur. Nec ſatisfacit dicere, quòd licèt eandem ſeruet diſtantiam à centro & polis, non tamen à punctis Orientis, & Occidentis, quia magis recedit ab vno & accedit ad aliud. Non ſatisfacit, quia ſic recurritur rurſus ad puncta imaginaria fixa, quia talia à parte rei non dantur in Oriente, & Occidente.

Denique poſitioni non conueniunt munera, & attributa loci; quia locus eſt rei locatæ extrinſecus, & in locante, poſitio eſt in re locata; locus continet locatum, illud recipit, & ei eſt æqualis, non ſic poſitio; locus eſt terminus motus localis ſaltim extrinſecus 4.Phyſ.30. & 32. non autem poſitio, quia hæc diſtantia à polis, & centro eſt relatio intrinſecus adueninens, quam non eſt motus 5. Phyſic. 9. ſtatim enim inſurgit poſitis extremis, ergo locus in tali poſitione conſiſtere nequit.

8 In oppoſitum Obijciunt 1. oſtendendò, ſpatium non eſſe quid omninò fictum, ſicut chimeræ, ideoque non magis dici poſſe res eſſe in ſpatio quàm eſſe in chimera, vt arguebat Vaſq.1.p.diſp.29.c.3. licèt enim ſecundum rationem poſitiuam, qua à nobis apprehendi ſolet, ſit quid fictum, quatenus negationem corporis in ſpatio cum non repugnantia, vt ibi ſit, concipimus ad modum rei poſitiuæ extenſæ, & in ea ad ſimilitudinem corporis realis deſignamus ſuperficies, & lineas, quæ correſpondeant ſuperficiebus talibus interioribus, & exterioribus corporum realium, qua ratione conſueuit etiam appellari ſpatium imaginarium; attamen ſecundum rationem negatiuam, quam in ſe habet, præciſo omni opere intellectus, omninò admitti debet, ſicut aliæ negationes reales; de facto enim tale ſpatium eſt extra Cœlum de ſe inane, eſt etiam in hoc mundo, ſicut plenum, vbi enim nunc eſt corpus palmare, ibi etiam neceſſariò admitti debet tantundem ſpatij correſpondens; nam ſi talis commenſuratio inter ſpatium, & corpora in eo recepta non foret, dicere poſſemus, totum Oceanum intra nucem recipi poſſe, ſed non exigit ſpatium reale, & poſitiuum, alioquin daretur penetratio corporum naturaliter, ergo exigit ſpatium reale negatiuum, ita arguit Auerſa cit.

Confirm.nam omnia incompoſſibilia habent incompoſſibilitatem reſpectu tertij vt patet de contrarijs reſpectu eiuſdem ſubiecti, ſed duæ quantitates habent incompoſſibilitatem ſimul exiſtendi; ergo eam habent reſpectu tertij, ſed hoc non poteſt eſſe, niſi ſpatium, quia reſpectu ſuperficiei corporis continentis non repugnant ſimul eſſe ob indiuiſibilitatem, & ablata tali ſuperficie adhuc remanet incompoſſibilitas, ergo &c. Demum ſpatium hoc negatiuum neceſſarium eſt ad motum localem, ergo neceſſariò admitti debet, vbi corpora ſunt, vt eorum fiat translatio localis, Prob. aſſumptum ex Scot. tum in 2.d.2.quæſt.6. F. vbi ait, ſolùm inter illa duo Vbi poſſe fieri motum localem, inter quæ eſt ſpatium interceptum; tum quæſt.9. propè finem, vbi docet ſucceſſionem eſſentialem motus prouenire ex hoc ſpatio.

9 Reſp.concedendo ſpatium reale negatiuum, vbi corpora non ſunt, ſcilicet extra Cœlum, non tamen in hoc vniuerſo, vbi modò ſunt corpora, quia ſpatium reale negatiuum formaliſſimè tollitur per poſitionem ſpatij realis poſitiui, vt tenebra per lucem, non poſſumus autem dicere, Deum hunc produxiſſe mundum intra ſpatium nucis, quia antequam corpus alicubi producatur, vel adducatur, ibi præcedere intelligimus ſpatium reale negatiuum corpori locabili commenſuratum, quod ſtatim tollitur, ac ibi corpus ponitur; Verum tamen eſt; etiam poſito corpore in aliquo determinato ſpatio, nos concipere ſpatium illud adhuc remanere deſignando etiam in ipſo lineas, & ſuperficies, quæ correſpondeant dimenſionibus corporis locati, ſed hæc omnia fiunt per fictionem intellectus, vndè & tale ſpatium cum corporibus conceptum recta ratione dicitur imaginarium. Ad Confirm.negari poteſt maior, quia præter repugnantiam duorum in tertio poteſt etiam dari repugnantia duorum ad inuicem, ſic duæ ſpecies vltimæ inuicem dicuntur incompoſſibiles, non ſolùm quia coire nequeunt in vnam tertiam ſpeciem, ſed etiam quia vna in aliam transire nequit; poſſet etiam negari ſubillata minor, dicuntur enim duæ quantitates modò incompoſſibiles ſimul, quia ambæ recipi nequeunt intra concauum ſuperficiei eiuſdem, cuius indiuiſibilitas ſolùm facit, vt ſuperficies connexa corporis locati ſit ſecum ſimul compenetrata, non autem vt etiam duo corpora poſſint ad inuicem compenetrari in ipſa incluſa, & ablata tali ſuperficie concaua adhuc remanebit extremitas corporis ambientis eo modo, quo explicant negantes in continuo indiuiſibilia, & reſpectu ambitus illius adhuc attendi deberet incompoſſibilitas duorum corporum ſimul. Ad vltimum neg.aſſumptum, & quando Scot.ait, ad motum localem neceſſarium eſſe ſpatium interceptum, intelligit de ſpatio reali, & poſitiuo, quod conſtituitur ex corporibus interiectis inter terminos motus; idque clariſſimè docet q.9.Bb. vbi ait, ex diuiſibilitate, & tantitate ſpatij pleni modo deſumi ſucceſſionem eſſentialem motus, accidentalem verò ex conditione accidentali eiuſdem ſpatij pleni ſubtilitate nempè, vel denſitate, quare ſicut in vacuo ſumeretur ſucceſſio eſſentialis motus ex diſtantia terminorum priuatiua, & tantus motus diceretur ex tantitate corporis inter illos terminos poſſibilis, ſic modò in pleno ſumitur ſucceſſio eſſentialis ex diſtantia poſitiua, & tantitas motus ex tantitate corporis de facto inter illos terminos interiecti.

10 Secundò ex translatione corporum ſuccedentium in eundem locum colligimus locum, ſed corpora ſuccedunt in idem ſpatium, nam vbi nunc eſt homo, poſtea erit aer, ergo verè datur ſpatium negatiuum habens rationem loci. Deinde locus dicitur illud, quod repletur à corpore, & in quo quamdiu corpus manet, dicitur eſſe in eodem loco, & quo mutato dicitur locum permutare, ſed hæc omnia ſpatio conueniunt. Denique ſi Deus deſtueret corpora omnia inter Cœlum, & nos adhuc verè eſſemus in loco, & motus in vacuo factus diceretur localis, non niſi quia partem repleremus illius magni ſpatij, & per motum partem vnam ſpatij amitteremus, aliam acquirendo, nec alia ratione modò Cœlum eſt in loco, & localiter mouetur.

Reſp.corpora non ſuccedere in idem ſpatium, quia adueniente corpore, ſpatium tollitur, ſed in idem concauum corporis ambientis, & ratione illius hoc corpus dicitur eſſe ibi, vbi erat aliud, & id, quod

propriè repleri dicitur, eſt idem concauum, cum nimirum nihil inane intra ipſum relinquitur. Hinc ad 2. neg. Aſſumptum, ſpatium enim propriè repleri non poteſt, quia nihil eſt, & in aduentu corporis deſinit eſſe; vnde etiam falſum eſt, corpus tamdiu manere in eodem loco, quamdiu manet in eodem ſpatio; quia falſum eſt, corpus manere cum ſpatio. Ad 3. in tali caſu realiter, & phyſicè nuſquam eſſemus localiter, ſed tantùm in loco imaginario, quod etiam non eſſet ſpatium, quia hoc cum corpore incompoſſibile eſt, ſed ſuperficies imaginaria nos ambiens, eſſemus tamen realiter, abſolutè, & emitatiuè, vt Scot. docet de Angelo 2.d.2.quæſt.6. I. & materia prima d.2.quæſt.2.D. ſi extra vniuerſum ponerentur, qua autem ratione motus in vacuo factus diceretur localis, & realis, & qua ratione Cœlum ſit in loco, & localiter moueri dicatur, inferius oſtendemus.

Tertiò huic ſpatio conueniunt proprietates omnes, quæ loco tribui ſolent ex communi omnium conceptu, hoc enim propriè continet, & recipit in ſe locatum, ſeparatur à locato, remanet enim abeunte locato, eſt etiam illi æquale, & ſecundum omnem dimenſionem commenſuratum, & eſt penitus immobile. Deinde locus, & vacuum idem ſunt, ſolùmque differunt, quòd locus continet corpus, non vacuum, & Ariſt.ipſe vacuum appellauit locum, ſed vacuum omnes concipiunt eſſe interuallum illud ſine corpore; ergo hoc erit locus. Tandem ſi res corporeæ, & incorporeæ vniuocantur in ratione eſſendi in loco, id eſſe nequit, niſi ponendo ſpatium locum communem omnium, ſuperficies enim eſt locus omninò ineptus rerum ſpiritualium, tametſi foret aptus corporalium, neque vllo modo negari poteſt Angelos coexiſtere ſpatio, etiamſi de corporibus negaretur, quia ſpatium, & vacuum non repletur, niſi per corpus, vt Scot. docet quol. 11.& 2.d.2.q.6.

11 Reſp. ſpatium tolli per poſitionem corporis, vt ſæpè dictum eſt, ideoque circa corpus exercere non poſſe monera loci enumerata, quòd ſi cum corpore permaneret, & adhuc illa obire non poſſet, cùm ſint poſitiua, & modo exerceantur poſitiuo, non reciperet, & contineret corpus, quia cùm nihil ſit, non dicitur propriè res in nihilo recipi, & vinum dicimus in vaſe recipi, & à lateribus eius contineri, non autem in ſpatio vaſis, hoc enim potius concipitur etiam cum vino inter latera vaſis contineri, non eſſet penitus immobile cum corpore locato, quando enim vas mouetur, etiam ſpatium inter eius latera cogitatum moueri concipimus, & quando etiam dicatur immobile, hoc tamen non erit poſitiuè, ſicut loco conuenire debet, vt dicemus quæſt.ſeq. nec eſſet locato verè commenſuratum, quia in tantum illi dicitur commenſurari, in quantùm in eo ad inſtar corporis realis deſignamus dimenſionibus locati dimenſionibus correſpondentes, vnde huiuſmodi æqualitas, & commenſuratio merè fictitia eſt. Ad 2. locus, & vacuum ſunt idem, quia locus eſt ſuperficies apta continere, quæ ſi nihil continet, dicitur vacuum, vnde etſi extra Cœlum ſit ſpatium, non tamen dicitur vacuum, ſed inane, immo argumentum retorqueri poteſt, quod ſicut vacuum per corporis poſitionem tollitur, ita & interuallum illud, quapropter non poterit dici locus corporum. Ad 3.poſſunt Angeli, & corpora vniuocari in ratione eſſendi in loco, etiam ſi ſuperficies ſola pro loco ſtatuatur, quamuis enim nequeat Angelicam ſubſtantiam circumſcriptiuè continere, poteſt tamen definitiuè, vt vberiùs infra, & quamuis Angeli coexiſtant ſpatio, & etiam in ſpatio eſſe dicantur, quia hoc non tollitur, niſi per corpus, non tamen dicuntur eſſe in eo, vt in loco, quia eſſe in loco eſt modus eſſendi realis, & poſitiuus; habitudo enim rei ad locum eſt, vt ad aliquid à re locata diuerſum 4.Phyſ.tex.3. & 26. & quando dicimus, rem eſſe in loco eſt conſtructio tranſitiua; ſed dum dicimus eſſe in ſpatio, eſt intranſitiua, quia non ſignificat eſſe in alio, ſed eſſe in ſeipſa abſolutè, vel ad ſummum eſſe ibi, vbi ſecluſo corpore concipimus eſſe vacuum.

12 Quartò obijcit Aureol. referente Canon.4.Phyſ.q.1. probans, locum in præfato ſitu conſiſtere, quia per ſolam comparationem ad centrum, & polos res dicitur eſſe hic, aut ibi, quæ ſunt aduerbia localia, id eſt à loco deſumpta, ita vt ſi varietur continens, & quoduis aliud, maneat autem eadem poſitio in ordine ad vniuerſum, ſemper res erit in eodem loco, vt patet de turri ſtante vento, hac enim ratione dicitur eſſe in eodem loco, quia ſemper retinet eandem diſtantiam ad polos, & centrum vt etiam fatetur Scot.citat.in 2. F. è contra verò maneat idem continens; ſi variatur poſitio, dicitur variari locus, vt aqua in fluuio ſimul cum cymba dilabens, eamque circumdans, & ſi eadem ſit, & perſeueret, cymba tamen dicitur continuo variare locum, quia variat diſtantiam ad res in vniuerſo. Accedit, quòd ſurſum, & deorſum aliæque loci differentiæ poſitioni conueniunt, immo per poſitionem conueniunt loco, locus enim ille dicitur ſurſum, qui Cœlo appropinquat, & ille deorſum, qui centro, at illa ſunt eadem eſſentialiter, quę habent eaſdem differentias, ergo, &c.

Reſp.quia modò centrum, & poli ſtatuuntur immobiles, ideò ex comparatione ad ea rem dicimus eſſe hic, vel ibi, & in hoc ſenſu loquitur Doct. cit. hoc tamen non eſt per ſe, ſed omninò per accidens, quia caſu, quo Deus Cœlum impelleret verſùs vnam partem terra immota, adhuc turris, & vrbes eſſent in eodem loco, vt nunc, & tamen non retinerent eandem diſtantiam à polis, & eundem ſitum in vniuerſo; & è contra, ſi cum flumine, & cymba totus etiam decurreret Orbis, ita quod eandem ſemper cymba ſeruaret diſtantiam ad res circumſtantes, & totum vniuerſum, adhuc diceretur localiter moueri, ex eo autem, quod merè accidit, non debemus attendere formales rerum rationes. Hinc ad 2. dicimus, differentias illas ſurſum, & deorſum merè accidere loco, quia ſi Deus deſtrueret centrum, & Cœlum, & columna maneret eodem aere circundata, verè diceretur eſſe in loco, & concauum aeris illius eſſet propriè locus, nec tamen foret ſurſum, aut deorſum, quia ex hypotheſi non eſſet nec Cœlum, nec centrum, penes quæ locus dicitur ſurſum, vel deorſum.

ARTICVLVS II.

Oſtenditur; ſolam ſuperficiem corporis continentis eſſe verò, & propriè locum.

13 Dicendum eſt, nomine loci ſimpliciter, & abſolutè intelligi debere ſuperficiem vltimam corporis continentis primo, & imobiliter: ita Ariſt.4.Phyſ. quem ſequuntur omnes veri Peripatetici, & Claſſici Doctores, Anglic.4.Phyſic.ſect.6.& Subtilis loc.cit. cum ſuis, & probatur ex impugnatione aliarum opinionum, nomine enim loci omnes intelligunt aliquod extrinſecum, quod contineat, ſit receptaculum rei locatæ, nihil enim aliud ſignificari videtur per hoc, quòd res eſt in loco, quam habitudo ad aliquod extrinſecum continens; ſed excluſo corpore circumſcribente nil aliud remanet, quod talibus fungi poſſet muneribus, & talem habitudinem rei locatæ terminare, ergo, &c. Probat. minor, quia dum locatur corpus, non remanet ſpatium negatiuum, & ſi remaneret, ineptum omninò foret ad munera loci, nec propriè corpus eſſet in eo, vt in loco, nec ratione eius re vera poſſet dici alicubi exiſtere, vt probatum eſt; ſed neque etiam ipſum Vbi paſſiuum, quod propriè eſt terminus motus localis, nec ſitus, aut poſitio, quomodocunque explicentur, poſſunt id munus obire, quia hæc omnia ſunt intrinſeca, & inhærentis rei locatæ, ac proindè non ſe habent vt receptaculum eius, ſed potius ipſamet res locata ea in ſe recipit, & continet, ergo, &c. Accedit, quòd vt conſtabit ex ſeq.quæſt.proprietates omnes, & attributa, quæ loco tribui ſolent, commodè ſuperficiei corporis continentis applicantur, ergo, &c. Denique Eccleſia ipſa loci ſignificatum proprium in hoc ſenſu accipere videtur, cum inſcriptionem illam poſuit in Lauretana Domo *Sanctior in toto nullus eſt Orbe locus*, per locum enim vtique non intelligit ſpatium illud ad Litus Adriatici ſumus in Piceno, quo ab Angelis eſt aſportata, ſed ſuperficiem continentem ſacri illius Cubiculi, vbi Verbum in vtero Virginis factus eſt homo.

14 In oppoſitum Obijcitur 1. communis quidem, ſed ſatis moleſta difficultas, quia ſi ſuperficies eſſet locus, poſſet res immota manens mutare locum, ſtante enim vento mutantur continuè ſuperficies turrim ambientes, ipſa è proprio loco non egrediente, quia ſemper habet eandem diſtantiam, & propinquitatem cum rebus, quam antea habebat, quæ tamen variari ſolet ad mutationem loci. Si dicas cum Thomiſtis eſſe in eodem loco, quia ſuperficies aeris ſuccedentes turrim continent in eadem diſtantia. Hoc non iuuat: tum quia vt ait Scotus citat. in 2. D. ſi ſubiectum, quod eſt ſuperficies non manet idem, nec conſequenter diſtantia ſuper ipſam fundata manebit eadem in ſuccedente, cùm non migret accidens de ſubiecto in ſubiectum; tamen quia terra ſeruata immota poſſet Deus verſùs Antipodes Cœlum premendo variare diſtantiam ad polos, & tamen turris maneret in eodem loco variata ſuperficie, & diſtantia; tum quia ſic dicendo, iam non ſuperficies, neque continentia, ſed diſtantia illa, & ordo ad polos, & centrum erit locus, quia tametſi varietur ſuperficies, & continentia, manente tamen eadem diſtantia à polis, & à centro, dicitur res in eodem loco manere. Si dicatur cum Scotiſtis turrim remanere in eodem loco per æquiualentiam, quatenus ſuperficies ſuccedens continet turrim cum ordine eiuſdem rationis ad vniuerſum, etſi non eodem numero. Hoc etiam non iuuat; tum quia hoc ſolùm ſaluat turrim accipere locum priori ſimilem, ſed non ſaluat locum non eſſe mutatum, ſicut ex hoc quòd in Eccleſia Gregorio ſucceſſit Vrbanus in eodem officio Pontificatus, non propterea dicimus, Pontificem non fuiſſe mutatum; tum quia dicere, turrim eo caſu manere tantum in eodem loco per æquiualentiam, & non ſimpliciter eſt apertè fateri, turrim ſimpliciter moueri, quod tamen eſt contra ſenſum; tum quia caſu quo reliquæ Orbis partes mouerentur, turri ſola excepta, tunc nec eadem numero, nec eadem ſpecie, ſeu per æquiualentiam diſtantia maneret à rebus, vndè in nullo ſenſu poſſet dici manere in eodem loco, vbi prius erat.

15 Reſp.ex Scot. cit. lit. F. negando aſſumptum, ad Probat. dicimus, quòd licèt circa turrim ſuperficies præcedenti ſuccedat alia numero diuerſa ſecundum veritatem, tamen eſt eadem illi per æquiualentiam non quomodocunque, & vt communiter explicari ſolet, ſed eſt eadem illi per æquiualentiam, quantum ad motum localem (inquit Doctor) nam ita incompoſſibile eſt, localem motum eſſe ab hoc loco in hunc locum, id eſt ab vna ſuperficie recedente ad alteram ei immediatè ſuccedentem, ſicut ſi eſſet omninò idem locus numero, vndè ſubdit Doctor terminos, inter quos fieri debet localis motus ab vno in alium, non ſolùm numero, ſed etiam ſpecie differre debere propter ſpatium interceptum, & alium reſpectum habere non tantum numero, ſed etiam ſpecie ad totum vniuerſum, ex quo colligitur; ad motum, vel mutationem localem non ſufficere varietatem loci

loci numeralem, quia hæc esse potest sine spatio intercepto inter vnum, & alium locum, sed necessariò requiri diuersitatem specificam, quæ arguitur ex spatio intercepto, vndè absolutè dicendum est, turrim in eodem loco manere, & si varientur superficies circa ipsam, quia vt mutaret locum, exigeretur, quòd continuò acquireret superficies in ratione loci specie diuersas, quod esse nequit sine spatio intercepto; quæ responsio valet etiam in casu, quo reliquæ partes Orbis mouerentur, sola turri excepta, adhuc enim inter superficies aeris sibi succedentes impossibilis foret localis motus, quia nullus inter vnam, & aliam daretur spatium interceptum, quod tamen omnino necessarium est inter duos terminos, vt ab vno in alium possit fieri motus; & hæc est per se ratio, quam Doctor assignat loc. citat. cur turris in eodem loco esse dicatur, & si circa ipsam varientur superficies, illam verò, quòd scilicet sit in eodem loco, quia superficies noua continet in eadem distantia ad vniuersum, sicut prior, assignat, vt rationem per accidens, & vt de facto valentem, quando poli, & centrum sunt immobiles.

16 Dices, vel turris variata superficie habet eundem numero locum quem priùs habebat, vel non; si primum, ergo superficies continens non est locus, quia variata superficie manet idem numero locus; si non, ergo est mutata localiter, quia localiter moueri est rem aliter se habere nunc, quàm priùs in ordine ad locum. Respond. licèt variatio superficierum circa turrim sit aliqua mutatio, & non nisi ad prædicamentum Vbi pertinens, tamen nequit dici mutatio localis, quia hæc non est, nisi inter terminos specie diuersos, & tales non sunt, nisi quando inter eos spatium interijcitur, & hoc verum est nedum iuxta communem vulgi conceptum, sed etiam Philosophorum, qui ideò localem motum appellant motum lationis, quia inter terminos eius spatium interiectum exigitur, translatio enim corporis concipi nequit, nisi à termino ad terminum, inter quos sit medium spatium, vnde ad hoc vt corpus dicatur localiter moueri, non sufficit, quòd aliter se habeat quo ad locum quomodocunque, sed aliter se habere debet per sui translationem, hac enim ratione dicitur motus lationis, immo absolutè negari posset, quod turris aliter se habeat quoad locum, quia loci variatio propriè dicta fit per acquisitionem noui loci à priori specie diuersi, & ad hoc prorsus materialiter se habet diuersitas numeralis, ita quoque respondent Canon.cit. Sampson.4. Physic.q.2. Tatar.4.Physic.q.1.art.2.Bassol.2.d.2.quæst.3. & sequuntur Conimb. & alij.

Sed iterum dices, hac ratione nauim in flumine decurrentem semper fore in eodem loco, quia superficies continentes, quas successiuè acquirit, ita sibi immediatè succedunt, vt inter vnam, & aliam non sit spatium interceptum, & ita omninò se habent, sicut superficies circa turrim succedentes. Respond. negan. assumptum cum probatione, nam tale spatium interijcitur inter superficies in flumine circa nauim succedentes, quale non est inter superficies aeris circa turrim, & hoc deprehenditur modò ex distantia ad vniuersum, quia superficies aeris circa turrim semper eam continent in eadem distantia, aquæ verò superficies circa nauim semper est diuersa quantumuis sibi immediatè succedant.

17 Secundò Prob. è contra, quod si superficies sit locus, poterit res localiter moueri, eundem retinendo locum, quod implicat, ponatur enim quòd cymba per Tyberim decurrens hinc Romam versùs continuò ambiatur eisdem aquæ partibus, cùm Romam peruenit adhuc in eodem loco dicetur, quia eandem retinet superficiem; idemque foret de vase aquæ hinc illuc translato, quod tamen omninò incredibile est, sicut enim in præced. argumento erat paradoxum dicere, quòd turris flante vento locum mutet, quia semper eandem distantiam seruat, vel propinquitatem cum rebus, quam antea habebat, ita in proposito paradoxum est dicere, præfatam nauim, postquam peruenit Romam cum eadem superficie aquæ ambiente, locum non mutasse, cùm eandem non habeat distantiam, & propinquitatem ad res vniuersi, quem antea habebat, cum erat apud nos, talis enim distantia variari non solet eodem loco manente. Nec sufficit dicere, aquam in amphora non esse, & nauem in aqua currenti vt in loco, see vt in vase, sicut vniuersaliter euenit, quando contentum mouetur cum continente, vt docet Aristot. text.41. vndè fit, vt sicut vas mouetur per se, vasatum verò per accidens, ita vas acquirit locum per se, vasatum per accidens, & sic in casibus allatis aqua in vase hinc Romam translato, & cymba per amnem, postquam peruenit Romam, locum mutasse dicitur per accidens tamen, quia non superficies ipsam immediatè ambiens est locus, sed superficies aeris vas continentis, vel aquæ cymbam deferentis; Hoc parum iuuat, tum quia nauis, postquam peruenit Romam, & aqua in vase hinc Romam translato, & si dicantur mota per accidens, hoc est ad motum alterius, puta aqua ad motum vasis, adhuc tamen Romæ existens cum vase proprium habet vbi Romanum distinctum ab vbi vasis, ergo ex hoc capite per se, & non tantum per accidens mutauit locum; tum quia accidere potest quod vas moueatur ad motum vasati, vt quando vessica arena plena in flumen proijcitur; tunc enim vessica deorsum mouebitur ad motum arenæ, & arena intimum fluminis delata, ex responsione allata, non diceretur mutasse locum, nec per se, quia immediatè nouam superficiem non acquirit, nec per accidens, quia non mouetur ad motum vasis.

Resp. neg. Assumptum cum probat. cymba namque cum Romam peruenerit, in eodem loco non erit, quia superficies aquæ ipsam immediatè circundans non habet rationem loci, sed vasis, vt ibi dicebatur, sed erit in diuerso loco ratione totius ex aqua currente, & cymba constituti, quod per se mouebatur in flumine, & successiuè alias, & alias superficies aluei acquirebat, & continentias specie differentes ob spatium interceptum; & idem dici debet de aqua in vase ex vno in alium locum translato; Nec instantia de vessica arena plena id infringit, quia id, quod per se moueretur, & locaretur in eo casu non esset arena, sed totum illud constitutum ex arena, & vessica, sicut modò in homine vestito id quod per se primò mouetur, & locatur non dicimus esse hominem præcisis vestibus, sed constitutum ex corpore, & vestibus, hoc enim totum consideratur, vt vnum quid in ordine ad motum, & locum, & sic in proposito arena erit in alio loco, non per se, quia modò non habet rationem totius, sed per accidens, ratione totius constantis ex continente, & contento.

18 Tertiò, si locus est superficies, multa sequuntur absurda; primum, idem corpus in pluribus locis naturaliter esse, palus enim in fluuio fixus simul, & semel ambiretur superficiebus terræ, aquæ, & aeris. Secundum, vltimam sphæram non esse in loco, cùm nulla superficie circumscribatur. Tertium, Christum Dominum esse sub speciebus tanquam in loco, ambitur enim superficie specierum. Quartum, solam superficiem connexam corpori, non autem corpus ipsum esse in loco, nam superficies loci in tantùm continet locatum, in quantum ipsum tangit, sed non tangit locatum, nisi secundum superficiem. Resp. neg. Sequelam, primum enim & secundum nullum est absurdum, quia secundum varias partes palus ille est in diuersis locis partialibus, non verò totalibus, & vltima sphæra in hoc sensu non est in loco: vt mox dicemus. Tertium non sequitur, quia hic loquimur de superficie ita continente locatum, vt ei commensuretur, quo modo Christus non ambitur à superficie panis, cùm sit totum in toto, & totum in qualibet parte; Nec etiam quartum, quia locatum non est in loco ratione superficiei connexæ, vt superficies est præcisè; idest vt est latitudo sine profunditate, sed ratione superficiei, vt est terminus totius profunditatis ante se, quod autem accidit superficiei sic sumptæ, toti corpori accidere dicitur, sic corpora dicimus se tangere, cum tactus fiat solùm in superficiebus; hac igitur ratione etiam corpus erit in loco, & locus tangens superficiem solam locati, totum corpus tangere dicetur.

Quartò, locus est id, ad quod corpora tendunt, vt in eo conseruentur, sed corpora non mouentur ad vltimam superficiem corporis continentis, quia grauia non dicuntur tendere ad vltimam superficiem aquæ, sed ad centrum terræ, in quo reperitur interuallum, ablata enim aqua, & omni eius superficie, adhuc ad centrum tenderent, nec corpora conseruantur in superficie ambiente, quia sola quantitas talem vim non habet, ergo, &c. Accedit, quòd quando etiam superficies concederetur esse locus corporum, nequaquam tamen potest poni locus substantiæ spiritualis, quia hæc per suam locationem nullum abrumpit corpus, nec facit distare latera continentis, vt intra superficiem eius recludatur, & continetur, ergo &c.

19 Resp. in primis neg. maiorem, quia non est de ratione loci, vt hic de eo loquimur, conseruare locatum, immo id merè illi accidit, vt docet Scot.cit.litt.H. & posset etiam negari minor, quamuis enim superficies, vt est latitudo præcisè sine profunditate, vim conseruandi non habeat, tamen vt est terminus profunditatis ipsius corporis circumscribentis, per quem tangit, & continet aliud, potest vtique ad hoc inseruire, quatenus corpus continens medio contactu per superficiem facto communicat locato qualitates ei proficuas, vnde quando aliquid continetur ab vltimo illius, quod natum est ipsum saluare, dicitur esse in loco naturali, vt ait Doct.cit. & certè pisces in aqua conseruari dicuntur, & esse in loco naturali, quia a tali corpore continentur, & non quia tale spatium occupent. Nec videtur, qua ratione spatium, quod est mera negatio, potius habeat talem vim conseruatiuam, quàm superficies; quòd si dicatur, ratione illius esse tantam distantiam à Cœlis, ex quorum influxu, ac à temperatione oritur conseruatio locati, præterquamquòd non datur vbi corpora sunt, eadem ratione poterit vnum corpus aliud intra se conseruare, vt aqua pisces in determinata distantia à Cœlis. Sed dices, centrum, ad quod grauia tendunt, non est superficies, sed punctum vniuersi. Respon. dum centrum dici solet locus terræ, & grauium, certè per centrum non intelligitur punctum illud æquè distans à circumferentia vltimæ sphæræ, sic enim æquè benè concluderet argumentum contra spatium, & contra superficiem, sed intelligitur vltima superficies corporis ipsam continentis in summa distantia vndequaque à Cœlo, qualis modò est superficies aquæ; locus enim naturalis terræ est sub aqua, & aere, vnde semper descendit, donec sub his elementis constituatur, & eadem ratione grauia dicuntur ad centrum tendere, idest ad superficiem corporis ipsa continentis in summa distantia à Cœlo, & ablata aqua, & aere, terra existens in concauo lunæ non descenderet; neque hoc mirum esse deberet Auersæ in præsenti cùm etiam ipse inferiùs quæst. 27.sect.8.conclus.3. id afferat ea ratione, quòd grauia, & leuia in tantùm sua virtute mouentur, in quantùm grauia petunt esse sub leuioribus, & leuia supra grauiora.

Ad

Ad alterum dicimus ex Scot.citat. ad 2. quòd superficies corporis continentis naturaliter locat corpus definitiuè, & circumscriptiuè, definitiuè quidem, quatenus corpus est ita infra hanc superficiem continentem, vt nihil eius sit extra, circumscriptiuè verò quatenus est ita illi commensurata, vt tota toti correspondeant loco, & singulæ ipsius partes singulis illius partibus; quamuis igitur quo ad secundum continendi modum non possit superficies Angelum continere, potest tamen continere primo modo; habet enim Angelus certum terminum suæ sphæræ localis, vbi signari potest in circuitu certa superficies, ad quam pertingat, ne vlterius progrediatur, & dici ita infra hanc superficiem contineri, vt nihil eius sit extra, potest enim locari v.g. intra hoc gymnasium, ita vt pertingat ad extremos vsque parietes & non vlteriùs, & in hoc sensu potest dici intra superficiem recludi, de quo infra.

QVÆSTIO II.

Dè loci definitione, & attributis eius.

20 LOcum definiuit Philos. 4. Phys.41. per superficiem, dicens, quòd est *vltimum corporis continentis immobile primum*, vel vt Latini legunt, *est terminus primus continentis immobilis*, quæ definitio pro maiori notitia essentiæ loci hic est examinanda, non enim vna est omnium sententia quomodo Aristot. definierit locum per superficiem, continentiam, & immobilitatem, Quidam enim docent, superficiem in hac definitione stare loco generis, continentiam verò, & immobilitatem rationem habere differentialem, ita Tolet.4.Phys. quæst.4.Scotus q.1.con.4.Conimbr.qu.1.artic.2.& Faber Theor.47.c. 2. Alij è contra docent, superficiem in hac definitione se habere per modum subiecti, continentiam verò, & immobilitatem per modum formarum subiectum illud determinantium, vt locus formaliter denominetur, sic Ruuius 4.Phys.tract.de Loco quæst.2. Compl.disput. 19.q.4.Amic.tract.20.q.4.dub.3.art.3. vbi etiam explicat, locum primò significare superficiem, & secundariò continentiam, & immobilitatem, ita vt formale, & principale significatum loci sit superficies, connotatum verò, & materiale, seu additum sit continentia, & immobilitas, quod etiam velle videtur Ruuius citat. Faber 6.Met.disp. 17.cap.1.

Attributa verò loci recensecentur à Philosopho text.30. & alia quædam ex eis deducuntur, quæ omnia enumerat Sampson 4. Physic. q. 1. sunt autem, continere locatum, esse illi æqualem, esse à re locata separabilem, &c. sed insigne quoddam attributum loci est immobilitas localis, quæ magnam ingerit difficultatem in sententia Arist. asserentis locum esse superficiem, ipsa enim experientia docet, superficiem continentem aeris, & aquæ facillimè circa corpora contenta moueri, vnde valdè insudant Peripatetici, vt superficiei immobilitatem ostendant.

ARTICVLVS I.

Loci definitio ab Aristotele tradita explicatur.

21 DIcimus, locum benè definiri, quòd sit *vltimum corporis continentis, immobile primum*, & per superficiem definiri veluti per subiectum, non verò tanquam per genus; Concl. colligitur ex Scoto loc.cit.& Prob.1.in generali, deinde speciatim discurrendo per singulas definitionis particulas, vt enim ex Log.liquet, duplex definitionum genus assignari solet, altera per genus, & differentiam, & dicitur quidditatiua definitio, altera per subiectum, & formam accidentalem, & dicitur per additamentum data, primo modo definiuntur res habentes conceptum per se vnum vnitate absoluta, qualia sunt omnia entia absoluta, quæ dicunt vnam naturam compositam absque connotatione alterius, secundo modo definiuntur res habentes conceptum compositum per se vnum vnitate connotatiua, qualia sunt omnia entia, in quorum integro conceptu vtique plura includuntur, sed quia sunt diuersorum generum, vel non apta facere per se vnum, non includuntur æquè per se primò, quia tunc entia per se non forent, sed potius aggregata per accidens, quæ plura dicunt diuersæ rationis, vt plura sunt, idest æquè principaliter, sed vnum dicunt primariò, aliud secundariò, quæ subordinatio conceptuum saluat vnitatem entis connotatiui. At locus est ens secundi generis; tum quia est concretum accidentale, etsi substantiuè prolatum, prædicans in recto de corporibus locantibus, vt dicendo, ignis est locus aeris, & omne tale est ens connotatiuum, tum quia non dicit conceptum simplicem, sed compositum, vt constat ex eius definitione, & quidem ex rebus diuersorum generum, nam superficies ad quantitatem, continentia verò spectat ad prædicamentum Vbi, atque ideò non æquè primò omnia importare potest, ergo cum huiusmodi entia connotatiua, & præsertim accidentalia per subiectum habeant definiri, vt docet Aristot.7.Met.c.13. optimè definitur locus, quòd sit vltima superficies corporis continentis, &c.

Ex quo patet falsitas dicentium, locum definiri per superficiem, tanquam per genus, tum quia tali genere definitionis non definitur concretum accidentale, tum quia differentia contrahens spectat ad idem prædicamentum cum re contracta, continentia verò, & immobilitas non spectant ad prædicamentum quantitatis, in quo est superficies: tum quia superficies, linea, & corpus, vt ibi diximus, sunt species infimæ non contrahibiles, nisi per differentias indiuiduales, tum quia potest Deus facere superficiem sine omni continentia, & eam sic conseruare, non tamen genus sine omni differentia, tum tandem quia de se constat, superficiem respectu continentiæ; & immobilitatis potius se habere, vt genus physicum, seu subiectum, quam metaphysicum, quia eidem numero superficiei adest, & abest continentia, & immobilitas præter eius corruptionem.

22 Hinc etiam patet falsitas dicentium, locum primò significare superficiem, & secundariò continentiam, ita quod formale, ac principale significatum loci sit superficies, connotatum verò, & materiale sit continentia; tum quia cùm Philos.7. Met.cap.13. manifestè dicat, concretum accidentale per subiectum definiri, tanquam per additum, planè si locus definitur per superficiem, velut per subiectum, vt etiam tenet Amicus, erit additum, & materiale, non autem formale, & principale loci significatum; tum quia concretum, vniuersaliter loquendo, de principali dicit formam, & connotat subiectum, vt in Log. dictum est disput.2.quæst.6.art.2. tum tandem, quia si primitas significatorum attendi debet ex primitate impositionis, & communi vsu loquentium, ad quod scilicet significandum sit per se primò nomen impositum, vt Scot.docet in 4.dist.1.quæst.2. & Amicus ipse fatetur, non vtique ad significandam superficiem nomen loci est impositum, nam antiqui Philosophi nomen loci agnouerunt, nec tamen vnquam nomine loci superficiem ambientem corpus conceperunt, potius ergo illud per se primo significat locus, quod omnes concipiunt in huius nominis prolatione etiam ipsi Veteres, id autem solummodo est respectus continentiæ, quia omnes concipiunt, locum formaliter esse id, quo res locari dicitur, & contineri, formalis autem ratio, qua corpus dicitur locari, & contineri, non est superficies, non spatium, sed præcisè respectus ille, neque de hoc vllum vnquam fuit dissidium inter Vetetes, & Aristot. sed tantum de subiecto, & fundamento huius respectus, asserentibus illis esse spatium, & Aristot. superficiem.

Ex hoc tandem infertur, nec etiam immobilitatem includi in conceptu loci, tanquam rationem formalem constitutiuam eius, aut principale significatum, sed tantum veluti connotatum, quatenus continentia localis, vt à continentia vasis distinguitur, fundari potest in superficie immobili non est ratio formalis constitutiua loci, quia in ratione formali conueniunt vas, & locus per Aristot.5. Physic.41. & solùm ratione connotati differunt, quod postea declarans specificat differre ratione mobilis, & immobilis, quia vas est locus mobilis, locus vas immobile, sed nec etiam dici potest primarium loci significatum, nam ex communi conceptu locus concipitur vt aliquod continens aliud, nec expressè in eo concipitur immobilitas, imò à vulgo ignoratur, locum debere esse immobilem, vas enim appellat locum aquæ, dolium vini, nec tamen ignorat, locum debere recipere, & continere locatum, ergo ratio formalis, & principale significatum loci est continentia, & quidem actualis, vt quæst. præced. initio dictum est, nam aptitudinalis ab ipsa superficie non distinguitur, superficies verò immobilis est connotatum, & materiale, super quod fundatur respectus continentiæ actiuæ, atque ita ratione principalis significati erit locus in prædicamento Vbi, ratione connotati in prædicamento quantitatis, vt dictum est in Log.

23 Deindè speciatim Prob. definitio loci tradita discurrendo per singulas eius particulas; dicitur *vltimum, extremum, aut terminus continentis*, quia vt notat Doct.2.d.2. quæst.6. D. corpus continens non ambit, nec locat immediatè secundum partes, sed secundum vltimam, & indiuisibilem superficiem, diuisibile enim secundum illam dimensionem, secundum quam est diuisibile, non potest immediatè esse applicatum alicui vt continens ipsum, sed præcisum continens alicuius est indiuisibile, vt fusè contra Nominales probatum est disput.9.quæst.2. artic.2. quia verò tale indiuisibile per se non existit, sed semper in aliquo diuisibili, cuius est terminus, hinc ipsum præcisum continens dicitur vltimum, & extremum alicuius corporis, & si daretur superficies concaua à corpore separata, non minus locaret, quàm modò. Ex quo patet, falsum esse, quod ait Auersa q.27.sect.1. in explicatione huius particulæ, vbi inquit, per huiusmodi terminum, & vltimum non intelligi necessariò debere superficiem, sed extremitatem corporis eo modo, quo concipitur præcisis indiuisibilibus. Nam implicat omninò, diuisibile ex ea parte, qua diuisibile est, esse ita immediatè alicui applicatum, vt sit continens ipsum, cùm enim ista applicatio fiat medio contactu, & contactu fieri nequeat nisi per indiuisibilia, vt loc.cit.demonstratur, sequitur, diuisibile, vt sic, non posse habere rationem loci, qua ratione refellitur etiam error eorum, qui locum appellant absolutè ipsum corpus ambiens, & continens aliud, vt Acerb.lib.3.Peripatet.quæst.9. hoc enim nequaquam dici potest, etiam si corpus ambiens locus dicatur, quatenus media superficie continet, tum ob rationem allatam, tum quia ita loquendo possemus absolutè pronunciare, plura esse in eodem loco, vt omnes pisces, quia sunt in aqua, & omnes aues, quia sunt in aere, at hoc rectè dici non potest, quia hic definitur locus primus, idest immediatus, & proprius, non verò communis, & remotus, qualis est tota aqua respectu cuiuscumque piscis, & totus aer respectu cuiuscunque auis, & ideò sola ipsa superficies corpus immedia-

mediatè circundans debet dici locus, non verò totum corpus continens.

Secundò dicitur *vltima superficies corporis continentis*, & non potius superficies continens in recto, non quidem vt putat Auersa, ad denotandum, non omnem superficiem continentem esse locum, sed debere esse superficiem corporis continentis, nam nec superficies propria sui corporis, nec superficies aliena (ait Auersa) si esset à corpore continente auulsa, debet dici locus. Non hac ratione dicitur *corporis continentis*, quia vt docet Doctor, vltimitas illa non est de ratione loci, quia si superficies concaua posset per se esse, & se sola ambire locatum, ita benè locaret, & locus dici deberet, sicut modò, nec aliquid ei deesset, vt locus diceretur, quia omnia munera loci circa locatum exerceret; illud enim reciperet, ambiret, illi æqualis esset æqualitate continentiæ; & si dicas cum Auersa, hoc ipsum deesse, quia non est superficies corporis continentis, hæc est petitio principij, dicimus enim id necessarium non esse, & de facto ita esse, quia de facto non datur superficies continens à corpore separata.

24 Ex quo constat, etiam falsum esse quod aiunt Complut. quæst. 2. numer. 30. locum dici vltimam superficiem corporis continentis, & non continens in recto, quia est id, quod continet, sed quo corpus locans continet. Quia cùm præcipuum loci munus sit continere locatum, in tantùm, quod formalitas ipsa loci in tali continentia consistit, immeritò negatur superficiei, quæ locus est, posse dici in recto continere locatum, immo id manifestè docet Aristot. 4. Physic. text. 30. vbi ait, locum esse id, quod continet locatum in recto, & quamuis modò sit corpori locanti ratio continendi, & veluti vt Quo, inde tamen non sequitur, quòd absolutè considerata nequeat dici continens vt Quod, sicut anima, quandiù est coniuncta corpori, dicitur homini ratio intelligendi, ita tamen vt absolutè considerata dici possit intelligens vt Quod, vnde inquit Doct. quòd si esset superficies à corpore locante separata, non minus potiretur ratione loci, quàm modò.

Soto 4. Physic. quæst. 1. art. 2. & Perer. lib. 11. cap. 1. docent, quòd locus dicitur superficies corporis continentis, & non potius continens, quia quod continet aliud, debet esse extra, & circa contentum, qua ratione dicitur continens esse maius contento, & ideò cùm superficies extrema continentis coexistat, & compenetretur cum extrema locati, ideoque non sit maior illa, sed omninò æqualis & non extra, aut circa locatum, sed potius intra; hinc est, quòd licèt superficies concaua dici possit locus, quia hic vtique debet esse æqualis locato, non tamen propriè dici potest continere locatum, ob rationes allatas, sed id conuenit corpori, cuius est superficies, hoc enim ratione molis suæ, & superficiei conuexæ dicitur esse maius locato, & esse extra illud in circuitu. Sed neque id rationabiliter dicitur, tum quia vt modò probatum est, potest superficies etiam in recto dici continere locatum; tum quia licèt superficies concaua locantis compenetrata sit cum conuexa locati, adhuc tamen extra locatum dici debet, & circa illud, quia locatum non est ipsa superficies conuexa corporis, sed totum ipsum corpus, licet locari dicatur media superficie sua conuexa, vt dictum est quæst. præced. art. 2. ad 2. tum quia non est de ratione continentis esse ita extra contentum, vt neque etiam sit illi contiguum, nec illud tangat; imò Philos. tex. 43. dixit, partes eiusdem corporis se inuicem continere, sicut neque absolutè necessarium est, vt sit maius illo, sed tantum ita de facto contingit, quia superficies continens est coniuncta cum corpore, quod est maius locato, & maioris ambitus per superficiem conuexam, quòd si separata foret, tunc vtique continens non esset maius contento, sed potius æquale, quatenus superficies continens, & conuexa contenti non facerent maiorem extensionem, quàm si vna tantum foret superficies, quia indiuisibile additum indiuisibili non facit maius.

25 Sed dices, continens est maius contento, quia si ambo essent æqualia, non esset ratio, cur vnum potius esset continens quàm alterum, ergo superficies corporis continentis se sola remanens circa contentum non potest verè dici illud continere, nec maior posset assignari ratio, cur hæc superficies & non potius conuexa locati sibi correspondens dici debeat locus, cùm sint æquales. Respondeo adhuc esse maiorem rationem, quia ad hoc, vt vnum aliud continere dicatur, non sufficit quicunque contactus, sic enim vtique non magis vnum dicit posset continere, quàm contineri, sed id, quod continet, debet circumambire, & intra se includere contentum, ita vt sit verum dicere, vt notat Doct. cit. in 2. ad arg. hoc contentum est ita infra hanc superficiem, vt nihil eius sit extra, & cùm id adhuc dici possit cum veritate de sola superficie concaua manente in ordine ad corpus intra ipsam manens inclusum, consequenter adhuc manet ratio, quare hæc superficies potius continens dicatur & non illa; immo etiam de facto hæc est ratio, cur superficies concaua continentis continere dicatur, & corpus mediante ipsa; illa autem maioritas molis corporeæ est potius ratio per accidens, cur vnum corpus potius dicatur continens, quàm contentum.

Itaque dicitur ab Aristot. locus *vltima superficies corporis continentis*, primò, quia de facto non datur talis superficies, nisi in corpore, & ideò semper est vltimum corporis continentis, vt notat Doctor. Deindè, quia sicut ratione superficiei conuexæ corpus locatum dicitur contineri, ita ratione concauæ corpus locans dicitur continere, quod enim conuenit superficiei, vt est terminus totius profunditatis ante se, toti etiam corpori solet attribui, vt patet de contactu, qui fit medijs superficiebus, & corporibus attribuitur. Tandem quia superficies dici solet locus naturalis, præsertim quatenus est terminus corporis continentis, in quantum corpus ipsum medio contactu per superficiem facto communicat locato qualitates sibi proficuas, vnde quando aliquid continetur ab vltimo illius, quod natum est ipsum saluare, dicitur esse in loco naturali, vt ait Doct. cit. ad argum. princip. vnde si non esset superficies terminatiua talis corporis, sed ab ipso seiuncta, licèt posset esse locus absolutè, & mathematicæ dictus, non tamen naturalis.

26 Tertiò additur *immobilis*, quia quicunque de loco locuti sunt, omnes eidem immobilitatem tribuerunt, vnde falsum prorsus est, quod hic ait Arriag. hanc particulam esse superfluam, nam cùm sit terminus, ad quem res tendit, necessariò immobilis esse debet, alioquin si moueretur motu recto, fieri posset, vt mobile nunquam attingeret terminum ex hypothesi, quòd locus ipse æquali velocitate moueatur, ac mobile, & si moueretur motu circulari eadem celeritate, ac locatum, tunc daretur motus localis circularis absque vlla mutatione loci, neque secundum totum, neque secundum partes, nam partes locati semper corresponderent eisdem partibus loci, accedendo simul, & recedendo ab eodem ad idem punctum; tum deinde vt arguit Scot. lit. B. si locus moueretur localiter, tunc loci daretur locus, & ita processus in infinitum, & tandem sequeretur, inquit Doct. quòd res immota manens posset mutare locum, & è contra mota loco eiusdem retinere locum, ex hypothesi nempè quòd locatum maneat fixum, & locus circa ipsum transeat, vt de arbore in fluuio, vel locatum secum deferat locum, quæ rationes ostendunt, qualis sit immobilitas loco necessaria; non enim est sola immobilitas per se, licèt hæc requiratur, quasi possit locus moueri per accidens, conuincunt enim rationes allatæ debere esse immobilem etiam per accidens; dato enim quod sit mobilis per accidens, idcirò ad motum alterius, non posset illum attingere mobile, si æquali velocitate locus per accidens moueatur; & vt ait Doct. quantumcunque accipiatur per accidens, posset dici esse in loco per accidens, & ei assignari alius, & alius locus per accidens, & ita adhuc erit processus in infinitum; & eodem modo concludit etiam alia ratio, & Arist. ipse text. 20. dicit, locum non esse materiam, vel formam, quia hæc mouentur localiter per accidens, & planè ponendo locum immobilem hoc modo tantum scilicet per se, est facere locum immobilem, sicut alia quæcunque accidentia, quæ sunt vtique immobilia per se, mobilia tamen ad motum subiecti, cùm tamen inter omnia accidentia locus speciali modo dicatur immobilis.

27 Neque huiusmodi immobilitas loco necessaria est sola immobilitas opposita mobilitati vasis, vt putauit Auersa sect. 3. cum multis ex Auer. 4. Physic. comment. 40. & 41. quamuis enim hæc omninò exigatur ad locum, vt docet Aristot. text. 41. cùm enim locus à natura sit institutus, vt aptus derelinqui à mobili, velut terminus à quo, & acquiri vt terminus ad quem, vtique omninò sibi repugnat, vt locus, translatio tam actiua, quæ est propria vasis, secum nimirum deferre locatum, quàm passiua moueri nempè ad motum rei locatæ, vt vter aere plenus infra aquam existens, quemadmodum docet Aristot. text. 40. Hæc tamen immobilitas translatiua non sufficit, cùm adhuc alio modo posset poni mobilis, etiam si non transferat locatum, vel transferatur ab eo, nempè si poneretur moueri ad motum corporis locantis, & in eo sensu ponendo locum mobilem adhuc sequuntur inconuenientia illa, quòd contingere posset, mobile nunquam terminum consequi, & quòd daretur processus in infinitum, & quòd res immota manens posset mutare locum, si circa ipsam fixam moueretur locus.

Immobilitas ergo loco necessaria, & quam conuincunt rationes allatæ, est immobilitas omninò opposita motui locali, ait Doct. ita vt motu locali nullo modo, nulla ratione, nullo sensu moueri possit, vt locus est, alioquin eo ipso quomodocunque moueri dicatur, sequuntur illa absurda, vt discurrenti patebit. Addit tamen, locum esse mobilem motu corruptionis, & destructionis, quod nedum de loco pro formali, verùm etiam pro materiali verificari potest, vt notat Lichet. 2. dist. 2. quæst. 6. recedente enim corpore ab hoc aere, statim concurrunt partes illius aeris, ne detur vacuum, & corrumpitur illud vltimum, & ita non solùm destruitur respectus continentiæ; sed etiam ipsamet superficies extrema continens, qua ratione dixit Sampson. 4. Physic. quæst. 2. propositionem illam, quòd corpora diuersa succedunt sibi in eodem loco, quantumcunque sit famosa non esse tamen vniuersaliter veram, loquendo de loco proprio, & adæquato, veritatem tamen habet in corpore solido continente, cuius vltima superficies manet recedente contento, & sola continentia destruitur. Adhuc tamen subiungit Doct. posse quandoque locum dici incorruptibilem secundum æquiualentiam, per comparationem ad motum localem, & est quando variæ superficies ita sibi immediatè succedunt circa idem locatum fixum manens, vt singulæ contineant illud in eadem distantia, & situ in ordine ad vniuersum nullo penitus inter vnam, & aliam spatio intercepto ad motum sufficiente, qua ratione illa diuersa numero loca habentur pro vno numero loco, quatenus est ita impossibilis motus ex vno in alium, ac si esset idem re- vera numero locus, vnde palus in aqua, dicitur hac ratione semper esse in eodem loco, etsi superficies aquæ, & continentiæ circa ipsum continuò varientur, vt dictum est num. 15. vnde verò sumi debeat hæc loci

loci immobilitas, & quomodo superficiei conuenire possit, dicemus art. seq.

28 Quartò demum dicitur *primus*, idest immediatus, & proximus quia locus à Philosopho diuisus fuit in communem, & proprium text. 14. communis est ille, qui ita continet locatum, vt etiam alia plura præter illud contineat, sic aqua dicitur locus piscium, auium aer, terra quadrupedum, quia præter quadrupedes etiam alia continet; proprius est, qui ita continet locatum, vt ei sit immediatus, & adæquatus, & præter ipsum non continet, aliud, & hic est locus definitus ab Arist. tex. 41.

Contra allatam loci definitionem sic declaratam obijcitur. Tum quia superficies ponitur in recto in loci definitione, continentia in obliquo, ergo superficies est principale significatum loci, & continentia connotatum. Tum 2. omnes loci proprietates ab Aristot. assignatę fundantur in superficie, & illi conueniunt, vt mox patebit, ergo in ipsa consistit essentia loci, nam essentiæ competunt proprietates, & illam nobis ostendunt. Tum 3. continentia dicit maioritatem respectu contenti, ergo in ipsa consistere nequit formalitas loci, qui debet esse æqualis locato. Tum 4. locus pro formali spectat ad prædicamentum Vbi, sed continentia ad tale prædicamentum spectare nequit, quia vt docet Doct. 4 d. 10. q. 1. I. est relatio realis non mutua, relationes verò prædicamenti Vbi sunt mutuæ. Tum denique per immobilitatem superficies vltima constituitur in ratione loci, nam superficies continens conuenit etiam vasi, vestibus, & similibus, & per immobilitatem distinguitur ab his omnibus; at ratio formalis dicitur illa, per quam res vltimo distinguitur ab alijs, quia idem est principium distinctiuum, & constitutiuum.

29 Resp. ad 1. neg. Assumptum, illa enim prædicatio, locus est superficies, est materialis, & sensus est, locus est relatio continentiæ fundata in superficie, & ita in vniuersum explicantur definitiones concretorum, cum per subiectum definiuntur, vndè si per formalem prædicationem resoluantur, forma erit in recto, & subiectum in obliquo, vt dictum est in Log. disput. cit. Vel admisso antec. negatur consequ. quia vt notat hic Amicus, illa non est bona regula cognoscendi rationem formalem concretorum, quæ omnia definiri habent per rationem materialem in recto ex 7. Met. cap. 14. Ad 2. iam dictum est, Aristot. in 4. Physic. indagare locum pro materiali, non pro formali, & ideò omnes ferè proprietates ab ipso enumeratæ sunt loci pro materiali, vnde potius argumentum est ad oppositum, inseruiunt enim illa attributa ad ostendendum, quid nam sit locus pro materiali, non pro formali. Ad 3. negatur assumptum absolutè, vt patet ex dictis in explicatione 2. particulæ definitionis. Ad neg. minor, & quando Scot. ait, continentiam esse relationem non mutuam, intelligit esse disquiparantiæ, quatenus vnum continet, & aliud continetur, intendit enim ibi secernere relationem continentiæ à relatione præsentiæ, quia hæc est æquiparantiæ, illa non, vt patet legenti textum. Ad 5. vas, & locus non differunt essentialiter, & in principali significato, sed tantum ratione connotati, vt dictum est ex Arist. & cum dicitur, id, per quod res vltimò distinguitur à quacunque alia, eius essentialem differentiam iudicari debere, ac præcipuum significatum, hoc valet in absolutis, non autem in connotatiuis, in quibus id, per quod differunt, non primariò significatur, sed connotatur, vt inductione patet in omnibus, sic priuatio à negatione differt, quia est in subiecto apto, non verò negatio, nec propterea dicimus aptitudinem esse rationem formalem, ac principale significatum priuationis, eius enim essentia consistit in simplici carentia, nec differt à negatione nisi ratione connotati, & sic de alijs, sic in proposito vt superficies continens dicatur locus, vtique necessariò exigitur immobilitas, & sine eas vas dicitur, non locus, sed non idcirco immobilitas debet iudicari eius ratio, & essentialis differentia, sed tantum connotatum omninò requisitum, vt locus dicatur.

ARTICVLVS II.

Attributa loci conuenire superficiei demonstratur.

30 Dicendum est, attributa omnia loci ab Aristot. enumerata tex. 30. & alia quædam ex eis deducta superficiei optimè conuenire. Prob. discurrendo per singula, primum loci attributum est continere locatum, hoc est, ita circumscribere, ac terminare ipsum vt non sit aliquid illi intrinsecum, idest nec materia, nec forma, nec pars integralis, nec accidens illi inhærens, aut alio modo ita ipsi adiacens, vt cum eo moueatur, sicuti vestis, sed sit omninò quid sibi extrinsecum, continens tamen ipsum, & ambiens; vndè non ipsa continentia est attributum loci, nam hæc iam posita est ratio formalis eius, sed ita continere locatum, vt nihil sit eius, ita quòd non continentia ipsa sed modus continendi est attributum loci, hoc autem totum competit superficiei concauæ corporis continentis, hæc enim nihil est locati, & omninò illi extrinseca, & ratione figuræ illud circumambit, & intra se claudit materialiter, merito relationis continentiæ actiuæ in ipsa fundatæ dicitur etiam formaliter illud continere, & circumscribere, quod addimus contra eos, qui contendunt, præciso omni accidente statim, ac ponitur vnum corpus intra aliud continentiam formalem intelligi, & rem esse formaliter locatam, quia præter extrema necessariæ sunt etiam relationes ipsæ prædicamentales ad tribuendas denominationes formales intrinsecas, sicut & modus subsistentiæ ad denominandam substantiam formaliter subsistentem, & modus inhærentiæ ad denominandum accidens inhærens, vt dictum est in Log. disp. de Relat. nam difficultas ista omnibus relationibus est communis, vt ibi visum est.

Secundum loci attributum est, quod sit æqualis locato, quod intelligendum est, vt omnes docent, de æqualitate continentiæ, seu secundum extensionem, non autem de æqualitate dimensionis cuiuslibet, sufficit enim ad hoc, vt locus sit æqualis locato, si superficies concaua loci secundum longitudinem, & latitudinem commensuretur locato, nec requiritur, quod secundum profunditatem sit illi æqualis, alioquin locus semper cum re locata penetraretur, quod est absurdum; neque hoc attributum præcedenti repugnat, quia vt diximus, falsum est, quod absolutè loquendo, continentia arguat maioritatem respectu contenti; hoc autem attributum superficiei competere de se manifestum est, quia hæc æqualitas attenditur inter superficies locantis, & locati, concauam illius, & conuexam istius. Sed dices, locatum non mensurari à loco secundum extensionem tantum, sed etiam quo ad profunditatem, vt patet de vino in vase, ergo debet esse æqualis locato secundum omnem dimensionem. Resp. negando assumptum, quantum enim distent extrema loci, vel vasis, dignoscimus ex profunditate alicuius corporis intercepti, ex quo deindè arguimus, quantæ profunditatis debeat esse locatum, vt adæquatè repleat extrema loci, & in hoc sensu solùm dicere solemus, locata mensurari à loco, vel vase secundum profunditatem.

32 Tertium attributum loci est, separabilem esse à quocunque locato distributiuè, non tamen collectiuè, naturaliter loquendo, quia tunc naturaliter daretur vacuum; idque etiam superficiei conuenire satis est manifestum, nam experientia constat, in eadem concaua superficie diuersa corpora recipi successiuè vnum post aliud, præsertim in superficiebus corporum solidorum, quæ non variantur recedente locato, in corpore verò fluido, vt in aere, vel aqua, quamuis recedente corpore, quod intra terminos aeris continebatur, partes eius concurrant, & concauum eius destruatur, hoc tamen merè illi accidit, vt corpus fluidum est, non verò vt locus est, nam si intra illos terminos succederet corpus aliud æquale priori, superficies illa eadem numero maneret; de quo videri potest Doct. quol. 11. art. 3.

Quartum loci attributum est, quòd sit terminus lationis, seu motus localis, vt docet Aristot. text. 32. dicitur enim motus localis, quia est ad locum tanquam ad terminum, non quidem intrinsecum, quia hoc est Vbi, vel quid aliud illi æquiualens, sed extrinsecum, modò enim in pleno ita vnum quodque corpus mouetur, vt alicui corpori extrinseco ipsum continenti approximetur, quod euenit media superficie; vndè patet, hoc etiam attributum superficiei conuenire, & quia ad terminandum etiam hoc modo motum exigitur in termino motus stabilitas, & consistentia quædam omninò opposita tali motui, aliter nunquam ipsum terminare posset, hinc deducitur.

Quintum, & præcipuum loci attributum, scilicet immobilitas omninò opposita motui locali, hæc enim omninò necessaria est ad terminum localis motus, sed quo pacto superficiei conuenire possit, valdè laborant Peripatetici, nam experientia constat, superficies corpora continentes moueri ad motum corporum locantium, quorum sunt superficies Bonet. 8. Physic. cap. 4. varios in hoc puncto refert dicendi modos. Pererius ad euitandam difficultatem dixit, immobilitatem non esse proprietatem cuiuscunque loci, sed conuenire tantum locis elementorum, superficies enim concaua Lunę est immobilis locus ignis, & superficies concaua ignis immobilis locus aeris, quia licèt continuò circulariter moueatur, hoc tamen fit semper in eodem loco, non enim motu recto ad alium locum fit transitus; quæ opinio ab omnibus refellitur; tum quia est manifestè contra intentionem Aristot. qui tex. 41. locum in genere distinguit à vase per immobilitatem; tum quia rationes supra allatæ pro loci immobilitate eam apertè de omni loco conuincunt.

32 Thomistæ immobilitatem superficiei prouenire dicunt ex determinato ordine, & distantia ad centrum, & polos mundi, vndè licèt materialiter locus moueri possit quo ad vnam, vel alteram superficiem, formaliter tamen quo ad certam distantiam à punctis mundi fixis est omninò immobilis, & ratione huius ordinis, ac distantiæ dicitur turris semper in eodem loco manere, quamuis continuò circa ipsam varientur aeris superficies, idque probant tum auctoritate Philosoph. qui text. 42. probare volens, locum esse immobilem, id ex eo probat, quòd sursum, quod est in concauo orbis Lunæ, & deorsum, quod est centrum, sunt penitus immobilia; tum ratione, quia sicut respectus iste distantiæ est causa vnitatis loci, vel multiplicitatis, nam eadem superficie manente, & variatis distantijs, variatur locus, vt patet de aqua in vase hinc inde translato, & manente eadem distantia, variatis superficiebus permanet idem locus, vt patet de turri flante vento, ita & pariter erit causa immobilitatis; quam sententiam enixè tuentur Mas. 4. Physic. disputat. de Loco quæst. 4. & Complut. q. 2.

Sed hic dicendi modus reijcitur à Bonet. loc. cit. & satis manet improbatus ex dicta quæst. præced. art. 1. vbi ostensum est, manente eadem distantia ad centrum, & polos rem posse localiter mutari, si v.g. totus Orbis simul cum terra moueretur à Deo per spatium imaginarium

rium seruata eadem dispositione corporum, & elementorum; & è contra variata huiusmodi distantia posse rem eundem retinere locum casu, quo Deus Cœlum deprimeret versùs Antipodes, terra seruata immota: ergo ex huiusmodi respectu ad centrum, & polos absolutè, & per se desumere non possumus, nec debemus vnitatem, vel multiplicitatem loci, nec immobilitatem superficiei, & recursus ad puncta imaginaria omninò vanus est, quia vt res non dicitur propinqua rei non existenti, ita neque distans ab ea, & vera loci immobilitas, quæ consistentia quædam est realis, & positiua, à mero figmento desumi non debet, vt enim inquit Bassol. 2. d. 2. quæst. 3. puncta in Cœlo imaginata, non nisi immobilitatem imaginatam loco præbere possunt. Tum deinde id, à quo sumi debet superficiei immobilitas, esse debet omninò immobile, at ordo ille ad centrum, & polos absolutè loquendo mobilis est, moueretur enim data illa hypothesi, quod orbis moueretur per spatium imaginarium; Arist. autem loc. cit. loci immobilitatem explicuit per centrum, & polos, quia modò immobilia sunt; qua etiam de causa per comparationem ad ea modò sumere solemus vnitatem, & diuersitatem locorum, sed hoc est omninò per accidens, absolutè enim & centrum, & poli, & quicunque respectus ad ea mobilia sunt. Tandem vt arguit Doct. lit. D. etiam de facto falsum est, mutata superficie manere eundem respectum numero in succedente ad centrum, & polos, quia accidens non migrat de subiecto in subiectum, vel ergo mouetur ad motum eius; vel certè corrumpitur, ac proindè ab eo rigorosa numeralis identitas loci attendi non poterit, vt contendunt Thomistæ cum D. Thom. sup. tex. 41.

33 Idcircò alter extat dicendi modus, qui Scoto tribuitur, & Scotistis, docens, superficiem vtique immobilitatem accipere ab illo ordine ad centrum, & polos mundi, non tamen immobilitatem simpliciter, vel identitatem, vt volebant Thomistæ, quia re vera mutata superficie non manet idem numero respectus, sed tantum per æquiualentiam, quo sensu turris flante vento in eodem loco esse dicitur, non simpliciter, sed per æquiualentiam, quatenus superficies succedens turrim continet cum ordine eiusdem rationis ad vniuersum, etsi non eodem numero. Sed cùm respectus iste ad centrum, & polos absolutè sit mobilis vt ait Bonet. & possit res mutare locum manente eadem distantia ad partes vniuersi, & non mutare locum ipsa variata ex dictis, certè ab ipso desumi nequaquam poterit superficiei immobilitas, neque simpliciter per se, & absolutè loquendo, & immeritò hic dicendi modus Scoto tribuitur in 2. d. 2. q. 6. non enim per æquiualentiam contendit ibi saluare loci immobilitatem, sed incorruptibilitatem, vt patet legenti textum, vnde valdè hallucinantur Recentiores omnes, vt Faber notat theor. 47. c. 1. dum id, quod Scotus docuit de loci incorruptibilitate, dixisse de loci immobilitate arbitrantur, immo & ipsam loci incorruptibilitatem, seu identitatem per æquiualentiam adhuc non explicat Doctor per comparationem ad polos, & centrum, quasi turris esse semper dicatur in eodem loco per huiusmodi comparationem, vt ei Iuniores tribuunt, sed ait manere in eodem loco per æquiualentiam per comparationem ad motum localem, vt supra est declaratum.

Scotistæ reuera solent passim docere, locum esse omninò immobilem immobilitate opposita motui locali, non ratione superficiei, cùm ista moueatur saltim per accidens ad motum corporis locantis, sed ratione formalis continentiæ, quæ nunquam localiter mouetur, sed superficie, in qua fundatur, deserente locatum v. g. turrim, statim corrumpitur, & desinit esse; itaque volunt, immobilitatem propriam loci primò conuenire continentiæ, quæ est loci formale, & ipsa mediante conuenire etiam superficiei, ita quòd superficies cum tali continentia sit omninò immobilis localiter, ita Lichet. 2 d. 2. q. 6. & alij Scotistæ, Canon. 4. Phys. q. 1. Parisienses q. 3. Fuentes q. 1. diff. 1. art. 2. Sed neque hic modus sufficienter saluat immobilitatem loci, falsum enim est, superficiem cum illa continentia moueri non posse, quia interdum contingit, vel saltim contingere potest, corpus moueri, & cum eo aerem, vel aquam, à quibus circumscribitur, & eadem velocitate vtrumque moueri, in quo casu permanet eadem continentia inter vtrumque extremum, & cum vtroque mouetur, ergo cùm etiam respectus iste continentiæ sit mobilis localiter ab ipso desumi nequit superficiei immobilitas, hæc enim attendi debet in ordine ad aliquod immobile prorsus. Nec dicere valet, in his casibus superficies continentes habere rationem vasis, non loci, quia hoc aliud non est, quã dicere, mobilitatem non repugnare continentiæ, ac proindè ab ea loci immobilitatem attendi non debere. Et si dicatur, non repugnare continentiæ vasis, sed benè continentiæ loci, Non sufficit, quia adhuc assignari debet, vndè continentia loci reddatur immobilis, quia sicut superficiei accidit continentia, ita continentiæ accidit immobilitas, cùm eadem numero continentia possit esse mobilis, quo sensu dicitur continentia vasis, & immobilis, eo sensu dicitur continentia loci. Bonet. loc. cit. aliorum placitis refutatis tres tandem dicendi modos refert, vt de mente Aristot. & Com. ad declarandam loci immobilitatem, quorum primus Cœlorum locis solummodo immobilitatem concedit, quatenus superficies concaua vnius est locus perpetuus, & incorruptibilis alterius; alter verò locis elementorum dumtaxat immobilitatem tribuit, quatenus singula habet sua loca determinata, & inuariabilia; tertius denique omnibus quidem locis hoc attributum defert, non tamen secundum considerationem naturalem, sed Mathematicam dumtaxat, quia hæc abstrahit à motu, & materia sensibili; Cœterum hos tres dicendi modos esse prorsus insufficientes iam ostendimus disp. 8. Log. q. 12. art. 2. tractando de Vbi, & Situ, eo quia vel non saluant immobilitatem cuiuscunque loci contra manifestam Arist. mentem, qui tex. 41. immobilitatem astruit de quocunque loco, & contra rationem, quæ expressè militat pro quocunque loco, vt constat ex rationibus adductis pro loci immobilitate nu. 26. vel non saluant illam, vt omninò oppositam motui locali, vel tandem non secundum considerationem naturalem, sed solùm Mathematicam, cum tamen etiam rationibus naturalibus, & physicis loci immobilitas demonstretur, vt constat ex dictis.

Quidam alij dixerunt immobilitatem loci desumi à tali, vel tanta distantia ad terminum ad quem motus localis, quo mouetur corpus à loco ad illum terminum, nam locus, vt dicit talem distantiam, nequit omninò moueri. Sed hic quoque modus dicendi prorsus inutilis est, tum quia superficies aeris, cum huc, & illuc fluat, nunquam fundare potest talem, vel tantam distantiam ad hunc, vel illum terminum, & sic nunquam poterit dici immobilis, & fungi munere loci; tum quia superficies vna potest retinere eandem distantiam ad aliam vt concaua Lunæ ad conuexam Terræ, & cum illo respectu distantiæ moueri ex hypothesi, quod totus moueatur Orbis; tum tandem quia hic dicendi modus attendit immobilitatem in loco, vt est terminus à quo localis motus, quatenus moueri nequeat localiter ad terminum ad quem, neque recedere ab ipso, & tamen vt constat ex dictis num. 26. desideratur immobilitas in loco potius, vt habet rationem termini ad quem.

34 Neoterici communiter dicunt, immobilitatem loci prouenire ab immobilitate spatij, quod fixum semper est, neque vlla ratione mutari potest, quare immobilitas primò conuenit superficiei spatij imaginarij, in quam incidere dicimus superficiem realem, vndè realis superficies habet, vt sit immobilis, quatenus habet præsentiam ad certum spatium, quæ præsentia est immobilis prorsus localiter, sicut spatium ipsum, explicari autem solet huiusmodi immobilitas per centrum, & polos, quia ea nunc mutantur, re tamen vera immobilitas per se, & absolutè loquendo potius attendi debet à punctis spatij imaginarij, in quæ ipsa re alia in vniuerso modò incidunt; ita Amicus, qui alios citat 4. Phys. tract. 20. quæst. 1. dub. 9. art. 2. & in hanc sententiam Thomistæ descendunt, dum volentes seruare loci immobilitatem per distantiam ad centrum, & polos, ad illum casum, quo Deus totam Cœlorum molem versùs vnam partem moueret, re aliqua manente in inferiori mundo in eodem loco, quo priùs, inquiunt, in tali casu eandem adhuc remanere distantiam ad easdem Cœli partes, & puncta, non quidem reales, sed ad easdem imaginarias, nam semper imaginamur quædam puncta, vel partes respondere in eodem situ alijs, quæ ibi antea erant, ita communiter respondent Thomistæ apud Masium cit. q. 4. ad 4. & ita respondentes planè coincidunt cum Neotericis, à punctis spatij imaginarij loci immobilitatem desumentibus. Imò Scot. ipse ab hac sententia non longè videtur abire, nam lit. F. distantiam duorum locorum, & ordinem diuersum ad totum vniuersum attendit præcisè ex spatio intercepto, quare & ipse loci immobilitatem, & vnitatem ex vnitate, & immobilitate spatij & auspicari videtur.

Sed neque hic modus dicendi, tametsi omnes alij in eum incidere videantur, plenè satisfacit; tum quia in primis tale spatium omninò non datur corporibus coexistens, vt supra probatum est, ergo ab ipso in superficiem immobilitas deriuari nequit. Tum 2. si daretur, neque ab ipso auspicari posset, quia loci immobilitas est positiua quædam consistentia, & si per negationem explicata, ergo à spatio quod est mera negatio, attendi nequit. Tum 3. non maiorem habet realitatem hoc spatium imaginarium, si daretur corporibus coexistens, quam puncta imaginaria Thomistarum, ergo si ab istis non rectè sumitur loci immobilitas, vt Neoterici fatentur, Amic. cit. art. 3. Hurt. disp. 14. Phys. sect. 3. & alij, ita neque à spatio desumi valebit. Tum 4. quia rationes omnes, quæ fieri solent contra puncta imaginaria, quòd ex determinata distantia ab illis immobilitas loci nequit attendi, quia vt res non dici ur propinqua rei non existenti, ita neque distans ab illa, & quòd hac ratione quis dici posset ab Antichristo distans, & alia huiusmodi, optimè retorqueri possunt contra spatium imaginarium, quòd ex propinquitate cum eo, vel affixione cum ipso immobilitas loci nequeat attendi, sicut enim puncta imaginaria, quia nihil sunt, veram, & realem distantiam terminare non possunt, ita neque spatium veram propinquitatem, cùm nihil sit. Tum 5. hæc immobilitas superficiei ex spatio desumpta non est, nisi consistentia eius in tali spatio, idest intima eius localis præsentia ad tale spatium, cum quia omninò moueri repugnat, ergo loci datur locus, & loci immobilitas ex ordine ad alium locum desumenda erit, atque ita propriè spatium erit locus, non superficies, quod supra impugnatum est. Scot. autem cum inquit loc. cit. distantiam locorum, inter quos potest fieri motus, attendi ex spatio intercepto, loquitur de spatio reali, & positiuo, quod constituitur ex corporibus interiectis inter terminos motus, non autem de spatio imaginario, quod non nisi extra mundum agnoscit in 1. d. 37.

35 Itaque dicendum putamus, quòd quamuis Arist. text. 42. immò, & Doct. ipse cit. loci immobilitatem, vnitatem, & diuersitatem desumpserint ex determinato ordine, quem dicit superficies ad partes vniuersi, quæ modò fixæ sunt, & immobiles, tamen per se, & absolutè loquendo hæc omnia desumi debent ex determinato ordine, quem dicit ad partes virtuales diuinæ substantiæ, cùm enim hæc ob suam immensitatem sit vbique diffusa etiam extra vniuersum, vt infra, non posset dari superficies, quæ non sit illi intimè præsens, & cum ob suam limitationem non possit illi coexistere vbicunque intelligitur coexistere alicui parti eius, non formali, quia formaliter indiuisibilis est, & est tota in toto vniuerso, & tota in qualibet eius parte, sed virtuali, quia cùm substantia spiritualis ob suam illimitationem per locum extendatur non minus, ac si esset corporea, & diuisibilis, necessariò in ipsa concipere, debemus pluralitatem partium virtualem, resque creatas aliquibus illarum coexistere, & non omnibus, hoc est, toti substantiæ spirituali, sed non totaliter; cùmque diuina substantia, & quælibet eius pars virtualis sit prorsus immobilis, & consistens, immobilis etiam erit respectus præsentiæ, quem dicit superficies ad ipsam, respectus enim non est mobilis, nisi vtrumque extremum mobile sit; igitur ex tali intima præsentia benè desumi potest superficiei immobilitas, quatenus superficies cum tali præsentia est prorsus localiter immobilis, & etiam vnitas, & diuersitas loci, quatenus ex determinata præsentia, & ordine ad determinatas partes diuinæ substantiæ superficies continens ad hunc, vel illum locum constituendum contrahitur, non quidem vt genus logicum, quia vt dictum est, immobilitas, quæ talem præsentiam inuoluit non habet rationem differentiæ, sed vt genus physicum; & sicut ad rationem integram loci in genere pertinet immobilitas in communi desumpta scilicet ex præsentia superficiei ad determinatam partem diuinæ substantiæ vagè, ita immobilitas in particulari spectat ad rationem integralem loci in particulari, illa nimirum, quæ sumitur ex præsentia ad certam, & signatam partem diuinæ substantiæ; cui autem hic dicendi modus veluti nouus, & peregrinus non placeret, præcedentem modum ab immobilitate spatij desumentem superficiei immobilitatem sequi poterit; tum quia cœteri modi in eum incidere videntur; tum quia ad eum facilè Doct. posset trahi, nobis tamen solidiùs visum est ex immobilitate potius diuinæ substantiæ vbique diffusæ, quàm spatij imaginarij desumere superficiei immobilitatem, vt habet rationem loci, neque re vera hic noster dicendi modus nouus est, & Peregrinus in schola Scotistarum, illum namque refert Bonet. loc. cit. vt de mente Scotistarum quorundam: & licèt contra illum quandam objiciat dubitationem hic Auctor, ea tamen parui momenti est, quam soluimus in Log. loc. cit. disp. 8. q. 12. ar. 2. vbi etiam notauimus non esse nostrum dicendi modum, quem refert & refellit Arriag. hic disp. 14. à n. 32. (licet perfunctoriè rem consideranti fortasè ità videbitur) vndè neque opus est eius obiectionibus satisfacere.

36 Sed dices etiam vas in hoc sensu esse immobile, quia cum tali ordine ad determinatas partes diuinæ substantiæ nequit hinc alio transferri; facta enim tali translatione, necessariò variatur talis ordo, immobilitas verò loci talis esse debet, vt non sit ei communis cum vase. Resp. argumentum vrgere pariter, tam qui immobilitatem superficiei ab intima præsentia ad spatium auspicantur, quam qui ex determinato ordine ad vniuersum, nam vas quoque sub his respectibus est prorsus immobile, quamuis ergo cum tali respectu præsentiæ ad determinatas partes diuinæ substantiæ vas etiam sit immobile, attamen stante ratione vasis potest hinc alio transferri, imò mobilitas translatiua est de eius ratione, locus verò est prorsus immobilis immobilitate opposita omni motui locali, etiam translatiuo, quod vasi non conuenit, & ideò talis immobilitas conuenit loco, quæ vasi repugnat.

Quædam alia attributa loci assignat Arist. tex. 30. quæ non conueniunt loco absolutè, & per se sumpto, sed quatenus naturali, & annexas habenti qualitates conseruatiuas locati, ac proinde etiam superficiei conueniunt, accidentaliter, nimirum non quatenus continenti, sed quatenus est superficies talis corporis, quod natum est conseruare locatum, imò talia assignat, quod nec etiam omni loco naturali propriè conueniunt, sed tantum loco naturali eorum corporum, quę motu recto mouentur, vt sunt elementa, & mixta, huiusmodi est illud, quòd omnis locus in vniuerso est sursum, & deorsum idest habet talem positionem, & situm in vniuerso, vt sursum, aut deorsum esse dicatur hoc enim intelligitur de loco naturali grauium, & leuium, quia iuxta has positiones his corporibus assignantur propria loca, leuibus sursum, quod est concauum Lunæ, grauibus deorsum, quod est centrum terræ; Neque huiusmodi differentiæ positionis sursum, & deorsum censendæ sunt essentiales differentiæ loci, sed potius omninò accidentales, vt ex Doct. colligitur 4. d. 10. q. 2. ad 1. princ. tum quia cùm non conueniant, nisi loco, quatenus naturali, & naturalitas merè accidat loco ex Doct. 2. dist. 2. q. 6. consequenter etiam huiusmodi differentiæ accidentales erunt; tum quia si Deus destrueret vniuersum relicto aere Petrum ambiente, Petrus esset in loco, non tamen sursum, neque deorsum, quia non esset nec Cœlum, nec centrum, in ordine ad quæ locus dicitur sursum, & deorsum, & recurrere ad Cœlum, & centrum imaginarium est prorsus inutile, vt sæpè probatum est. Tum tandem quia eadem numero superficies continens, quæ modò erat locus deorsum ex approximatione ad centrum, potest euadere locus sursum per propinquitatem ad Cœlum; Eadem ratione tantò minus essentiales differentiæ loci esse possunt aliæ positiones differentiæ, ante, & retro, dextrum, & sinistrum, quia hæ non competunt corporibus ex natura rei, vt sursum, & deorsum, sed potius per solam denominationem, & assignationem deriuatam à nobis.

37 Tale etiam est illud attributum, quod loco tribui solet, nempè attrahere, & conseruare locatum, hoc enim de loco naturali elementorum, & mixtorum omnes intelligunt, neque enim propriè vnum Cœlum dicitur aliud conseruare, dicitur autem locus attrahere locatum; vt centrum graue, non per modum causæ effectiuæ immitendo aliquem impulsum, vel qualitatem in attractum, vt magnetem aiunt, immitere in ferrum; tum quia hæc attractio fit ad quamcunque distantiam, tum quia si centrum sub sola ratione centri relinquatur præcisa quacunque actiua qualitate, adhuc graue naturaliter tenderet in illud, vt Scot. docet in 2. d. 2. q. 10. inf. B. erit igitur hæc attractio potius in genere causę finalis, quatenus tendit in illud ex appetitu, quem habet ad propriam conseruationem, quam ibi inuenit, vt ait Doctor. ibidem, vnde est attractio potius metaphorica, quam physica; dicitur verò conseruare locatum, tum quia corpus continens est præditum qualitatibus locati conseruatiuis, vt aer respectu auium, aqua respectu piscium, vt docet Doct. d. 2. q. 6. H. tum quia locatum continet in debita distantia à Cœlis, vt eorum influxus in locato recipiantur attemperati ex tali distantia, iuxta aliorum placita.

Sed dices, graue, quo magis accedit ad centrum, velociùs descendere, ergo attractio illa erit physica, eò enim est maior, quo passum fit propius. Et vnum elementum habet contrarias qualitates, ac alterum, contrarium verò non conseruat, sed destruit contrarium, & hac ratione contra communem sensum Philosophorum vt Masius cit. testatur, & Complut. quæst. 5. negauit Vallesl. lib. 6. de Sacr. Philos. locum habere vim conseruandi locatum, quem nuper sequutus est Hurtad. disputat. 14. Physic. sect. 3. libenter, vt assolet, à communi discedens; Respon. negando conseq. non enim graue velociùs mouetur, quo magis ad centrum accedit, quia magis approximetur causæ efficienti, aliter eadem velocitate moueretur lapis, si è propinquo tenderet deorsum, ac si ab alto, quia in fine esset in æquali distantia à loco naturali, sed quia à tergo plurimum aeris ipsum magis impellit, licèt hæc sit causa minus præcipua, principalior enim causa, vt dicimus in lib. de Cœlo disp. 3. nu. 50. est impetus à grauitate causatus in graui, dum mouetur deorsum, vt docent Regentes Parisiens. 2. de Cœlo q. 1. collat. 3. Ad aliud de elementis dicimus, vnum simbolum conseruari ab alio ratione simbolæ qualitatis, virtutes verò actiuæ, & passiuæ, quas habent ratione qualitatum contrariarum attemperari dicuntur ex Cœlestibus influxibus ne se tam facilè interimant, & hoc quoque oritur ex loco continente locatum in debita à Cœlis distantia, ob cuius defectum aer, & ignis in his inferioribus rixantur, vt notant Compl. cit.

QVÆSTIO III.

An præter locum extrinsecum debeat admitti in re locata, & quid sit.

38 NOminales partem negatiuam tradiderunt dicentes, vbi esse quandam extrinsecam denominationem deriuatam à loco, seu superficie vltima continentis, in rem, quæ intra illam continetur, & nihil ex natura rei superaddere rei loco existenti, ita Greg. 2. d. 1. q. 4. art. 1. Rubion d. 2. q. 6. sequitur Fons. 6. Met. c. 15. q. 10. sect. 5. & nuper Coninch. de Sacr. ad q. 75. art. 4. dub. 1. At opposita opinio, præter rem locatam, & locum ipsum admitti debere modum præsentiæ localis ex natura rei superadditum, qui dicitur Vbi, & rem formaliter constituit in certo loco, est communis sententia apud veteres, & recentiores, eam enim apertè docuit Scot. quol. 11. & 2. dist. 2. quęst. 6. & 4. dist. 10. quæst. 1. & 2. cum sectatoribus, sequuntur Neoterici omnes, Suarez disputat. 51. Met. sect. 1. Vasq. 1. p. disputat. 29. & 188. & 195. Conimbr. 3. Phys. cap. 3. quæst. 2. art. 2. Auersa q. 27. sect. 1. & 2. Amic. tract. 20. q. 6. Turrian. opusc. 9. disp. 1. dub. 9. Hurt. disp. 14. Phys. sect. 2. Arriag. disp. 14. n. 7. Io. de Lug. disp. 5. de Sacram. Euch. sect. 4. & alij passim.

Diffidium tamen adhuc est in re explicanda, Scot. enim quol. 11. docet ex professo, Vbi, seu præsentiam localem esse relationem quandam extrinsecus aduenientem in locato passiuè, relictam ex actiua circumscriptione superficiei continentis iuxta definitionem traditam ab Auctore sex principiorum. *Vbi est circumscriptio corporis locati, &c.* Neoterici omnes è contra profitentur, Vbi esse formam quandam absolutam per ipsum motum in re locata productam includentem relationem transcendentalem ad spatium imaginarium, cui constituit rem intrinsecè præsentem: (immo Arriag. & Ioan. de Lug. citat. aiunt vbications in re tam esse formas absolutas, quam albedinem, & nigredinem) Verùm quia modò motus localis fit in pleno, addunt, hoc idem vbi per accidens etiam respicere superficiem ambientem, & ei quoque rem constituere præsentem, parumque curant de hac præsentia accidentali, & extrinseca in ordine ad superficiem, an sit relatio quædam prædicamentalis, an potius sola extrinseca denominatio à superficie deriuata in corpus, nam sufficit illis, hunc modum Vbi per se non pendere ab vllo extrinseco corpore ambiente, sed tantùm à certo, & determinato spatio, cui per tale Vbi res dicitur intimè præsens ablato quocunque corpore extrinseco ambiente, in quam sententiam Fuentes 5. Phys. q. 2. diff. 1. ar. 2. totus abijt, & quod peius est, hanc asserit esse Doct. nostri mentem.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, Vbi esse modum ex natura rei superadditum rei locatæ, & loco.

39 DIcendum est, præter rem locatam, & locum verè dari peculiarem modum præsentiæ localis, qui dicitur Vbi, vt quid ex natura rei superadditum, quo formaliter res dicitur esse alicubi præsens localiter; concl. est Scot. loc. cit. & apud omnes receptissima, & Prob. ex eodem quol. 11. art. 3. potest esse hoc v.g. corpus in rerum natura, & etiam hæc superficies ambiens; absque quòd tale corpus dicatur esse hic, seu in tali loco, ergo hoc corpus esse hic, seu in tali loco aliquid superaddit entitatibus loci, & corporis, eritque intima coniunctio rei, & loci, siue præsentia huius corporis in eo loco, & hoc est, quod dicitur, & appellatur Vbi, cumque positum in tali loco possit denuò talem amittere præsentiam manentibus entitatibus loci, reique locatæ, sequitur, modum Vbi ex natura rei ab vtroque distingui, hac enim ratione disputat. 5. quæst. 9. probauimus, extrema distingui ab vnione, quia possunt esse sine tali vnione: an verò distinctio hæc sit appellanda realis, vel solùm modalis, est quæstio de nomine, vt ibi diximus.

Respondet Coninch. vt aliquid dicatur esse in loco, non requiri, rem ab vtroque realiter distinctam, sed solam localem indistantiam vnius ab alio sufficere, quæ indistantia est simplex negatio distantiæ. Sed contra, motus realis, & positiui assignari debet terminus realis, & positiuus, & quidem mobili intrinsecus, sicut est ipse motus ex 3. Physic. ergo per motum localem, qui est motus realis, & positiuus, non acquiritur sola negatio distantiæ, sed indistantia positiua, seu intima præsentia rei locatæ ad locum. Immò dum isti relationum, atque modorum hostes explicant indistantiam per simplicem negationem distantiæ, & distantiam per negationem indistantiæ iam apertè nostram profitentur sententiam, cùm negatio negationis dicat quid positiuum.

Respondet Coninch. acquiri quidem per motum terminum realem, nempè nouam superficiem ambientem, vel nouum spatium, ratione cuius res dicitur esse, vbi priùs non erat, sed talis terminus non est locato intrinsecus, cùm hoc totum dicatur per solam denominationem extrinsecam, & connotationem noui loci extrinseci, quæ est communis responsio Nominalium. Sed contra; Tum quia terminus motus localis ita per ipsum acquiritur, vt de nouo per ipsum accipiat esse, nam regulariter motum actio realis concomitatur, cui proinde assignari debet nouus, & realis terminus, ac positiuus, at in motu locali non fit de nouo entitas spatij, vel loci, sed in se supponit ex 4. Phys. text. 17. 21. & 36. Tum quia terminus per motum acquisitus esse in ipso mobili, sicut est ipse motus, nam ipsum est, quod mouetur. Tum quia ita necesse est, vnicationem esse mobili intrinsecam, sicut est motus ipse, quia motus est ratio, qua terminus eius intrinsecè pendet à subiecto. Tum tandem quia res non dicitur verè mutari per solam denominationem extrinsecam ad mutationem intrinsecè factam in alio subiecto, alioquin verè Deus mutari diceretur; quia in tempore ex vera mutatione in creaturis facta recipit nouas denominationes extrinsecas.

40 Deindè principaliter Prob. Concl. ex eo, quod docet Scot. in 4. dist. 10. quæst. 2. ad 2. quod Vbi est fundamentum propinquitatis, & distantiæ, Petrus enim de se indifferens est ad distandum à Paulo vno stadio, & duobus, & modò distat duobus, & antea vno, planè non alia ratione, nisi quia priùs erat hic, & postea ibi, & eò præsertim vrget ratio, quia distantia est relatio intrinsecus adueniens, quæ non acquiritur, nisi priùs facta mutatione in aliquo extremorum, quæ in casu fit in Petro, quia supponimus, Paulum non moueri; quam rationem fusè prosequitur Hurtad. loc. citat. Demum hæc Nominalium Philosophia, vt inquit Turrian. iam diu à scholis relegata est, & immerito à Coninch. sine causa reuocetur ab exilio, nam intelligi nequit noua simultas rei cum loco absque aliquo de nouo, quia in rebus physicis repugnat mutationem fieri absque aliqua re, aut modo reali nouiter producto. Vide hanc conclusionem rursus probatum disputat. 8. Log. quæst. 12. ar. 2. & Io. de Lug. cit. fusè contra Coninch. disputantem.

In oppositum Obijcitur 1. Tum quia esse alicubi nil aliud est, quàm esse in aliquo loco, idest ab aliqua superficie, vel spatio contineri, quod est mera denominatio extrinseca. Tum 2. quia Arist. 4. Phys. 30. & 32. nullum alium agnoscit motus localis terminum præter locum, & 8. Phys. 59. ait, per motum localem non mutari intrinsecè ipsum mobile, sicut mutatur per alios motus, quia in alijs motibus acquiritur noua forma accidentalis, vt qualitas, vel quantitas, non autem in motu locali. Tum 3. præcisa hac præsentia, vel Vbi intrinsecè à locato, & relicto corpore extrinseco continente, vel erit alicubi; vel non; hoc secundum est inintelligibile, ergo primum. Tum 4. vt ait Gregor. si interrogetur de Sorte, vbi est, & dicatur, esse in Ecclesia, in Foro, in Schola, benè respondetur, sed ista significant ipsa loca extrinseca, & non aliquam rem formaliter locato inhærentem. Tum denique esse aliquando, seu in aliquo tempore non ponit in re nisi denominationem extrinsecam à tempore communi desumptam, cui coexistit, ergo pariter rem esse alicubi, vel in aliquo loco non dicit, nisi denominationem extrinsecam ab eo loco desumptam, cui coexistit.

Resp. ad 1. neg. assumptum, nam cum circumscriptio passiua rei locatæ à loco sit terminus motus realis, & positiui, non potest in mobili importare solam extrinsecam denominationem. Ad 2. verum est Arist. loc. cit. 4. Phys. non agnoscere alium terminum extrinsecum motus localis præter locum, agnoscit tamen etiam intrinsecum, dum 5. Physic. ponit motum ad Vbi, & 8. Physic. noluit negare rem per motum localem, nullam prorsus pati mutationem intrinsecam, sed non pati tantùm, quantum patitur per alios motus accidentales alterationis, & accretionis, quia nempè Vbi est forma adhuc magis subiecto extranea, quàm sit quantitas, & qualitas; qua ratione Doct. in 4. d. 10. q. 2. G. dixit, vix aliquam habitudinem accidentaliorem subiecto reperiri posse ipso Vbi. Ad 3. stante indistantia corporis ab hac superficie circumscriptio passiua tolli non potest, cùm hæc sit ipsamet præsentia localis corporis ad superficiem, vt docet Doct. quol. 11. art. 4. & si per impossibile tolleretur, tunc non esset alicubi formaliter, sed fundamentaliter, vt de hac, & illa albedine dicimus præcisa similitudine. Ad 4. interrogatio facta per Vbi populariter quærit de loco pro materiali, & continente; cui etiam plerumque satisfacimus per locum communem respondendo, est in schola, in platea, &c. & hoc quia ista sunt notiora, vndè ex eo populari modo loquendi nihil ad rem deduci potest. Ad 5. negatur paritas, & ratio disparitatis assignabitur infra disp. 13. q. 1. propè finem.

41 Secundò arguit Rubion quod præsupponit locatum esse in loco, non est necessarium ad hoc, vt illud dicatur in loco, sed Vbi est huiusmodi, præsertim si ponatur forma respectiua, supponit enim corpus, & superficiem intimè approximata. Tum 2. locatum est immediatè in loco, ergo nihil poni debet realiter distinctum, quo medio sit in loco, alioquin immediatè in loco non foret. Tum 3. potius Vbi deberet dici esse in loco per locatum, quam è contra, quia potius accidens dicitur esse in loco per subiectum, quam è contra, vt patet de albedine in homine. Tum 4. minus rectè videtur poni corpus in loco per Vbi, quam per albedinem, quia minus subiectum potest dici in loco existere per illud accidens, quod supponit, ipsum esse in loco; Vbi autem supponit, corpus esse in hoc spatio, & in corpore sic existente resultat, non autem albedo, vel similitudo, quæ abstrahunt à loco, ergo meliùs per hæc poneretur in loco. Tum 5. assignari nequit, à quo producatur illud Vbi passiuum in re locata; & dicatur ab ipsa re produci in seipsa per motum, tunc quærendum manet, à quo producatur actiuum in locante, quod non mouetur. Tum denique ridiculum est dicere, quòd quandocunque res mutat locum, sex formæ reales corrumpantur, & sex aliæ de nouo generentur, quòd tamen dicendum est, ponendo Vbi actiuum, & passiuum formas respectiuas realiter distinctas à loco, & locato, nam ex parte loci præter Vbi actiuum admittenda est duplex vnio, vna ex parte loci ad Vbi actiuum, qua mediante illud sibi copulet, & alia ex parte ipsius Vbi, qua mediante dicatur vniri loco, quia sunt relationes mutuæ, & totidem ponendæ erunt ex parte locati inter ipsum, & suum Vbi passiuum.

42 Respond. ad 1. ex approximatione corporis ad superficiem prærequisita ad resultantiam Vbi, solùm sequitur, quòd Vbi supponat corpus in loco fundamentaliter, & materialiter, non verò formaliter, quod commune est omnibus extremis relationum conceptis præcisa relatione, nec difficilius est concipere tunc extrema solùm fundamentaliter talia, & non formaliter, vt duo alba fundamentaliter similia, antequam relatio similitudinis consurgere intelligatur, quam concipere substantiam solùm fundamentaliter subsistentem, antequam ab ipsa intelligatur modus subsistentiæ dimanare, vt dictum est in Log. disputat. de Relat. Ad 2. negatur Consequ. quia Vbi non mediat, vt Quod est in loco, sed vt Quo aliud per ipsum formaliter est in loco, & hoc non tollit immediationem locationis, sicut quia oculus parietem videt media visione, non ideò dicimus, non videre immediatè, quia visio non mediat, nisi vt ratio formalis videndi. Ad 3. neg. Assumptum, ad Probat. dicimus, accidens vtique in loco per subiectum constitui, dummodo non sit id, quod est subiecto ratio formalis essendi in loco, quale in proposito est Vbi; qua ratione licèt accidens moueri dicatur per subiectum, seu ad motum subiecti, non propterea dicimus, etiam motum moueri per subiectum, quia motus est tale accidens, per quod formaliter subiectum moueri dicitur. Ad 4. non benè corpus diceretur per albedinem esse formaliter in loco, sicut dicitur per Vbi, quia non est accidens ad hoc à natura institutum, sicut Vbi, vt patet in alijs modis. Ad 5. Vbi passiuum producitur in re locata per motum, seu per actionem, quæ in motu procedit à mouente, à quo postea concomitanter producitur etiam actiuum in re locante passiuo respondens. Ad 6. neg. Conseq. quia licet Vbi actiuum ex natura rei distinguatur à loco, & passiuum à locato, non tamen hoc vnitur locato, & illud loco media vnione realiter distincta, quia vniuersaliter loquendo, modus, cùm per se existere nequeat sine re modificata, seipso illi vnitur realiter, & accidens respectiuum seipso realiter inhæret subiecto, vt docet Scot. 4. dist. 12. quæst. 1.

43 Tertiò arguit Coninch. ex absurdis, nam 1. sequeretur, quotiescunque res mouetur localiter, infinitos tales modos nouos acquirere, & alios perdere, & mouendo paululum digitum, infinitas reales entitates produci, & perdi; vndè etiam sequeretur, quotidiè produci innumerabilia infinita actu. Secundò sequitur, quòd si esset aliquod corpus contractum in punctum, nullo modo posset ab agente naturali moueri, quia non posset in illo talem modum producere, nam cùm ille modus præsentiæ sit aliquid corporale; ex natura sua requirit aliquam extensionem, & consequenter non posset poni in puncto; Falsitas autem consequentis patet, nam si illud corpus contactum in punctum esset inclusum alicui paruo corpori omninò solido, & intus concauo, si hoc corpus moueretur, necessariò moueretur alterum, quia non posset illud penetrare. Tertiò sequitur, idem corpus posse simul, & semel idem Vbi acquirere, & deperdere, & simul habere idem Vbi, & non habere, quòd implicat; Conseq. patet, si supponamus id, quod communiter conceditur, posse idem moueri duobus motibus contrarijs, vno quidem motu per se, alio verò per accidens, sic enim de facto dicimus, cęlestes moueri planetas, & nautam in naui, si à prora ad puppim ambulet, in tali enim casu, cùm mobile per vnum motum acquirat certum Vbi, & ab eodem simul per alium recedat, sequitur, in eodem tempore habere, & non habere idem Vbi, & in eodem instanti habere, & non habere idem indiuisibile.

44 Respond. ad 1. illam non esse nouam difficultatem, nec esse peculiarem contra modum Vbi, sed militare in vniuersum contra omnes relationes prædicamentales, vndè in Logic. disputat. 8. quæst. 3. articul. 2. abundè satisfactum est. Ad 2. dicimus, quòd sicut agens naturale mouendo aliquod corpus causat modum præsentiæ diuisibilem in partibus, & indiuisibilem in indiuisibilibus copulatiuis partium, ita posset etiam causare præsentiam indiuisibilem in corpore illo contracto in punctum, incluso tamen in alio corpore extenso, & solido; sed quia adhuc vrgeri posset difficultas, supponendo, quod corpus illud constituatur intra corpus solidum totum in toto, & totum in qualibet eius parte eo modo, quo corpus Christi continetur nunc in hostia; præstabit dicere, quòd si corpus illud solidum moueretur ab agente naturali, corpus aliud intus existens indiuisibiliter non moueretur ab eodem agente naturali, sed ab agente supernaturali, quod talem modum præsentiæ spiritualis illi communicauit eo modo, quo docet Scotus 4. distinct. 10. quæst. 6. conclus. 5. quòd Sacerdos mouens hostiam non propterea dicitur propriè, & in rigore mouere per accidens corpus Christi, sed hoc immediatè moueri à Deo, qui eadem voluntate, qua instituit Eucharistiam, decreuit etiam facere Christi corpus præsens, vbicunque fuerit hostia. Ad 3. quod non adducitur à Coninch. cùm tamen cœteris magis vrgeat, dicimus, argumentum faciliter retorqueri contra locum extrinsecum, quem vno motu acquireret, & alio contrario simul, & semel desereret, & quia hæc difficultas propriè spectat ad libr. de Cœlo de motu sphærarum cœlest. pro nunc dicimus, re vera in his casibus mobile vno motu moueri attemperato certo quodam modo ex diuersis motoribus in contrarium impellentibus, qualis non esset, si ab vno tantum motore prodiret, & planetas non duobus, sed vno tantum tali motu moueri insinuat Doctor. 2. distinct. 14. quæstio. 2. referendo opinionem Alpetragi, neque hoc est difficile concipere, si notetur, quod docet in 4. distinct. 10. quæst. 2. infra L. vbi ait, quòd si eidem passo duo approximarentur agentia contraria, calidum, & frigidum, non moueretur passum motibus contrarijs, nec formas contrarias simul acquireret, sed prodiret motus quidam, qui esset via ad formam in media quædam proportione, sic in proposito dicendum de motu nautæ in naui, & planetarum; solent verò appellari plures motus ob pluralitatem motorum, qui dum in contraria conantur, medium quendam motum efficiunt modo explicato; aliud quoddam Coninch. argumentum vide solutum in Log. loc. citat.

ARTICVLVS II.

Qualis forma sit Vbi, declaratur.

45 DIcimus, Vbi non esse formam absolutam, sed merè relatiuam, per se, & directè respicientem superficiem corporis continentis, non autem spatium imaginarium; Conclus. est contra Recentiores omnes ponentes Vbi formam absolutam, includentem tamen respectum transcendentalem per se, & directè ad spatium, non autem ad extrinsecam superficiem, & est Scoti quo ad omnes partes; etenim quol. 11. & 2. dist. 2. quæst. 6. docet Vbi esse respectum extrinsecus aduenientem, & quòd si aliquod corpus, ac etiam Angelus extra vniuersum poneretur, nullibi esset localiter; quod etiam affirmat de materia prima 2. dist. 12. quæst. 2. D. per quod luculenter dat intelligere, Vbi non importare præsentiam localem in ordine ad spatium, sed in ordine ad corpus ambiens. Et in primis, quod Vbi non sit forma merè absoluta, vt Recentiores illi dicebant iam ostendimus loc. cit. disp. 8. Log. quæst. 12. art. 2. quæ hic repetere opus non est.

Sed quòd Vbi non sit forma absoluta essentialiter respectum includens, Prob. 1. illa generali ratione, qua in Log. disputat. 8. quæst. 12. probauimus, illa non posse in solo absoluto consistere, neque constitui posse ex absoluto, & respectu, etiam si hic ponatur transcendens, quia tunc non importarent genus per se vnum. Deinde Prob. alia generali ratione, qua ostendemus in Met. nullam entitatem modalem poni debere absolutam, modus enim talis esse debet naturæ, vt fatentur Aduersarij quòd esse nequeat sine re, cuius est modus, sed necessariò petat esse illi affixum, sed ex hoc manifestè deducitur, naturam eius esse debere relatiuam, si enim est entitas absoluta, omnitalis potest per se esse, & conseruari, hac enim ratione dicimus, quantitatem, & qualitatem posse separatas à substantia existere, & conseruari. Et si dicas, modò repugnare per se existentiam ea rationes, qua talis entitas absoluta, nempè modalis, de cuius ratione est, vt semper rei affixa existat. Contra, quia differentia debet esse proportionata generi, quod contrahit, non autem illi repugnans, ergo entitas absoluta, quæ significat entitatem per se existere potentem, non benè per modalitatem contrahitur, quæ hoc directè negat, ergo omnis modus accidentalis debet poni entitas respectiua (substantialis enim, qualis est subsistentia, vel per se existere potest, vel non est nisi duplex negatio, vt in Met. dicemus ex Scot. 3. dist. 1. quæst. 1.) hæc enim ratione suæ naturæ relatiuæ petit necessariò esse affixa subiecto.

46 Accedit, quòd modus talis esse debet, vt non vniatur rei medio alio modo à seipso diuerso, quia tunc daretur processus in infinitum, sed si ponatur entitas absoluta, alio medio modo vniri debebit, quamuis enim quod est alicui ratio essendi tale, illud seipso sit tale, vndè dicimus, actionem seipsa fieri, Vbi seipso locari, vnionem seipsa vniri; hinc solùm sequitur, modum vnionis seipso vniri debere extremis, quia in hoc munere est Quo, non autem alios modos, immo sicut Vbi, quamuis sit modus, dicitur per actionem produci, ita per vnionem poterit, & debebit dici vniri, & ita de quolibet alio modo absoluto dicendum erit excepta vnione; quòd si huiusmodi modos ponamus merè relatiuos, statim sequitur ex natura ipsorum non indigere alia vnione, quia inhærentia, qua relatio inhæret, non est alia realiter ab ipsa relatione, vt Scot. declarat in 4. distinctio. 12. quæstio. 1. sed seipsa realiter inhæret. Demum quod asserunt specialiter Iuniores de Vbi, quòd nempè tam necessariam habeat connexionem cum rebus, quòd licèt res possit esse sine quocunque Vbi distributiuè, non tamen collectiuè, non est satis intelligibile; tum quia maiorem vtique affinitatem habet modus substantialis subsistentiæ cum substantia, quam modus accidentalis Vbi, & tamen natura substantialis potest quacunque subsistentia creata expoliari collectiuè, vt patet de natura à Verbo assumpta, ergo multò magis idem de Vbi asserere deberent; tum quia res quæcunque est prior suo Vbi etiam vagè sumpto, & independens ab eo, dependentia enim rei à loco est merè accidentalis, vt ait Doct. quòl. 11. articul. 1. ergo quocunque Vbi etiam collectiuè expoliari posse videtur, omne enim absolutum prius alio absoluto, & ab eo realiter distinctum, & independens potest separari ex Scot. 3. dist. 12. q. 2.

Arriag. disputat. 14. citat. à num. 49. vt conseq. ad suam opinionem loqueretur, in qua ponit vbicationem in suo conceptu esse tam absolutam, ac albedinem, & nigredinem, contendit præsentiam localem non esse modum, sed rem, & accidens perfectum, quia etiam de potentia absoluta à subiecto separari queat; vt dicimus de quantitate, & qualitate; quod probat, quia non est maior ratio, cur albedo, nigredo, actus videndi, & amandi sint accidentia realia, & non modi; Sed hæc opinio noua est, & singularis, quia hactenus omnes Auctores vbicationem vnanimiter fassi sunt esse modum, & non rem, à re vbicata prorsus inseparabilem, quod quidem probatum manet euidenter ex rationibus nuper adductis, si enim vbicatio, & præsentia mera relatio est, & non entitas absoluta, vt dicebamus in Logica, sequitur euidenter non esse rem, sed modum, quia relatio ex suo genere entitas modalis est, vt diximus disp. 8. Log. q. 3. art. 1. nec separari posse à re vbicata, quia relatio soluta à fundamento, quod modificat, existere nequit ex ibidem dictis. Et quidem omninò incredibile videtur, quod ibi asserit posse præsentiam localem separatam existere in rerum natura à re locata, quia tunc & ipsamet præsentia locari, & vbicari deberet, & fiet processus in infinitum, Prob. Conseq. quia vt ex dicendis patebit qu. 5. art. 1. omnia illa accidentia, quæ à subiecto separata possunt existere propria indigent vbicatione; Neque dicas vbicationem quoad munus locandi esse ita Quo, vt non possit esse Quod; Nam ex hoc sequitur dari posse in rerum natura rem seipsa præsentem, & vbicatam sine vbicatione distincta; & si semel concedatur rem aliquam posse seipsa locari sine alio ex natura rei superaddito, hoc idem de omnibus dici poterit, & debebit, vt superius Nominales vrgebant art. præced. Nec dicas vbicationem esse essentialiter affixam tali spatio, atque ideò alia vbicatione non indigere, qua illi applicetur, quod de cœteris rebus nequit asseri. Hoc enim ipsum manifestè ostendit vbicationem rem absolutam non esse, sed modum essentialiter relatiuum, & ad aliud essentialiter relatum ad hoc nimirum spatium; atque ideò existere non posse sine subiecto, quod afficit; Demum res creata nequit esse sine omni vbicatione, vt tenet Arriag. citat. sectio. 4. ergo tantò minus vbicatio sine quocunque subiecto, nam hoc est prius illa, facilius autem est prius separari à suo posteriori, quam è contra. Et ex his patet solutio ad eius argumentum, quia albedo, & nigredo sunt entia absoluta, non vbicatio.

47 Quòd verò Vbi sit modus relatiuus, per se respiciens extrinsecus corpus ambiens, non autem spatium, probatur; Tum quia corpora non coexistunt spatio, quomodocunque explicetur, sed per repletionem à cor-

à corpore factam omninò tollitur, ergo non vbicantur per ordinem ad illud; Tum quia tametsi illi coexisterent, vt de facto Angeli coexistunt, tamen dici non possent esse in illo vt in loco, quia dum dicimus, rem esse in loco, est transitiua constructio, & significat, locum esse quid reale, & positiuum à re locata diuersum, vt Aristot. disertè docuit 4.Phys. 18. illis verbis, *Semper id, quod alicubi est, & ipsam esse aliquid, & aliud aliquid extra ipsum*, ergo res in solo spatio existens ex hac præcisa coexistentia non potest dici esse alicubi, & consequenter Vbi non sumitur per ordinem ad illud. Tum tertio hic, & ibi dicuntur aduerbia localia, hoc est, à loco desumpta, sed locus non est spatium, sed vltima superficies corporis ambientis, ergo Vbi constituitur in esse per ordinem ad superficiem corporis ambientis, & non ad spatium. Nec valet responsio Suar. disput. 51. Met. sect. 2. numer. 7. hæc aduerbia dici localia per accidens, quia modò semper connotatur præsentia ad corpus extrinsecum circumstans, propriè tamen debere dici præsentialia, nimirum ex determinata præsentia ad hanc, vel illam partem spatij, & ex hoc per se desumi, quia ablato quocunque corpore extrinseco, adhuc res diceretur hic, vel ibi, cum toti spatio non coexisteret, vt Deus. Non valet, quia ablato quocunque corpore extrinseco, falsum est, rem in parte spatij manentem adhuc dici posse propriè hic, vel ibi localiter, propriè enim nusquam esset localiter, & quamuis posset dici, hic, vel ibi præsentialiter, id tamen non diceretur per ordinem ad spatium, quia vt supra dictum est, sicut res dici nequit æqualis rei non existenti, vel impossibili, neque ab ea distans, ita neque dici potest illi propinqua, & intimè præsens, alioquin dicere possemus, Deum ab æterno rebus futuris coextitisse, immò, & possibilibus nunquam futuris, & maiori ratione, quàm res dicantur spatio coexistere, quia maiorem realitatem habent hæc omnia, quàm spatium, sunt enim entia realia saltim nominaliter, quod de spatio nequit affirmari; Item præsentia dicitur propriè de vna re in ordine ad aliam, & non potest constitui in ordine ad nihil, ergo ablato quocunque corpore non posset dici res hic, vel per ordinem ad spatium, sed tantum per ordinem ad diuersas partes virtuales diuinæ substantiæ vbique diffusæ, vndè diceretur esse hic, & non ibi, quatenus non coexisteret toti diuinæ substantiæ, & totaliter, sed tantum determinatæ parti iuxta suam limitationem.

Ioan. de Lug. citat. sect. 6. vt has difficultates euaderet alium excogitauit modum explicandi hoc spatium imaginarium, & ait, hoc re vera non esse aliud, quam ipsas vbicationes possibiles, quæ suaptè natura fundare possunt relationem tantæ, vel tantæ distantiæ abinuicem; Sed hic dicendi modus non est admittendus, tum quia secundum communem omnium sensum spatium se tenet ex parte loci, non ex parte rei locatæ, sicut se tenet vbicatio, tum quia munera spatij secundum communem loquendi modum sunt recipere, & continere locatum, repleri corporibus, & remanere ipsis abeuntibus, hæc autem munia vbicationibus possibilibus minimè applicari quæunt; tum quia vulgariter vbicationes ipsas in ordine ad spatium explicamus, & distantiam vnius ab alia per ordinem ad diuersas spatij partes, malè igitur explicatur spatium per vbicationes ipsas possibiles; tum quia possibilitas vbicationum pendet ex ipsa spatij existentia, nisi enim daretur spatium, & inane, in quo corpora recipi possent, hæc vtique locari, & vbicari non possent; tum tandem quia tunc frustrà quæreretur, an Deus sit extrà Cœlum in spatijs imaginarijs, sensus enim esset, an sit præsens vbicationibus possibilibus, quod est ridiculum; nullatenus ergo spatium explicari debet per vbicationes possibiles, sed per negationem realem corporum locabilium, vt explicauimus numero 5. & 6.

48 In oppositum Obijcitur, 1. probando, Vbi non esse formam merè relatiuam. Tum quia ad relationem non est motus 5. Physic. 10. quia relatio non deperditur, vel acquiritur per se primò, ergo cum ad Vbi sit per se motus, non potest esse puta relatio. Tum 2. quia si Vbi esset relatio, non posset esse nisi per relatio propinquitatis, & indistantiæ, non enim alia relatio per motum localem acquiritur, at hæc relatio supponit, extrema esse simul hic, vel ibi, sicut relatio distantiæ supponit, vnum extremum esse hic, & aliud ibi, ergo &c. Tum tandem si esset relatio, præsertim esset de numero earum, quæ dicuntur extrinsecus aduenientes, vt contendit Scot. quol. 11. art. 4. sed huiusmodi relationes non insurgunt ex natura extremorum, sed potius ex eorum approximatione, vt communiter dicunt Scotistæ, ergo cum approximatio, & propinquitas super Vbi fundetur, ad hoc vt acquiratur Vbi, præexigitur aliud Vbi, immò Vbi erit, antequam resultet.

Resp. ad 1. ex Scoto quol. citat. Aristot. loqui de relatione intrinsecus adueniente, hæc enim est, quæ non per se primò acquiritur, vel amittitur, relatio vero extrinsecus adueniens, qualis est Vbi, habet propriam nouitatem, atque adeò potest esse terminus motus. Ad 2. per motum duplex acquiritur respectus in re locata, primus est intimæ præsentialitatis ad locum, alter est tantæ distantiæ, vel propinquitatis ad aliam rem, qui necessario consequitur ad primum, velut similitudo ad albedinem, & ille per se primò acquiritur, & in eo consistit modus Vbi, vndè falsa est maior. Ad 3. in tantùm dicitur Vbi exigere, vt insurgat, extremorum approximationem, quia vt corpus ab hac superficie locari formaliter dicatur, debet esse infra illam, itaut superficies eius conuexa sit cum concaua continentis contigua: tunc enim ex tali extremorum positione insurgit intima præsentia rei locatæ ad locum, quæ dicitur Vbi passiuum, & è contra intima præsentia loci ad rem locatam, quæ dicitur actiuum, vndè approximatio, quæ inter locum, & rem locatam requiritur, vt Vbi insurgat, non est propinquitas illa, quæ habet Vbi pro fundamento, sed contactus, & contiguitas loci, & locati, quæ non est sola, & simplex propinquitas eorum, sed potius compenetratio facta per indiuisibilia vtriusque.

49 Secundò variata superficie ambiente, corpus adhuc manet, vbi erat priùs localiter, vt patet de turri flante vento, non alia ratione, nisi quia manet in eodem spatio; & è contra, si corpus cum eadem superficie corporis continentis spatium mutet, non amplius dicitur manere hic, vbi antea erat, vt constat exemplo nauis sæpius adducto, ergo Vbi omninò constituitur per ordinem ad spatium, & non superficiem ambientem. Confirm. quia si plures aeris superficies se compenetrarent, & sic compenetratæ idem corpus ambirent, adhuc corpus diceretur habere vnum Vbi, quia adhuc est in vno, & eodem spatio, sed si Vbi constituitur per ordinem ad superficiem, eo casu dici debet habere plura Vbi; Tandem potest fieri motus localis in vacuo, & inani extra Cœlum, & terminus localis motus est Vbi, ergo constitui non potest per ordinem ad corpus extrinsecum ambiens, per se, & absolutè loquendo, sed tantum per ordinem ad spatium.

Respond. variata superficie ambiente turrim dici manere adhuc, vbi priùs erat, quia aduenit superficies priori æquiualens, quatenus turrim continet cum simili ordine ad easdem partes diuinæ substantiæ, non autem spatij, quod ibi non est, cùm sit plenum, cùm enim vnitas loci non simpliciter attendi debeat ex hac superficie continente, sed continente immobiliter, vt dictum est, quatenus verò immobilis respectum præsentiæ inuoluat ad certas partes diuinæ substantiæ, superficies circa idem corpus succedentes, quia illud continent cum ordine ad easdem partes diuinæ substantiæ, dici debent absolutè idem locus, quia locus non variatur, nisi ex talis ordinis varietate specifica; è contra verò si circa idem corpus eadem superficies ambiens perseueret, & cum eo moueatur, non habet rationem loci, sed vasis locus verò dicitur alia, & alia superficies immobilis, quas acquirit mobile integratum ex naui, & aqua secum labente, & dicitur alius, & alius locus non præcisè, quia aliæ, & aliæ superficies, sed quia continentes nauim cum ordine ad alias, & alias partes virtuales diuinæ substantiæ vbique diffusæ; itaque corpus esse localiter, vbi priùs erat, est corpus locari ab eadem superficie, vel æquiualente, & esse alibi est contineri à superficie cum ordine ad alias partes diuinæ substantiæ. Hinc patet ad confirm. plures enim superficies compenetratæ ad inuicem circa idem corpus dicerentur idem numero locus, quia illum continent cum ordine ad easdem partes diuinæ substantiæ, iuxta quem ordinem præsertim attendi debet vnitas loci, vel multiplicitas, sicut è contra si plura corpora essent in eodem loco compenetrata, idem Vbi dicerentur habere, etsi re vera numero essent in ipsis multiplicata. Ad 3. motus in vacuo, aut inani factus non esset motus localis, quia non esset ad locum cùm ibi non sit locus, sed foret motus lationis ad aliam, & aliam præsentiam in ordine ad diuersas partes virtuales diuinæ substantiæ, quatenus mobile non coexisteret illi toti, & totaliter, vndè potius deberet dici motus præsentialis, sicut etiam aduerbia hic, & ibi, quæ tunc adhiberentur ad explicandas illas diuersas præsentias, non essent localia, sed præsentialia, & talis præsentia benè posset terminare motum, cùm sit respectus extrinsecus adueniens, sicut etiam facto terminat Vbi, immo cùm talis respectus præsentiæ ad prædicamentum Vbi habeat reduci, vt Doctor docet 4. dist. 10. quæst. 1. K. poterit etiam hæc præsentia vocari Vbi, & motus ad eam, motus ad Vbi.

50 Tertiò relatio distantiæ, & propinquitatis inter aliqua duo fundatur super Vbi, ideò enim hoc corpus distat ab illo, quia istud est hic, & illud est ibi, at distantia reperitur inter duo corpora etiam extra Cœlum posita, vno v.gr. ex parte Orientis, alio Occidentis, nam adhuc destructo Cælo, & Orbe, videt Deus illa duo corpora non esse simul, ergo Vbi attendi non debet in ordine ad corpus extrinsecum. Deinde totus hic mundus verè est hic, & non alibi in spatio, vbi poterat à Deo creari, neque enim coexistit toti spatio, sicut Deus, at non habet aliud corpus extra se, ergo Vbi non debet attendi in ordine ad aliud corpus, sed ad spatium. Demum ea, quæ sunt, omnes existimant alicubi esse 4. Phys. tex. 1. ergo mundus erit alicubi sine corpore aliquo extrinseco.

Respon. duplicem inter duo corpora posse esse distantiam, positiuam, & localem vnam, & hæc attenditur penes spatium reale, & positiuum interceptum, & fundatum in Vbi à loco extrinseco deriuante; priuatiuam, & præsentialem alteram, & hæc fundatur super diuersas præsentias rerum ad diuersas partes virtuales diuinæ substantiæ, & attenditur penes spatium imaginarium inter præsentiam vnius, & alterius rei interiectum, vndè adhuc diceremus, inter præsentiam A, & præsentiam B interijci interuallum duorum palmorum, non quia spatium illud sit aliquid reale, sed quia aptitudo quædam est ex parte corporum, vt inter vtrumque interijciatur quantitas duorum palmorum, ita que in casu posito inter illa duo corpora Orbe destructo non remaneret distantia localis, & positiua,

tiua, sed sola præsentialis, & priuatiua, & vnum eorum corporum diceretur esse hic, & aliud ibi, vt hæc sunt aduerbia præsentialia, & non localia. Ad confirm. pariter dicitur, totum Orbem esse hic, & non alibi, non quia sit, aut coexistat determinatæ parti spatij immensi, quia spatium per repletionem tollitur, sed quia determinatis partibus diuinæ substantiæ virtualibus est præsens, & non omnibus, quatenus etsi toti diuinæ substantiæ coexistat non tamen totaliter. Et in hoc tandem sensu ad 3. dicimus, rem eò ipso, quòd producitur, alicubi esse dici etiam secluso quocunque corpore extrinseco, licèt Arist. loc. cit. intelligat de rebus in hoc mundo productis, & de alicubi localiter, & non tamen præsentialiter dicto.

51 Quartò obijcit Fuent. Tum quia esse absolutum rei non variatur per respectus, sed cuilibet corpori debetur præsentia definitiua idest taliter esse hic, quod non alibi independenter à quocunque ambiente, ergo hæc præsentia non variatur penes hoc, quòd motus fiat in vacuo, vel in pleno. Tum 2. nullum per se dependet in suo esse ab aliquo contingenti ipsi, motus, quatenus motus localis est, seu quatenus latio ab isto spatio ad aliud, per se petit habere terminum, ergo hic non est respectiuus, quia secluso quocunque extrinseco ambiente adhuc motus haberet terminum. Tum denique si corpore existente in loco circumscriptiuè annihilaret Deus ambientem superficiem, tale corpus non maneret localiter præsens defectu relationis terminatæ ad superficiem, & nihilominus maneret cum aliqua præsentia, non quidem relatiua, quia hæc deficit ad defectum termini scilicet ambientis superficiei, sed absoluta, quæ dicitur definitiua.

Respon. Vbi definitiuum attendi posse tam penes superficiem ambientem; intra quam dicitur esse locatum, & non alibi, quàm in ordine ad diuersas partes virtuales diuinæ substantiæ vbique diffusæ, & primum dicitur Vbi locale, secundum Vbi præsentiale; est igitur vera minor de secundo Vbi, non de primo, quia præsentia definitiua in ordine ad determinatas partes virtuales diuinæ substantiæ, vel vt alij aiunt, in ordine ad certas partes spatij, est independens à quocunque extrinseco ambiente, sed ex hoc non sequitur, talem præsentiam definitiuam esse merè absolutam, quia necessariò constitui debet per ordinem ad certas partes spatij, vel potius diuinæ substantiæ virtualiter diuisibilis iuxta varias opiniones, & verum est, hoc Vbi esse per se terminum motus lationis, nec variari per hoc, quod motus fiat in vacuo, vel pleno. Ad 2. patet per idem, quia vtique hoc Vbi est per se terminus motus lationis independens à superficie; sed hinc non sequitur, esse modum purè absolutum, quia necessariò dicit ordinem ad spatium, aut immensitatem diuinæ substantiæ prædicamentalem, vel transcendentem. Ad 3. eo casu maneret illud corpus cum præsentia definitiua ad spatium, vel certas partes diuinæ substantiæ, vnde falsum est; remansurum esse corpus illud cum præsentia merè absoluta; vnde magis errat Fuent. cœteris Recentioribus, nam isti constituunt Vbi saltim transcendentaliter relatiuum, & non merè absolutum, vt facit Fuentes de hac materia vide dicta in Logica disp. 8. q. 12. ar. 2. de Vbi, & Situ.

QVÆSTIO IV.

Quibus rebus esse in loco competat, & an omnibus vniuocè conueniat.

52 DOcent aliqui, res omnes in vniuersum loco gaudere, etiam Deum ipsum per suam immensitatem in omni loco diffusum. Negant Alij, non modò Deum, verùm, & Angelos esse in loco, idque solùm corporibus affirmant conuenire. Alij demum res omnes creatas, tam corporeas, quàm incorporeas in loco statuunt, Deum excludentes, quippè qui potius cum loco esse, quàm in loco dicendus est, vt docet D. Ans. in Monol. qui etiam concedunt, hæc omnia conuenire vniuocè in communi ratione essendi in loco, si locus ponatur esse spatium, quia hoc propriè est locus communis in quo tam res spirituales, quam corporeæ existere dicantur; at negant, si locus dicatur esse superficies corporis continentis, quoniam substantia spiritualis per suam locationem non abrumpit corpus, vt intra superficiem eius recludatur, & Aristot. dum locum statuit esse vltimam superficiem corporis continentis, absque dubio de loco corporum est dumtaxat locutus; ita loquitur Auersa cit. sect. 1. cum cœteris Recentior. quibus adhæret Rada 2. p. contr. de loco Angelorum.

ARTICVLVS I.

Corpora omnia esse in loco excepta vltima sphæra, demonstratur.

53 DIcendum est, corpora omnia excepto vltimo Cœlo, siue hoc sit primum mobile, vt volunt Philosophi, siue Empyreum, vt Theologi, esse in loco; ita Scot. 2. d. 2. quæst. 6. §. *Ad quæstionem*, & quodl. 11. art. 1. & loquitur de esse in loco actualiter non potentialiter, nam nulli dubium est, in hoc sensu loquendo vt notauit Sampson. quæst. 3. vltimam sphæram esse in loco, quia sibi non repugnat ambiri ab altera sphæra maiori, & quodlibet corpus, quantùm est ex se, habet capacitatem ad locum, seu est locabile circumscriptiuè, hæc enim est proprietas corporis in quarto modo. Prob. 1. auctoritate Arist. 4. Phys. 43. vbi ait, non esse in loco, quod non habet aliud corpus extra se continens, & quod habet extra se continens esse in loco, at omnia corpora præter vltimum Cœlum sunt huiusmodi, ergo &c. Idem docet text. 45. & 46. terram esse in aqua, quam in aere, & sic deinceps vsque ad vltimum Cœlum, quod nullum habet extra se continens. Deinde prob. ratione, quia locus est superficies corporis continentis ex iam dictis, ergo quod non continetur alio corpore, non est in loco, & quod continetur, est in loco, ergo omnia corpora excepto vltimo Cœlo sunt in loco.

Resp. passim Recentiores, vltimum Cœlum esse in loco, quia est in spatio, quod occupat, & replet. Sed hæc Respond. excluditur, ex dictis; tum quia spatium non potest verè dici locus, sed tantum abusiuè, quia vera munera loci exercere non potest, cùm nihil sit; tum quia spatium imaginarium non est compossibile cum corpore, sed ad eius positionem tollitur, dum ab eo occupatur, & repletur.

Resp. Auerr. aliter assignandum esse locum primo mobili, & aliter corporibus inferioribus, quoniam ista sunt in loco ratione corporis extrinseci ipsa ambientis, sed primum mobile est in loco ratione centri, circa quod mouetur. Sed hunc dicendi modum optimè reijcit Canon. 4. Phys. q. 3. tum quia nullum continens est in loco ratione contenti, sed Cœlum continet terram, ergo &c. Prob. maior, quia alioquin idem simul esset locus, & locatum respectu eiusdem, quod repugnat, cùm locus, & locatum exigant repugnantes rationes; tum quia locus est æqualis locato, & extra ipsum, sed centrum non est huiusmodi respectu primi mobilis. Et ex hoc reijcitur etiam alter dicendi modus eorum, qui primam sphæram ponunt in loco per sphæras inferiores.

54 Respond. Scotistæ communiter, vltimum Cœlum esse in loco quo ad locare, non quoad locari, quia indefinenter alio, & alio modo locat per motum circularem corpora inferiora; & putant esse de mente Scoti quol. 11. Verùm hoc non habet Scot. ibi, quia nunquam continens est in contento tanquam in loco, sed è contra; & hoc esset incidere in opinionem Auerr. com. 45. ponentis vltimum Cœlum esse in loco ratione centri, circa quod voluitur; solùm ergo ait ibi Doctor Cœlum vltimum non moueri localiter quo ad locari, seu quo ad Vbi passiuum, sed tantum quo ad locare, seu quoad Vbi actiuum, quatenus continuò acquirit alium, & alium respectum continentis ad contentum in ordine ad corpora inferiora, & subdit, in hoc sensu explicari debere dictum Auerr. quod Cœlum est in loco per centrum, nam in alio sensu, quo communiter intelligitur, sustineri non potest, docet igitur Scot. quòd vltimum Cœlum mouetur localiter, quatenus quoad locare hæc inferiora corpora cernitur in eo continua varietas, sed non propterea affirmat, quòd sit in loco quoad locare, nam hæc est manifesta repugnantia in adiecto, esse enim in loco formalissimè est locari ab aliquo continente, sed aliquid potest moueri localiter non tantum per acquisitionem Vbi passiui, quod priùs non habebat sed etiam per solam acquisitionem actiui, vtrumque enim natum est terminare motum localem, ita Scoti sensum luculenter explicauit Canon. 4. Physic. quæstio. 2.

Respond. Thomistæ ex D. Thom. 4. Physic. circa text. 43. & 45. vltimum Cœlum esse in loco ratione partium suarum, quatenus vna pars in alia continetur velut in loco. Sed neque hoc satisfacit, quia vt Aristot. docet 4. Physic. 34. & 44. neque totum propriè est locus partim, nec vna pars locus alterius, quia vna pars continuatur alteri, non sic locus locato, cui solus est contiguus, non continuus. Præuidit hoc D. Thom. ideò subdidit partes Cœli, quia sunt ad inuicem continuatæ, non esse actu in loco sed in potentia, vnde si Cœlum diuideretur, tunc actu essent in loco; Sed neque adhuc satisfacit; tum quia quæsitum præsens mouetur de loco actuali, non autem potentiali, vt diximus initio art. tum quia si de loco potentiali fieret sermo, præstaret dicere, esse in loco potentialiter, quatenus ambiri potest à sphæra maiori, vt dicebat Sampson, quam partem inferiorem esse in superiori vt in loco, si ab ea diuideretur, & essent contiguæ, non continuæ, tum quia hæc difficultas ortum habuit ex motu locali Cœli, qui, sicut est motus localis in actu, ita Auctores, variè conati sunt adinuenire locum in actu, in quo fieret; sed hic per partes assignari non potest, quia dum vna pars Cœli mouetur, vtique non amittit continentiam sub his partibus, vt transeat ad aliam sub alijs partibus, sed simul omnes mouentur orbiculariter, nec vnquam vna acquirit locum in alia.

55 Resp. Masius cit. sect. 2. q. 2. & cum eo Complut. q. 6. §. 4. quòd vt aliqua pars moueatur motu circulari, non est necessarium, quantùm est ex vi huius motus, quòd actu mutet locum, qui sit locus in actu, sed satis est mutare locum, qui sit locus in potentia; vnde ait Masius, in his, quæ mouentur motu recto, verum esse, illud quod mouetur actu, esse in loco actu, in alijs verò, quæ mouentur in orbem, vt est primum Cœlum, posse moueri corpus actu, & esse in loco sola potestate, quia motus in orbem est vniformior, immutabilior; & inuariabilior, quàm rectus. Sed planè hoc est contra rationem motus, qui dicitur actus entis in potentia, nam per motum dicitur actuari subiectum; quatenus per eum acquiritur actu forma in subiecto, ergo ad hoc vt dicatur actus mobilis, non sufficit, vt acquiratur solùm in potentia, immo cùm simul omnes partes moueantur in girum, infe-

inferior semper manendo continuata superiori, quæ est locus illius in potentia sequitur, quòd neque mutent locum in potentia. Respond. Complut. partes mutare locum in potentia, non quia hæc desinat contineri ab illa parte, cui antea erat vnita, & à qua ambiebatur, sed quia licèt illa pars materialiter, & in esse partis maneat eadem, non tamen formaliter, & in esse loci in potentia, quæ secundum istam rationem est diuersa, quatenus habet distinctam relationem distantiæ, quæ præcipuè attenditur in loco, & ideò pars locata mutat locum formaliter. Sed hoc non satisfacit; tum quia quando S. Thom. dixit, vnam partem esse locum alterius in potentia, respexit continentiam & non distantiam, quatenus si vna discontinuaretur ab alia, superior contineret inferiorem, vt locus eius; frustra ergo recurrunt Complut. ad distantiam, vt ostendant, partes mutare locum in potentia; tum quia si attendatur in loco relatio distantiæ, & non potius continentiæ, non videtur, quare hæc pars alteri continua, quæ nunc sunt in Oriente, sit locus eius, & non è contra, cùm modò sint ab Occidente in æquali distantia; tum denique quia quando etiam saluarent Complut. mutari locum in potentia, hoc adhuc non sufficit, vt supra ostensum est, quia motus in actu, siue sit rectus, siue circularis, debet habere terminum in actu.

Denique alij significarunt locum vltimi Cœli esse propriam eius superficiem connexam, & sub illa moueri, quod communiter ab omnibus reijcitur; tum quia locus debet esse extra locatum, & illa non est extra vltimum Cœlum; tum quia vt docet Arist. in text. locus nihil debet esse locati; tum tandem illa mouetur ad motum Cœli, quod est contra rationem loci. Præstat ergo dicere cum Scot. cit. vltimum Cœlum non esse in loco, & non esse contradictionem dari aliquod corpus, quod sit sine aliquo alio corpore continente, quod etiam iuxta Doctor. mentem docuit Faber theor. 48. licet in progressu etiam ipse Doctori tribuat, quod primum Cœlum posuerit esse in loco, quoad locare, non quoad locari, quod ingenuè Scotus non dixit, sed tantum ait sub litt. C. vltimam sphæram mouetri secundum locare, quod certò non est idem, ac esse in loco quoad locare, quia hoc implicat in adiecto, non illud, vt docuimus ex Canonico.

56 In oppositum arguitur 1. auctoritate Aristot. 4. Physic. text. 1. & 13. vbi ait, omne corpus esse in loco; quod prius docuerat in 3. text. 54. sed & specie id asserit de Cœlo text. 32. ea ratione, quia semper est in motu, & locus inuentus est propter motum localem; & text. 15. explicans, quomodo id esse possit ait, Cœlum esse in loco per accidens, hoc est, per partes. Nec respondere valet, per totum Cœlum intelligere vniuersum constans ex pluribus corporibus, & orbibus, quorum vnus alium continet, & hoc est esse in loco ratione partium. Quia Philos. ait, omnes partes Cœli esse quodammodo in loco, ergo per Cœlum non intelligit totum vniuersum, & per partes orbes inferiores, quia orbis inferior continetur in superiori ambiente verè & simpliciter, vt in loco, non autem quodammodo, vt loquitur Aristot.

Respon. quando Aristot. ab initio 4. Physic. dixit; omnia esse in loco, secundum communem tunc temporis existimationem loquebatur, tunc enim vigebat sententia de spatio, quod esset locus, & iuxta hanc sententiam certum est omnia esse in loco; at postea in progressu hanc sententiam reijcit; in tertio autem specialiter loquebatur de corporibus sublunaribus, scilicet de grauibus, & leuibus, vt patet ex ipso context. sic etiam text. 32. loquitur secundum, vulgarem, vt patet ex verbo *putamus*; huius autem ratio, quam ibi subdidit, ex motu desumpta mox diluetur, & denique tex. 45. sumit Cœlum pro vniuerso, vt exponit Auers. tex. 43. & 53. dicent esse Themistij, & inquit esse in loco ratione partium, quatenus vna pars vniuersi locatur in alia, terra nempè in aqua, aqua in aere, vt ipsemet Arist. explicat text. 46. & est communis Expositorum opinio; particula autem *quodammodo*, vt notauit Auersa, non cadit supra esse in loco, sed supra ly *omnes*. & idem sonat, ac ferè, vel quasi, vt sensus fit, omnes ferè partes vniuersi esse in loco, quia re vera omnes sunt in loco præter vnam, quæ est supremum Cœlum.

57 Secundò, vltimum Cœlum mouetur localiter in Orbem, ergo debetur ei locus, in quo fiat hic motus, & à quo denominetur localis, eo præsertim, quia locus inuentus est propter motum localem ex ipso Aristot. text. 32. Nec respondere valet, vltimum Cœlum apud Theologos esse Empyreum, quod ponitur immobile, vt sit apta Beatorum sedes; quia difficultas saltim vrget apud Philos. & etiam Theologos vrgere potest, quia posset mouere Deus etiam Cœlum Empyreum.

Respon. vltimum Cœlum moueri localiter secundum locare, & non secundum locari, seu secundum Vbi actiuum, non passiuum, vt docet Scot. quol. 11. quia nempè per illum motum continuo acquirit alium, & alium respectum in suis partibus continentiæ actiuæ ad alia, & alia corpora contenta; non tamen alium, & alium respectum continentiæ passiuæ, quia nullum corpus habet extra se continens; quia tamen præter Vbi locale passiuum datur etiam Vbi præsentiale passiuum in ordine ad diuersas partes virtuales diuinæ substantiæ vbique diffusæ; & hic propriè, & per se est terminus motus lationis, qui secundum totam realitatem suam ita fieri potest in vacuo, ac in pleno, & in vacuo factus alium terminum habere non potest, quam istum, vt in præcedentibus explicatum est; hinc addendum est Cœlum acquirere etiam secundum partes diuersa Vbi præsentialia in ordine ad diuersas partes virtuales diuinæ substantiæ. Ex hoc tamen Vbi passiuo motus Cœli non dicitur localis, quia diuina substantia non est locus rerum; sed præsentialis, sicut motus in vacuo factus, quatenus per illum motum continuo acquirit præsentiam aliam, & aliam, sicut etiam aduerbia hic, & ibi, quæ adhiberentur ad explicandas diuersas illas præsentias, non essent aduerbia localia, sed præsentialia, & hoc Vbi passiuum præsentiale sufficienter motum terminaret, etiam si Deus annihilaret omnia corpora infra Cœlum contenta, idque totum Pendet ex antea dictis de loco, & per se termino motus lationis, & hæc est melior responsio illis, quas ad hanc difficultatem à Doct. motam quol. 11. artic. 1. adducit Mauritius in illa additione propè finem art. dicens in eo casu aut Cœlum non motum iri, aut ad Vbi imaginarium non actuale, & reale. Nam dicere, Deum in eo casu non posse mouere Cœlum, est prorsus irrationabiliter dictum, cum nequeat defectus esse ex parte Dei, nec ex parte corporis, cui etiam in vacuo moueri non repugnat, vt infra, & dicere, quod moueretur ad Vbi imaginarium, est asserere, motum illum non esse verum, & realem, sed imaginarium, vt est terminus eius, non enim motus maiorem habere potest realitatem suo termino, cum specificetur ab eo. Quamuis autem Aristot. dicat text. 32. locum inuentum esse propter motum localem, non tamen ait, inuentum esse necessariò propter motum lationis; quia motus lationis de se indifferens est, vt fiat in pleno, vel in vacuo, vnde gratis conceditur, motum Cœli ex eo capite, quod continuo secundum partes variat Vbi passiuum, non esse localem, sed tantum præsentialem, est tamen localis ea ratione, qua continuò variat Vbi actiuum, quia vt diximus, tam Vbi passiuum locale, quam actiuum nata sunt terminare localem motum, & eodem modo dicendum foret, si difficultas fieret de Empyreo data illa hypothesi.

58 Tertiò corporeitas est ratio essendi in loco circumscriptiuè, ergo omnia corpora necessariò sunt in loco ea ratione, qua corpora. Respondet Scot. quol. 11. artic. 1. corporeitatem esse rationem fundamentalem essendi in loco circumscriptiuè, non verò formalem, quia hæc est Vbi circumscriptiuum, potest autem fundamentum esse absque tali respectu locati ad locans actuali, licet non sine aptitudinali, & ita est de vltimo Cœlo. Sed dices, quantitatem esse rationem formalem essendi in loco 4. Physic. 79. vt notat Scot. ipse 4. distinct. 10. quæstion. 3. At ipse quoque respondet ibidem litt. C. quod quantitas est ratio formalis essendi in loco non proxima, sed remota, & ideò esse potest sine tali respectu actuali locati ad locans, præsertim si terminus deficiat, vt in proposito est de vltimo Cœlo.

Quæres, num sicut corpus expoliari potest Vbi locali, itaut verè nullibi sit localiter, quod de quolibet accidere potest, si extra Cœlum poneretur, vt ait Doct. 2. d. 2. quæst. 6. sic etiam expoliari possit quocunque præsentiali, itaut verè nullibi dicatur etiam præsentialiter? Respond. rem in vtramque partem disputabilem, de quo fusè Amic. tract. 20. quæst. 5. dub. 1. si poneremus Vbi formam absolutam cum Recentioribus, affirmatiuè respondendum videretur, quia omne absolutum prius alio absoluto, & ab eo realiter distinctum potest eo expoliari ex Doct. 2. distinct. 12. quæst. 2. at ponendo illud esse respectum. etsi extrinsecus aduenientem, videtur respondendum negatiuè quia etiam relatio extrinsecus adueniens necessariò insurgit positis aliquibus præter fundamentum, & terminum, vt dictum est in Log. disput. 8. quæst. 8. ex Lichet. quol. 11. nam posito corpore, & loco, vtique non necessariò sequitur Vbi locale, sed posito corpore in loco, necessariò sequitur, posita materia, & forma, non necessariò sequitur vnio, sed posita forma in materia, necessariò sequitur, posito igne, & ligno, immo & approximatis, non sequitur necessariò (saltim absolutè loquendo) actio, & passio, vt patuit in camino trium puerorum, at inducta caliditate in ligno, necessariò sequuntur instar relationum intrinsecus aduenientium, sic igitur etiam in proposito dicendum foret de Vbi præsentiali, cum enim hoc habeat pro termino diuinam substantiam vbicunque in infinitum diffusam, non potest corpus in hoc mundo, vel extra poni, quin semper illi coexistat, quare licet possit esse sine quocunque tali Vbi distributiuè, non tamen collectiuè, quia necessariò semper aliqdod sibi determinat vagè.

ARTICVLVS II.

Omnes substantias spirituales esse in loco, solo Deo excepto, probatur.

59 Dicendum est, omnes substantias spirituales esse in loco solo Deo excepto, qui potius esse cum loco dici debet ratione immensitatis suæ, quam esse in loco. Conclus. hæc ponitur à Sampson. 4. Physic. quæst. 4. & Smisinch. tract. 2. disputat. 5. quæst. 2. & duas habet partes, prima supponit, substantias spirituales intra hunc mundum existere, non extra, ibi enim vtique non existerent localiter, vt docet 2. dist. 2. quæst. 6. I. at facta tali suppositione loquuntur Scripturæ, & PP. dum Angelis tribuunt locum, dicentes, bono esse in Cælo, malos verò à Cœlo ad Tartara deiectos, & post prælium non amplius eorum locum esse in Cœlo inuentum, & multoties corpora obsidere, & alia huiusmodi; ex quo loquendi modo manifestè colligitur, PP. & Scripturas intelligere Angelos esse in loco

co per aliquod corpus extrinsecum, à quo extrinsecè Angelus dicitur esse locatus. Hoc itaque supposito, Prob. etiam ratione, quod propriè dicantur esse in loco, illud dicitur esse in loco propriè, extra quòd est corpus, quod ipsum contineat 4. Phys. 43. sed ita se habent Angeli omnes in hoc mundo existentes, nullus enim Angelus reperitur ita præsentialiter, per Orbem diffusus, quin habeat terminum suæ sphæræ localis, siue intrinsecum, siue extrinsecum, vbi nempè signari possit in circuitu certa superficies, ad quam pertingat, nec vlterius progrediatur, & dici infra hanc superficiem ita contineri, vt nihil eius sit extra, ergo Angeli propriè sunt in loco.

Ex hoc Prob. altera pars conclus. Deum scilicet propriè non esse in loco, quia diuina substantia ratione suæ immensitatis est ita præsentialiter diffusa, vt nullum corpus extra habeat, quod ipsam contineat, & localiter terminet, nec extrinsecè, ita vt sit verum dicere, totam diuinam substantiam, & totaliter infra superficiem huius corporis contineri; neque intrinsecè, ita vt sit verum dicere, diuinam substantiam hanc superficiem attingere, & nihil eius vltra hanc reperiri; qua ratione mota Scriptura, & PP. negant, Deum esse in loco, vnde Aug. lib. 83. qq. quæst. 20. ait, Deum non esse alicubi, quod enim est alicubi, loco continetur, & Anselm. in Monol. capitul. 22. ait, quod Deus in nullo loco propriè dicitur esse, quia omninò à nullo alio continetur. At quia ex alio capite ratione immensitatis suæ per illapsum generalem est intimè præsens, nedum incorporeis, sed etiam corporeis rebus, rationem loci fundari potentibus in ordine ad substantias limitatas: hinc dicendum, Deum esse cum loco, quatenus etiam illi ea ratione, qua res quædam est corporea, est intimè præsens per illapsum generalem.

60 In oppositum Obijcitur 1. communis modus loquendi Scripturæ, & PP. qui asserunt, Deum esse in loco, & in omni loco per immensitatem suam. Deindè è contra plures SS. PP. negant Angelos esse in loco imò Boetius lib. de Hebdom. dicit, hanc esse communem animi conceptionem, incorporalia non esse in loco. Ratio huius esse potest, quia locus debet esse locato proportionatus, at superficies non est proportionata spiritibus, sed tantum corporibus, ergo quamuis esse possit corporum locus, non tamen Angelorum, & sine dubio quando Arist. 4. Phys. statuit superficiem esse locum, non nisi de loco corporum loquebatur.

Respon. cum Scriptura, & PP. insinuant, Deum esse in loco, non loquuntur de loco, vt locus est, seu vt exercet munus loci, quod est continere locatum, sed vt res quædam est, quo pacto sicut est in alijs rebus per indistantiam, ita est in loco, non verò per continentiam passiuam, ita Smisinch. loc. cit. Ad aliud, cum PP. negant Angelos esse in loco, intelligunt de modo essendi in loco circumscriptiuè, & per materialem commensurationem, non verò definitiuè, & per simplicem præsentiam. Ad rationem dicimus, vtique superficiem aptam non esse, vt spiritus circumscriptiuè contineat, benè tamen definitiuè, ita vt sit verum dicere, infra hanc superficiem ita Angelum contineri, vt extra eam non sit, & concedimus, Arist. statuisse superficiem pro loco rerum corporearum, quia de ea locutus est præsertim vt nata est locare circumscriptiuè, hinc tamen non sequitur, quin locus etiam Angelorum statui possit, si consideretur, vt apta locare definitiuè; & si nulla est repugnantia, quod anima rationalis reperiatur in corpore, vt forma in materia, tanto minor erit, vt Angelus reperiatur infra aliquam superficiem, sicut locatum in loco.

61 Secundò Scot. loc. cit. in 2. ait, quod facta etiam suppositione, quod Angelus sit intra mundum, non idcircò necesse est, quod sit in loco actu, quia non oportet, quod sit in aliquo continente indiuisibili actualiter existente sibi proportionato, non enim facit latera continentis distare, constat siquidem Angelum nullum abrumpere corpus, vt intra eius superficiem concauam recludatur, velut in loco, ergo Angelus non est in loco, si locus est vltima superficies corporis continentis.

Respond. superficiem posse locum actualem denominari duplici de causa, vel quia actu infra se aliquid includit, quod ratione suæ molis ipsam extendit actualiter, & de continente facit terminantem per abruptionem corporis continentis, vel quia actu infra se aliquid continet, quod licet eam non actu extendat, nec faciat vltimam, & terminantem, tamen adhuc verum est dicere, illud infra hanc superficiem ita contineri, vt nihil eius sit extra; primo modo solùm substantiæ corporeæ dicuntur esse in loco, & rationes ipsarum incorporeæ, casu quo Angelus v. grat. in obsesso tantum diffundatur per quantitatem virtutis, quantùm extenditur corpus obsessum per quantitatem molis, ita vt vltima superficies corpus continens sit quoque terminus sphæræ localis Angeli; & ita loquitur Doctor citat. sub litt. I. cum inquit, Angelum non esse necessariò actu in loco, etiam dum existit intra hunc mundum, nam si non ita alicui corpori coextendantur adæquatè, vtique non erit actu in loco in hoc sensu, at in secundo sensu etiam ratione sui est in loco, & verum est in quocunque contento definitiuè, quia re vera nihil eius est extra locum ambientem, etiam si superficies illa non sit vltima, & terminatiua, sed continuatiua tantùm, vt Doctor. clarè docet in respons. ad 2. Sic si Angelus in aliqua aeris regione, vbi totus aeris globus est continuus, per vnum stadium v. gr. diffunderetur, non vtique abrumperet aerem, nec sibi faceret superficiem concauam, intra quam recludatur, adhuc tamen in extremitatibus stadij illius posset in circuitu signari certa quædam superficies, ad quam pertingat Angelus, sed vltra non progrediatur, & sic actu diceretur ab ea contineri.

62 Tertiò, nequit Angelus contineri ab aliqua superficie tanquam in loco adæquato, ergo nequit verè, & propriè esse in loco, nam Angelum esse in loco est contineri ab aliqua superficie, itaut sit infra ipsam, & nihil eius extra ex Scot. cit. Probatur assumptum supponendo, quòd locus Angeli adæquatus sit palmare aeris, tunc si esset in loco, dari deberet aliqua superficies continuatiua aeris palmaris cum alio aere, infra quam reperiatur solum palmaris aer, & Angelus cum eo, itavt sit terminus extrinsecus angelicæ præsentiæ, quia locus est terminus extrinsecus locati 4. Physic. 30. & 36. sed hoc esse non potest, nam Angelum terminari ab illa superficie extrinsecè, est ad illam non pertingere, benè tamen ad quamlibet quantitatem sub ea, sed attingens totam magnitudinem diuisibilem, attingit quoque indiuisibile terminatiuum, quia indiuisibile additum diuisibili non facit maius, ergo contingere nequit, vt Angelus ambiatur superficie, quam intrinsecè non attingat etsi intrinsecè attingit, iam locus eius dici nequibit, quia locus est terminus extrinsecus.

Respond. cum Aristot. dixit, locum esse terminum extrinsecum rei locatæ, significare voluit, locum non debere esse partem rei locatæ, vel aliquid eius, quia locato abeunte locus remanet, & ita adinuicem se habere; vt non continua, sed contigua sint; quantùm autem spectat ad terminandam extensionem, & præsentiam rei locatæ, parum curauit, an eam extrinsecè terminaret, itavt sit verum dicere, rem locatam ad hanc superficiem non pertingere, benè tamen ad quamlibet quantitatem sub ea, an potius intrinsecè, vt verum sit dicere, vsque ad hanc superficiem extenditur res locata inclusiuè, sed vltra eam non progreditur, parum de hoc curauit Arist. quia siue hoc, siue illud dicatur, semper verum est, locum continere locatum, & eius præsentiam limitare, ac terminare, & quantùm ad argumentum in se spectat, superficies in locatione corporum videtur esse terminus extrinsecus molis eorum, quia moles corporis nequit esse intimè præsens spatio correspondenti superficiei concauæ continentis, at in locatione spirituum videtur esse terminus intrinsecus spiritualis extensionis eorum, quia cùm eorum extensio sit indiuisibilis, potest etiam spatium ipsum concauæ superficiei pertingere.

63 Quartò, siue locus ponatur esse superficies, siue spatium, semper est quid diuisibile, at substantia spiritualis est indiuisibilis, ergo non potest illi correspondere, & coextendi. Nec respondere valet, indiuisibile spirituale esse indiuisibile illimitatum, ac proinde potens habere extensionem virtualem, qua caret indiuisibile corporeum. Nam huius ratio quæritur, cur indiuisibile corporeum non possit facere extensionem, benè tamen indiuisibile spiritale. Si dicas, punctum esse omninò indiuisibile, quia diuisibilitas quantitatiua oritur ex extensione subiecti, at diuisibilitas animæ, vel Angeli in loco non oritur ex extensione subiecti, sed ex replicatione ipsius animæ, vel Angeli in singulis partibus corporis, & loci. Contra hoc est manifesta instantia, quia si hæc virtualis extensio Angeli per locum, & animæ per corpus fiat per huiusmodi replicationes Angeli per locum, & animæ in corpore, ergo à pari idem punctum pluries replicatum faciet extensionem materialem, & spatium occupabit maius, nam ita se habere videntur indiuisibilia quantitatiua ad extensionem materialem, sicut indiuisibilia spiritalia ad extensionem spiritalem.

Respond. indiuisibile spiritale coextendi posse superficiei, aut spatio diuisibili, quia etsi sit indiuisibile formaliter, est tamen diuisibile virtualiter; neque nos explicamus extensionem virtualem spiritualis substantiæ per iteratas replicationes eiusdem per singulas loci partes, quibus est præsens, nam iuxta hanc explicationem vrget vehementer paritas assumpta de indiuisibili corporeo, & incorporeo, quo ad extensionem materialem, & virtualem; sed dicimus, Angelum coextendi loco diuisibili per vnam, & æquabilem totius sui esse diffusionem in loco adæquato, sic vt totus quidem sit in quolibet puncto, & qualibet loci parte, non tamen completè, vt ex professo declarauimus disp. 9. n. 65. & 66.

64 Ex dictis colligitur, quòd quamuis in specie longè sint diuersi modi essendi in loco rerum corporalium, & spiritualium, vt magis constabit ex seq. quæst. attamen in genere conuenire possunt in aliqua ratione communi vniuoca ab illis præcisa, quod ita declarari potest; plures modi essendi in loco solent assignari, alius si quidem est modus essendi in loco indefinitè idest sine fine, in omni loco, & etiam extra omnem locum in spatio imaginario, & ita solus Deus dicitur esse in loco indefinitè, & immensiuè. Alius modus est essendi in loco definitè, idest in certo, & determinato loco, & ita omnis substantia creata est in loco. Item alius est modus essendi in loco circumscriptiuè, idest cum extensione partium, & extrapositionem cum materiali commensuratione ad partes loci, qui modus est proprius corporum, & alius incircumscriptiuè, nempè sine tali commensuratione, qui modus est proprius rerum spiritualium. Quamuis ergo rebus creatis, & increatis non possit assignari ratio communis verè vniuoca essendi in loco, quia Deus propriè non est in loco, sed potius abusiuè, attamen omnibus creatis rebus corporeis, & incorporeis assignari potest, nempè continentia passiua, seu realis præsentia rei locatæ ad locum, à quo continetur, vt abstrahit à circum-

circumſcriptiua,& definitiua, & talis vniuocatio probari poterit eiſdem rationibus, quibus probari ſolet paſſim vniuocatio quorundam tranſcendentium, aliquam tamen analogiam cum huiuſmodi vniuocatione mixtam non inficiamus, ſed talem ſolùm, quæ non inferat æquiuocationem,ſed adhuc inuabit ſeq. q. ad peculiares modos eſſendi in loco rerum corporalium, & ſpiritualium declarandos deſcendere.

QVÆSTIO V.

De peculiari modo eſſendi in loco rerum corporalium, & ſpiritualium.

65 QVamuis conueniant omnes, quòd peculiaris modus rerum corporearum eſſendi in loco, vt à rebus incorporeis diſtinguitur, eſt eſſe in loco circumſcriptiuè, quia eſſe in loco definitiuè, hempè ita hic,quòd non alibi,eſt vtriſque communis, quatenus ſunt entia creata,& limitata,vt dictum eſt in fine præced.quæſtionis, adhuc tamen diſſidium eſt, quomodo corpus cum ſuis partibus eſſentialibus, & accidentalibus dicatur eſſe in loco circumſcriptiuè, an ſcilicet pro his omnibus ſufficiat vnicum Vbi totale, per quod compoſitum ipſum per ſe, & adæquatè ponatur in loco, cœtera verò, quæ in ipſo reperiuntur, concomitanter, & per accidens, an potius partes eius eſſentiales, & accidentia in ipſo exiſtentia proprias habeant præſentias diſtinctas à præſentia totius. Vaſq.3, par.diſp.189. cap.4,& 190.cap.3.Ruuius 4.Phyſic.tract.de loco quæſt.5. Complut. q.6.inquiunt,per vnum Vbi locari omnia, quæ ſunt in eodem ſubiecto,atque adeò formas ſubſtantiales,& accidentia omnium corporum non eſſe in loco per ſe,ſed per accidens,& ratione ſubiecti.Ex aduerſo Suar.diſp.51.Met.ſect.5.Hurt.diſp.14.Phyſ.ſect.4.Auerſa q.28,ſect.4. Amic.tract.20.qu.5. dub.4. præter vbi totius multiplicant præſentia iuxta pluralitatem formarum, & accidentium realiter ab inuicem diſtinctorum, & vnicam ſufficere pro omnibus, & ſingulis,omninò negant.

De ſubſtantijs etiam creatis ſpiritualibus,vt eſt Angelus, & anima rationalis, in eo conueniunt omnes,quod ſunt in loco definitè, & incircumſcriptiuè; definitè quidem ratione ſuæ limitationis,limitatio enim entitatis arguit etiam limitationem in ordine ad locum, in circumſcriptè verò, quia ſunt in loco per præſentiam indiuiſibilem, & ſine commenſuratione ad illum ratione ſpiritualitatis,& ſi appropriatio eis nomine alioqui communi, modus eſſendi earum in loco dici ſoleat definitiuum, quemadmodum è contra modus eſſendi corporum abſolutè dicitur circumſcriptiuus, adhuc tamen dubium eſt, quomodo explicanda ſit hæc indiuiſibilis præſentia ſubſtantiæ ſpiritualis in loco, & præſertim magnum diſſidium eſt, in quo fundari debeat, an in eius ſubſtantia immediatè, vt Scot. docet loc.cit.cum ſuis,& S.Bon.2.d.2.part.2.art.2.qnæſt.1. & omnibus Nominalibus ibidem,ac Neoterico rum torrente,Suar.diſput.51.Met. ſect.3. & 4.& lib.4. de Angelis cap.2.Vaſq.1.par.diſput.188.capit.7. Mallon.in 2.d.8.diſputat.9.ſect.2. Peſant.1.p.quæſt.52,art.1.quæſt.2. Molin.ibid.diſp.vn.membr.5. Coninch.3.par.ad quæſt.75.art.4.dub. 1.Hurtad.diſputat.12.Met.ſect.6. Moriſ.diſputat.5. Phyſ.quæſt.4. an potius in operatione vt D.Thom.1.p.quæſt.52.ar.1.cum ſuis,qui contendunt Angelum eſſe in loco per operationem, aut veluti per rationem fundandi præſentiam ad locum, aut potius veluti per ipſam rationem formalem eſſendi præſens iuxta varium Thomiſtarum explicandi modum ſententiam S.Thomæ. Et denique dubium eſt, in quo ſenſu ſubſtantia ſpiritualis locum determinatum habere dicatur.

ARTICVLVS I.

Explicatur modus eſſendi in loco rerum corporearum.

66 DIcimus 1. Vbi circumſcriptiuum eſt ratio formalis eſſendi in loco circumſcriptiuè,corporeitas verò ratio fundamentalis,ſi per Vbi circumſcriptiuum intelligatur illud, quod affert præſentiam diuiſibilem,& commenſurationem totius corporis ad totum locum, & partium illius ad partes iſtius; quod ſi per Vbi circumſcriptiuum intelligatur id, quod vltra præſentiam diuiſibilem affert etiam præſentiam impenetrabilem, ratio fundamentalis ſic eſſendi in loco circumſcriptiuè eſt ſola quantitas. Concl. pendet ex dictis quæſtio. 3.huius diſputat.& diſputat.9. quæſt.1.art.1. de Nat. quant.cum enim ex dictis ſupra quæſt. 3. neceſſe ſit admittere modum Vbi realiter diſtinctum à rebus vbicatis, per quem formaliter, & intrinſecè res dicuntur eſſe in loco conſtitutæ, conſequens eſt, vt id, per quod corpus formaliter dicitur eſſe in loco diuiſibiliter, & circumſcriptiuè aliud non ſit, quam modus. Vbi circumſcriptiuè, vt docet Scot.quol.11. per totum. Et cùm ex dictis quæſt.1.diſpu.9. ſubſtantia materialis ſicut & quodlibet aliud accidens corporeum, adhuc ſit diuiſibilis in partes integrales ſecluſa quantitate, & quantitas illi ſolum afferat impenetrabilitatem, vnde ſubſtantia corporea quantitate deſtituta adhuc in loco diuiſibiliter remaneret, & circumſcriptiuè per commenſurationem partium ad partes loci ratione ſuæ magnitudinis, licet penetrabiliter; hinc conſequenter fit,quod ratio fundamentalis eſſendi in loco circumſcriptiuè in iſto ſenſu non ſit quantitas, ſed corporeitas, vt docet Doct.quol.11.art.1.quæ in ſubſtantia materiali quantitatem præcedit, & conſtituitur per pluralitatem partium integralium,ac entitatiuarum; ratio verò fundamentalis eſſendi in loco,nedum diuiſibiliter, ſed etiam impenetrabiliter ſit ſola quantitas, in quo ſenſu loquitur Doct.4. d.10.q.3. Neque contra hanc Concluſ.aliæ rationes afferri ſolent præter allatas,& dilutas loco citato.

67 Dicimus 2. etſi loquendo de Vbi circumſcriptiuo præſentiam impenetrabilem afferente vnum ſufficiat Vbi,vt corpus,& eius partes eſſentiales,ac cœtera accidentia materialia,quæ in eo inueniuntur in vno loco compenetrata, ſimul dicantur vbicata, attamen loquendo de Vbi circumſcriptiuo, ſolam præſentiam diuiſibilem afferente ſine impenetrabilitate, nedum multiplicandum eſt pro earum rerum multiplicitate in ordine ad partes virtuales diuinæ ſubſtantiæ, aut ad ſpatium, ſed etiam in ordine ad ſuperficiem ambientem. Concl. deducitur ex ſuperius dictis, & non ſolum eſt contra Vaſqu. Ruuium, & alios aſſerentes, vnicum Vbi ſufficere ad collocandum corpus cum ſuis partibus eſſentialibus, & accidentibus, ſed etiam contra Suar.Hurt.Amic.Auerſ. quamuis enim hi omnes in eo conueniant, quod loquendo de Vbi pro præſentia intrinſeca,quam ipſi attendunt in ordine ad ſpatium, nos autem in ordine ad certas partes virtuales diuinæ ſubſtantiæ vbique diffuſæ,multiplicari debeat, pro rerum multiplicitate, quæ in corpore exiſtentes ſimul compenetratæ reperiuntur in eodem loco, attamen loquendo de Vbi pro præſentia extrinſeca in ordine ad ſuperficiem vnicum Vbi pro omnibus ſufficere dicunt, quod ſit per ſe primò compoſiti, per acciden verò cœterorum.

Concl.quoad 1.partem eſt communis, & facilè probatur, quia in vnoquoque corpore vna ſola quantitas reperitur, quæ omnes eius partes eſſentiales, & accidentia extendit, & impenetrabilia reddit ab alio corpore quanto,ſi enim ſingulæ partes,& accidentia ſingulas haberent quantitates, non inter ſe compenetrata forent, vel naturaliter daretur penetratio dimenſionum, ergo ſicut vna quantitas ſufficit, vt corpus per ſe primò dicatur extenſum quantitatiuè, & impenetrabiliter, cœtera vero concomitanter, & per ſe ſecundò, ita vnum Vbi circumſcriptiuum in eo ſenſu ſufficiet, per quod primariò quantitas, & ſecundariò cœtera locum occupent, ſicut primò quantitas eſt impenetrabilis, & per impenetrabilitatem quantitatis cœteris communicatam alia redduntur impenetrabilia.

68 Quo autem ad 2. partem, quod nimirum præſentia intrinſeca multiplicari debeat pro multiplicitate formarum,& accidentium, quæ ſunt in compoſito,communis eſt Concluſ. Auctoribus 2.ſententiæ,at non eodem modo probatur ab omnibus, namque Auerſa probat, quia ſi corpus hic exiſtens replicetur à Deo in alio loco ſine aliqua ſua forma accidentali, quam hic habet v.g. albedine, & deinde etiam albedinem ſpam replicet in corpore alibi exiſtente, vtique in hac conſequenti reduplicatione ſola præſentia formæ in illo ſecundo loco fit, vnde, & ibi erit per ſuam diſtinctam præſentiam. Sed hæc ratio non valet,quia cum corpus à Deo replicatur, neceſſariò conſequenter replicari debet cum omnibus ſuis accidentibus, quæ à loco diſtrahunt ad euitandam contradictionem,vt patebit infra, vnde vel hæc ratio non valet, vel ſaltim alio modo confici debet, vt valeat, Amic.ea ratione probat, quia ſi aliquod accidens de nouo producitur in ſubiecto, non poteſt dici fieri præſens eidem loco per Vbi ipſius quantitatis,quia modus nequit modificare,niſi rem quam afficit,cum hæc modificatio in genere cauſæ formalis exerceatur, forma verò non communicat effectum formalem niſi ſubiecto in quo eſt. Nec valet dicere, ait Amic. communicationem hanc fieri per concomitantiam plurium in eodem ſubiecto, nam albedo cum dulcedine reperitur in lacte,non idcircò dicitur dulcis, & modificatio præſertim eſt communicatio facta per informationem rei à modo. Sed neque hac ratione benè fundatur, ſiquidem non ſolum forma in ſubiectum, ſed etiam ſubiectum in formam denominationem derivare poteſt, nam non ſolum quantitatem dicimus album, ſed etiam albedinem quantam, modo iam explicato diſputat.3.quæſt.3.artic. 2.nu.37.

69 Ea igitur præſertim ratione quoad hanc partem probanda eſt Concluſio, quia conſeruari poteſt quantitas per ſe cum eodem ſuo Vbi ablata ſubſtantia,& è contra ſubſtantia ſine quantitate modo adhuc extenſo, & diuiſibili ob ſuam extenſionem entitatiuam, & eodem modo etiam conſeruari poteſt albedo ablata ſubſtantia,& quantitate,ſignum euidentiſſimum,ſigula quæ que horum ſingulas habere præſentias. Et confirmari poteſt ex myſterio Euchariſtiæ,vbi credimus accidentia remanere cum eadem præſentia ad ſpatium, quam prius habebant,quando erunt in ſubiecto, ergo cum ex vi conſecrationis nulla fiat in eis variatio quoad locum, & præſentiam in loco, fatendum eſt, quod antea non erant in loco per præſentiam ſubiecti, per quod refellitur, quod aiunt aliqui, in præfato caſu vtique quantitatem manere in eodem loco,quo antea, ſed non per illud ipſum Vbi quo antea erat in illo,ſed per aliud à Deo de nouo producendum;non enim ita accidit in Euchariſtia,etſi hoc cõtingeret, adhuc haberemus intentum,ſicut enim tunc eſſet in loco per proprium Vbi,ita & antea proprium Vbi ſibi vindicabat. Quæ ratio valet etiam ad probandã tertiã concl.partem,nimirum multiplicari,quoq; debere præſentias extrinſecas in ordine ad ſuperficiem ambiẽtẽ iuxta multiplicitatẽ rerũ & for-

& formarum, quæ in ſubiecto reperiuntur realiter diſtinctæ, vt diſcurrenti patebit.

Contra hanc Concl.arguunt Vaſq.& Ruuius citat. illis debetur diſtincta per ſe præſentia, quæ mouentur localiter per ſe quia Vbi eſt terminus motus, ſed partes eſſentiales, & accidentia compoſiti non mouentur per ſe, ſed per accidens 5.Phyſ.cap.1.& 2.Top.c.3.ergo neque habebunt Vbi per ſe,ſed per accidens locabuntur per locationem, & Vbi totius,vt ipſe etiam Scot.inſinuat 2.diſt.2.q.6.E. Tum deinde ſi Vbi in corpore ita multiplicarentur, iam corpus, dum localiter mouetur, non vno motu moueretur, ſed tot, quot ſunt eius partes. Demum præſentia fundatur in eſſe rei, & iuxta modum eſſendi ſingulis rebus debetur præſentia in loco, ergo cum partes,& accidentia compoſiti non habeant eſſe per ſe, ſed ſint aliquid compoſiti, ſufficit ſola præſentia compoſiti,quæ illud per ſe conſtituat in loco præſens,cœtera verò per accidens.

70 Reſp. ad 1. dum Ariſtòt. & Scot. & etiam communis loquendi modus ſignificant partes, & accidentia moueri per accidens, & per accidens locari, ideſt per motum, & locationem per ſe perfeitate totali, ſeu tertij modi, qui eſt modus per ſe eſſendi, ideſt ſolitariè ſubſiſtendi, quia hoc modo ſolum ſuppoſitum, cuius ſunt partes, & accidentia, per ſe moueri,& locari dicitur,non tamen per accidens moueri dicuntur, & locari, eo quia non recipiant in ſe intrinſecè motum, & terminum motus, ſic enim per ſe mouentur non minus, quam totum,& ſubiectum,ita colligitur ex Scot.4.d.10.q.6.D.Ad 2.dicimus, quod ſicut in compoſito ſunt plures partiales entitates, ex quibus vnum totum coaleſcit, ita motus totius ſuppoſiti tot motus quaſi partiales includit, qui terminantur ad plura Vbi partialia, ex quibus coaleſcit vnum Vbi vnitate integritatis, & aggregationis, per quod ſuppoſitum dicitur eſſe in vno loco, & vno motu ad vnum locum moueri.Ad 3.ex eo,quod partes, & accidentia non habeant eſſe per ſe perfeitate tertij modi,ſolum ſequitur,quod per ſe non moueantur, & vbicentur tali perfeitate, adhuc tamen mouentur, & vbicantur perfeitate intrinſeca.

Deinde obijciunt Compl. quia tam partes eſſentiales, quàm accidentia, quæ ſunt in compoſito, omnia ſunt quanta per quantitatem totius, ergo etiam omnia ſunt in loco circumſcriptiuè per Vbi totius, quia ſola quantitas eſt ratio fundandi talem præſentiam. Reſp. concedendo totum, concludit enim argumentum, quod ſufficit vnum Vbi circumſcriptiuum pro omnibus, accipiendo Vbi circumſcriptiuum pro Vbi quantitatiuo impenetrabilitatem afferente.

71 Dicimus 3. omne corpus circumſcriptiuè locatum eſt neceſſariò ſituatum, ita vt circumſcriptio ſine Situ nequeat intelligi. Hæc concl. ab omnibus recipitur, & facile Prob.quia eſſe in loco circumſcriptiuè eſt eſſe in loco dimenſiuè, itaut totum locatum toti loco correſpondeat, & partes locati partibus loci, at ſitus aliud non eſt, quàm prædictus ordo partium locati ad certas partes loci, ergo corpus circumſcriptiuè locatum debet eſſe quoque ſituatum, Prob. minor,quia vt dictum eſt in Log.diſput.8.quæſt.12.art.2.iuxta communem loquendi modum in ſchola noſtra in hoc differt ſitus ab Vbi, vt colligitur ex Scoto 4.diſt.10.quæſt.1.ſub M. quod Vbi reſultat, (loquendo de paſſiuo) in re locata ex habitudine ad totum locum, ſitus verò ex habitudine partium rei locatæ ad determinatas partes loci,vt etiam ex ipſa definitione ſitus, quam tradit auctor ſex principiorum manifeſtè deducitur, dum ait, poſitionem eſſe quendam partium,&c. Ex quo entiam infertur, inuariato Vbi poſſe mutari ſitum ita ſumptum,vt quando vinum in vaſe agitatur,manet ſemper totum vinum intra eandem ſuperficiem concauam vaſis, atque in eodem loco, ſingulæ tamen partes vini reſpondent viciſſim diuerſis partibus eiuſdem ſuperficiei, & loci, vnde in alio ſenſu hic accipitur ſitus, quam accipitur qu.1.huius diſputat.ab illis auctoribus, qui ſitum ponebant locum,nam ipſi pro ſitu intelligebant determinatum ordinem, quem habent omnia locata ad centrum,& polos.

Sed præter ea, quæ dicta ſunt de ſitu in Log.qui eſt proprius corporum, adhuc addendum eſt, quod ſicut duplex datur Vbi circumſcriptiuum, vnum quod affert ſolam præſentiam diuiſibilem, cuius fundamentum eſt corporeitas, & materialitas rei, & conuenit omnibus corporibus etiam ſecluſa quantitate, quia adhuc ratione materialis extenſionis eorum implicat ſuaptè natura eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte loci. Alterum quod vltra diuiſibilitatem præſentiæ affert quoque impenetrabilitatem, & tale habetur per ſolam quantitatem, quæ conſtituit corpora in loco occupatiuè, & impenetrabiliter: conſequenter etiam duplex ſitus erit diſtinguendus, alter correſpondens Vbi circumſcriptiuo primi generis, quem præcisè habeant corpora ratione ſuæ materialitatis, alter correſpondens Vbi circumſcriptiuo ſecundi generis, quem præcisè corpora habeant ratione quantatis.Situs corporeus erit ordo partium corporis contenti ad determinatas partes loci ſine penetrationis repugnantia vnius partis cum alia, ſitus vero quantitatiuus erit ordo partium corporis quanti ad determinatas partes loci cum actuali impenetratione, ita vt repugnet, corpus eſſe ita ſituatum, & vnam partem compenetrari cum alia, quæ omnia ſequuntur ex illo principio, quod ſubſtantia materialis ſit diuiſibilis ſecluſa quantitate in partes entitatiuas, & integrales, & quod ratione ſuæ materialitatis adhuc quantitate ſecluſa foret in loco diuiſibiliter; quæ omnia fusè, & ſolidè probata ſunt diſputat.9.quæſt.1.articul.1.& 2. ex quo etiam principio facilè ſoluentur quæcunque contra hanc Concl. obijci poſſent. vide diſput. cit.Logic.vbi duplicem viam docuimus conſtituendi prædicamentum Situs.

ARTICVLVS II.

Explicatur modus eſſendi in loco rerum ſpiritualium.

72 DIcimus 1.quod ſubſtantia ſpiritualis, vt Angelus, & anima eſt, in loco fundamentaliter non per ſuam operationem, ſed per ſuam ſubſtantiam,inquantum eſt natura limitata actualiter exiſtens; ita Scot.in 2.d 2.q.6.& ſequuntur auctores omnes ſup. citat. & præter auctoritates Damaſc.Nazian.& Aug. quas Doct. pro ſe refert, Prob.euidentiſſimis rationibus. Primò, quando Thomiſtæ aiunt, Angelos eſſe in loco per operationem, vel intelligunt de operatione tranſeunte, qualis eſt motio, quam circa corpora exercent, vel de immanenti, qualis eſt intellectio, & volitio; Non primum, Tum quia operatio tranſiens non poteſt eſſe ratio alicui; cur ſit alicubi, Sol enim non eſt in terra ſecundum ſubſtantiam, licet in ea operetur. Tum quia ratio eſſendi in loco debet eſſe in re locata, vt patet de quantitate reſpectu corporum,ſed operatio tranſiens non eſt in Angelo, ſed in corpore moto. Tum quia Angeli, & animæ beatæ ſunt in Cælo Empyreo, circa quod nullam habent operationem tranſeuntem, non enim mouent illud. Tum quia Angelus motor alicuius orbis habet totum illud Cælum pro mobili ſibi adæquato, & in toto Cælo, operatur, & tamen non eſt in toto Cælo, tunc enim ſimul effet in Oriente, & Occidente. Tum quia quando aliquid eſt in loco, per aliud, eodem modo eſt in loco, ſicut illud, vt quia corpus eſt in loco per quantitatem fundamentaliter, ſicut quantitas eſt in loco commenſuratiuè, ita, & corpus, at operatio tranſiens Angelis eſt commenſuratiuè in loco, cum ſit materialis, ergo etiam & Angelus ipſe. Tum denique quia in ſententia præſertim D.Thomæ præſentia entitatis agentis eſt conditio præuia ad actionem, non è contra, vnde 1.p. qu. 8. art. 1. probat, Deum ex operatione eſſe vbique ſecundum ſubſtantiam; ita arguit Doctor loc. cit. & Baſſol. ibid.q.3.art.3.

73 Neque ſecundum. Tum quia operatio immanens ita abſtrahit à loco, ſicut ipſamet Angeli ſubſtantia, reſpicit enim locum intentionaliter ſolum, ſicut cætera obiecta; quod ſi dicatur, actionem immanentem, qua ſolum intentionaliter attingitur corpus, abſtrahere à loco, ſicut eſſentia, non verò actionem, qua vult Angelus applicare virtutem ſuam executiuam, ſeu motiuam ad producendum aliquem effectum externum circa corpus aliquod; nam operatio immanens in hoc ſenſu, quæ eſt virtualiter tranſiens, non ſolum non abſtrahit à loco verum conſtituit Angelum formaliter in loco vt explicat Caiet.1.p.q.52.art.1. Contra, tum quia ſi Diabolus aliquam talem volitionem haberet circa Cælum, ſtatim eſſet in Cælo. Tum quia contingere poteſt, quod circa aliquod corpus habeat talem actionem immanentem, quam vocant Thomiſtæ applicationem virtutis, atque adeò virtualiter tranſeuntem, & tamen non ſit in eo corpore vt in loco, Probatur aſſumptum, nam Danielis 10. Angelus miſſus à Deo, vt populum liberaret à captiuitate Babylonica, volebat in Perſidem ire ad populum liberandum; vnde circa illam Prouinciam habebat applicationem virtutis, & tamen ibi non erat, quia reſiſtebat ei Princeps Regni Perſarum, ideſt Angelus illius Prouinciæ cuſtos; & Marci c. 5.legitur, quod Chriſtus liberare volens obſeſſum à ſpiritibus immundis, deprecabatur ab eis, vt eos ſineret intrare in gregem porcorum ibi vicinum, vnde dicebant *Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus*, ex quibus verbis colligitur, ſpiritus illos habuiſſe virtutem applicatam circa porcos, in quibus tamen adhuc non erant tanquam in loco, ergo falſum eſt, Angelos eſſe in loco per applicationem virtutis in hoc ſenſu. Denique ridiculum videtur, vt ait Baſſol.Angelum ponere naturæ malanconicæ, ita vt oporteat ſemper ipſum eſſe occupatum in cogitando, vt ſit in aliquo loco.

74 Secundo ſiue dicatur Angelus eſſe in loco per operationem immanentem, ſiue tranſeuntem, certum eſt, poſſe Angelum à quacunque tali ceſſare, vel ob ſuam libertatem, vel ob denegatum à Deo concurſum, & tamen adhuc ſubſtantia eius indiſtans remaneret ab eo loco, vbi prius operabatur. Detur enim caſus, quod prius operaretur in hoc gymnaſio attingendo aerem, vel applicando virtutem ſuam ad hunc effectum externum, ceſſet deinde ab hac operatione inchoata, & etiam ab omni alia actione, vel ob libertatem ſuam, vel ob denegatum Dei concurſum ad omnem actionem, vtique hac hypotheſi data manebit Angelus in hac ſchola, quia ſine actione non poteſt hinc diſcedere, ergo ſine vlla operatione erit in loco. Si dicatur, tunc non eſſe hic, nec alibi, ſed nullibi. Contra, Angelus ille per ſolam denegationem concurſus Dei ad eius actiones non eſt annihilatus à Deo, & Deus videt illum eſſe in vniuerſo, videt etiam illum non eſſe Romæ, Pariſijs, nec in aliqua alia parte vniuerſi, ſed tantum in hac ſchola, ergo Angelus in tali caſu adhuc remanet alicubi. Si dicatur, eo caſu non fore in hac ſcola actu, ſed aptitudine. Contra, actu eſt indiſtans ab hac ſcola, & actu videtur à Deo, & alio Angelo non diſtare ab ea, ergo actu eſt in ea. Si dicatur, tunc fore in hac ſchola vt in loco fundamentaliter, non formaliter. Contra, rem eſſe formaliter alicubi eſt, eſſe ab eo loco indiſtan-

ſtantem, & qui tenent, Angelum eſſe in loco per operationem, ideo hoc aſſerunt, quia volunt Angelum per operationem fieri indiſtantem à loco, in quo dicitur eſſe. Si dicatur, remanere in hac ſchola tanquam in ſpatio, non tanquam in loco. Contra, remanet in hac ſchola ſicut in ſpatio pleno; ergo tanquam in loco, nam ſpatium plenum habet rationem loci. Si denique dicatur, talem eſſendi modum in loco poſſe Angelo competere per potentiam Dei abſolutam, ſed ſecundum communem naturæ curſum, & ex natura rei eſſe in loco per operationem. Contra, tum quia ex hoc, quod ſecluſa operatione quacunque poteſt adhuc Angelus remanere in loco per ſuam ſubſtantiam immediatè, debemus arguere abſolutè ipſum eſſe in loco per ſuam ſubſtantiam, non per operationem; tum quia ex natura rei poteſt Angelus pro ſua libertate deſiſtere ab operatione circa quamcunq. creaturam corpoream, ſaltim pro aliquo inſtanti, & ſe totum occupare circa ſpiritualia, & adhuc pro eo inſtanti eſſet alicubi, ergo etiam ex natura rei poteſt illi competere talis modus eſſendi in loco.

Tertiò Prob. quod ipſamet ſubſtantia Angeli poſſit immediatè fundare præſentiam localem, quia entitatiua præſentia vnius rei ad aliam connotans negationem diſtantiæ vnius ab alio admitti debet, cum Deus ratione ſuæ immenſitatis dicatur ſic intimè præſens cunctis rebus, & anima præſens corpori in puncto ſeparationis, cum ipſum primò non informat, ergo non implicat, Angelum per ſuam ſubſtantiam immediatè ſimiliter fundare entitatiuam præſentiam ad aliquod corpus, quod reſpectu eius habeat rationem loci, vel continentis, & certè quando dicimus, Angelum ſecundum ſubſtantiam eſſe hic, & non alibi, aliud ſignificare non prætendimus, quam præfatam entitatiuam præſentiam ſine locali circumſcriptione. Confir. quia res materialis eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, itaut ſi Deus ab ea quantitatem auferret, non propterea deſineret eſſe in eodem loco ergo, & res ſpiritualis poterit eſſe præſens per ſubſtantiam, & abſolutè ſic debebit dici præſens, & in loco indiſtans.

Turrianus op. 9. diſput. 1. dub. 2. ait, non eſſe idem, rem eſſe alicubi præſentem, & eſſe in loco reali, primum enim ſolum dicit rem eſſe præſentem alicui ſpatio loci, ſicut per durationem intrinſecam dicitur res coexiſtere ſpatio durationis, at eſſe in loco reali præter præſentiam rei reſpectu ſpatij addit contactum aliquem, & proportionem cum loco reali, ſcilicet corporeo. Hinc poſtea ſequen. dub. præſertim 5. ait Angelum poſſe vtique eſſe alicubi, ideſt ab aliquo ſpatio indiſtantem per ſolam exhibitionem ſuæ entitatis, & ad hoc nihil prorſus conferre actualem operationem, idque ſufficienter demonſtrari per argumenta Scoti, Addit tamen, neceſſariam eſſe operationem tranſeuntem, vt dicatur Angelus eſſe in loco reali per virtualem contactum cum analogia ad locum corporum, ex quo deſumpta eſt denominatio exiſtendi Angelum in loco, nullus enim alius contactus poteſt eſſe inter Angelum, & locum realem, & in hoc ſenſu explicat Sanctum Thomam.

76 Verum licet doctrina, quam tradit dub. 2. quod aliud eſt, rem eſſe alicubi præſentialiter, & aliud eſſe alicubi tanquam in loco reali, veriſſima ſit, quia ſpatium re vera exercere nequit munera loci, tamen quod poſtea inquit in progreſſu, rem poſſe dici alicubi præſentialiter ratione ſpatij præciſè, à quo eſt indiſtans, non eſt probabile, quia ſpatium cum nihil prorſus ſit, ſicut hac ratione non poteſt rem verè denominare localiter vbicatam, ita neque præſentialiter, quia purum nihil non poteſt terminare veram, realem, & poſitiuam præſentiam per quam res dicitur eſſe hic, & non alibi. Deinde falſum eſt etiam non poſſe inter locum realem, & Angelum intercedere niſi contactum virtualem, & hunc fieri non poſſe, niſi media actione tranſeunte, & corporea, vtrunque enim falſum eſt, quia præter contactum mathematicum in quantitatibus fundatum, & virtualem in actionibus, debet etiam admitti alter contactus, qui dicitur entitatiuus, conſiſtens in immediata vnione, vel intima præſentia vnius rei ad aliam, quo genere contactus dicitur Deus ab vnoquoque noſtrum indiſtans, quin etiam contactus ipſe virtualis fieri poteſt ſine actione, ſi immediata vnio fieret per virtutem ſumptam in actu primo, qualis eſt eſſentia, & ſubſtantia Angeli, nam talis etiam contactus dici poteſt virtualis, ſicut ipſa ſubſtantia Angeli dicitur quantitas virtutis.

Contra hanc Concl. iſtant Thomiſtæ, primò, in ſubſtantia corporea ſola quantitas molis eſt ratio fundamentalis eſſendi in loco, itaut ſi quantitas auferatur, ſubſtantia materialis in punctum conſluit, ergo & in ſpirituali ſola quantitas virtutis, quæ eſt operatio tranſiens, vel applicatio virtutis ad operandum, eſt ratio fundamentalis eſſendi in loco definitiuè. Confirm. res in vno loco exiſtens diſtat ab alia, quæ in alio reperitur, ſed ſubſtantia ſpiritualis ratione ſui non poteſt diſtare, quia hæc diſtantia conuenit rebus ratione quantitatis, & corporeæ molis, ergo ſubſtantia ſpiritualis ſeipſa eſſe nequit in loco, ſed per operationem tranſeuntem vel aliquam vnionem ad corpus, ratione cuius diſtare dicatur.

77 Reſp. neg. aſſumptum, ſubſtantia enim corporea immediatè ſuſcipere poteſt præſentiam circumſcriptiuam, vel certè definitiuam, & per quantitatem ſolum conſtituitur in loco impenetrabiliter, vnde argumentum retorqueri poteſt, quod ſi aſſumptum admitteretur, tunc negari deberet, quod in Angelo quantitas virtutis ſit operatio, vel applicatio ad illam, erit enim eius eſſentia in tali gradu perfecta, qua ratione dici ſolet quantitas perfectionis, & virtutis. Ad Confirm. neg. minor, ſecluſo enim omni corpore, adhuc vnus Angelus poteſt ab alio diſtare, non ratione extenſionis, vel quantitatis, ſed ratione præſentiæ, per quam conſtituitur præſens determinatæ parti ſpatij, vel potius certæ parti virtuali diuinæ ſubſtantiæ, vnde neceſſario diſtat ab alia parte ſpatij, vel diuinæ ſubſtantiæ, & conſequenter à re, quæ illi præſens exiſtit.

Secundò ex noſtra ſententia ſequitur, Angelum ſemper eſſe debere in æquali loco, quia eſt in loco ratione ſubſtantiæ, quæ ſemper eſt eadem, & inuariabilis, ſicut à ſimili; ideò corpus ſemper occupat æquale ſpatium, quia ratio occupandi eſt quantitas, quæ niſi varietur per rarefactionem, & condenſationem, ſemper locat in æquali loco.

78 Reſp. neg. Sequelam, ſubſtantia enim eſt ratio tantum fundamentalis, cur abſolutè debeatur Angelo præſentia, & eius limitatio cur debeatur ei determinatus locus, vel ſpatium verſus maximum, at formaliter eſt in loco per præſentiam proximè cauſatam à virtute eius motiua ab imperio ſuæ voluntatis applicata, quare talis, vel talis præſentia, tanta, vel tanta pendet à voluntate Angeli, & in hoc differt ſubſtantia ſpiritualis à corporea, quia licet in vtraq. ſit determinata capacitas tanti loci, tamen hæc capacitas immediatè ſubditur voluntati Angelicæ quoad occupationem tanti, vel tanti loci intra propriam ſphæram, quod de quantitate dici non poteſt ratione ſuæ extenſionis, qua neceſſariò occupat quicquid poteſt, vt fuſius infra.

Sed dices, ergo ſi per imperium voluntatis ſuæ virtutem motiuam applicantis eſt Angelus in hoc, vel illo loco tanto, vel tanto, iam eſt in loco per applicationem virtutis. Reſp. per talem applicationem Angelum conſtitui in loco ſolum effectiuè, non autem tanquam per rationem eſſendi in loco formalem, vel fundamentalem, in quo ſenſu eſt quæſtio. Sed iterum dices, ergo poterit Angelus ab omni vbi abſolui, quia præſentia ponitur pendere efficienter à ſua voluntate. Reſpond. poſſe abſolui ab omni vbi locali, ſi v. g. ſe extra mundum conferat, ſed non ab omni vbi præſentiali ratione ſuperius allata q. 4. articul. 1. in fine, & certè non ritè infertur conſequentia, quia licet ſit in Angeli poteſtate producere hanc vel illam præſentiam, maiorem, vet minorem, non inde ſequitur, ab omni poſſe abſolui propter exiſtentiam ſubſtantiæ Angeli actualiter exiſtentis, ſicut Deus in corpore extenſo poteſt hanc, vel illam producere præſentiam, non tamen ſine omni conſeruare, ſi maneat corpus locabile cum extenſione.

76 Tertiò per articulum quendam Pariſienſem ſubſtantia non eſt ratio eſſendi in loco definitiuè, ergo erit aliqua operatio, & modus ſubſtantiæ ſuperadditus. Reſpon. gratis concedendo, ſubſtantiam vt ſic non eſſe rationem nec formalem, nec fundamentalem eſſendi in loco definitiuè, quia tunc etiam diuinæ ſubſtantiæ locus præſcribi deberet, ſed ratio ſic eſſendi in loco eſt ſubſtantia in quantum limitata. Contra obijcies; tum quia limitatio æquiuocè dicitur de eſſentiali, & locali determinatione; tum quia vltra ſubſtantiam limitatam non addit, niſi negationem perfectioris entitatis, ſeu infinitatis, negatio autem non poteſt eſſe fundamentum relationis, realis, qualis eſt præſentia definitiua. Reſp. dato etiam, quòd æquiuocè diceretur limitatio de eſſentiali, & locali determinatione, non tamen ſequitur, quod ex illa ritè inferri nequeat iſta, ſicut è contra in Deo ex infinitate entitatis ritè infertur vbiquitas; neque finitas, quæ eſt modus entis finiti, dicit puram negationem, licèt per negationem explicari ſoleat, ſed vltra negationem aliquod poſitiuum inuoluit, ratione cuius neceſſariò ineſt creaturæ omnis talis negatio, negatio enim eſt in ſubiecto per aliquid poſitiuum, vt docet Doctor. 3. diſt. 1. qu. 1. ſicut è contra infinitas in Deo ponit etiam quid poſitiuum, licèt per negationem limitis, & termini ſoleat explicari. Quod ſi etiam ſolam negationem diceret, non propterea reſpectus fundaretur in negatione, quia tunc ly *inquantùm* ſumeretur ſpecificatiuè, non reduplicatiuè; vel limitatio ſumeretur fundamentaliter, non formaliter, vt ſenſus ſit, præſentiam definitiuam fundari in ſubſtantia, quæ eſt finita, & limitata.

80 Quartò vt aliquid ſit in alio tanquam in loco, neceſſe eſt, vt illud tangat ex 4. Phyſ. ſed ex Philoſopho duplex tantum habetur contactus, mathematicus ſcilicet & virtualis, ergo cùm Angelus nequeat locum attingere primo contactu, qui fit ſolùm per quantitatem molis, attinget altero, qui fit media operatione, Prob. minor, quia 6. & 7. Phyſ. ſolùm mentionem facit de contactu, qui fit media quantitate, & media actione, & paſſione. Reſp. maiorem propriè eſſe veram de eo quod eſt in loco dimenſiuè, de his enim loquitur ibi Ariſt. in alijs autem ſufficit immediata vnio vnius ad aliud, ita vt inter vtrunque nullum interijciatur ſpatium, quæ vnio poteſt etiam dici contactus, quamuis propriè hic ſit inter corpora, & falſum eſt præter contactum mathematicum, & virtualem non dari, alium ſcilicet entitatiuum per præfatam immediatam vnionem explicatum, neque Philoſop. hunc negauit locis cit. ſed tantùm illos retulit, qui ſuo ſufficiebant inſtituto; vel in contactu per quãtitatem ſubintellexit etiam vnionem per eſſentiam, quæ dicitur quantitas perfectionis, & virtutis, & per hanc quantitatem virtutis ſubſtantia ſpiritualis eſt in loco, ſicut corpus per quantitatem molis.

Quintò, motus localis terminatur ad formam priorem relatione, cum nequeat relatio eſſe noua ſine nouitate abſoluti in extremis, ergo dum Angelus acquirit localem præſentiam, quæ eſt relatio, neceſſariò per motum acquirit priùs qui abſolutum, ratione cuius fundat rela-

relationem præſentiæ, ergo ſubſtantia Angeli nuda non eſt fundamentum præſentiæ localis, ſed debet eſſe operans, vel alio modo abſoluto ſuperinduta. Accedit, quod ſi ſubſtantia nuda eſſet ratio fundamentalis eſſendi in loco, Angelus ſemper neceſſariò maneret in eo loco, quia manente fundamento eodem, & termino eodem, manet eadem relatio, ergo ſubſtantiæ Angeli debet modus abſolutus ſuperaddi in eius poteſtate conſtitutus, ad cuius mutationem poſſit mutare locum.

Reſp. valere aſſumptum de relatione intrinſecus adueniente, vt ait Scot. quol. 11. non extrinſecus, vt eſt preſentia locali; etſi forma abſoluta ſolùm eſſet aptus terminus motus non ideò deberemus addere ſubſtantiæ Angeli modum abſolutum ab vbi diſtinctum, qui ſit illi ratio eſſendi in loco, ſed dicere deberemus, talem formam abſolutam eſſe ipſummet vbi, per quod formaliter res conſtituitur hic, vel ibi ob relationem tranſcendentalem, quam includit ad hoc, vel illud ſpatium determinatum, vt paſſim dicunt Recentiores, ſolo Vaſq. excepto, qui præter vbi, hunc modum abſolutum inuenit. Ad Confir. eodem modo dicendum, quòd valet antecedens de relatione intrinſecus adueniente, quæ non poteſt habere propriam nouitatem.

81 Dicimus 2. Ratio formalis, per quam ſubſtantia ſpiritualis conſtituitur in loco, eſt forma relatiua ſibi intrinſeca, quæ dicitur Vbi circumſcriptiuum, ſeu definitiuum, quod quidem non eſt vnum, & indiuiſibile ad totum locum, & omnes illius partes indiuiſibiliter terminatum, ſed ſunt tot præſentiæ partiales, quot ſunt partes proportionales ipſius loci, indiuiſibiles quidem ex parte ſubiecti, diuiſibiles tamen ex parte termini iuxta diuiſibilitatem earum partium. Colligitur ex Scot. loc. ſæpè cit. & in primis quòd Angelus ſit in loco per præſentiam ſibi inhærentem, & non per ſolam ſimultatem cum loco, probatum manet ex dictis q. 3. art. 1. vbi oſtendimus, præciter locum, & rem locatam debere etiam admitti modum, qui dicitur Vbi, quo formaliter res conſtituitur in loco iuxta ſuam conditionem.

Quòd autem Vbi, quo Angelus conſtituitur in loco, non ſit vnicum, & indiuiſibile in ordine ad totum locum, & ſingulas eius partes, ſed multiplex iuxta earum multiplicitatem, & etiam extrinſecè diuiſibile iuxta earum diuiſibilitatem, Prob. quia ſi eſſet vnicum Vbi, & indiuiſibile, quo totus Angelus eſſet in loco bipalmaris, & totus in qualibet parte, caſu quo deferet palmum, & in alio tantum remaneret non tantum amiſiſſet præſentiam illius palmi, ſed etiam iſtius nam per eandem numero præſentiam indiuiſibilem fuiſſet vtrique præſens, ſed conſequens eſt falſum, quia nunquam ceſſaui Angelus eſſe præſens huic palmo, & ſi ceſſauerit eſſe præſens illi, ergo nunquam interrupta fuit præſentia ad hunc palmum, & conſequenter præſentia hæc eſt diuerſa ab ea, qua conſtituitur præſens alteri palmo, quia hęc præſentia manet illa deſtructa.

82 Deinde poteſt probari à ſimili de vnione animæ ad corpus, non enim eſt vnica vnio, qua anima diuiſibiliter vnitur corpori, & ſingulis eius partibus, ſed tot ſunt vniones animæ, quot partes corporis proportionales, ergo ita dicendum in propoſito; probatur aſſumptum, quia ſi tantum eſſet vnica vnio, tunc per ſciſſionem cuiuſcunque minimæ partis corporis integra vnio animæ, & corporis deſtrueretur, atque ita mors ſequeretur; quod abſurdum vitatur, ſi ponamus plures vniones, & has etiam diuiſibiles, non quidem ſubiectiuè, ſed ex parte terminorum, ea enim ratione, qua ſunt indiuiſibiles ex parte ſubiecti, ſunt ſingulæ in toto ſubiecto, atque ita totam animam ponunt in ſingulis partibus corporis, ea verò ratione, qua ſunt plures, & ex parte termini diuiſibiles, ſequitur, quòd remanet vnio, qua anima informat caput, etiamſi deſtruatur vnio, qua manum informabat, ſic igitur à pari eſt in propoſito dicendum.

Demũ probari poteſt ab oppoſito, quia corpus Chriſti dum in puncto ſpecierum exiſtit indiuiſibiliter, & totum, hoc vtique non habet per vnicam præſentiam, & indiuiſibilem ex parte ſubiecti; tum quia implicat in ſubiecto diuiſibili, quale eſt corpus Chriſti, accidens ſpirituale, & indiuiſibile recipi, tum quia præſentia vnius partis non poteſt conſtituere formaliter aliam præſentem, ſed tantum illam, quam afficit, quia hic effectus fit in genere cauſæ formalis, ſed hoc habet per plures præſentias, & quidem diuiſibiles ex parte ſubiecti conſtituitur tamen per eas indiuiſibiliter in puncto ſpecierum, quia ſunt ad terminum indiuiſibilem, ergo ex oppoſito licèt Angelus ſit indiuiſibilis, quia tamen locus eſt diuiſibilis, poterit per plures præſentias ſubiectiuè indiuiſibiles conſtitui in loco diuiſibili.

82 Contra hanc Concl. obijcitur 1. anima, quamuis ſit vna, & indiuiſibilis, ratione tamen ſuæ ſpiritualitatis poteſt eſſe vnita diuerſis partibus materiæ, & Angelus diuerſis partibus loci ob eandem rationem, ergo etiam vnio vtriuſque ad corpus, & locum ratione ſpiritualitatis poterit reſpicere diuerſas partes corporis, & loci, etiamſi vnica ſit, & indiuiſibilis. Confir. quia Angelus, & anima dicũtur coexiſtere ſimul pluribus loci partibus, aut corporis, quia ſubſtantia animæ, & Angeli, quaſi eadem numero replicatur per omnes partes corporis, & loci, ergo eodem modo dicere poſſumus, cum his ſubſtantijs ſimul replicari eundem numero reſpectum ad omnes partes corporis, & loci. Denique in corporibus etiamſi admittantur tot præſentiæ in partibus locati, quot ſunt partes loci, adhuc tamen admittitur etiam totalis quædam præſentia totius corporis ad totum locum, ergo pariter in propoſito negare non debemus totalem præſentiam, qua Angelus dicatur totus, & totaliter in loco adæquato nam per ſingulos partiales erit vtique totus in toto loco, non tamen totaliter.

Reſp. neg. paritatem. Angelus enim & anima ſunt res abſolutæ, at præſentia, & vnio ſunt reſpectus, quæ proinde multiplicari debent ad multiplicationem extremorum, & ex eorum variatione variari, cùm ab eis eſſentialiter pendeat. Ad Confirmat. ſimiliter dicatur, etiam admiſſo illo communi modo ponendi ſubſtantias ſpirituales in loco, & animam in corpore, quem nos negamus. Ad 3. negatur paritas, quia enim corpus habet pluralitatem partium integralium, neceſſariò diſtinguendus eſt reſpectu totius corporis ad totum locum, & partium ad partes loci, quia experientia conſtat mutari præſentiam partium, & non præſentiam totius, vt conſtat de aqua agitata in vaſe; immo hac de cauſa reſpectus iſti tantùm diſtinguuntur, vt diuerſa prædicamenta ponantur conſtituere iuxta communem Scotiſt. præſentia enim totalis dicitur Vbi, partialis Situs; hæc autem ratio non vrget de ſpiritibus vt diſcurrenti patet; qua etiam ratione non eſt neceſſe diſtinguere ſimpliciter reſpectum, quo Angelus dicitur eſſe alicubi totus, & totaliter ab eo, quo dicitur eſſe totus, & non totaliter, ſed tantum ſecundum quid & quaſi per extrinſecam denominationem, vnde eodem reſpectu, quo dicebatur totus, ſed non totaliter in ſemipalmo, dum palmum occupabat, dicitur deinceps totus, & totaliter eſſe ex eo ſolum, quod ceſſat eſſe præſens alteri ſemipalmo.

84 Dicimus 3. Subſtantia ſpiritualis habet locum determinatum quoad magnitudinem, non tamen quoad paruitatem, quia ſemper eſſe poteſt in minori quocunque aſſignato, immo eſſe poteſt in puncto, licet non propriè, vt in loco. Concl. quoad 1. partem eſt Scot. citat. & eſt communis contra Durandum, quia ſicut ſolus Deus eſt immenſus, ita, ipſe ſolus non eſt, quoad locum determinatus, vnde ſicut ex infinitate Dei rectè infertur immenſitas, ita ex limitatione Angeli, vel animæ debet inferri limitatio eorum quoad locum. Accedit, quod Angeli verè localiter mouentur, ergo habent locum determinatum. Nec valet dicere, Angelum eſſe in loco per imperium ſuæ voluntatis, & quod ideò ſicut liberè ſe applicat tali, & tanto loco, ita maiori, & maiori in infinitum. Nam ſubſtantia Angeli ſubditur imperio voluntatis eius, non quoad eſſe in loco abſolutè, ſed quoad eſſe in tali, vel tanto loco intra terminum eius limitatæ naturæ præfixum.

Quoad alteram parte tametſi Scotiſtæ communiter Doctor. citent in oppoſitum ob illas duas rationes, quas affert pro determinatione loci angelici verſus paruitatem, nobis tamen re vera libertatem fecit Doctor in hanc, vel illam partem declinandi ſicut & de exiſtentia Angeli in puncto, quia de hac loci angelici determinatione quoad paruitatem in tota illa quæſtione ſemper diſputatiuè procedit, & dubitatiuè loquitur, vt ex ipſo contextu liquet, & rationes illas pro determinatione loci angelici verſus paruitatem affert vt probabiles, non autem vt neceſſarias, quod præſertim ex eo colligi poteſt, quia rationes illæ, præcipuè prima in maxima Euclidis fundata vrgeri poteſt, & retorqueri, nedum oppugnando determinationem verſus paruitatem, ſed etiam verſus magnitudinem, vt mox patebit.

85 Prob. ita que Concl. quoad hanc partem, quia licet Angeli ſubſtantia neceſſariò exigat aliquod Vbi vagè, nullum tamen determinatè, neque determinatæ extenſionis verſus minimum, quia capacitas tanti vel tanti Vbi intra ſphæram adæquati loci immediatè ſubditur voluntati Angeli, cum igitur ſit in tali, & tanto loco per ſuam ſubſtantiam liberè applicatam intra limites adæquati loci poterit ad eius libitum ſemper in minori, & minori parte loci ſe conſtituere; quæ etiam ratione probatur ſe poſſe etiam in puncto conſtituere; licet non tanquam in loco propriè, quia locus eſt quantus, & diuiſibilis.

Quod autem ſubſtantia Angeli, vt eſt ratio eſſendi in loco ſubdatur voluntati eius quoad diffuſionem tanti, vel tanti loci intra propriam, ſphæram, probatur ex differentia, quæ eſt inter homines, & Angelos quia enim homo liber eſt, eſt in eius poteſtate ſe conſtituere in tali, vel tali loco, ſed quia eſt corporeus, & quantus, non eſt in eius poteſtate ſe conſtituere in tanto, vel tanto, quia corpus eius neceſſariò extenditur in loco ſecundum totam quantitatem ſuam, cuius partes non poſſunt ſe penetrare ad libitum hominis. Angelus autem eſt liber, & incorporeus, & ideò remanet in eius poteſtate, vt ſe conſtituat in tali, vel tali loco, tanto, vel tanto intra propriam ſphæram. Accedit, quod Beati, eo quia habent dotem ſubtilitatis, imperium habent ſupra corpus ſuum, vt non ſolum poſſit cætera penetrare, ſed etiam partes eius ad ſe inuicem, cùm omnes hanc dotem participent; qua ratione poſſet Beatus ſe ad minorem locum reſtringere, quam eius naturalis quantitas poſtulet. Denique idem ſpiritus occupat modo corpus viri, modo pueri. Nec valet reſponſio Baſſol. 2. diſt. 2. qu. 4. quod cum obſidet puerum, occupat etiam partem aeris circunſtantem neceſſariam ad latitudinem ſphæræ localis eius. Nam hoc videtur contra praxim quotidianam exorciſtarum, qui ſpiritus cogunt ſei retrahere ab vna parte corporis obſeſſi ad aliam, & multoties in dugito coercent; & ſi vera eſt reſponſio Baſſolij, dicere oportebit, quod dæmoniacus ille Euangelij relatus, obſeſſus Demonum legione, dum mouebatur implebat immenſum aeris ſpatium Dæmonibus, qui

qui cum essent sex misse, sexcenti, & sexaginta sex, singuli tantum aeris occupabant, quantum erat necessarium ad latitudinem sphæræ localis eorum.

86 Deinde cum Angelus est in loco sibi adæquato, est totus in toto, & totus in qualibet parte loci etiam proportionali, quantumuis minima, immo etiam in puncto, sed ita in singulis partibus existit, vt existens in vna non dependet à seipso existente in alia, ergo in quacunque signata, vel signabili poterit existere, non existendo in alijs, immo etiam in puncto Responsio autem, quam huic adhibeant argumento Faber in 2. disputat. 16. & Vulpes de Angelis disputat. 18. art. 5. partes scilicet proportionales non dari actu in continuo sed tantum in potentia, & non esse ibi secundum actualem existentiam, sed tantum iuxta mathematicam imaginationem, est contra omnem Philosophiam, quæ docet à parte rei continuum esse diuisibile in infinitum per has partes, & licet hæc diuisio fieri nequeat ab agente naturali per instrumenta naturalia, potest tamen fieri à Deo, vt demonstrauimus disp. 9. q. 2. vbi cum Scoto explicauimus, quomodo intelligatur Philosophus, cum ait partes proportionales esse in continuo potentia, non actu.

Contra 2. partem huius Concl. obijcitur 1. ratione Scoti in Euclide fundata; quidquid potest esse in vno æqualium, potest esse, & in alio, si sibi figuratio non repugnat ex 35. propositione Euclidis, sed Angelo nulla figuratio loci repugnat, in quo est, ergo si potest esse in vno æquali, etiam & in altero, & per consequens si potest esse in quadrato quantuncunque paruo, & stricto, poterit etiam esse in quadrangulo quantumcunque longo isti quadrato æquali, quod est falsum, quia tunc Angelus posset esse simul in Cœlo, & in Terra, cum tantum valeat quadratus in quadrangulum extendi, quod est contra Damasc. libr. 2. cap. 3. & Greg. 1. Moral. cap. 2. & hom. 34. in Euang. vbi aiunt, Angelum non esse in Cœlo, cum versatur in Terra.

77 Resp. in primis hanc rationem etiam vrgere Scotistas, & oppugnare determinationem loci angelici nedum versus paruitatem, sed etiam versus magnitudinem, nam sit iste terminus versus paruitatem quadratus v.g. vnius palmi, tunc sic argumentari licebit; Angelus potest esse in isto quadrato, ergo etiam in quadrangulo quantumcunque longo, qui ex eo efformari potest, sola variata figura, quæ variatio Angelo non repugnat, atque ita simul esse poterit in Cœlo, & in terra. Sic etiam terminus versus magnitudinem, quadratus v.g. sex palmorum; si Angelus esse potest in isto, ergo & in quadrangulo ex eo efformabili, quia Angelo nulla loci figuratio repugnat, atque ita poterit esse in loco maiori eo, qui ponebatur maximus, & quidquid Scotistæ dixerint ad suam partem tuendam, statim & nos dicturi sumus ad tuendam nostram. Nec valet dicere, rationem Scoti concludere ex hoc, quod Angelus possit esse in quadrato quantumcunque paruo, non autem in quocumque quadrato non valet, quia non ex solo quadrato quantumuis minimo potest extrahi quadrangulus in infinitum protensus, sed ex quocunque quadrato; & si potest extrahi ex minori, tanto magis ex maiori. Sed dices ex hoc, quod aliquid esse possit in aliquo quadrato, non sequitur semper esse posse in quadrangulo, aqua enim v.g. potest esse in quadrato palmari, & tamen nequit esse in quadrangulo quantumuis longo, quia non potest esse in quadrato quantumuis paruo, ex eo enim quod non potest constringi quantumuis secundum longitudinem, ita igitur in proposito, ex hoc, quod Angelus esse possit in tanto quadrato, vel tanto, non sequitur, posse esse in quadrangulo quantumuis longo ab illo extrahibili, benè tamen ex hoc, quod esse possit in quadrato quantumuis paruo, & stricto; quia si non repugnat Angelo in infinitum constringi secundum latitudinem, nec etiam repugnabit protendi in longitudinem, & in hoc sensu procedit ratio Scoti. Contra argumentum non concludit de aqua, quod si est in hoc quadrato, etiam esse possit in quadrangulo quantumuis longo, quia supponitur habere terminum naturalem paruitatis (licet id etiam falsum sit, vt dictum est disputatio 9. q. 3. art. primo.) ac proinde aliquam loci figurationem ei repugnare, at in proposito sicut nulla determinata figuratio conuenit Angelo, quia non est corpus, ita nulla sibi repugnat, & ideò si potest esse in vno æquali, etiam & in alio esse poterit, quia figuratio non obstat in spiritibus.

88 Resp. itaq. cum Maio. 2. d. 2. q. 9. concedendo, posse Angelum esse in linea à Cælo vsque ad terram protracta, & hoc naturaliter, neque ex hoc sequitur esse in loc maiori, quam sit maximus, quia licet excedat in longitudine, deficit tamen proportionaliter quo ad latitudinem, quia quadratus, & quadrangulus sunt æqualis quantitatis sola figuratione differentes, & ideò eo casu non esset Angelus extra sphæram sui loci adæquati. PP. verò cit. negant posse Angelum esse simul in Cælo, & in terra secundum omnes dimensiones sui loci adæquati itaut si spatium adæquatum est stadium, secundum omnem dimensionem extendi nequit à terra vsque ad Cælum, nam sic esset in pluribus locis adæquatis naturaliter, quam solutionem vt sufficientem amplectitur ex nostris Pater Cauellus disputat. 4. de Anim. sep. sect. 6. & confirmari potest exemplo corporum, nam homogenea non determinant sibi minimum ex Scoto 2. dist. 2. qu. 9. & consequenter ipsis figuratio non repugnat; si aqua v.g. est in aliquo quadrato, poterit etiam esse in quolibet quadrangulo, quantumcunque longo, quia potest diuidi quoad latitudinem in infinitum, & illud addi longitudini, & tamen adhuc non erit in loco maiori, quam petat eius limitata natura. Vel si velimus determinare locum Angeli versus magnitudinem secundum singulas dimensiones, licet sit in aliquo quadrato, adhuc negare debemus posse esse in quadrangulo quantumcunque longo, sed tantum in eo esse poterit, quod determinatam longitudinem non excedit, atque ita dicemus, propositionem Euclidis solum in ijs habere veritatem, quæ non habent terminos magnitudinis, vel paruitatis.

Secundò arguitur alia ratione Scoti: alicuius virtutis est in Angelo constituere se in aliquo loco, ergo maioris virtutis est constituere se in minori, & minori; ergo virtutis erit infinitæ constituere se in minori, & minori in infinitum sine termino; Prima consequ. patet, quia quanto magis Angelus habet in potestate sua quantitatem virtutis, secundum quam est in loco, tanto maior in ipso arguitur virtus actiua.

89 Resp. quod si hæc ratio intelligatur, vt communiter intelligi solet, quod ex posse esse in minori, & minori loco concludatur infinita virtus, sicut ex posse esse in maiori, & maiori est manifesta, & prorsus ridicula disparitas, aliter, si quis haberet potentiam ferendi pondus, vt centum, ista potentia esset infinita, quia non solum potest eam applicare ponderi vt centum, sed etiam vt quinquaginta, viginti, decem, &c. & sic in infinitum; & potentia, quam habet Angelus ad diuidendum continuum in minores, & minores partes in infinitum esset infinita, quæ omnia falsa sunt. Nec valet ad tuendam hanc Scoti rationem afferre simile de potentia visiua, quod nempe ad videndum obiectum minus & minus sensibile requiritur perfectior, & perfectior potentia visiua, ergo à pari ad constituendum se in minori loco requiritur perfectior, & perfectior potentia motiua. Non valet, est enim omnino disparatio, siquidem vtique ad videndum minus, & minus obiectum requiritur maior efficacia ex parte potentiæ visiuæ, quia obiectum minus mouet, & difficilius potentiæ subijcitur, at se facere in minori loco facilius subijcitur potentiæ, sicut & portare minus pondus. Ista igitur secunda Scoti ratio totam vim à prima desumit, nam ex hoc, quod Angelus possit esse in minori, & minori loco per infinitum, per primam rationem inferebatur, quod posset esse in loco quantumcunq. magno, non igitur in ista secunda ratione infertur maior, & perfectior virtus in Angelo ex hoc præcisè, quod possit se coarctare ad minorem, & minorem locum, vt passim Scotistæ putant, sed quia dum se coarctat secundum latitudinem, se protendit in longitudinem, & acquirit maiorem, & maiorem locum, vnde in fine huius rationis ait, *Sicut igitur si posset in infinitum esse in maiori, & maiori loco argueretur infinitas virtutis suæ, ita concluderetur infinitas virtutis suæ, si posset esse in infinitum in minori, & minori loco*, quia videlicet ex hoc, quòd possit esse in minori, & minori, sequitur, quòd possit esse in maiori, & maiori secundum vnam dimensionem; debet igitur ista ratio solui, sicut præcedens, quòd sicut si protendatur quadratus in quadrangulum etiam extra Cœlum, nunquam concluditur, quòd Angelus sit in maiori, loco suo adæquato, sic ex hoc, quòd possit per restrictionem in infinitum elongari, non arguitur in Angelo maior, & perfectior potentia, sed eadem potentia liberè applicata minori effectui, quia potentia adhuc remanet in propria sphæra; benè tamen talis potentia perfectior deduceretur, si ex hoc, quòd potest se elongare per restrictionem, esset in loco maiori suo adæquato.

90 Tertiò obijcitur; Tum quia Deus semper, & necessariò habet præsentiam adæquatam suæ substantiæ infinitæ, sic & anima in corpore, & corpora in loco, vt in minori esse nequeant; ergo idem erit de Angelo. Tum deinde, quia locus quatenus quantus præcisè secundum partes proportionales communicantes est diuisibilis in infinitum, & talis diuisio est secundum mathematicam imaginationem, non autem à parte rei possibilis, ergo nequit esse Angelus à parte rei in loco quantumcumque minori, & ait P. Vulpes, hanc esse rationem à priori.

Resp. neg. conf. quamuis enim Angelus semper eadem perfectione essentiali sit præditus, nec eã imminuere possit pro libito, quia tamen est in loco tali, vel tali, tanto, vel tanto intra sphæram adæquatã per eam liberè applicatam, hinc esse potest modo in maiori, modo in minori. Nec paritas de Deo, anima in corpore, & corpore in loco valet, Deus enim ob suam immutabilitatem non potest mutare præsentiam, neque anima in corpore, quia non est in ipso, vt locatum in loco, sed vt forma in materia, vnde quamdiu corpus informat, necessariò habet præsentiam corpori adæquatam; nec tandem paritas de corpore valet, quia hoc est in loco ratione quanitatis, quæ ratione suæ extensionis occupat, quicquid potest, cum eius partes naturaliter se penetrare nequeant in eodem spatio, & ideò semper est in loco sibi adæquato, hæc autem ratio non militat in Angelo. Ad 2. neg. assumptum quoad 2. partem, sicut enim continuum à parte rei non constat ex indiuisibilibus, sed ex semper diuisibilibus, ita hæc diuisio est à parte rei possibilis, licet nequeat in infinitum protrahi ab agente naturali per physica instrumenta.

91 Quartò arguitur, quod nequeat esse in puncto. Tum quia Angelus habet ex perfectione propriæ essentiæ magnitudinem quandam spiritualem, ergo necessariò petit locum diuisibilem illi proportionatum. Tum quia si esset in puncto, non posset ex illo localiter moueri, nisi spatium constaret ex punctis, quod est impossibile. Tum demum indiuisibile non potest separatum existere, quia modus petit semper esse affixus rei, cuius est modus, indiuisibilia verò sunt modi rerum continuarum, ergo per præsentiam indiuisibilem non potest Angelus constitui præsens puncto, nisi cum dependentia ad partiales præsentias Angeli, quas continuat, ac proinde vt Angelus sit in puncto per præsentiam indiuisibilem, necesse est, vt sit simul in spatio diuisibili per præsentiam diuisibilem.

Resp. ad 1. neg. conseq. licet enim habeat spiritualem magnitudinem hæc tamen est formaliter indiuisibilis, ideoque potens tota, & totaliter in solo puncto constitui, quod de corpore quanto dici nequit, ratione enim partium impenetrabilium non potest totum in puncto constitui circa miraculum. Ad 2. neg. conseq. cum Scot. cit. posset siquidem immediatè ex puncto mouere se ad continuum, cuius punctus est terminus, vt disputat. 9. diximus de corpore sphærico super planum moto. Accedit, quod Angelus ex puncto nedum supra lineam posset immediatè se facere, sed etiam super superficiem, si magis explicare voluerit suam substantiam, & in tali casu euitantur difficultates, quæ solent afferri de motu corporis sphærici. ad 3. multi ea ratione conuicti negant posse Angelum esse in solo puncto; alij dixerunt esse posse, non tamen per præsentiam indiuisibilem continuatiuam præsentiarum partialium ipsius Angeli, sed per aliam distinctam, quæ sit totalis, & non modus alterius præsentiæ continuatiuus, ita Turrian. citat. disputat. 2. art. 3. in fine, sed fortè inconueniens non est, quod indiuisibile aliquod possit separatum existere à partibus continuatis, & doctrina illa de modis Recentioribus familiaris à nobis vniuersaliter non recipitur *vt in Metaphys. dicemus*.

QVÆSTIO VI.

An Deus sit in spatijs quoque imaginarijs extra Cœlum.

92 Differenda erat hæc q. in Met. ad dis. de attributis Intelligentiæ primæ, qui est Deus, verum quia tota doctrina quam hucusque tradidimus de loco, & de per se termino motus lationis pendet ex decisione huius quæsiti, placuit illud hic inserere. Deum esse vbique ratione suæ immensitati, fatentur omnes, ad quod probandum ratio naturalis non deest, vt in Met. dicemus diffidium tamen est, quomodo hæc diuina vbiquitas sit explicanda, an scilicet Deus immensitate sua repleat solummodo hunc Mundum quatenus omnibus creatis rebus est intimè præsens secundum substantiam suam, an etiam extra mundum reperiatur per spatia imaginaria diffusus. Sententia affirmans communis est inter Recentiores, negans verò tribuitur Scot. 1. d. 37. q. vn. quam omnes Scotistæ amplectuntur in eum locum, & P. Vulpes tom. 1. disput. 18. art. 3. & ex Neotericis Vasq. acriter tuetur 1. p. disput. 19. Sed vt notarunt Suar. in Met. disp. 30. sect. 7. Valent. 1. part. disputat. 1. q. 8. punct. 2. & Smisinch. tract. 2. dispu. 5. q. 2. n. 70. hæc controuersia est tota de nomine, & de modo loquendi nam certum est apud omnes Deum intra huius mundi cancellos non concludi, sed esse etiam reipsa, & extra mundum, tamen contendunt multi non esse extra mundum tanquam alicubi, seu in aliquo Vbi, quia spatium imaginarium nequit habere rationem loci, & præsentiam realem, ac positiuam rerum terminare non potest, ita Suar. citat. vnde inquiunt esse extra mundum, non tamquam in loco, sed tanquam in spatio imanario. Smisinch. autem neque hunc dicendi modum vult concedere, quia nihil eitas chimeræ, & istius spatij omnino est eadem, ac proinde sicut in chimera nihil propriè dici potest contineri, vel existere ita nec in tali spatio, vnde concludit, dicendum esse cum PP. quod Deus ob suam immensitatem non solum in toto hoc mundo, verum etiam extra hunc mundum reperitur diffusus, nequaquam tamen dici debere, quod sit in spatio imaginario extra Cælum.

Verum quamuis hæc quæstio re ipsa sit de modo loquendi, & non de re, tamen Vasq. & P. Vulpes, cæterique tutores partis negatiuæ in eo sensu tuentur illam, vt eam videantur facere quæstionem de re, quia firmiter negant, Deum vllo modo reperiri extra hunc mundum, & in tantum dicunt diuinam immensitatem hoc mundo non concludi, non quia ex vi eius modo sit extra Cælum, sed quia natus est fieri præsens præsentia eiusdem rationis alteri vniuerso, & infinitis, si existerent; quare in hac quæstione ostendimus, non solum quantum ad rem spectat, Deum reipsa, & actu modo extra mundum reperiri, verum etiam posse in aliquo sensu dici esse in spatio imaginario priori ratione, quam non diceretur esse in chimera alijsque figmentis.

63 Dicimus igitur, Deum ratione suæ immensitatis nedum in toto hoc mundo, verum etiam extra hunc mundum per spatium illud inane diffusum reperiri. Concl. colligitur ex Scriptura sæpius asserente, Deum non capi hoc mundo, sed esse illo maiorem; *Cœlum, & Cœli Cœlorum te non capiunt* 3. Reg. 8. *excelsior Cœlo est*, Iob. 11. *quẽ totus non capit Orbis* canit Ecclesia, quibus auctoritatibus non satisfit dicendo insinuari solum per eas aptitudinalem præsentiam diuinę immensitatis cuicunque rei possibili, & actualem præsentiam ad hoc vniuersum eam non coeæquare, loquitur enim Script. de actuali præsentia, & repletione, & ait quoad hanc Deum hoc mundo non capi, quod si de sola aptitudinali loqueretur, potius diceret, Deum non esse hoc mundo capibilem, quia alijs infinitis esse potest præsens, si existerent; Et iuxta hunc sensum etiam intelligunt PP. has auctorit, nam ex illa præsertim Iob. deducunt D. Hieron. Beda lib. 9. cap. 11. Greg. lib. 10. Moral. cap. 8. Dionys. de Deo cap. 9. Aug. tom. 4. libr. de Diuina essentia, & 11. de Ciuitat. Dei cap. 5. & 7. Confess. cap. 5. Deum esse extra omnia, sed non exclusum, & intra omnia, sed non inclusum, vt anima in corpore; asserunt itaque PP. Deum etiam extra hunc mundum existere, licet expresè non dicant esse in spatio imaginario extra mundum; sed si de re constat apud PP. Deum esse extra hunc mundum, & ab eo spatio indistantem, in quo alios & alios orbes condere posset, an etiam dici possit esse in illo spatio, vel illi spatio præsens, est quæstio de modo loquendi, sicut enim in rigore neutrum dici deberet, & melius diceretur, Deum esse etiam extra mundum, vt PP. loquuntur, ita mitius agendo vtrunque admitti potest, & Deum esse in illo spatio, & esse illi præsentem; cum enim spatium extra Cælum verè sit admittendum veluti negatio realis corporum cum non repugnantia ex parte eorum, vt ibi sint nullo considerante intellectu, sicut dantur aliæ negationes, & priuationes reales, vt tenebra, cæcitas, &c. consequenter dicere possumus Deum esse in spatio, idest tali negationi coexistere, quemadmodum absente Sole dicimus mundum esse in tenebris, cæcitatem esse in oculo, materiam ignis esse sub priuatione formæ aquæ, nam hæc, & aliæ similes loquendi formulæ aliud non insinuant, nisi coexistentiam subiectorum his negationibus in genere, sic igitur in proposito dicere possumus, Deum esse in spatio, idest coexistere tali negationi extragenus.

94 Possumus etiam dicere, Deum esse præsentem illi spatio, non quidem accipiendo præsentiam pro relatione reali, & positiua versante inter duo extrema positiua sibi inuicem indistanter coexistentia, quo generæ præsentiæ dicimus, Deum esse huic mundo præsentem, cum enim spatium imaginarium sit mera negatio, veram & positiuã relationem præsentiæ nec fundare nec terminare potest; sed accipiendo presentiam pro simplici indistantia, quæ dici solet presentia negatiua, & explicatur per negationẽ absentię. Itaq; dũ dicimus, Deũ esse in spatijs imaginarijs, non dicimus esse in illis vt in loco, & vt ly *esse in* dicit realem coexistentiam loci, & locati vel realem, & positiuam præsentiam vnius ad aliud, sed tantum dicimus illi negationi extra genus per spatium importatæ coexistere, & ab eo spatio esse indistantem, in quo posset alios, & alios condere mundos, & in hoc sensu Conclusio est verissima, & in principijs Scoti necessariò asserenda, licèt Scotistæ communiter oppositum teneant, vno excepto Smisinchio, qui tenet nobiscum Deum esse etiam extra hunc mundum, licèt ipse quoque postea vereatur admittere illum loquendi modum, quod sit in spatio imaginario, sed hæc nimia superstitio est in modo loquendi.

Primò itaque Prob. Concl. in hunc modum, iuxta Scoti principia, & secundum veritatem; fieri potest motus in vacuo, nedum terminato; sed etiam interminato, ergo si per vacuum spatium potest lapis moueri, vel Angelus, iam in eo supponitur existere, motus enim supponit existentiam mobilis in spatio, in quo fit motus, ergo sicut in vacuo tunc vere existeret corpus, vel Angelus absque alterius corporis existentia, ita & Deus foret in eo, & modò est in spatio inani extra Cœlum, & eodem prorsus modo, quo lapis, vel Angelus tunc dicerentur esse in vacuo modò, dicendum Deum esse in spatio imaginario. Hæc ratio tam euidens est, & prompta, quòd P. Vulpes, vt defenderet, Deum non esse extra Cœlum in spatio imaginario, potius negare voluit vacuum absolutè esse possibile diuina virtute, sed tantum vacuum dimensionatum admittit esse possibile, & in eo vtique fieri posse motum successiuum, si cederet; & in hoc sensu, ait, locutum esse Doct. in 2. d. 2. qu. 9. Z. & quol. 11. art. 2. dum docuit, vacuum esse possibile, & in eo fieri posse motum successiuum.

95 Sed planè nullus Theologus negat, vacuum absolutè sumptum esse Deo possibile, immo quamplures contendunt etiam virtute Angelica fieri posse, si à Deo permitteretur, vt dicemus disp. seq. & Doct. id apertè docet quol. 11. art. 2. vt planè mirum sit, quomodo tam celebris Scotista id ausus sit negare. Sed quicquid sit de hoc, demus casum etiam ab isto Scotista admissum, Deum nempè extra Cœlum aliquod corpus creare, vel Angelum, tunc petendum est, quomodo se haberet hic Angelus ad spatium illud extra Cœlum; ait Vulpes, nos vtique imaginari, quòd esset in spatio, sed re verà non esset nisi in se ipso negatiuè, quatenus nulli corpori esset localiter præsens, vel tanquam in loco. At id est; quod contendimus, eo modo, quo tunc corpus, vel Angelus esset extra Cœlum, ponamus modò de facto ibi Deum, non enim videtur, qua ratione concedatur, Angelum, & corpus posse extra Cœlum ponit & existere, & postea negetur, Deum ita de facto ibi existere, vt existerent Angelus, & corpus in eo casu; quòd si non vult in eo casu Angelum, vel corpus esse in eo spatio tanquam in loco, id etiam dicamus nunc de Deo; dummodo alio modo verè dicatur ibi esse, quia non magis repugnat Deo esse, vbi nihil est præter ipsum, quàm mundo, & cuius corpori, vel Angelo, quare si de istis conceditur, de Deo etiam pariter concedi debebit.

Resp. Vasquez, id non repugnare corpori, quia ratione suæ molis facit spatium reale, non ita substantia spiritualis, quæ proprie non replet spatium immaginarim. Sed contra, spatium reale, quod corpora faciunt, non est distinctum ab ipsismet corporibus, ergo si corpus potest à se ipso denominari esse in spatio etiam ibi, vbi nihil erat, cur non etiam res spirituales secundum suam substantiam realiter dissuæ? imò magis de ipsis id asserendum videtur, quia substantiæ spi-

ſpirituales per ſuam diffuſionem non propriè replent, ac tollunt ſpatium, benè tamen corpora, vt q.1.ar.1.probatum eſt, ergo de illis propriè dici poteſt intimè coexiſtere negationi per ſpatium importatæ. Accedit, quòd res ſpirituales habent ſuam ſpiritualem extenſionem extenſioni quantitatiuæ corporis reſpondentem, ergo ſi corpora ratione ſuæ extenſionis materialis, verè dici poſſunt per ſpatium diffuſa, etiam, & res ſpirituales ratione extenſionis æquiualentis; cùmque Deus ratione ſuæ immenſitatis in ſua extenſione ſpirituali equiualeat corpori infinitæ magnitudinis, ſicut hoc, ſi daretur, repleret omne ſpatium, ita & modò Deus.

96 Secundò Prob. nam ſi Deus modò non eſt extra Cœlum, poterit verè, ac propriè moueri, poſſet enim v.g. hunc mundum mouere de hoc ſpatio, in quo ipſum creauit, ad aliud, in quo creari poterat, & ſimul cum ipſo transferri velut nauta mouetur ad motum nauis, & anima transfertur cum corpore, & Angelus cum corpore aſſumpto, ergo verè, ac propriè moueretur, quia verè hoc ſpatium deſereret, cui modò eſt præſens cum mundo, & aliud de nouo acquireret, in quo priùs non erat.

Reſpond. Aliqui, in tali caſu verè, ac propriè Deum non motum iri, quia non moueretur per ſe, ſed per accidens ad motum mundi. Contrà, hoc non impedit, quin propriè, & verè moueri dicatur; tamen quia nō id ſolùm, quod per ſe mouetur, varè & realiter mouetur, ſed etiam quod mouetur per accidens, vt patet de illo, qui naui vehitur, vel currit; tum quia tam id, quod per ſe mouetur, quàm quod mouetur per accidens, proprium Vbi acquirit ex dictis q.præced.art.1.atque adeò verè, & propriè mouetur.

Reſp. Alij, in tali caſu Deum non verè motum iri, quia per ſolam extrinſecam denominationem à mundo prouenientem diceretur modò diſtans ab eo ſpatio, à quo priùs diſtabat pariter per denominationem extrinſecam à mundo prouenientem. Contrà, licèt per extrinſecam denominationem à mundo deriuatam poſſit Deus dici ei præſens, & coexiſtens, non tamen per eam dici poteſt huic ſpatio præſens, in quo eſt mundus, quia per hanc extrinſecam denominationem ſolummodo Deus refertur ad mundum, non verò ad ſpatium, in quo eſt mundus. Et planè non ſatis eſt intelligibile, quomodo Deus dicatur in hac ſchola præſens ratione præſentiæ corporis hic exiſtentis, & non potius quia hic ſecundum ſubſtantiam ſuam diffuſus reperitur, ergo quamuis ſaluari poſſit, Deum eſſe rebus præſentem per ſolam extrinſecam denominationem, ideſt per terminationem præſentiæ in illis rebus fundatæ, tamen per ſolam extrinſecam denominationem ſaluari nequit eius indiſtantia ab hoc, & illo ſpatio, ſed hoc erit per intrinſecam exhibitionem ſuæ ſubſtantiæ, & immediatam coexiſtentiam huic, & illi. Quod adhuc amplius declaratur, quia intima præſentia vnius rei ad aliam, vt Angeli ad corpus aſſumptum, non reſultat inter extrema quomodocunque, ſed inter ea intimè approximata, & indiſtantia, ergo ſimiliter realis, & poſitiua præſentia Dei cum mundo, vel Angelo non reſultat inter ea, niſi priùs ſupponantur intimè approximata, & in eodem ſpatio coexiſtentia, in quo cernitur diſparitas denominationum creantis, & præſentis, vt enim in Deo illa denominatio reſultet, ſufficit ſola rei creatio, in quacunque ſit diſtantia, at vt Deus ei dicatur intimè præſens, non ſufficit ſola eius creatio, ſed ibi omninò creari debet, vbi Deus præexiſtit, vel Deus rei creatæ ſe ipſum approximare, vt poſtea dicatur illi præſens.

Reſp. tandem Alij, non poſſe mundum extra Cœlum moueri, & vniuerſum in vacuo repugnare motum, & iſti videntur magis conſequenter loqui, quàm cæteri. Sed motum in vacuo non repugnare ſeq. diſput. demonſtrabimus, & argumentum adhuc vrget contra ipſos, eaſu quo Deus hunc mundum annihilaret, & alium in alio ſpatio crearet, tunc enim verè vnum ſpatium deſeruiſſet, & aliud de nouo acquiſiuiſſet; & ſi Deus alium mundum ab hoc diſſitum conſtrueret, coguntur iſti concedere ſaltim Deum à ſeipſo diſtare, eſſeque in vtroque orbe, & non in ſpatio interiecto.

97 Tertiò tandem Prob. paritate ex æternitate deſumpta qua ſæpè Scotus vtitur, Deus per æternitatem omne tempus actuale ſupergreditur, dicitur enim fuiſſe ante omne tempus reale per totum tempus imaginarium, etiam infinitum præcedens, non quidem quòd eſſet in eo per aliquam realem; & poſitiuam coexiſtentiam, ſed verè coexiſtebat negationi temporis realis, vnde ſi tunc non coexitit poſitiuè tempori reali defectus fuit ex parte termini, non fundamenti, & ita explicat Doct. infinitatem æternitatis ſupra tempus 1.diſt.39. B. & Y. ita ergo immenſitas in hoc ſenſu omnem locum actualem ſupergreditur, ita vt Deus ſit etiam extra omnem locum realem in ſpatio imaginario, non quòd ſit in eo per realem, & poſitiuam coexiſtentiam, ſed quatenus etiam coexiſtit extra mundum negationi loci realis. Confir. hæc paritas, verè diximus, Deum ante omne tempus reale extitiſſe per totum tempus imaginarium etiam infinitum præcedens, & per hoc tātum inſinuare volumus, ante quodlibet tempus reale aſſignatum potuiſſe aliud & aliud aſſignari, & tunc iam extitiſſe Deum; ergo pariter dicere poſſumus, & debemus, ratione ſuæ immenſitatis eſſe extra omnem locum realem in ſpatio imaginario infinito, & per hoc inſinuare extra omnem locum actualem potuiſſe alium, & alium à Deo produci in ſpatio imaginario, & ibi Deum reperiri. Et ſicut quando dicimus, tunc etiam quando tempus reale non erat Deum extitiſſe: benè loquimur, quia ly *tunc* non ſignificat aliquam duationem realem, ſed ipſam met durationem Dei, vt aptam ad coexiſtendum tempori, quod antea eſſe poſſet, ita cum dicimus; Deum ante mundi creationem extitiſſe hìc, vbi nunc creatus eſt mundus, rectè loquimur, quia ly *hìc*, *vel ibi* non ſignificat locum realem actu exiſtentem, ſed ſolam Dei præſentiam per immenſitatem, vt de ſe aptam ad coexiſtendum localiter cuicunque corpori realiter ibi exiſtenti.

98 In oppoſitum arguitur 1. auct. PP. qui nunquam dixerunt, Deum eſſe in ſpatio immaginario, immo quærentes, vbi fuerit ante mundi creationem, dicunt nullibi fuiſſe, ſed tantum in ſeipſo, ita Aug. in Pſ.122. Bern.lib.5.de Conſid. & alij. Reſp. quod quamuis PP. expreſsè non dixerint; Deum eſſe in ſpatijs imaginarijs, dixerunt tamen, eſſe extra mundum, vt fusè probat Smiſinch. per illum autem loquendi modum, quod Deus ante mundi creationem, non fuerit alicubi, ſed tantum in ſe ipſo, ſolum ſignificare voluerunt, nihil ab æterno, vel ante mundi conſtitutionem Deo coextitiſſe, in quo tanquam in aliquo reali fuerit, & cui poſitiuè fuerit præſens, præſentia enim propriè videtur dicere relationem ad aliam rem, cui altera dicitur eſſe præſens.

Secundò arguitur auctoritatibus D.Bonau. & Scoti, tanquam hæc fuerit perpetua eorum ſententia 1.d.37.quamuis enim Scot. dum 1.d.39.cit. negat præſentiam Dei actualem extra mundum, videatur negare ſolum præſentiam realem, & poſitiuam, tamen ſi benè perpendatur d.37.in fine, negat, Deum eſſe ibi, etiam vt *eſſe in* dicit ſimplicem indiſtantiam, ideò enim probat ibi ex omnipotentia non inferri formaliter immenſitatem, quia Deus poteſt agere in diſtans, & vbi non eſſet per impoſſibile in aliqua parte huius vniuerſi, & ita de facto ait creaſſe mundum in ſpatio, vbi non erat, ergo Doct. manifeſtè negat omnem præſentiam Dei extra mundum tam poſitiuam, quàm negatiuam.

99 Reſp. immerito hos Doct. adduci pro oppoſita ſent. & quidem Seraphicus pro noſtra ſententia clarius loqui non poterat 1.d.37.p.2.art.1.q.2.ad vlt. vbi tangens ſecundam rationem allatam ex immobilitate Dei deſumptam, ſic loquitur: *Cum res mouetur, Deum non dimittit, nec ad Deum accedit, nec Deus cum re venit, quia ſic eſt in re, vt ſit extra rem idem, ideò nec res eum dimittit, nec nouum inuenit, & hoc eſt intelligibile, ſi quis poteſt intelligere, quod Deus eſt immenſus, quia enim eſt immenſus, ita eſt intra, quod eſt extra.* Subtilis verò in 1.d.39. extra mundum ſolum Deo denegat præſentiam poſitiuam, vt patet ex illius expreſſis verbis ſub litt. y. Difficilior eſt explicatu 1.diſt.37. attamen ſi benè ponderetur, etiam ibi loquitur de præſentia poſitiua, quæ ſcilicet habet terminum poſitiuum, inquit enim potentiam Dei prius habuiſſe terminum ſuum realem, quam habuerit immenſitas; negat verò indiſtantiam Dei à ſpatio, vbi creauit mundum, veluti neceſſariam ab intrinſeco ad omnipotentiam, quaſi ex omnipotentia neceſſariò, & ab intrinſeco inferatur immenſitas, de hoc enim erat ibi diſputatio ſua cum D. Thom. an immenſitas neceſſariò præcedat omnipotentiam, non autem negat abſolutè, vnde cum inquit, ante mundi creationem non eſſe imaginandum ſpatium infinitum, in quo Deus prius fuerit præſens, vt ibi mundum conderet, debet intelligi neceſſariò, & indiſpenſabiliter, talem enim indiſtantiam ab illo ſpatio putabat D. Thom. debere neceſſariò præcedere ad effectum omnipotentiæ, atque ita negat Doct. in eodem ſenſu talem præſentiam Dei in ſpatio, non abſolutè, ſed veluti neceſſariam ad effectum omnipotentiæ habendum, quia etſi re vera ibi fuerit, non tamen vt ibi præſens mundum condidit, immo non vt alicubi præſens Deus ſecundum eſſentiam fuit potens facere mundum, & licet præceſſerit immenſitas potentiam ſuam, non tamen (ait Doct.) præexigebatur potentiæ ſuæ, vt potentia eſt. Ecce quod non negat immenſitatem præceſſiſſe omnipotentiam, ſed non præexigi vt potentia eſt, quia etiamſi Deus per impoſſibile non eſſet immenſus, adhuc agere poſſet, vbi non eſt præſens; dum verò inquit, potentiam prius habuiſſe terminum ſuum, quam immenſitas, vel præſentia ſecundum eſſentiam, loquitur de præſentia reali, & poſitiua, quæ eſt poſitiua, & intima coexiſtentia ad aliud reale. Smiſinch. num.68. ait, Doct. ita locutum fuiſſe 1.diſt.37.q.vn. non quia putaret, Deum etiam extra hunc mundum non reperi, ſed quia nolebat admittere illum loquendi modum, quod Deus ſit in ſpatio imaginario. Sed noſtra expoſitio magis ſatisfacit, quia ſi textum inſpiciamus, planè non ſolum videtur Doctor negare voluiſſe, quod Deus non ſit in ſpatijs imaginarijs, ſed abſolutè, quod non ſit extra mundum.

100 Tertiò arguitur rationibus. Tum quia ſi Deus rectè dicitur eſſe in ſpatijs imaginarijs, poterit etiam dici eſſe in rebus poſſibilibus v.g. Antichriſto, in negationibus in priuationibus, & in chimeris ab intellectu noſtro confictis. Tum 2. quia ſpatium non eſt quid poſitiuum, & reale, ergo non poteſt Deus vere dici in eo exiſtere, quia vnum eſſe in alio non tantum dicit exiſtentiam abſolutam illius rei, ſed connotat etiam aliquid aliud diſtinctum, in quo dicitur eſſe. Tum tantum, quod eſt in ſpatio, eſt in nihilo, quia ſpatium nihil eſt, ergo tantum valet dicere, Deum eſſe in ſpatio, ac eſſe in nihilo, vel nullibi.

Reſp. ad 1.neg. ſequelam, datur enim etiam ſuo modo diſtinctio inter non entia, & negatines, vnde videmus hanc negationem tolli per hanc formam, & non per illam, reperiri in hoc ſubiecto, & non illo, ſic tenebra tollitur per lucem, non per viſum, & cœcitas in oculo reperitur, non in aere, ſic in propoſito negatio extra genus per ſpatium impor-

importata, eſt peculiaris negatio à cæteris diſtincta, cui peculiariter conuenit repleri per ſubſtantiam corpoream, & ſpiritualem ſuo modo, non autem alijs, & ideò Deus dici poteſt eſſe in hac negatione, & non in alijs, qua ratione nec minus valet paritas de rebus poſſibilibus, & chimeris; tum quia res poſſibiles, & chimeræ ſunt omnino ad talem denominationem ineptæ, cum huic ſoli negationi per ſpatium importatæ ſpecialiter conueniat; tum quia cum omni prorſus realitate actuali careant, non poteſt eis cum veritate dici Deus actu coexiſtere, at ſpatium importat negationem realem actu exiſtentem extra mundum (eo modo, quo de negationibus exiſtentia poteſt enunciari) negationem nempe corporis cum non repugnantia ex parte ipſius corporis, vt ibi ponatur; dicitur autem imaginarium, quatenus à nobis concipitur per modum extenſionis poſitiuæ realis, imaginando in eo trinam dimenſionem realibus corporum dimenſionibus reſpondentem, non verò quia ſit merum ens rationis. Et tandem ſi dicere vereris, Deum eſſe in ſpatijs imaginarijs, dicat eſſe etiam extra mundum, non enim curamus de modo loquendi, dummodo de re conueniamus. Ad 2. negatur conſeq. latius enim patet eſſe realiter in aliquo, quam eſſe in aliquo reali, & ideò dici poteſt Deus eſſe realiter in ſpatio, licet non tanquam in aliquo poſitiuo reali, quia non eſt in eo, vel ei nō coexiſtit, vt aliquo poſitiuo, ſed ei poteſt dici coexiſtere, vt oculus cum cæcitate, mundus cum tenebris; ad prob. conſequentiæ concedimus, quod eſſe in ſpatio non dicit ſolam rei exiſtentiam abſolutè, ſed connotat aliquid diſtinctum, non tamen reale poſitiuum; ſicut enim dicitur cœcitas eſſe in oculo, mundus in tenebris, ita dicitur Deus eſſe in ſpatio. Ad 3. fr. eſſe nullibi neget exiſtentiam in loco, verum eſt, quod eſt in ſpatio re vera nullibi eſſe, quia non eſt alicubi, vt in loco, ſi tamen neget etiam ſimplicem indiſtantiam ab iſto ſpatio, vbi corpus aliquod creari poteſt, falſum eſt, quod eſt in ſpatio nullibi eſſe. Et quæ in hac quæſtione determinauimus Deum, ſcilicet dici poſſe eſſe in ſpatio, ei coexiſtere, ab eo non diſtare, &c. non repugnant dictis q.3.art.2. vbi contendimus, Vbi locale non poſſe deſumi in ordine ad ſpatium, quia nihil eſt, & penes nihil attendi nequit diſtantia, vel præſentia rei, quia etiam ratione qu.2.art.2. negamus, veram loci immobilitatem à ſpatio deſumi, quia ibi loquebamur de immobilitate loci, quæ eſt paſſio poſitiua, & de præſentia importata per Vbi locale, ac diſtantia fundata ſuper ipſum, quæ important relationes reales, & poſitiuas, at hic loquimur de præſentia merè negatiua pro ſola indiſtantia. Et tandem concludimus, hanc eſſe litem de modo loquendi, ſi dicere renuis, Deum eſſe in ſpatijs imaginarijs, dicas eſſe extra Cœlum, & ſumus concordes, nam de modo loquendi nolumus rixari.

QVÆSTIO VII.

An plura entia, ſiue corporea, ſiue incorporea poſſint eſſe in eodem loco.

101 De rebus ſpiritualibus non eſt difficultas, nam omnes concedunt, plures Angelos poſſe eſſe in eodem loco etiam naturaliter, nam ex Euangelio conſtat, vnum corpus obſeſſum fuiſſe Demonum legione, ſex mille, ſexcentis, & ſexaginta ſex Dæmonibus conſtante more legionum Romanarum, vnde taxerat nomen, quamuis apud Thomiſtas ſtatuens Angelos in loco per operationem res difficultate non vacet, nam data hac ſententia, neceſſe fuiſſet, hominem illum commoueri ſimul mille ſexcētis, & ſexaginta ſex motibus. Sola igitur remanet difficultas de corporibus, an naturaliter, vel ſaltim ſupernaturaliter plura poſſint eſſe in eodem loco. Qua de re tres ſolent citari opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema aſſerit, id eſſe poſſibile etiam naturaliter, quod multis experientijs probatur, ita Fernel.libr.2.ſuæ Phiſiolog.c.vlt. Petrus Ioann. Prouenz.quol.3.quæſt.7.qu.3. & inclinat Argent.4.diſt.49.qu.1.art.4. Altera ſententia extrema aſſerit implicare contradictionem, duo corpora in eodem ſpatio conſiſtere, ſic videtur docuiſſe Durand.4.d.44. quæſt.6. & Plaud.qu.3.art.3. Media ſententia aſſerit, id eſſe impoſſibile per vires naturales, poſſibile tamen per potentiam Dei abſolutam, ita communis apud Veteres, & Recentiores quam docuit Scot.4.d.49. qu.16.quol.11.art.3. quamuis Recent. nonnulli Scoto tribuant, quod aſſerat, hoc eſſe poſſibile, ſi vnum corpus careat extenſione locali, vt eſt de corpore Chriſti in Euchariſtia, nam corpus Chriſti, & ſpecies ſunt in eodem loco, ſpecies circumſcriptiuè, Chriſti verò corpus ſine extenſione locali. Sed licet Scotus hoc modo aſſerat, duo corpora eſſe poſſe in eodem loco, adhuc tamen docet poſſe ambo eſſe cum circumſcriptione, & extenſione locali, in hoc enim ſenſu mouetur difficultas, Doct. rixantur, non in illo, pro ſolutione quæſiti.

102 Dicimus 1. poſſe plures res ſpirituales, & vnam ſpiritualem cum alia corporea in eodem ſpatio naturaliter collocari, non ita plures corporeas. Concl. quoad vtranque partem eſt indubitata, & eodem fundamento probatur; ratio enim præciſa, cur naturaliter duo corpora ſint in eodem loco, & ſpatio incompoſſibilia, eſt eorum quantitas, hæc enim eſt, quæ formaliter rebus omnibus impenetrabilitatem affert, & ad quam naturaliter ſequitur actualis impenetratio, vt Sco. docet 4.d.49. q.16. §. *Alij dicunt &c.* & probat ex Philoſ.4.Phyſ.76. vbi ait, quod ſi dimenſiones eſſent à corporibus ſeparatæ, adhuc adinuicem repugnarent, & incompoſſibiles forent, quod fide credimus in Euchariſtiæ Sacramento contingere, vbi videmus, vnam hoſtiam conſecratam cum alia non penetrari; cum igitur res omnes corporeæ ſint quantitate prædiræ, & eadem expertes omnes incorporeæ, conſequens eſt, vt plures corporeæ ſimul eſſe nequeant in eodem ſpatio naturaliter compenetratæ, ſi habent quantitates diſtinctas; plures autem incorporeæ ſimul eſſe poſſint, quia interdum Dœmon eſt intra corpus hominis, vbi etiam eſt anima rationalis, vel vna ſpiritualis cum alia corporea, vt patet de anima rationali compenetrata ſimul cum corpore in eodem loco, in tali autem caſu ſunt omnia iſta per diſtinctos reſpectus præſentialitatis, & vbicationes diuerſas ad eundem locum materialem terminatas ſimul in eodem ſpatio collocata, in hoc enim nulla videtur implicantia.

Contra hanc concl. arguitur 1. quod plures res ſpirituales naturaliter eſſe nequeant in eodem loco; tum quia hoc videtur poſtulare ordo vniuerſi, vt ſi vna res eſt ab alia diſtincta ſecundum entitatem, ita etiam diſtincta ſit ſecundum locum, præſertim quando ambo ſunt entia completa, & vnum non eſt de integritate alterius. Tum 2. quæ ſunt in eodem ſpatio, ſunt per penetrationem, quæ naturaliter poſſibilis non eſt. Tum 3. quæ eodem modo comparantur ad aliquid, non poſſunt eſſe ſimul in illo ſaltim naturaliter, vt conſtat de duabus formis ſubſtantialibus, quæ non poſſunt naturaliter ſimul eſſe in eadem materia, ſed Angeli eodem modo comparantur ad ſpatium, ergo, &c. Tum tandem quia de hoc videtur dubitare Doctor 2. diſt. 2. quæſt.8.

103 Reſp. ad 1. aſſumptum illud valere de rebus corporeis at in incorporeis afferri nequit ratio probans, idem poſtulare ordinem vniuerſi. Ad 2. repugnat penetratio naturaliter in rebus quantis, non in rebus quantitate exutis; præterquam quod penetratio propriè ad res quantas pertinet, vnde cum duo Angeli ſunt in eodem ſpatio, vel anima ſimul cum corpore, hæc propriè penetratio dici non debet, ſed ſola duorum ſimultas in eodem loco. Ad 3. ait Doct. 2.d.2.qu.8. in fine, maiorem illam eſſe vniuerſaliter falſam, ſi verò teneat ſolum ob ſimile allatum de duabus formis ſubſtantialibus, negandа eſt paritas, nam quælibet forma ſubſtantialis tribuit ſuum effectum formalem materiæ, & duo effectus formales ſubſtantiales non poſſunt naturaliter eſſe in eadem materia, vel propter diuerſitatem diſpoſitionum, ſi ſunt ſpecie diuerſi, vel quia naturaliter non ſunt in eodem ſubiecto duæ formæ ſubſtantiales ſolo numereo differentes, ſi ſunt ſolo numero diuerſi, altera enim illarum ſuperflueret, non autem ita ſe habent duæ præſentiæ duorum Angelorum, nam ſingulæ ſuum afficerent ſubiectum, & ideò ex parte ſubiecti non repugnant, nec etiam ex parte termini, quia non ſunt præſentiæ impenetrabiles formaliter locum replentes. Ad 4. eſto Doctor dubitatiuè loquatur tam de facto, quàm de poſſibili ſecundum naturalem eorum potentiam, fortè propter auctoritates SS. ipſe tamen magis inclinat in affirmantem partem, vnde & rationes ſoluit pro parte negatiua.

Secundò Prob. quod plures res corporeæ poſſint naturaliter eſſe in eodem loco. Tum quia plura accidentia materialia eiuſdem corporis ſunt ad inuicem compenetrata cum eo in eodem ſpatio, vt patet de albedine, & dulcedine in lacte. Tum 2. quia corpora ſe tangunt, & in eorum contactu ſemper contingit penetratio ſuperficierum vtriuſque, nam ideò ſe tangere dicuntur, quia eorum ſuperficies ſunt ſimul in eodem ſpatio, & ex penetratione ſuperficierum ſequitur etiam penetratio partium ad inuicem: nam indiuiſibile, ſicut non eſt extra partem, ita non eſt extra locum partis, ergo quod eſt ſimul cum indiuiſibili, eſt etiam ſimul cum parte, atque ita cum pars huius, & illius corporis ſint ſimul cum ſuis ſuperficiebus, & ſuperficies ſimul adinuicem, ſequitur etiam partes eſſe ſimul, & in eodem loco compenetratas. Tum tandem explicari nequit, quo pacto vna quantitas alteri repugnet, eamque ab eodē loco pellat, vel enim hæc repugnantia eſt formalis, vt Scot. velle videtur in 4.d.1.q.5. ſub F. & hoc non quia, vt ipſemet docet 4.d.49.qu.16.ad 2. primæ opin. talis repugnantia non eſt niſi in ordine ad idem ſubiectum, quantitates autem duorum corporum non ſunt in eodem ſubiecto; vel eſſet virtualis, vt in hoc vltimo loco potius velle videtur, & neque hoc benè dicitur, cum non ſint formæ actiuæ, virtualis autem repugnantia ad genus cauſæ efficientis ſpectat, eſt enim inter formas, quæ ſunt productiuæ effectuum inter ſe formaliter repugnantium.

104 Reſp. ad 1. penetrationem propriè ſpectares ad res corporeas diſtinctam quantitatem habentes, qualia non ſunt plura accidentia materialia eiuſdem corporis, quæ vnica quantitate extenduntur, & ideò propriè dici non debent ad inuicem compenetrata, ſed potius ſimul eſſe in eodem ſubiecto. Ad 2. eadem de cauſa ſuperficies, quibus ſe corpora tangunt, debent dici ſimul, & non compenetratæ, quia ex eo capite, quo ſunt ſimul, non ſunt extenſæ, & diuiſibiles, ex ſimultate verò ſuperficierum inter ſe non ſequitur ſimultas partium in eodem ſpatio, quia dum dicimus, indiuiſibite extra partem non eſſe, ſed ſimul cum ea, non intelligitur quoad exiſtentiam, quaſi indiuiſibile in parte exigat, & ſubiectetur, ſed tantum quoad extenſionem, & molem, quatenus additum parti non extendit eam, & conſequenter non occupat diſtinctum locum quoad extenſionem, benè tamen ipſi aliquid correſpondet in loco partis, quod & indiuiſibile loci, vt declaratum eſt diſput.9.q.2.art.5. Ad 3. aiunt aliqui, eam repugnantiam eſſe effectiuam, & effectiuè vnum corpus aliud pellere ab eodem loco, efficiendo nimirum impulſum, vel motum localem in eo, quod è loco pel-

co pellit. Sed hoc non benè dicitur, tum quia quantitas non est actiua, tum quia impulsus ille est effectus mouentis, & impellentis corpus non autem quantitatis, & ideò ait Doct. 4. dist. 1. q. 5. sub F. quod potius hæc repugnantia debet dici formalis, quàm effectiua, nam seruata proportione, ita est formalis incompossibilitas inter duas quantitates respectu eiusdem spatij, sicut inter duas qualitates respectu eiusdem subiecti, expulsio autem actiua propriè spectat ad agentia introducentia qualitates in subiectum, vel mouentia vnum corpus ad locum alterius. Quia tamen repugnantia formalis propriè attenditur penes formas contrarias circa idem subiectum, subdidit Doct. in 4. d. 49. qu. 16. repugnantiam quantitatum posse dici virtualem, in quantum effectus vnius causæ, qui est repletio loci opponitur alteri causæ naturali; ex quibus patet, Doctorem vtrunque admittere, quod hæc repugnantia sit formalis, & virtualis modo explicato. Non desunt tamen, qui hunc effectum quantitatis expellendi aliam vocent materialem, eo, quia quantitas ad talem effectum non se habet actiuè, sed potius passiuè, resistendo nimirum, ac impediendo alterius quantitatis sub ingressum in eodem loco, qua ratione etiam dici solet effectus negatiuus quatenus vnum corpus non finit aliud locum suum subingredi.

105 Tertiò arguitur experientijs; nam 1. videmus, panem recentem vino immersum imbibere vinum 2. cum ex aqua, & farina panis conficitur, in omnes, & singulas farinæ partes aqua penetrat 3. in ferro candenti ignis coexistit simul cum ferro 4. spiritus vitales per partes animalis discurrunt, & per easdem partes penetrat alimentum, vt fiat nutritio 5. in condensatione plures partes eiusdem corporis ad inuicem penetrantur. 6. ventus per aerem magno impetu discurrens cum partibus aeris compenetratur. Demum vas aquæ plenum admittit secum multum auri, & vas plenum cineribus multum aquæ.

Respondet Doct. citat. in 4. ferè ad omnes has experientias. Ad 1. ait, vnum recipi in poris panis, omnia enim ferè corpora partes quasdam habent solidas, & quasdam porosas, in alis verò partibus non est vinum, sed humiditas quædam extra circumstans, vt Doctor ibi explicat. Ad 2. aqua miscetur cum farina per iuxta positionem, non per penetrationem, & ita conficitur panis. Ad 3. ait, in poris ferri candetis ignem latere, qui quia lucidus est, partes alias lucidas reddit. Ad 4. ait diffundi spiritus vitales per totum corpus per poros illos, vbi non est caro solida, non quod simul sint cum carne solida; idem dicatur de nutritione, quod alimentum recipitur in poris, qui in corpore animato sunt frequentissimi. Ad 5. falsum est, in condensatione penetrationem partium eiusdem corporis contingere, solùm enim contingit quædam partium contipatio in ordine ad situm. Ad 6. si ventus ab aere differt suo impetu aerem scindit, & per intermedias partes patitur. Ad 7. immisso auro non statim è vase aqua dilabitur ob siccitatem labiorum, sed in medio intumescit per modum fornicis, etsi labia madefiant, statim effunditur, aqua verò in vas plenum cineribus immissa resoluitur à cinere in crassos vapores, qui etiam secum trahunt aliquas ipsius cineris partes, in qua etiam sunt multi meatus, quibus aqua se se insinuat.

106 Dicimus 2. posse per absolutam Dei potentiam plura corpora esse in eodem loco per mutuam penetrationem. Concl. est. communis Doctorum sensus contra Durand. quo, hìc referre non oportet, & manifestè colligitur ex Scriptura & nostræ fidei mysterijs, SS. enim PP. vnanimiter docent, Christum Dominum illæso Virginis vtero esse natum: clauso Sepulchro surrexisse: Euangelistæ testantur, clausis ianuis esse ad Discipulos ingressum, & Paulus ait in ascensione Cœlos penetrasse ad Heb. 4. quæ clarissima Scripturæ testimonia frustra nititur eludere Durand. dicendo, Christum per simplicem dilationem vasis Virginalis absque vllius membri fractione egressum esse, vel egredi potuisse, & cœnaculum intrasse, vel per fenestras apertas, vel ianuas ipsas citissimè apertas, & statim clausas, & sic ad alia Scripturæ testimonia; Vel hos ingressus, & egressus fuisse à Christo Domino operatos transeundo de extremo in extremum non transeundo per medium. Tum quia expositiones istæ sensum ipsius textus valdè extorquent. Tum quia PP. omnes in his casibus declarant, factam fuisse penetrationem corporum, vt est videre apud Amic. tract. 20. qu. 7. dub. 1. art. 3. Complut. q. 7. Mas. sect. 2. qu. 4. & alios. Tum quia his Durandi responsionibus vtuntur Hæretici ad plures errores defendendos, & Scripturas eludendas, præsertim Caluin. vt scribit Maldonatus Ioan. 20. vers. 19. Tum quia auctoritas D. Pauli de Christo in ascensione Cœlos penetrante nullam prorsus patitur glosam, & omnes Durandi cauillationes euertit. Tum quia quamuis tolerabilior sit altera responsio, quòd in his casibus transiuit Christus ab extremo ad extremum non transeundo per medium, tamen adhuc auctoritas Pauli hanc etiam expositionem non admittit vt notat Bassol. 4. d. 49. q. 4. vbi has solutiones affert, & refellit. Tum quia hic transitus ab extremo ad extremum non est minus difficilis, quàm penetratio corporum. Tum tandem quia quamuis ita fieri potuissent isti ingressus, & egressus Christi Domini sine penetratione corporum, tamen Scripturæ, & PP. docent euenisse cum corporum penetratione.

107 Deindè Prob. ratione, explicando, quo pacto fieri possis talis corporum penetratio ex Scoto 4. dist. 49. q. 16. quod duo corpora naturaliter nequeant se in eodem spatio compenetrare, planum est, ex quantitate eorum prouenire in hunc modum, ex quantitate oritur duples potentia, & aptitudo, prior est aptitudo occupandi locum diuisibiliter, cuius aptitudinis actus est actualis occupatio loci, & repletio, quæ non est, nisi actualis extensio in ordine ad locum, & dicitur Vbi circumscriptiuum; posterior aptitudo, quæ quasi ex priori proximè manare videtur, est potentia expellendi aliam quantitatem ab eodem spatio, in quo ipsa est, quæ aptitudo dicitur impenetrabilitas, cuius actus est actualis exclusio, seu expulsio alterius quantitatis ab eodem spatio, & hæc aptitudo ideò à priori manare censetur, quia vnum corpus ideò aliud à proprio loco pellit, quia locum illum replet, & occupat. Quamuis autem passiones istæ sint à quantitate inseparabiles, vt ei realiter identificatæ, actus tamen harum passionum sunt merè accidentales, & solùm iuxta communem naturæ cursum cum illis necessariò connexi, atque adeò per potentiam Dei absolutam possunt à quantitate separari, potest enim Deus (inquit Doct. facere causam naturalem sine suo effectu connaturali, si pendeat ab ea in genere causæ efficientis, vel si sit in genere causæ formalis, impediri etiam potest, dummodo non sit primarius ex dictis disp. 5. q. 3. art. ergo potest Deus plura corpora in eodem spatio compenetrare; & hoc quidem duobus modis, ait Doct. iuxta duplicem effectum actualem quantitatis, per quos naturaliter penetratio corporum impeditur, potest enim Deus impedire non concurrendo, vel alia ratione vtrunque quantitatis effectum, tam scilicet actualem repletionem vnius, quam expulsionem, & in tali casu erunt duo corpora in eodem patio compenetrata, vnum repletiuè, alterum non, & hoc modo de facto fit penetratio corporis Christi in Eucharistia cum quantitate specierum. Potest etiam impedire dumtaxat effectum negatiuum scilicet expulsionem, non impediendo positiuum, scilicet repletionem, & occupationem, & in tali casu ambo corpora erunt repletiuè, & occupatiuè in loco, fundando geminatos respectus situs, & Vbi ad eandem superficiem ambientem, vel spatium; & in hoc sensu corpora Beatorum de facto dicuntur se penetrare per dotem subtilitatis, quæ secundum Doct. loc. cit. I. & K. non consistit in aliqua qualitate physica beatis corporibus inhærente, sed est potestas penetrandi omnia ex peculiari assistentia Dei auferentis impedimenta naturalia.

108 Hinc patet, quam immeritò Auersa q. 27. sect. 5. cum alijs Scoto imponat, quòd in eo tantum sensu admiserit duo corpora posse à Deo in eodem loco constitui, vt vnum repleat locum, non verò alterum, quasi putauerit, non posse dari corporum penetrationem, nisi impediendo effectum positiuum repletionis, & non agnouerit, posse etiam contingere per impedimentum solius effectus negatiui, nimirum expulsionis, ait quidem Scot. sub lit. C. posse à Deo duo corpora in eodem loco constitui impediendo repetitionem vnius, hic enim est vnus effectus quantitatis, ratione cuius repugnat naturaliter duo corpora esse in eodem loco, ac non negat in ea quæst. alium modum penetrationis, impediendo, non quidem repletionem, sed solam expulsionem vnius ab alia imò, §. *Alius est intellectus &c.* in fine contra Gotfred. ait, quòd licèt possit Deus corpora duo ponere in eodem loco, auferendo modum quantitatiuum, vnius scilicet repletionem, tamen potest id facere, etiam illum conseruando in vtroque; & §. *Respondeo, &c.* probat ex professo posse etiam circumscriptiuè vtrunque esse in loco, nec duo Vbi circumscriptiua repugnare in duobus corporibus in ordine ad locum eundem, & infra I. & k. ait, penetrationem corporibus beatis de facto non fieri, nisi pēr priuationem mutuæ expulsionis, & tandem quodlib. 11. M. sæpius repetit, posse duo corpora esse in eodem loco repletiuè, & 4. dist. 10. quæst. 2. per hoc probat, idem corpus esse in pluribus locis circumscriptiuè, quia plura possunt esse in eodem loco eodem modo, & planè ratio illa, qua ibi probat, Deum posse ponere corpus in pluribus locis circùmscriptiuè, quia de facto ponit corpus Christi in Cœlo circcumscriptiuè, & in pluribus hostijs non circumscriptiuè, sed præsentialiter tantùm quod est difficilius, cùm hic duo interueniant miracula, ibi vnum, pariter militat in proposito, quia si de facto ponit Deus duo corpora in eodem loco exploiando vnum suo connaturali modo essendi in loco, quia est totum in tota hostia, & totum in qualibet parte, tantò magis poterit ambo ponere in eodem loco circumscriptiuè conseruando scilicet in vtraque connaturalem modum essendi in loco, quia faciendo primum est duplex miraculum, impedit enim, & repletionem, & expulsionem, at faciendo secundum, est tantùm vnum miraculum, quatenus impedit tantùm expulsionem, ergo Doct. neque negauit, neque negare potuit, suis insistendo principijs, duo corpora posse esse in loco eodem etiam circumscriptiuè.

109 In oppositum arguit 1. Durand. quantitas est ratio repugnātię plurium corporum in eodem loco, ergo ipsa permanente in corporibus, nunquam poterunt in eodem spatio constitui, etiam per potentiam Dei absolutā, eò præsertim, quia impenetratio est passio intrinseca quantitatis, ab ea proinde prorsus inseparabilis; & cùm expulsio sit effectus formalis quantitatis, nec etiam ab ipso Deo poterit impediri. Resp. Doct. loc. cit. inf. C. concedendo, quòd quantitas est ratio repugnandi duo corpora esse simul virtute naturali, quæ non potest facere causam sine suo effectu naturali, non tamen diuina, quæ hoc potest; & negat, hanc repugnantiam esse formalem, cùm potius sit virtualis, ac proinde potius reducibilis ad genus causæ efficientis, & negat tandem, impenetrationem esse passionem quantitatis, cum hæc potius sit impenetrabilitas, & impenetratio sit eius actus à Deo impedibilis; itaque quantitas est ratio fundamentalis repugnandi, non verò forma-

formalis, & actualis, talis enim est actualis expulsio, & impenetratio, & hæc expulsio aut non est effectus formalis quantitatis, aut est effectus formalis secundarius, qui potest à Deo suppleri.

Secundò si duo corpora esse possunt in eodem loco, ergo pariter, & duæ partes eiusdem corporis poterunt se inuicem penetrare, quia sicut naturaliter diuersis corporibus diuersa loca debentur, ita diuersis partibus eius diuersæ loci partes, at ex consequente mirabilia, & paradoxa sequuntur, nimirum partem fore æqualem toti totum includi in quauis minima parte, quantumuis maximam molem transire posse per foramen acus, & totum Cælum, immo, & vniuersum posse in minima bursa recludi, quæ omnia sunt contra rationem quantitatis postulantis partes extra partes, vt extensionem faciat.

110 Resp. quicunque tenent essentiam quantitatis non consistere in habere partem extra partem in ordine ad locum actu, sed tantum aptitudine, seu in principio exigitiuo eius, concedendo consequentiam, & negat, inde absurda illa sequi, quia essentia quantitatis non consistit in extreitate actuali partiū in ordine ad locū, sed in extreitate partiū in ordine ad locum in actu primo; vnde cū aptitudo possit suo actu priuari à Deo, poterunt partes quantiūis magnæ molis se cōpenetrare in puncto spatij, & ita de facto contingit in Eucharistia de partibus corporis Christi, cum quo adhuc stat inæqualitas partis cum toto cùm totum semper sit exigitiuum suaptè natura maioris extensionis localis, quam pars, & sic de facto totus Christus sub speciebus dicitur maior suo digito, uedum in ordine ad se, sed etiam in ordine ad locum.

Sed hæc communis responsio quamuis veram contineat doctrinam tamen non satisfacit argumento, nam vt notat Auersa cit. qui negant, penetrationem vnius corporis quanti cum alio esse possibilem, id solùm negant stante extensione locali vtriusque, alioqui vltro illam admittunt, ergo defendere oportet etiam salua extensione locali, & actuali repletione posse plura corpora; atque adeò plures partes eiusdem corporis penetrari, idque non esse contra essentiam quantitatis, neque extensionis localis. Idcircò resp. Auersa, stante hac extensione non posse quidem omnes prorsus corporis partes penetrari, itaut indiuisibiliter se haberent in loco, quia id sanè foret contra essentiam huius extensionis, sed tamen posse vnam aliquam partem cum alia penetrari v. g. vnum semipalmum cum alio, & per hoc non detrueturr essentia talis quantitatis, & extensionis, quia non est de ratione eius, vt quælibet pars actu sit extra omnem aliam partem in loco, sed satis est, vt si extra aliquas, quod adhuc saluaretur, etiam si per partium penetrationem totum vniuersum in bursa concluderetur.

Hæc tamen responsio in primis falso innititur fundamento, quòd essentia quantitatis consistat in extensione locali actuali, hoc enim asseri nequit sine magno præiudicio Sacramenti Eucharistiæ, vbi Christus est cum sua quantitate absque vlla prorsus extensione locali, vt diximus disp. 9. q. 1. art. 1. adhuc argumento non satisfacit, quia, contendit argumentum inferre tanquam absurdum quamcumque partium eiusdem corporis penetrationem, ex quacunque enim data sequuntur absurda illa, quòd pars erit æqualis toti, &c. quamuis enim per responsionem Auersæ saluetur, quòd reducta mole bipalmari ad spatium vnius digiti per penetrationem partium ad inuicem, adhuc in qualibet parte digitali vna medietas est extra aliam non tamen vnus palmus est extra alium palmum, nec semipalmus extra semipalmum, atque ideò non saluat Auersa, quod in duobus palmis, vel semipalmis ad spatium digitale redactis detur adhuc extensio, & magnitudo bipalmaris maior palmari, & palmaris maior semipalmari, cum vnus palmus non sit extra alium, nec semipalmus extra semipalmum.

111 Respondendum igitur est cum Bassol. cit. art. 2. ad 10. neg. cons. si enim duo corpora valent esse per Dei potentiam in eodem loco circumscriptiuè, non inde valet inferre, ergo pariter, & duæ partes, vel plures eorum corporum ita in loco existentium, cùm enim esse in loco circumscriptiuè sit ita esse in loco, vt totum corpus toti loco correspondeat, & singulæ partes singulis loci partibus, planè implicat in terminis, quòd corpora illa sint in loco circumscriptiuè, & quia partes eiusdem corporis sint inuicem compenetratæ, partes enim eiusdem corporis esse ita compenetratas formalissimè infert, corpus, cuius sunt partes, non esse in loco circumscriptiuè, non igitur implicat absolutè penetratio partium ad inuicem, quia si fieri potest in corporibus, etiam fieri potest in partibus, vt patet in Eucharistia, sed implicat facta suppositione, quòd corpus, cuius sunt partes, sit in loco circumscriptiuè, vt est in casu conclus. nostræ; in casu verò, quo partes penetrarentur ad inuicem, rectè saluatur inæqualitas partium respectu totius, modo à communi responsione allata explicato.

Sed adhuc vrgebis, absolutè implicare penetrationem partium eiusdem corporis ad inuicem, quia ita se habere videntur partes quantitatis continuæ permanentis ad suum totum, sicut successiuè ad suum, sed implicat, duas partes entis successiui esse simul duratione, ergo etiam implicat, duas entis permanentis esse simul loco. Negatur paritas, quia quantitas successiua necessariò includit in suo conceptu essentiali extensionem actualem partium in duratione secundum prius, & posterius, ita vt vna non existat simul cum alia, sed necessariò post aliam, atque adeò non potest constitui essentia quantitatis successiuæ per solam aptitudinem ad extensionem successiuam, nam quicquid non habet actu successionem, etiam si possit illam habere secundum partes suas, est ens permanens, vt patet de calore, & alijs qualitatibus successiuè acquisibilibus; at verò partes quantitatis permanentis, cùm omnes actu simul existant, ita quoque poterunt in eodem spatio sibi inuicem coexistere, & poterit eius essentia saluari per solam aptitudinem ad extensionem localem.

112 Tertiò arguitur ex absurdis, quæ inde sequerentur, idem bis repleri, atque ita effectum eundem esse à pluribus causis totalibus, singulis enim corporibus sufficienter expletur loci capacitas, quantum sufficit, ne vacuus dicatur, & singula corpora sufficienter distare faciunt latera continentis. Secundò sequitur, eundem locum simul esse plenum, & vacuum, quia impleretur per vnum corpus, & cum hoc esset vacuus, quia simul posset recipere aliud corpus. 3. locum non esse adæquatum locato, quia ipso recepto adhuc posset aliud locatum recipere. 4. sequitur, illa duo corpora in eodem loco compenetrata esse duo ex hypothesi, vnum verò, quia sunt simul, nam sicut punctum cum alio puncto simul non facit, nisi punctum, & superficies cum superficie, non nisi superficiem vnam, ita dicendum videtur de corpore posito simul cum alio. 5. tunc ab vno puncto continentis possent duci duæ lineæ rectæ ad punctum locati; nam tot duci possunt lineæ à puncto loci ad aliud punctum correspondens, quot corpora sunt in eo, & tamen à puncto ad punctum vna tantum linea recta duci potest 6. tandem sequitur, actum expellendi in quantitate separari posse ab actu replendi, & occupandi locum, quod implicat, ita enim se habet actualis expulsio ad actualem repletionem, sicut aptitudo expellendi ad aptitudinem replendi, & occupandi, sed inter has aptitudines est necessaria connexio, ergo etiam inter actus earum ad inuicem; immo sicut duæ iste aptitudines non videntur inter se distinctæ, sed vna, per hoc enim formalissimè nata est quantitas aliam expellere à suo loco, quia nata est ipsum replere impenetrabiliter, ita actualis expulsio, & occupatio non erunt distincti actus sed vnus, & idem, per hoc enim formaliter vnum corpus aliud expellit, quia locum suum occupat impenetrabiliter ratione quantitatis, ergo ad hæc absurda euitanda, aut negandum est absolutè, duo corpora in eodem loco esse posse, aut saltim ambo esse posse repletiuè.

113 Resp. negando, ex hoc vllum sequi absurdum; ad 1. concedit Doctor quol. 11. M. & N. idem spatium posse bis repleri formaliter, per potentiam Dei absolutam, non enim maius est inconueniens, locum plenum repleri de nouo aliquo replente formaliter, quàm continens vnum sibi commensuratum, de nouo continere aliud simili modo continendi; ait etiam, quòd vtrunque corpus faceret distare latera continentis formaliter, sicut vtrunque formaliter replet, neutrū tamen effectiuè, quia in hoc sensu agens, quòd primò diuidit hoc latus ab illo, facit distare latera continentis, eaque replet; quomodo autem hinc non sequatur, eiusdem effectus dari plures causas totales, dictum est disp. 8. quæst. 3. art. 2. num. 72. Ad 2. ait Bassol. locum vno corpore repletum dici debere absolutè plenum, & non vacuum, quia vacuitas dicit carentiam cuiuscunque corporis, alioquin si potest dici vaccus, quia potest aliud corpus recipere cum eo, quod habet, idem etiam dici posset, dato, quod non posset esse in eo simul, nisi vnum corpus, nam dum habet illud vnum, caret alio, quod potest recipere, licèt non simul cum illo; si igitur dicatur locus plenus, & non plenus, non debet dici absolutè, sed debet dici plenus corpore, quod habet, & non plenus alio, quo caret, & ista non contradicunt, quia non sunt secundum idem, vel respectu eiusdem. Ad 3. ait idem Bassol. adæquationem inter locum, & locatum esse secundum magnitudinem, & extensionem, quia locus nihil maius continere potest, quàm sit ambitus eius, nec locatum habere potest minorem locum, non tamen secundum multitudinem. Et si dicatur, vnum locatum esse capacitati loci adæquatum etiam secundum multitudinem, hoc verum est capacitate naturali, non autem obedientiali; quod non est intelligendum (ait Bassol.) quasi sint duæ capacitates realiter distinctæ, sed itaut sit eadem ad diuersa agentia comparata, & limitata dicatur respectu vnius, interminata verò respectu alterius. Ad 4. verum est, quod vnum punctum alteri puncto additum non facit maius, falsum tamen est, quòd non sint duo, vnde fiunt vnum penetratiuè, quia non faciunt maius quantitatiuè, sed non fiunt vnum entitatiuè, & sic etiam in proposito duo corpora fierent vnum penetratiuè, quia non facerent maiorem molem, quàm si essent vnum tantum, duo tamen essent entitatiuè. Ad 5. neg. sequela, quia punctum ex parte locati correspondens puncto loci, licèt esset vnum situaliter, tamē entitatiuè duo forēt, sicut duo sunt corpora locata, vnde duę etiā forent lineæ rectæ ductæ à puncto loci ad puncta corporum, quæ tamen inter se compenetratæ forent, sicut puncta ad quę terminantur.

Denique negatur, actualem expulsionem inseparabilem esse ab actuali repletione, quamuis enim aptitudines replendi, & expellendi sint per quamcunque potentiam ab inuicem inseparabiles propter identitatem realem, tamen actus separari possunt, præsertim prior à posteriori, quia nec inter se, nec cum tertio realiter identificantur; falsum insuper est, aptitudines illas non esse inter se ex natura rei ab inuicem distinctas, impenetrabilitas enim quæ est apitudo expellendi, verè ex natura rei distincta est ab aptitudine replendi vt sic, quæ sic præcisè considerata competit etiam substantiæ corporeæ citra quantitatem, sicut, & impenetratio realiter distinguitur ab actuali repletione, vnde non est absolute concedendum,

quantitatem expellere aliam, quia locum replet, & esse alterius expulsiuam, quia est repletiua loci, sed cum addito, quia replet locum impenetrabiliter, & nata est replere locum tali modo non enim in quantitate datur aptito prior sine posteriori, vt in alijs rebus corporis contingit.

QVÆSTIO VIII.

An eadem res sine corporea, sine incorporea possit simul esse in pluribus locis.

114 NOn est difficultas de locis inadæquatis intra propriam sphæram existentibus, ita enim de facto videmus, corpora per suam quantitatem plura partialia loca occupare secundum diuersas partes, ex quibus integratur locus adæquatus toti corpori correspondens, & id fatendum est de Angelo, si semel concedatur esse in spatio diuisibili per suam quantitatem virtutis in eo continuè diffusam; sed est difficultas de locis adæquatis, ac etiam inadæquatis extra propriam sphæram existentibus, & in ordine ad potentiam supernaturalem, quia naturaliter concedunt omnes, id euenire non posse. Et quidem quantùm attinet ad substantias spirituales non est magna lis inter Doctores, quia cùm eorum essendi modus in loco sit inextensus, & indiuisibilis, libenter admittunt, id per potentiam Dei absolutam contingere posse, nam si aliqua est repugnantia replicationis rei in pluribus locis, hæc non videtur procedere, nisi ex replicatione locali extensa, & diuisibili, & ideò consequenter dicunt, substantiam corpoream posse etiam in pluribus locis replicari, sed non nisi modo inextenso, & spirituali, sicut de facto iuxta fidem corpus Christi existens in Cœlo circumscriptiuè replicatur vtique in pluribus hostijs consecratis, sed non præsentia eiusdem rationis cum ea, quam habet in Cœlo, sed alterius, inextensa nimirum, & indiuisibili; ita D. Tho. 3. par. qu. 75. art. 1. ad 3. & q. 81. art. 1. ad 2. & in 4. dist. 10. q. 1. art. 1. & alibi, & Thomistæ omnes circa ea loca, & in 4. Phys. Mas. cap. 5. sect. 2. Compult. qu. 8. Zanard. qu. 3. sic etiam docuisse videtur D. Bon. 4. d. 44. qu. 1. Henric. quol. 9. qu. 32. & ex Recent. Vasq. 3. p. disp. 189.

Opposita sententia docet, quòd sicut substantiæ spirituales possunt suo connaturali modo replicari in pluribus locis à Deo, ita quoque corporeæ suo modo connaturali scilicet extenso, & corporeo; & hæc sententia est communior, & receptissima præsertim à Scriptoribus contra Hæreticos, eam ex antiquis docuerunt Alensis 4. part. q. 11. art. 1. Scot. 4. dist. 10. qu. 2. & quol. 10. cum suis sectatoribus, Ocham q. 4. cum cæteris Nominalibus, ex Recentioribus autem Bellarm. lib. 3. de Eucharist. cap. 3. & 4. Suar. 3. p. tom. 3. disp. 48. sect. 4. Valent. qu. 5. de Eucharist. punct. 1. Pesant. qu. 76. art. 5. disput. 2. Conimb. 4. Phys. cap. 5. q. 5. Murc. disp. 1. qu. 7. Veracruc. specul. 2. Furt. disp. 16. Phys. sect. 5. Auersa q. 27. sect. 6. Amic. tract. 20. qu. 7. dub. 2. art. 3. & alij incenti.

115 Dicimus 1. nullam rem, siue corpoream, siue incorpoream, posse simul esse naturali virtute in pluribus locis adæquatis, aut inadæquatis extra propriam sphæram sui loci naturalis. Concl. quoad omnes partes est Scot. in 2 dist. 2. q. 7. & 4. d. 10. qu. 2. conceditur ab omnibus, & breuiter probatur, quia locus adæquatus est, quem replet Angelus, vel corpus iuxta limitationem suæ substantiæ, vel quantitatis, & ad quem replendum Angelus se mouet secundum vltimum suæ motricis potentiæ, ergo non possunt naturali virtute plura talia loca replere, hoc enim directè tolleret limitationem quantitatis virtutis in Angelo, & molis in corpore, & locus, quem adæquatum supponebamus Angelo, vel corpori, non esset adæquatus; quæ ratio etiam probat, id esse impossibile naturali virtute de locis inadæquatis extra sphæram loci naturalis existentibus, hic enim agitur de loco naturaliter respondente toti quantitati molis in corpore, & virtutis in Angelo, ergo si demus locum palmarem v.g. adequatà respondere substantiæ corporeæ, vel incorporeæ, & hunc ab his esse repletum per præsentiam palmarem, implicat naturaliter Angelum, & corpus extendi posse ad replendum simmul quantumuis exiguum spatium extra adæquatum existens, si enim adhuc aliud spatium potest naturaliter replere, iam locus ille prior non erat adæquatus, vt supponitur.

Sed contra hanc Conclus. instari potest ratione, qua vtitur Scot. in 4. dist. 10. qu. 2. §. *Dico ergo, &c.* ad probandum, quòd idem corpus esse possit in pluribus locis adæquatis diuina virtute, quia rem esse in loco non dicit, nisi respectum præsentiæ extrinsecus adeuientem, sed tales respectus plurificari super idem fundamentum non implicat, quia respectus intrinsecus adeuientes, de quibus minus videtur; ita plurificantur, vt patet de albedine plures similitudines fundante, ergo non implicat, rem à Deo in pluribus locis constitui simul, & semel. At hæc ratio sic retorqueri potest cum Rubion in 4. d. 10. qu. 3. plurificatio respectuum intrinsecus adeuientium, de quibus minus videtur, fit naturaliter, ergo tanto magis fieri potest plurificatio præsentiarum; qua etiam ratione retorta probat Rubion, plura corpora posse naturaliter esse in eodem loco, quia sicut naturaliter ad vnicum album sunt diuersæ similitudines, ita & respectu eiusdem loci poterunt naturaliter esse plura Vbi si ratio Scoti valet.

116 Resp. Sampson. 4. Phys. q. 6. in fine, ob id dici debere, rationem Scoti esse dialecticam, & persuasiuam; sed præstat dicere, Doctorem ratione allata velle tantum ostendere non implicantiam plurificationi Vbi super idem fundamentum, cum hoc naturaliter videamus in respectibus intrinsecus adeuientibus, de quibus minus videtur, non quidem absolutè, sed tantum ex eo capite, quo sunt minus accidentales extrinsecus adeuientibus, vt ibi se explicat, non autem omnimodam paritatem voluit inferre, ex alio enim capite maxima est disparitas in horum respectuum causatione, vt Doct. notat. 4. d. 49. q. 16. ad 2. princ. natura enim non potest dare, nec causare mutationem positiuam sine priuatiua, in quibus nata sunt concurrere, vnde non potest dare albedinem, nisi priuet subiectum nigredine; in quibus tamen non sunt nata concurrere, in illis potest vt in illuminatione, ibi enim est mutatio positiua sine priuatiua; In proposito ait Doct. omnis motus ad diuersa Vbi est talis quasi ad contraria, & ita absolutè loquendo, natura non potest facere, quòd corpus aliquod accipiat vnum Vbi, & non priuetur alio: quia natæ sunt concurrere mutationes positiuæ, & priuatiuæ in talibus; id verò non contingit in acquisitione illorum respectuum intrinsecus adeuientium similitudinis, paternitatis, &c. vt enim album fiat simile huic albo, non est necesse, quòd deserat esse simile alteri, & sic de parte respectu alterius filij. Neque etiam argumentum valet, vt à Rub. retorqueretur ad probandũ, posse naturaliter plura corpora esse in eodem loco, quamuis enim ex eo capite benè ostendatur non implicãtia, tamen absolutè non valet paritas in omnibus de plurificatione respectus intrinsecus adeuientis ad eundem terminum; nam quemadmodum, quia natura non potest facere mutationem positiuã sine priuatiua, ideò non potest plurificare præsentias in eodem corpore, ponendo illud in pluribus locis, ita quia non potest impedire effectum necessarium causæ naturalis, scilicet expulsionem quantitatis ideò non potest plurificare præsentias in corporibus ad eundem terminum ponendo illa in eodem loco.

117 Secundò pluralitas locorum adæquatorum non excedit capacitatem rei, alioquin neque Deus posset illam ponere in pluribus locis, ergo neque excedit virtutem actiuam naturalem, quia naturalis capacitas passiua naturali actiuæ commensuratur, quòd præsertim de Angelo non videtur posse negari, quia adæquatio eius cum loco non est per commensurationem, qualis est adæquatio corporis. Resp. assumptum esse verum de capacitate passiua obedientiali falsum de capacitate naturali correspondente actiuitati agentis naturalis, quod etiam de Angelo asserendum est, estò enim loco non commensuretur mathematicè, commensuratur tamen entitatiuè, & metaphysicè per limitationem suæ entitatis.

Sed dices, saltim videtur esse posse in pluribus inadæquatis extra propriam sphæram, quia id non excedit naturalem eius facultatem, si enim illa plura loca inadæquata extra eius sphæram existentia adinuicem continuarentur, Angelus posset simul illa replere, quia non excederent extensionem loci adæquati. Neg. sequela, quamuis enim illa inadæquata loca non excedant extensionem loci adæquati Angeli quo ad substantiam, vnde si forent continuata, simul attingerentur, excedunt tamen quo ad modum, quatenus sunt extra sphæram locationis angelicæ. Dices, saltim videtur esse posse in pluribus inadæquatis disiitis, & discontinuis intra eius sphæram. Resp. id esse dubium, & non posse afferri rationem necessariam pro, vel contra, vt notat Doct. 2. dist. 2. q. 7. A. nam si pro parte affirmatiua arguatur, ex P. Vulpes disp. de Angel. 18. art. 6. quòd hæc inadæquata loca non excedunt facultatem Angeli naturalem, cum sint intra eius sphæram, & quòd non naturali necessitate est in tanto, vel tanto spatio, vt corpus, sed ex sua libertate, & quòd ideò pro imperio voluntatis poterit se præsentem facere quatuor angulis templi, quod supponitur locus adæquatus illius, & non reliquis partibus. Resp. loca illa inadæquata intra propriam sphæram, etsi non excedant facultatem Angeli naturalem secundum rem, tamen adhuc excedunt secundum modum ratione scilicet discontinuitatis, non enim illa replere potest, nisi per vnicam, & continuam totius sui esse diffusionem; nec aliqua ratio necessariò ostendit posse se discretè diffundere per suam sphæram, & quòd ex libertate, quam habet se constituendi in tali, vel tanto loco infra adæquatum, solùm inferre licèt, quòd semper se valeat retrahere pro suo libito ad minorem, & minorem locum, semper tamen continuum. Et si pro parte negatiua dicatur, quòd si continuitas sphæræ respectu angelicæ præsentia necessaria non est, non posset assignari ratio, quare Angelus non posset producere in seipso duas præsentias discretas valdè distantes, & insuper concedendum esset, retenta æqualitate sphæræ posse Angelum per lineas distantes moueri pluribus motibus, immo motibus contrarijs, & quòd anima nequit informare extremas corporis partes non informatis intermedijs, neq; lumen potest à Sole extremis partibus deriuari, nisi per medias; ergo nec Angelus esse potest in extremis partibus suæ adæquatæ sphæræ, nisi coexistat intermedijs, quæ sunt argumenta Molinæ, Suar, & Vasq. Respon. hæc etiam parum vrgere; quando enim Angelo assignatur determinata sphæra suæ præsentiæ, planè hæc non constituitur ex locis inadæquatis valdè inter se distitis, & disiunctis, sed omninò coniunctis, & continuis, quorum singulis potest se præsentem facere arbitratu suo duobus v.gr. extremis, & non intermedijs, & etiam eodem modo per illa loca discreta intra propriam sphæram poterit naturaliter moueri pluribus motibus, immo & contrarijs, neque ex hoc sequitur illimitatio, quia fiunt illi motus intra propriam sphæram: neque contradictio, quia non foret secundum idem. Nec paritas assumpta de anima, & Sole valet, nam anima vnitur corpori naturaliter, veluti forma materiæ, non sic Angelus loco, sed liberè, sic etiam naturaliter diffunditur lumen à Sole extremum per in medium.

118 Dicimus 2. spectata Dei potentia posse non solùm eundem Angelum, sed etiam idem corpus esse in pluribus locis adæquatis incircumscriptè, seu definitiuè. Concl. tenetur ab omnibus Catholicis, ita enim fides docet de corpore Christi in pluribus hostijs consecratis incircumscriptè replicato; & quidem in vniuersum rei non repugnare plures præsentias adæquatas probari potest. Tum quia plurificatio respectuum præsertim extrinsecus adeuientium, quales sunt illæ præsentiæ super idem fundamentum, absolutè non implicat, vt latè probat Doct. 4. dist. 10. quæst. 2. §. *Dico ergo, &c.* Tum quia licet natura causare nequeat mutationem positiuam sine priuatiua, in quibus nata sunt concurrere, vnde non potest communicare albedinem subiecto, nisi priuet nigredine, neq. hanc præsentiam causare in eo, nisi alia priuet, id tamen negari nequit diuine omnipotentiæ, quæ sicut duo contraria in eodem subiecto componere potest, ita à fortiori duas præsentias, quæ propriè non sunt contrariæ, vt docet Doct. 4. d. 49. qu. 36. ad 2. princ.

Quòd verò corpus possit expoliari à Deo suo connaturali modo essendi in loco, & ibi indiuisibiliter poni ad modum spiritus, probat Doctor. in 4. distinct. 10. quæst. 1. M. & dist. 49. quæst. 16. C. vbi ostendit, posse Deum impedire effectum naturalem corporis replendi locum, & consequenter ipsum priuare positione de genere situs, quæ est materialis illa commensuratio totius corporis ad totum locum, & partium eius ad partes istius; eo autem ipso quod corpus non est in loco diuisibiliter, consequenter diuina virtute manet in ipso indiuisibiliter ad modum spiritus. Quomodo autem concipi possit res corporea esse in loco indiuisibiliter, quamuis sit difficile explicari, tamen potest ex opposito, declarando nimirum modum, quo res incorporea est in loco diuisibili; sicut enim Angelus, licet in se sit indiuisibilis, constituitur tamen in loco diuisibili indiuisibiliter, quia tot fundat in se præsentias, quot sunt partes proportionales loci, quæ quia sunt diuisibiles ex parte loci, & ad diuersas partes eius terminatæ, ideò Angelum constituunt in loco diuisibili; & quia sunt indiuisibiles ex parte subiecti, & proindè singulæ in toto subiecto hac ratione præstant, vt totum subiectum scilicet Angelus, sit totus in toto loco, & totus in singulis partibus illius, ita ex opposito licèt corpus sit diuisibile, tamen fundare potest plures præsentias iuxta pluralitatem suarum partium proportionalium, quarum singulæ ad idem spatium terminentur, & sic omnes eius partes erunt eidem spatio præsentes indiuisibiter, etiam puncto, si illæ singulæ præsentiæ ad idem punctum terminari supponantur, ergo non repugnat corpus esse in loco indiuisibiliter ad modum spiritus, cum hoc solo discrimine, quòd licèt præsentia corporis, & spiritus in tali casu conuenirent quo ad rationem respiciendi locum indiuisibiliter, adhuc tamen different, quia præsentia corporis foret adhuc diuisibilis ex parte subiecti, non autem præsentia spiritus, & ratio est, quia implicat subiecto diuisibili inhærere accidens spirituale, & indiuisibile, in quem modum explicandi præsentiam corporis indiuisibilem Bassol. quoque inclinare visus est 4. dist. 49 q. 4. art. 2.

119 Contra hanc Concl. arguitur 1. Tum quia limitatio rei creatæ ad locum prouenit ex limitatione entitatis ipsius, ergo sicut neque fieri à Deo illimitata quo ad esse, ita nec etiam quo ad locum. Tum quia rem esse in loco definitiuè, est esse ita hic, quòd non alibi, ergo implicat in terminis posse rem poni in pluribus locis definitiuè. Tum quia non potest eadem res simul esse in diuersis temporibus, ergo nec simul in pluribus locis.

Resp. ex Scoto 2. dist. 2. q. 7. ad 2. & 4. dist. 10. qu. 2. R. concesso antec. neg. conseq. liquidem finitas in entitate est modus intrinsecus creaturæ realiter identificatus, non ita actualis limitatio, & determinatio ad vnum locum, sed hæc est actus aptitudinis illius, quam res creatæ habent ex vi potentiæ naturalis essendi in vno tãtum loco, qui proinde potest à Deo impediri, sicut & actus cuiuscunque alterius aptitudinis naturali necessitate rebus conueniens; & quamuis res creata tunc diceretur illimitata in ordine ad locum, non idcircò illimitata etiam quo ad esse, aut immensa censeri deberet, quia hanc illimitationem non haberet ex principijs intrinsecis, sed ex potentia agentis infiniti, ad quod est in potentia obedientiali, sicut à pari ex eo, quòd res aliqua fuisset ab æterno creata, non proinde participaret æternitatem Dei, quia talis illimitatio in duratione non sibi conueniret ab intrinseco, & necessariò, sed tantum ab extrinseco, & contingenter. Neque inconuenit, res creatas in ordine ad locum habere limitationem ex vi potentiæ naturalis, & non habere ex vi obedientialis, quia passim id experimur in cœteris, materia enim non est simul capax duarum formarum substantialium disparatarum, nec subiectum contrariorum ex vi potentiæ passiuæ naturalis, benè tamen est capax ex vi obedientialis, & hæc potentia obedientialis in rebus ad illud, quod excedit naturalem facultatem earum, non infert infinitatem in rebus ipsis, sed tantum in potentia agentis supernaturalis, à quo eleuantur; tum quia hæc est potentia passiua, quæ à toto genere nullam dicit perfectionem, vt sæpè diximus cum Scot. 3. dist. 14. qu. 2. in fine, tum quia si reperitur in rebus obedientialis actiua, non est sufficiens, & completa, sed inchoata tantum, & insufficiens, vt declaratum est disp. 7. quæst. 6. art. 5. Ad 2. modus essendi in loco definitiuè dupliciter vsurpari solet, vt notat Sampson. 4. Phys. qu. 4. in fine, & Rubion. 4. dist. 10. qu. 4. art. 3. vel vt idem sonat, quòd esse in loco incircumscriptè, quo sensu appropriatur rebus incorporeis, vel, vt vis vocabuli sonat, quatenus dicit negationem cuiuscumque alterius loci, in quo sensu communis est omnibus creatis rebus, quæ ex vi potentiæ naturalis vnum certum locum sibi determinant, in secundo sensu conceditur, nihil posse poni in pluribus locis definitiuè, quia hic est modus naturalis rerum essendi in loco, quem sibi vendicant materialiter, & eo expoliantur statim ac ponuntur in pluribus locis; at in primo sensu negatur, nil posse poni in pluribus locis definitiuè. Ad 3. negatur paritas de tempore, & loco, quòd enim res nequeat esse simul in diuersis temporibus, prouenit ex parte temporis, quod est in continuo fluxu, vnde nunquam duo tempora possunt esse simul, at loca non fluunt, sed manent.

120 Secundò, si idem esse potest in pluribus locis simul, & semel plura sequuntur absurda; sequitur enim 1. terminos motus, à quo, & ad quem esse compossibiles, quod est contra rationem, & Philos. 5. Phys. patet consequentia, quia duo vbi possunt esse termini motus. 2. idem esse posse à seipso diuisum, Romæ siquidem existens esset diuisum à seipso existente Venetijs. 3. idem esse distans, & indistans respectu eiusdem loci, nam quatenus Romæ distat ab Vrbe Venetiarum, sed quatenus Venetijs replicatus non distat. 4. idem esse extra terminos proprios, & vltra extremitatem suam, locus enim ex 4. Phys. est terminus, & extremitas rei locatæ. Demum si idem potest esse simul in duobus locis, ergo & bis poterit poni in eodem loco, cùm sit par ratio.

Resp. neg. conseq. ad primam probat. ait Doct. cit. lit. O. absurdum esse, & impossibile, quòd termini motus sint simul, loquendo de terminis primis, quales sunt forma, & priuatio, non autem de secundarijs, & concomitantibus, qui scilicet coniunguntur terminis prædictis, & ambo sunt positiui, isti enim sunt compossibiles, vt patet in augmento, vbi quantitas præcedens manet; in proposito Vbi & Vbi non sunt termini motus per se, & primi, sed concomitantes. Ad 2. in casu posito idem esset à seipso diuisum secundum locum, non quoad essentiam, non enim res illa pluribus in locis replicata diuideretur in plura seipsa, ita vt plures euaderet entitates sed semper esset eadem, diuersas fundans præsentias. Ad 3. ait Doct. ad 2. princ. non esse inconueniens idem per Vbi, quo Romæ constituitur, distare ab Vrbe Venetiarum, & ab eadem non distare per Vbi Venetum, vnde ob talem diuersitatem præsentiarum saluatur contradictio. Ad 4. locus est terminus, & extremitas rei locatæ quo ad eam præsentiam, quæ ipsum respicit, vnde non potest res locata per illam eandem præsentiam alibi constitui, benè tamen secundum aliam; videatur Doct. lit. N. Ad vltimam concedunt aliqui paritatem, nec putant absurdum; tamen apud nos videretur absurdum, quia tunc eiusdem effectus darentur duæ causæ totales, nam per singulas præsentias sufficienter constituitur hic; & paritas assumpta non valet, quia ad multiplicationem relationum requiritur ad minus multiplicatio termini, vel fundamenti, quare ad pluralitate locorum possunt manente plurificari præsentiæ in re locata, at manente vnitate loci, & locati non apparet ex quo cap. relationes plurificari possint.

121 Tertiò, id repugnare videtur potentiæ actiuæ rei creatę, ex hoc enim quòd simul, & semel est in pluribus locis, sequitur, posse in omnibus agere, si in omnibus passum reperiat, & ita scintilla ignis totum poterit comburere mundum, & parua candela totum illuminare, & Angelum replicatum vbique posse omnia corpora mouere. Id etiam repugnare videtur rationi ipsius Vbi, quòd omninò incompossibile est cum alio Vbi; cùm enim accidentia in eodem subiecto existentia se inuicem denominare soleant, vt patet de subiecto quanto, & albo, nam dicimus quantum album, & album quantum, si Vbi Venetum, & Romanum in eodem forent subiecto, vbi Venetum denominaret Romanum Venetijs præsens, & è contra. Demum id repugare videtur motui locali, qui nullatenus fieri potest ab extremo ad extremum non transeundo per medium, at si res potest simul esse in pluribus locis, id fieri posset per immediatam productionem secundi Vbi, quo constituitur in secundo loco.

Resp. neg. assumptum, quia vt docet Doct. lit. I. per tertiam propositionem, sicut se haberet res in vno loco existens in ratione actiui ad diuersa ibidem sibi approximata, sic se habebit existens in pluribus locis, quia per replicationem præsentiarum non augetur virtus actiua eius, nec extensiuè, nec intensiuè, quare sicut ignis in vno loco existens non combureret omnia combustibilia, si essent sibi sufficienter approximata, sed agere in aliquod illorum præcisè à Deo determinandum, quod adequatè terminaret eius virtutem, vel si in quodlibet ageret, valdè remissè ageret; ita dicendum de eodem igne in pluribus locis replicato, vt ait Doctor. lit. Q. neque hoc est mirum, quia virtus naturalis minor est in plura, quam in pauciora, & eodem modo dicendum de Angelo, si enim hic mouendo corpus totam suam exerat virtutem, alibi nullum mouebit, sed si totam non exerit, poterit & alibi mouere; sed semper debiliùs, quo plura moueret. De actione verò illuminatiua candelę, in qua non interuenit resistentia passi retundens

dens virtutem agentis, vt in casibus allatis, videtur posse concedi, quòd omnia illuminaret loca, in quibus replicaretur, quia talis illuminatio fieret per productionem luminis, quæ secundum nos est species lucis, & non videtur negandum, quòd corpus vbicunque replicetur, possit species intentionales sui in medio multiplicare alioqui videri non posset, nisi in vno tantum loco, in quo illas emitteret. Ad 2. neg. assumptum, cum probatur, dicimus, accidentia subordinata vtique se inuicem denominare, vt patet in allato exemplo de albedine, & quantitate, at non accidentia disparata, vt constat de albedine, & dulcedine in lacte, quorum neutrum alteri communicat suum effectum formalem, talia autem sunt Vbi Romanum, & Venetum in eodem subiecto. Ad 3. licèt nequeat fieri transitus de extremò ad extremum sine transitu per medium loquendo de motu successiuo includente totam realitatem motus, potest tamen fieri loquendo de motu includente solum realitatem termini motus, qui propriè dicitur mutatio localis, & in casu posita fieret mutatio localis acquisitiua siue deperditiua, & hoc modo de facto fit Christus præsens in Eucharistia non à Cælo discedens, nec per medium transiens.

122 Quartò specialiter arguitur, quòd non possit poni corpus in loco definitiuè, & indiuisibiliter. Tum quia cùm corpus sit diuisibile, repugnat ei modus indiuisibilis, qualis est iste; Tum quia ideò repugnat Angelum esse diuisibiliter in loco, quia ipse in se est indiuisibilis, ergo pariter repugnabit corpori esse in loco indiuisibiliter, quia in se est diuisibile. Tum tandem, quia corpus quantum nequit esse in rerum natura sine figura, hæc verò consistit in tali extensione partium in ordine ad locum.

Resp. modum essendi corporum in loco definitiuè per diuinam potentiam non esse vndequaque indiuisibilem, sed tantum ex parte spatij, quatenus indiuisibiliter, & sine ordine ponit totum corpus, & partes eius in loco, at ex parte subiecti est diuisibilis, & in hoc differt à modo essendi in loco rerum spiritualium, & talis modus essendi in loco indiuisibiliter corpori non repugnat, vt substat potentiæ obedientiali. Ad 2. negatur paritas assumpta de Angelo, & corpore, Angelus enim esse nequit in loco diuisibiliter, quia extensio rei in loco supponit extensionem rei in se sicut vniuersaliter actus secundus supponit primum, at non ita necessarium est, id, quod est extensum in se, debere etiam esse actu extensum in loco, quia nec semper necessarium est, actum secundum esse coniunctum actui primo. Ad 3. duplex est figura, intrinseca, & extrinseca, illa attenditur penes ordinem partium in toto, & adinuicem, ista penes ordinem partium in loco, & est corpori accidens per accidens, ac proinde ab ipso separabilis, illam verò semper retinet etiam existens in loco indiuisibiliter.

123 Quintò ad idem, quia si ita poneretur corpus in loco, plura sequerentur absurda; primò, quòd in tali statu posset diuidi in omnem suipartem simul, & semel, cùm enim sit intrinsecè diuisibile, potest à Deo diuidi, & cùm indiuisibiliter existat, non est maior ratio, cur ex vna parte diuidatur potius, quam ex alia. Secundò quòd omnes corporis partes æquè distarent ab inuicem, essent enim omnes æquè præsentes indiuisibili puncto loci, atque ita singulæ essent adinuicem confusæ; quod est contra naturalem compositionem corporis. Tertiò demum sequeretur, corpus illud in tali casu infinitas habere præsentias, quarum singulæ sint per se perfectæ, & integræ, itavt vna ab altera non dependeat, tot enim sunt partes, & indiuisibilia loci, quibus constituitur præsens, & cum possit manere præsens vni parti, definendo esse præsens alijs, sequitur, vnam præsentiam ab alia non dependere, sic autem pars æquaretur toti, illa enim tota, & totalis præsentia, qua corpus per totum locum diffunderetur, v.g. Christi corpus per totam hostiam, vtique ex illis infinitis præsentijs ad singulas loci partes terminatis componeretur, & cùm singulæ ponant totum Christi corpus in loco, vt illa totalis, iam pars æquabitur toti.

Resp. neg. sequelam; non sequitur primum absurdum, cùm enim diuisio continui in omnes suas partes repugnet, nec etiam à Deo fieri posset in corpore in tali statu existente, vtique fieri posset diuisio in has, vel illas partes destruendo eorum terminos continuatiuos, non tamen in omnes simul, & fieret diuisio in illas partes, quas Deus determinaret. Neque sequitur secundum absurdum; quamuis enim omnes illius corporis partes essent confusæ in loco, quatenus singulæ sunt in eodem puncto loci compenetratæ, adhuc tamen inter se seruarent ordinem, & distantiam entitatiuam, quatenus pes non esse capiti immediatè coniunctus, & etiam quantitatiuam, quatenus adhuc singulæ partes natæ sunt occupare suapte natura distinctum locum, & situm, & hoc sufficit ad naturalem corporis quanti constitutionem, distantia enim situalis partium ab inuicem est penitus corpori accidentalis. Nec tandem tertium sequitur absurdum; ratio communiter reddi solet, quia haberet tunc corpus infinitas illas præsentias solum in potentia, sed vnam tantum in actu, sicut modo de facto Christus est in hostia semel in actu, & infinities in potentia, vnde consumpta vna parte hostiæ, statim fit in actu præsentia corporis Christi perfecta ad residuum, quæ prius tantum erat in potentia.

124 Sed hæc respon. admitti non debet ex dictis supra qu. 5. art. 2. hinc enim sequeretur quotiescunque consumitur aliqua particula hostiæ; & cessat Christus esse illi præsens, detinere etiam præsentiam illius ad alias, cum ponatur Christus esse præsens toti hostiæ, & singulis eius partibus per vnicam numero præsentiam, quemadmodum ibi arguebamus de præsentia Angeli in loco, & vnione animæ ad corpus, quod tamen est falsum, nunquam enim cessauit Christus esse præsens alijs pertibus, nec amittendo præsentiam ad hanc partem, amittit præsentiam actualem ad alias, & aliam de nouo acquirit, quia illis adhuc præsens remaneat, sed semper eis manet actu præsens sine vlla penitus interruptione, quousque manent. Quamuis igitur concedatur Christum esse semel in tota hostia, sicut, & Angelum in suo loco adæquato, & animam in corpore, quatenus non est ibi per iteratas totius sui esse replicationes, sed per vnam dumtaxat, & quasi continuam totius sui esse diffusionem, vt superius explicatum, est non tamen est ita semel ibi scilicet in tota hostia, & singulis eius partibus; ac punctis, vt per vnicam præsentiam actualem his omnibus constituatur præsens, vt videtur communis nimium sensus, sed est ita ibi per totam hostiam diffusus, & omnes eius partes proportionales per tot præsentias, quot sunt illæ partes, ac indiuisibilia, quarum præsentiarum infinitas in proposito non facit nouam difficultatem, & ab ea diuersam, quæ fieri solet de infinitate partium continui, vnde dissolui debet, sicut & illa, illa verò totalis præsentia, qua Christus dicitur toti hostiæ præsens, & singulis eius partibus, in eo sensu dici debet compeni ex alijs præsentijs ad partes hostiæ terminatis, quatenus non est nisi tota aggregatio illarum, ratione cuius dicitur Christus totus, & totaliter hostiæ præsens, quod nequit sibi conuenire ratione a icuius illarum singillatim, per eam enim vtique totus constitueretur in illa parte hostiæ, ad quam terminatur, non tamen totaliter, nec tandem ex hoc sequitur singulas harum præsentiarum toti aggregationi illarum adæquari, & ita partem toti, quia licet singulæ illarum sint totales ex parte subiecti, quatenus per singulas totus Christus constituitur præsens, non tamen sunt totales ex parte termini quia singulæ non terminantur ad totum locum, scilicet hostiam, sed ad singulas illius partes, ac proinde per singulas dicitur solum totus in hostia, non autem totaliter.

125 Dicimus 3. non implicare idem corpus à Deo poni in pluribus locis adæquatis etiam modo circumscriptiuo. Concl. est contra Doctores cit. initio quæst. qui licet admittant, idem corpus esse posse in pluribus locis adæquatis in vno circumscriptiuè, in alijs definitiuè tantum ad saluandum Eucharistiæ Sacramentum, negant tamen poni posse in omnibus circumscriptiuè; & Prob. 1. ex quibusdam apparitionibus Christi factis Paulo Damascum petenti, & Petro Romam deferenti: quibus in casibus non videtur satis Scripturæ consonum, Christum deseruisse Cælum, quamuis id concedant Complu. cum D. Thom. 3. par. qu. 57. art. 6. Nam ex Scriptura habemus, Christum non relicturũ Cælum corporaliter, nisi in die Iudicij, Actor 3. *quem oportet Cœlum suscipere vsq; in tempora restitutionis omnium*, & Aug. confirmat relatus de consecr. dist. 2. cap. 1. Hęres. *donec finiatur sæculum sursum est Dominus*. Nec satisfacit, quod aiunt Complut. inconueniens non esse in illis casibus per breuem morulam Christum reliquisse Cœlum, Scripturas verò, & PP. solum intendere Christum ante iudicium non recessurum à Cœlo per spatium temporis notabile. Nam neque in die Iudicij Cælum relinquet, nisi per breuem morulam, in qua fiet iudicium, ergo allata explicatio non ad sensum Scripturæ, & PP. Nec minus dici potest, tales apparitiones fuisse imaginarias, vt solent Aduers. respondere de multis alijs SS. apparitionibus in diuersis locis. Quia præfatæ apparitiones Christi enumerantur à D. Paul. 1. ad Corint. 5. inter eas, quę confirmant veritatem resurrectionis Christi, ergo vera fuit, & realis, non imaginaria solum.

126 Deinde probat Scot. ratione, quia potest constitui corpus pluribus in locis modo inextenso, & indiuisibili eius naturæ naturaliter repugnanti, ergo tanto magis poterit constitui in pluribus locis sub modo extenso, qui est ei connaturalis, quia hoc est minus miraculum illo, nam hic vnum tantum interuenit miraculum, expoliatur enim corpus modo naturali definitiuo, per quem ex vi potentiæ naturalis ita ad vnum locum limitatur, vt simul in alio esse nequeat, ibi verò expoliatur, nedum hoc modo connaturali definitiuo, sed etiam circumscriptiuo, & planè difficilius est explicare, quomodo corpus diuisibile, & extensum possit esse in pluribus locis modo spirituali, & inextenso, vt patet ex Conclus. præc. quam quod possit esse in pluribus locis modo extenso, & diuisibili. Nec valet responsio Compl. hoc secundum difficilius esse, quia contradictoria sequerentur, quæ non sequuntur ex primo. Nam falsum est, vllam ex hoc contradictionem sequi, vt mox patebit ex solutione rationum. Hinc deducit Bass. & Rub. 4. d. 10. q. 4. art. 2. concl. 3. Aduersarios tanto magis fuisse negaturos possibilem esse replicationem corporis spiritualem in pluribus locis, nisi fidei mysterium obuiasset, eorumq. intellectus captiuasset.

Resp. Compl. neg. paritatem, quod enim corpus sit in duobus locis, in vno per proprias dimensiones, & in alio Sacramentaliter ex vi conuersionis alterius in ipsum, vt est de corpore Christi, quod est in Cælo ratione propriæ dimensionis, & in Sacramento ex vi conuersionis substantiæ panis in ipsum, nulla est implicantia, implicat tamen, quod quantitas, quæ est ratio occupandi vnum locum, sit simul ratio occupandi alium. Contra arguit Doct. litt. E. conuersio alterius in istud non est isti formaliter ratio essendi hic, quia transeunte conuersione manet terminus conuersionis hic, ergo sine aliqua contradictione potest alicui conferri esse hic, sine conuersione aliqua alterius in ipsum, & potuit Sacramentum Eucharistiæ institui absque eo, quod desinere substantia panis, vt probat Doctor 4. distinct. 11. quæstione 3. Et falsum est, quantitatem esse rationem essendi in vno loco tantum, quamuis enim id verum sit de Vbi, hoc enim est determinata ratio formalis essendi hic, vel ibi, tamen quantitas

titas est de se indifferens ad occupandum hunc, vel illum locum, & sicut naturaliter potest fundare plures præsentias successiuè ad diuersa loca, ita supernaturaliter potest illas fundare simul, nec ad multiplicationem posterioris sequitur necessariò multiplicatio prioris.

127 Respond. Mas. quod species derelicta post conuersionem est corpori Christi ratio existendi in hostia, vnde in Cælo est circumscriptiuè per proprias dimensiones; in Sacramento autem per alienas, scilicet per dimensiones hostiæ consecratæ, in quo nulla cernitur implicantia. Contra arguit Doct. ibidem, & quol. 10. I. species illa; seu dimensio hostiæ non est formaliter in corpore Christi, ergo non est ratio corporis Christi essendi formaliter in loco, sed corpus Christi est formaliter præsens, ergo per aliquid aliud, quam per conuersionem, vel speciem conuersi. Tum quia si dimensio hostiæ esset ratio formalis corpori Christi essendi in Sacramento, tunc esset in Sacramento dimensiuè, & modo extenso, nam dimensio nequit esse ratio essendi in loco indiuisibiliter, & inextensè. Tum etiam quia esto sit necessarium, corpus existens in pluribus locis existere in illis per diuersas præsentias falsum tamen est debere existere per diuersas dimensiones, cum vna, & eadem dimensio possit plures præsentias fundare.

Resp. proinde aliter Complut. quod præsentia quantitatiua conuenit corpori Christi in Cælo ratione propriæ quantitatis, at verò præsentia Sacramentalis conuenit illi ratione suæ propriæ substantiæ, non qualitercumque, sed quatenus substantia panis conuersa est in substantiam corporis Christi, vnde conuersio est ratio causalis, & substantia ratio formalis, cur sit præsens in hostia. Contra substantia corporis Christi in hostia non est sine quantitate, nam licet ibi non sit quantitas ex vi conuersionis, adest tamen ratione concomitantiæ, ergo si substantia corporis Christi quanta potest recipere Vbi inextensum, & indiuisibile præter Vbi extensum, quod habet in Cælo tanto magis potuisset recipere aliud Vbi extensum, & diuisibile, cum hic sit modus illi connaturalis, non autem ille.

Demum ex eo probatur, quia vt notant Bassol. & Rub. citat. ibidem nulla afferri potest instantia contra replicationem circumscriptiuam corporis pluribus locis, quæ æquè benè non militet contra definitiuam, & sacramentalem corporis Christi, vt patet ex rationibus contra preced. conclus. allatis, & magis patebit adhuc ex dicendis; qua de causa præsertim factum est, vt modò sententia Scoti sit ferè omnibus accepta.

Retorquentur, & soluuntur implicantiæ contra replicationem circumscriptiuam corporis.

128 IN oppositum arguunt Complut. 1. De ratione loci circumscriptiui est, quod intra se comprehendat locatum, ac proinde quod sit adæquatus respectu illius, ergo implicat locatum comprehendi ab illo loco, & simul esse extra illum. Nec respondere valet, hanc comprehensionem circumscriptiuam importare tantum, quod totum locatum sit intra terminos loci totum in toto, & pars in parte, quod certè reperiretur, etiamsi ab vtraque loco ambiretur. Nam contra instatur, quia non vtcunque continetur locatum à loco, sed tanquam à termino intra quem est, sed id, quod continetur in aliquo tanquam intra terminum, implicat, quod sit extra illud, ergo &c. Maior patet ex 4. Physic. 41. vbi locus dicitur terminus extrinsecus, & extremitas locati, minor patet ex 5. Metaphysicor. capitul. de extremo, vbi ab Aristot. definitur, quod sit id, extra quod nihil rei possumus vsurpare.

Resp. hanc implicantiam etiam militare contra præsentiam Sacramentalem corporis Christi, nam etiam Christi corpus est circumscriptiuè in Cœlo, ergo nullo prorsus modo esse poterit alibi, quia tunc extra illum locum aliquo modo foret; parum enim refert, quod sit extra illum, hoc vel illo modo, diuisibili, scilicet vel indiuisibili; facit etiam contra replicationem definitiuam Angeli, & ideò adducta est à nobis contra præced. conclus. nam vt patet ex dictis, superficies, infra quam continetur Angelus, est terminus, & extremitas substantiæ Angeli contentæ, non minus quam corporis. Complut. num. 85. inquiunt, non concludere contra Sacramentalem, quia locus circumscriptiuus exhaurit virtutem locabilem, quam habet corpus ratione quantitatis, cum sit terminus eius secundum istam rationem considerati, non verò virtutem quam habet corpus ratione quantitatis, cum sit terminus eius secundum istam rationem considerati, non verò virtutem quam habet ad essendum in pluribus locis ratione conuersionis alterius substantiæ in ipsum. Sed frustra laborant, quia vt diximus conuersio panis in corpus Christi non est ratio formalis, cur corpus Christi sit in Eucha. sed ad summum causalis, sed præsentia Sacramentalis conuenit illi ratione suæ propriæ substantiæ vt ipsi fatentur numer. 80. ergo cum illa eadem substantia intra locum circumscriptiuum contineatur in Cœlo, non poterit, per præsentiam alterius rationis, extra illum constitui. Et cum dicunt, locum circumscriptiuum exhaure virtutem locabilem corporis, aut id intelligunt absolutè, aut de virtute locabili modo tantum circumscriptiuo; si primo modo, ergo locus erit ita terminus rei locatæ, vt nullo prorsus modo possit alibi existere; si secundo modo, vt insinuant, hæc est manifesta petitio principij, nam est id, quod quæritur, an locus circũscriptiuus ita sit terminus rei locatæ, vt extra illum esset nequeat per præsentiam eiusdem rationis.

129 Resp. ergo, de ratione comprehensionis localis esse, vt contineatur totum quod comprehenditur intra ambitum loci, ita quod nihil sit illius, quod sub comprehensione non contineatur, non tamen impedit, quin idem totum possit etiam simul ab alio comprehendi, vt patet ex obiecto, quod comprehensum per vnam cognitionem potest etiam per alterius cognitionem comprehendi. Et cum inquiunt, locum esse terminum rei locatæ, & de ratione termini esse non solum, quod comprehendat rem terminatam, sed etiam quod nihil eius sit extra illum; dicimus, locum esse terminum rei locatæ in hoc sensu, & extremitatem eius secundum eam præsentiam, quæ ipsum respicit, vnde si corpus est Romæ, locus ita terminat corpus per Vbi Romanum, vt ex vi illius nequeat esse alibi, hoc non impedit quin alibi esse possit per aliam numero præsentiam, etsi eiusdem rationis, & sicut licet aduersarijs explicare definitionem Aristo. quod locus sit terminus, & extremitas rei locatæ quantum ad præsentiam vnius rationis, scilicet circumscriptiuè, non quantum ad omnem absolutè, ita quoque licebit nobis explicare, quod intelligatur quantum ad illam præsentiam circumscriptiuam, quæ ipsum respicit, non verò quantum ad cæteras omnes eiusdem rationis, quod si contendant, Aristot. intelligere, quod locus sit terminus rei locatæ quantum ad omnem circumscriptionem possibilem, itaut aliam simul habere nequeat, nos ingenuè totum concedimus, immo non solum hoc, sed putamus, sensum Aristot. fuisse, quod locus sit ita terminus rei locatæ, vt nec præsentiam eiusdem rationis, nec alterius possit simul esse alibi, quia Aristotel. non agnouit potentiam Dei absolutam, vnde Aristotel. auctoritas æquè militabit contra nos, & illos; quare absolutè dicendum erit locum esse terminum rei locatæ, quatenus debet totam rem locatam intra se claudere, non verò quia non possit eadem res simul alio loco contineri.

Secundò, quantitas ratione suæ essentiæ, & intrinsecæ entitatis est prima, & principalis ratio, per quam corpus redditur formaliter aptum ad extensionem, & præsentiam localem, ergo si semel vna quantitas non potest naturaliter loquendo reddere substantiam idoneam ad duplicem extensionem, & præsentiam localem, neque etiam id poterit in ordine ad diuinam potentiam, ac proinde de ratione loci circumscriptiui erit, vt ita finiat, & exhauriat virtutem repletiuam, quam habet vnum corpus quantum vt implicet esse simul extra illum in alio loco, prima consequ. patet, nam effectus proueniens ab aliqua forma, vt à causa formali principali, causatur ab illa ratione naturæ virtutis eius, vnde vel non potest causari ab illa, vel causatur per naturalem virtutem eius, & consequenter naturaliter.

130 Resp. hoc argumentum Complut. manifestè destruere potentiam obedientialem in rebus, vel saltim confundere vnam cum alia, dum id, quod rei non conuenit naturaliter, negat etiam conuenire posse per diuinam potentiam, vnde in multis posset afferri instantia; nam qualitas non potest naturaliter in infinitum augeri, benè tamen per potentiam diuinam, & quantitas in proposito in locante est ita ita ratio locandi actiuè, sicut in locato passiuè, atque ideò sicut quia vna quantitas, quia non potest naturaliter reddere corpus locabile duplici præsentia locali, ideò nec fieri potest per potentiam diuinam, sic à pari, quia naturaliter nequit reddere corpus locans contentiuum duplici continentia simul, id etiam fieri non poterit per potentiam Dei, nec consequenter duo corpora in eodem loco; Distinguenda igitur est in rebus potentia naturalis ab obedienciali, vt sæpius diximus, non quidem entitatiuè, sed in ordine ad agens, & dicendum, multa conuenire posse illis ratione potentiæ obedientialis, quæ non conueniunt ratione naturalis, quia per illam comparatur ad agens illimitatum, per istam verò ad agens limitatum; neque istæ potentiæ repugnant ad inuicem, quia sunt vna potentia ad diuersa comparata, nec quæ conueniunt rei ex vi potentiæ obedientialis, dicuntur repugnare, vel esse contra naturam illius, eo quia non conueniunt secundum potentiam naturalem, quia non dicitur potentia naturalis, quasi ita determinatè petat, & absolutè postulet ipsa natura rei, sed quia ita petit in ordine ad agens naturale, absolutè tamen est indifferens ad hoc, & illud, & ideò quæ conueniunt rei ex vi potentiæ obedientialis dicuntur supra naturam rei, non contra naturam, & sic in proposito ex vi potentiæ naturalis petit corpus vnam circumscriptionem tantum, sed ex vi obedientialis potest habere plures; ex quo non sequitur, hanc pluralitatem repugnare naturæ quantitatis, quia potentia non dicitur naturalis, quia sic absolutè postulet natura rei, sed quia ita postulat, vt subest actioni agentis naturalis.

131 Tertiò, si vnum corpus per proprias dimensiones posset esse in duplici loco circumscriptiuo, ergo eadem ratione posset esse in omnibus, ergo posset esse vbique, & immensum, quod implicat. Nec respondere valet, corpus illud non fore immensum, quia id non haberet ex vi suæ essentiæ, & independenter ab alio, & per vnicam præsentiam, quæ omnia requiruntur ad immensitatem. Nam contra arguunt Complut. ex eo quod aliqua creatura posset tanquam causa principalis, licet per participationem à Deo, producere aliquid ex nihilo, vel effectus secundum essentiam perfectiores vsque in infinitum, optimè colligitur illam esse, & non esse creaturam, habere, & non habere omnipotentiam, ergo ex hoc, quod aliquod corpus habeat à Deo tanquam à causa efficienti, & à sua quantitate tanquam à causa formali, & principali virtutem repletiuam in actu primo omnium locorum, & actu

actu sit vbique, rectè inferemus, tale corpus esse, & non esse immensum.

Resp. hanc implicantiam etiam militare contra replicationem sacramentalem corporis Christi, & definitiuam Angeli, & quamuis Complut. nu. 86. conentur assignare disparitatem, quia corpus Christi non est in pluribus hostijs per eandem rationem essendi in loco, quia cum sit ibi ex vi huius numero conuersionis tantum esse potest sub his speciebus, & non sub alijs, & ex vi alterius sub alijs, & non sub istis, quare ratio essendi in pluribus non est vnica, & eadem, sicut esset, si poneretur in pluribus locis ratione propriarum dimensionum; tunc enim ratio illa repletiua loci haberet in ratione virtutis locabilis infinitatem. Sed iterum frustra laborant; tum quia conuersio est tantum ratio causalis, non autem formalis, cur corpus Christi sit præsens in hostia, vt dictum est, nam præsentia sacramentalis etiam secundum ipsos num. 80. conuenit illi ratione suæ propriæ substantiæ, ergo cùm hæc sit eadem ratio essendi in pluribus, inferret immensitatem; tum quia etiam si conuersio esset ratio formalis essendi in Sacramento, tamen substantia corporis Christi antecedenter habet, vt possit locari in pluribus, & pluribus locis ex vi conuersionis alterius in ipsam, atque ita hæc virtutis erit infinita in actu primo; tum quia si in replicatione sacramentali corporis Christi euitatur immensitas, quia non est in hac, & illa hostia, ex vi eiusdem conuersionis, sed ex vi huius, & illius, ita euitabitur in replicatione circumscriptiua, quia non erit in hoc, & illo loco ex vi eiusdem præsentiæ, sed diuersarum, & licèt esset per eandem quantitatem, vt per rationem fundamentalem, tamen in ratione virtutis locabilis, & repletiuæ non haberet infinitatem, sicut requirit immensitas, quia non peteret necessariò esse in omnibus, sed ita indifferens foret ad esse in vno, sicut in pluribus, immo de facto etiam cùm quantitas possit esse ratio essendi in infinitis locis successiuè, possemus arguere in ipsa infinitatem, & si dicant, ad hoc requiri etiam simultatem, dicimus, hoc esse verum, quando hæc exigeretur ex vi ipsius quantitatis, sicut eam requirit diuina immensitas.

132 Resp. igitur, negando conseq. nam sicut per ipsos Complut. disp. 29. ex eo, quòd corpus creatur ab æterno, non participat æternitatem Dei, quia & si repleret totum spatium durationis imaginariæ, tamen id ei non conueniret ex principijs intrinsecis sed merè contingenter, ita in proposito quamuis repleret infinitum spatium loci, eadem ratione immensum dici non posset, nec infinitas posset in ipso inferri, sed tantum indifferentia quædam, & indeterminatio ad illa Vbi ex vi potentiæ obedientialis; Ad impugnationem Complut. negatur paritas de potentia creatiua, & repletiua loci, nam potentia creatiua est virtus actiua, & ideò si eadem sufficit ad producendos effectus perfectiores, & perfectiores in infinitum, arguitur in ea infinitas, sed potentia repletiua loci in corpore est merè potentia passiua ad plura, & plura Vbi recipienda, quæ nullam dicit perfectionem, vt notat Lychet. 3. d. 1. q. 2. vnde, etsi per eandem quantitatem esset corpus in pluribus locis, non proindè deberemus in ipsa arguere infinitatem, sed tantum indifferentiam, & indeterminationem ad vnum, vel plura Vbi, quòd si paritas admittatur, non minus demonstrabit, creaturam non posse infinitum spatium locale replere, quàm infinitum spatium durationis, quod est contra ipsos, tenentes, quòd creatura potuit esse ab æterno.

133 Quartò si corpus idem posset esse circumscriptiuè in pluribus locis esset diuisum, & indiuisum à se ipso, quod implicat. Nec respondere valet, quod diuideretur à se localiter, non autem entitatiuè. Nam instant Complut. tum quia nequit multiplicari effectus formalis, quamuis sit secundarius, quin multiplicetur forma, quia posterius à priori dependet, at extensio, & præsentia quantitatiua est effectus formalis quantitatis secundarius, ergo nequit multiplicari talis extensio, & præsentia immultiplicata manente quantitate, & consequenter immultiplicato corpore, ergo multiplicatio locorum circumscribentium arguunt diuisionem in re locata, non tantum localem, sed etiam entitatiuam; tum quia sicut se habent principia essentialia rei naturalis ad constitutionem specificam eiusdem, ita quantitas ad constituendam rem aptam, vt sit in loco, sed implicat, quòd sine multiplicatione principiorum essentialium constituantur res in multiplici specie, ergo etiam repugnabit, quòd sine multiplicatione quantitatis sit corpus locabile in multiplici loco circumscriptiuo. Hanc eandem implicantiam vrgent Io. de S. Tho. & Manca, quia corpus positum in duplici loco haberet duplicem superficiem terminantem, quæ possent se tangere, ergo iam erunt duo corpora, non vnum, quia ex diuersitate quantitatum arguitur diuersitas corporum, qua ratione inquiunt non impugnari per hanc implicantiam replicationem sacramentalem corporis Christi, quia est in hostia indiuisibiliter sine vlla extensione ad locum, & ita sine vno cõtactu ad alia corpora.

Resp. hanc implicantiam pariter impugnare replicationem sacramentalem corporis Christi, & definitiuam Angeli, & ideò eam adduximus contra præcedentem conclus. immo si ex vnitate, & multiplicitate loci arguere valet vnitatem corporis, & diuersitatem, neque duo corpora esse possent in eodem loco; immo non solùm pluralitas locorum non obest vnitati entitatiuæ corporis, quæ omne accidens præcedit, sed nec etiam pluralitas quantitatum, nam facere posset Deus, quòd duæ quantitates informent idem corpus. Et quando inquiunt Complut. non valere hanc implicantiam contra replicationem sacramentalem, quia non est eadem ratio existendi in pluribus locis, sicut eueniret, si esset in illis secundum proprias dimensiones; Hoc non tollit paritatem; tum quia falsum est, vt diximus, conuersionem esse rationem formalem, cur Christus sit in hostia præsens; tum quia quamuis esset ratio formalis, adhuc tamen ipsa substantia Christi esset res locata sacramentaliter in pluribus locis; quare si hoc contingere potest de substantia absque diuisione entitatiua à seipsa, hoc idem contingere poterit de ipsa quantitate, quòd possit poni in pluribus locis, vel per purificationem præsentiarum in ea, vel per conuersionem alterius quantitatis in ipsam, & planè hæc paritas de quantitate, & substantia in ordine ad locum valde conuincit, quia nequit assignari ratio, cur possit substantia eandem in pluribus replicari locis, non autem quantitas sine distinctione entitatiua à seipsa.

134 Resp. ergo, vt ibi, quòd ex distinctione, & diuisione locali, qualiscunque sit, diuisionem entitatiuam colligere non licet, quia eadem res potest esse in pluribus locis, & per eandem rationem fundamentalem in omnibus, licèt non formalem; & ad primam impugnationem neg. maior cum probatione, immo quia posterius dependet à priori, & non è contra, cum vnitate prioris stat multiplicatio posterioris, & de facto videmus extensiones, & præsentias quantitatiuas multiplicari successiuè in eadem numero quantitate, dum idem corpus per eandem quantitatem locatur modò in hoc, modò in illo loco, cuius ratio est, quia hæc & illa extensio est effectus secundarius quantitatis inadæquatus, Ad alteram impugnationem neg. etiam paritas, nam eadem differentia essentialis non potest esse ratio naturæ essendi nisi in determinata specie; at quantitas non constituit rem aptam, vt sit tantum in isto loco, sed indifferenter, vt sit in hoc, vel in illo ex vi potentiæ naturalis, & indifferenter, vt sit in vno; vel pluribus ex vi potentiæ obedientialis. Ad eandem implicantiam vt ab alijs Thomistis vrgebatur neg. conseq. nam corpus in duplici loco positum non haberet duplicem superficiem, sed eandem replicatam, an verò illud corpus sibimet accedens diceretur sibi continuum, vel contiguum, patebit ex dicendis in fine quæstionis; & adhuc hæc implicantia impugnat replicationem sacramentalem, quia licet corpus Christi sit ibi modo indiuisibili, adhuc tamen est ibi verè cum tota sua quantitate, quam habet in Cœlo, & verè dici poterit quantitas corporis Christi in hostia diuisa, & discontinuata à seipsa in Cœlo, quia interponitur corpus medium, vt arguit Io. de S. Tho. de corpore replicato in pluribus locis circumscriptiuè.

Quintò objicitur. Tum quia impossibile est, multiplicari occupationem loci non multiplicata ratione occupandi locum, sed hæc non multiplicatur, cum quantitas eadem supponatur. Tum 2. non potest quantitas esse extensa in loco, nisi priùs sit extensa in se, ergo non potest esse bis extensa in loco, nisi bis sit extensa in se, quod non potest vni, & eidem quantitati conuenire. Tum 3. occupatio loci, licèt sit effectus formalis secundarius quantitatis, tamen est adæquatus, sed implicat ab vna forma esse plures effectus formales adæquatos. Tum demum si per eandem quantitatem potest esse simul corpus in pluribus locis, sequitur, idem esse æquale maiori, & minori, & consequenter æquale, & inæquale sibi, quod implicat, patet sequela, quia locatum est æquale loco, ergo existens in duobus locis, erit æquale vtrique simul, qui est duplò maior quouis seorsum, & eadem ratione sequitur, partem esse maiorem toto, supposito, quòd pars constituatur in loco ampliore, quàm totum.

135 Resp. ad 1. maiorem valere de ratione formali occupandi locum, qualis est Vbi circumscriptiuum, non de fundamentali, quæ est quantitas, hæc enim vna, & eadem manens, potest esse ratio occupandi loca diuersa, fundando diuersas præsentias, & id contingit naturaliter successiuè. Ad 2. negatur consequentia, quia non est necesse multiplicari prius ad multiplicationem posterioris, & ideò cum extensio quantitatis in se sit prior extensione locali eiusdem, veluti fundamentum eius, potest illa vna, & eadem numero manens fundare plures istas. Ad 3. neg. assumptum, quod hæc, & illa occupatio loci fingillatim sumpta sit effectus adæquatus quantitatis, sunt enim inadæquati, atque ideò plurificabiles successiuè per potentiam naturalem, & simul per diuinam. Ad 4. posset retorqueri illa implicantia contra penetrationem duorum corporum in eodem loco, sicut enim locatum est æquale loco, ita locus locato: neg. igitur sequela, quia corpus v.g. palmare non æquatur loco bipalmari semel sumptum, sed bis replicatum, & loco quadripalmari quater replicatum, in quo sensu palmus adæquat vlnam panni octies replicatus, neque in hoc vllum cernitur absurdum. Nec etiam sequitur, partem excedere totum, etsi in loco ambiore constituatur; tum quia corporum magnitudo attenditur penes ipsa semel sumpta, & non replicata; tum quia ex hoc solùm sequitur, partem habere maius Vbi, quam totum, non autem maiorem quantitatem in se; sicut è contra si Deus reduceret brachium per compenetrationem ad locum digiti, non propterea dicemus, brachium non habere maiorem quantitatem digito, sed solùm non habere maiorem locum.

136 Sextò, hinc multa sequerentur mirabilia, & paradoxa; 1. Eundẽ hominem posse magnum exercitum conficere, & secum choræas ducere, & sibi ipsi occurrere, quo casu difficile est diuinari, an seipsum expel-

expelleret, vel potius semetipsum penetraret. 2. Posset virtute propria de loco ad locum moueri, & ita à pluribus locis discedens plures præsentias simul acquirere posset virtute propria, quod est impossibile, quia pluralitas præsentiarum simul vires naturales excedit, & hoc valdè exaggerat. Vasq. 3. Posset eadem gutta aquæ toties replicari, vt vniuersam terram inundaret, atque ita totus Orbis in vnica gutta submergeretur, & super illam solam committi posset nauale bellum. 4. Adhuc difficile est explicare, quomodo fieret replicatio istius guttæ, vel alterius corporis, vel enim replicarentur ita in loco sibi immediato, vt sibi ipsi continua esset, vel contigua, & neutro modo videtur fieri posse; non primo modo, quia continuatio est diuersorum non solum secundo modo, quia illa dicuntur contigua, quæ habent diuersa indiuisibilia terminantia, & hic sunt eadem indiuisibilia ipsius guttæ. Et alia demum innumerabilia sequerentur, quæ quisque ad libitum cogitare potest.

Resp. Doctor, hæc omnia puerilia esse, & imaginationem sensui innitentem sequentia, qui assuetus est corporibus in vno duntaxat loco existentibus, at si rationem attendamus, facilè omnia intelliguntur; ad hoc autem maximè obseruanda est tertia Scoti propositio, quam supra retulimus n. 121. per replicationem scilicet præsentiarum non augeri virtutem actiuam rei locatæ, nec intensiuè, nec extensiuè; & ideò ad primum, si homo toties replicetur, vt integrum conficiat exercitum, non indè acquireret maiorem virtutem, sed solùm maiorem locum; posset insuper choræas ducere, & sibi ipsi occurrere, ait Doct. & in tali casu si Deus adhuc ipsum conseruare vellet in pluribus locis, seipsum expellet, neque hoc est inconueniens; tum quia tunc se habet per modum plurium; tum quia illa actualis expulsio non tam fieret ratione quantitatis, quàm ratione illarum duarum præsentiarum, quæ habebant constituere rem in loco cum actuali impenetratione ex suis rationibus formalibus; tum tandem quia etiam ratione ipsius quantitatis fieret expulsio, si homo ille occurreret sibi secundum diuersas partes impenetrabiles, parte nimirum dextra occurrente sinistræ, quia huiusmodi partes, etiam cùm in vno loco existebant; se penetrare non poterant. Si autem nollet Deus hominem illum amplius conseruare in pluribus locis, non propterea dicemus, seipsum penetrare, quia penetratio propriè est diuersarum quantitatum, sed vnum Vbi amittere, alterum tantum retinendo iuxta Dei beneplacitum. Ad 2. Hurt. disput. 16. sect. 5. §. 47. Ariag. disput. 14. num. 129. & Fuent. 4. Phys. diff. 5. art. 3. ad sextum negant, corpus replicatum in pluribus locis moueri amplius posse virtute propria, sed moueri debere nouo influxu virtutis diuinæ, attamen cum Doct. loc. cit. concedi potest, vt facit Auersa, & Io. de Lugo disp. 5. de Sacr. Euchar. n. 30. quòd supposita priori replicatione illius à Deo facta in pluribus locis, potest virtute propria adhuc moueri ab vno loco in alium, hoc enim non videtur denegandum eius virtuti naturali, supposito priori miraculo, cuius ratio est, quia talis replicata præsentia non foret supernaturalis secundum substantiam, sed tantum secundum modum, quatenus est simul cum alia eo modo, quo cæcus vtique naturaliter visionem attingere nequit, at si à Deo visum recipiat, potest supposito illo miraculo eam naturaliter attingere absque nouo miraculo. Et tunc dicendum, quòd sicut si Deus faceret vacuum, posset vtique mobile aliquod ab vna parte spatij in aliam moueri virtute propria, nec propterea diceretur facere vacuum deferendo locum, quem replebat, sed Deus, qui non finit alia corpora subingredi ad illud spatium replendum; ita in proposito licet præsentia, quam de nouo acquireret corpus replicatum in pluribus locis, virtuti propriæ eius deberet attribui, cum naturalis sit secundùm substantiam, simultas tamen eius cum alia præsentia deberet in Deum refundi, qui dum corpus istud mouetur de loco ad locum, vult adhuc illum conseruare in alio loco; Aduertendum tamen, hoc argumentum, quod tanti facit Vasq. procedere etiam in replicatione, & præsentia spirituali Angeli.

137 Ad 3. conceditur, guttam aquæ posse omnia animalia submergere, quia hoc fieri potest sine augmento actiuitatis aquæ replendo solùm guttur animalis, ita vt aerem attrahere nequeat, hoc enim solùm sufficit ad animalis submersionem, vt notat Doct. loc. cit. at non ita facile concedi debet, super eam replicatam fieri posse nauale bellum, quia hoc, quod est aquam sustentare nauim, videtur in ipsa arguere virtutem quandam actiuam, vel potius sustentatiuam, quòd si hoc minus fieri posse sine tali virtute per solam repletionem maioris spatij, id pariter concedendum foret. Qua etiam ratione concedendum est, totam hanc colluuiem ex vna sola gutta aquæ coagmentatam, totumque mundum inundantem posse sine vllo labore portari, quia ampliato loci non auget pondus eius; sic etiam si lapis sæpiùs replicaretur, & ex ipso solo sibi immediatè pluries collocato turris fabricaretur, vel tota Ciuitas; posset homo illam portare turrim, & totam Ciuitatem eadem prorsus facilitate, qua lapidem illum non replicatum portaret ob eandem rationem. Ad 4. in his casibus nec gutta, nec lapis esset propriè sibi ipsi continuus, vel contiguus, sed immediatus secundum præsentiam. Sed dices; dato casu, quòd hæc immediatio sit talis, vt corpus tangat seipsum secundum eandem partem, quia talis casus impossibilis non est, data hanc sententia tunc sequitur, idem indiuisibile bis poni eodem loco, quod falsum esse diximus quæst. præced. quia idem non potest bis replicari in eodem loco. Resp. quòd sicut Doctor ait de corpore replicato se mouente cum peruenerit ad illud Vbi, in quo se reperit, vel expulsurum se de illo loco, si Deus vult illud conseruare in pluribus locis, vel si non vult, desinere vnam illarum præsentiarum, quia vnius locati ad vnum locum non nisi vnica potest esse præsentia, sic in proposito dicendum est de indiuisibili corporis, quod cùm peruenerit ad illud Vbi, in quo seipsum reperit, cùm indiuisibilia non se expellant, desinit vna præsentia ad vnum locum altera sola remanente.

QVÆSTIO IX.

Qua actione poneretur res eadem in pluribus locis, & num in omnibus easdem formas haberet, & affectione.

138 DVas habet partes quæsitum præsens, prima querit de modo, quo corpus, vel Angelus poneretur à Deo in pluribus locis, an id fieret per simplicem adductionem producendo plura Vbi in eadem re, & eam accidentaliter replicando in pluribus locis, an potius per replicationem substantialem eiusdem rei, idest iteratam productionem eius in illis pluribus locis; & quamuis communi omnium sententia videatur esse, quòd fieret primo modo, & ad antiquis Scholasticis hoc non videatur in dubium reuocari, Coninch. tamen de Sacram. qu. 75. art. 4. dub. 3. & Moris. in Phys. disp. de loco qu. 4. mordicus tenent, non posse aliter fieri, quàm secundo modo. Altera pars quæsiti quærit, an quando res replicatur in pluribus locis necessariò replicari debeat cum omnibus formis, & accidentibus quæ habebat in vno loco existens, & dum manet in pluribus locis, si mutatur in vno per aliquam formam ibi de nouo acquisitam, an necessariò mutari etiam debeat in altero per eandem formam; & quamuis auctores omnes secundæ sententiæ citat. quæst. præced. in hoc conuenire videantur, quòd formæ pendentes à præsentia locali, vt stare, sedere, moueri, quiescere, & alia huiusmodi variari possunt ad varietatem locorum, de formis tamen absolutis, & à loco independentibus quales sunt albedo, scientia, sanitas, &c. est magna controuersia, asserentibus alijs, has nullo prorsus modo variari posse, sed rei debere inesse, vbicunque existat, alijs è contra contendentibus has quoque variari posse, sicut priores, ita vt si Petrus posset hic dici sedens, ibi stans, hic moueri, ibi quiescere, ita pariter hic dici posset calidus, ibi frigidus, hic sanus, ibi æger, hic mori ibi viuere; immo Coninch. & Moris. addunt, posse hic annihilari & non ibi, quòd alij verentur admittere. Alij verò, vt Io. de Lugo loc. cit. de Sacram. Euchar. sect. 11. aiunt, quòd licet non repugnet etiam formas absolutas variari pro varietate locorum, tamen si Deus operari veluti iuxta naturas rerum replicare debet cum corpore formas omnes à loco independentes. Neque hanc difficultatem subterfugere possunt auctores primæ sententiæ, qui, & si negent replicationem extensam eiusdem corporis in pluribus locis, quia tamen non negant replicationem Angeli, vel etiam corporis inextensam, tenentur etiam ipsi docere, quomodo se haberet quo ad suas operationes Angelus replicatus, & corpus Christi saltim quo ad immanentes, ad eo vt mirum sit, cur ex auctoribus primæ sententiæ nullus, vel saltim pauci hoc moueant quæsitum; pro cuius resolutione.

139 Dicimus 1. res eadem poneretur à Deo in pluribus locis per replicationem accidentalem, ponendo in ea plures præsentias locales, non autem per replicationem substantialem iterum eam, atque iterum reproducendo. Conclus. est Scoti loc. cit. vbi ex professo docet fieri per adductionem, & non posse fieri per reproductionem eiusdem rei præexistentis, patet ex dictis disp. 8. qu. 3. art. 2. vbi probauimus, non posse eundem effectum duplici productione totali produci, aut conseruatione conseruari, & adhuc magis patet ex dictis in lib. de Gen. disp. 5. qu. 8. vbi ex professo demonstratur, rem, quamdiu existit, non posse substantialiter reproduci, & planè videtur communis omnium sensus, vnde etiam qui concedunt, eiusdem effectus plures causas totales posse dari, adhuc negant, rem, dum existit, posse denuo fieri. Tum quia non videtur exerceri posse actio productiua rei, nisi vt facit rem de non existente existentem, & ideò quando res existit, nisi priùs corrumpatur, non poterit iterum produci, neque ab alia causa, neque ab eadem, à qua producta est. Tum quia productio substantialis dicit respectum ad non esse immediatè præcedens, ergo implicat rem præexistentem produci, nam tunc dicitur conseruari, nec potest dici reproduci, nisi sit prius corruptum. Tum quia productio substantialis est à non esse simpliciter ad esse simpliciter, habent enim pro terminis à quo, & ad quem esse substantiale, & simpliciter, & non esse simpliciter. Tum quia quod semel est corruptum, non potest esse terminus alterius corruptionis, nisi priùs iterum producatur, & habeat existentiam, ergo quod semel est productum, non potest iterum produci, nisi priùs desina esse.

140 Nec respondere valet, distinguendo de duplici productione, prima, & secunda, & pariter de duplici esse substantiali, primo, & secundo, & quòd prima productio absolutè procedit à non esse simpliciter ad esse simpliciter, quod dicitur esse substantiale primam; altera verò productio aut non habet terminum à quo, aut si habet, erit non esse substantiale secundum. Non valet; tum quia absolutè loquendo omnis generatio substantialis est rei inceptio, si non fit ab æterno, vnde Arist. absolutè definiuit generationem, quòd sit transitus de non esse ad esse; tum quia productio secunda rei dicitur, post quam se-

mel corrupta reproducitur, non autem quia adhuc actu existens reproducatur; tum quia implicat in adiecto dari esse substantiale secundum, cùm omne tale sit primum, & si datur secundum, quia potest res bis produci, debebit etiam dari tertium, quartum &c. tum adhuc magis implicat dari generationem substantialem sine termino à quo, & cùm hic alius assignari non possit, quam non esse simpliciter, prorsus implicabit, rem existentem posse vt sic reproduci, vt fusius in lib. de Gen. loc. cit.

Sed præsertim in proposito euidenter ostenditur, rem dum ponitur in pluribus locis, id non fieri per reproductionem substantialem in eis, quia Petrus hic existens ex vi localis replicationis Romæ, vel Parisijs certè non acquirit aliquid esse substantiale, sed tantum nouum locum, tantum enim ex vi illius replicationis dicitur esse, vbi priùs non erat, ergo ponitur in pluribus locis per simplicem adductionem: Quod adhuc magis declaratur casu, quo Deus nollet amplius Petrum conseruare in pluribus locis, nam vt amplius ipsum non conseruet Romæ, sufficit, quòd in eo destruat Vbi Romanum, non verò quòd ipsum substantialiter corrumpat. Accedit, quod posito Petro in pluribus locis cum suis accidentibus, sicut potest Deus destruere aliquod illorum accidentium absolutorum conseruata Petri substantia, tantò magis poterit destruere aliquod illorum Vbi, quæ sunt magis extrinseca, non destructa eius substantia, ergo sicut in tali casu Romæ desineret esse per solam destructionem Vbi Romani, ita incepit esse Romæ per solam eius productionem. Demum euidenter ostenditur reproductionem substantialem ad hunc effectum esse prorsus impertinentem, vt scilicet idem ponatur in pluribus locis, quia ex vi reproductionis non ponitur magis hic, quam ibi, potest enim reproduci in eodem loco, ergo ex vi solius reproductionis non intelligitur corpus poni in pluribus locis, sed adhuc debet dari actio productiua nouæ vbicationis, & sic ex vi solius accidentalis replicationis intelligitur esse in pluribus locis.

141 Contrà obijciunt Morif. & Coninch. primò, actio, qua de facto Christi corpus in pluribus locis constituitur sub speciebus Sacramentalibus, est substantialis, vnde & vocatur à Concilijs trãsubstantiatio, ergo est reproductio eiusdem, conuersus, & per consequens desinens in aliud, atque ideò ex parte eius requiritur desitio simpliciter, at verò terminus ad quem solùm denominatur per conuersionem succedens termino à quo ad hoc autem non est necesse, quòd incipiat habere esse de nouo, sed solum, quòd succedat termino è quo ex vi desitionis illius, quomodocunque succedat, vnde in hoc differunt transmutatio substantialis, & conuersio sustãtialis, seu transubstantiatio, quòd vbi transmutatio substãtialis denominatur præcipuè à termino, ad quem, transubstantiatio præsertim denominatur à termino à quo, quia transubstantiatio est transitus vnius substantiæ in aliam, & conuersio in illam, & vnum conuerti in aliud, est, vnum desinere in aliud, & terminus, desinens, & à quo est ille, qui dicitur conuersus, & transubstantiatus, ergo præsertim ab isto conuersio dicitur substantialis, quia nimirum iste substantialiter definit in aliud.

142 Secundò obijcitur; Tum quia quod est in duobus locis est bis multiplicatum, non tantum secundum præsentiam, sed etiam secundum substantiam, quia non potest dari præsentia sine re, quam modificat, & ideo repetita præsentia supponit repetitum esse ipsius rei. Tum secundò quia si Petrus producatur à Deo in pluribus locis assignari nequit, cur hic sit substantialiter productus, alibi verò tantum accidentaliter replicatus, cum æquè primò supponamus à Deo creari, & in pluribus loci poni. Tum tertiò, res in pluribus locis constituta desinit esse diuersa desitione substantiali, quia quando corpus Christi desinit esse Romæ in speciebus, definit esse secundum substantiam, non aliter, ac si desineret substantia Angeli existentis alicubi, si Deus subtraheret influxum conseruationum eius, quatenus existit secundum substantiam suam, ergo si definit substantialiter esse in pluribus locis, planè ponitur in illis per productionem substantialem. Tum quartò Christus non definit esse sub speciebus, sicut anima rationalis definit esse in loco partis abscissæ per retractum, & motum localem in se ipsam, ergo verè definit in se, & non tantum secundum nudam præsentiam, atque ita etiam incipit.

Resp. ad primum, neg. assumptum, ad probat. concedimus, rem esse vtrobique secundum substantiam suam, non quidem ibi denuo productam, sed tantum adductam, & ideò non sequitur, quòd habeat geminatam substantiam, sed tantum geminatam præsentiam. Ad secundum, generationem rei substantialem insequuntur omnia accidentia connaturalia, vnde dum res generatur, à generante etiam per accidens ponitur in loco, casu igitur, quo Deus crearet Angelum in pluribus locis, vtique vnica creatio esset, & vnicus Angelus creatus, at non cum vnica præsentia, sed pluribus, quia producit ipsum in pluribus locis, & in hoc sensu dici potest esse in omnibus illis substantialiter productus, quatenus est eadem numero substantia omnes illas præsentias simul, & semel habens, non autem in eo sensu, quòd sit eadem numero substantia toties substantialiter reproducta, quot sunt illa loca. Ad tertium, neg. assumptum cum eius probat. illa enim corporis Christi desitio est amissio tantum præsentiæ sub illis speciebus, at desitio Angeli in schola non tantum est amissio præsentiæ, sed etiam propriæ entitatis. Ad quartum, paritas est pro nobis, quod sicut in abscissione digiti anima non amittit propriam entitatem, sed tantum respectum vnionis, quam habeat ad digitum, ita Christus desinit esse sub speciebus, non per amissionem substantiæ, quæ sub illis continebatur, sed per solam amissionem, præsentiæ.

143 Tertiò quòd non possit hæc replicatio fieri per adductionem, probat Coninch. quia si Deus Petrum Venetijs existentem vellet Romæ ponere in instanti, ita vt deserat priorem locum, hoc fieri non potest, nisi per reproductionem, quia si fieret per adductionem, vel producet illud Vbi Romanum in Petro Venetijs existente, vel Romæ; non primum quia tunc Vbi Romanum produceretur Venerijs, quia implicat, & tunc potius Roma adduceretur ad Petrum, quam è contra; nec secundum, quia Petrus saltim prius natura Romæ existeret, quia causa natura prior est effectu, ergo non esset Romæ, nisi per reproductionem eius ibi. Confirm. illa duo Vbi haberent se sicut frigus, & calor respectu communis subiecti, sed calor vt formaliter frigus expellat, debet produci in subiecto frigido, ergo vt Vbi Romanum expellat Vbi Venetum, formaliter debet recipi in Petro Vbi Venetum in se habente, & sic sequitur absurdum priùs illatum, quòd Vbi Romanum producatur Venetijs. Denique qui censent id fieri per actionem adductiuam simplicem, explicare non possunt, quomodo eidem secundum idem non conueniant opposita etiam contradictoria, & alia plura, quæ facile saluantur, ponendo idem corpus reproductum, sic enim est virtualiter multiplex, & vt est in vno loco, impertinens est ad se ipsum, vt est in alio, atque ideò verificari possunt, & enunciari de ipso, vt est in hoc, & illo loco omnia illa prædicata, quæ enunciarentur de corporibus diuersis hic, & ibi existentibus, per virtualem enim sui multiplicitatem, & geminationem æquiualeret illis.

Respon. ad primum, dato casu tunc Deus poneret Petrum Romæ solum per productionem noui Vbi in ipso, & tale Vbi produceretur in Petro Romæ existente in aliquo priori naturæ fundamentaliter tantum, non formaliter. Cuius solutionis intelligentia pendet ex dictis in hac disputat. superius nu. 42. & iterum declaratur disputat. 5. de Gener. & cor. quæst. 8. num. 186. vbi rursus de hac re agimus; videantur hæc loca, & cessabunt quæ Recentiores obijciunt contra hanc solutionem. Ad secundum, admissa quomodocunque paritate, neg. minor, quia calor non introducitur in subiectum actu frigidum, sed quod prius erat frigidum, quia non expellit priuationem, & formam oppositam, sicut clauus clauum, quasi in aliquo instanti simul reperiantur in eodem subiecto, sed quatenus primum non esse vnius est primum esse alterius, vel vltimum non esse vnius, vltimum esse alterius; & sic etiam in proposito Vbi Romanum dato casu produceretur in subiecto, in quo immediatè antea erat Vbi Venetum. Ad tertium, per solam adductionem nos explicamus sufficienter quæcunque necessaria sunt, ponendo idem corpus in pluribus locis, vt ex sequent. conclus. constabit; multa alia congerit ad hoc argumenta Coninch. quæ ex dictis facilè solui possunt, & adhuc magis ex nunc dicendis, & in libr. de Gener. loco citato.

144 Dicimus 2. affectiones, quæ dependent à loco, quales sunt, quæ sunt posteriora ipso, vel simul natura cum ipso, diuersæ sunt in eodem subiecto pro diuersitate locorum, in quibus est, at quæ illi insunt independenter à loco, si ei conueniunt in vno debent etiam conuenire in alio, & oppositum fieri nequit etiam de potentia Dei absoluta. Conclusio duas habet partes, & licet quoad primam ab omnibus concedatur, ideoque probatione non indigeat, quia tamen quoad secundam à multis non recipitur, ideò probatur à Doctore in 4. d. 10. quæst. 2. litt. H. & clarius quæst. 4. sub K. hac efficaci ratione; corpus, vel Angelus existens in pluribus locis est idem numero, ergo quæ ei conueniunt absolutè, & independenter à loco, necessariò ei conuenire debent, vbicunque sit, alioquin sequeretur contradictio, quod idem numero subiectum esset album, & non esset album, viuens, & non viuens, & sic de alijs formis absolutis, & à loco independentibus argui posset; quæ quidem ratio, vt constat, satis euidenter ostendit Doctorem non loqui tantum in ordine ad potentiam naturalem, & ordinariam, vt quidam Scotistæ comminiscuntur, sed in ordine ad potentiam absolutam, quia contradictoria illa etiam in ordine ad potentiam absolutam repugnant; quod etiam adhuc magis constat ex toto progressu illius quæstionis.

Resp. Aduersarij contradictionem non sequi; quia verificantur de eodem ratione diuersorum locorum, quia nimirum erit calidum hic, vbi habet ignem approximatum, & alibi, vbi non habet approximatum. Contra arguit Doctor loc. citatis quæstio. 4. licet ista responsio valeat de affectionibus illis, quæ à loco dependent, & subiecto conueniunt ratione loci, vt stare, & non stare, sedere, & non sedere, tamen de affectionibus illis, quæ à loco præscindunt nec rebus conueniunt ratione loci, omnino impertinens est, quia sicut affirmatio non est nata in esse secundum Vbi, ita neque negatio, sicut omnino impertinens foret velle contradictionem saluare de Petro, quod sit albus, & non albus per hoc, quod habeat filium, vel non habeat, nam habere, vel non habere filium est impertinens ad esse album, vel non esse album. Confir. quia ratio recipiendi huiusmodi formas absolutas non est Vbi, sed capacitas ipsa rei secundum suum esse absolutum independens ab Vbi, quod eodem modo se habet in omnibus locis, ergo secundum idem eidem subiecto contradictoria conuenient, & diuersitas locorum nihil iuuat.

Respon. Amic. 4. Physic. tract. 20. quæst. 7. dub. 3. artic. 3. Beccanus de Sacram. cap. 17. quæst. 16. & alij passim, falsum esse, huiusmodi formas omninò à loco præscindere, dato enim quod in suis entitatibus absolutis à loco non dependeant, dependent tamen quatenus informantes, & inhærentes subiecto, quia dari non potest informatio, nisi extrema sint intimè præsentia in eodem loco, vnde vnio formæ absolutæ cum subiecto habet dependentiam ab Vbi tanquam à conditione necessaria ad informationem. Hinc ad Confir. dicunt, quod licet Vbi non sit ratio recipiendi huiusmodi formas, sicut est ratio recipiendi distantiam, sessionem, &c. est tamen conditio necessaria, vt subiectum recipiat eas, quia non potest recipere, nisi approximentur. Et tandem hinc addit Auersa q. 27. sect. 7. in solut. ad secundum, locum non ita se habere disparatè, sicut habere filium, & non habere filium, esse seruum, & Dominum, & alia huiusmodi, potest enim ea afficere, & limitare veluti conditio, quod explicat exemplo temporis, tempus enim ita limitat, & afficit huiusmodi prædicata etiam absoluta, vt diuersitas temporis tollat contradictoria, quare de loco idem quoque affirmare poterimus.

Sed planè quamuis in eo sensu etiam formæ absolutæ pendeant à loco, quatenus si subiectum informare debent, petunt ei approximari, & esse cum eo intimè præsentes in eodem loco, tamen non ita dependent à certo loco, vt ad eius variationem variari, & ipsæ debeant, aut earum informatio, & vnio ad subiectum, sicut variatur præsentia, & distantia variato loco, nam licet anima, v. gr. vt corpus informet, petat intimam præsentiam cum corpore in eodem loco, attamen non petit hanc, vel illam, sed variato hoc, vel illo loco, adhuc corpus dicitur animatum hac anima, & album hoc eadem albedine, at non dicitur præsens amplius eadem præsentia, nec distans eadem distantia, ergo huiusmodi formæ absolutæ etiam informando subiectum ita præscindunt à loco, vt varietas locorum nullo modo afficiat enunciationem earum de subiecto, nam sine subiectum existat in hoc loco, siue in illo, semper eadem forma informat idem subiectum per eandem vnionem, quia licet forma ad informandum subiectum petat veluti conditionem intimam præsentiam extremorum vagè, non tamen determinatè hanc, vel illam, & sic patet, quomodo enunciando contradictoria pertinentia ad formas primi generis de eodem subiecto rectè euitatur contradictio per diuersitatem locorum; at enunciando contradictoria pertinentia ad formas secundi generis, ad saluandam contradictionem diuersitas locorum ita impertinenter se habet, sicut habere filium, & non habere filium, esse Dominum, & non esse Dominum. Ex quo etiam apparet disparitas in exemplo ab Auersa allato de tempore, & loco, nam ad veritatem propositionum contingentium maximè facit temporis diuersitas & hæc sufficit ad contradictionem tollendam, quia veritas propositionis contingentis respicit determinatum tempus, at non semper determinatum locum, præsertim quando propositio contingens fit de accidentibus absolutis à determinato loco independentibus.

Respon. Arriag. disput. 14. Physic. sect. 10. quod licet formam esse vtcumque vnitam subiecto sit independens à loco, eam tamen esse Romæ v. grat. vnitam, non est independens, sed omnino dependens à loco, malè ergo ex independentia vnionis à loco, vt absolutè existat, infertur independentia à loco, vt ea vnio sit Romæ, vel Pragæ, quis enim negabit hoc dependere ab eo, quod subiectum sit Romæ, vel Pragæ. Sed neque id satisfacit, quia licet Petrum esse album Romæ, pendeat ab vbicatione Romana, tamen esse album absolutè loquendo à nulla determinata pendet vbicatione, sed à quacunque præscindit, ergo saluari nequit contradictio, quod sit albus, & non sit albus per hoc, quod sit albus Romæ, non Pragæ? Dices saluari posse per præsentiam, & absentiam albedinis, quia enim albedo est Romæ, præsens vbi est Petrus, ideò Petrus est albus, & quia non est Pragæ, vbi est idem Petrus replicatus, ideò Petrus non erit albus. Contra, quia Petrus non denominatur albus ex præsentia sola albedinis, sed ab eius vnione informatiua, sed hæc præscindit à determinato loco, quia indifferenter potest esse vnita cum Petro Romæ, & Pragæ; & hec responsio adhuc magis conuincitur falsitatis per subsequens argumentum.

146 Secundò, si calor, vel anima simul cum subiecto sit in duplici loco constituta, & velit Deus efficere, vt subiectum in illo duplici loco perseueret, non autem anima, vel albedo, hoc vtique efficere nequit, nisi corrumpendo vnionem animæ, vel albedinis cum corpore hic, at destructa vnione formæ cum corpore hic, destruitur etiam alibi, quia est eadem prorsus vnio, ergo neque hic, neque alibi corpus dicetur amplius album, neque viuum. Respondent, quod hoc fieret per solam corruptionem præsentiæ, quam habet vnio in secundo loco, quia eo ipso albedo, vel anima non haberet vnionem cum subiecto in secundo loco, quia illa vnio non habet Vbi, quo constituatur in secundo loco, atque adeò corpus hic nec dicetur album, nec animatum, sed tantum in alio loco, in quo vnio propriam habet præsentiam, ita Amic. cit. & hinc ait Auersa in sol. ad 5. patere, quomodo huiusmodi separatio animæ à corpore hic, & non alibi non esset propriè mors, & interitus animalis, quia in hoc casu non definit vnio animæ cũ corpore, sed solùm definit præsentia vnionis cum corpore pro isto loco, vnde corpus hic diceretur non viuum, non autem mortuum.

Sed contrà, modus vnionis non habet propriam, & peculiarem præsentiam distinctam à præsentia extremorum, que vnit, vel formę, quam modificat, sicut vniuersaliter nullus modus habet distinctum Vbi ab Vbi rei modificatæ per ipsum, ergo si forma hic non amplius denominat subiectum, id certè contingere nequit per desitionem præsentiæ vnionis formæ in tali loco, sed absolutè per desitionem ipsius vnionis, Prob. assumptum ex principijs ipsis aduersariorum, ideò enim inquiunt ipsi, posse subiectum replicari sine forma, & formam sine subiecto, quia habent distinctas præsentias locales, & hinc accidentia corporis deducunt habere propriam præsentiam, quia existere possunt solitariè absque subiecto, cùm igitur modis vniuersaliter repugnet solitariè existere, nam suaptè natura petunt semper affixi esse rebus, quas modificant, planè illis concedenda non est peculiaris præsentia à rebus modificatis distincta.

147 Tertiò tandem adhuc magis patenter ostenditur, non posse rem dici annihilatam in vno loco, & non in altero, quia si hic annihilaretur, ratio, cur desineret in isto loco, non foret simplex desitio Vbi, sed substantiæ rei, nam si solum Vbi amitteret, non diceretur annihilari, ergo ex vi desitionis subiecti non solùm sequitur desiti o istius Vbi, sed etiam alterius, quia desinit entitas, in qua vtrunque fundatur, ergo si annihilatur hic, annihilatur & ibi. Respondent Coninch. & Morif. quòd cum in tali casu supponatur res substantialiter replicata in pluribus locis, amittit suum esse substantiale hic replicatum, non alibi, & ita annihilatur hic, non verò alibi. Contrà, tunc res propriè dicitur annihilari, quando verum est dicere, nihil entitatis eius remanere in rerum natura, sed ita destrueretur substantia rei hic; vt adhuc alibi remaneret, non verè dici posset nihil eius remanere in rerum natura, ergo non verè diceretur annihilari, Minor patet, prob. maior, quia est communis conceptus, quem omnes habent de annihilatione, non enim satis est dicere, rem non amplius esse, vbi erat, vt verè annihilari dicatur.

In oppositum Obijcitur primò; Tum quia accidens, & subiectum realiter distinguuntur, & potest Deus vnum facere sine alio, & vnum sine alio replicare. Tum secundò cùm accidens habeat proprium Vbi, poterit Deus in corpore existente Romæ producere etiam Vbi Venetum, non autem in albedine eidem inhærente, in quo casu corpus erit vtique Venetijs, non tamen eius albedo, quia non habet Vbi Venetum. Tum tertiò, de facto corpus Christi est replicatum in Eucharistia sine extensione locali, quam habet in Cœlo, quæ etsi localis dicatur, non tamen talis dicitur, quia consistat in ordine ad certum locum, ait Auersa, quia regulariter transit cum subiecto de loco ad locum. Tum quartò eorum, quæ contingenter inter se, & cum tertio coniunguntur, potest vnum coniungi cum tertio sine altero, sed præsentia huius loci, & accidens à corpore separabile contingenter inter se, & cum corpore coniunguntur, ergo poterit accidens esse in corpore; & non coniungi cum aliquo loco, in quo est corpus ob quam rationem videtur Doctor quæst. 4. sub N. hanc sententiam iudicare probabilem. Tum quintò Tridentin. ait. Animam Christi poni in Sacramento per concomitantiam ex conuenienti dispositione diuina, & non ex vi verborum, ergo innuit, oppositum non implicare.

148 Resp. ad 1. quando accidens, & subiectum sunt separata, potest Deus vnum replicare sine alio, at non ita quando sunt coniuncta ad euitandam contradictionem, quæ tolli non posset per diuersitatem locorum, quia loquimur de accidentibus absolutis; hæc autem non est necessitas simpliciter, sed suppositionis, vt docet Scot. dist. 10. cit. q. 4. K. & M. & in hoc sensu necessariò conseruat albedinem in corpore vtrobique existente, quatenus non potest eam separare à corpore hic existente, quin & alibi separet. Ad secundum, patet per idem, quia licèt subiectum, & accidens sint in loco per diuersas præsentias, ad huc tamen nequit replicare præsentiam in vno, quin & aliam eiusdem rationis replicet in alio ad euitandam contradictionem. Ad tertium negatur, extensionem corporis Christi in Cœlo, sicut & cuiuscunque alterius corporis non esse formam speciali loco adiectam, & falsum est corpus, quando transit de vno loco ad alium, deferre secum localem extensionem, quam habebat in prior, loco. Ad quartum, argumentum illud æquè probat, accidens esse posse in corpore in vno tantum loco existente, & esse præsens eidem loco, quia, & contingenter respici hoc subiectum, & etiam locum, vbi reperitur subiectum; quare dicendum, quòd licet albedo absolutè sumpta contingenter respiciat subiectum hoc, & locum, in quo reperitur subiectum, ex hoc tamen quòd ponitur coniuncta subiecto, & in hoc loco informare subiectum, necessariò supponitur præsens eidem loco, vbicunque enim corpus est tale, necessariò habet ibi illud (ait Doct. cit.) per quod est tale, vnde falsum est, ob hanc rationem iudicare hanc sententiam probabilem, quamuis enim litt. N. quasi sub terminis probabilibus eam retulerit pro alia responsione ad 3. princ. illis verbis, *& etiam posset dici, quod non est necesse, &c.* infra tamen responsionem illam reijcit vers. *Contra*. Ad 5. quando Trident. sess. 13. c. 4. ait, Animam poni in Sacramento per concomitantiam, non intelligit id solummodo factum esse, quia Deus ita disposuit ex quadam congruẽtia, sed intelligit poni per concomitantiam necessariò, ex eo enim quòd corpus in Cœlo habet Animam realiter vnitam, non solùm est congruum, sed etiam necessarium, vt vbicunque corpus replicatur, replicetur & Anima, non quidem ex vi verborum consecrationis, sed ex vi naturalis connexionis.

149 Se-

149 Secundò,corpus existens hic, & Romæ potest hic calefieri ab igne approximato,& non Romæ,ergo erit ex natura rei calidum hic, & non Romæ , Conseq. patet,quia calor est terminus calefactionis; nec recipitur in subiecto, nisi per calefactionem, Prob. assumptum, quia ignis non habet virtutem naturalem ad agendum extra propriam sphæram . Respondet Doct. negando conseq.aliud enim est loqui de calefactione,aliud de termino eius,seu forma per ipsam producta, & vnione illius formæ ad subiectum , actio enim illa, & passio, cum fiant per contactum,& approximationem agentis ad passum,dependent à loco , at nec calor, nec vnio eius ad subiectum dependent à tali loco,quare calor erit vnitus subiecto, vbicunque reperitur , non tamen producetur in eo, nisi hic.

Contrà arguunt Aduers. calor iste etiam resultans in corpore Romæ existente non potest nouiter in eo imprimi, nisi virtute alicuius agentis , at hoc esse nequit ignis existens Perusiæ , quia naturaliter vltra suam sphæram agere nequit . Respon. Doct.esse impressum corpori Romæ existenti, virtute ignis hic existentis,non quidem per se primò,sed tantum per accidens, & concomitanter, ratione scilicet identitatis subiecti , & quando dicimus , ignem non agere, nisi debitè approximatum, id intelligi debet, vbi ponit effectum suum per se, & primò , non autem per accidens tantum , & concomitanter . Contrà objciunt , sola subiecti identitas non sufficit , vt formam ; quam hic habet , habeat etiam alibi alioquin si hic mouetur , moueretur & ibi , & quando sola sufficeret in genere causæ materialis , adhuc illius effectus noui scilicet caloris Romæ existentis præter materialem assignare debemus causam efficientem , & hæc esse non potest ignis Perusiæ existens , non quidem per se primò , vt Scotus ipse concedit , sed neque etiam concomitanter , quia identitas subiecti non potest ei talem vim conferre , nec præcedentem augere .

150 Resp. Scotistæ ex doctrina Scoti allata , solam identitatem subiecti non sufficere in formis à loco pendentibus,sufficere tamen in formis à loco præscindentibus,vt euitetur contradictio, & causa efficiens illius effectus noui est ignis Perusiæ existens,neque vt concomitanter habere dicatur suum effectum etiam Romæ impressum , debet augeri virtus eius , sed sufficit, quòd corpus,in quod agit hic , etiam Romæ reperiatur ; ob talem enim identitatem necessariò etiam dicetur habere effectum suum in corpore Romæ existente impressum sine augmento virtutis . Contrà adhuc vehementius vrgent Aduers. quia licèt ignis agat tantum in corpus hic , calor tamen per eum productus inhæret corpori hic , & Romæ, & ita duas præsentias reales simul habebit, quod fieri nequit virtute agentis naturalis , etiamsi subiectum sit idem in vtroque loco , quia replicata præsentia est effectus supernaturalis ; quod adhuc euidentius ostenditur in Eucharistia, nam si corpus Christi in cœnaculo calefactum fuisset , non poterat transire ille calor idem corpus existens sub speciebus , quia tunc necesse esset , quòd calor ille reciperet modum sacramentalem , & præsentiam inextensam , quod fieri nequit ab agente naturali , hac enim ratione dicimus , Christi corpus in Eucharistia ab agente naturali pati non posse , quia non est ibi modo quantitatiuo .

Respon.Scotistæ , quòd licèt ignis per se , & absolutè non potuisset sua naturali virtute causare illam duplicem præsentiam simultaneam caloris hic, & Romæ , ex suppositione tamen miraculi prioris, quo Deus corpus illud,in quod agit,in duplici loco constituit, sequitur , quòd agens naturale possit deinde sua naturali virtute duplicem illam præsentiam attingere, vt supr. in simili dicebamus quæstio. præced. in solut. Ad aliud dicunt ex Doctor. quæstio. 5. calorem causatum in corpore Christi in cœnaculo primò , & per se ab igne , concomitanter , & per accidens causatum iri etiam in hostia , & addunt similiter , quòd quamuis agens naturale simpliciter , & absolutè non possit talem modum indiuisibilem , & inextensum elargiri calori , ex suppositione tamen prioris miraculi , quo Deus constituit Christi corpus in hostia modo inextenso, potest .

151 Sed vt verum fateamur , quamuis tota hæc doctrina videatur à Scoto tradita ; & sit communi Scotistarum calculo recepta , tamen nobis non videtur , quomodo per illam simplicissimam Scoti distinctionem de per se primò,& concomitanter intellectam , vt communiter solent , possint tot,& tanta mirabilia saluari,& argumenta elidi, vel potius eludi . Verissimum est , ex suppositione vnius miraculi posse agens naturale suas adhuc exercere operationes modo, quodam supernaturali ex vi prioris miraculi procedente, sic cœcus illuminatus naturaliter videt , accidens in Eucharistia exercet illas actiones, quas habebat coniunctum , quia huiusmodi actiones adhuc sunt naturales secundum substantiam , supernaturales verò secundum modum , & hac de causa quæst.præced. dicebamus hominem replicatum posse moueri virtute propria saltim de vno loco ad alium , quia talis effectus non videtur excedere vires eius , & præsentia illa esset prorsus eadem, si non existeret in alio loco, & illa replicatio refunditur in Deum volentem conseruare hominem illum in alio loco, dum actu mouetur, at non sequitur ex suppositione vnius miraculi à Deo facti circa rem, quòd etiam possit opus efficere virtute propria supernaturale secundum substantiam , & virtutem eius naturalem excedens, vt v.g. quamuis ex suppositione separationis à subiecto possint accidentia in Eucharistia virtute propria localiter moueri,sensus immutare, & alias actiones sibi connaturales,quas poterant exercere coniuncta, non tamen possunt nutrire,quia id est supra vires eorum; ita in proposito non debemus ex suppositione prioris miraculi , quo corpus hic,& in India est replicatum , igni tribuere actionem supernaturalem secundum substantiam , & eius virtutem penitus excedentem,replicationem nempè caloris sui etiam in India , quia replicatio caloris in tanta distantia,& in tam breui tempore omninò superat naturales vires ignis,quod eo magis dicendum est de replicatione inextensa eiusdem effectus .

152 Quod adhuc clarius ostendi potest in augmentatione , & nutritione, si enim idem animal hic , & in India existat,& hic sumat cibum,non ibi,ait Doctor q.2.lit. Q. comestionem vtique hic tantum fieri,at nutritionem, & conuersionem alimenti in alitum vtrobique, inquantum animal nutritum vtrobique diceretur , & noua pars carnis aggenerata, at translatio istius nouæ partis in Indiam instantanea sine transitu per medium est omninò supernaturalis , vires naturæ excedens, ergo &c. Nec recurrere valet ad commune Scoristarum asylum, actiones huiusmodi excedere vtique vires causæ naturalis per se primò agentis, non agentis concomitanter : Nam tandem explicare debent , quid per hanc concomitantiam intelligant, vel enim id inquiunt concomitanter posse contingere virtute propria , hoc est ex suppositione prioris miraculi, & hoc non, quia ex suppositione prioris miraculi non debemus tribuere causis naturalibus actiones supernaturales secundum substantiam ; vel per concomitanter intelligunt hoc,quod est ratione identitatis subiecti , quod quia simul est in duobus locis , ignis agens in illud hic concomitanter replicat etiam eundem suum effectum in eodem Romæ existenti ; & neque hoc dici potest, quia non videtur , quomodo ex vi istius identitatis possit agens naturale suum effectum replicare in tot locis, & tam distantibus , & in tam breui tempore , & quandoque etiam modo spirituali , & inextenso .

Immo neque in hoc sensu, quo communiter explicatur,intelligendam esse hanc distinctionem , colligitur ex eo,quod Doct.ipse docet quæst.6.ad 4. vbi ait , corpus Christi in Eucharistia non solùm per se primò pati non posse ab agente naturam , sed neque etiam concomitanter,& reddens rationem,ait,quia agens creatum, ad hoc vt corpus transmutet , requirit ipsum localiter approximatum ; planè ex hoc manifestè colligitur , Scotum non intellexisse distinctionem illam de per se primò,& concomitanter,qua sæpè vtitur tota illa distin.10. in eo sensu , quo Scotistæ communiter intelligunt , & ideò quando inquit,formas absolutas, quæ hic ab agente naturali infiunt, vel imprimuntur subiecto per se primò,concomitanter imprimi,vel impressas esse in eodem alibi existente ratione identitatis subiecti , ita intelligi debere,quòd ex vi prioris miraculi, scilicet replicationis subiectis ratione identitatis eius Deus tenetur etiam replicare formas ab agentibus naturalibus hic, vel illic ei impressas, quæ non dependent à loco, ne sequatur contradictio : sicut quando ab initio illud replicauit , eadem necessitate replicauit etiam accidentia tunc sibi inhærentia , id autem contingit ex vi prioris miraculi,quia Deus ea voluntate, qua decreuit ponere corpus in pluribus locis, decreuit etiam replicare secum , nedum accidentia absoluta tunc sibi inhærentia , sed alia quæcunque in posterum ei aduenientia hic, vel illic virtute agentium naturalium , & in hoc sensu intellecta Scoti distinctione magis quiescit intellectus , & multæ instantiæ cluduntur Aduersarijs , & tandem in hoc sensu intellecta videtur adinuenta ad soluenda , & non tantum eludenda eorum argumenta . Sed dices , Scotus ait , calorem Romæ existentem in corpore replicato esse ab igne hic existente productum , etsi non per se primò , ergo calor etiam vt Romæ replicatus est ab igne hic,non autem à Deo . Resp. vtique calorem etiam Romæ existentem esse ab hoc igne , & huius ignis effectum , non tamen eius replicationem , & Vbi Romanum , vnde calor etiam vt Romæ existens est effectus huius ignis non reduplicatiuè , sed specificatiuè .

153 Tertiò,homo in vno loco existens per cibum ibi sumptum nutriretur, & augeretur, conuertendo cibum in substantiam suam , & ignis in vno loco existens incenderet , sibique aggregaret, & continuaret materiam propinquam idoneam , at certè non posset virtute naturali hæc eadem nutritio , & augmentatio fieri in alio loco , vbi idem corpus existeret,ad hoc enim necessarium est, vt eadem illa materia applicetur,& vniatur toti,& perspicuum est,non posse applicari,& transferri in alium locum , & sic replicari in pluribus locis virtute causæ naturalis. E contra vero posset fieri discontinuatio partium corporis existentis in vno loco,& non in altero, vt si aqua existeret eadem in duobus vasibus, & locis,posset in vno loco effundi, & non in alio , & sic amitteret continuitatem partium in vno loco, & non in altero , & eadem ratione quamuis perforatæ fuissent manus Christi in Cruce cum effusione sanguinis,id tamen non contigisset in corpore Christi sacramentato ; tum quia cùm sola videatur effusio, præseferre localem mutationem, hæc non transit de loco,ad locum; tum quia cùm fiat in Cruce modo extenso, & quantitatiuo , eius capax non videtur corpus sacramentaliter existens , ergo maneret sanguis in Sacramento intra corpus , & continuus reliquo sanguini , in Cruce verò exiret extra corpus , nec reliquo sanguini continuaretur, & ita proprietates absolutæ,quales sunt istæ secundum Doct. possunt diuidi,& variari iuxta locorum varietatem .

Respond. in nutritione continuitatem nouæ partis aggeneratæ vtro-

vtrobique fieri debere,quia est forma independens à loco, & replicationem istius nouæ partis alibi,vbi animal non habet cibum applicatum , fieri diuina virtute ex vi præced.miraculi : Deus enim tenetur facere circa corpus illud replicatum , quicquid habet necessariam connexionem cum priori miraculo, talis autem est replicatio formarum à loco independentium , sic etiam dicendum est de augmento ignis comburentis hic lignum , si fiat per continuationem,quia si fieret per simplicem iuxta positionem,non esset necessarium, cùm hæc à loco dependeat . Ad illud verò de aqua ait Doct.quæst.6. §. *Ad rationes , &c.* duplicem continuitatem non posse considerare in aqua, vnam per comparationem ad totum,alteram ad locum , quæ spectat ad figuram situalem , si primam amittit in vno loco per diuisionem, amittit & alibi,licèt diuisio in vno tantum loco fiat,non ita de secunda, vnde aqua eadem in vno loco essendi potest , & non in alio, quia per simplicem effusionem solùm secunda continuitas tollitur , non prima,& sola variatur figuratio situalis , & extrinseca, quæ dependet à loco:& ita etiam respondet Doct.ad illud de manuum Christi transfixione,& sanguinis effusione,ipsa enim vulneratio , & sanguinis effusio pro sola locali sanguinis mutatione vtique tantum in Cruce facta fuisset, at discontinuitas partium corporis in ordine ad totum inducta per vulnerationem , & partium sanguinis inducta per effusionem esset vtrobique, in Cruce quidem, vbi partes diuisæ habent modum extensum per corpoream diuisionem,& materialem effusionem, in pixide verò, vbi habent modum inextensum per replicationem spiritualem à Deo factam ex vi antecedentis miraculi .

154 Quartò arguunt de actibus vitalibus, qui sunt qualitates, & tamen non competerent rei vbicunque existenti ob defectum præsentiæ obiecti,quod vbicunque non esset; certum autem est apud omnes actus sensitiuos , præsertim externos à præsentia obiecti pendere , & actus similiter intellectus intuitiuos , quia intuitiua cognitio in hoc ab abstractiua secernitur, quod patitur ab obiecto in se præsente , & non in specie,vel saltim terminatur ad obiectum in se præsens. Confir. quia huiusmodi actus vitales à præsentia obiecti in se pendentes, vt sunt visiones, auditiones, non secum fert homo,dum mouetur,vt fert alias formas absolutas , ergo ex natura rei replicari non petunt, vbicunque subiectum est replicatum . Imò addit Auersa , hominem neque habiturum,vbicunque foret,eosdem actus vitales intellectus , & voluntatis, quia tales actus supponunt species receptas in sensibus externis , quæ similes non haberentur vbique , sed variæ pro veritate obiectorum,quæ hic,& ibi præsentantur .

Resp.non esse omnino certum apud Doct. an actus vitales realiter sibi identificent respectum tendentiæ in obiectum , nam in 3.distinct. 13.quæst.1.ad 1. in partem affirmatiuam inclinat,& quol.13. dubius manet, ac proinde iuxta variam huius rei determinationem debet argumentum diuersimodè solui ; si partem tueamur affirmatiuam loquendo de actibus vitalibus à præsentia obiecti in se pendentibus , homo non eosdem haberet vtrobique , quia secundum hanc viam entitas eorum non esset penitus absoluta, & à præsentia locali præscindens ; si vero teneamus negatiuam,dicendum est,quod vtrobique haberet absolutum visionis, per replicationem à Deo factam , non tamen respectum attingentiæ obiecti,quia hic dependet à præsentia locali, & ideò hic diceretur videns obiectum , non autem ibi,quia ad exercitium visionis non sufficit qualitas illa absoluta , sed exigitur etiam respectus attingentiæ obiecti, vt docet Scot.quol.cit. & ita intelligendus est , dum iuxta hanc viam soluit difficultatem hanc de actibus vitalibus quæst.illa 5. Ad Confirm. quando homo mouetur, non secum defert visiones , & auditiones, quia huiusmodi externæ sensationes non solum in fieri, sed etiam in continuari dependent ab actuali præsentia obiecti , qua deficiente, ipsæ etiam pereunt, quare iuxta primam viam non debent replicari , iuxta secundam debet replicari absolutum à Deo , à quo etiam conseruaretur supplendo actualem influxum obiecti,sicut Romæ calorem in aqua replicata conseruaret impressum hic supplendo ignis defectum , qui sicut nequit eum in tanta distantia producere , ita nec conseruare . Licet in his formis absolutis (quod valdè notandum est) quæ non solum in fieri , sed etiam in actuali vnione ad subiectum, & eius continuatione dependent ab agente extrinseco,valdè probabile sit , quod hic informarent subiectum,non alibi,quia in his casibus , licet earum entitas absoluta à tali loco non pendeat,pendet tamen earum vnio cum subiecto,vnde dicuntur informare subiectum , quia hic habent agens extrinsecum approximatum conseruans eorum vnionem cum subiecto , & ideò non sequitur contradictio : qua data doctrina aer idem hic , & Romæ replicatus posset esse hic illuminatus , & non Romæ, quia hæc forma licet absoluta, quo ad vnionem cum subiecto pendet ab hoc determinato loco , vbi habet agens approximatum etiam in conseruari. Ad tertium ex Auersa dicendum , quod species in phantasia permanent,& non raptim transeunt, vt in externis sensibus , & ideò statim ac huiusmodi species sensibiles internæ genitæ sunt ab externis in vno loco , concomitanter etiam debent alibi replicari , quia earum informatio non pendet ab actuali præsentia obiecti in se , & huiusmodi species sufficiunt ad intellectionem, sufficit enim intelligentem phantasmata speculari ex 3. de Anim. quare actus intellectus , & voluntatis abstractiui elicerentur hic, & ibi .

155 Quintò, si corpus idem ponatur in pluribus locis,& ei in vno loco applicetur ignis,alibi verò nix , clarum est, quod ex natura rei ibi calefiet , hic frigefiet , ergo qualitates etiam à loco abstrahentes , possunt esse non solùm diuersæ, sed etiam contrariæ in replicato subiecto pro locorum diuersitate . Et incredibile est, ait Auersa , quod Scotus respondet,in tali casu vnam causam impediendam ab alia , & ita neutram fore operaturam , vel illam solum, quæ magis prævalet , vel effectum quendam medium ab illis debere prodire,&.omnino dicendum esse , sicut si ambæ causæ simul eidem subiecto in vno, eodemque loco simul applicarentur . Nam per se apparet non debere naturaliter impediri ignem, quo minus hic in subiecto proportionato calorem produceret ex eo , quod eidem subiecto in alio loco remoto esset applicatum agens frigidum . Immo addit Auersa , quod alij communiter negant , idem quoque euenturum in actibus vitalibus assensu , & dissensu intellectus , amore , & odio voluntatis , non enim esset eadem repugnantia pro diuersis locis , quæ esset pro eodem loco , possent enim hic , & ibi occurrere diuersæ occasiones inducentes ad actus contrarios , scilicet hic ad velle peccatum, & ibi nolle , sicut contingere potest pro sola temporis diuersitate .

Resp.negan.consequent.in tali enim casu,vel vna impediret aliam, ita quod neutra ageret,vel agerent ad effectum quendam medium,vel illa tantum ageret, quæ prævalet , & demum seruata proportione dicere debemus,ait Doct.q.2. sub K. de agentibus contrarijs eidem corpori applicatis in diuersis locis, quod diceremus , si eidem in loco eodem applicata forent; ignis autem hic agens in corpus impediret, vel remitteret actionem niuis agentis in idem Romæ non per se primò , sicut impediret,si cum niue simul in eodem loco essent corpori applicata , sed tantum concomitanter,quatenus calefaciendo corpus hic, & Deo replicante calorem in corpore Romæ, calor ille , qui est effectus istius ignis , reddit corpus indispositum ad recipiendam actionem niuis , in quo sensu non solum non est incredibile, vnum agens contrarium in vno loco impedire actionem alterius in alio , si agant circa idem subiectum , sed potius est omnino necessarium ad contradictionem euitandam ex suppositione prioris miraculi . Actus verò vitales contrarios nequaquam habere potest , & in ordine ad istos ita prorsus de homine iudicandum est in diuersis locis , sicut si in vno esset loco , & obiecta contraria ei forent sufficienter applicata , cum enim respectu horum homo se habeat actiuè,sicut existens in vno loco non habet potentiam ad vtrumque simul , ita neque existens in diuersis , cum ex replicatione neque acquirat nouam potentiam , nec augeatur præcedens ; & quamuis in vno loco occasionem non haberet , seu motiuum in propria existentia applicatum , quod sic habet in alio omnino oppositum illi , quod hic habet in se præsens, tamen haberet etiam illud hic applicatum per speciem ; immo contrarij actus vitales , nec etiam de potentia Dei absoluta possunt esse in eodem subiecto ob intrinsecam eorum incompossibilitatem , & repugnantiam , quatenus vnus destruit obiectum alterius .

156 Sextò tandem de facto replicatur forma sine subiecto , quod alibi informat, nam Anima replicatur in pede sine capite , & verum est dicere,quod hic informat caput,& non ibi,& sola locorum diuersitas tollit contradictionem,ergo idem dicendum foret , si alibi replicaretur sola in alio diuerso corpore; parum enim refert , quod pes,& caput sint inadæquata subiecta, hæc autem duo corpora forent ambo adæquata ; quia vis argumenti consistit in hoc , quod sola diuersitas locorum modo tollit contradictionem de Anima enunciatam, quod informat , & non informat caput,informat caput hic, non informat ibi , ergo etiam in illo casu . Et si sufficit locorum diuersitas ad tollendam contradictionem de informatione actiua , idem quoque dicendum erit de passiua , casu quo replicaretur corpus sine Anima , nam informaretur hic , & non informaretur ibi . Rursus eadem enima habet in capite suos actus verb. grat. cognitionem , & non in pede , ergo formæ absolutæ non necessariò replicantur cum subiecto . Deinde humanitas Christi est vnita Verbo magis , quam forma subiecto , & tamen non est, vbicunque est Verbum,ergo si accidens existit in corpore , non est necesse, vt sit vbicunque est corpus constitutum ex vi talis vnionis etiam à loco præscindentis , Denique si idem accidens à Deo poneretur simul in pluribus , vt facere potest , subiectis inuicem non penetratis , iam in vno loco foret sine subiecto , quod alibi informat , ergo è contra facere potest , quod subiectum sit in vno loco absque illo accidente,quo alibi informatur .

Resp. concedendo paritatem assumptam , licet non sit concedendum,animam posse informare plura perfectibilia adæquata ; sed negatur, quod modo saluetur contradictio de anima informante caput, non informante per solam diuersitatem locorum,quia cum eius vnio substantialis ad quamcunque partem sit independens ab hoc, vel illo loco , impertinens est locorum diuersitas ad illam contradictionem tollendam,tollitur ergo solum per diuersitatem vnionis , quia non eadem vnione vnitur cum capite, & pede, quia termini vnionis sunt diuersi , & ita saluaretur etiam si poni possent in pluribus corporibus in diuersis locis,at non saluari posset,si hic corpus informaret, & alibi sine corpore replicaretur,quia eadem forma simul,& semel informaret, & non informaret idem subiectum , & tunc non adesset diuersitas vnionis contradictionem tollens , nec locorum diuersitas sufficeret. Ad 2. Anima in quacunque corporis parte re vera suos actus habet,illos tamen præcipuè dicitur exercere in capite, quia actus illi aliquò

aliquo pacto pendent in fieri à dispositionibus existentibus in capite, quatenus pro statu isto oportet intelligentem phantasmata speculari, vt dicitur 3. de Anim. Ad 3. non valet paritas de humanitate vnita Verbo, & forma vnita subiecto, quia forma vnitur subiecto totaliter, adæquatè, si subiectum sit adæquatum, & humanitas est inadæquatè Vnita Verbo ob eius illimitationem, illa verò proposito, quando duæ res sunt vnitæ inter se, tunc vbi est vna, necesse est, & alteram esse, valet, quando talis vnio est totalis, & adæquata, non verò quando est inadæquata, sicut est in proposito, & patet in exemplo de Anima; & Doct. q. 3. ad 3. monet, hunc arguendi modum non tenere, dum res limitata comparatur illimitatæ quo ad essendum in loco. Ad 4. negatur assumptum, vt patet ex dictis disp. 5. q. 7. art. 2. & eo admisso, adhuc negari debet consequentia, quia in illa replicatione accidentis in pluribus subiectis saluaretur contradictio, quòd informat hoc subiectum, non quidem per diuersitatem locorum, sed per diuersitatem vnionum, vt dicitur de Anima plures corporis parte informante, at non ita saluari posset contradictio de corpore replicato sine accidente, quod habet in vno loco, quia non adesset diuersitas vnionis, & diuersitas locorum non sufficit; aliud quod dam argumentum de impulsu vide solutum disp. 3. de Cœlo n. 85.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De Vacuo.

1 *NOn sumimus in præsenti vacuum in eo sensu, quo admittebant Antiqui, nam de illa acceptione satis diximus disputat. præced. & in explicatione text. 4. Physic. à cap. 6. vsque ad 10. sed prout communiter à Philosophis accipi solet, quomodo definitur, quòd sit* locus corpore carens, aptus tamen repleri, *vbi ly* locus *non sumitur formaliter, scilicet pro respectu ad locatum, sed materialiter pro superficie corporis potentis aliud continere, neque est formale significatum vacui, sed materiale, & stat loco subiecti, per hoc enim, inane, seu spatium imaginarium differt à vacuo, vt disput. præced. sæpè dictum est, quòd inane nullum connotat corpus, in quo talis negatio subiectetur, sicut vacuum; dicitur* corpore carens, *quia si daretur corpus aliquod contentum, non esset vacuum, sed plenum, intelligitur autem de corpore quantitatiuo; non de substantiali, vnde si in aula esset aer omni quantitate priuatus, verè daretur vacuum, & multò magis, vt notat Doctor quol. 11. infra M. si substantia aliqua spiritualis dumtaxat ibi existeret; è contra si in loco aliquo esset quantitas sine substantia, vt sunt species Sacramentales, locus ille non esset vacuus, sed plenus, Ratio est, quia id dicitur replere locum, quod facit partes vniuersi extensas, & distantes, & ne in vnum coeant, hoc autem à quantitate præstatur, additur,* aptus tamen repleri, *vt explicetur magis negatio per vacuum importata, quòd non sit simplex negatio, sed priuatio aptitudinem subiecti concernens; vnde breuiùs dici posset, quòd sit* locus priuatus corpore, *ex Scot. 4. d. 49. quæst. 6. §.* Alij dicunt, *&c. v. g, si ab aula exiret aer, & nullum aliud corpus ingrederetur in illam aulam, nec parietes inter se vnirentur, sed eodem modo distantes remanerent, verè tunc esset vacuum. De isto vacuo agere pertinet quoque ad Physicum, quia aliquo modo priuatiuè opponitur loco, ad eundem autem artificem attinet de oppositis pertractare.*

QVÆSTIO PRIMA.

An detur, vel possit dari vacuum in natura.



Vacuum iam in præfatione disputat. explicatum dari de facto à parte rei, quam plurimi ex Antiquis tenuerunt; communis tamen oppositum sustinet; sed dubium est de possibili tam virtute creata, & finita, quàm increata & infinita; nam Conimb. 4. Physic. cap. 9. quæst. 3. negant virtute aliqua creata posse fieri vacuum in rerum natura, quos sequuntur Ruuius 4. Physic. tract. de vac. quæst. 2. Io. de S. Thom. quæst. 17. art. 1. Complut. disputat. 20. quæst. 2. & Fuentes 4. Physic. quæst. 2. diff. 1. art. 1. Alij distinguunt, quòd si loquamur de rebus, prout decreto diuino substant, non potest vacuum causari ab Angelo, vel alia creata virtute; at si de rebus secundùm proprias vires consideratis est sermo, admittunt vacui possibilitatem ab agente creato, ita Moris. disput. 5. quæst. 7. Auersa quæst. 27. sect. 8. & Smisinch. tract. 2. disput. 5. num. 42. De virtute tandem increata, quamuis affirmatiua pars sit communissima, non defuerunt tamen, qui oppositum sensere, quòd scilicet nec de absoluta Dei potentia possit dari vacuum, citantur pro hac opinione Ferer. lib. 11. cap. 12. Bann. 1. p. quæst. 8. art. 2. & ex professo sustinet P. Vulpes 1. p. disp. 18. art. 3. nu. 6. & 7.

Dicimus 1. de facto non reperiri vacuum in rerum natura, ita Doctor. 3. d. 27. §. *Istæ rationes, &c.* & 4. d. 49. quæst. 13. H. Probatur 1. multis experientijs, quibus apparet, naturam valdè vacuum abhorrere, vnde multos violentos motus admittit, vt fugiat vacuum; sic aqua sursum ascendit, si ex fistula attrahatur aer; cucurbitulæ carnem in tumorem eleuant; in clepsidra obstructo superiori orificio non descendit aqua; idem euenit in lucerna ad modum turris confecta, nam oleum non egreditur, nisi in superiori parte aliquod foramen fiat; & si calefacto aere in phiala incluso, poneretur os phialæ super aquam, vt aer ingredi nequiret, apparet aquam tumescere, quia propter frigiditatem condensatur aer, vnde necesse est, aquam eleuari ad replendum vacuum, & si super corpus aliquod poneretur, quod nequeat ascendere, statim vas infringitur; quapropter concludendum est, maximopere naturam vacuum abhorrere.

3 Ratio verò, cur tantopere vacuum refugiat natura, non est assignabilis à priori, & efficacitatem habens, sed solùm erit extrinseca, & congruentia quædam; etenim non prouenit, eò quòd locus ad se locatum attrahat, quia communiter conceditur locum non effectiuè, sed finaliter concurrere ad motum; tum quia locus naturalis haberet istam vim, non violentus, & tamen ad replendum vacuum aliquando aqua extra proprium locum erit. Neque prouenit ex hoc, quòd res, cùm propriam appetant conseruationem, magis conseruentur alij vnitæ, quam separatæ; Tum quia potius sublunaria plus conseruarentur separata, quàm vnita, cùm quodlibet contrarijs fit præditum; Tum quia, magis conseruatur res in proprio, & naturali loco, quàm in violento alteri vnita; Tum quia perfectius res permanet in esse, quando est alteri eiusdem rationis coniuncta, quàm alij diuersæ rationis vnita, quia virtus vnita fortior, & tamen non ita resistit diuisioni in proprias partes, sicut resistit separationi ab alio corpore. Neque ex eo prouenit, vt possit hæc inferiora à cœlestibus gubernari per influentias; tum quia non est ad agendum necessaria plenitudo medij quo ad omnes actiones; tum quia si daretur aliquod minimum vacuum, & ad tempus, non ob id subuerteretur ordo vniuersi, vt non possint cœlestia in his sublunaribus influere, Neque prouenit ex hoc, quia naturaliter repugnat duo corpora inter se penetrari, esset autem necessaria hæc corporum penetratio, vt detur vacuum, nam Deus initio mundi condidit tantam materiam cum quantitate sufficientem ad replendum totum vniuersi spatium, vndè vt vacuum fit necessariò corpus illud, quod vacuum replebat, deberet cum alio penetrari, quam rationem vt à priori assignat Arriag. disput. 14. Physic. sect. 11. Non itaque ex hoc prouenit impossibilitas vacui, quia non magis euidens est, quòd vacuum repugnet ex impossibilitate penetrationis, quam quod repugnet penetratio ex impossibilitatè vacui; tum quia id est, quod quæritur, cur Deus corporibus repleuit totum hoc spatium infra Cœlum, & nihil vacui interiectum reliquerit? tum tandem quia ratio adducta ab Arriag. ex falso fundamento procedit, quod rarefactio fiat per ingressum corpusculorum in poros corporis rarefacti, & condensatio per egressum eorundem, quod impugnamus ex professo in libr. de Generat. disputat. 4. quæst. 2. etenim potest idem corpus modo maius, si est rarefactum, modo minus spatium occupare, si condensetur, & consequenter sine penetratione posset fieri vacuum, si corpus rarefactum denuo condensetur; per quod ruit ratio eorum, qui negant Angelum posse vacuum inducere, quia nequit causare penetrationem corporum, quam necessariam putant ad vacuum inducendum. Quare vt innuit Doctor cit. in 3. & notat Auersa tota ratio est ab extrinseco Dei decreto, quo determinauit mundum hunc vnitum, & contiguum conseruare, de quo posset aliqua congruitas assignari, quia scilicet vnitas est perfectior, quam pluralitas, & discontinuitas, vnde natura in omnibus semper tendit ad vnum eo modo, quo est possibile, immo, & ars hoc pluries intendit, melius enim est domui habere partes connexas, quam disiunctas, ergo quia mundus non potest esse vnus continuitate perfecta, quia multa includit specie, & genere distincta, saltim erit vnus connexione, & contiguitate; & quoniam bonum totius est bono alicuius particularis præferendum, hinc vt saluetur ista contiguitas, multa contra proprias affectiones rerum in

in particulari causantur à natura, vt etiam in sequent. concl. explicabimus.

4 In oppositum arguitur 1. quibusdam experientijs, & casibus. Prima est de vino, cuius tanta quantitas recipitur in dolio sine vtribus, ac cum vtribus; cui similis est illa de vase cinere pleno, quod eandem aquam recipere potest, ac si cinere careret; & si esset aqua plenum, adhuc potest aurum capere; quæ non essent vera, nisi aliquæ darentur vacuitates, in quibus illa corpora reciperentur, alioqui daretur corporum penetratio. Secunda experientia est de lucerna ad modum turris fabricata, in qua nequit ingredi aer, & tamen à flamma paulatim oleum consumitur, ergo intra illam erit vacuum. Tertia, Cœli sunt sphæricæ figuræ, Empyreum verò est quadratum, iuxta illud Apocal. capit. 21. *Ciuitas in quadro posita*, ergo inter Empyreum, & primum mobile sunt cauitates quædam vacuæ. Quarta, si vas æneum æquè secundum omnes partes compactum, vt nullo modo aer subingredi possit, impleatur aqua calida, & omnimodè occludatur os, si maximo frigori applicaretur, iam aqua congelaretur, quia frigus est applicatum, non impeditum, & sufficientem supponimus habere virtutem, ergo in illo vacuum daretur. Quinta, sint duæ tabulæ perfectè planæ eiusdem densitatis, & ponderis, & inter se contiguæ si secundum omnes partes æquè eleuaretur, quæ superposita est, non posset aer statim, & in instanti accurrere tam in partibus circumferentiæ, quam centri, vt falsò concedit Masius ex Paulo Ven. quia motus localis in instanti, seu mutatio localis repugnat, ex dicendis disputat. 15. quæst. 6. articul. 6. ergo si in tempore, iam in medio esset vacuum. Sexta, si Deus ex corpore raro in instanti generaret densius relinquendo naturam in suis viribus, tunc quia non posset aerem in instanti mouere, daretur vacuum. Septima, si Petrus esset in vacuo & se localiter moueret, faceret vacuum, puta spatium illud, quod prius occupabat, ergo naturaliter fieret vacuum.

5 Respond, ad 1. vel casus illos re vera apparentes esse dumtaxat sensibus; vel prouenire ex hoc, vt etiam innuimus disputat. præced. quæstio. 7. quod quando sunt alia corpora in vase, partes aquæ, vel vini magis inter se constipantur, & ex vino multo plures exhalant vapores; sicut aer in cineribus illis inclusus propter aquæ aduentum egreditur; & si valeret, demonstraret, vt ait Aristot. in text. totum vas vacuum esse. Ad secundam, actione flammæ partes olei rarefieri, & sursum ascendere, densiores verò descendere, & quando oleum est vsque ad os canalis lucernæ consumptum, vel si lucerna inclinetur, vt oleum effluat, sentimus bombum quendam, quod est signum aeris ingressus. Ad tertiam Empyreum quoad concauam superficiem est sphæricum, licet quoad conuexam sit quadratum: quamquam de ipsius figura nihil certi habeamus, vt dicimus in libr. de Cœlo. Ad quartam, in illo casu aquam nunquam congelari, quia adest impedimentum à natura vniuersali, ne detur vacuum; & si vas vitreum esset, frangeretur, vel in parte debiliori, vel si esset æquale secundum omnes partes, in illa parte, quam Deus determinaret, vel vas non frangeretur; non prius tamen fieret congelatio, quam fractio, sed cum fractio terminaretur, incideret congelatio. Ad quintam, quamuis Aristotel. 2. de Anim. text. 113. dicat, inter duo corpora dura semper mediare aerem; quod tamen est intelligendum, non quod secundum aliquas partes non se tangant, vt probatum est disputat. 9. quæstion. 2. articul. 2. de tactu sphærici super planum, sed quia propter ruditatem, quam habent, semper aliquid aeris intercluditur, dato tamen casu dicimus, tabulam illam non posse naturaliter eleuari secundum omnes partes æqualiter, sed prius secundum vnam, quam secundum aliam, vt detur aeri tempus ad replendum illud spatium. Sufficiat pro nunc communis ista solutio, hæc enim difficultas maioris est momenti, quam æstimetur accuratè examinanda disput. 3. de Cœlo dub. ap. ad quæst. 6. Ad 6. respondet Doctor in 4. distinct. 43. quæstion. 5. D. tunc dari vacuum ad tempus, sed hoc esset per potentiam Dei. Ad 7. dicemus quæstio. 3.

6 Secundò obijcitur rationibus. Tum quia si non esset vacuum, daretur corporum penetratio, tam in motu locali, nam tunc mobile reciperetur in pleno, quam in condensatione, & auctione, quia in condensatione partes extremæ accedunt ad medium, & auctio fit propter alimentum adueniens, ergo si non esset vacuum in corporibus, partes se penetrarent. Tum 2. quia datur plenum in natura, ergo & vacuum, nam posito vno contrario, debet dari aliud, vt sæpè arguit Aristotel. Tum 3. quia prius potest à suo posteriori separari, vt docet Doctor sæpè sæpiùs, sed locus est prior omni locato, ergo &c. Tum 4. possibile est, quodlibet corpus non esse hìc, vt patet inductiuè, ergo si hoc possibile poneretur in esse, daretur vacuum, ergo vacuum non est impossibile, quia possibili posito in esse, non sequitur aliquod impossibile. Tum 5. à propositione de tertio adiacente valet inferre propositionem de secundo adiacente, vt si homo est albus, ergo homo est, sed vacuum est locus priuatus corpore, ergo vacuum est.

Respond. ad 1. negatur sequela, nam in motu locali plenum cedit mobili, & recipitur vel in loco eiusdem mobilis, vel alterius corporis replentis locum mobilis; in condensatione verò, & auctione sufficiet, vt dentur in corporibus pori aere, vel alio subtili corpore pleni cedente in aduentu alterius corporis, vt diximus in exposit. text. & hæc solutio pro nunc sufficiat quousque exactius declaretur natura condensationis, & auctionis in libr. de Generat. disputatio. 4. & 8. Ad 2. negatur consequ. nec probatio valet de priuatiuè oppositis, vt sunt locus, & vacuum, quamuis de contrarijs positiuis possit admitti. Ad 3. maior non est vniuersaliter vera naturaliter. Ad 4. verum est antecedens distributiuè, non collectiuè, vt de diuisionibus Continui diximus disputatio. 10. quæstio. 2. Ad 5. tunc infertur propositio de secundo adiacente, quando est in materia contingenti, quia istæ propositiones non abstrahunt ab omni temporis differentia, non verò quando est in materia necessaria, vt est allata de vacuo, vt Antichristus est homo, non valet inferre, ergo est, quia istæ abstrahunt ab omni temporis differentia.

7 Dicimus 2. Si vniuersum secundum naturæ vires spectetur, posset naturaliter dari vacuum, non verò vt subest diuinæ determinationi; at de potentia Dei est simpliciter possibile. Conclus. quoad primam partem, scilicet quod viribus naturæ consideratis, præscindendo à decreto Dei possit dari vacuum, colligitur ex Scot. 4. d. 43. quæst. 5. E. vbi ait, si natura produceret corpus in instanti, daretur vacuum absque miraculo; & 3. d. 27. §. *Istæ rationes &c.* docet, corpus non naturaliter moueri ad replendum vacuum, sed à virtute regitiua vniuersi, ex se verò potius violenter mouetur; ex qua doctrina probatur conclusio. Tum quia præscindendo à diuina determinatione nulla vis reperitur in corporibus resistens ad talem disiunctionem, immo potius ad oppositum inclinantur corpora vniuersi, vt quæst. seq. dicemus, ergo non debet negari possibilitas vacui respectu virtutis, saltim omnium simul Angelorum. Tum quia magis inclinatur res aliqua ad vnionem cum alia eiusdem rationis, quam cum altera diuersæ rationis, & è contra, nam cum illa conseruatur, cum ista potius destruitur, sed non obstante tali inclinatione, adhuc ab agente creato potest fieri ab illa separatio, ergo multo magis ab ista.

Respondent, resistentiam in corporibus, ne detur vacuum, ab intrinseco prouenire, neque ab aliqua finita virtute superari potest, sed tantum ab infinita, quia impedimentum vacui est quidam effectus vniuersalis ad bonum spectans vniuersi, non particularis, & ideò solum ab agente vniuersali vinci potest; sicut etiam nequeunt Angeli impedire corporum impenetrationem, resultantiam passionum, nequeunt partes Cœli diuidere, neque minimum naturale, si esset in vacuo. Contra, quia probatum est, corpora in seipsis non habere istam inclinationem mutuam in vniuerso; neque vniuersum est quid vnum per se, vt possit ista colligatio corporum tanquam passio ab ipso prouenire, sed est vnum quoddam aggregatum, & artificiale ab authore naturæ compactum, à quo prouenit ista colligatio partium ipsius, qua ratione effectus vniuersalis dicitur, & in hoc sensu non potest destrui ab agente particulari; neque exempla adducta vrgent; tum quia impenetratio, & passiones resultantes sunt effectus connaturales rebus, ad quos habent inclinationes, non sic colligatio cum corporibus distinctis, tum quia non clarè conuincitur, Cœlum scindi non posse virtute angelica; Tum quia minimum naturale non datur ex dictis disputat. 9. quæst. 3. artic. 1. & tandem quia sunt ad oppositum, vt diximus.

Secundò quod stante diuino decreto nun possit à quacunque creata virtute causari vacuum, habetur à Doctore in 2. d. 2. quæstio. 12. C. dicente, quod *ordo præfixus à superiori agente videtur necessarius cuicumque agenti inferiori, quando habet actionem præcisè circa talia ordinata*, & hoc quia non potest inferius agens virtutem superioris superare, si ergo Deus determinauit, vniuersum contiguum, & colligatum esse, non poterit talis ordo à creatura perturbari; hinc ad Hebr. 2. dicitur, *Non enim subiecit Deus Angelis orbem terræ.*

8 Tertiò quod possit per potentiam diuinam reperiri vacuum, docent cum communiori ex Scotistis Lichet. quol. 11. Gad. & Tatar. ibidem, & 4. Physicor. quæstio. de vacuo §. *Primò sciendum, &c.* Canon. 4. Physic. quæstio. 4. & expressè eam docet Doctor in 4. dist. 43. quæstion. 5. D. & E. vbi ait, quod si Deus in resurrectione ex corpore rariori faciat densius, & minus, potest non mouere aerem circumstantem ad contingendam superficiem minoris corporis, quia hoc non est necesse, & potest relinquere naturam in suis viribus, quæ cũ non possit causare motum localem instantaneum, erit ibi vacuum ad tempus, vnde concludit, *Non ergo vacuum esse in vniuerso includit contradictionem; immo si natura faceret in instanti minus ex maiore, videretur posse concludi, vacuum esse per tempus sine diuino miraculo;* quando igitur sustinet Doctor. in 2. distin. 2. quæstio. 9. ad 4. quod si daretur vacuum cedens mobili, posset in eo fieri motus successiuus, non loquitur ex hypothesi impossibili, vt ait Vulpes citat. insuper quol. 11. articul. 2. ex professo hoc ostendit. Tum quia potest Deus annihilare omnia elementa absolutè, & nihil innouare circa Cœlum, sed illud conseruare in esse, quia ad conseruandum Cœlum, quod est prius, & magis necessarium, non requiritur tanquam medium aliquod minus necessarium conseruari, vt sunt elementa, ergo inter Cœli latera daretur vacuum, quia ista non concurrerent in instanti ad replendum vacuum; & hoc vacuum

cuum litt. E. ait esse Deo possibile. Tum quia possibile est, inquit, distantiam aliquam quasi secundum tempus, & durationem esse inter duo, licet non sit inter illa tempus positiuum intermedium, & positiua mensura motus, puta si tempus, & motus primi Cœli non esset, sed sufficit, vt sit tempus potentiale, ergo etiam posset esse distantia inter duo secundum locum, absque eo quod mediet aliquod positiuum; quod est vacuum admittere. Tum quia concedit ipse articul. 1. quod sicut potest aliquod corpus esse absque continentia locali passia, eo quod omne absolutum potest esse absque respectu ad illud, quod non est prius eo, vel saltim quod nec est prius, nec simul natura cum ipso, eodem modo ait articul. 2. probari potest, corpus locans posse esse sine respectu loci, ergo sicut illud non est impossibile, nec istud, quia magis videtur esse dependentia locati ad locans, quam locantis ad locatum. Nec valet, quod ait Vulpes, Scotum ex casu impossibili, quale esset vacuum terminatum, probare intentum possibile, scilicet separationem respectus loci à superficie concaua continente. Non valet, tum quia casum hunc non vt impossibilem assumit, sed vt possibilem, nam expresè hoc asserit, & probat; tum quia non rectè vteretur illo modo arguendi, sicut enim ex possibili non sequitur impossibile, ita nec ex impossibili sequi potest possibile, etenim si non daretur nisi ex positione impossibilis, æquè esset impossibile; modo tunc locans esset sine respectu locali, cum intra superficiem concauam illius nullum esset corpus contentum, & per consequens vacuum. Tandem magis repugnare videtur separatio accidentis à subiecto, materiæ à forma, penetratio duorum corporum, præsentialis indiuisibilitatis localis in corpore, & similia, quam separatio continentis à contento absque eo quod latera concurrant inter se, quia inter illa est aliqualis dependentia, non inter ista, & tamen possunt à Deo fieri, ergo vacuum non erit Deo impossibile.

9 Sed contra arguitur 1. quod vacuum non possit vllo pacto à virtute creata causari. Tum quia colligatio corporum inter se est effectus vniuersalis ab authore vniuersali causatus, ergo cum quælibet virtus creata sit particularis, non poterit colligationem illam destruere. Tum 2. quia existentia vacui esset miraculosa, vt patet, nulla creatura virtutem ex se habet patrandi miracula. Tum 3. quia non solum Angelus, sed quodlibet aliud agens corporeum posset vacuum causare, quia ex dictis in conclusione nulla adesset resistentia. Tum 4. quodlibet magis inclinatur in bonum totius, quàm in proprium, quod est particulare, vnde manus exponit se ad saluandum caput, vt potè magis bonum, sed contiguitas est bonum totius vniuersi, permanentia in loco naturali est bonum particulare ipsi aquæ, ergo magis inclinatur in illud, quam in istud, ergo simpliciter resistit, ne detur vacuum.

Respond. ad 1. colligationem esse effectum vniuersalem, non considerando naturas corporum vniuersi, sed determinationem diuinæ voluntatis, quare solum probat secundam partem conclusionis. Ad 2. est miraculosa vacui existentia non secundum se, sed respectu diuini decreti; sicut esset Solis retrocessio, quæ viribus naturæ fieri posset; sed miraculosè nunc fieret propter diuinam determinationem. Ad 3. viribus naturæ spectatis possumus totum concedere. Ad 4. respondet Doctor in 3. citat. neg. maiorem nec exemplum adductum vrget, solum enim sequitur, quod totum diligit magis bonum sui ipsius, vel partis principalioris, quam minus principalis, vnde homo manum exponit, vt minus principalem ad salutem capitis magis principalis, non manus ex suo appetitu se exponit; sic virtus regitiua vniuersi, qui est Deus, mouet partes ad bonum totius, non ipsæ partes se mouent; vt in seq. quæst. explicabimus.

10 Secundò, quod de potentia Dei sit impossibile vacuum, Probat. Tum quia, ait Vulpes, corpus medium facit latera continentis distare formaliter, implicat autem, dari effectum formalem sine sua causa formali. Tum 2. vacuum est contra ordinem vniuersi, ordo autem est repræsentatio quædam diuinæ bonitatis, & est à diuina sapientia, quare vacuum erit quid inordinatum, contra diuinam artem, & contra repræsentationem diuinæ bonitatis, ergo nequit à Deo fieri. Tum 3. quia sicut ex discontinuatione partium in homine sequitur hominis destructio, ita ex discontinuatione partium vniuersi totum vniuersum destruitur, ergo non potest dari vacuum remanentibus partibus vniuersi. Tum 4. latera illa essent simul, cum nihil mediet, ergo non esset vacuum, Antecedens prob. quia non mediat aliquod positiuum, vt patet, neque negatiuum, quia maximè esset negatio quantitatis, & longitudinis, & tamen hæc negatiua distantia ad modum longitudinis conciperetur mediantis, vnde esset longitudo sine longitudine, & etiam quia negatio est in aliquo subiecto, ibi nullum esset subiectum. Tum 5. quia sequeretur, locum esse, & non esse, nam esset, quia vacuum est locus corpore carens, non esset, quia non esset locatum, ergo nec locus.

Respond. ad 1. corpus facit formaliter latera continentis distare, sed non præcisè, neque vt effectus formalis primarius, quia potest esse sine illo, vt patet in penetratione, agens producens corpus contentum effectiuè facit distare ex Scoto 4. distinctio. 43. quæstion. 5. C. quare quia potest Deus se solo facere quicquid cum causis secundis agit, potest se solo causare distantiam illam, etsi nullum sit medium, sicut quamuis priuatio frigoris in aqua sit effectus formalis caloris inducti in ipsa, potest tamen immediatè à Deo fieri, quia est effectus secundarius. Ad 2. vacuum est contra ordinem vniuersi à Deo præfixum, & ordinatum de facto, tamen poterat Deus aliter res ordinare, qui ordo esset quoque manifestatio bonitatis diuinæ, & conformis arti increatæ, non enim Deus in productione creaturarum totaliter suam bonitatem, & artem manifestat, quin posset aliter manifestare, quare negatur, vacuum simpliciter esse contra opificem æternum. Ad 3. posset paritas concedi in hoc sensu, quod in discontinuatione humani corporis destruitur vnum per se, at in discontinuatione partium vniuersi destrueretur vnum per accidens, & artificiatum; sed sicut in discontinuatione partium corporis remanent illæ partes, idem de partibus vniuersi dicendum. Ad 4. respondet Doctor quol. citat. inter illa mediare medium priuatiuum, adesse verò distantiam positiuam, quæ est relatio intrinsecus adueniens in ipsis extremis distantibus fundata ex dictis disputat. præced. & affert exemplum de distantia potentiali duratiua, vt diximus in probatione conclus. & hoc medium priuatiuum sufficit, vt illa latera simul non dicantur: est que negatio realis quantitatis, sed apprehensa ad motum quantitatis, quomodo habet esse rationis; neque debet in aliquo subiecto reperiri, quia non est priuatio, sed negatio, loquendo de capedine, & spatio illo medio, at si sumatur vt dicit negationem continentiæ localis, sic est priuatio in extremis corporis potentialiter continentis fundata. Ad 5. locus pro formali non esset in vacuo scilicet continentia actiua, sed esset locus pro materiali, scilicet superficies, quo sensu sumitur in definitione vacui.

QVÆSTIO II.

A quo moueantur corpora ad replendum vacuum, & an talis motus sit naturalis.

11 VArijs medijs vtitur natura ad euitandum vacuum, nam aliquando adhibet motum localem, cùm graue sursum ascendit, quandoque vtitur rarefactione alicuius corporis, qua corpus in ampliorem molem redditur, quandoque magno impetu vasa frangit, aliquoties per quandam negatiuam obsistentiam, vt cum latera follium compressa obstructo orificio, vt aer subingredi nequeat, non finit vllo pacto diuelli, & eleuari, alijs etiam vtitur medijs, prout postulat occasio, sed semper facilioribus; quærimus igitur, quænam sit causa effectiua horum motuum, & præcipuè localis, & an talis motus naturalis dici possit, an violentus; de qua re optimè disputat Amicus tract. 21. q. 3.

Diuersimodè opinati sunt Doctores de hac difficultate, nam aliqui posuerunt causam intrinsecam ex parte mobilis, Alij extrinsecam, Alij vtramque assignarunt. Qui intrinsecam dixerunt esse, Alij grauitatem, & leuitatem posuerunt, non quidem vt sunt naturæ quædam particulares, quia sit determinatos motus ad propria loca efficiunt, sed vt conseruationem, & vnitatem corporum respiciunt, quomodo motum indeterminatum, & ad quamlibet loci differentiam nata sunt causare ob diuersum finem, ita Scalig. Exerc. 1. §. 1. alij verò vt Conimbr. asseruerunt, in omnibus corporibus inditam esse virtutem quandam à grauitate, & leuitate distinctam, cuius munus sit vacuum impedire, prout fuerit opus. Qui causam extrinsecam assignarunt, Alij dixerunt esse Deum, vel intelligentiam aliquam regitricem vniuersi, quomodo videtur Scot. sentire in 3. distinct. 27. §. *Istæ rationes &c.* Alij formam totius vniuersi, cuius reliquæ formæ sunt partes, vt Fuentes 4. Physicor. quæstio. 2. diffic. 1. artic. 2. in fine, Alij influentiam quandam cœlestem, vt Ægid. 4. Physic. lect. 12. prop. 3. Gratian. dis. 1. lectio. 3. Alij dixerunt eum motum fieri à corpore aliquo medio, quod nimium deberet rarefieri ad replendum vacuum, & ideò aliud corpus attrahit ad motum alterius vt Cardan. de Subtil. libr. 1. Alij à corpore moto vim habente attrahendi contiguum corpus propter quandam adhærescentiam, vt aiunt, quam habent corpora omnia inter se, quæ ad modum glutinis vnita adinuicem conseruantur. Qui tandem vtramque causam posuerunt, ipsam dixerunt esse inclinationem illam in omnibus diffusam ad conseruationem totius, & causæ primæ concursum, vt Tataret. quæstio. de Vacuo, §. *Primò sciendum*, Sampson. 4. Physic. quæstio. 8. Complut. disputat. 20. quæstio. 1. Ruuius hic quæstio. 1. Auersa quæstio. 27. sect. 8. qui etiam addit & corpus motum, & motorem particularem. Et iuxta hanc varietatem variè quoque ad 2. partem quæstionis respondent de naturalitate horum motuum, nam qui virtutem intrinsecam assignant, dicunt motum illum esse naturalem simpliciter aut saltim partim naturalem, vt scilicet res omnes respiciunt bonum totius, & partim violentum, quatenus naturas habent particulares, ita præsertim Tol. 4. Physic. quæstio. 10. Auersa, & Fuentes citat. qui verò ab extrinseco aiunt omninò prouenire, ferè omnes violentum ponunt, quod speciatim defendunt Lorca p. 2. tom. 2. disputat. 4. §. *Sed tunc &c.* & Vaiq. disp. 25. cap. 4. & disp. 90. c. 4.

12 Sed contra illos, qui principium intrinsecum posuerunt, arguitur primò, quòd non sit grauitas, & leuitas: tum quia motus ad replendum vacuum eò est velocior, quò velocius mouetur corpus relinquens spatium, & quandoque velociùs aqua v. grat. ascendit ad replendum vacuum, quàm naturaliter descendat, ergo à grauitate nequit ille motus prouenire, quia ex se est determinata virtus ad producendum motum in determinata velocitate, nec velociùs potest mouere motus sursum, quam deorsum, cùm ille motus sit magis proprius grauitati, quàm ille; tum quia vt arguit Doctor. in 3. distinctio. 27. §. *Istæ rationes, &c.* nequeunt ab eadem forma ad vnum determinata duo oppositi motus prouenire simul, & semel, sed grauitas aquæ, cum sursum propter vacuum ascendit, resistit, & detinet impediendo motum illum, vt patet in clepsidra, in qua sentitur pondus aquæ, quod est signum resistentiæ; & propensionis ad motum deorsum; ergo nequit grauitas esse causa, cur aqua sursum detineatur. Deindè quòd non sit aliqua virtus omnibus innata ad replendum vacuum, probatur ijsdem rationibus cum Doctor. citat. nam ab eodem secundum idem; vnum tantum potest deriuare, ergo ab eodem forma substantiali nequeunt duæ potentiæ contrariæ emanare, qualis esset ista virtus, & grauitas in aqua; tum quia aliquando ad replendum vacuum res destruitur, vel rarefit vltra proprium statum connaturalem, vel frangitur, quæ omnia repugnant esse alicui connaturalia, quamuis propter bonum totius; tum quia magis connaturale est aquæ à contrario refugere, quàm coniungi, vt dicebamus in præced. quæstio. tum quia hæc virtus esset determinata ad tantam velocitatem, & tamen motus fit iuxta velocitatem motus corporis recedentis, & relinquentis spatium; tum quia si aqua concurreret propria virtute ad replendum vacuum, ergò licet propter grauitatem annexam aliqualiter grauitaret, non tamen eadem intensione, qua grauitat, cum in vase verb. grat. detinetur, sed minori, quia illa virtus diminueret resistentiam grauitatis; & tamen experimur, eandem aquæ portionem in vase, & clepsidra positam, cuius orificium sit occlusum, æqualiter ponderare, eandemque resistentiam sentiri in eleuatione vnius lapidis, cui alter vniatur ad replendum vacuum, ac si propter aliam causam coniungeretur; quod non esset verum, quia sicut augeretur virtus actiua motus ad replendum vacuum, ita minui deberet resistentia opposita.

13 Qua ratione vniuersaliter probatur etiam, nullum principium extrinsecum ex assignatis concurrere ad istum motum, maximè Deum, vel intelligentiam, & quia non determinata velocitate fit, non potest esse ab aliqua causa naturali, quæ est ad vnum determinata. Tum quia nequit esse totius vniuersi, nam nulla talis datur, quia mundus non est vnum per se, sed vnum vnitate ordinis, vnde definitur ab Aristot. libr. de Mundo capit. 2. quod sit compago è Cœlo, terraque coagmentata, atque ex his naturis, quæ inter ea continetur. Tum quia nequit esse influentia quædam cœlestis, quia quando corpus obsistit, ne moueatur, vt euenit in follibus, in quibus nequit fieri dilatatio occluso orificio, non posset ista obsistentia à Cœlo causari. Tum quia neque corpus medium, quod rarefieri deberet, potest hunc motum efficere, nam non videtur inter mutuò se tangentia aliquid mediare, maximè quando vnum istorum est fluidum, vel ambo, vt sunt aer, & aqua in fistula. Nec tandem erit corpus motum propter adhærescentiæ qualitatem, nam quæ ita adinuicem adhærent, non separantur, etiamsi aliud corpus subingrederetur, quia qualitas illa est agens naturale, & tamen videmus, corpora facillimè separari, si aer ingredi potest. Accedit, quòd in corporibus duris, & siccis non apparet ista qualitas. Ex quibus apparet falsitas ponentium principium tam intrinsecum, quàm extrinsecum huius motus.

14 Magis igitur placet sententia Amici citat. dicentis, in motu violento ad replendum vacuum duo interuenire, primum est coniunctio corporum vniuersi adinuicem, nam quamuis quodlibet possit à quolibet separari, non tamen ab omni; secundum, est motus ipse, quo vacuum repletur; colligatio habetur ab Authore naturæ ea lege, qua determinauit, vniuersum vnum contiguum esse, ad quam colligationem semper vult concurrere, vt diximus quæstio. præced. conclus. 2. & hoc modo intelligi debet Doctor in 3. distion. 27. citat. dum ait virtutem regitiuam totius mouere partes vniuersi, prout congruit benè esse totius scilicet conseruando contiguitatem partium. Motus verò fit à mouente corpus illud, in cuius locum aliud corpus violenter motum succedit; quia vt docet Scot. 4. distinct. 43. quæstion. 5. E. quod effectiuè mouet vnum corpus localiter, effectiuè quoque expellit aliud corpus, ergo a pari quod effectiuè mouet vnum corpus, effectiuè quoque mouet quodlibet aliud naturali vinculo coniunctum, vt patet in conglutinatis simul, ergo stante diuina determinatione colligatione vniuersi, qui attrahit aerem è fistula, attrahit etiam aquam effectiuè, & hinc est quòd eadem resistentia sentitur, siue aqua moueatur sursum propter vacuum, siue propter aliam causam, & proportionata velocitate motiuæ virtuti mouetur aqua; & si motoris virtus non est sufficiens ad eleuandam aquam illam secluso vacui periculo, nec etiam illam attrahet propter vacuum. Quod etiam euenit in condensatione, quod enim est causa condensationis, & restrictionis alicuius corporis ad minorem locum, est causa etiam, cur corpus ambiens moueatur ad superficiem condensati, sic quod est causa, cur ignis in cucurbitula extinguatur, & aer generetur condensior, est etiam causa, cur caro intumescat, & reliquus aer inclusus rarè fiat, vel frangatur vas, quando hæc omnia non sufficiunt ad impediendum vacuum.

15 Dices, docet Scotus in 4. citat. & quol. 11. artic. 2. quod si Deus in instanti condensaret aliquod corpus, vel illud annihilaret, & nihil circa latera continentis afficeret, quod tunc daretur vacuum ad tempus, quia non posset natura in instanti accurrere per motum localem ad repletionem vacui, ergo per Scot. datur vis aliqua insita rebus impeditiua vacui. Respond. quod Scotus iam se declarauit in 3. citat. talem vim non dari, quare per naturam intellexit Deum ipsum, vt authorem naturæ, in illis enim casibus Deus vt author vniuersi deberet mouere corpus ambiens ad superficiem condensati vel ad aliud latus continentis, sicut ipse est, qui condensat, vel annihilat corpus medium, & quia motus localis includens totam realitatem nequit fieri in instanti, ideò in tempore esset, & consequenter daretur vacuum ad tempus; vocauit autem ipsam naturam, vt eundem Deum, quatenus est author naturæ, à se, ipso, vt author est supernaturalis, distinguèret, quomodo se gereret in illa instantanea condensatione, vel annihilatione. Vel dicendum, quod ibi parum curauit hoc ex propria sententia explicare, sufficiebat enim ipsi loqui secundum communem. Dices iterum, motum corporis ascendentis ad impediendum vacuum prouenire à corpore succedente, & impellente ipsum. Et ratio est, quia non potest vnum corpus à loco recedere, quin expellat aliud corpus, & hoc aliud. Respond. tam corpus recedens à proprio loco, quam illi succedens ad impediendum vacuum, moueri ab agente mouente primum corpus, quod mouetur, quando incipit motus, quo fieret vacuum, nisi succederet corpus ascendens, vt verb. grat. attrahens aerem è fistula, qui est corpus recedens, attrahit quoque aquam, quæ est corpus succedens, neque in isto casu, dum graue ascendit contra propriam inclinationem ad impediendum vacuum, corpus succedens ex se impellit recedens à proprio loco, sed idem motor, qui corpus primum à suo loco extrahit, consequenter etiam aliud corpus illi priori contiguum mouet ad ascensum, quod enim effectiuè vnum corpus mouet, etiam & aliud mouet illi coniunctum naturali vinculo, vt ait Doctor 4. distinctio. 10. quæstio. 6. E. quod quidem vinculum in casu nostro est corporum contiguitas, & colligatio à Deo determinata; immò si diceremus corpus succedens aliud impellere cui succedit, hoc esse non posset virtute innata, quia graue ex se non habet virtutem sursum impulsiuam, sed deorsum, vnde dicendum esset talem virtutem ei fuisse communicatam à motore corpus sibi proximum, à proprio loco dimouente.

16 Sed rursus instabis, quia si esset talis colligatio inter corpora, ex ea non potius oriri deberet, quod corpus recedens trahere debeat post se corpus subsequens, quam corpus subsequens detinere corpus recedens; & si talis colligatio esset ex sola ordinatione diuina, sicut illa colligatio tribuitur Deo, ita etiam & motus factus ad replendum vacuum Deo immediatè tribui deberet, non autem motori corporis recedentis, nisi per modum conditionis sine qua non; quatenus si ipsum non moueret corpus recedens, nec Deus moueret corpus subsequens. Respond. naturam semper facilioribus vti medijs ad impediendum vacuum, facilius autem in præfato casu euitatur vacuum per attractionem aquæ in fistulam sursum, quam per detentionem aeris in fistula, quia facilè assignatur causa efficiens talis attractionis, con ita detentionis aeris, nisi ad Deum recurramus immediatè detinentem corpora colligata, quod non benè diceretur, quia ad Deum in effectibus naturalibus non est recurrendum, nisi vbi deficiunt aliæ causæ naturales, quæ in proposito non desunt, tum quia melius est si fieri posset, seruare corporum colligationem finendo causas secundas motus suos agere, quam eos impediendo, impediretur autem actio causæ secundæ, si ex fistula aquæ immersa ex parte inferiori, aerem attrahere non possemus. Ad aliud etiam negatur consequentia, quamuis enim colligatio corporum ex decreto diuino pendeat immediatè, non propterea motus corporis succedentis verb. grat. aquæ in locum aeris debet Deo immediatè tribui, sed motori corporis recedentis benè tribuitur supposita tali colligatione à Deo determinata, quia connaturale est, quod agens moueus effectiuè vnum corpus, aliud quoque naturali vinculo ei coniunctum moueat consequenter.

Ex ista doctrina colligitur solutio alterius partis quæstionis, scilicet quod motus iste, respectu corporis particularis est, totaliter violentus, nullo modo naturalis; ita docet Aristot. 4. Cœli 39. vbi habet, quod aqua sursum ad replendum vacuum vi mouetur, & tractione, qui est motus violentus ex 7. Physic. 10. idem etiam docet Doctor. in 3. sæpè citat. & in 4. distinction. 49. quæstion. 13. H. ratio huius est, quia, vt habet Doctor in 3. citat. aqua ad motum sursum nullam præbet inclinationem, etsi propter vacuum fieret, ergo nullo modo est naturalis ipsi, Antecedens patet ex dictis; vnde non rectè Fuentes asserit, aquam vt partem vniuersi naturaliter sursum moueri, quia neque vt pars vniuersi, ait Doctor, habet aliquam inclinationem ad illum motum, vt etiam ostendimus. Neque hoc docet Scotus in 4. citat. sed solum quod si motus aquæ sursum comparetur vniuerso, dicetur naturalis, quia consentaneus

neus perfectioni vniuersi : Addit insuper , quod simpliciter loquendo , motus ille dicetur naturalis , & secundum quid violentus; quia natura totius vniuersi , cui motus ille est conformis , est magis principium naturalitatis , quam natura particularis , vt est aquæ natura , cui motus ille opponitur ; ex qua doctrina nequit deduci , quod motus ille respectu aquæ , vt est pars vniuersi sit magis naturalis , quam motus deorsum , vt facit Fuentes , non enim Doctor comparat motum sursum propter vacuum ad aquam secundum se,& vt est mundi pars, sed ad aquam,& ad vniuersum ; vt patet legenti,præcipuè in 3.citat. & opinio Fuent.docetur à Thomistis, non à Scoto.

QVÆSTIO III.

De Motu in Vacuo.

16 DVo possent quæri in hac quæstione , primum , an si daretur vacuum , posset in eo fieri motus aliquis , Secundum , admisso , quod efficiatur motus , an talis motus in instanti fieret , an in tempore , & successiuè . Quoad primum negant Albert.4.Physic.tractat.2. capit.7. Ægid.Burl. Iand.Saxo.ibidem Venet. in summ.Physic.capit.22.Vallesc.controu.26.Physic.Perer.libr.11.capit.12.Gregor.2.distinctio.6.quæst.3.articul.2. & alij cum Auuerr.4. Physic.comm.71. & hoc vel vniuersaliter omnem motum, vel aliquem ; nam Auerr. admittit motum proiectorum in vacuo ; Masius disputat.de Vacuo quæstio.2. & Complut. disputat.2. quæstio.3. admittunt motum à Deo , vel ab Angelo causatum , non tamen ab his sublunaribus , eo quia omnes isti motus à motu Cœli essentialiter dependent , dummodo tamen Deus influxuum cœlestem non suppleret ; Auersa quæstio.27. sect.9. omnem motum admittit præter naturalem grauium , & leuium , quia in vacuo non adsunt differentiæ loci naturalis sursum , & deorsum ; Alij excipiunt motum volatiuum , & progressiuum , si terra non esset propter carentiam substentantis , Communis tamen , tam veterum , quam recentiorum vniuersaliter omnem motum admittunt in vacuo terminato , licet in spatio interminato negent motum naturalem grauium , & leuium ; ita Doctor. 2.dist.2.quæst.9.ad 4. Quoad secundum, data hypothesi,quod res aliqua in vacuo moueretur , dicunt aliqui motum in instanti absolui debere, non in tempore, ex quo absurdo postea deducunt impossibilitatem motus in vacuo,ita Auerr.Burl.Ægid.Iand.Venet. & Perer. citat.Sed vulgata est apud omnes opposita Opinio cum Doctor. citat. motum illum in tempore fore causandum ; licet Canon.4.Physic.q.4. & Sampson. q.9. vtranque opinionem problematicè defendant.

ARTICVLVS I.

Possibilitas motus in Vacuo comprobatur.

17 DIcimus , non repugnare motum fieri in vacuo , est Scoti citat. & Prob. primò vniuersaliter , vbi datur mouens , mobile , & extrema , quorum vnum mobile potest de nouo acquirere relinquendo aliud,ibi potest esse motus,vt patet ; in vacuo, si daretur, posset esse tam mouens , quàm mobile cum carentia alicuius formæ ; neque carentia medij in omnibus impediret,ergo verè daretur ibi motus.

Secundò Probat.descendendo ad motus in particulari , nam si loquamur de Deo , patet , quod posset in vacuo aliquod mobile mouere ; Angelus posset seipsum , & aliud mobile localiter mouere, quia à medio pleno nullo modo dependet ; si enim aliquid repugnaret , esset , quod motus ille instantaneus foret , quod implicat ; sed iam artic.seq. ostendemus , successiuè fieri . Posset etiam agens sublunare propris viribus motus suos efficere , non enim in agendo à Cœlesti motu essentialiter dependet , vt isto cessante , nequeat motus proprios agere ; nam vt docet Doctor. 2.distinct.2. quæstio.11. & 4. distinct.48. quæstio.2. & distinct. 49. quæst.14. M. ex Aug.11. Confess.stante Cœlo adhuc rota figuli moueretur ; & tempore Iosue cum Sol stetit obediente Deo voci hominis , adhuc causæ sublunares proprias actiones exercebant ; quod fusiùs probamus in lib. de Cœlo : hinc si aliquod viuens sufficienter haberet alimentum applicatum,& respiratio non impediret , posset nutriri , & augeri , immo generare , si materia seminis esset in loco proportionato ; nec solum , si esset homo , posset intelligere , verùm etiam sensationes tactus , & gustus exercere , si sensibilia haberet approximata , quia istæ operationes non dependent à medio pleno ; non posset tamen videre , vt notat Doctor. 2. distinct.9. quæstio.2. C. quia ad visionem requiritur species visibilis in medio ab obiecto producta , cùm sit accidens , at in vacuo nullum esset subiectum , in quo talis species reciperetur , eadem ratione idem de auditu dicendum , & de olfactu , nisi vt ait Sampson , apponeretur corpori odorifero aliquid resoluens ipsum in fumalem euaporationem , quæ ad olfactum deferretur , quod non implicat , quia fumalis illa euaporatio, cùm sit substantia , & non pendet à medio pleno : similiter si ignis contingens esset fluxæ , illam combureret , ac si aliquantisper distaret , minimè illam destrueret , Ratio est , quia etsi generando posset agere immediatè in distans , attamen alteratio , quæ est actio necessariò præuia generationi , dependet à medio , nec potest immediatè fieri in distans iuxta dicta disputat.7. quæstio.4.articul.3. modò non posset ignis medium illud alterare , cum plenum non foret .

18 De motu locali seu lationis idem ostenditur , nam in primis posset in vacuo fieri motus proiectorum , si talis fieret per impetum impressum , vt dicimus in libr. de Cœlo , medium enim plenum potiùs impediret , quàm causaret motum . Deindè in vacuo interminato posset Angelus , si ibi esset , se mouere, & si vltima sphæra non ambiretur Empyreo , sed immediatè à spatio inani circundaretur , si illi aliqua virga ferrea esset affixa , posset , immo deberet ad motum sphæræ moueri , & tamen in vacuo moueretur ; quod dicendum esset quoque si inferiores sphæræ destruerentur à Deo , verè enim tunc vltima sphæra circulariter in vacuo moueretur . De motu naturali grauium , & leuium aliter est dicendum; nam si grauia , & leuia ideò ad propria loca sursum , & deorsum mouentur, quia petunt dumtaxat esse grauia sub leuibus , & leuia supra grauia, quod innuimus disputat.præced. & videtur à Scoto doceri 2. distinc. 2.quæstio. 6. H. & non quia determinatum situm postulent in vniuerso , sic rectè ait Auersa nullo modo naturaliter moueri tam in vacuo termino , quàm interminato , quia in nullo istorum esset assignabilis locus naturalis sursum, & deorsum ; & eodem modo se haberent hic , & ibi , quia nullum corpus contiguum haberent, à quo possent determinari, in quam partem debeant moueri , & extrema distantia nil faciunt , aliter si aqua esset supra aliquod graue sub quo aer reperiretur , vt est modò mare supra terram , in cuius concauitatibus plurimum aeris detinetur , non naturaliter quiesceret , quia extremum remotum leuius subtus haberet , quod est falsum ; quare naturalitas loci penes corpus proximum , & circumstans debet attendi , & cùm in vacuo terminato nullum esset tale corpus , eodem modo se haberet graue , ac in spatio interminato. Si verò ad rationem loci naturalis non tantum corpus continens attendatur , verùm etiam situs vniuersi vt videtur innuere Doctor. citat. quæstio.10. B. dum ait , *Si nullum graue esset in centro , sed tota terra amota ab eo , & remanente centro sub sola ratione centri vt prius , adhuc graue naturaliter tendere ad centrum* ; tunc dicendum esset grauia , & leuia , quamuis in spatio interminato non possent naturaliter moueri , quia non essent assignabiles istæ locorum positiones sursum , & deorsum , attamen in vacuo terminato intra vniuersum possent naturaliter moueri ad propria loca , quia verè daretur adhuc sursum , & deorsum : quid autem determinatè sit de hoc asserendum , pertinet ad libr. de Cœlo disputat. 3. vbi de elementorum loco , & positione agimus. Tandem de motu progressiuo animalium supposito quòd respiratio non impediat , vt erunt corpora Beatorum post Iudicium , si essent in vacuo interminato , clarum est , quòd possent moueri motu progressiuo , cùm virtutem habeant motiuam , & nihil impediat ; at si essent in vacuo terminato , & grauia , ac leuia ad propria loca tenderent , non solùm vt sub leuibus , vel supra grauia sint , verùm etiam ratione situs vniuersi , tunc non posset moueri sine sustentaculo sub pedibus , vnde volatus auium non posset confici : at si ad situm non tenderent , sed tantum ad superficiem corporis continentis, & conseruantis , sicut tunc vt grauia deorsum non tenderent , nec sustentante indigerent , possent moueri motu progressiuo , & volatu , ac si essent in spatio inani interminato , eadem enim vtrobique est ratio . Specialiter tamen est aduertendum contra Auersam , Amicum , & alios concedentes motum progressiuum in vacuo , sed negantes , lapidem tecto aulæ vacuæ coniunctum deorsum posse moueri propter naturalem sympathiam , qua omnia corpora appetunt mutuò sibi adhærere ; si enim hoc esset verum , non posset animal à terra pedem eleuare, vel si talem resistentiam naturalis sympathiæ propria virtute motiua vincere posset ; idem de lapide dicendum , quia innatam vim motiuam possidet .

19 In oppositum arguit ; Tum quia non posset mobile ad vnam partem moueri , quia non esset maior ratio , cur potius ad hanc partem tenderet , quàm ad illam : & ad omnes simul tendere non potest , quare naturaliter non posset moueri , nec violenter, quia amoto naturali motu , remouetur quoque violentus. Tum secundò , quia si hoc esset , naturaliter posset dari vacuum, quia spatium illud à mobili occupatum fieret inane per motum , atque ita naturaliter mobile vacuum causaret . Tum tertio , quia omnis motus sublunaris pendet à cœlesti motu , & influxu ex 8. Physic. 56. & 12. Met.38. sed in vacuo non posset transmitti influxus , cùm nullum sit medium plenum , ergo &c. Tum quartò , quia motus localis non potest esse sine loco , nec locus sine superficie , in vacuo nulla est superficies , ergo &c. nec sufficit quod ait Faber theor. 46.ad 7. ad motum localem sufficere , quod detur corpus vnum , quod sit terminus à quo , & aliud , quod sit terminus ad quem , licèt medium sit vacuum ; quia sic admittitur in vacuo interminato , & in medio vacui terminati non fieri posse motum , quia nullus terminus tunc acquireretur . Nec eadem ratione sufficit , quod ait Masius hic quæstio.2. & sequuntur multi Scotistæ ac Thomistæ acquiri variam distantiam ad centrum, polos, & alias partes mundi præcipuas , quæ essent latera vacui ; quia præterquam

quam quod adhuc remanet difficultas de vacuo interminato , relatio distantiæ , & propinquitatis est intrinsecus adueniens , vt patet ex dictis disputatio. præced. quæstio. 3. & colligitur ex Scot. 4. distinctio. 12. quæst. 2. R. nam positis extremis hic , vel ibi , necessariò inter ea resultat tanta distantia , vel propinquitas , quia huiusmodi relationes non immediatè fundantur supra res , sed supra vbicationes illarum quæ determinatæ sunt ad fundandam tantam distantiam , vel propinquitatem , vt ait Doctor citat. relatio autem intrinsecus adueniens nequit motum terminare. Nec minus sufficit responsio Complut. disputatio. 20. quæstion.3. quòd tunc ambiretur mobile à loco communi scilicet Cœlo , idque foret Vbi , quod tunc acquireretur; Nam præterquam , quòd nec ipsi euitant difficultatem de vacuo interminato , respectum , quem mobile acquirit in ordine ad Cœlum , malè appellant vbi locale , quia vbi est immediata circumscriptio locati à loco , & respectus , qui acquiritur ad varias Cœli partes , est propinquitatis , vel distantiæ , non autem localis præsentiæ : & cùm Cœlum sit locus communis omnium , tunc omnes motus locales , siue sursum , siue deorsum essent eiusdem speciei , immo non esset distinguere in eis locum , qui sit terminus à quo,à loco,qui sit terminus ad quem .

20 Respond. ad primum ex dictis in probatione Conclus. quo sensu concedi deberet motus naturalis grauium , & leuium in vacuo , non sequitur autem , quòd si naturaliter non mouerentur , neque motu proiectionis moueri posse , quia licèt iste non esse violentus , quia non daretur naturalis motus , verè tamen ab extrinseco , si neutraliter possent moueri . Ad secundum negatur sequela , nam etsi mobile illam partem vacuam redderet , id tamen referri deberet ad potentiam diuinam , quæ vacuum illud efficit . Ad tertium conceditur totum à P. Fabro ; sed non videtur hoc Scoticè dictum , vt apparet ex probatione Conclus. dicimus igitur cum Doctor. 4.distinct.49.quæstion.13.G. motum Cœli non esse primum primitate causalitatis respectu motuum sublunarium , sed principalitatis , & vniformitatis , & in tantùm adest quædam dependentia , inquantum adducit generans ; Similiter neque omnia ab influxu cœlesti necessariò dependent , vt saltim ab illo præscindendo , non possint causæ sublunares aliquas operationes exercere, quamuis dependeant quo ad conseruationem , vt fusiùs suo loco . Ad quartum iam supra dictum est disputat. præced. quæstio.3. articul. 2. & quæstio.4. articul.1. motum localem non posse fieri nisi in pleno , in quo solum reperitur Vbi locale , quod attenditur penes superficiem realem ambientem , tamen motus lationis secundum totam suam realitatem tam fieri potest in pleno , quàm in vacuo, quia per se terminus eius est Vbi præsentiale , Vbi verò locale tantum per accidens , quatenus accidit motum lationis fieri in pleno ; itaque terminus motus in vacuo facti esset Vbi præsentiale , quod non eodem modo explicatur ab omnibus ; nam Recentiores attendunt illud penes determinatas partes spatij , putantes, spatium per positionem corporis non tolli , vt patet ex disputat. præced. quæstio.1. articul.1. illudque putant esse idoneum terminum motus lationis , qui est positiuus , & realis , quia inquiunt præseferre formam absolutam , cum respectu tamen transcendentali ad spatium , vnde non ita commodè possunt hanc adhibere responsionem , qui istud Vbi præsentiale ponunt esse merum respectum prædicamentalem , quia licèt dici posset respectus realis , non tamen positiuus , atque ita non videtur sufficiens , & proportionatus terminus motus realis , & positiui, qualis est motus lationis . possent tamen adhuc isti subterfugere dicendo , non quemlibet motum lationis esse positiuum , sed illum tantum , qui sit in pleno , eum verò , qui fit in vacuo , esse motum realem negatiuum , qualis est corruptio . Sed tamen neque hæc responsio sufficit ; tum quia in corruptione saltim terminus à quo est realis , & positiuus , sed in proposito vterque est negatiuus ; tum quia etsi hæc responsio procederet de motu Angeli , qui spatio coexistit , non tamen in motu temporis , quod spatio non coexistere præced. disputatio. ostensum est ; nisi diceretur , Vbi præsentiale tunc desumi penes spatium immediatè corpus illud circumstans . In easdem recidunt angustias , qui in isto motu pro termino à quo assignant negationem vnius loci realis, & pro termino ad quem negationem alterius loci realis , & adhuc peius alijs,loquitur Bonet.lib.5. suæ Physicæ, vbi non reputat absurdum concedere motum localem sine nouo Vbi . Quare præstat respondere iuxta superiùs dicta , Vbi præsentiale , quod est per se terminus motus lationis , attendi debere penes determinatas partes virtuales diuinæ substantiæ per totum illud spatium diffusæ , quatenus in toto motu illi toti coexisteret , sed non totaliter , qui respectus, cùm sit verus , realis & positiuus , & à mobili realiter distinctus , quia modò coexistit Deo hic , modò ibi in eo spatio sufficienter terminare potest motum realem, & positiuum .

ARTICVLVS II.

Successio motus in vacuo demonstratur .

21 DIcimus , motum in vacuo successiuè , non instantaneè fieri ; ita Doctor citat. quod probat , quia successio in *Mastrij, & Belluti Tom. II. Physica .* motu prouenit ex resistentia aliqua , in vacuo datur huiusmodi resistentia , ergo successiuè fieret iste motus , Maior patet , prob. minor , quia licèt resistentia prouenions ex raritate , vel densitate medij , quæ à Scoto accidentalis dicitur , quia potest a motu separari , non esset in vacuo , reperiretur tamen resistentia essentialis , quatenus spatium illud , & distantia terminorum saltim priuatiua nequit simul pertransiri , sed priùs secundum vnam partem , quàm secundum aliam ; nec mouens est tantę virtutis,cùm sit finitum , & limitatum , vt possit terminum statim inducere . Tum quia motus circularis Cœli successiuè fit ; quamuis nulla sit resistentia ex parte medij , sed solùm quia adest essentialis resistentia ex parte termini , & mobilis respectu mouentis , quòd non potest statim vltimatum terminum ad quem inducere ; & si vltimæ sphæræ aliqua virga ferrea esset affixa , successiuè moueretur in vacuo ad motum sphæræ . Tum quia Angelus successiuè descendit è Cœlo ad terram , cui tamen nullum medium quo ad densitatem, vel raritatem resistit . Tum quia vt ait Canon. si esset columna aliqua in vacuo , & duo lapides simul descenderent iuxta illam, vnus tamen à summitate , alter à medio , non possent simul in instanti descendere , sed qui est à medio priùs alio , quia quando ille à summo descendens est in medio , vel lapis hic existens est iam motus , vel non ; si secundum ; ergo non simul inciperent moueri ; si primum , ergo vnus priùs alio , ergo successiuè . Tum quia vel simul lapis ille esset in tota columna , ita vt omnia Vbi intermedia haberet in instanti naturæ priori , & hoc est falsum , quia naturaliter nequit fieri motus localis includens totam realitatem in instanti , immo nec de potentia Dei , vt dicemus disputatio. 15.quæstio. 6.articul.5. & etiam quia lapis naturaliter esset in pluribus locis, ac quantitati maiori commensuraretur ; immo simul commensuraretur quantitati maiori , & minori, nam si lapis esset palmaris , iam si in instanti esset in tota columna , esset illi commensuratus , & etiam semipalmo eiusdem columnæ , quia valeret dicere , in hoc instanti lapis palmaris est in hoc semipalmo columnæ , & per consequens illi commensuratur , & æquatur , aliter si priùs secundum vnam partem , quàm secundum aliam pertansiret lapis semipalmum columnæ , non in instanti , sed in tempore percurret . Vel dicetur , quòd lapides illi non percurrunt totam columnam , sed in instanti fiunt in fine columnæ , & vltimo Vbi præsentes , vt videtur docere Sampson.citat. ex Burl. & hoc est falsum , quia neque Angeli possunt se taliter mouere ab extremo ad extremum non transeundo medium , cuius ratio assignatur à Scoto 2. distinctio. 2. quæstion. 12. quia ordo præfixus à superiori agente videtur necessarius cuicunque agenti inferiori , quando habet actionem præcisè circa talia ordinata ; modò Deus determinauit ordinem partium principalium vniuersi cuilibet agenti creato , ergo nequit agens creatum cuicunque Vbi immediatè præsens se facere . Tandem vt notat Auersa , medium , quando est subtilissimum , vt aer , potius adiuuat motum naturalem , quàm retardet , vel saltim plus adiuuat , quàm retardat . nam aer propter sui magnam raritatem parum resistit , & consequenter parum retardat , at accurrendo à tergo lapidi ad replendum spatium lapidis , impellit illum , intenditque motum , vnde valde velox in fine est naturalis motus , ergo medium plenum hoc modo si non plus adiuuat motum lapidis deorsum,quàm retardet , saltim compensatur vtrumque , & tamen successiuè fit,ergo medium non est totalis causa, & præcisa successionis in motu .

22 In contrarium obijcitur ; Tum quia Aristot. 4. Physic. à text. 65. demonstrat , vacuum destruere motum , quia necessariò deberet in instanti fieri . Tum secundò ex eodem , qualis est proportio medij ad medium in subtilitate , & densitate, eadem est proportio motus ad motum in velocitate , & tarditate, & temporis ad tempus , quia ideò mobile velociùs , aut tardiùs mouetur , quia magis, vel minus euincit resistentiam medij , sed vacui ad plenum nulla est proportio in subtilitate , & densitate , ergo nec motus ad motum in velocitate , & tarditate , nec temporis ad tempus horum motuum , quod tamen deberet esse , si motus in vacuo fieret in tempore , nam tempus semper cum tempore habet proportionem. Tum tandem quia multa sequerentur absurda . Primum , quòd motus factus in pleno posset esse æqualis motui facto in vacuo , quia sit aliquod plenum subtile in tanta proportione , quod excedat aliud plenum subtile tantum , quantum tempus motus facti in vacuo excedit tempus motus facti in pleno illo , tunc si fiat motus in hoc pleno subtiliori , erit æqualis motui facto in vacuo . Secundum , quòd in pleno fieret motus minori tempore , & velociùs , quàm in vacuo , nam si motus in vacuo duraret per quadrantem horæ , & in pleno per horam , si Deus aliud plenum subtiliùs vt quinque produceret , motus in isto fieret velociùs , quam in quadranti . Tertium , quòd vacui ad plenum esset aliqua proportio , nam quæ proportio est motus ad motum , eadem est temporis ad tempus, & spatij ad spatium , ergo si motus in vacuo esset successiuus , iam esset proportio inter motus in pleno , & in vacuo & inter tempora vtriusque , ergo inter spatium plenum , & vacuum,quod est falsum,quia vacuum est non ens , & infinitè exceditur à pleno . Quartum , duo corpora , quorum vnum esset grauius, alterum minus graue , posse æquali tempore quodcunque spatium vacuum percurrere , quia ratio , cur grauius velociùs descendit , est , quia faciliùs secat

medium, & in vacuo nullum est medium. Quintum, quòd corpus simplex naturaliùs, & velociùs moueretur in vacuo, quàm in pleno, in quo maiorem reperit resistentiam, contra Aristot. 3. Cœli 28. vbi habet, naturam vti medio tanquam instrumento ad faciendum motum naturalem, & violentum, & motum naturalem iuuari à medio. Sextum, quia nunc de facto nunquam corpus simplex moueretur purè naturaliter, neque tanta velocitate, quanta aptum est moueri, & sic sua potentia frustraretur. Probatur, quia de facto dumtaxat per plenum mouetur, quod aliquantum resistit, & retardat motum. Septimum, quòd figura quadrata, & piramidalis eque velociter mouerentur.

23 Respon. ad primum, valdè laborare Doctores de Aristot. sensu, cum motum in vacuo negauit; conueniunt in hoc, quòd loquatur ad hominem contra Antiquos, qui vacuum admittebant propter motum localem ex vna parte, ex alia deinde asserebant, omnem successionem ex resistentia medij pleni prouenire, contra quos rectè arguit Aristot. quòd motus in vacuo in instanti fieret; sed in hac quæst. circa sententiam Aristot. idem contingit, quòd in illa alia de motu indiuisibilis, quem negauit, sed non rationibus firmis demonstrauit vt dicemus disputat. 15. quæst. 8. articul. 1. quare rationes ponderemus. Ad secundum, inter vacuum, & plenum non datur proportio quo ad subtilitatem, & densitatem, quæ sunt causa successionis accidentalis, at est proportio quo ad distantiam extremorum, & impotentiam agentis; quæ causant successionem essentialem, qua ratione tempora horum motuum possent proportionari. Ad vltimum negantur illa absurda, & ad primum dicimus per idem, quod possent illi motus æquari, quo ad successionem essentialem ex parte spatij, & distantiæ, ac impotentiæ agentis, non in successione accidentali; Ad secundum concedimus posse minori tempore absolui motum in pleno, quàm in vacuo, quoad successionem essentialem, putà si varietur spatium, & distantia, aut virtus motiua, at cœteris paribus semper velocior esset motus in vacuo, quam in pleno: quia maior subtilitas minuit tempus correspondens successioni accidentali; non essentiali, hoc enim semper adest. Ad tertium patet ex dictis, dari scilicet proportionem non in entitate, sed in distantia extremorum, quæ in pleno esset positiua, in vacuo priuatiua ex Scot. quol. 11. articul. 2. tantum enim parietes alicuius aulæ inter se distarent, si esset vacuum, quantum si esset medium plenum inter illos. Ad 4. neg. sequela cum probatione, quia illa non est præcipua, & præcisa ratio, cur grauius velocius descendat corpore minus graui, sed hoc est, quia habet maiorem virtutem motiuam deorsum pellentem, quam adhuc retineret in vacuo, an autem verum sit, vt communiter tenetur grauius descendere citius minus graui, tractamus ex professo disputat. 3. de Cœlo à num. 52. Ad 5. quoad successionem essentialem mobile vtrobique æquè velociter mouetur, at quoad accidentalem, si medium plus resistit, quam adiuuat tardius fit, si minus resistit, & plus adiuuat, fit velocius, si æquè resistit, & adiuuat, tunc fieret in tempore æquali, neque hoc est absurdum, quia cœtera non sunt paria, nam in vacuo esset solum virtus motiua mobilis, in pleno adiuuatur à medio, & sic ab extrinseco augetur virtus, & hoc vult asserere Aristot. tum quia loquebatur naturaliter, quia si medium non esset, altera extrema vnirentur, & sic nullus posset fieri motus, quare medium ex hoc capite est necessarium; neque maior velocitas est de ratione naturalitatis motus, vt in argumento supponitur, nam lapidi descendenti non est magis naturalis descensus per aerem, quam per aquam, vbi ex maiori densitate corporis magis retardatur, sed de ratione naturalitatis motus est, vt mobile quam breuiori possit via in suum naturalem locum tendat. Ad 6. patet per idem, quia velocitas non est de ratione naturalitatis motus, sequitur solum in vacuo graue vniformiter moueri, tam in principio, quam in medio, & fine, quia nullum esset medium impellens, si verum est, de quib. in libr. de Cœlo disput. 3. quæst. 3. vt communiter putantur, motum naturalem velocitari in fine à medio accurrente à tergo, non per hoc tamen frustraretur sua potentia, quia motus fit semper cum tanta velocitate, quantam petit successio essentialis, & eius motiua virtus. Ad 7. concedimus totum, quia figuræ illæ faciunt ad successionem accidentalem.

24 Secundò, in vacuo nulla est resistentia, ergo nulla successio in motu. Antecedens probat, non est resistentia ex parte medij, vt patet; neque ex parte distantiæ, seu spatij inter terminos à quo, & ad quem; tum quia hæc distantia nihil est, ergo nequit successionem realem causare; tum quia in illuminatione hæc distantia non impedit, quin in instanti fiat; Neque ex parte agentis datur resistentia, quia si contrarium non adest, agit ex se in instanti, vt patet in illuminatione; Tum 2. quia agens sibi ipsi non repugnat, vel resistit, ergo nequit attendi resistentia actionis agentis ex parte ipsius agentis; Tum 3. quia agens, quantùm est ex se, vellet terminum statim inducere, Tum quartò, quia si limitatio virtutis agentis esset causa aliquo pacto successionis, iam grauius non velociùs descenderet minus graui, quia licèt habeat maiorem virtutem, attamen quia hæc maior virtus secum affert limitationem, haberet quoque maiorem limitationem, & sic omnia essent paria.

Respond adesse resistentiam ex parte distantiæ. Ad primam impugnationem dicimus, distantiam priuatiuam non causare effectiuè moram realem, & positiuè, sed quasi formaliter, quatenus nequit mobile simul habere distantiam illam, à qua exceditur. Ad secundum dicimus ex Scot. 2. dist. 2. quæst. 12. ad secundum, posse fieri alterationem in instanti, quia tota forma in ordine ad agens, & spatium se habent vt indiuisibilia, non enim repugnant cum potentia agentis, vt simul esse nequeant, vt est lumen, at tota distantia, cùm sit diuisibilis, & mobile, cum sit diuisibile, resistunt potentiæ genti, quod non possit tota illa distantia acquiri simul, sed diuisibiliter, & quod magis est resistit etiam potentiæ diuinæ, quæ resistentia non est aliud, quàm implicantia. Adest etiam resistentia ex parte agentis, quia est limitatæ potentiæ; & ad primam improbationem dicimus, verum esse, si terminus potest indiuisibiliter acquiri, non sic est distantia spatij. Ad secundam, non resistit positiuè, & contrariè, sed negatiuè, quatenus maiorem virtutem non habet. Ad tertiam, appetitum illum, si datur, esse conditionalem, si posset fieri. Ad quartam, neg. sequela cum probatione, maior enim virtus aufert limitationem potentiæ, quia intenditur potentia, & licet quilibet gradus ex se sit determinatus, & limitatus, attamen vniti non habent eandem limitationem, quia fit auctio secundum intensionem, non secundum extensionem, & solùm limitati intelliguntur quo ad perfectionem, quam vlterius non habent; videatur Contaren. iunior. tom. 1. quæst. Perip. q. 13. vbi hanc tuetur sententiam, velut Aristoteliçam.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De Duratione rerum.

1 *Occasione motus non solùm Philosophus egit de loco, eò quia localis motus ad locum, vt ad terminum tendit, verùm etiam de tempore, quod est ipsius motus mensura, & duratio: attamen quia durare non solùm motui conuenit, verùm etiam alijs rebus naturalibus, idcircò non solùm de tempore, verùm de alijs quoque durationibus præstat agere, eò vel maximè quòd nostra Philosophia, vt sæpè dictum est, ad Theologiam est ordinata; primò igitur agemus de duratione in communi, deinde de speciebus ipsius, quæ communiter tres solent assignari scilicet Æternitas, Æuum, & Tempus, & quamuis multæ aliæ sint species, ad istas tamen possunt reduci, ipsas postea in alias subdiuidendo; nomine ergo durationis, si vim vocabuli attendamus, intelligitur id, quo res est, & persistit in rerum natura, & propriè dicit quandam permanentiam in esse, & perseuerantiam in eodem statu; vnde Virgilius,* Durate, & vosmet rebus seruate secundis, *at si latiùs sumatur, dicit habitionem quamcunque alicuius esse etiam instantaneam, quæ duratio duplex esse potest, imaginaria, quæ concipitur à nobis ad modum cuiusdam moræ successiuæ durationibus realibus coexistentis, & realis, qua res verè durare à parte rei dicitur; disputatio de secunda, non de prima instituitur.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid formaliter dicat Duratio.

1 PRima Opinio asserit, durationem supra existentiam rei formaliter addere rationem mensuræ; ita multi ex Thomistis; quos sequuntur ex nostratibus Canon. 4. Phys. q. 5. dub. 3. & q. 8. ar. 2. Ant. Andr. 5. Met. q. 11. & quia mensura est duplex, actiua, quæ est quantitas intellectui nota, per quam de alia ignota certificatur intellectus, & passiua, quæ dicit aptitudinem, & mensurabilitatem rei, vt possit per notiorem quantitatem ab intellectu dignosci, vt fusiùs dicemus q. 4. ar. 2. hinc differunt inter se, nam aliqui dicunt, rationem mensuræ actiuæ formaliter importari à duratione, alij rationem mensuræ passiuæ, & alij vtramque.

Secunda Sententia docet, durationem aliquid superaddere existentiæ ex natura rei ab ea distinctum, vel vt rem à re, quod videntur asserere Complut. de duratione creata disp. 21. Phys. q. 3. quam ponunt accidens reale, vel potius, vt modum à re, cuius est modus, quia inquiunt, durationem esse modum existentiæ positiuum, quo formaliter res in existentia perseuerat, ita Ruu. 4. Phys. tr. 1. de Tempore q. 4. Conimb. c. 12. q. 3. & 9. Murcia disp. 3. q. 3. & probabilem putat Amic. tr. 22. dub. 2. art. 3.

Tertia, quæ communis est apud Scotistas, vt est videre apud Vulpes 1. par. disput. 17. Smisinch. tract. 2. disp. 4. q. 1. docet durationem formaliter addere negationem desitionis, tunc enim res permanere concipitur, cùm eius esse non destructum intelligitur, & quia si solùm per instans existeret, verè in eo instanti destructa non esset, idcircò dicunt consequenter rem in illo instanti verè, & propriè durare.

Quarta, est Suar. disput. 50. Met. sect. 2. dicentis, durationem formaliter dicere respectum quendam permanentiæ ad esse ipsius rei durantis, vt præcedens, qui respectus cùm non sit in re per instans existente, ideò nec verè nec propriè tunc durare dicenda est.

3 Pro resolutione quæsiti sciendum est, existentiam productioni correspondere, velut effectum eius, & durationem conseruationi, vndè sicut res in primo instanti dicitur creata, vel producta, & in tempore sequenti conseruata, ita in primo instanti dicitur existere, & in sequenti tempore durare, quia duratio aliud non est, quàm existentia rei continuata, & conseruata; ob hanc igitur correspondentiam existentiæ ad productionem, & durationis ad conseruationem eodem modo philosophari debemus de duratione in ordine ad existentiam, sicut philosophati sumus disp. 7. q. 3. art. 3. de Conseruatione in ordine ad productionem, est enim eodem modo loquendum de vtrisque, vt Scot. significauit 2. d. 2. q. 1. ad 1. pro. 1. opin. & quol. 22. §. *De secundo articulo, &c.* & ideò quia diximus ibi, conseruationem ex impositione nominis significare realem dependentiam rei à sua causa, dare autem intelligere respectum quendam rationis ad esse præhabitum ex modo consignificandi principalis significati, ita in proposito dicere debemus de duratione.

4 Dicimus, formale significatum durationis secundùm id, quod positiuum, & reale dicit à parte rei, esse existentiam rei durantis; prout tamen à nobis explicatur, connotat respectum, vel realem, vel rationis, seu aptitudinalem coexistentiæ alicui durationi extrinsecę, saltim imaginariæ. Ita colligitur ex Scoto 2. d. 2. q. 2. H. vbi loquens de duratione angelica, ait, non esse necesse ponere aliquid reale, siue absolutum, siue respectiuum distinctum ab existentia Angeli pro eius mensura, & duratione, & quol. 6. R. loquens de Æternitate ait, supra existentiam Diuinam addere relationem rationis aptitudinalem necessariò coexistendi cuicunque extrinsecæ durationi; idem sentit Bassol. 2. d. 2. q. 1. art. 3. & Masius disp. de Temp. sect. 3. q. 1. & probari potest ex confutatione aliarum opinionum; primò, quòd non dicat rationem mensuræ, quæcunque sit illa ex Scoto in 2. cit. lit. G. mensurari est intellectum certificari de quantitate ignota, vel habente modum quantitatis per alteram notam, sicut mensurare est intellectum certificare de quantitate ignota, ideoque mensura ordinem dicit ad intellectum, vt etiam notat Scot. quol. 13. M. sed res quæcunque independenter ab intellectu dicitur durare, ergo duratio formaliter non dicit rationem mensuræ, siue actiuæ, siue passiuæ; Minor prob. quia accidit rei duranti, quòd vnus intellectus sit certus, vel incertus de duratione ipsius. Dices, durationem dicere non rationem mensuræ actualis, sed aptitudinalis, & mensurabilitatem. Contrà, hæc mensurabilitas dicit tantum cognoscibilitatem in duratione rei durantis, sicut mensuratio actualis cognitionem passiuam actualem, ergo præsupponit durationem in re, sicut cognoscibilitas entitatis, aut perfectionis alicuius entis præsupponit entitatem illam, vel perfectionem; ad summum sequitur, sicut mensurabilitas est passio quædam consequens quantitatem, aut rem habentem modum quantitatis, sic esse passionem durationis, quæ modum quantitatis habet, non rationem formalem (quamuis in hoc sit etiam discrepantia apud Doctores, nam Vasq. 1. part. disputat. 31. negat, æternitatem mensurabilem, aut mensuratiuam esse) qua ratione à Doctoribus durationis species, mensuræ sunt appellatæ, quatenus sunt res cognoscibiles ab intellectu, quantum durent, non quòd verè, & propriè sint mensuræ, cùm potius sint mensuratæ.

5 Secundò, quòd non dicat quid ab existentia ex natura rei distinctum, nec vt rem à re, nec vt modum, Prob. Tum quia si distinguuntur, vt res à re, cùm existentia sit prior ipsa duratione, ac proindè independens ab ea, posset vtique existentia separari à duratione, & etiam sic separata dici conseruari, quod manifestè implicat, cùm rem durare in toto rigore aliud non sit, quam eius existentiam permanere, & conseruari in esse. Sequela assumpti prob. quia prius realiter distinctum à posteriori, à quo nulla ratione dependet, potest ab eo separari saltim per potentiam Dei absolutam, & separatum conseruari. Tum quia, quod potest Deus pro vno solo instanti facere sine alio, potest etiam conseruare tempore sequenti sine illo, cùm non sit minor Dei potentia pro tempore sequenti, quàm in eo primo instanti, ergo cum res in primo instanti talem non habeat entitatem, vel modum, quo in existentia perseuerare dicatur, & durare, poterit quoque deinceps toto tempore sequenti sine tali re, vel modo conseruari, quod implicat, quia eo ipso durare diceretur, cùm duratio aliud non sit, quàm rei existentia continuata & conseruata. Nec putent argumentum euadere, qui hoc super additum ponunt esse modum, & tantum modaliter distinctum, non autem vt rem à re, quia cùm distinctio modi à re, cuius est modus, ita explicetur ab istis, vt possit res esse sine modo, non è contra, hoc solùm saluat, quòd duratio separari nequeat ab existentia, non verò quòd existentia nequeat à duratione separari, & separata conseruari, & si potest res, immo necessariò in primo instanti est sine tali modo, poterit etiam Deus eam conseruare in tempore sequenti sine tali modo parum enim ad hoc refert, quòd id, quod superadditur tempore sequenti, sit res, vel purus modus.

Tum deinde, quia si istud superadditum est res, cùm res quælibet propriam poscat existentiam, & quælibet existentia propriam habeat durationem, consequenter vnius durationis alia duratio assignari deberet, quæ si pariter distinguitur ab existentia rei durantis, vt res à re, aliam quoque durationem habere debebit; Nec etiam qui eam statuunt modum omninò effugere possunt, quia etsi modum nolint appellare rem, & ens, vt ens, & res id important, quod directè, & per se existit; vel saltim ita existere potest, & vt existat, non necessariò petit esse alteri affixum, vt est modus; adhuc tamen concedunt, modum imbibere formaliter rationem entis realis, à quo posteà existentiam non distinguunt, vndè ex hoc capite etiam modus propriam habebit existentiam, estò alteri semper associatam, quod sufficit, vt & ipse propriam postulet durationem. Nec dicere iuuabit, hunc modum esse, quo res durat, non quod durat, & ideò non habere propriam durationem. Nam ex hoc sequitur, dari posse rem existentem, & dici permanentem sine duratione, quod implicat, & si semel concedatur, posse aliquam rem sic

sic durare seipsa sine alio ex natura rei superaddito, hoc idem dici poterit, & debebit de omnibus, nec maior ratio poterit afferri de vna, quam de alia, & hoc est quod nos hic contendimus, non exigi aliquid ex natura superadditum existentiæ, vt res durare dicatur, sed sufficienter dici seipsa formaliter durare, & in toto rigore, si eius existentia concipiatur, vt continuata; Tum denique quia productio, & conseruatio non distinguuntur ex natura rei, sed tantum per connotata rationis, quia conseruatio per se loquendo aliud non est, quàm productio rei perseuerans, seu continuata, ergo idem dicendum de existentia, & duratione, quæ illis correspondent, vt effectus.

6 Respondet Ruuius, quòd permanentia est duplex, vel enim sumitur pro actuali dependentia substantiali ab agente non interrupta, & à Complut. permanentia fundamentalis dicitur, & sic est conseruatio rei. Secundò pro continuata dependentia accidentali, quam Complut. permanentiam formalem vocant, quæ ab illa substantiali causatur, & hæc est duratio ab illa realiter distincta. Contrà, hæc dependentia accidentalis non videtur necessaria ad concipiendam rerum durationem, quia nihil potest dici formaliter tale per id, quod præsupponit illud esse tale, sed hæc accidentalis duratio præsupponit rem in suo esse existere, & permanere & consequenter durare, sicut omne accidens suum subiectum supponit existens non solum in principio, verùm etiam in toto tempore, quo reperitur in subiecto, ergo &c. Tum quia haberet hæc dependentia accidentalis propriam durationem, vt diximus; Tum denique res durat eo ipso, quòd conseruatur secluso quocunque alio, ergo permanentia fundamentalis sufficit ad rei durationem, & formalis superfluit.

Tertiò, quòd formaliter non dicat negationem desitionis, vt quid ab existentia distinctum, Prob. ex eo, quod ait Scot. in 2. dist. 2. qu. 1. ante quartam rationem pro D. Bon. cui respondendo concedit hanc propositionem, quòd negatio negationis est affirmatio positionis oppositæ, quam etiam adducit d. cit. q. 9. supra M. & nos fusiùs probabimus disputat. 4. qu. 2. Si igitur per Scotum negatio negationis est formaliter affirmatio illi opposita, sequitur, quòd cùm destructio rei sit formaliter negatio existentiæ rei, tunc enim res destruitur, quando amplius non existit, negatio destructionis formaliter erit ipsamet rei existentia, & non quid negatiuum distinctum ab existentia. Hanc rationem prosequuntur Moderni præsertim Hurtad. in Met. disputat. 17. sect. 1. Auersa quæst. 29. sect. 3. qua etiam ratione victus Smisinch. cit. q. 2. num. 33. dixit hoc, quod est durationem addere negationem desitionis, non intelligi affirmatiuè, quasi verè addat negationem, sed negatiuè, seu præcisiuè, quia non addit aliquid positiuum, quod est dicere, durationem ab existentia non distingui.

Quartò, quòd non dicat formaliter respectum illum permanentiæ, patet, quia duratio est quid reale, quia verè res existens durare realiter dicitur, at respectus iste est rationis, cum sit eiusdem ad seipsum. Tum quia sic formaliter omnis duratio successiua esset, quod est falsum ex dicendis infra, Assumptum patet, quia non potest intelligi permanentia ista, nisi concipiatur esse rei ante fuisse, sed ante, & post, sunt differentiæ durationis successiuæ, sicut prius, & posterius, ergo &c. modus tamen probabilis tuendi hanc sententiam insinuatur ex Scot. quæst. seq. in explicatione definitionis æternitatis.

7 Restat ergo dicendum quòd duratio formaliter non dicat nisi existentiam rei, sed non sic simpliciter, quia aliquid addit supra existentiam scilicet respectum coexistentiæ alicui durationi imaginariæ, quæ est relatio rationis, quapropter nequit à duratione formaliter importari, cùm nullum ens rationis possit esse de ratione formali alicuius positiui realis, ergo erit vt connotatum; vnde quamuis anima Adæ, & anima D. Francisci in existentia indiuisibili conueniant, nec vna habeat maiorem existentiam, quàm altera, cùm sint illæ existentiæ indiuisibiles, dicimus tamen, plus durasse animam Adæ ob hoc solùm, quia pluribus partibus temporis, vel alterius imaginariæ durationis concipitur coextitisse. Quod adhuc declarari potest, nam principale significatum alicuius nominis dicitur illud, quod primò datur intelligi ex institutione imponentis nomen illud, connotatum verò, quòd datur intelligi ex modo consignificandi principalis significati ex Scot. 4. d. 1. qu. 2. G. & qu. 8. præd. ad prim. vt patet de nominibus prandij, & cœnæ, quæ principaliter significant comestionem, quia ad hanc significandam imposita fuere à primo instituente, sed quia non eodem modo illam significant, nam prandium illam significat tempore maturino, cœna vespertino, ideò tempus maturinum, & vespertinum dicuntur connotata illorum nominum, ergo sicut loc. citat. diximus hac ratione productionem, & conseruationem de principali significato dicere respectum realem essentialis dependentiæ ad causam, non tamen eodem modo, quia productio dicit hunc respectum cum respectu ad non esse præcedens, conseruatio dicit eundem cum respectu ad esse præhabitum, & ideò hi respectus connotata dicuntur; ita in proposito duratio, & existentia de principali significato idem omninò important scilicet actualitatem rei extra causas vel in rerum natura, sed quia non eodem modo id significant, nam existentia rei id importat, vel absolutè, vel cum respectu ad non esse præcedens, duratio verò cum respectu ad esse præhabitum, aut potius cum coexistentia ad extrinsecam durationem, hinc respectus isti erunt connotata durationis, non verò formale significatum. Notanter diximus, hunc respectum esse rationis, quia licèt in duratione creata respectus iste aliquando possit esse realis, si ad tempus reale comparetur, non est tamen necessaria hæc realis coexistentia, vt habeatur distinctus conceptus durationis rei, quia sufficit, si coexistentia intelligatur terminari ad durationem imaginariam, quo autem sensu sit respectus rationis mox dicemus num. 10. ad argum. Arriag.

8 Ex qua doctrina colligitur, quòd quæstio illa, an scilicet res per instans solùm existens dicatur verè durare, est quæstio nominalis, etenim si duratio secundum vim vocabuli attendatur, dicet rei existentiam, connotando coexistentiam ad durationem successiuam, & sic in instanti non dicetur durare propter carentiam connotati, at si latè sumatur, dicet existentiam coexistentem etiam instanti temporis imaginarij. & sic res instantanea durabit, & hoc modo est intelligendus Scot. cum in 2. d. 2. qu. 4. arguendo contra primam opinionem dixit, quod si Angelus vnico tantum instanti existeret, adhuc duraret; colligitur etiam decisio alterius quæstionis, quomodo duratio ab existentia distinguatur; differunt enim solùm penes connotatum.

Sed contra istam Conclus. arguitur; quòd duratio formaliter aliquid addat supra rei existentiam; Tum quia duratio est prædicatum transcendens Deo, & creaturis conueniens, reducibile ad prædicamentum quando, sicut sapientia ad qualitatem, ergo ab existentia rei omninò distinguitur, quia hæc ad prædicamentum illius rei, cuius est existentia, reducitur. Tum 2. quia existentia separatur à duratione proprie dicta, in primo enim instanti res existit, non tamen propria duratione durat; rursus inuariata manet, variata tamen duratione, quia Petrus v. g. eandem retinet existentiam, non verò semper eandem durationem, duratio quoque longa dicitur aut breuis, minor vel maior, aut æqualis, non sic existentia rei. Tum 3. quia sicut se habet locatum ad essendum in loco, ita res durans ad durandum, sed locatum non est in loco per aliquid realiter sibi identificatum, sed per relationem realiter distinctam, ergo &c.

9 Respondemus, durationem ad prædicamentum quando reduci secundum id, quod connotat, non verò secundum formale significatum, quia hoc prædicamentum ex disput. 8. qu. 12. articul. 2. non dicit veram relationem realem, sed potius in quadam extrinseca denominatione consistit, aut in relatione mensuræ, quę in proposito est rationis, nam coexistentia realis cum motu primi mobilis est relatio intrinsecus, non extrinsecus adueniens, consurgit enim ex positione extremorum in quacunque distantia. Ad 2. separatur, & variatur quo ad connotatum, non quoad significatum formale, hæc enim est natura connotatorum; vt sæpè dictum est, prandium, & cœna formaliter dicunt comestionem, connotant diuersa tempora, priuatio, & negatio formaliter conueniunt, differunt connotatiuè, similiter locus, & vas, & ad varietatem connotati variatur conceptus per nomen illud importatus non formaliter, sed materialiter, vnde existentia separatur à duratione proprie dicta, sicut comestio ab hoc, quod est, esse serotinam, priuatio ab aptstudine subiecti, & locus ab immobilitate; variatur etiam quo ad connotata, quatenus à nobis dignoscitur in ordine ad durationem imaginariam, possuntque denominationes illę ex tali comparatione de existentia dici scilicet rem plus, vel minus existere, breuiter, vel diu. Ad 3. negatur omnimoda paritas, natu hoc, quod est, esse in loco principaliter, ordinem dicit ad aliquod extrinsecum locans, at rem esse, vel durare principaliter dicit conceptum absolutum, & in ordine ad se, licèt vt à nobis adequatè concipitur, explicetur per respectum ad aliud extrinsecum, idcircò locus dicit formaliter respectum, duratio existentiam; tum quia ad hoc, vt res dicatur successiuè præsens alteri, & alteri spatio locali, requiritur variatio ex parte ipsius rei, & spatium immobile, & permanens intelligitur, at vt res dicatur coexistens alteri, & alteri durationi imaginariæ, res concipitur vt immobilis, & eadem perseuerans, & interuallum illud durationis immaginariæ concipitur vt fluens & transiens, quare locus formaliter erit quid de nouo rei locatæ superadditum, duratio verò aliquid repertum in reipsa semper perseuerans, qualis est existentia rei, de quo discrimine diximus in Log. loc. cit.

10 Contra istam Conclus. vrgent etiam rationes, quibus in quęstionibus sequentibus in speciali impugnabimus quamlibet durationis speciem, quod non dicant existentias rerum in specie, sed quid distinctum superadditum, sicut & probationes illarum conclusionem faciunt pro prę̃senti conclusione. Arriag. disp. 15. Physic. sect. 1. tenet durationem modaliter à re durante distingui, verum ipsius rationes nil aliud ostendunt, nisi existentiam, vt durationem significet, debere aliquid aliud connotare, quod libenter admittimus, & tale connotatum erit respectus coexistentiæ iam explicatus; & eius rationes, quas ibi rursus contra opinionem de connotatis vrget, sępius à nobis varijs in locis diluta̦ sunt, & prę̃sertim superius disputat. 4. n. 7. modum eas dissoluendi docuimus, vbi etiam notandum est illas easdem rationes contra ipsam conclusionę̃, vere negantem relationes prædicamentales; probat enim præter extrema existentia, debere aliquid aliud admitti distinctum ab extremis, quo extrema formaliter denominentur similia, æqualia, &c. sed

sed dices tempus imaginarium est purum nihil, ergo ex connotatione ad illud non potest desumi noua realis denominatio maioris, vel minoris durationis; quia denominatio realis est entitas realis, ergo nequit esse sine noua entitate reali, quale non est tempus imaginarium. Respon. neg. conseq. quia ex dictis in Log. disputat. 8. quæst. 6. art. 1. potest dari respectus realis, saltim secundum quid, ad non ens; Ad probationem dicimus denominationem illam sumi ex nouo respectu coexistentiæ continuo succedente ad durationem imaginariam, qui dici potest respectus realis, quatenus distinguitur à mero respectu rationis per actum intellectus causato, & ratione fundamenti, vt notat Scot. quol. 15. lit. P. & Lichet. ibi. eo modo, quo priuatio, & denominationes extrinsecæ dicuntur reales, vt dictum est in Log. disp. cit. de Relat. & hac ratione etiam ex parte connotati potest vna duratio dici maior alia verè, & realiter, nam in sententia nostra tam erit realis iste respectus coexistentiæ ad durationem imaginariam, quam realis est in Recentiorum sententia præsentia ad spatium imaginarium; cur autem duratio non dicat respectum coexistentiæ ad diuinam æternitatem, vt virtualiter diuisibilem, sicut coexistentia localis dicit respectum ad diuinam immensitatem virtualiter diuisibilem, iuxta dicta disputat. 11. dicemus disputat. seq. quæst. 1. art. 2. in fine.

Sed iterum dices, si ex respectu coexistentię ad plus vel minus temporis imaginarij dicitur Pater, v. g. plus durasse filio, ergo debet ad illum respectum præsupponi aliquod fundamentum reale, ratione cuius duratio sit maior in patre quam in filio, sed illud fundamentum non est ipsamet existentia præcisè absque aliquo alio reali distincto, quia in vtroque æqualis est, ac indiuisibilis, ergo debet aliud connotatum distinctum ab illo respectu assignari pro duratione, quo semel assignato superfluus erit respectus ille coexistentiæ, nam solum illud connotatum sufficiet, vt res à parte rei duret tamdiù, vel tamdiù. Respond. hoc argumentum si valet, probare etiam æternitatem realiter à Deo distingui, nam Deus vtique plus durauit ab æterno vsque ad hodiernum diem, quam vsque ad tempus Incarnationis, & si dicas plus durasse, quia pluribus partibus imaginariæ durationis coexistit; tunc quæritur cur pluribus temporis partibus coextitit post incarnationem, quam ante, & hoc erit fundamentum illius maioris, vel minoris coexistentiæ, hoc autem nequit esse sola existentia Dei, quia antè, & post æqualis est, & indiuisibilis, ergo erit aliquid realiter distinctum ab ipsa; dicimus itaque Patrem ex eo plus durasse filio, quia pluribus partibus temporis coexistit, neque in patre, aliud fundamentum realiter ab ipsa existentia distinctum debet assignari illius coëxistentiæ, Ratio enim, cur fundet pater maiorem coexistentiam, est præcisè, quia ipso existente plures temporis partes fluxere, quam existente filio, quamuis enim existentia sit indiuisibilis formaliter, est tamen diuisibilis virtualiter, & per hanc diuisibilitatem virtualem maiorem, vel minorem, potest dici res fundare maiorem, vel minorem coexistentiæ respectum, nec alia ratio fundandi excogitari potest ex parte rei durantis.

Dices, ratio cur vnum corpus occupet maiorem locum, est, quia maiorem habet molem, quam aliud, ergo sic in proposito, Ratio, cur pater occupet maius spatium durationis, est, quia in sua existentia habet quid ampliùs, quam habeat filius in sua. Respon. coexistentiam rei permanentis, qua dicitur plus durare, vel minus, magis assimilari coexistentiæ rerum spiritualium ad locum, quam corporalium; vndè sicut ratio, quare Angelus superioris ordinis maiorem locum occupet, quam Angelus inferioris, non est ob maiorem substantiam formaliter, sed virtualiter, quia nimirum substantia vnius est plus diuisibilis, & extensibilis per spatium virtualiter, quam substantia alterius; sic in proposito ideò vna res dicitur magis à parte rei durare altera, quia coexistit maiori spatio temporis, & si rursus quæras cur coexistit maiori spatio temporis, respondetur, quia eius existentia est magis virtualiter extensa per spatium temporis, quam existentia alterius, eo prorsus modo quo discurrimus de maiori, vel minori coextensione rerum spiritualium ad locum.

QVÆSTIO II.

Explicatur prima durationis species, quæ est Æternitas.

11 Æternum multipliciter dicitur, primò, pro eo, quod rei inseparabiliter conuenit, vt passio respectu subiecti, vnde propositiones necessariæ dicuntur æternæ veritatis, secundò, pro re antiqua, vel diutiùs durante, vndè Psalm. 76. *Cogitaui dies antiquos, & annos æternos in mente habui*, & Gen. 17. *Dabo tibi, & Semini tuo omnem terram Chanaan in possessionem æternam*; Tertiò, pro re fine carente, quomodo Matth. 25. altera vita, æterna vocatur. Quartò pro re carente principio, & fine, sed dependenter ab alio existente, vt si aliqua creatura fuisset ab æterno à Deo creata. Quintò pro re principium, & finem durationis non habente, & hoc omninò independenter ab omni alio, & hæc est proprijssima acceptio, & de æternitate in hoc sensu breuiter quærimus, quid formaliter dicat.

Iuxta diuersitatem opinionum de formalitate durationis in communi in præc. q. relatarum, variè quoque auctores sentiunt de æternitate; Masius verò, etsi formalitatem durationis in existentia asserat consistere, æternitatem tamen in ratione mensuræ diuini esse constituit, ita q. 3.

12 Consequenter tamen est dicendum, æternitatem formaliter nec dicere rationem mensuræ, neque negationem destructionis diuini esse tam actualis, quam possibilis, neque formalitatem quandam positiuam ab existentia diuina distinctam ex natura rei, sed realiter dici existentiam diuinam connotando respectum aptitudinalem necessariò ab intrinseco coexistendi cuicunque temporis differentiæ; Ita Scot. quol. 6. R. vbi etsi probabile putat, addere formaliter æternitatem supra existentiam triplicem negationem, desitionis, successionis, & dependentiæ, problematicè tamen ibi loquitur, & vtrumque affirmat; quod totum probatum manet ex præced. quæstio. sed adhuc ex ratione speciali ipsius æternitatis probatur. Tum quia non potest dicere rationem mensuræ actiuæ, quia vel mensuraret esse diuinum, vel esse creaturarum; non primum, quia mensura debet esse mensuratio homogenea 10. Met. cap. 3. sic pondus pondere mensuratur, longitudo longitudine, non verò pondus longitudine, sic duratio duratione mensuratur, ergo æternitas non mensurat esse diuinum, quod in intensiua perfectione consistit: ęternitas verò quasi extensiuam perfectionem dicit: neque esse creaturarum, nam quamuis ab aliquibus Patribus æternitas mensura soleat appellari quatenus per illam metimur durationes creatas per comparationem secundum excessum infinitum ex parte æternitatis, attamen vt sic non respicit Deum sed creaturas, æternitas autem est intrinseca Dei duratio. Tum quia non potest dicere illas negationes, nam quamuis aliquæ illarum sint verè reales negationes, sicut est negatio dependentiæ, & successionis, attamen quia duratio in communi negationem formaliter non dicit, sed existentiam, ita æternitas, quæ velut species se habet sub tali duratione, & solum negationes illæ inseruiunt ad circumscribendam differentiam constitutiuam æternitatis, & à cœteris durationibus diuisiuam, eò vel maximè quòd negatio desitionis, in qua præcipuè duratio consistere deberet, est quid positiuum.

13 Quare æternitas formaliter dicet existentiam diuinam secundum id, quod dicit reale à parte rei, non quidem vt sic simpliciter, sed vt potentem coexistere cuicunque differentiæ temporis etiam imaginarij necessariò, & independenter ab alio, sicut immensitas dicit esse diuinum, vt potens coexistere cuicunque reali, & imaginario loco: & in hoc sensu explicat Scot. quol. citat. definitionem æternitatis traditam à Boetio 5. de Consolatione Philosophię Prosa 6. dum dicit, *æternitas est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*; in qua definitione primò ponitur *vita*, quæ accipitur pro existentia actuali, poniturque, inquit Scotus, tanquam connotatum, quia quasi subiectum, vel fundamentum æternitatis quod non est intelligendum, vt existentia non sit verè, & propriè formalitas æternitatis, sed secundum nostrum intelligendi modum, quatenus scilicet concipimus tunc æternitatem habere rationem completam, cum supra existentiam relationem illam aptitudinalem coexistentiæ intelligimus fundari, quæ sit veluti forma ipsius, quomodo priuatio vt sic dicitur addere supra negationem aptitudinem subiecti, vel dic, quòd sicut Scot. quol. 12. probabile putat, creationem, & conseruationem formaliter inter se differre, putà quòd creatio dicat respectum ad non esse immediatè præcedens, conseruatio ad esse præhabitum, & conuenire in connotato scilicet in relatione dependentiæ effectus ad causam, & existentia rei, & duratio adinuicem comparentur vt productio, & conseruatio eiusdem rei ex eodem in 2. distinct. 2. quæst. 1. §. *Qui vult tenere primam opinionem, &c.* sic in tali sensu est quol. 6. locutus, indicans modum aliam tuendi opinionem, quòd existentia sit connotatum durationis, coexistentia formale significatum. Secundò, dicitur *interminabilis* idest potens coexistere cuicunque durationi sine principio, & fine. Tertiò, *tota simul* idest sine variatione, & successione. Quartò *perfecta possessio*, idest non dependere in existendo, sed à se ipso simpliciter, & necessariò existere.

Ex qua doctrina deducitur, æternitatem esse veram, & propriam solius Dei durationem, verè enim Deus æternitate existit, & permanet in esse, quę est ratio durationis, & nulla creatura potest sic existere, & durare. Neque enim est audiendus Aureol. qui 1. Sent. dist. 9. p. 2. ar. 2. negat æternitatem veram durationis rationem habere, eò quia, inquit ipse, omnis duratio successiua est, nulla permanens; quod esse falsum commodius qu. seq. demonstrabimus, vbi de duratione angelica agemus.

14 Sed contra prædicta arguitur 1. quòd ęternitas formaliter non dicat existentiam diuinam. Tum quia nullo intellectu cogitante inter attributa Dei numeratur, ergo existentiam formaliter non dicet, quę est prędicatum quidditatiuum Dei, non attributum. Tum 2. quia secundum id, quod diuinę existentiæ addit, dicit maximam perfectionem, ergo vt sic nequit dicere respectum rationis, qui nullam dicit perfectionem. Tum 3. quia ęternitas dicit vniformitatem manendi perpetuam in eodem esse, sed ratio vniformitatis, cùm significet vnitatem in forma, est positiua, ergo &c. Respondemus ex Scot. quol. sępè citat. æternitatem secundum id, quod dicit à parte rei non distingui ab existentia, nec esse attributum, sed prędicatum quidditatiuum, dicitur autem attributum secundum

dum id, per quod à nobis explicatur,& connotat scilicet propter respectum coexistentiæ, & negationes annexas explicantes differentiam ab æternitatis alijs durationibus. Per idem ad 2. dicit enim ex natura rei maximam perfectionem, quatenus dicit perfectissimam existentiam. Ad 3. vniformitas manendi in esse nihil aliud est, quàm idem esse permanens,& non variatum, non verò quid reale positiuum superadditum.

Secundò,arguitur contra indiuisibilitatem æternitatis. Tum quia quod æternitati simul coexisteret,toti æternitati coexisteret,& sic res in tempore creata ab æterno fuisset; ergo falsum est; æternitatem partibus carere. Tum 2. quia non verè de Deo à Scripturis, & PP. enuntiarentur differentiæ temporis scilicet fuit,est, & erit,cum nihil in Deo præteritum est,vel erit futurum. Tum 3.quia iam duo contradictoria simul essent vera pro eodem nunc æternitatis indiuisibilis. Si dicas non esse inconueniens verificari in eodem nunc altioris ordinis, qualis est æternitatis. Contrà,non per hoc desinunt esse contradictoria, cùm sint de contradictorijs prædicatis dictis de eodem respectu eiusdem, & secundum idem, ergo verè nequeunt esse. Tum 4. quia plus Deus extitit ab æterno vsque nunc, quàm vsque ad tempus Incarnationis Domini, vt patet, ergo existentia ipsius indiuisibilis non est.

15 Resp. ad 1. quòd toti æternitati coexisteret, non totaliter, quia æternitas,licèt formaliter sit indiuisibilis,virtualiter tamen est diuisibilis,quatenus æquiualet infinitæ durationi successiuæ, sic caput est præsens toti animæ, non tamen totaliter, & ideò negatur, rem in tempore creatam fuisse ab æterno. Ad secundum, differentiæ temporis de Deo enunciantur, quatenus per eandem indiuisibilem existentiam formaliter, sed virtualiter diuisibilem coexistit illis, quæ coexistentia est verè successiua, seu vt talis concipitur, quia est relatio, quæ non insurgit nisi positis extremis. Ad 3.dicimus, contradictoria verificari in æternitate, non tamen secundum eandem coexistentiam ad tempus imaginarium propter virtualem diuisionem, quam habet æternitas, sicut anima rationalis, vt in oculo videt, vt in manu non videt, quæ de eadem anima simul verificantur, sed non secundum eandem præsentialitatem ad corpus. Ad 4. plus extitit propter maiorem coexistentiam ad illud tempus, non propter augmentum existentiæ, vt fusiùs dicemus quæstione sequenti de æuo.

Tertiò, quòd Deus non dicat coexistentiam ad omnes temporis differentias, ex Aureol.1.dist.36.p.1.art.1. Tum quia Deus est ab omni tempore abstractus, & supra omne tempus secundum Aug. lib.de Vera Rel.c.49. *In ipsa æternitate nulla spatia temporis cerno*, & Anselm.in Prosol.cap.19. *Simpliciter es extra omne tempus*,& Monolog.20. *transis omnia tempora, & semper es vltra illa*, ergo tempori nequit coexisteret, quia coexistentia est quasi vnio coexistentium. Tum 2. quia quæ coexistunt, debent coexistere in quadam communi mensura; at nunc fluens, quod est temporis mensura, nequit esse mensura æternitatis,quæ est permanens. Tum 3.quia præsens nequit esse præsens præterito,& futuro,sicut punctum non coextenditur toti lineæ, at æternitas semper est præsens. Tum 4. quia in Deo omnia sunt præsentia,& non datur præteritum,& futurum, ergo Deus non coexistit omnibus temporis,Antecedens prob.ex August.5.de Trin.cap.16. *Apud Deum,nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt*,& in illud Psalm. *Pulchritudo agri mecum est*,ait,*cum illo erant omnia futura, & cum illo sunt omnia præterita*, quod passim alij Patres dicunt. Tum 5. quia,tempus infinitum à parte ante repugnat, vt dicemus disp.seq. ergo æternitas non dicet coexistentiam ad tempus infinitum.

16 Respondemus, Deum verè tempori coexistere, quia est simul cum eo, hoc enim est coexistere alteri, sic habetur ex Scripturis Prou.8. *Quando præparabat cœlos, aderam, cum eo eram cuncta componens*;& Anselm.in Monol.c.22. loquens de diuina substantia, ait, *necesse est, eam simul totam in omnibus locis, ac temporibus præsentem esse*, & Prosol. c.20. ait, *tempus semper esse præsens Deo*; & Aug. tract.49. in Ioan. docet, verè de Deo omnes differentias temporis dici,quia cum omnibus immutabiliter manet, quod etiam docet Scot. 1.dist.9. in fine,& dist.40.ad primum, & quol.6. Ex quo sequitur, vt idem docet in 2.distinct.39. in fine, & in 2.dist. 2. quæst.1. infra F. Deum ita coexistere, vt non simul omnibus coxistat, (vt asserunt Thomistæ, expl,cantque exemplo linearum, quæ licèt inter se distent, vniuntur tamen in centro; partes corporis inter se distantes toti animæ sunt præsentes, & homines per viam transeuntes, quamuis distent ab inuicem, sunt tamen omnes præsentes intuenti è turri totam viam.) Ratio est, quia coexistentia est relatio realis in creatura existente fundata, res autem, & tempus non existunt in se ab æterno, aliter de nouo producerentur; quare non est eadem omninò coexistentia semper, sed mutatur ad mutationem creaturarum; ratione cuius denominatio coexistentiæ in Deo etiam aduenit de nouo, quia non dicit, aliquid reale in ipso, sed simplicem denominationem, extrinsecam. Neque exempla adducta vrgent, immò oppositum ostendunt vt patet de partibus corporis, quæ non eadem præsentialitate sunt animæ præsentes, & in corporis formatione, & animatione partes, quæ non existunt, non dicuntur animæ præsentes; lineæ quoque, si ad circumferentiam non essent protentæ, non possent dici centro vnitæ, & homines per illam viam non transeuntes actu non essent speculatori præsentes;sic partes temporis, & futura, ac præterita, quæ non sunt, non poterunt dici æternitati præsentia.

Ex qua doctrina sic summatim adducta, cùm sit negotium theologicum, respondetur ad 1. Deum vt absolutè existit, & secundum intrinsecam existentiam abstrahere à tempore, quia non durat tempore,& hoc voluerunt innuere Patres, non verò abstrahit à tempore secundum coexistentiam, quod etiam de Angelo dicendum, qui eempore non existit, sed coexistit tempori, cum hac tamen differentia, quòd Angelus non coexistit necessariò omni differentiæ temporis, sicut Deus; & coexistentia inter Angelum, & tempus reale est relatio realis mutua, at inter Deum, & tempus est non mutua,cùm sit tantum ex parte temporis realis. Ad 2.neg.maior, sufficit enim ad coexistendum simul esse, non verò communi mensura commensurari. Ad 3. quod est formaliter, & virtualiter indiuisibile, vt est punctum, non potest diuisibili coæquari, non sic formaliter indiuisibile, sed diuisibile virtualiter, vt est æternitas,idem de Angelo, & Anima,quoad extensionem localem dictum est disput. 11. Ad 4. sunt omnia Deo præsentia in esse obiectiuo, & proutly semper se tenet ex parte cognitionis diuinæ, non ex parte rerum, & hoc tantum volunt Patres, vt saluent immutabilitatem Dei quoad cognitionem, non verò in esse reali,& coexistentiæ. Ad 5.æternitas, nec potuit,nec poterit dicere coexistentiam realem tempori infinito, quia nec à parte ante potuit esse infinitum tempus reale, nec erit à parte post infinitum tempus pertransitum, sed semper finitum in infinitum potuit esse, vel poterit, attamen ex parte Dei est sufficiens fundamentum, vt possit cuicunque tempori infinitum coexistere, per quod rectè explicatur à nobis infinitas quasi extensiua æternitatis in duratione.

QVÆSTIO III.

Declaratur secunda durationis species, quæ est æuum.

17 ÆVum idem sonat,ac sœculum,& aliquando cum æternitate confunditur, communiter tamen apud Theologos solet accipi pro duratione alicuius entis creati præcipuè Angeli, qua ratione quiternum nuncupatur,ab æternitate,& tempore distincta,vt autem rationem formalem eius explicemus pingui Minerua (est enim res potius theologica, vel saltim metaphysica) oportet primò ostendere differentiam quia ab æternitate distinguitur. Secundò differentiam qua à cœteris durationibus differt.

Quoad 1.Moris.disp.6.Physic.q.4.& Perer.lib.12.c.7. videntur asserere,differentiam esse,quia æternitas est duratio sine principio, & fine, æuum tamen habet principium sine fine. Alij, quòd æternitas sit duratio omninò permanens,& rei simpliciter inuariabilis, at æuum est duratio successiua, & variabilis in se, absque tamen innouatione, & successione existentiæ rei durantis, sed eadem indiuisibiliter permanens,ita D.Bon.2.dist.2.art.1.q.3. citatur etiam Murcia 4. Phys.disp. 3.q.3. ab hac opinione parum distat Hurt.in Met.disp.17.sect.3.& 4 dum ait, durationem quamlibet creatam includere formaliter successionem præter existentiam rei, probabilem etiam putat Scot. 2. distinct.2. quæst.1. & cum eo aliqui Scotistæ, præcipuè Vulp. 2. p. disp.9.a.5.

Quoad 2. Thomistæ,præcipuè Caietan.1.par.quæst.10.artic.1. asserunt,æuum ab alijs durationibus, quale est tempus, differre, eò quia tempus mensurat res, quæ acquiruntur, & deperduntur per motum, & mutationem, vt sunt substantiæ, & accidentia materialia naturaliter defectibilia,æuum verò mensurat, quæ sunt naturaliter incorruptibilia, & solùm à Deo destructibilia,vt sunt Angeli,Cœli,& materia prima; addunt tamen, Angelorum operationes immanentes, quamuis motu,& mutatione acquirantur,& deperdantur, non durare tempore nostro, sed discreto; per tempus discretus intelligunt durationem plurium entium sibi inuicem immediatè succedentium; dicunt enim intellectiones Angelorum dupliciter spectari posse, primò per se, & seorsim, secundò pro tota collectione; si primo modo, duratio vtriusque dicitur instans temporis discreti, quia est duratio quædam indiuisibilis; si secundo modo, tunc duratio toties collectionis illarum operationum appellatur tempus discretum; tempus quidem, quia in eo cernitur prius, & posterius, quatenus ex his actibus alij præcedunt,alij subsequuntur, discretum verò, quia hi actus non continuo,& successiuè, sed indiuisibiliter, & discretè sibi inuicem succedunt; vndè tempus discretum non constat ex partibus continuis, & instantibus copulatiuis, vt tempus continuum,& successiuum,sed solùm ex instantibus tanquam ex partibus, quæ & diù possunt durare, & raptim transire iuxta exigentiam illorum actuum: tandem addunt,res supernaturalis ordinis, vt sunt visio beatifica,lumen gloriæ,& alia dona supernaturalia, durare æternitate participata; ita vt æuum à tempore nostro distinguitur per hoc,quod est duratio rei immediatè à Deo producibilis, & destructibilis, à tempore discreto, eò quia est rerum sibi inuicem non succedentium, & ab æternitate participata, quoniam non est duratio rei supernaturalis.

18 Quamplurimi aliter distinguunt, quòd res,vel sunt immediatè à Deo destructibiles,vt Angeli,Cœli,materia prima, entia supernaturalia, & similia,& hęc æuo durabunt, vel naturaliter defectibiles, vt cœ-

vt cœtera entia & hæc duratione quadam media dicuntur durare inter æuum, & tempus, quam Suar. in Metaph.disputat.50. sectio. 7. & Ruuius 4.Physic. tract. de Tempore, speciem innominatam dicunt esse, Amicus verò tract. de Temp.quæst.2. dub.4. & quæst.9. Moris.disputat.6.quæst.4.cum Heruæo quol.2. q.12. instans temporis discreti appellant,& ab Auersa q.29.sect.5. tempus permanens nominatur, sub tempore in communi tanquam sub genere contentum; quapropter secundum istos æuum ab alijs differt, quia est duratio permanens rei naturaliter indefectibilis, tempus est duratio successiua, species verò media est duratio permanens rei naturaliter defectibilis.

Nec minor dissensio est inter Scotistas, nam aliqui asserunt, vt Vulpes 1.p.disputat.17.artic.5. quòd permanentia vel indiuisibiliter acquiruntur, & amittuntur, vt sunt substantiæ omnes, & accidentia ferè omnia spiritualia, & hæc æuo intrinsecè durant, vel diuisibiliter, & per partes acquiruntur, vt accidentia materialia, & ista duratione quadam media permanent in rerum natura, vndè differentiam sumunt penes permanentiam, & indiuisibilitatem acquisitionis rei durantis, per permanentia æuum à tempore distinguitur, per indiuisibilitatem acquisitionis, & deperditionis ab ista media duratione, quæ à tempore distinguitur ob permanentiam partium, vbi tempus est essentialiter successiuum. Alij indiscriminatim loquuntur; omnia scilicet æuo durare, præter successiua essentialiter, quæ tempore durant, quod æuum Smisinch. tractat.2.disputat.4.quæst.2. num.40. & sequen. diuidit in duas species athomas, prima durare dicuntur res ab intrinseco, & potentia physica corruptibiles, vt sunt substantiæ ex materia, & forma constantes, secunda reliqua omnia permanentia, vt formæ substantiales, accidentales, materia prima, Angeli,&c. siue naturalia entia sint, siue supernaturalia, siue ab agente creato, siue à Deo tantum sint destructibilia, eò, quòd omnia sunt eodem modo destructibilia,non quidem ab intrinseco,& potentia physica, sed ab extrinseco, & potentia obiectiua. Quæ species durationis ab istis Doctoribus assignatæ, vt tempus, æuum, æternitas participata, duratio media,instans temporis discreti, &c. ferè ab omnibus ponuntur species specialissimæ durationis in communi. Vt autem in tanta varietate breuiter nostram sententiam aperiamus, primò videbimus de differentia æui ab æternitate, secundò de differentia ab alijs durationibus.

ARTICVLVS I.

Ostenditur differentia æui ab æternitate.

DIcimus, differentiam, qua æuum ab æternitate differt,esse,quòd æternitas est duratio rei permanentis necessariò, & simpliciter coexistentis cuicunque temporis differentiæ,at æuum est duratio permanens rei secundum totum, & non per partes post partes existentis, & consequenter potentis coexistere etiam cuicunque temporis differentiæ, si ab æterno fuisset producta, non tamen necessariò, & simpliciter, sed contingenter, & ab extrinseco; Est communis cum Scoto 2.dist.2. quæst.4. & prob. ex confutatione aliarum opinionum,& primò, quòd non differat penes habere principium, quia vt notat Scot.2.d.1. quæst.3. §. *Tenentes ante in primam opinionem, &c.* si creatura aliqua fuisset ab æterno producta, principio careret durationis,& tamen æternitate non duraret,sicut Deus,nec æternitas propria Dei illi conueniret, quia adhuc dependens esset intrinsecè à Deo.

Secundò, quòd neque differat secundum successionem, prob. auctoritate Scoti 2.dist.2.quæst.1. vbi etsi probabilem putet opinionem D.Bon. probabiliorem tamen oppositam existimat. Tum quia duratio non est ab existentia rei distincta, ergo si existentia Angeli est indiuisibilis, & permanens, etiam permanens est duratio. Tum quia dato, quòd realiter ab existentia distinguatur, adhuc nequit esse successiua, quod probat Scot. §. *Sed contra conclusionem*, &c. vel istud æuum est forma absoluta adueniens angelicæ existentiæ, vel respectiua; si primum, ergo sicut quælibet forma absoluta, quamuis successiuè acquiratur, potest tamen in instanti acquiri, & diù permanere, vt patet de calore, frigore, &c. ita poterit Deus formam istam simul producere, ipsamque conseruare, & sic successiua non erit; Et adhuc vel permanet pars prior, & sic esset frustra, quia Angelus solummodo actu durare formaliter diceretur per partem de nouo aduenientem, esseтque ferè immensa, cùm continuè augeretur; neque successiua per se dici poterit, cum possit simul secundum partes manere; vel pars prior perit necessariò aduenientе posteriori, & sic potius respectiua erit, quàm absoluta, si intrinsecè petit, & ordinem dicit ad durationem extrinsecam, sicut vniuersaliter disput.15. probabitur, quantitatem successiuam non esse formam absolutam verè de prædicamento quantitatis, sed potius respectum; si verò ponatur istud æuum respectus esse nouus, & successiuus, vt dicunt aliqui Scotistæ, vel erit respectus conseruationis ad Deum conseruantem, vel respectus coexistentiæ ad durationem extrinsecam; non primum, quia est respectus realiter cum entitate Angeli identificatus; tum quia nequit iste respectus esse nouus, & successiuus sine nouitate termini; nam si conseruatio esset actio noua à creatione distincta, inciperet in tempore, & per vltimum non esse, quod erit instans creationis, sed hoc est falsum, quia vt disputat.seq. dicemus, nullum indiuisibile potest in tempore produci,ergo neque conseruari noua, & totali actione, quæ tempori coexistat, Prob. consequentia, ista totalis actio si est in tempore, vel est diuisibilis in partes, & sic in priori parte temporis esset pars actionis, & consequenter pars entitatis angelicæ, quod implicat; vel est indiuisibilis, & sic non esset successiua, sed permanens; neque potest esse respectus coexistentiæ, tum quia est connotatum durationis; tum quia potest Deus omnia destruere præter vnum Angelum, quo casu solùm coexistentiam ad Deum diceret, quæ est realiter identificata,& indiuisibilis,vt dicemus d.seq.q.1.ar.2. in fine;coexistentia verò ad durationem imaginariam non est respectus realis simpliciter. Ex quibus ostenditur etiam falsitas opinionis Hurt. ex eo, quòd tam existentiam,quam istum respectum successionis de formalitate creatæ durationis ponit; non enim esset vnum per se, sed per accidens; tum quia etiam in æternitate iste respectus reperitur, & omnia argumenta, quæ adducit ad probandum, successionem intrinsecam esse durationi creatæ, retorqueri possunt contra æternitatem. Quapropter concludendum,æuum ab æternitate distingui penes hoc, quòd supra durationem permanentem indiuisibilem addit defectibilitatem ab intrinseco, quod etiam patet, quia duratio dicit permanentiam rei in esse,ergo ex diuerso permanendi, & existendi modo ab intrinseco debet sumi diuersitas specifica durationis, talis est modus assignatus; ergo, &c.

20 Contra istam Conclus.arguitur à Scoto, ostendendo, æuum successiuum intrinsecè esse; primò multis Sanctorum Patrum auctoritatibus, quibus hoc, quod est carere præterito, & futuro,& totum esse simul habere,soli æternitati tribuunt, & D.Aug.super Gen.ad lit. lib.8.cap.19. vult, quòd sicut aer. respectu Solis non est factus lucidus,sed fit lucidus,ita creatura se habet respectu Dei, ergo si creatura respectu Dei est in fieri formaliter, ponitur continuò in esse, nec totum simul esse habet. Tum 2. quia actio conseruatiua Dei fit continuò, & successiuè in tempore, ergo & esse creaturæ permanentis, Antecedens prob. illud non habetur completiuè; aliqua causatione,cuius oppositum videtur stare adhuc posita tali causatione,sed posita causatione,qua Angelus hodie producitur in esse, potest Angelus non habere esse cras,ergo cras non habet esse illa causatione, sed alia. Tum 3.quia non potest idem esse simul in actu,& in potentia respectu eiusdem formæ,sed Angelus nunc est in potentia,vt duret cras,est verò in actu respectu durationis hodiernæ, ergo si esset eadem duratio, esset simul in actu, & in potentia respectu eiusdem durationis. Tum 4. quia in eo,quod habet totum esse simul,idem est fuisse, esse, & fore, sed quod fuit, impossibile est non fuisse, ergo si in Angelo idem est fuisse, & fore, impossibile est Angelum non fore, quod est falsum.

Respondet Scot.Patres ideò præteritum, & futurum creaturis omnibus tribuere, soli Deo permanentiam, propter defectibilitatem, quam intrinsecè habent,& potentiam ad non esse, vnde possunt coexistere, & non coexistere temporis differentijs, & hac ratione dicuntur non habere totum esse simul,non quod omnes creaturæ successiuè se habeant ad existendum. In speciali ad D.Aug ait, creaturam esse in continuo fieri respectu Dei, non quia sit noua actio continuo succedens, sed quia eadem actio semper manet, indiuisibiliter tamen,dicitur que continuata,non continuatione intrinseca,sed extrinseca,per coexistentiam,scilicet ad tempus reale,vel imaginarium. Ad 2. negat antec. cum probatur, distinguit maiorem, in sensu composito, idest, quod stante illa causatione simul etiam stet oppositum causati, concedit, in sensu diuiso, idest quod simul non stet,sed possit stare,negat modò posita causatione hodierna Angeli,potest stare non esse Angeli cras,non simul cum causatione,sed diuisim,ideò est eadem actio. Ad 3. non est impossibile,idem esse simul in actu,& in potentia respectu eiusdem formæ, sed non est secundum eandem habitudinem ad tempus, sicut euenit in Angelo respectu propriæ durationis in ordine ad hodiernum,& crastinum diem. Ad 4.distinguit maiorem si per ly fuisse,esse,& fore intelligatur existentia Angeli, vt sic, concedit, si verò vt substat illis coexistentijs ad partes temporis præteritas, præsentes,& futuras,negat,sic ad minorem dicendum, quod fuit specificatiuè, non potest non fuisse, negatur, quia existentia illa potuit non fuisse, si à Deo non fuisset producta Angelus, reduplicatiuè conceditur,nam quod fuit vt sic,non potest non fuisse,ideò neg.consequentia, quoniam,non necessariò conuenit Angelo fuisse absolutè loquendo.

21 Secundò ad idem, potuit Deus in æternitate velle creare vnum Angelum, & postea destruere præscindendo à quocunque tempore, ergo si nunc æui est indiuisibile, vellet duo contradictoria in eodem nunc. Idem potest duos Angelos creare, vnum post alterum, & idem Angelus habere vnum actum, postea oppositum, ergo verè in Angelis datur prius, & posterius, & successio. Rursus circumscripto tempore, potest Angelus creari, postea annihilari,& denuo reproduci, sed esse reproductum non est ita vnum cum esse creato, sicut si nulla interruptio fuisset, aliter ita vnum esset aliquod interruptum, sicut non interruptum, ergo in alio nunc erit illud esse reparatum, & in alio esse creatum, ergo hoc si manisset sine interruptione, fuisset in alio, & in alio nunc, quoniam tanta est mora non tendentis, potentis tamen tendere, quanta esset, si actu tenderet.

Respondet 1.quod vellet illa contradictoria in eodem nunc æui, non eodem modo, sed esse nunc positiuè, scilicet quod simul sit cum illo nunc,non esse verò in eodem nunc negatiuè, quatenus potuit velle,illud nunc cum Angelo deficere. Secundò ait,velle contradictoria illa in eodem nunc, non secundum eandem præsentialitatem æternitatis virtualiter diuisibilis,sed secundum aliam, & aliam, quod non implicat; idemque argumentum posset de æternitate fieri;per idem ad aliud dicitur,dari prius, & posterius non intrinsecè in esse Angeli, sed extrinsecè per aliam,& aliam coexistentiam ad durationem extrinsecam successiuam,saltim imaginariam. Respondet quoque ad 3. idem omnino esse dici productum, & reparatum, & solum esse interruptum, quia oppositum, scilicet non esse, successit opposito, scilicet esse, quæ interruptio non foret, si permaneret in esse; nec idem erit creatum, & reproductum in eodem nunc simul, sed secundum diuersam coexistentiam, vt diximus; præterquamquod implicat præscindere ab omni tempore, & postea prius, & posterius, quæ successionis, & temporis sunt differentiæ, intelligere.

22 Tertiò si hoc esset, ergo æuum angelicum esset formaliter infinitum, Probatur, Angelus per infinitum tempus durabit, ergo si modo habet totum æum, per quod infinito tempori coexistat,erit æuum istud infinitum, quia finitum nequit infinito simul adæquari. Tum 2. quia negatio negationis est affirmatio positionis,ergo si per æuum Angelus habet infinitas negationes negationum, scilicet negationes non coexistentiæ cum infinitis instantibus temporis,ergo habebit infinitas positiones,scilicet existentias, vel vnam virtualiter infinitam. Tum 3.quia si Angelus haberet,vnde posset coexistere omni loco possibili, esset immensus,etsi propter loci defectum non coexisteret, ergo quia potest infinito tempori à parte post coexistere, erit infinitus. Neque dicas, non concludi infinitatem, eo quod non habet hoc esse à se,& independenter; nam licet non esset à se infinitus, formaliter tamen esset infinitus, quia in se haberet,vnde posset toti tempori coexistere,quamuis non à se effectiuè. Tum 4. quando aliquid est tantum in actu,quantum aliud est in potentia, si vnum est infinitum in potentia,alterum est infinitum in actu,si æuum esset permanens, esset in actu, quantum tempus esset in potentia, quomodo est infinitum, ergo &c.

Respondet neg.sequelam, ad probat.negat quoque conseq. Ad 1. probationem ait,verum esse assumptum de infinito permanente, non de successiuo,& sincathegorematico. Ad 2. & 3. ait, non concludere infinitatem, eo quia non habet necessariò,vnde possit infinito successiuè coexistere,sed ab alio Per continuam causationem, & eandem conseruatam; tum quia illæ infinitæ negationes negationum nihil aliud dicunt, nisi infinitas coexistentias infinitis instantibus temporis, quæ simul non sunt in Angelo sed successiuè, & tantum in Angelo simul reperitur fundamentum potens fundare relationes illas coexistentiæ, nam etsi æuum successiuum esset, substantia tamen Angeli adhuc coexisteret tempori infinito; ex quo non arguitur infinitas aliqua, sicut neque in materia, quia potest infinitas formas successiuè recipere,dicitur infinita intensiuè. Exemplum de immensitate non vrget, quia nec propriè diceretur immensus, quia non à se, sed ab alio esset in omni loco, vt habet Doctor 4. distinctio. 10. quæstion.2. R. Neque impugnatio aliquid valet,quia ad veram infinitatem requiritur independentia, solum posset concludi infinitas quædam in æuo, non intensiua, & positiua, sed negatiua, & extensiua successiuè, quatenus nihil recipiens de nouo potest infinito tempori coexistere, si conseruaretur à Deo. Ad 4. ait Bassol. maiorem esse veram de illis, quæ sunt eiusdem rationis, vt essent duæ lineæ, vna in potentia, altera in actu; non ita sunt tempus,& æuum.

23 Quartò ex Hurtad.quod duratio creata formaliter includat successiuam coexistentiam; inter duas res indiuisibiles extensiuè non potest esse inæqualitas extensionis, aliter extensiuè indiuisibiles non essent,ergo duratio Angeli non esset maior formaliter duratione animę D.Francisci, si solum formaliter dicerent existentias,quia existentiæ istæ sunt indiuisibiles, & maioritas, & minoritas dicunt inæqualitatem extensionis. Si dicas, Angelum plus durasse, non intrinsecè, sed quia Angelo existente, plus temporis extitit. Contra, illud maius tempus coexistens Angelo, non pertinet ad ipsius durationem tanquam illius pars,ergo per illud non fit maior duratio. Probatur, quia nulla res fit maior, quin illi addatur aliqua pars; Tum 2. quia tempus illud non constituit formaliter durationem maiorem, ergo nec connotatio, vel coexistentia illi tempori, quia per connotationem nihil est modo in duratione,quod antea non esset, sed antea non faciebat durationem maiorem,ergo nec modo. Tum 3. quia id,quo duratio est formaliter maior, est de ratione ipsius, quia maioritas,& minoritas sunt differentiæ durationis, sed eo præcisè,quod cum existentia Angeli maius tempus existat, duratio ipsius est formaliter maior ergo &c.

Respondemus, vt ibi, ad 1. impugnationem distinguimus consequens, non fit maior duratio intrinsecè, concedimus, extrinsecè, negamus, per idem ad probat. Ad 2. negatur consequ. in sensu explicato, ad prob. neg. maior, quia coexistentia in duratione creata dicit respectum de nouo additum, in æternitate verò dicit solum extrinsecam denominationem, quæ sufficit ad denominandam æternitatem realiter maiorem, sicut Deus dicitur realiter creator per extrinsecam denominationem. Ad 3. neg. maior de duratione permanenti, vera est de successiua, de qua procedit probatio. Et nota, quod istæ rationes procedunt etiam contra æternitatem, de qua ipsemet sustinet, non dicere formaliter coexistentiam successiuam, sed solùm connotatiuè, quibus postea applicat dictas responsiones, nec aliter Aureo.probat, omnem durationem formaliter successiuam esse.

ARTICVLVS II.

Explicatur æui differentia à cæteris durationibus.

24 DIcimus 1. æuum in communi à nostro tempore differre, eo quia æuum est duratio rei permanentis defectibilis, tempus verò est duratio entis successiui, itaut omnia entia permanentia, quæcunque sint illa, neque tempore nostro, neque discreto,sed duratione quadam generica permanenti, quod æuum appellatur, dicuntur durare: Prob. conclusio singillatim; & primum, quòd nullum ens permanens tempore continuo duret, patet ex Arist. 4.Physicor. 119. vbi loquens de rebus corruptibilibus, & motui subiectis, ait, *quare quod mouetur non erit simpliciter à tempore mensurabiles quatenus quantum quoddam, sed quatenus motus ipsius quantus est*. Est etiam Scoti 2.distinctio.2.quæst.3. & 4.& in 4.distinct.49.quæst.6. §. *De secundo dubio, &c.* vbi de visione beatifica loquitur; Tum quia duratio dicit existentiam rei, quæ in permanentibus non est successiua, cùm ab essentia realiter non distinguatur; neque possit dari successio in existentia, quin sit in entitate rei; quòd autem aliqua successiuè acquirantur, parum refert, quia hoc est per accidens,possunt enim in instanti acquiri, neque successio propriè est in existentia rei, sed potius in acquisitione, quia adueniente noua parte existentiæ, non amittitur præcedens, sed benè deperditur præcedens acquisitio, quatenus motum, vel productionem dicit.

25 Secundò, quòd tempore discreto non mensurentur, ita vt successio illa immediata non faciat differentiam essentialem, est communis cum Scoto cit. & prob. quia non facit hæc successio durationem aliquam per se vnam, sed potius collectionem, & numerum plurium durationum permanentium, non enim illa instantia vniuntur vnione compositionis, vt patet, neque continuitatis, aliter non esset duratio discreta, ergo non potest dici tempus discretum esse specialem durationis speciem; tum quia non rectè propter prius, & posterius in operationibus Angelorum dicitur duratio illa tempus, aliter si Deus statueret plures Angelos creare, vt ad productionem vnius priorem destruat, daretur ista successio, & tamen non diceretur tempore discreto durare; datur quoque de facto talis successio in formis substantialibus respectu materiæ, & tamen non per hoc duratione distincta durant, ac esset, si vna tantum forma esset in materia, perpetuò in nobis etiam adest successio operationum immaterialium. Nec valet dicere nostras operationes esse necessariò coniunctas inter se, quia discurrendo intelligimus, non sic Angelorum operationes, vel quia intelligimus cum conuersione ad phantasmata. Etenim etiam Angeli discurrunt, & non possumus plures intellectiones primæ, vel secundæ operationis intellectus habere, in quibus non esset discursus; phantasma autem non producit intellectiones, sed intellectus; tum quia habent omninò similem existentiam, & eundem permanendi modum indiuisibilem, sicut angelicæ operationes, & respectus ad aliud, vel aliud agens non potest variare durationem rei, eiusque existentiam.

26 Tertiò,quod detur vna duratio communis omnibus permanentibus æuum appellata,Probatur à Scoto ibidem, quia omnia permanentia, quamuis specie inter se differant, conueniunt tamen in hoc communi conceptu scilicet indiuisibiliter permanere,seu permanenter,non successiuè,defectibiliter non indefectibiliter, ergo debet dari duratio omnibus communis talem exprimens conceptum quæ postea possit in alias diuidi species,vt mox dicemus; quòd autem æuum dicatur, vel non, est quæstio de nomine, & rectiùs Scot.est loquutus, quia satis vulgata est illa diuisio durationis in tres species, æternitatem, æuum, & tempus; tum quia regula bonæ diuisionis hæc est,vt ad pauciora membra reducatur, quæ membra postea subdiuidantur,si opus erit, non debetur igitur duratio statim in tot membra immediatè diuidi. Accedit, quòd secundum vsum loquendi hoc nomen æuum omnibus permanentibus accommodatur, vita enim cuiuscunque hominis à Damasc.2.de Fide cap.11. æuum dicitur,duratio quoque beatitudinis non solùm æternitas, verùm etiam æuum à Patribus appellatur, parum enim vel nihil differunt inter se, vt notat Doct.in 4.cit.

27 Dicimus 2.æuum non esse speciem athomam durationis, sed diuidi specificè iuxta essentialem diuersitatem existentiarum rerum durantium, itaut tot sint æua specie distincta, quot existentiæ specie diuersæ; ita Scot.2.dist.2.qu.3. A. quem sequitur Suar.citat. & quamuis quæst. 4. dicat, omnia habentia eundem modum existendi inuariabilem æuo mensurari, eademque mensura; non se tamen declarat,an loquatur de generica, vel de specifica mensura, cùm tamen q.3.expressè dicat,tot esse æua,quot æuiterna, eò quia quælibet superior existentia est simplicio qualibet inferiori, & euidenter ex dictis probatur; æuum formaliter dicit existentiam æuiterni,ergo quot existentiæ specie distinctæ; tot æua specie diuersa. Quomodo autem debeat hæc diuisio fieri, aptior modus non erit, quàm ipsam assignare ex entitatum perfectione, quæ enim est perfectior, perfectiorem habebit existentiam, & consequenter perfectiorem durationem, hinc rectè ait Scot.q.4.A. nec perpetuitatem, nec corruptionem, vel annihilabilitatem variare formaliter mensuram: dummodo existentia sit eiusdem rationis formaliter,nam si Deus ab æterno determinasset motum Cęli in perpetuum duraturum, & Angelo statim annihilandos, adhuc motus tempore duraret, & Angeli æuo; rationem supra assignauit, quia sicut aliquando non fore non variat existentiæ mensuram, dum manet,ita multò minus illa causa, per quam potest ista potentialitas reduci ad actum, putà creata, vel increata, variabit rationem formalem mensuræ existentiæ eius, vel moram in existendo; specialiter tamen contra Smisinch.est, quò ponit accidentales formas minus defectibiles substantia composita, hoc enim videtur repugnare Scoto in 4.cit.vbi ait,impossibile esse, illud, quod inest alicui per accidens, esse immutabilius eo, cui inest, ex quo postea concludit, quòd actus beatificus ex eo,quod est accidens sit minus nobilis,& permanens Angelo; non inficiamur tamen, istis diuisionibus per extrinseca assignatis circumscribi posse differentias essentiales, & intrinsecas.

28 Ex qua Doctrina colligitur solutio illius dubij, an scilicet vnum tantum sit æuum omnium æuiternorum; etenim si æuum pro intrinseca duratione sumitur, sic tot sunt æua, quod æuiterna, quia quodlibet propria existit existentia, ita Scot.2.d.2.q.3.attamen si æuum in ratione mensuræ extrinsecæ accipitur, dicemus q.sequ.art.2. in fine.

Sed contra instatur à Thomistis, probando res generabiles, & corruptibiles motu mensurari, ac durare; ex 4.Phys.133.vbi habet Philos. res generabiles, & corruptibiles tempore mensurari; & ex Authore de causis in penult. propos. inter rem, cuius substantia, & operatio est in æternitate, & rem, cuius substantia, & operatio est tempore, est res media, cuius substantia est in æternitate, actio verò in tempore; ergo datur substantia, quæ tempore durat; hinc solemus quærere, quanto tempore substantia permanserit, & respondemus, tanto, vel tanto tempore. Tum 2. quia secundum Philosophum res illæ sunt in tempore, quæ tempore mensurantur, à tempore comprehenduntur, & consummantur, res corruptibiles sunt huiusmodi: diuiduntur enim in diuersas ætates, recedunt permanente tempore & corrumpuntur. Tum 3. quia cuius esse primum mensuratur instanti temporis, eius esse habitum, vel permanens tempore debet mensurari, initium autem rerum corruptibilium est huiusmodi.

Respondemus,Philosophũ intelligi non per se,sed per accidens,ratione scilicet motus,& mutationis,quorum sunt subiecta, vt tex.119. se declarat;cùm verò quæritur,quanto tempore res durauerit,sumitur tempus pro duratione,non intrinseca, sed extrinseca, vt dicemus infra; Secunda authoritas non vrget, nihil enim nobis, & illi Auctori. Ad 2. & 3. dicimus, concludere tantum, res corruptibiles tempore mensurari,& in eo esse, vel sumendo tempus in ratione mensuræ,non durationis intrinsecæ, vel non per se, sed per accidens, ratione motuum,quibus subijciuntur.

Dices, etiam substantiæ incorruptibiles, vt sic possunt dici esse in tempore, cùm sint subiectum motus, quod tamen à Philosopho negatur tex.120.Respondemus, hoc esse, quia secundum Philosophum substantiæ æternæ sunt prorsus immutabiles,nec aliquid de nouo possunt recipere. Vel, dic discrimen esse,quia substantiæ incorruptibiles solùm mutationem accidentalem patiuntur,corruptibiles verò etiam substantialem. Secundò instant, ostendendo,aliqua permanentia, vel æternitate participata,vel duratione media durare; Sed solùm probant, non esse eandem specie durationem omnium permanentium, quod vltro concedimus, non tamen quòd non habeant durationem communem permanentem in plures species diuisibilem, estque tantum quæstio de nomine.

QVÆSTIO IV.

Explanatur tertia durationis species, quæ est Tempus.

29 NOmine temporis non vtimur hic pro aeris constitutione, vt cum dicimus, aerem esse seruum,calidum &c.ex qua acceptione ortum habuit diuisio anni in quatuor tempora, neque pro constitutione nostræ vitæ, vt cum solemus dicere, aliquem bonum tempus habere idest ducere bonam, & lætam vitam, sed pro duratione rei successiuæ per partes continuò fluentis; inter res successiuas non debent numerari qualitates per partes acquisibiles, & similia, quia entia sunt permanentia, cùm plures simul habeant partes, sed res illæ, quarum nulla pars est simul cum altera, tales sunt actiones, passiones, coexistentia tempori successiuo, vbi locale per motum continuum successiuè acquisibile,& motus; veruntamen quia entia ista successiua ferè semper cum motu existunt,& motus est notior,factum est, vt motus antonomasticè ens successiuum dicatur, & tempus motui tanquam passio tribuatur; vnde ab Arist.in ordine ad motum definitur, dicente; tempus est numerus motus secundum prius,& posterius. Hoc igitur tempus est duplex, intrinsecum, & extrinsecum; primum est propria cuiuslibet motus successiua duratio, de quo Scot.2. dist.2.qu.1.2.3.& 4.sæpè loquitur; secundum est duratio alicuius successiui,in qua cæteri motus exercentur, ipsique coexistunt, qua ratione dicitur mensura motus, de quo præcipuè locutus est Philos. 4. Phys.& Scot.cit.in 4.dist.48.q.2.estque duplex,reale,& imaginarium; primum est duratio realis alicuius motus realis, qua cæteri motus mensurantur, qualis est motus primi mobilis; secundum, vt notat Doctor quol.11.F.est duratio alicuius motus non actualis,sed possibilis,imaginati tamen è nobis ad modum actualis, & positiui; puta si hodie non esset motus hodiernus Cœli, totum hoc spatium, seu interuallum successiuum, quod modò concipitur repleri, & pertransiri à motu diurne Cœli, diceretur tempus imaginarium, quatenus concipitur motus possibilis in tali spatio, & capacitate exerceri, vt fuit tempore Iosue,qua ratione dicimus,mundum potuisse creari multo tempore ante, quàm modò fuerit creatus; & istud tempus concipitur esse quasi infinitum à parte ante,ac si ab æterno fuisset, & post diem iudicij in perpetuum duraturum; estque simile spatio imaginario, locali, quod in infinitum concipitur protensum, cum hac differentia, quòd istud intelligitur quasi permanens totum simul, illud verò successiuum. De istis ergo temporibus, intrinseco, & extrinseco erit sermo: hinc in duos articulos diuidimus præsentem quæstionem.

ARTICVLVS I.

De tempore intrinseco.

30 DVo videnda sunt de isto tempore,an sit,& quid sit;quo ad primum dicimus,verè dari tempus istud, & durationem successiuam; ita colligitur ex Gen.1. *Fiant luminaria magna, & sint signa, & tempora & dies,& annos*, & Act.1. *non est vestrum nosse tempora, & momenta*:& D.Aug.11.Confess.cap.14.ait, nihil esse notius existentia temporis; quod etiam supponit Philos.4.Phys.& patet ratione, quia non solùm datur à parte rei ens permanens,verùm etiam successiuum ergo præter durationem permanentem dari debet duratio successiua, quia res existens est etiam durans.Ista tamen existentia successiua non explicatur per hoc, quòd quando datur instans, detur etiam aliqua pars temporis indeterminata existens,qua ratione permanens non dicitur; vt ait Hurt. disp.15. Phys.sect.2.§.80. hoc enim est falsum, vt supra probauimus disp.9. qu.2.art. 2. cum hanc responsionem ex ipso Hurt.adduximus ad 4.Neque explicatur vt dicunt Canon.4.Phys.q.5. art.2.ad arg.princ.Tol.q.12.Complut.disp.21.Phys.q.5.& disp.25.q.1. Smisinch.tract.2.disp.4.qu.3.n.61. ex eo quòd indiuisibile partes priores,& posteriores copulans est simul manens, & existens, tangitque partes immediatè præteritam,& immediatè futuram, quæ existunt in illo instanti,quia tunc habent rationem immediatè præteritæ, & immediatè futuræ partis,qua ratione inquiunt Complut.in illo instanti habere existentiam, non tamen essentiam, quæ fuit antea, vel erit postea; licèt existentiam in illo instanti habeant; alij dant exemplum, vt explicent istam temporis existentiam, per existentiam solius instantis, quia sicut totus homo denominatur crispus, eo quia in solo capite est talis, sic per esse instantis denominatur tempus existere. Impugnatur enim quia quod non existit secundum se,sed per aliud,nõ est ens actuale secundum se, sed per aliud ergo si tempus existit secundum instans,non secundum se,quia instans non est tempus,sed aliquid temporis, non erit ens secundum se,sed per instans; quod etiam patet in exemplo adducto, manus enim non dicitur crispa; quamuis etiam hoc exemplum non sit ad propositum, quia caput est pars hominis, non sic instans est pars temporis; tum quia, vel post instans existit pars temporis, vel non; si primum, ergo non tantum secundum instans dicetur tempus existere, sed secunddm proprias partes: si secundùm; ergo vel instans immediatum instanti, vel non poterit dici copulatiuum, nam ad hoc requiruntur extrema copulata, quod actu sint, & in rerum natura reperiantur; Tum quia existentia instantis est simultanea, indiuisibilis, & raptim transiens sicut eius entitas,quæ à partibus temporis realiter distinguitur, ergo partes, quæ successiuæ, & diuisibiles sunt,nec raptim transeunt,sed per tempus durant, realiterque ab instanti distinguuntur, nequeunt tali existentia existere, cùm existentia ab entitate realiter non distinguatur.

31 Tum quia contra Compl.est, quod ponunt essentiam aliquam in rerum natura,absque eo quod existentiam habeat, vel propriam, vel alienam,& existentiam propriam,& conuenientem alicui rei absque essentia illius, quia pars immediatè futura secundum ipsos habet propriam essentiam non in instanti continuatiuo sed immediatè post, sicut præterita immediatè ante, at existentiam in illo instanti, in quo essentiæ illæ minimè reperiuntur. Tum quia quod non est, non existit,& quod est, & existit, non dicitur destructum, sed successiuum definit per primum sui non esse, vt dicemus disputat.seq. itaut valet dicere,nunc non est, antea erat, ergo in instanti terminatiuo motus pars immediatè præterita non habebit existentiam, aliter existeret simul,& non esset;& idem est dicere,existere partem præteritam in ratione præteritæ non secundum essentiam, ac existere, & esse, quod non est,sed fuit,hoc enim sonat præteritum, quod in sua ratione formali

mali negationem existentiæ simultaneæ, & præsentialis excludit, sic duo contradictoria de eodem verificabuntur: idem dicas de parte immediatè futura.

His rationibus impugnari etiam potest responsio Ioann. de S. Tho. quæst. 18. Phys. artic. 2. & Manc. 4. Physic. q. 3. dub. 3. distinguunt enim de existentia, quod alia sit in fieri, & hæc conuenit partibus temporis, non tamen est propriè existentia: alia est in facto esse, & hæc solum conuenit instanti temporis, non partibus, aliter plures temporis partes simul coexisterent, quod est contra rationem successiui: diciturque propriè existentia, eo quia existentia constituit rem in facto esse: hinc inferunt partes temporis propriè existere per existentiam instantis copulantis præteritam cum futura, cum hac tamen differentia, quod præterita existit consummatiuè, futura verò initiatiuè. Hæc doctrina reducit difficultatem ad quæstionem de nomine, & in re coincidit cum nostra sententia, concedimus enim nos quoque magis propriè existere res permanentes, quia existunt secundum plures partes simul, quam existentiam ipsi vocant in facto esse, successiuè verò existunt fluxibiliter, quòd ipsi vocant in fieri: quapropter velint, nolint, iam incidunt in nostram opinionem, quam mox aperiemus ex Scoto: quod si in tempore solum agnoscunt existentiam instantis, iam redeunt omnia argumenta adducta, in intelligibile namque est aliquid existere sine essentia, & habere essentiam à parte rei sine vlla existentia, immo hoc quod est præteritum existere in instanti continuatiuo consummatiuè, & futurum initiatiuè, idem est, ac non esse actu, sed fuisse, & fore, nam hæc desitio, & inceptio est intrinseca.

Dicitur itaque tempus existere vt colligitur ex Sco. 2. d. 2. q. 9. M. & quol. 12. art. 3. quia sicut ens permanens, ex eo quòd habet totum esse simul, habet quoque existentiam, & præsentiam simultaneam, sic ens successiuum, quia habet esse non simul, sed in continuo fluxu, & successiuè, eius existentia, & præsentia simultanea non erit, sed fluens, & successiua, secundum quamlibet partem, & in continuo transitu: quod potest exemplo fluuij explicari, qui non est totus in aliqua parte, sed vbique est secundum esse fluens continuò. Quòd si quæras existentiam aliquam simultaneam in ente successiuo, non reperies, nisi in instanti, quod simul est, & totaliter, cùm non habeat partes, quamuis raptim transeat, & de illa simultanea existentia intelligitur proloquium illud commune, *de tempore non habetur nisi nunc*, at partes sunt in actu, & existunt, non existentia, & actualitate simultanea, vel permanenti, sed successiua.

32 Sed contrà dices, partes temporis sunt præteritum, & futurum, nam præsens est instans, sed illæ nequeunt existere, quia quod existit, dicitur nunc esse, at præterito, vt præterito, & futuro, vt futuro repugnat esse, ergo, &c. Tum 2. quia quod consistit in ordine non entis ad non ens, non verè existit, tale est tempus, quia consistit in ordine præteriti ad futurum, quæ non sunt. Tum 3. quia omnes fieri ordinatur ad aliquod esse ideoque prius natura intelligitur ly fieri, quàm esse, sed tempus non habet existentiam post ipsius fieri, quia sic esset permanès, ergo non potest fieri. Tandem si tempus esset, vtique esset corruptibile, quod est falsum, quia corruptio fit in tempore, & sic tempus corrumperetur in alio tempore, vnde esset processus in infinitum. Respondemus ad 1. propriè partes actuales temporis non esse præteritum, & futurum reduplicatiuè, sed vt præsentia sunt, non quidem simultaneè, sed successiuè; quare rectius dicetur, partes temporis esse prius, & posterius, quæ præsentia dici possunt successiuè, quia prius tunc est prius, quando est ante posterius, & posterius est tale, quando subsequitur prius, at præteritum, dum est præteritum, non existit, neque futurum, dum est futurum, & quia quælibet pars temporis est tempus, & consequenter debet includere prius, & posterius, idcircò pars prior dicitur tempus quia includit prius, & posterius, non quidem respectu eiusdem, sed diuersorum, nam prioritas, & posterioritas sunt successio, & quælibet pars est successiua; Per idem ad secundum. Ad 3. patet ex dictis disp. 5. q. 2. quòd fieri non præcedit tanquà modus quidam esse rerum, imò potius subsequitur, ideò nihil ad rem. Tum quia, si esse sumitur pro conseruari, & fieri pro produci maior est vera in permanentibus, non in successiuis, quæ dum fiunt, etiam corrumpuntur successiuè. Ad 4. tempus verè non generatur, vel corrumpitur, sicut neque motus, aliter ad motum esset actio, & consequenter ad motum esset motus, tamen potest dici accipere esse, & desinere, extrinsecè, & in instanti alterius durationis extrinsecæ, vt art. seq. dicemus, quomodo non erit processus in infinitum.

33 Quo ad 2. non est ita clarum, quid formaliter sit tempus, sicut est eius existentia; nam aliqui nullam distinctionem admittunt inter motum, & tempus, aut saltim distinctionem rationis, ita Nominales omnes, Suar. disp. 50. Met. sect. 9. Fuentes 4. Phys. qu. 3. diff. 3. art. 1. & 2. & omnes illi, qui idem docent de duratione in communi. Alij ex opposito docent, adesse distinctionem realem; ita quidam Scotistæ, & præsertim Regentes Parisienses 4. Phys. quæst. de Tempore, vnde postea 6. Phys. q. 1. collat. 2. asserunt motum posse à tempore separari, & fieri in instanti; quibus fauet Auersa quæst. 29. sect. 4. solùm excludens durationem localis motus, qui fieri nequit sine successione, & mora. Mediam sententiam sustinet Cano. 4. Phys. qu. 5. art. 3. dub. 3. Faber. theor. 49. Amicus tract. de tempore q. 4. dub. 3. & 4. alij distinctionem formalem admittentes inter tempus, & motum; quamquam postea non conueniant in explicatione huius formalitatis superadditæ motui, nam Canon. ait, esse numerabilitatem, Faber rationem mensuræ actiuæ, eo quòd Scotus in 4. dist. 24. q. 2. G. ait, tempus vltra motum primi mobilis includentem successionem non addere, nisi rationem mensuræ formaliter, fundamentaliter verò rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum alios motus; Amicus entitatem quandam successiuam formaliter distinctam ab entitate, & successione motus. Alij tandem solummodo successionem quà partes motus extenduntur in ordine ad durationem extrinsecam.

Pro resolutione huius difficultatis præaccipienda sunt quæ fusius dicemus disp. 15. videlicet quòd motus, vel essentialiter petit esse in instanti, vt acquisito cuiuscunque indiuisibilis, vel necessariò in tempore, vt motus localis in patio diuisibili factus, vel indifferens est, ita vt tam in instanti, quàm in tempore fieri posset, vt omnes alij motus, qui saltim de potentia Dei possunt in instanti fieri. Insuper quòd successio nihil aliud est, nisi respectus ordinis partium secundum prius, & posterius vni termino copulatarum, quatenus vna pars ita alteri succedit, vt semper vna est prior, altera posterior, nunquam simul erunt, qui ordo in motu essentialiter successiuo, vt est localis per spatium diuisibile, est realiter illi identificatus, & circumscribit differentiam essentialem, seu exigentiam illam, qua motus essentialiter petit, vt partes non sint simul, non enim est differentia essentialis, quia super partes motus fundatur, & consequenter præsupponit partes in proprio esse constituas, at in motu accidentaliter successiuo erit accidens per accidens.

34 Rursus notandum, quòd de tempore intrinseco possumus dupliciter loqui vel prout est quædam species durationis, adæquatè diuidens cum æternitate, & æuo durationem in communi, vel secundum communem, & visitatam acceptionem, primo modo dicit durationem entium ex propria natura transeuntium, & hoc siue instantaneè, vt mutationes instantaneæ; siue successiuè, vt motus successiui; ratio est, quia res per instans tantummodo durans habet propriam existentiam & durationem, quæ non est æuum, vt patet, hoc enim conuenit rebus, quæ possunt ex propria natura diu permanere, ergo stante diuisione illa trimembri durationis in communi, non nisi ad hanc tertiam reduci poterit, & sic tempus continebit sub se durationes rerum ex sua natura, & necessariò transeuntium, præscindendo ab hoc, quod est transire in instanti, vel successiuè; in quos modos diuideretur vt in species quando intrinsecè, & essentialiter motibus conueniunt, si verò accidunt, erit diuisio per accidentalia, & extrinseca. At si sumatur tempus secundo modo scilicet secundum visitatam acceptionem, solùm supponet pro successiua duratione non erit tamen diuisio illa adæquata, quia sub nulla illarum specierum directè continebitur duratio mutationis essentialiter instantaneæ, quæ tamen est vera duratio, sicut talis mutatio habet existentiam veram, & realem, vt diximus q. 1. huius disp. his præacceptis.

35 Dicimus; Tempus si primo modo sumatur, vt est quædam species ab alijs duabus distincta, formaliter dicet existentiam rerum transeuntium præscindendo ab instantaneitate, vel successione; licèt connotet coexistentiam alicui extrinsecæ durationi, at si presè, & secundum communem vsum accipiatur, formaliter dicet existentiam entis successiui, & successionem partium, quando est essentialis, quatenus per ipsam, differentiam intrinsecam constituentem durationem in tali specie circumscribimus; at quando est accidentalis solùm pro connotato illi conuenit. Concl. sequitur ex dictis, & probantur singula. Primò quòd tempus primo modo dicat formaliter existentiam; quia duratio in communi formaliter dicit existentiam rei durantis, ergo, & quælibet species sub illa contenta, & eodem modo probatur, quòd tempus presè sumptum dicat existentiam successiuam modo explicato, quatenus scilicet circumscribit differentiam intrinsecam, quia vt diximus sub n. 33. successio præsupponit partes, super quas fundatur; tum quia existentia est vltimus actus rei existētis, nec est vlterius essentialiter res contrahibilis, ergo non potest per ipsum respectum contrahi; Cui accedit authoritas Scoti, non quidem desumpta ex 4. d. 48. q. 2. vt facit Faber, ibi enim Scotus loquitur de tempore extrinseco, non intrinseco, vt patet legenti, sed in 2. d. 2. q. 2. E. vbi, etsi problematicè loquatur, vt facit ferè per omnes primas quatuor quæstiones, magis tamen inclinat ad partem illam ponentem identitatem inter motum, & tempus, vnde lit. H. loquens de angelica duratione, ait à propria existentia non differre. Tandem quòd quando successio, seu ordo ille partium accidit enti successiuo, non fit formale significatum temporis, sed solùm connotatum, probatur, quia nulla res potest intrinsecè durare per aliquid realiter distinctum, ex 1. q. huius disp. quapropter calefactio v. g. dicitur intrinsecè durare propria existentia, & si est successiua, dicetur tempore durare propter connotationem ordinis partium; si verò instantanea, instante durabit, propter connotationem negationis ordinis partium, non quòd intrinsecè sit alia; & alia duratio, seu existentia, sed solùm ab extrinseco, & connotatiuè differrent.

36 Ex ista doctr. & ex dictis in præcedentibus questionibus primò colligitur quid sit dicendum, cùm quæritur, quomodo duratio in communi, & quælibet eius species à re durante distinguatur; cùm enim formaliter tantum dicat existentiam, talis erit distinctio, qualis est inter existentiam, & rem cuius est existentia, quam certum est non esse realem; an verò sit rationis, vel formalis pertinet ad Metaphysicam, sufficit modò, quòd adsit aliqua distinctio, quæ ratione duratio solet dici passio entis realis sic Arist. loquens de tempore respectu motus in 4. Phys. à tex. 42. & deinceps, ait, tempus consequi motum esse

esse aliquid motus, & sine motu non reperiri; non est tamen passio in rigore. Secundo colligitur quod tempus intrinsecum est aliquid reale ab anima independens, cùm sit existentia alicuius realiter existentis absq; opere intellectus; quæstio enim illa, an tempus ab anima formaliter dependeat, non debet proponi de intrinseco, sed de extrinseco tempore, vt dicemus art. seq. Tertiò colligitur solutio alterius quæsiti, an scilicet sit vnum tempus, vel plura; quamuis enim loquendo de tempore extrinseco, omnia possint dici esse in eodem tempore, vel simul tempore, vt dicemus art. seq. attamen intrinsecum tempus debet multiplicari, non solùm numero, sed etiam specie ad multiplicationem numericam, vel specificam motuum, vt in simili supra diximus de æuo; vnde & tempus materiale, & tempus spirituale dari debet, sicut datur existentia materialis & spiritalis motus. In speciali tamen aduertendum est, quod tempus discretum non datur tanquam species quædam à continuo distincta, quia formaliter aliud non dicit, nisi collectionem, & numerum plurium motuum sibi inuicem immediatè succedentium, numerus autem non est vnum per se, vt inuuimus quæst. præced. artic. 2. & in Log. in prædicam. Quant.

Sed contra arguitur 1. quod tempus non sit realiter motus ex D. August. 11. Confess. cap. 24. dicente: *Iubes vt approbem, si quis dicat tempus esse motum corporis? non iubes: nam corpus nullum moueri nisi in tempore audio, non est ergo tempus corporis motus*, & quamplurimis etiã Philosophi authoritatibus, nam 4. Phys. 94. 95. & 96. probans duabus rationibus, tempus non esse motum, putà, quia tempus est communis motu, & quia habent differentias diuersas, nam tempus dicitur longum, vel breue: motus verò velox, vel tardus, concludit in tex. 97. *tempus igitur non esse motum, constat*, & tex. 98. idem repetit dicens, *cum igitur non sit motus, necesse est motus aliquid esse ipsum*, quòd etiam colligit in text. 101. est definitione temporis; immo tex. 94. reprehendit eos, qui motum spheræ tempus esse contendebant. Tum 2. quia tempus est mensura motus, mensura autem realiter à mensurato distinguitur. Tum 3. si plures essent Cęli, sequeretur, plura quoque simul tempora esse, quia tunc plures essent motus, quod est impossibile ex 4. Phys. q. 3. Tandem potest idem motus Dei virtute reproduci, non verò idem tempus, quia ad præteritum non est potentia: & quia dies hesternus, & hodiernus essent vnus dies.

37 Respondemus, omnes istas authoritates intelligi debere de extrinseco tempore, respectu cæterorum motum, quorum est mensura, quatenus tempus formaliter non dicit motum ipsum, sed est aliquid ipsius, vt art. seq. idem etiam probant rationes Arist. præcipuè cùm dicitur, quòd diuersas habent differentias: respondetur, velocitatem, & tarditatem conuenire motui, sicut raritas, & densitas competunt quãtitate permanenti, & sicut istæ non dicunt aliud, nisi diuersos respectus ad maiorem, vel minorem locum, vt in lib. de Gener. dicimus disp. de rarefactione, sic velocitas, & tarditas in motu dicunt respectus super partes motus fundatos ad longius, vel breuius tempus, cui coexistunt; ex quo patet, velocitatem, & tarditatem conuenire motui, quatenus mensurabilis est, longitudinem, & breuitatem esse in tempore, vt est mensura, quare solum concluditur, tempus, vt est mensura, à motu, vt mensurato distingui, & sic patet ad secundam. Ad 3. dicimus, Philosophum arguere ad hominem, nam Antiqui non secernentes à motu rationem mensuræ, in qua consistit ratio temporis extrinseci, putabant, motum esse tempus, sed pro impossibili habebant, plura tempora reperiri. Ad 4. negatur, tempus non posse reproduci, cùm dicitur, ad præteritum non esse potentiam, respondet Doctor 4. dist. 43. qu. 3. F. sensum esse, quòd nulla potentia facere potest, quòd facta non sint ea, quæ facta sunt, sed non sequitur, quòd non possit Deus facere præsentia, quæ facta fuerunt; sic dies hesternus, & hodiernus forent vnus dies, pro formali, non pro connotato, quia aliam, & aliam dicerent coexistentiam ad tempus imaginarium.

Secundò ad idem, & est argumentum Scoti in 2. dist. 2. q. 2. E. nulla quantitas est eadem alteri quantitati, nisi partes vnius sint æquales in numero, & magnitudine partibus alterius, sed partes motus non sunt ita æquale partibus temporis, ergo &c. Minor prob. idem motus secundum easdem partes itare potest cum maiori, vel minori tempore, nam si mobile per horam pertransiet tantum spatium, si in duplo velociùs mouetur, perficit illud spatium in medietate horæ, & si in duplo tardiùs, perficiet per duas horas, & tamen esset idem motus secundum entitatem. Respondemus negan. minorem de duratione, & tempore intrinseco, concedendo de tempore extrinseco, de quo etiam procedit probatio, motus enim illi habent easdem partes, & consequenter easdem existentias, quamuis velocior habeat partes, quasi densas, & magis constipatas, ob id q. minori tempori extrinseco coexistit, tardus quasi raras, vndè maius, & longius tempus ipsi correspondet.

38 Sed contra istam respons. instant Complut. disp. 21. q. 3. oppositum sustinentis; Tum quia ideò duo æua angelica sunt æqualia in realitate inter se, quia possunt, quantùm est ex se, coexistere æquali tempori, ergo quia durationes motus tardi, & velocis per æquale spatium facti non possunt, quantùm est ex se, coexistere æquali tempori, non erunt æquales realitates, nec æquales partes. Tum 2. quia debet assignari ratio, cur detur hæc maior, vel minor coexistentia ad tempus extrinsecum, hæc nequit esse existentia motus, vt probatum est, ergo erit duratio, & mora intrinseca. Tum 3. quantitas successiua ex se petit, quòd vna pars sit post aliam, ergo non possunt esse modò magis, modò minus inter se cõstipatæ, vt euenit in permanentis rarefactione, & condensatione, ergo hoc erit propter durationem distinctam, quæ varietur, & sit diuersa ab existentia motus. Tum 4. partes motus tardi non possunt æqualiter correspondere partibus motus velocis in eodem tempore facti, at partes durationis vnius æqualiter correspondent partibus durationis alterius, ergo non sunt idem realiter, nam si vna quantitas quantumuis extendatur, non possit alteri coæquari, hoc non proueniret ex rarefactione, sed ex intrinsecis partibus ipsius, ita de motu tardo dicendum, qui nunquam potest adæquari motui veloci.

Resp. ad 1. motus illos quo ad durationem intrinsecam esse æquales inter se, at velocitati, & tarditati subsunt, nequeunt æquali tempori coexistere, vnde solùm differunt quo ad coexistentiam. Ad 2. ratio erit velocitas, & tarditas motus, quæ possunt prouenire, vel à perfectione, aut imperfectione agentis, aut propter maiorem, vel minorem repugnantiam contrarij. Ad 3. negatur conseq. quia quantitas permanens adhuc habet vnam partem extra aliam in loco, & tamen in rarefactione eadem omninò maiori loco coexistit, nec per hoc vna pars est magis extra aliam in se, sed solùm in ordine ad locum, vt in lib. de Gen. dicimus, ita idem motus erit modò tardior, modò velocior, non quòd vna pars sit magis post alteram in seipsis, sed in ordine ad tempus extrinsecum. Ad 4. non correspondent nec in partibus motus, nec in partibus durationis intrinsecæ, sed solùm in coexistentia.

39 Contra eandem arguit Amicus, & ferè incidit in idem; si duo motus, vnus tamen altero velocior, essent in eodem tempore, plures partes durantes essent in motu velociori, sed in vtroque eadem formaliter duratio intrinseca, ergo duratio intrinseca est realiter distincta à rebus durantibus, Anteced. probat. quia maior duratio formaliter extendit suum subiectum actu, vel aptitudine in ordine ad durationem imaginariam, sicut quantitas in ordine ad spatium, ergo cùm isti motus, vt sic confecti, nec actu, nec aptitudine possint longiori tempori coexistere, habebunt eandem durationem intrinsecam. Tum quia Doctor 2. d. 2. q. 2. E. loquitur de tempore intrinseco, non extrinseco, vt patet, quia faci comparationem inter durationem motus, & durationem intrinsecam Angeli, & ait, quòd potest stare inæqualitas partium motus, & temporis. Respondemus, negando ex dictis assumptum, in motu enim velociori est maior duratio intrinseca, quia plures adsunt partes, est eadem verò duratio pro connotato scilicet pro coexistentia; negatur etiam, quòd motus velocior non habeat aptitudinem coexistendi longiori tempori in sensu diuiso, licèt in sensu composito quatenus est cum tali velocitate actu, non coextendatur, quod sufficit ad maiorem durationem intrinsecam. Ad Scotum dicimus, loqui ex suppositione, quòd tempus distinguatur à motu realiter, vt patet in principio illius respons. quia etiam hoc admisso, adhuc non sequitur, etiam in Angelo durationem realiter debere distingui, quia inquit Scotus, si illud esset verum, esset, quia partes motus non essent æquales partibus temporis, at in Angelis non tenet ratio de magnitudinibus, & partibus earum; ecce quomodo ex suppositione loquitur.

40 Tertiò ad idem; tempus reperitur in rebus quiescentibus, in quibus non est motus, quies enim tempore mensuratur, non solùm per accidens, sed etiam per se, ex Scot. 2. d. 2. q. 4. D. è contra motus potest esse quando tempus non est ex Scot. 3. dist. 48. q. 2. H. I. dist. 39. q. 14. N. Tum 2. qua tempus est effectus ipsius motus, quia prius, & posterius in tempore oriuntur à priori, & posteriori in motu causa autem, & effectus realiter distinguuntur. Tum 3. quia in motu sunt plura indiuisibilia continuantia, in tempore est tantum vnum per Arist. 4. Phys. 104. vbi habet, quod nunc seu instans secundum substantiam est idem in tempore, & diuersum secundum esse idest secundum aliam, & aliam considerationem, ergo tempus est quid realiter à motu distinctum. Resp. ad 1. ex Scot. quol. 11. art. 2. ad 3. quod si esse in tempore dicit durationem intrinsecam positiuam negatur quietem esse in tempore, quia non habet existentiam realem, si verò dicat, mensurari tempore, tunc quies est in tempore, sed negatiuè, quia non mensuratur nisi per motum, qui tunc posset adesse, & ita mensuratur per accidens quia per aliud, per se vero eo modo, quo priuatio per re mensurari potest, hoc enim conuenit per se, quod conuenit rei, vt est talis naturæ, est autem priuatio, seu quies talis naturæ, quòd non dicitur tanta, vel tanta, nisi quia est tanti vel tanti positiui, motus verò potest esse sine tempore vniuersali, & extrinseco, de quo loquitur ibi Doctor, non particulari, & intrinseco. Ad 2. motus est causa prioris, & posterioris ratione mensurationis in tempore extrinseco, quia vt sic à motu distinguitur, vt dicemus art. seq. non verò in tempore intrinseco, quia in hoc non sunt diuersa prius, & posterius temporis à priori, & posteriori motus, sed eadem. Ad 3. respondetur ex Scoto 2. dist. 2. q. 2. Arist. ibi proponere hanc quæstionem an sit idem nunc in toto tempore, & quamuis expresè non soluat, aliqua tamen dicit, ex quibus colligi potest ipsius solutio, comparat enim nunc ad tempus sicut mutatum esse ad motum, & punctum ad lineam, ergo sicut plura sunt mutata, esse in motu, & puncta in linea, ita plura instantia in tempore, cùm verò ait, idem nunc esse secundum substantiam, & differens secundum esse, & non est sensus, quod tantum vnum sit instans fluens per totum tempus, sed quodlibet nunc consideratum secundum se, est idem & hoc dicitur esse idem secundum substantiam, consideratum autem in ordine ad tempus præteritum, & futurum, cum sit terminis præteriti

teriti,& initium futuri,dicitur differens secundum esse;vide exppsitionem textus.

41 Quartò,quod successio sit semper de formali ratione temporis, probatur, tempus est duratio successiua intrinsecè, & formaliter, per hoc enim à duratione instantanea distinguitur; vnde quantitas solet appellari, eo quia dicit extensionem quandam partium successiuam, sicut quantitas permanens extensionem partium permanentium,ergo in motu calefactionis v. g. tempus formaliter erit successio illa, non existentiam,non verò eandem durationem,sed aliam specie diuersam: qua ratione potest etiam probari distinctio temporis à motu alio à locali, vt facit Auersa. Respondemus, illud tempus esse essentialiter successiuum quod dicit durationem rei necessariò existentis secundum variationem partium, & hac ratione quantitati assimilatur, immo ab aliquibus in prædicamento quantitatis ponitur, (quod esse falsum patebit ex dicendis disput.15.) attamen duratio rei indifferenter se habentis ad existendum instantaneè, vel successiuè, solum tempus dicitur eo modo, quo tertia species ponitur ab æuo, & æternitate distincta, vt diximus, & semper est adem duratio intrinsecè, quocumque modo fiat, tantum accidentaliter differens, dicitur autem tempus, quando est successiua,quia assimilatur vero tempori, non quod intrinsecè successiua sit,sicut si Angelus tempori coexisteret, duratio ipsius dicetur temporanea propter connotationem coexistentiæ cum tempore, & eadem intrinsecè esset, si solum per instans duraret, & ex hactenus dictis constat tres tantum sufficere durationis species, tempus, æuum,ac æternitatem,nec aliam addendam.

ARTICVLVS II.

De tempore extrinseco.

42 VT quidditatem temporis extrinseci explicemus,quod mensura cuiuscunq. motus ponitur, multa veniunt declaranda. Primum, quomodo ratio mensuræ ipsi conueniat, & cui motui; ex quo patebit, an illud tempus sit ens ab anima dependens, & quo pacto à subiecto distinguatur, Secundum an ratio mensuræ soli tempori conueniat. Tertium, quas res mensurare dicatur; & tandem an rectè ab Aristot.definiatur,cum dicitur; *tempus est numerus motus; secundum prius, & posterius*, quæ omnia vnico articulo possunt comprehendi.

Quoad 1.aduertendum ex Scoto quol.13.N.& 2.dist.2.q.2. §. *Ad 2. partem quæstionis. &c.* quod mensura actiua est duplex, vna essendi, & per se,& est a qua id, quo dmensuratur, in sua entitate dependet, vel per participationem, vt Deus dicitur mensura creaturæ, vel per imitationem, quomodo scibile ponitur mensura scientiæ, inter quæ est relatio realis, quia nullum ordinem dicunt ad intellectum; altera est mensura in cognoscendo,& est quantitas illa, qua nota, intellectus de alia ignota certificatur; certificatio autem aliquando fit per quantitatem existentem in imaginatione, sicut artifex expertus per aliquam quantitatem,quam habet in sua imaginatione,mensurat quantitatem quamcunque, aliquando verò fit per quantitatem existentem in re, & hoc triplicitèr, vel excedentem, & tunc certificatur intellectus de quantitate minori per accessum eius ad quantitatem maiorem, vel recessum ab ea, quomodo mensura ponitur in quidditatibus rerum, & in vnoquoque genere datur vnum,quod est metrum, & mensura omnium,quæ sunt in illo genere, nam quidditates habent suas quantitates virtuales scilicet proprias perfectiones quidditatiuas. Secundò modo mensuratur per quantitatem excessam quia quantitas nota minor est ignota,& hæc mensuratio fit per replicationem mensuræ. Tertiò fit per quantitatem æqualem notiorem per applicationem, scilicet vel superpositionem ipsius, & hæc ratio mensuræ, quia sumitur in ordine ad intellectum cognoscentem, non dicit relationem realem simpliciter,quia respicit fundamentũ,vt habet esse cognitum. Dupliciter autem potest intellectus vnam quantitatem assumere pro mensura ad cognoscendam aliam quantitatem ignotam, vel quis ipsi intellectui est notior, quamuis ita non se habeat à parte rei, vt si alicui esset nota quantitas panni,& ignota quantitas vlnæ, illa pro mensura istius posset assumi; vel quia est notior ex natura rei, & ad hanc mensuram requiritur primò,vt sit notissima,ex 10.Met.c.1.Secundò vt notat Doct.4.d.48.q.2.H.vt sit certissima, & regularis, aliter non posset certificare intellectum. Tertiò, vt sit homogenea, & eiusdem rationis cum mensurato, vnde extensio localis non potest extensione temporis mensurari,sed alia locali,& longitudo longitudine,pondus pondere,&c.Quartò quod sit quoddam vnum,& minimum, hinc discreta quantitate vnitas, quæ est indiuisibilis, est certissima mensura, at in continua non est necesse, quod sit prorsus indiuisibilis, palmus enim vel hora non sunt huiusmodi, sed sufficit, vt ad instar indiuisibilis se habeat & hoc secundum hominum placitum, non enim vlna est apud omnes eiusdem longitudinis.

43 Ex quo deducitur, quod mensura dupliciter sumi potest,vel pro actuali mensuratione proueniente ab actu nostræ cognitionis, & est relatio quædam, vt ait Doctor, quol. cit. causæ in cognoscendo ad causatum in cognosci, quæ relatio est inter extrema non vt habentia esse reale, sed cognitum, ideò non est simpliciter realis, quamuis nec fit purè rationis, vt est illa, quæ est vniuersalis ad singulare; vel pro actu primo mensurandi, & sic dicit mensuram, vt potentem proximè assum ad actualiter mensurandum, & quia vnitas, quæ est mensura in quantitate discreta, præscindendo ab omni opere intellectus, habet omnes conditiones mensuræ,& sufficiens est, vt possit ad mensurandum assumi, idcircò erit ex natura rei aptitudinalis mensura in potentia proxima independenter è ratione; at quantitas continua, quæ assumi debet pro mensura,quia plures habet partes, non habet in se, præscindendo ab intellectu; vt statim, & proximè possit assumi, sed prærequiritur, vt ab aliquo intellectu determinetur illud minimum pro vnitate,& indiuisibili, per cuius replicationem postea mensuretur actualiter quantitas ignota solum ergo in potentia remota potest ex natura rei dici mensura, quatenus habet alias conditiones, puta certitudinem, vniformitatem,partibilitatem, &c. Vt notat Doctor in 4.cit.

In proposito cum omnes motus quandam habeant extensionem, potest assumi motus secundum suam extensionem ad cognoscendam extensionem, & durationem alterius, & tale dicitur tempus extrinsecum,vnde tempore mensurari non erit esse simul cum tempore,nam Deus coexistit tempori, non tamen tempore mensuratur ex natura rei vt sic, quia coexistentia ab intellectu præscindit. Neq. potest tempus poni mensura in essendo, quia nulla duratio temporalis ab alia essentialiter dependet in essendo,vt probat Doct.in 4.citat.& d.49.q.14.ad prin.& 2.d.2.qu.11.A. maximè enim à motu primi mobilis dependeret,& tamen post iudicium cessabit iste motus, & beati mouebuntur; & Iosue 10.habetur, quod ipse pugnauit stante Sole, & Luna, & per consequens toto Cælo, ne illis stantibus, & alijs sphæris motis esset nimia irregularitas in motu istorum corporum cœlestium, & D. Aug.11. Confess. stante Cœlo mouetur rota figuli. Erit ergo mensura in cognoscendo quoad durationem,& si loquamur de mensura absque fundamento in re, sic quilibet motus notior alicui intellectui poterit dici tempus,& mensura alterius ignoti,at de tempore cum fundamento in re modo est sermo; quare videndum est, quisnam sit ille motus habens omnes conditionis assignatas, & an sit vnus, vel plures; his prænotalis.

44 Dicimus,quod tempus vniuersale,commune,& extrinsecum est motus primi Cœli, seu ipsius duratio successiua, cum regularitate, velocitate, & notione, quæ sunt conditiones requisitæ, si pro fundamento, & materialiter sumatur; pro formali verò addit supra istum motum rationem mensuræ actiuæ, in actu primo proximo, quæ consistit in illa designatione, & determinatione partium primi motus, quales sunt horæ,medietates,minuta,&c. Mẽsuratio verò actualis per accidens conuenit tempori sumpto in actu primo; estque vnum numero tantum, ita Doctor in 4.d.48. quæst.2.H. Probantur, & explicantur singula; nam nullus motus augmentationis, alterationis, aut localis inferiorum corporum possunt esse mensura cœterorum, quia nec sunt vniformes, nec omnibus noti, vt possint vniuersaliter ab omnibus sumi pro mensura aliorum motuum; inter motus verò cælestis motus primi mobilis habet omnes conditiones, quia est omnium notissimus, & quamuis aliquando vtamur inferioribus motibus, scilicet horologij Solis, & Lunæ, &c.ad mensurandum motum primi Cæli, re tamen vera non vtimur illis, vt mensuris, sed potius vt signis, quibus possimus distinguere partes motus primi mobilis, hic enim secum omnes sphæras inferiores rapit, causatque in illis motum diurnum; est etiam certissimus, & vniformis, est eiusdem rationis cum mensurato; & tandem est breuissimus propter sua velocitatem; & licèt possit dari motus Angelicus velocior, non per hoc dici debebit mensura,cùm non habeat alias conditiones, ergo talis motus erit fundamentum mensuræ actiuæ, in qua consistit ratio temporis extrinseci, & quia ad mensurandum requiritur indiuisibilitas saltim proportionaliter, & in isto motu partes ex natura rei sunt continuæ, & diuisibiles, ideò secundum se non est potens proximè,vt possit in mensuram assumi, sed requiritur designatio facta ab intellectu in certas, ac determinatas partes, quæ designatio est ex hominum placito, sicut enim motus primi mobilis in viginti quatuor partes æquales est designatus, quæ horæ nuncupantur, poterat in duodecim, in viginti, in triginta partes etiam distribui, qua designatione facta est potens proximè ad mensurandum, habetque completè omnes conditiones requisitas,sicut vlna, antequam in ipsa designentur palmi, non est proximè applicabilis ad mensurandum, sed quando iam sunt designati,est tunc apta mensura, & completa. Mensura verò actualis accidit tempori, quia & si nullus cogitaret de tempore, sed omnes homines dormirent, adhuc tempus extrinsecum daretur in rerum natura, sic etiam se habet vlna, quæ mensura dicitur, etsi nulla quantitas per ipsam actu mensuraretur. Tandem quia motus iste primi mobilis vnus numero est, idcircò tempus vnum quoque numero erit, vt ait Arist.4.Phys.133.134.imò ait in tex.95. tempus esse vbique non autem motum,quia tempore eodem omnes vtimur; & si plures essent primi Cœli,adhuc vnum esset tempus,quia omnibus illis vteremur, ac si essent vnus motus, & vna mensura ad dignoscendas durationes aliorum.

Sed contrà instabis,quia Philos.in tex.133.134.cit.ait,ita esse vnum tempus in rebus,sicut est idem numerus in decem hominibus, & decem equis, in his autem est vnus denarius, non numero sed specie. Tum quia in quantitate permanenti non datur vna communis mensura omnium permanentium quantitatum, ergo neque successiua. Tandem quia definitio temporis, quòd sit numerus motus secundum prius,& posterius,omnibus motibus conuenit,ergo non vnũ tempus.

Respondemus,Arist.ibi decide quæstionem quo ad vtrumque tempus,

pus,tam intrinsecum,quàm extrinsecum, cum dedit allata exempla, de primo loquebatur. Vel dic comparationem non esse inter tempus, & illos duos numeros simul sumptos, sed seorsim, vt sint duo exempla, non vnum. Ad 2.dicimus, rationem disparitatis esse, quia non datur vna numero quantitas permanens certa inuariabilis, apud omnes,sicut datur successiua. Ad 3.dicetur infra cum explicabimus illam definitionem.

45 Ex ista doctrina colligitur 1.decisio illius quæstionis,an tempus sit ens reale, & completum independenter ab anima an vero complementum ab anima recipiat,& consequenter aliquo modo sit ens rationis.Primam partem sustinent Perer,lib.12,cap.13.Tol.4. Phys. qu.15. Fuentes quæst.3.diff.1.Ruuius tract.1.de Tempore q.1.Compl.disp.21. Phys.quæst.1.

Attamen distinguendum est iuxta prædicta, quòd tempus est ens reale acceptum pro mensura in potentia remota, quo modo dicit entitatem motus cum vniformitate, velocitate, & partibilitate, & discretionem habet qualitatiuam à Ruuio appellatam secundũ modos prioris,& posterioris, nisi enim haberet partes priores,& posteriores, nõ posset esse mensura motus, & hoc sensu intelligenda est Scriptura, cũ ait,Deum fecisse tempora,& quòd ante opus intellectus res dicitur esse in tempore mensurabilis tempore, diuturnior alia, & similes locutiones, verificantur enim de tempore ratione mensuræ aptitudinalis remotæ, quam habet à parte rei quomodo etiam sæpè locutus est Scot. cit. At si sumatur pro mensura actiua in potentia proxima, necessariò dicit aliquid rationis, quia discretio illa qualitatiua partium secundum prius,& posterius non sufficit,vt proximè, sit applicabilis ad mensurandum,quamuis hæc discretio prærequiratur, sed requiritur etiam, vt partes habeat determinatas, certas, & quasi discretas, ac separatas per designationem, vt diximus, quam designationem non habet tempus ex se, sed ab intellectu, hinc Arist.4.Phys.131.ait, si non esset anima, non esset tempus, & Doctor. in 4. d. 48. cit. tempus vltra motum successiuum fundamentaliter dicere vniformitatem, & velocitatem, formaliter verò rationem mensuræ, quæ secundum ipsum 2.dist.quæst.3.ad primum princ,est tantum relatio rationis. Tandem vt dicit rationem mensuræ actualis, sic consistit in relatione causæ in cognoscendo ad cognitum, per ipsam, quæ relatio non est simpliciter rationis, sicut secunda intentio, vt diximus in Not.

Sed contrà argues; Philosophia non est de ente rationis, est tamen de tempore. Tum quia mensura debet esse cum mensurato homogenea, at motus, cuius mensura est tempus, est realis, ergo, & tempus.Tum 3.quia tempus contrahit ens successiuum in communi, ad proprium esse, quantitas enim successiua diuiditur in motum,& tempus, ergo non per aliquid rationis quia ens reale per differentiam realem contrahi debet. Respondemus, non esse de ente,quod est secunda intentio, potest tamen esse de aliquo rationis quatenus complet ens reale,& facit ad cognitionem illius.Ad 2.sufficit,vt sit pro fundamento homogenea. Ad 3.tempus in ratione mensuræ non contrahit essentialiter ens successiuum in communi, sed accidentaliter per aliquam differentiam,quæ sibi accidit, vnde est quoddam artificiale ex aliquo reali,& intentionali constitutum,nec quantitas successiua est verè genus ad motum,& tempus istud.

46 Colligitur 2. decisio alterius dubij, quomodo scilicet tempus distinguatur, à subiecto,cui inest,& è proprio mensurato; nam in ordine ad motum primi mobilis si accipiatur pro re, quæ est mensura, & fundamentum remotum, non distinguitur realiter à motu quia est ipsemet motus successiuus, si pro rationibus fundamentalibus, quæ requiruntur ad mensurandum, vt sunt vniformitas & velocitas, realiter à motu distinguitur, quia idem motus potest esse tardus, & velox, successiuè, vt habet Doctor in 2.d.2.q.2.E.& quol.18.V. si verò pro mensura proxima aptitudinali, vel actuali; sic distinguitur, realiter secundum quid,quia non est aliquid reale,quod requiritur ad distinctionem realem simpliciter, sed aliquid rationis. Attamen à suo mensurato semper realiter distinguitur,vel simpliciter, si accipiatur, vt dicit aliquid reale, vel secundum quid, si vt subest alicui intentionali, consideretur.

Quo ad 2. principale an scilicet ratio mensuræ soli tempori, & successiuæ durationi conueniat, an verò etiam durationi permanenti, quale est æuum, vel æternitas, ita vt vnum æuum detur omnium mensura, est lis inter authores, nam Thomistæ partem sustinent affirmatiuam cum D.Tho.1.p. qu.10. art.6. quos sequitur Auersa quæst.29.sect.7.et communiter, citatur Scot. pro hac opinione in 2. dist.2.q.3.

47 Aduertendum est tamen, quòd ratio mensuræ in cognoscendo, de qua loquimur, non consistit in hoc,quod est cognoscere duo simul existere, seu coexistentiam duorum, sed in cognoscere quantitatem ignotam per alteram notiorem, non quidem quo ad perfectionem,& quantitatem virtutis, quomodo loquitur Scot.cit. vnum æuum posse dari omnium mensuram, vel quòd æuum superioris Angeli sit inferioris mensura,hæc enim acceptio est præter rem,neque æuum,vt sic, sed potius æuiternum ipsum, vt propriam habet perfectionem, dicetur mensura; sed loquimur de mensura in cognoscendo quo ad durationem, & extensionem successiuam, qua potest cognosci tantitas, vel tantitas durationis alicuius rei; ad quam mensuram parum spectat, quòd sit perfectioris, & nobilioris rei, hoc enim requiritur ad rationem mensuræ in perfectione quidditatiua, sed solùm quòd notior sit alicui intellectui, quamuis sit imperfectior, si ferreo pondere metimur auri pondus; Ex quo sequitur, hanc rationem mensuræ solùm desumi in ordine ad nostrum intellectum sensibus alligatum,non verò in ordine ad intellectum separatum, nisi de æternitate Dei loquamur, ratio est quia intellectus separatus æquè cognoscit quamcunque durationem creatam, ergo vnam per aliam non cognoscit, solùm percipiet coexistentiam illarum durationum, at intellectus separatus clarius cognoscit creatam durationem quàm increatam æternitatem, & nos magis cognoscimus motum primi mobilis quàm cęteras durationes idcircò in his casibus duratio notior habebit veram rationem mensuræ.

Dicimus rationem mensuræ non posse conuenit alicui durationi permanenti, sed tantum successiuæ ita Scot.in 2.d.2.q.3.quem sequuntur Vasq.1.p.disp.34.c.2.Suar. disp.50.Met.sect.6. & probatur,ab ipso duratio permanens æque inuariata manet, ac quælibet alia, quandiu manet res è parte rei, & vt plurimum indiuisibilis est, ita vt illi repugnet successio partium,vel saltim si habet partes, simul sunt, ergo nequit esse mensura alterius, Prob.conseq.illud est hoc modo mensurabile, cuius quantitas cognoscitur ad cognitionem alterius, at cognita existentia vnius Angeli v.g. non possumus in cognitionem alterius durationis deuenire,sed solùm vel quod fuerint simul creati, vel vnus post alterum, priùs tamen cognita existentia alterius, quod est concipere realationem coexistentiæ, non rationem mensuræ, ergo &c.Neque dicas cum Auersa, durationem permanentem esse virtualiter diuisibilem,& vt sic posse mensurari, & mensurare. Quia vt ipsemet concedit non existentia Angeli, vt formaliter duratio, erit mensura, sed potius ratione coexistentiæ, quam dicit ad durationem aliquam extrinsecam successiuam,dicetur mensura; vnde rectiùs tempus, cui coexistit, vocari debebit per se mensura. Quapropter ratio mensuræ non nisi tempori reali, vel imaginario conueniet, quia omnia in ordine ad ipsam mensurantur, tum quia nulla alia mensura nobis est notior,quàm tempus.

48 Quo ad 3.principale,quæ scilicet res tempore mensurari dicantur. Dicimus 1.omnia successiua, tam materialia,quàm spiritualia,& eorum priuationes,tempore nostro mensurari. Ita Doct.in 2.d.2.q.4. & 11.& quol.11. F.& in 4.d.48.qu.2.H. & probatur primo de entibus successiuis materialibus,quia respectu istorum tempus nostrum, siue actuale,siue potentiale,habet omnes conditiones mensuræ, vt dictum est. Ex quo sequitur, mensurari non solùm per se primò durationem motuum, verùm etiam ipsorum velocitatem,& tarditatem, vt notat Doctor 2.d.2.qu.2.E.habita tamen ratione ad quantitatem spatij, vel termini, æqualem, maiorem, vel minorem, quia inde cognoscimus motum vnum velocem,aut tardum, cùm estò super eandem quantitatem fiant illi motu, vnus tamen consumit plus, vel minus temporis, quàm alter, vel quia æquale tempus ambo consumunt, quamuis vnus fiat super maiorem quantitatem. Solùm posset dubitari de motu primi Cœli, an sit etiam tempore mensurabilis,cùm sit idem, quòd tempus, & mensura realiter à mensurato debent differre. Sed resp.Doctor 2.d.2.q.3.esse mensurabilem, non quidem secundum totum, sed secundum parrtem, quatenus cognita vna parte, & illa replicata, metitur diem hebdomadam, &c. & hoc modo mensura distinguitur à mensurato,quia pars realiter ab aliqua distinguitur, & aliquo modo verificatur dictũ Arist.4.Phys.117. videlicet temporaneum à tempore excedi,quatenus totum tempus æternum secũdum ipsum excedit partem mensuratã.Neq. Doctor in 4.dist.48.q.2.sibi contradicit,dum ait, tempus non esse in motu Cœli, sicut vnam quantitatem in alia quantitate, & consequenter non posse esse mensuram illius; quia Doctor ibi loquitur de mensura totali, & adæquata scilicet quòd totum tempus non est quid superadditum toti motui primi Cœli, sed materialiter est ipse motus, qui in partes secatus potest partialiter seipsum mensurare.

40 Secundò quòd motus Angelorum spirituales mensuret,est contra Thomistas, asserentes, non tempore nostro, sed sublimiori in supremo Angelo collocato mensurari, Et probatur à Scoto cit. quem ferè omnes. Recentiores sequuntur, motus Angelorum quo ad durationem sunt eiusdem rationis cum tempore,& materialitas, ac spiritualitas non faciunt ad rem, quia motus materiales prædicamento inter se differunt, vt actio,& alteratio, at motus locales Angeli, & rei materialis sunt eiusdem prædicamenti, & tamen illi tempore mensurantur: tum quia istud illi tempus non datur, nam nullus motus regularis, & continuus datur in Angelo; vel quod sit connaturalis ei,qua ratione mensura ponatur cæterorum, cùm quilibet sit liberè ab Angelo factus. Tum quia si daretur, adhuc non esset ad propositum, quia æque nobis esset ignotus, ac alij Angelici motus sunt nobis ignoti; quapropter tempore nostro mensurabuntur,si tamen possent aliquo modo cognosci motus illi à nobis, vel si esset aliquis intellectus qui non cognosceret æquè omnes motus. Quæ conclusio non solùm intelligitur de motibus continuis, verùm etiam de discretis,nam motus discretus duo dicit scilicet numerum & motus illos se inuicem consequentes, numerus non potest aliquo tempore mensurari, sed solùm vnitate; motus illi, cùm sint vel successiui, vel instantanei iam tempore, vel instanti temporis mensurabiles erunt. Nec refert, quòd molus Angeli aliquando sit velocior motu Cœli, sit alterius rationis, & ab illo non dependeat. Quia potest dari mensura maior mensurato; nec est de ratione mensuræ quantitatis continuæ quòd sit indiuisibilis omninò, sed quòd habeat determinatam parui-

quòd

tiem; Neque requiritur homogeneitas specifica, sed sufficit generica inter mensuram, & mensuratum, & tandem mensuratum in cognoscendo non debet dependere in esse mensura, vnde si Cœlum non moueretur, tunc omnes motus mensurarentur tempore potentiali, & imaginario ad modum istius positiui concepto.

50 Tertiò, quòd mensurat priuationes motuum, patet ex 4. Phys. 118. priuatio mensuratur, & cognoscitur per formam oppositum, ergo & eius duratio mensuratur per durationem formæ oppositæ, quies autem est priuatio motus, potest tamen dici, quòd per accidens mensuratur, vt ait Arist. quatenus per aliud scilicet per motum oppositum cognoscitur; & potest etiam dici per se mensurari, vt ait Scot. quatenus id per se dici potest conuenire priuationi, quod conuenit ei, in quantùm est talis naturæ, hoc autem quod est ipsam esse tantam, vel tantam conuenit ei, in quantum est tanti, vel tanti positiui priuatio; tanta enim priuatio est successionis in partibus formæ, quanta nata est esse successio in eadem forma. Quod etiam intelligendum est de quiete primi Cœli post Iudicium, vt ait Scot. cit. nam tunc mensurabitur non positiuè, & per tempus reale, sed priuatiuè, & per tempus potentiale, ac imaginarium.

Dices, si tempus est mensura motus durantis, tunc tempus mensurabit tempus, quia motus vt durans, est tempus, sequitur etiam propter identitatem temporis cum motu, motum esse mensuram motus, cur ergo dicitur tempus tantum esse mensuram motus? eò vel maximè quòd Philosophus dixerit 4. Phys. tempus quoque motu mensurari. Resp. in re vnum tempus, & vnum motum ab altero mensurari, & rationabiliter quidem, quia mensura debet esse homogenea, vnde duratio non nisi duratione mensuratur; dicitur autem tempus potius esse motus mensura, vt distinguatur tempus extrinsecum ab intrinseco; & per hoc Arist. qui loquebatur de quocumque motu, & tempore; nec est mirum, quia vnus motus, si est notior vni intellectui, potest esse mensura alterius, at apud alium intellectum erit mensuratum, quia ignotior.

51 Dicimus 2. tempus posse esse mensuram quarumcumque rerum permanentium; etiam spiritualium, quatenus tam existentiam habent virtualiter diuisibilem. Hæc Conclusio de rebus corruptibilibus est communis, non solùm vt subsunt mutationibus (quomodo loquitur Doctor in 2. d. 2. q. 4. vbi de duratione, & mensura intrinseca agens, negat postea, substantias, & permanentia tempore mensurari per se; accipit enim mensurari pro formaliter durare, non propriè, vt mensuram extrinsecam respicit; sic etiam intelligendus est Arist. cum dixit, substantias, vt quantas, non esse in tempore) sed debet intelligi etiam secundum proprias existentias, quia solemus dicere Petrum decem annis extitisse, durasse, &c. Qua ratione etiam idem ostenditur de spiritualibus; quamuis non ita perfectè metiamur existentias istorum, cum non habeamus perfectam notitiam, vel distinctam quod existant, neque totaliter possumus mensurare existentiam Angeli, quę sempiterna est à parte post, sicut fit in rebus temporaneis, quæ incipiunt, & desinunt esse, vnde à tempore possunt totaliter mensurari, & excedi. Qua etiam ratione æternitas poterit secundum partem hoc modo mensurari, solemus enim dicere, Deum extitisse à principio mundi vsque nunc, fuisse mille annis ante mundi constitutionem, &c. Diximus, quatenus existentiæ istorum permanentium sunt virtualiter diuisibiles, quia hoc modo habent cum tempore quandam homogeneitatem, quæ sufficit ad istam mensuram. Hæc Conclusio sustinetur præcipuè à Vasq. 1. part. disp. 34. ipsamquè in hoc sensu explicatam amplectuntur Faber 2. d. 13. cap. 3. num. 18. & Vulpes 2. disp. 9. ar. 6. in fine.

Dices, mensurari tempore est contineri, & pati à tempore ex 4. Phys. 115. 116. 117. ex quo deducit Philosophus, res, quæ semper sunt, & esse non desinunt, non esse in tempore, nec tempore mensurari, quod etiam ait Doctor 2. dist. 2. q. 3. supra B. talia sunt incorruptibilia, ergo, &c. Respondemus, vel Philosophum loqui de duratione intrinseca, vel de mensuratione totali, & adæquata, quia solùm corruptibilia mensurantur, quatenus tempore senescunt, & deficiunt; vndè subinfert tempus esse causam corruptionis rerum temporalium, eò quia principium habent internum corruptionis, & progressu temporis corrumpuntur.

52 Quo ad 4. an scilicet definitio data à Philosopho sit bona, not. quòd de isto tempore extrinseco præcipuè locutus est Arist. 4. Phys. vnde tex. 95. ait, tempus, vbique, & apud omnia esse, & tex. 132. vnum esse tempus; in quo omnia durant, & fiunt in motu primi Cæli reperiri, & alia huiusmodi, quæ nequeunt verificari de tempore intrinseco, quomodo si est mensura est tantum passiua, & ad multiplicationem motuum multiplicatur; hinc cùm Arist. temporis definitionem assignauit in tex. 101. dicens, *tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*; de tempore extrinseco mentionem fecit, quam definitionem debemus secundum omnes particulas explicare.

Prima particula est ly *numerus*, qui duplex est, vnus numeratus, seu *qui*, & est multitudo rerum numerata; alter est numerans, seu *quo*, hic est etiam duplex, vel simpliciter, & est numerus vt habet esse obiectiuum in anima, quo omnia numeramus; vel secundum quid; & est ille, qui numeratus est, & numerans respectu diuersorum, nam in ordine ad subiectum, in quo reperitur, dicitur numeratus, quatenus aptitudinem habet, vt numeretur à numero simpliciter numerante, at in ordine ad alia extrinseca dicitur numerans, quateus potest assumi ad illa numeranda, v. g. vlna habet octo palmos distinctos, est aliquod numeratum, & numerus octo palmorum, quo partes illas numeramus, est simpliciter numerans, at in ordine ad pannum potest etiam vlna numerus numerans dicit, & mensura actiua. Dubium est an tempus sit numerus numerans, an verò numeratus. Qui tenent, tempus quid reale completum esse independenter ab anima, dicunt sumi pro numerato, non actualiter, sed aptitudinaliter, quo sensu, inquiunt, significat discretionem illam qualitatiuam partium motus secundum prius, & posterius, seu extensiuam durationem partium motus, non permanentem, sed successiuam secundum prius, & posterius, vnde consequenter sustinent, tempus hic definiri non pro extrinseca mensura, sed pro intrinseca duratione cuiuscunque motus, vt sic enim allata definitio cuicunque motui competit, & fauet Arist. tex. 110. dicens, *tempus autem numerus est, non quo numeramus, sed qui numeratur*, & tex. 102. *tempus est quod numeratur non quo numeramus*: ita præsertim Ruu. cit. qu. 2. & Amicus tract. de temp. quæst. 8. dub. 2.

53 Sed quamus definitio sic explicata cuicunque intrinseco tempori posset accommodari; attamen rectiùs dicetur, hic definiri tempus extrinsecum; & consequenter in ratione mensuræ actiuæ, & vt numerus numerans est vt diximus; Ita colligitur ex Scot. 2. d. 2. q. 3. A. & B. vbi ait, motum esse in tempore, est, sicut aliquid esse numero, & motum vocat numeratum & mensuratum, tempus vero numerum, & mensuram, & habetur ab Arist. tex. 102. qui sic ostendit, tempus esse numerum motus, quæ est definitio allata tex. præcedenti, *plus, & minus discernimus numero, motum autem plurem, & minorem tempore, numerus itaque quidam temqus est*, & tex. 110. asserit, vnum esse numerum, quo numeramus centum homines, & centum equos, quamuis plures, & diuersæ sint res numeratæ, sic vnum esse tempus ad varios motus commune, ex quibus constat secundum Arist. tempus esse numerum numerantem. Tum quia numerus propriè dicit mensuram, vel actiuam, si est numerans, vel passiuam, si est numeratus ex 10. Met. initio, at tempus pro duratione acceptum non potest formaliter dicere rationem mensuræ, siue actiuæ, siue passiuæ ex dictis quæst. 1. ergo si hæc definitio est essentialis, non debet tempus, vt duratio intrinseca, per numerum, seu per mensuram definiri, sed potius per existentiam, quæ est ratio formalis durationis; est tamen tempus numerus numerans, non simpliciter, sed secundum quid, quia est motus primi Cęli, numeratus quidem, & distinctus ab anima, sed non solùm hoc, verùm etiam numerans, & mensurans alios motus, & hac ratione Arist. dixit, tempus esse numerum numeratum, non numerantem scilicet non esse numerantem simpliciter, sed quia est numeratus, erit numerans secundum quid; & per hoc plures rationes soluuntur, quibus Aduersarij conantur ostendere, tempus esse numerum numeratum.

54 Instabis, tempus permanet in esse absque eo, quod actu sit mensura, ergo non definitur hic vt mensura. Tum 2. quia tempus est quantitas continua, ergo nequit per discretam definiri, qualis est numerus, & maximè si ly numerus ponitur pro significato formali. Tum 3. quia mensura est notior mensurato, tempus non est notius motu, sed è contra ex 4. Phys. 99. & 100. vbi habetur, tunc prius, & posterius in tempore cognoscimus, cum nouerimus in motu prius, & posterius. Respondemus, antecedens esse verum de tempore, vt est duratio intrinseca, non vt mensura; neque hìc definitur vt mensura actualis, sed aptitudinalis in potentia proxima. Ad 2. resp. numerum simpliciter numerantem esse quantitatem discretam, at secundum quid numerantem posse esse quid continuum, quando est conflatum ex vnitatibus, non reipsa discretis, sed solùm mente seiunctis, vt in proposito; & numerus, vt dicit collectionem vnitatum, non est formale temporis, sed materiale, formale verò erit ratio mensuræ in illis partibus fundata, quæ relatio quædam aptitudinalis est ad mensurabilia. Ad 3. tempus est ignotius motu primi Cœli, in quo subiectatur, respectu cuius totaliter accepti non dicitur mensura actiua, est tamen notius alijs motibus, quos mensurat, & licèt aliquando vtamur istis motibus ad cognoscendum tempus, hoc fit, sicut cum per rem mensuratam cognoscimus mensuram, vt cum cognoscimus capacitatem vasis ex vino mensurato alio vase, & rebus numeratis ipsum numerum.

55 Secunda particula est ly *motus*, per quam communiter intelligitur subiectum temporis, & cuius tempus est passio, qualis est motus primi Cœli in sententia eorum, qui sustinent, tempus hìc definiri in ratione mensuræ, vel quilibet motus, secundum tenentes definiri in ratione durationis. Verùm posset dici, & forsan melius, per motum hic non intelligi subiectum istius temporaneæ mensuræ, quia hic motus iam includitur in prima particula, quando explicatur in ratione numeri numerati & numerantis, per talem enim numerum intelligitur motus primi Cœli, cui soli conueniunt conditiones mensuræ actiuæ, sed potius possemus asserere, explicari terminum istius mensuræ actiuæ scilicet quemlibet motum, siue localem, siue alteratiuum, siue augmentatiuum, omnis namque motus est tempore mensurabilis, imò est terminus primarius ipsius temporis, & ratio huius erit, quia relatiuum per suum correlatiuũ debet definiri; tempus, vt mensura, est relatiuum, & ad motum in communi, vt ad correlatiuum terminatur, & quamuis non adæquatum, quia multa alia tempore mensurantur, vt diximus saltim vt principale analogatum, ergo motus in communi debet ingredi temporis definitionem.

56 Tertia particula est ly *secundum prius, & posterius*; quæ multipliciter exponitur, primò pro diuisibilitate motus, secundum quam est à tempore mensurabilis, & est diuisibilitas, in partes successiuas, & secundùm moram, nam motus, vt colligitur ex Scot. 2. dist. 2. qu. 2. E. triplices partes habet, aliquæ sunt ratione subiecti mobilis, vt pars motus in capite, & pars, quæ est in pede, aliæ prouenient ex parte formæ, quatenus forma est per partes acquisibilis, & aliæ ratione successionis, & moræ secundum prius, & posterius, motus non est mensurabilis tempore ratione primarum, & secundarum partium, quia omnes illæ possunt esse simul; & maximè primæ sunt simul, sed ratione partium secundum prius, & posterius; sic videtur explicare, & intelligere hanc particulam ibi Scotus. Secundò explicat Burlæus pro duobus indiuisibilibus, inter quæ pars temporis numeratur, & determinatur ab intellectu, nam quando mensura est continua, debet ab anima secerni in quasdam partes determinatas, & certas, quæ se habebunt ad modum vnitatum, vt supra diximus, & talis determinatio fit ex assignatione duorum indiuisibilium claudentium quamlibet ex illis partibus, vt ergo explicaret Arist. quomodo tempus debet esse mensura in potentia proxima, ait, fieri per designationem duorum instantium, quorum vnum est prius, alterum posteriùs, ex qua designatione resultat pars temporis determinata, puta hora, qua postea vtimur ad mensurandos alios motus, & hæc expositio fundamentum habet in ipso textu, nam Philosophus in tex. 100. ait, *Cum enim extrema altera à medio intellexerimus, duoque dixerit anima ipsa nunc, hoc quidem prius, illud vero posterius, tunc & hoc diximus esse tempus; quod enim determinatur ab ipsis nunc, tempus esse videtur*, & subingit postea temporis definitionem, & secundum istam explicationem facilius respondetur ad obiectionem supra positam, quòd scilicet tempus, cùm sit continuum, non potest esse numerus, quia numerus hic sumeretur pro aliqua parte continua numerata idest determinata per duo indiuisibilia extrema, quo modo non est quantitas discreta.

Dices, prius, & posterius sunt partes temporis; & per tempus explicantur, ergo si tempus per hæc quoque explicatur, iam committitur circulus. Respondemus iuxta secundam expositionem prius, & posterius hic non sumuntur, vt partes temporis, sed pro illis indiuisibilibus; at iuxta primam dicimus sumi pro partibus motus mensurati, quomodo sunt partes temporis intrinseci, at tempus extrinsecum habet partes priores, & posteriores mensurantes, ideò non committitur circulus, sed debet hoc fieri, quia relatiua sunt simul definitione.

Quapropter sensus huius definitionis est iste; tempus est mensura, non quidem à rebus auulsa, & solùm in mente existens, sed mensurata, & in motu priui mobilis subiectata, potens mensurare alios motus, secundum successionem, & moram, vel quatenus est mensurata, & ab anima determinata inter duo indiuisibilia, quorum vnum est prius, alterum posterius. Quæ definitio est optima, quia explicatur genus, cum dicitur mensura, & differentia circumscribitur per reliquas particulas vt patet; alteri à tempore non conuenit; & declarat adæquatè essentiam, & quidditatem temporis.

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De Inceptione, & Desitione creaturarum,

1 *DVrationem creatam diximus in præced. disputat. ab increata differre, eo quia increata dicit existentiam simpliciter indefectibilem creata verò defectibilem, & ab intrinseco annihilabilem, vnde & incipere, & desinere potest immo quamuis creatura aliqua esset ab æterno producta, & æternum duratura, adhuc vera æternitate non duraret, propter illam potentiam obiectiuam, quam habet ad desinendum; idcircò post disputationem de Duratione rerum subiungimus hanc de Modis, quibus res creatæ incipiunt, & desinunt, vel possunt incipere, & desinere. Et quia inceptionem in esse aliqui posuerunt ita intrinsecam creaturæ, vt per hoc, quod est incipere esse æuum ab æternitate secerni dixerunt, hinc in duas quæstiones diuidetur præsens disputatio, Prima erit de Inceptione, & Desitione possibili secundum æternitatem, an scilicet de potentia Dei absoluta potuerit esse aliqua creatura ab æterno, & in æternum potuerit durare; Secunda de Inceptione, & Desitione in tempore.*

QVÆSTIO I.

An implicet dari creatura aliquam sine principio, & fine.

2 DVplex genus entis datur creati, permanens, & successiuum, de vtroque potest intelligi quæstio, maximè quia seorsim speciales habent difficultates. Attamen quoad 2. partem quæstionis, an scilicet possit dari creatura aliqua in æternũ duratura, facilis est solutio, omnes enim affirmatiuè respondet, eo quia virtus, qua Deus cum tali ordine, & successione rerum mundum produxit, & vsque nunc ipsum conseruauit, non est, nec erit diminuta per infinitum tempus à parte post, ergo omnem creaturam posset in æternum conseruare, ita arguit Doct. 4. d. 84. q. 2. §. *Ad quæstionem, &c.* tum quia vel ista creatura est corruptibilis, vel incorruptibilis, prima destruitur per actionem contrarij, vel per cessationem actionis, & cõseruationis agentis naturalis, Deus verò vtramq. causam potest impedire, nam potest suspendere concursum ad actionem contrarij, vt fecit in fornace Babylonis ex Scot. 4. dist. 49. q. 13. & etiam non condescendere ad cessationem actionis agentis naturalis, vt facit in Beatis, & damnatis, illi enim nequeunt à beatifico actu cessare, nec isti possunt potentia proxima se auertere à consideratione infernalis ignis, vt docet Doctor 4. d. 44. qu. 2. & dist. 49. quæst. 6. Posset tamen contra hoc argui rationibus illis, quibus impugnatur, infinitum saltim in esse obiectiuo, de quibus disp. 10, solum ergo dubium est de productione ab æterno; Et quidem quoad eus permanens negant Henr. quol. 7. q. 7. & 8. & multi ex antiquis, quos sequuntur Tol. 8. Phys. quæst. 2. Val. 1. p. quæst. 3. de Deo creatore part. 2. & Auersa quæst. 31. sect. 9. Affirmant Thomistæ, & Nominales, Ruuius 8. Phys. quæst. 2. Masius ibidem disp. de Æternũ Mundi quæst. 10. 11. & 12. Complut. disp. 29. qu. 3. Conimbr. ibidem cap. 2. quæst. 6. art. 2. Moris. disp. 6. Phys. quæst. 5. Hurt. disp. 16. Phys. sect. 1. Vasq. 1. part. disp. 177. & alij. Scotus verò in 2. dist. 1. qu. 3. est problematicus, & pro vtraque opinione rationes adducit, & soluit tamen magis ad affirmatiuam partem incliuat, vnde Scotistæ hanc partem sunt amplexi, ita Cano. 8. Phys. quæst. 1. Tatar. quæst. dist. 2. Faber. in 2. disp. 6. Bass. 2. dist. quæst. 5. Smisinch. tract. 3. disp. 7. n. 83. & seq. quamuis alij etiam problematicè vtrumque defendant, vt Vulpes 2. p. disp. 6. art. 5. & 6. Parisienses 8. Physicor. quæst. 1. collat. 1. Quoad successiua verò, qui negant de permanentibus, multo magis idem de successiuis negant, & præter illos Ruuius, Hurtad. Moris. & ex Scotistis Lichetus, & Gratianus in 2. dist. 1. quæst. 3. Vulpes citat. art. 7. & Smisinch. cit. Qui verò affirmant de permanentibus multi ex illis id ipsum de successiuis dicunt, maximè de motu circulari, & ex Scotistis sequuntur Tataret. Canon. Faber, & Bassol. citat.

ARTICVLVS I.

Deciditur quæstio quoad permanentia.

3 DIcimus, non implicare ens permanens esse ab æterno Hæc Conclus. ostenditur per illam maximam Doctoris quam adducit in 4. dist. 10. quæst. 1. Deo scilicet esse possibile omne, quod nõ includit euidenter contradictionem, vel ad quod non sequitur necessariò contradictio; ponendo ens permanens ab æterno producibile, nec asseritur aliquod contradictorium, nec sequitur aliqua contradictio, ergo &c. Minor prob. eodem modo, quo Scotus cit. probat, idem corpus esse in pluribus locis non implicare, scilicet soluendo rationes in contrarium. Tum quia hæc positio consonat authoritatibus Sanctorum Patrum, nam Aug. 6. de Trin. capit. 1. dicit, quod si ignis esset æternus, splendor ab eo causatus esset coæternus, & 10. de Ciuit. Dei cap. 12. habet, quod si pes ab æterno esset in puluere, semper ei subesset vestigium, ergo si per Augustinum creatura, si esset ab æterno, posset habere effectum sibi coæuum, nec dependentia effectus à causa repugnat cum æternitate, multo magis idem de Deo dicendum. Posset etiam probari rationibus illis, quibus in sequent. articul. probabitur, ens successiuum posse esse ab æterno; nam responsiones illis applicatæ non soluunt, si de permanentibus formarentur.

Sed contra obijcitur 1. authoritatibus SS. Patrum. August. contra Felicianum Arianum sic definit creaturam, creatura est ex eo, quod nondum est, vel aliquando non fuit, corruptibilis rei, quantum in se est, omnipotentis Dei voluntate facta substantia. Athan. orat. 2. contra Arianos; non posse creaturam quippe quæ de non esse ad esse traducitur, coæternam esse opifici suo, idem habet Damasc. 1. de Fide capit. 8. & sæpè repetunt Patres contra Arium probantes Filij Dei diuinitatẽ, & non creaturam esse, ex ipsius coæternitate cum Patre; vnde Bassol. libr. 2. contra Guno. ait, eiusdem amentiæ esse creaturam æternam asserere, ac creatorẽ non æternum dicere. Tum 2. quia creatio est productio alicujus de nihilo, ergo nihil, seu nõ esse debet præsupponi, & precedere esse creaturę. Tum 3. quia de ratione creaturæ, est quod ex se habeat non esse, cum sit liberè creata, ergo requiritur, vt prius non sit.

4 Respon. Scotus ad D. Augustinum definitionem allatam adduci ad hominem, Arius enim contendebat de ratione creaturæ esse inceptio-

tionem esse temporaneam, ex quo principio Patrem ipsum redarguebant, ostendendo Filium Dei non esse creaturam propter sui æternitatem; & per idem ad alios Patres; verum est tamen multos Patres loqui de facto, non possibili, & secundum conuenientem cursum quidditatis naturæ creatæ, quæ magis petit fieri in tempore, quam ab æterno; vel contra opinantes mundum ab æterno fuisse. Secundò respondet concedendo, quod de ratione creaturæ, vt creatura est, sit temporanea inceptio, eo quia vel creatio inuoluit formaliter, vel connotatiuè respectum ad non esse immediatè præcedens, vt ait Doctor quol.12. qui respectus non adesset in æterna causatione, & sic nullum ens potest esse ab æterno, quatenus creatura, at quatenus ens causatum posset esse, nam tunc non diceretur creatum creatione propriè dicta, sed causatum, quod vltra productionem dicit dependentiam in esse; quo sensu creatum, & increatum non diuiderent sufficienter ens in communi, nisi creatum sumatur largo modo vt cum causato conuertitur; qua responsione adæquatè fit satis omnibus authoritatibus. Per idem ad 2. cum adducitur creationis definitio; vel dicendum, quod nihil præcedere debet, non necessariò per aliquod tempus, sed sufficit instans naturæ. Ad 3. vel ly non esse accipitur infinitanter, & negatur, faceret enim sensum affirmatiuum, creatura, scilicet secundum se est non ens, quod est falsum, vel sumitur neganter, & conceditur, quia facit sensum negatiuum, idest creatura ex se non habet esse sed ab alio, & idcircò negat. consequentia, quia etiamsi esset ab æterno, esset quoque ab alio. Vel dic, quod habet non esse, non quidem in tempore, sed in instanti naturæ præcedens.

Contra vbi aliqua opposita immediatè sunt incompossibilia pro eodem instanti temporis, talis est ordo durationis inter ea, quoad conuenire, & inesse alicui, qualis est ordo naturæ; hoc patet, ex quo enim sunt immediata, necesse est, alterum eorum in esse, ex quo verò sunt opposita, non possunt inesse simul, sed vnum prius altero, & tale erit id quod est prius natura, sed esse, & non esse respectu creaturæ sunt huiusmodi, & non esse præcedit natura, ergo non poterit non esse in eodem temporis instanti conuenire creaturæ, in quo conuenit esse, sed prius duratione debet non esse creaturæ competere. Respond. Doctor ex his, quæ dixit quæst.2. eiusdem distinct. quod aliquid conuenire prius natura alicui, quam aliud, stat dupliciter, vel positiuè, quando scilicet ambo conueniunt, & verè insunt, vt animam, & rationale in homine, vel priuatiuè, quando scilicet non inest, sed inesset, nisi per aliud impediretur, vt se habet priuatio in materia, quæ prius nata est esse, quam forma; at si materia concrearetur cum forma, priuatio non inest, sed prius natura dicitur conuenire, quia inesset, nisi agens impediret producendo formam in materia; ad rationem ergo, maior est vera si positiuè conueniant; falsa, si priuatiuè, sicut est in proposito, non esse enim conueniret creaturæ prius esse, nisi Deus impediret ponendo esse.

5 Secundò; Aut ista creatura semper produceretur, quando est, aut non semper, sed aliquando: si secundùm, ergo in tempore incepit; si primum, ergo esset in continuo fieri, sicut ens successiuum, neque distingueretur creatio à conseruatione, quia si semper producitur, semper creatur, & conseruatur, & sic creatio, & conseruatio essent omnino idem. Tum 2. quia sequeretur, istam creaturam non habere esse acquisitum, quia ipsum semper habuisset, & quod acquiritur prius non habebatur; sequitur etiam fore indefectibilem, quia omne, quod est quando est, necesse est esse, ex 1. Perier. cap. vltim. & in æternis idem est esse, & posse 9. Metaph. 17. Tum 3. quia omne, quod communicat alicui esse per electionem, necessariò præintelligi illud sub opposito illius communicati, quia electio non est respectu præsentis, sed futuri, ex 3. Eth. c. 6. Sed Deus producendo creaturam communicat illi esse per electionem, ergo præintelligit ipsam non esse. Tum 4. quia quod est in potentia ad duo contradictoria, si acquirit vnum, relinquit aliud, sed ab æterno fuit verum dicere, creatura potest esse, & non esse, ergo si acquisiuit esse, reliquit non esse, ergo prius habuit non esse.

Respon. Doctor, quod sicut Filius in diuinis semper generatur, & tamen est summè permanens, sic creatura esset semper producta, & adhuc permanens, quia ly semper non dicit successionem durationis temporis, sed existentiam, & durationem æui, neque tunc distingueretur creatio à conseruatione; quia non adesset nouitas essendi. Ad 2. neg. prima sequela, quia acquisitio stat cum æternitate, quando non est cum nouitate alicuius esse, sufficit enim quod non sit ex se sed ab alio, negatur quoque indefectibilem fore; cum probatur respondet in 1. dist. 39. I. & 3. dist. 18. T. quod illa propositio intelligitur in sensu composito, & de necessitate ex suppositione, non in sensu diuiso, & de necessitate simpliciter, idest supposito, quod creatura sit, necessario est; cum hoc tamen stat, quod potest non esse, quia contingenter est, dictum verò ex 9. Metaph. est verum in sententia Arist. ponentis entia æterna summè necessaria, quare absolutè negatur illa propositio. Ad 3. neg. maior, sufficit enim vt præintelligatur illud esse non repugnare illi, quomodo intellectus diuinus ante decretum diuinæ voluntatis præintelligeret esse non repugnare creaturæ; cùm probatur, dicimus, quod electio potest. dupliciter sumi, vel pro conclusione syllogismi practici, & sic conceditur maior, sed negatur, Deum hoc modo agere per electionem, vel pro libera aliqua volitione alicuius obiecti contingenter volibilis, & sic est vera minor, sed maior falsa, Aristot. loquitur de prima, non de secunda electione.

Ad 4. si per ly relinquit, intelligitur hoc quod est non habere, est vera maior, sed negat. vltima consequ. sequitur enim ergo non habuit non esse, si intelligitur hoc quod est amittere, quod prius habebat, falsa est maior, aliter quia de facto Mundus non fuit ab æterno, & habuit istud contradictorium; sequeretur, prius habuisse esse.

6 Tertiò sequeretur, talem creaturam non creari liberè; quod est falsum, prob. sequela, ad hoc vt Deus liberè eam crearet, debet habere potentiam non creandi, vel ergo Deus potuit eam non creare, antequam creauit ipsam, vel dum creauit vel postquam creauit; non primum, nec tertium, vt patet, neque secundum quia tunc verificarentur duo contradictoria, esset enim verum dicere, aliquod ens posse esse creatum, & posse non esse creatum pro eodem instanti. Tum 2. quia si potentiæ duorum actuum possunt esse simul, etiam vt respiciunt actus illos, illi actus possunt simul esse, ergo si potentia creandi, & potentia non creandi simul fuerunt in Deo ab æterno in ordine ad creare, & non creare, etiam creare, & non creare simul possent esse, quod est falsum. Accedit 3. quod omne agens liberum est indeterminatum ad agendum, & non agendum, sed dato casu, Deus fuisset semper determinatus ad agendum, ergo necessario, & non liberè produxisset illam creaturam. Tum 4. quia eodem modo se habent creatio, & annihilatio, sed quod annihilatur, necessariò prius fuit; ergo quod creatur, necessariò prius non fuit.

Respondemus neg. sequelam, cum probatur dicimus, Deum dum creauit; & potuisse non creare, quatenus indifferens ex se præintelligitur in priori naturæ ad producendum, & non producendum; ad 1. impugnationem neg. assumptum, quia vt propositiones modales sint contradictoriæ, negatio debet cadere supra modum, non supra dictum, v.g. possibile est hominem esse ab æterno, possibile non est, hominem esse ab æterno. Ad 2. limitatur maior, quando potentiæ sunt compossibiles in ordine ad actus coniunctim, at quando solum diuisim, negatur; sic in proposito, quia Deus habuit simultatem potentiæ creandi, & non creandi, sed non habuit potentiam simultatis. Ad tertiam, duplex est indeterminatio, alia de possibili, & est qua agens est indeterminatum ad posse agere, & posse non agere, alia est de inesse, qua est indeterminatum ad agendum, & non agendum, similiter determinatio est duplex, de possibili, & de inesse; prima est, qua causa est determinata ad posse agere, vel non agere; secunda, qua est determinata ad agendum, vel non agendum; nullum agens potest esse indeterminatum indeterminatione de inesse, nam vel agit vel non agit, & sic semper est determinatum determinatione de inesse; tunc ad argumentum maior est. vera de indeterminatione de possibili, non de inesse; ad minorem dicimus, Deum fuisse semper determinatum determinatione de inesse, indeterminatum indeterminatione de possibili, quod sufficit ad libertatem, quę consistit in hoc, vt agens liberum ita producat, vt possit non producere, & effectus ita ponatur in esse, vt possit non poni. Dices, effectus est posterior sua causa efficiente ex 12. Metaph. 16. ergo agens prius debet esse determinatum ad non agendum, quam ad agendum. Resp. ex Scot. hìc supra F. & 1. d. 39. F. quod causa non dicitur causa actu, nisi in illo priori naturæ, in quo præcedit effectum, nec requiritur vt sit prior tempore, vt patet de Sole, & de luce; Arist. autem solum ait, causam formalem non præcedere tempore suum effectum, sed causam efficientem posse præcedere. Ad 4. paritatem valere de creatione, quæ nouitatem essendi includit, sicut annihilatio, non de creatione, quæ simplicem productionem dicit, qualis esset creatio æterna, at annihilatio semper dicit aliquam nouitatem.

7 Quartò, Omne, quod potuit esse æternum, fuit æternum, sed nullum ens creatum fuit æternum, ergo non potuit esse æternum, Maior prob. potentia ad esse æternum necessariò coniungitur actui, ergo vbi est potentia ad æternitatem, ibi est æternitas, ergo quod potuit esse æternum, fuit æternum. Antec. prob. vbi potentia non necessariò coniungitur actui, ibi potentia potest præcedere actum duratione aliter necessariò esset cum actu, & è contra vbi actus non potest sequi potentiam duratione, ibi necessariò est semper cum illa, sed æternitas actualis non potest sequi duratione suam potentiam, nec potentia ista potest æternitatem præcedere; nam tunc non esset æternitas, quia haberet principium durationis, ergo &c. Tum 2. quia nullum ens fuit æternum, ergo nullum ens potuit esse æternum; Prob. consequentia, quando propositio de præterito est vera, est etiam necessaria, ergo si est necessarium, non potest oppositum aduenire, sicut quia homo est rationalis, non potest esse irrationalis. Tum 3. sequeretur, has propositiones contradictorias, Deus creauit istud ens, Deus non creauit istud ens, esse simul veras, & simul falsas, esset veræ, quia prima esset vera, & etiam secunda, quia illa propositio est de possibili, cuius de inesse est ista, Deus non creat tale ens, sed hæc est vera nunc, & nunquam incepisset esse vera, quia in quacunque temporis differentia semper erit verum dicere, Deus non creat tale ens, aliter non esset ab æterno, ergò semper est vera, ergo sua de possibili Deus non creauit Mundum est vera, quia per regulam Summularum veritas propositionis de possibili cognoscitur ex veritate propositionis de inesse, ita vt si hæc est vera, etiam illa; per idem probatur, quoambæ essent simul falsæ, quia negatiua est falsa, & etiam affirmatiua nam sua de inesse, Deus creat tale ens, nunc est falsa, & nunquam incæpit esse falsa, vt dicebamus.

Respondemus ad 1. neg. maiorem, ad prob. negatur antec. ad aliam prob. neg. maior vniuersaliter, datur enim aliqua potentia, quæ si non reducitur ad actum, statim ac intelligitur reperiri, non est amplius reducibilis ad actum; sicut Petrus habet modò potentiam logicam, seu non repugnantiam ad nunquam esse productum, id est non repugnat Petro absolutè, & simpliciter hoc prædicatum, cùm contingenter sit productus, non tamen ista potentia, quia modò non coniungitur actui negatiuo, præcedit actum (nam etiam suspensio actus positiui dicitur actus secundus potentiæ liberæ) vt reducibilis sit aliquando ad actum, quia non potest Petrus amplius non esse productus, sic in proposito, & hoc, quia actus non est amplius producibilis. Ad 2. neg. consequentia, cum probatur, verum est antecedens necessitate ex suppositione, supposito enim quòd fuit, iam non potest non fuisse, non tamen necessitate simpliciter, vt sunt propositiones in materia necessaria, quę sunt sempiternæ veritatis. Ad 3. neg. sequela, ad Probat. negatur, istam propositionem Deus non creauit tale ens, esse de possibili, est enim de inesse, non modalis, quæ erit ista, possibile est, Deum non creasse tale ens ab æterno, & esset falsa, dato casu; per idem ad 2. partem. Contrà ex Philosopho 6. Phys. 7. & 8. implicat, quòd aliquis transiuit A, non aliquando transiens A, ergo si erit verum dicere, Deus creauit tale ens ab æterno, necessariò aliquando debet esse verum, Deus creat tale ens, quod tamen nunquam verificatur, aliter non esset ab æterno, ergo nec etiam ista de præterito potest verificari, Deus creauit tale ens ab æterno. Respondemus, dictum Philosophi esse verum de actionibus temporaneis, non de æternis. Vel dicendum, quòd illa propositio, Deus creat tale ens, verificatur, quia æternitas omnibus temporis differentijs coexistit, & maximè per tempus prę sens explicatur, vt docet Doctor 1. dist. 9. non tamen est necesse, quòd detur aliquod tempus, in quo primò incipiat esse vera.

8 Quintò ex Auersa, Plurimæ res sunt, quæ finito tempore debent durare, vt sunt viuentia, quæ nutriti debent, at si essent ab æterno, quia non possent operationes illas ab æterno exercere (vt etiam nos dicemus) ex vi creationis æternæ deberent æterno tempore viuere absque nutritionis indigentia, quod repugnat, quia petunt ita produci, vt non repugnet productioni ipsorum ex propria ratione nutritio, talis esset æterna productio. Tum 2. quia nequit creatura esse immensa, quamuis dependenter à Deo, eò quia est attributum diuinum, ergo neque æterna, etsi cum dependentia ad Deum. Tum 3. quia sequeretur, creaturam per infinitum tempus habere esse necessarium, & penitus indefectibile, etiam spectata absoluta Dei potentia, quod est falsum, quia repugnat omnipotentiæ diuinæ, & dependentiæ creaturæ à Deo durare independenter ab ipso, ex eo quòd non posset illam destruere; est etiam contra contingentiam ipsius creaturæ, quę ita existit, vt possit non esse; Sequela prob. annihiletur hæc creatura ab æterno producta à Deo; quando potest illam annihilare, vel annihilatur ab æterno, vel in tempore; si primum, ergo ab æterno esset, & non esset, si secundum, ergo cùm ab æterno vsque ad instans annihilationis mediet infinita duratio, aliter si esset finita, daretur principium æternitatis, sequitur, quòd tali tempore necessariò, & independenter existeret.

Respondemus ad 1. si valeret, probaret etiam, hominem per beatitudinem non posse reddi impassibilem, quia vt sic non indiget alimento, & est vi talis conseruationis non nutrietur; quare dicimus à Deo in tali statu conseruari, neque implicat, quia ab extrinseco prouenit, non ab intrinseco, & quòd actu nutriatur, accidentaliter conuenit, per se verò est nutribilis. Ad 2. conceditur paritas, quia tam immensitas, quam æternitas dicunt necessariam, & independentem coexistentiam ad omnem locum, & tempus, sed sicut vbiquitas communicari potest creaturæ ex Scoto 4. d. 10. qu. 2. R. quia dicit coexistentiam vtique ad omnem locum, sed contingentem, & dependentem, ita etiam communicari potest æuiternitas, quæ dicit coexistentiam vtique ad omne tempus, sed contingentem, & dependentem, ex Scoto 4. d. 49. quol. 6. I. Ad 3. respondet Bassol. non haberet esse necessarium simpliciter, & absolutè, quia poterat non produci, sed ex suppositione diuini decreti, quòd sit ab æterno, neque hoc est falsum; cum probatur, negatur, independenter creaturam existere, semper enim creatura ex intrinseca sui natura est à Deo dependens à quo accipit esse, & per æternitatem est in continua dependentia; quare semper habet esse intrinsecè contingens, at necessitas illa in creatura prouenit ab extrinseco idest à decreto diuino, ex quo non sequitur, vt infert Auersa, necessitatem intrinsecè conuenire creaturæ, aliter non esset necessitas ex suppositiones, sed absoluta.

9 Sed dices; quod conuenit alicui intrinsecè, oppositum eius nec intrinsecè, nec extrinsecè, potest illi conuenire, vt patet de rationalitate, & irrationalitate respectu hominis, sed esse contingenter intrinsecè conuenit creaturæ, ergo esse necessariò, nec etiam extrinsecè, potest illi conuenire. Respondemus, adhuc probaret, nunquam creaturam necessariò existere ex suppositione, & tamen stante decreto, quòd Petrus viuat per biennium, in sensu composito, necessariò sequenti anno viuet necessitate ex suppositione, idcircò dicimus, maiorem valere de oppositis simpliciter, vt in exemplo adducto de rationalitate, & irrationalitate, non verò de oppositis secundum quid ex Scoto q. 4. Prol. X. modò contingentia intrinseca, & necessitas intrinseca sunt simpliciter opposita, at contingentia intrinseca, & neeessitas extrinseca sunt secundum quid opposita; hinc prima nullo modo possunt eidem conuenire, non sic ista;

Alia quædam affert Aresius disp. 5. de Gener. q. 44. contra allatam solutionem ad 3. quæ diluimus in lib. de Cęlo disp. 1. q. 3. vbi rursus de hac re agimus; interim tamen hic notandus est apertus error, quo detinentur Aduersarij, dum enim argumento relato conantur necessitatem à creatura remouere, eodem prorsus auferunt ab ea contingentiam etenim si creatura est contingens, non minus contingenter respicit esse, quàm non esse, ergo si repugnaret essentiæ creaturæ necessitas essendi per infinitum tempus, etiamsi ab extrinseco prouenens; idem multo magis ab Aduersarijs asserendum erit de non esse scilicet quod repugnet creaturæ necessitas non essendi per infinitum tempus, si ab intrinseco petit incipere in tempore, vt ipsi dicunt; Rursus si repugnat Deum necessariò per infinitum tempus conseruare creaturam supposito diuino decreto æternæ creationis, cur inconueniens non erit Deum necessariò debere non agere per infinitum tempus, si foret impossibilis productio æterna creaturæ? non minus enim subest diuino dominio esse creaturæ, quàm non esse.

Sextò, si homo esset ab æterno, vel posset exercere proprias operationes, vel non, sed infinito tempore quiesceret; non primum, quia non possunt duæ mutationes esse simul, quando terminus ad quem vnius est terminus à quo alterius, vt v.g. si pariet de non albo fit albus, album est terminus ad quem si postea fiat non albus, album esse terminus à quo huius mutationis, quæ mutationes non possunt simul esse, vt patet, sed creatio hominis, & mutatio facta in homine per illam operationem sunt huiusmodi, ergo &c. Tum quia daretur aliqua generatio, vel motus æternus, quod implicat, vt in seq. art. Neque dicendum, quòd non potest exercere proprias operationes quia, ait Auersa, videtur impossibile, quòd homo ille per infinitum tempus non intelligeret, non posset mouere brachium, aperire, vel claudere oculos &c. & si fœmina prægnans crearetur ab æterno, quod per infinitum tempus non pateret; quia de ratione creaturæ habentis virtutem operandi est, vt statim ac existit, & positis omnibus requisitis ad agendum, valeat suam operationem exercere.

10 Pro solutione istius rationis breuiter viuendum est, quomodo, & quales operationes posset ill homo exercere, si ab æterno esset productus; & primò, non posset ab æterno exercere illas operationes, quæ necessariò includunt motum, vel mutationem, quia ad veram mutationem requiritur, vt terminus à quo duratione præcedat terminum ad quem, vt disp. seq. dicemus quæst. 2. tum quia si Eua fuisset ab æterno, & potuisset ab æterno generare, vel quando fuit creata, simul etiam generaret, vel generatio fuisset posterior creatione; primum est ridiculum, nam simul recepisset semen, efformasset fœtum, fouisset, & peperisset; si secundum, iam non esset ab æterno, cùm nihil præcedere possit rem ab æterno productam. Secundò, posset habere aliquam operationem non includentem in suo conceptu mutationem, sed rationem productionis, quo sensu Masius admittit generationem æternam, & sic esset, simul cum homine à quo, tanquam à sua causa procederet, talis erit intellectio, volitio, vel alia immanens actio vel transiens, vt productio lucis, si Sol esset æternus, productio localis præsentiæ, speciei visibilis, &c. ita colligitur ex Scoto 2. d. 5. q. 2. I. vbi vult, quod Angelus in eodem instanti, in quo fuit productus, potuit intelligere, & velle, idem habet in 3. dist. 18. de Christo, Ratio est, quia habens esse perfectum, & obiectum approximatum, vel passum, si non impeditur, potest in actum exire, quia effectus non exigit necessariò suam causam tempore præcedere, sed natura, ex dictis disp. 8. q. 2. ar. 2. sic se haberet homo ille in æternitate productus. Verum est tamen, quòd in isto casu huiusmodi homo detineri deberet per infinitum tempus sub illi intellectione, vt colligitur ex Scoto in hac q. lit. F. Et probatur per tertiam rationem in præc. argumento adductam, eadem enim est ratio de creatura respectu Dei, & de intellectione ab æterno producta respectu hominis æterni, hoc notato.

11 Respondemus ad argumentum, si actio non includit motum, posset esse coæua cum homine, Cùm impugnantur, respon. ex Scoto 2. dist. 5. q. 2. H. maiorem esse veram de mutationibus veris, & realibus, quarum termini duratione se consequuntur ad inuicem, vt in exemplo adducto de pariete, non tamen de mutationibus improprijs, quarum termini ordine naturę tantum se consequuntur, quia subiectum non transit de vno termino ad alium; sic homo in eodem nunc esset terminus creationis, & subiectum intellectionis ab ipso productæ, quomodo non verè mutaretur, sicut si ab æterno generaret, quia generatio includit mutationem in suo conceptu, immo requirit multas alterationes præuias, non sic productio intellectionis. Ad 2. impugnationem negatur, quòd tunc habeat omnia requisita, quia vnum ex requisitis in actionibus successiuis est, quòd subiectum prius duratione maneat sub priuatione, ita quòd creatura illa per infinitum tempus permaneret in eodem statu, in quo fuisset ab æterno producta. Neque hoc implicat, vt ait Auersa, si enim secundum ipsum Deus, etsi perfectissimam habeat creandi potentiam, necessariò tamen deberet quiescere per infinitum tempus à creatione, cur implicantiam hoc dicet in creatura, quæ imperfecta est, imperfectamque habet operandi potentiam?

Arguunt aliqui alijs rationibus, probantes ex hac positione dari Infinitum in actu, puta infinitas animas, infinitas reuolutiones Cœlorum, &c. sed hæc faciunt contra ens successiuum, idcircò in sequent. artic. erunt istæ rationes examinandæ.

ARTICVLVS II.

Deciditur quæstio quo ad entia successiua.

12 SVccessio in rebus ab æterno dupliciter potest contingere, vel continuata, vt si motus aliquis absque interruptione fuisset ab æterno, quomodo Arist. posuit motum Cœli absque principio; vel discreta, vt esset multitudo infinita motuum, & generationum disparatarum, sed ad inuicem ordinatarum secundum prius, & posterius; quod dupliciter potest euenire, primò, quòd dentur v.g. primi homines ab æterno causati, à quibus infinitæ generationes procedant; ita vt assignabilis non sit prima, & immediata generatio ab illis proueniens, quod tetigimus in præced. art. ad vlt. Secundò, vt non sint tales homines assignabiles, sed semper progrediendo à parte ante in infinitum, non deueniendo ad aliquos primos parentes, qui ex alijs prioribus non essent generati; sicut Arist. posuit mundum ab æterno.

Dicimus, nullum ens successiuum de potentia Dei absoluta potuisse ab Eterno produci. Concl. habetur à Scoto in 2. dist. 1. q. 3. ad penultimum pro Henr. vbi expresè negat, eandem esse rationem de permanentibus, & successiuis quo ad productionem æternam, & possibilitatem illorum concedit, istorum negat; & quamuis respondeat vltimo argumento pro Henr. quod facit contra ens successiuum, non per hoc debemus deducere, Scotum huius fuisse opinionis, sed soluit, quia non concludit, & posset contra infinitatem successiui entis à parte post efformari aliqualiter ipsum pertractando; in quol. verò 7. X. cùm dicit, multos Theologos concedere motum ab æterno de potētia absoluta, loquitur in sententia ipsorū, non in propria, quapropter Prob. Concl. Primò rationibus illis, quibus disputatione 10. impugnatur infinitum in actu; nam sic infiniti dies pertransissent, infinitæ noctes, fuissent infinitæ generationes substantiales; & tamen quælibet habuisset multas accidentales alterationes, sicut in vna circulatione solari duodecim lunares fuissent factæ, & tamen numerus solarium circulationum non esset maior numero istarum, vel vnum infinitum maius alio. Tum quia potuisset Deus constituere Solem in tali statu, vt propriam circulationem spatio sex mensium conficeret, & si generationes certo quodam tempore determinato ad inuicem succederent, v.g. spatio duorum annorum; & hoc per totam æternitatem; istud spatium potuisset ad medietatem vnius anni coarctari; tunc quærimus, dato casu, hæc circulatio annualis, & generatio hodierna quanto tempore ante fuissent, vel finito, vel infinito? si primum, ergo quia tempus abbreuiatum est medietas totius temporis, totum tempus finitum esset, & sic non æternum; si secundum, ergo hæc circulatio, & generatio ab æterno fuissent, & aliæ præcedentes ante æternitatem, quod implicat.

13 Secundò impugnatur æternitas entis continuò successiui, nam in primis non potest dari motus rectus ab æterno, quia si duo lapides ab æterno deorsum descenderent, vnus tamen in duplo maiori velocitate, hic lapis hodie duplo maius spatium pertransisset, quod nequit esse infinitum, cùm claudatur duobus terminis scilicet lapidibus, & infinitum nequit esse terminatum, erit ergo finitum, & sic totum spatium finitum erit, ergo motus per illud factus non erit infinitus, quia finitum non pertransitur tempore infinito. Nec etiam potest dari circularis motus; quia vt tangit Scot. pro Henr. in pentult. ratione, si daretur aliquis motus ab æterno, tanta esset duratio ab æterno vsque nunc procedendo, quanta esset ab isto nunc, vsque in in æternum redeundo, & retrocedendo, sicut si daretur vna linea, quæ tantum ex vna parte careret termino, tanta longitudo esset ab hoc puncto ad aliam partem termino carentem, quanta ab illa parte ad hoc punctum; sed retrocedendo ab isto nunc, impossibile est redire in æternū, & totum tempus accipere in quacunque temporis differentia imaginabili; vel totum motum transactum, quia tunc infinitum pertransiretur contra rationem ipsius, ergo è conuerso procedendo ab æternitate impossibile est, quod perueniatur vsque ad istud nunc. Neque valet quod dicunt Complut. cit. q. 4. non esse hoc mirum, quia tempus ab æterno vsque nunc habet finem à parte post, idcircò potest ad istud nunc perueniri, at ab isto nunc vsque in æternum, licèt habeat principium, non tamen habet finem à parte ante, ideoque nunquam absoluetur. Non valet, quia ex hoc deducit ratio implicantiam, si enim non potest retrocedendo totum tempus accipi per æternitatem, eo quia infinitum esset pertransitum ex ea parte, quia infinitum esset, pariformiter neque ab æternitate vsque nunc procedendo posset ad istud nunc peruenirī, quia esset iam infinitum acceptum, etiam ex ea parte, qua infinitum est, sicut enim carentia finis facit, vt totum tempus à parte post non possit accipi, ista carentia principij erit in causa, quòd totum tempus non posset esse acceptum. Tum quia successio de sua ratione formali dicit prioritatem, & posterioritatem partium idest desitionem partis prioris, & inceptionem posterioris, ergo si potuit ens successiuum esse ab æterno, ab æterno quoq. fuisset inceptio partis posterioris præsupponens desitionem prioris, ergo ante æternitatem daretur pars prior, vel pars posterior per infinitum tempus post æternitatem incepisset. Accedit etiam, quòd si Sol ab æterno cum motu fuisset creatus, hoc non fuisset ponendo Solem in omnibus partibus propriæ circulationis, quia ille locus excedit Solem, & cùm sit determinatum corpus, determinatum locum habuisse, qui sit Orientis v.g. nostri hemisphærij, à quo motus, ab æterno incœperit, quærimus, quantum temporis consumpsit, vsque dum ad Occidentem peruenerit; non infinitum, quia spatium est finitum, cui tempus debet adequari; si finitum, ergo totus motus fuit finitus.

Resp. Faber, negando Solem dato casu creatum fuisse in aliqua determinata parte, quia ante illam partem fuisse alia, & ante istam alia, & sic in infinitum, non enim in æternis ait ipse, est aliquod primum assignabile, sic etiam posset dicere, vt respondent Complut. ad aliam rationem, quòd scilicet in successione æterna non detur pars prima incipiens, & desinens, sed qualibet data, altera, & altera in infinitum præcessisset; & idem argumentum posset fieri de æternitate à parte post, nam in tali æternitate includitur prius, & posterius, & in æternum erit desitio partis prioris, quam subsequetur desitio posterioris post æternitatem. Contra, sicut motui locali in communi præsupponitur necessariò, & mobile esse, & esse in loco, ait ad talem motum (ait Auersa) requiritur tale mobile esse, & in tali loco reperiri, ergo prius Sol erit in determinata parte creatus, à qua postea moueatur. Tum quia successio de sua ratione formali in communi repugnat cum æternitate, ergo & talis successio. Antecedens probat. implicat prius, & posterius vt sic esse cum æternitate non enim essent prius, & posterius, sed potius simul, ab æterno enim esset prius ab æterno esset quoque posterius, vel vnum ante æternitatem, ergo implicat quoque, successionem includentem prius, & posterius esse cum æternitate. Nec est eadem ratio de æternitate à parte post, quia hæc est syncathegorematica potentialis; nunquam in actu tota ponenda, sed finita in infinitum; at si esset iam accepta in actu, repugnabit ipsi prius, & posterius, quia simul essent; ita quia æternitas à parte ante fuisset posita, de sua ratione formali repugnabit ipsi successio. Neque dicas, in argumento committi fallaciam, quia arguitur à diuisis ad coniuncta; nam considerabimus modo rationes formales æternitatis actualis, & successionis secundum prius, & posterius.

14 Tertiò impugnatur successio æterna, & discreta, non solum rationibus adductis, quæ ad propositū possent formari, sed alijs, & primo contra primū modum, qui à Complut. defenditur, præterquā in hominibus, propter infinitatē animarū, quæ sequeretur; at in primis vniuersaliter debebant loqui, quia ratio infinitatis esset in alijs generationibus saltim in mēte diuina; & posset Deus omnes animas sensitiuas cōseruare, vt fusius disput. 10. argutum est. Tum quia adest ratio in præc. articul. adducta in respon. ad vltim. Tum quia generationes illæ ordine quodam succederent, ergo deberet dari prima, & verè à Deo cognosceretur Primogenitus. Secundò contra 2. modum, quem sequitur P. Faber; materia prima ita omni generationi præsupponitur, vt à nullo agente creato possit produci, sed à solo Deo immediate, etiamsi generationes ab æterno fuissent; vel ergo materia à Deo ab æterno producta fuit simul cum anima, vel successiuè disposita per alterationes præuias; si secundum, ergo hominum generationes non essent ab æterno, quia præcedit aliqua duratio, in qua nulla generatio humana fuisset; si primum, ergo daretur primus homo à Deo creatus, ab æterno, & sic non daretur iste progressus in infinitum in generationibus. Neque dicas, non dari primam formam hominis in materia productam à Deo immediatè, sed semper aliam, & aliam præcedere: Etenim hoc probat argumentum, cum materia ab æterno præsupponeretur omni homini, saltim prioritate naturæ, in qua actionem Dei creatiuam terminauit, vel enim fuit creata simul cum forma ab æterno, vel non; quodcunque detur, semper sequitur, dari primum hominem, vt dicebamus. Ex his solui possunt rationes à Bassol. pro affirmatiua parte adductæ, fundantur enim in non implicantia motus ab æterno, sicut non repugnat ipsi æternitas à parte post; non est tamen eadem ratio, vt patet ex dictis.

15 Contra arguitur 1. ex Canon. quandocunque sunt aliqua duo eiusdem rationis, cui vnum illorum non repugnat, nec aliud repugnabit, sed principium temporis, & terminus temporis cum sint duo instantia, sunt eiusdem rationis, ergo cui non repugnat primum, nec etiam secundum, ergo cui non repugnat negatio termini, vt ex dictis in princip. q. nec etiam repugnabit negatio principij, Patet ista consequ. quia negationes se habent, sicut affirmationes oppositæ. Tum quia sicut se habet quantitas permanens in ordine ad suos terminos, ita successiua ad suos; sed illa non magis se determinat ad terminum, quam ad principium, ergo & ista; & consequenter si poterit esse sine termino, poterit esse sine principio.

Respondemus, quod terminus; & principium motus possunt dupliciter sumi, vel fundamentaliter, & sic dicunt duo mutata esse, & indiuisibilia terminatiua; vel formaliter, & sic dicunt rationem principij, quæ consistit in relatione ad non esse prioris, & rationem termini, seu finis, quæ consistit in relatione ad non esse posterioris, tunc concedimus totum primum argumentum, immo & discursum, si de principio & termino fundamentaliter sit sermo, negamus verò, si de ipsis formaliter sumptis, quia vt sic non sunt eiusdem, sed diuersæ rationis, quare solum sequitur posse motum esse sine illo mutato esse, sed loco illius habere aliud, supra quod ratio principij fundetur. Ad 2. negat. maior, si de termino, durationis loquatur, & conceditur minor, ratio disparitatis est iam in conclusion. assignata, at si de terminis magnitudinis sit sermo, est vera maior, & solum sequitur, quod sicut quantitas permanens in infinitum potest augeri, nunquam tamen actu infinita potest esse, idem de successiua dicendum.

16 Secundò ex eodem, si hoc esset verum, maximè quia infiniti esset pertransitum, vt dicebatur in Prob. Conclusionis, sed hæc ratio concludit, quia non sequitur, si præteritum fuit, ergo infinitum fuit pertransitum, quod Prob. supponendo, quod non solum infinito repugnat esse pertransitum respectu præteriti, sed etiam esse pertransibile respectu futuri tunc sic, sicut se habet præteritum ad fuisse, ita futurū ad erit, nam sicut est vera ista propositio. *Omne præteritum fuit*, ita est vera ista alia, *Omne futurum erit*, non obstante, quod tēpus erit infinitum à parte post, non sequitur, infinitum esse pertransibile, ergo nec etiam sequitur, & si omne præteritum fuit, quod infinitum sit pertransitum. Confirm. non datur aliquod instans, in quo necessariò debeat motus incipere in tempore, sed in infinitum potest incipere, ergo & ab æterno, sicut motus potest esse æternus à parte post, quia non est determinatus ad aliquod instans, in quo necessariò desinere debeat.

Respondemus, admissa illa ratione, neg. minor cum Prob. deinde conceditur suppositum, sed negatur paritas maioris, non enim valet in omnibus, nam ly fuit in prima propositione, supponit pro existentia tota in actu posita, ly erit in secunda, non significat existentiam, quæ tota aliquando erit in actu, sed ita erit in actu, vt semper in infinitū alia supererit accipienda, idcircò negat. consequentia. Ad Confirm. concedimus, Deum ante quodlibet instans signatum potuisse producere motum, sed negat. consequentia, ergo ante omnia instantia ab æterno, quia fit transitus à propositionibus distributiuis, quarum vna, vel plures indeterminatæ sunt cum alijs incompossibiles, ad propositionem collectiuam, vt in simili de diuisione continui dictum est in disputat. 10. quæst. 3. Cum probatur, negatur paritas, quia æternitas à parte post arguit in infinitum in potentia, at à parte ante arguit infinitum iam acceptum.

17 Tertiò sequeretur, motum necessariò per infinitam durationem habuisse non esse, quod est falsum, quia in causis præcisis si affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, sed præcisa causa, quod motus fit, est, quia Deus dat ipsi contingenter esse, ergo præcisa causa cur non sit, est, quia Deus non dat contingenter esse, ergo quod non est, contingenter non est ergo nunquam necessariò non est. Tum 2. quia priuatio, & habitus mensurantur eadem mensura, ergo si non esse fuit ab æterno, etiam esse motus potuit saltim esse ab æterno. Tum 3. quia quod motus in tempore incœperit, est articulus fidei, ergo nequit impossibilitas eius demonstrari, fides enim est rerum non apparentium secundum Apostolum Hebr. 19. hinc Aristot. tam subtiliter inuestigans veritatem non cognouit istam impossibilitatem. Tum 4. si Cælum fuisset ab æterno, habisset potentiam ad motum ab æterno, ergo potuisset habere motum, quia ad impossibile non est potentia, Antecedens patet, quia fuisset corpus naturale, ergo, & mobile.

Respondemus neg. falsitatem, ad probat. neg. minor, causa enim præcisa, cur motus fi, est, quia Deus dat ei esse, causa verò, præcisa, cur contingenter sit, est, quia dat ei contingenter; è contra præcisa causa, quare non fit, est, quia non dat esse, quod autem contingenter non fit, est, quia potest non dare esse, quare cum ab æterno Deus non potuerit dare esse motui, necessariò non fuit ab æterno. Ad 2. antecedens est verum in priuatiuè oppositis, non tamen in contradictoriè oppositis, vnde illa ex negatio motus, non priuatio, cum subiectum non sit illius capax, sic negatio chimeræ verè est, & erit, non tamen chimera potuit, vel poterit esse. Ad 3. resp. ex Scoto hic, & in 1. dist. 2. quæst. 3. B. articulos fidei alios esse merè creditos, vt est Incarnatio Verbi æterni, alios non merè creditos, vt sunt existentia, vnitas Dei, &c. de quorum numero est iste de inceptione motus in tempore, & istos vt articulos fidei, tradere toti Ecclesiæ vtile est, tum propter imperitiam multorum, tum propter impotentiam intellectus in conficiendo aliquando demonstrationem, per quam vtique euacuatur fides vt ait Scot. 3. d. 24. in corpore quæsiti; non tamen meritum eo quia voluntas retinet affectum ad credendum illi articulo, si non adesset scientia; & quia laborare, vt intelligatur sciatur, quod creditur, meritorum est secundum Aug. & Anselm. Nec refert, quod Philosoph. hoc concesserit, quia multas latentes contradictiones admisit, vt quod Deus necessari agat, & tamen detur contingentia in creaturis, quod non detur infinitum in actu, & tamen mundus ab æterno fuerit productus. Ad 4. habuisset ab æterno potentiam ad motum, sed non pro æterno, sed in tempore, sicut homo ab eterno habuisset potentiam generatiuam, non tamen generationem actualem, & hoc sufficit.

18 Quartò potest dari ab æterno ens permanens, ergo & successiuum, Prob. consequentia, ens illud permanens ab æterno productum diceret per totam æternitatem coexistentiam cum diuina æternitate, sed talis coexistētia successiua est, & diuisibilis, ergo, &c. minor Prob. à pari sicut res in vacuo mota acquirit aliam, & aliam præsentiam partibus diuinæ substantiæ virtualiter per immensitatem diffusis ex dictis disp. 11. ita vt partibilitas virtualis immensitatis Dei est sufficiens ad causam successiuam præsentiam localem, ita quia Deus sua æternitate replet omnem temporis differentiam, estque virtualiter multiplex ratione cuius nunquam creatura potest æternitati coexistere secundum totam suam præsentialitatem vt ex Scot. 1. dist. 39. in fine, & in 2. dist. 2. quæst. 1. infra F. colligitur, vbi hanc paritatem adducit, poterit ista virtualis multiplicitas successiua in æternitate causare successionem in coexistentia. Tum 2. quia si indiuisibilis esset, iam Angelus coexistens æternitati secundum totam suam præsentialitatem, & totaliter, probatur, quia non aliam, & aliam præsentialitatem, diceret æternitati, sed semper eandem, sicut si duæ creaturæ simul essent, coexisterent ad inuicem totaliter. Tum 3. quia si Deus hodie produceret vnum Angelum, & alterum cras, istæ coexistentiæ in Angelis non solum essent diuersæ ex parte fundamentorum, verum etiam ex parte terminorum, non enim æternitas eodem modo coexistit primæ, & secundę productioni, aliter essent simul in æternitate, immo & duo contradictoria de eodem secundum idem nunc æternitatis verificarentur, vt arguebamus contra Thomistas q. 2. præc. disp. respondendo ad tertium.

Respondemus neg. consequentiam, ad Prob. neg. minor de coexistentia permanentis entis, concedendo de coexistentia successiui, Ratio est, quia virtualis diuersitas non est sufficiens ad causandam actualem diuersitatem, aliter contradictoria à parte rei de eodem virtualiter diuersa possent verificari, & sic rueret ratio, qua Scotus sæpè probat ex isto medio distinctionem formalem actualem; tum quia esset quoque diuisibilis respectus iste, non solum ex parte termini, verum etiam ex parte fundamenti, nam æuum quoque est virtualiter diuisibile, immo coexistentia duorum Angelorum diuisibilis esset, & successiua, quod est falsum, solum ergo coexistentia diuisibilis erit, quando vel terminus vel fundamentum est tale formaliter; nec paritas assumpta de immensitate valet, quia præsentia localis cum diuina immensitate est relatio extrinsecus adueniens, & consequenter non fundatur immediatè in locati entitate, sed requiritur approximatio eidem spatio, vnde in tantum Petrus est cum Deo Romæ, quia Deus quoq. est ibi, ideoque est velut quædam coexistentia localis in tertio, scilicet hic, vel ibi non simpliciter, & absolutè, at coexistentia in essendo est intrinsecus adueniens immediatè in existentia angelica fundata; falsum ergo est, quod solummodo virtualis diuisio immensitatis sit causa successionis in præsentia locali corporis mobilis, sed causa est, quia adest variatio ex parte fundamenti, quatenus est aliter præsens spatio imaginario, & ex parte termini, qui diuersas dicit præsentias diuersis spatij partibus, non sic in coexistentia, in essendo, quæ statim insurgit positis extremis in rerum natura, & quia extrema sunt formaliter indiuisibilia, & permanentia, talis quoque erit respectus hujus coexistentiæ.

19 Dices coexistentia est duorum existentia simultanea, idest in eadem parte temporis, vt ait Scot. 1. distinct. 39. §. *Contra istud arguitur primò, &c.* vbi ait, sessionem esse æternitati præsentem secundum quod est in aliqua parte temporis, ergo etiam ista relatio erit quædam coexistentia in tertio, idest in duratione eadem imaginaria, ergo sicut ex variatione respectus ad aliud, & aliud vbi imaginarium successiuè, variatur quoque respectus præsentiæ localis cum Deo, estque relatio extrinsecus adueniens, pariformiter ex variatione successiua respectus coexistentiæ, alij, & alij parti durationis imaginariæ variabitur quoque successiuè respectus coexistentiæ cum æternitate, eritque respectus extrinsecus adueniens. Respondemus, coexistentiam in essendo esse respectum fundatum in duratione vnius rei ad durationem alterius adhuc durantis terminatum, sicut ergo duratio formaliter dicit existentiam rei, at secundum id per quod à nobis explicatur, connotat respectum coexistentiæ durationi extrinsecæ imaginariæ, qui consequitur rationem formalem durationis, sic respectus coexistentiæ huius formaliter erit relatio supra formalitates duarum durationum fundata, scilicet supra ipsas existentias, at secundum quod à nobis explicatur dicet duas coexistentias durationi extrinsecæ, & hoc modo loquitur Scot. quare negatur paritas, quia relatio præsentiæ localis creaturæ cum Deo verè præsupponit præsentias locales ipsorum eidem spatio imaginario: & se habent vt rationes fundandi, at coexistentiæ illæ durationi imaginariæ non præcedunt coexistentiam durationum, sed potius sequuntur sicut formalitas durationis præcedit respectum coexistentiæ extrinsecæ durationi, stat ergo diuisibilitas præsentiæ localis cum Dei immensitate, & indiuisibilitas coexistentiæ creaturæ cum Deo ab æterno existente.

20 Ad 2. probationem minoris argumenti principalis respon. Angelum presentem esse eternitati indiuisibiliter, sed non totaliter, quia hoc dicit supra coexistentiam æternitati Dei simultaneam præsentiam omni durationi extrinsecæ, & imaginariæ, quam solum haberet, si fuisset ab æterno; neque modo dicetur præsens omnimodè æternitati à parte post, quia sicut res permanens durans per annum magis durare dicitur altera durante solum per mensem, non quidem intrinsecè, sed extrinsetè, & connotatiuè, sic Angelus habet hodie eandem coexistentiam formaliter cum æternitate Dei, quam semper habebit, tamen connotatiuè est diuersa propter aliam, & aliam coexistentiam tempori imaginario. Per quod patet ad 3. probationem, videlicet quod illæ coexistentiæ Angelorum ex parte termini formaliter non different, sed ex parte termini secundum id, quod connotat, & ista variatio sufficit, vt non verificentur contradictoria de eodem secundum idem.

Dices, ergo saltim cum respectus iste ad durationem imaginariam quamuis non sit simpliciter realis, sit tamen secundum quid realis, non secunda intentio eo quod est successiuus, & ab eterno esset in Angelo producto, adhuc ex positione entis permanentis ab eterno sequitur positio alicuius entis successiui. Respondemus, respectum istum non esse accidens aliquod reale, & realiter productum, sed solum realem dici, quatenus, coptradistinguitur à respectu rationis ab actu collatiuo intellectus causato, & ratione fundamēti vt notat Scot. quol. 13 P. & Lich. ibidem, ad eum modum priuatio, & denominationes extrinsecæ reales dicuntur, vt fusius in Prædic. Relat. in Log. dictum est

Hoc vltimum argumentum poteſt etiam fieri contra permanentia, quatenus expoſitione permanentis ab æterno videtur neceſſariò poni ens ſucceſſiuum, quod argumentum Arriag. hi inſolubile putat; ſed de hac materia vide diſp. 1. de Cælo q. 5.

QVÆSTIO II.

De temporali Incaptione, & Deſitione creaturarum.

21 DIximus in præc. diſp. q. 4. art. 2. quod quamuis multę res alia duratione intrinſeca à tempore exiſtant, omnes tamen noſtro tempore menſurari poſſunt extrinſecè, quatenus omnes coexiſtunt tempori, quapropter de rebus permanentibus, quatenus proprio æuo durant faciliter reſponderi poſſet ad quæſitum, nam incipiunt poſitiuè, & deſinunt negatiuè in eodem indiuiſibili æuo, vt habet Scot. 2. d. 2. q. 1. infra F. & 4. d. 43. q. 5. ad princ. attamen propter illam coexiſtentiã tempori; de incæptione, & deſitione ipſarum tractandum eſt, ac ſi tempore menſurẽtur, ſicut & de ſucceſſiuis, vnde nõ rectè Compl. diſp. 26. q. 4. de Angelis loquuntur tantum quatenus æuo menſurantur. Et quia res omnes creatæ ſunt in duplici differentia, aliæ enim ſunt ſucceſſiuę, quę totę ſimul nõ habẽtur, nec plures actu partes ſimul habere poſſũt, vt tẽpus. & motus, &c. aliæ permanente, quarũ eſſe totũ ſimul eſſe poteſt, & iſtarũ aliæ ſunt diuiſibiles, quæ ex partibus cõſtant, vel extẽſiuis, vel intenſiuis, aliæ indiuiſibiles omnibus partibus expertes, ſubdiuiduntur, vt dicemus in vltimo articul. idcircò ad exactam cognitionem huius quæſt. videndum eſt, quid & quot ſint modi incipiendi, & deſinendi rerum, deinde quomodo iſta omnia incipiant, & deſinant.

ARTICVLVS I.

Quid, & quot ſint modi incipiendi, & deſinendi rerum creatarum.

22 QVi negant indiuiſibilia in continuo diuerſimodè modos incipiendi, & deſinẽdi explicant, quã faciant indiuiſibilia admittentes, vt eſt videre apud Auerſam q. 30. Phyſ. ſect. 1. ſed de iſta ſententia, licet pauca in vltime art. dicemus, non eſt ſermo in præſenti, ſatis enim in diſp. 9. qu. 2. art. 2. impugnata fuit; quapropter modos iſtos debemus explicare iuxta placitum Doctorum concedentium talia indiuiſibilia, quæ in tempore inſtantia vocantur. Aduertendum igitur eſt ex Philoſoph. 8. Phyſicor. 69. inſtans continuatium eſſe quaſi diuiſiuum prioris temporis à poſteriori, & quia res eſt, vel non eſt in aliquo tempore, conſequenter inſtans illud diuidet tempus, in quo res eſt, à tempore, in quo non exiſtit; inſuper quia nec in eodem inſtanti poteſt res eſſe ſimul, & non eſſe, ſequitur quod inſtans illud medium non poteſt dici intrinſecum eſſe, & non eſſe rei, ſed vni intrinſecum, & alteri extrinſecum, hinc occaſionem ſumpſit Scot. quol. 12. M. annotandi, quod incipit dupliciter poteſt exponi, vno modo cum poſitione præſentis, & negatione præteriti, ſcilicet eſt, & prius non fuit, ſecundò, cum negatione preſentis & poſitione futuri; videlicet non eſt, ſed poſt erit; ſic deſinit vno modo exponitur per poſitionem preſentis, & negationem futuri, ſcilicet eſt, ſed non erit, ſecundò per negationem præſentis, & poſitionem præteriti, non eſt, ſed erat; Primus modus incipiendi dicitur *primum eſſe rei*, quia valet dicere, nunc primo eſt, & immediatè ante non erat, ita vt res fuerit ſub non exiſtentia per totum tempus præcedens vſque ad iſtud inſtans excluſiuè, quod ad eſſe rei pertinet, ideoque dicitur modus incipiendi intrinſecus, quatenus incluſiuè ſpectat ad tempus exiſtentiæ rei. Secundus modus incipiendi dicitur *vltimum non eſſe rei*, quia valet dicere, nunc res vltimò non eſt, ſed immediatè poſt erit, & dicitur modus incipiendi extrinſecus, quia iſtud inſtans ſpectat ad tempus non exiſtentiæ rei incluſiuè, & excluſiuè ad tempus exiſtentiæ. Similiter primus modus deſinendi dicitur *vltimum eſſe rei*, in quo valet dicere, nunc res vltimò eſt, immediatè poſt non erit, & dicitur modus deſinendi intrinſecus, habito reſpectu, non quidem ad deſitionem ipſam rei, nam ſic illud inſtans erit extrinſecum deſitioni, cum excluſiuè pertineat ad tempus non exiſtentiæ rei, quod eſt ſequens ſed ad exiſtentiam rei, quæ vſque ad illud inſtans incluſiuè terminantur. Secundus dicitur *primum non eſſe rei*, quia explicatur, nunc primò res non eſt, antea erat, & dicitur modus deſinendi extrinſecus in ordine ad exiſtentiam, ad quam excluſiuè pertinet propter eandem rationem, ſed reſpectu deſitionis dicetur potius intrinſecus, attamen vocabula accipienda ſunt ſecundum communem vſum Doctorum. Et quoniam ly *nunc* in explicatione iſtorum modorum ſupponit pro inſtanti, & ly *immediatè ante, & immediatè poſt*, ſignificant tempus præcedens, vel ſubſequens, ſequitur differentia inter incæptionem, & deſitionẽ, nam quod incipit intrinſecè, incipit in inſtãti, quod verò deſinit intrinſecè, deſinit in tempore, & quod incipit extrinſecè, incipit in tempore, at quod deſinit extrinſecè, deſinit in inſtanti; Ratio huius eſt, quia quod eſt intrinſecum exiſtẽtiæ rei in incæptione, eſt intrinſecum productioni ipſius, quia quando datur etiam productio, quod tamen eſt intrinſecum rei in deſitione, eſt extrinſecum deſitioni, quia tunc eſt deſitio, quando res non eſt, & quando non exiſtit, & è contra.

Dices, rem incipere, vel deſinere, eſt, rem produci, vel deſtrui, ergo in quocunque inſtanti, in quo res dicitur incipere, exiſtit, & in quo dicitur deſinere, non exiſtit, ergo non dantur vltimum non eſſe rei, & vltimum eſſe rei. Reſpondemus, antecedens non eſſe vniuerſaliter verum, niſi de incæptione intrinſeca, & deſitione extrinſeca, quia affirmatio in prima cadit ſupra inſtans, & negatio ſupra tempus præteritum, in ſecunda negatio cadit ſupra inſtans, & affirmatio ſupra præteritum, at in incæptione extrinſeca, & deſitione intrinſeca è contra reſe habet, vt diximus.

23 Præter iſtos duos modos incipiendi, & deſinendi aliqui Recentiores, vt ſaluarent cauſalitatem Phyſicam Sacramentorum reſpectu gratiæ, alium adinuenerunt in tempore indeterminato antecedente aliquod inſtans determinatum, ſicut enim datur modus incipiendi extrinſecus in tempore indeterminato poſt aliquod inſtans, & modus deſinendi intrinſecus in tempore indeterminato ſequente vltimum eſſe rei, ſic poteſt dari inceptio indeterminata præcedens aliquod inſtans, qua valeat dici, nunc res eſt, & immediatè ante erat, ſed non poteſt aſſignari aliquod inſtans, in quo dicatur res primò fuiſſe, ſed ſolùm fuit in illa temporis parte indeterminata præcedente illud inſtans, idem dicunt de deſitione.

Sed communis ſententia non amplectitur modum iſtum, ita colligitur ex Scoto quol. cit. vbi duos prædictos modos tantum aſſignauit; colligitur quoque ex Ariſt. & probatur, quia modus iſte non ſolũ impenetrabilis eſt, verũ etiam impoſſibilis, nam incæptio dicit tranſitũ eſſe rei poſt non eſſe, quæ cùm ſint contradictoria, immediatè ſe habẽt, nec poteſt dari aliquod mediũ tẽpus, vel inſtans in quo neutrum ſit, vel ambo, ergo quelibet res vel intrinſecè incipit, vel extrinſecè. Prob. conſequentia, tempus coexiſtens non eſſe, & eſſe rei eſt quid continuũ, in quo immediatè illa ſuccedunt, ergo aliquod inſtãs debet dari, quod ſit vel intrinſecum eſſe rei, vel extrinſecum eſſe rei, & intrinſecum nõ eſſe rei, aliter in hoc inſtanti nec daretur exiſtentia rei, neque negatio exiſtentiæ, quod implicat. Tum quia tempus iſtud, in quo exerceretur incæptio rei, vel ſolum eſt indeterminatum à parte poſt, quatenus inſtans ſignatum eſt extrinſecum productioni rei, & ſolùm cõſeruationi intrinſecum, & à parte ante eſt determinatũ, quod ſcilicet habeat inſtans intrinſecè ad ipſum pertinens, vel eſt ex vtraque parte indeterminatum, quatenus, nec primum, nec vltimum inſtans pertineat ad ipsũ intrinſecè (tunc enim tempus indeterminatum concipitur, quãdo intelligitur, vt immediatè ſequens, vel antecedens alicui inſtanti) ſi primum ergo inſtans præcedens erit primum eſſe rei, nam in illo incipit productio rei, & ſi ſecundum, ergo inſtans præcedens, cum ſit extrinſecum, erit vltimum non eſſe rei, quare non datur alius modus præter aſſignatos; idem de deſitione dicendum. Tum quia ſuperfluus eſſet, nam quælibet res vel intrinſecè, vel extrinſecè incipit, & deſinit, vt patebit, quod enim aiunt de Sacramentali gratia, falſum eſt, quia cùm moraliter tantum Sacramenta cauſent gratiam, primum non eſſe Sacramentorum erit primum eſſe gratiæ, & ſic intrinſecè incipit. Cum dicunt, dari inceptionem in tempore indeterminato poſt inſtans extrinſecum, ergo poteſt dari in tempore indeterminato antecedente aliquod inſtans ſignatum.

24 Reſpondemus modum iſtum vel eſſe eundem eum modo incipiendi extrinſecè, vel eſſe impoſſibilem, ratio eſt, quia in explicanda inceptione debemus declarare immediatam illam ſucceſſionem eſſe rei ad non eſſe, & illum terminum, in quo vnum terminat, & alterum incipit, terminus autem, vt terminus ſemper eſt indiuiſibilis, quare rectiùs aſſignabitur iſta inceptio per inſtans medians inter illa tempora, quòd ſit vni intrinſecum, & alteri extrinſecum, quàm per inſtans ſubſequens inceptionem.

Dices, ſi Deus præciperet alicui elicitionem alicuius actus immediatè ante mortem, non ſignando alium terminum obligationis præcepti, & ille integris ſenſibus vſque ad mortem perſeuerans non eliciat actum præceptum, certè iſte peccaret, & gratiam amitteret, non in tempore aliquo determinato ante mortem, vel in inſtanti determinato, quia ſemper habebat ſpatium adimplendi præceptum, ergo in tempore indeterminato ante mortem.

Reſpondemus, hanc difficultatem affinem eſſe illi de peccato omiſſionis, quando incipiat, v. g. omiſſio mortalis auditionis ſacri, vt in materia de peccatis, ideoque in propoſito dicimus, hominem illum peccare, quando aduertit ſe periculo exponere, differendo elicitionem actus, omittendi illum, quamuis habeat ſpatium adimplendi præceptum, & hoc, quia in moralibus non debet attendi poſſibilitas Phyſica, ſed moralis, & ob breuitatem temporis, & labores mortis maximum ادeſt periculum omittendi actum præceptum.

ARTICVLVS II.

De Inceptione, & Deſitione ſucceſſiuorum.

25 OMnes concedunt ſucceſſiua per ſe, vt motum, & tempus, quatenus ſucceſſiua ſunt, incipere, & deſinere extrinſecè per vltimum non eſſe, & per primum non eſſe, dicendo, nunc non eſt motus, immediatè poſt erit, nunc non eſt motus, immediatè ante erat, ita Scot. in 2. diſt. 2. q. 9. N. & Prob. quia natura ſucceſſiuorum eſt habere partes in continuo fluxu, & vnam ſimul cum altera eſſe non poſſe, ergo in nullo inſtanti poteſt dici motum, nam cùm motus ſit aliquod continuum diuiſibile in partes integrales, ſi daretur motus in aliquo inſtanti, in quo dicatur, nunc eſt motus, iam haberet ſimul partes plures, & ſic non eſſet ſucceſſiuum ens.

Hanc tamen communem doctrinam Arriag. diſp. 16. Phyſ. ſect. 12. reuo-

reuocãuit in dubium, ſuſtinet enim omnia indifferenter ſiue ſucceſſiua, ſiue permanentia incipere, & deſinere, tam intrinſecè, quàm extrinſecè, quod probat præcipuè de ſucceſſiuis, nã ſi motum extrinſecè incipere eſt nunc non eſſe motum, ſed immediatè poſt fore, ergo de motu verificari hoc poterit, nunc eſt motus immediatè, antè non erat, Patet conſeq. ex Ariſt. docente omnem propoſitionem veram de præterito vel de futuro, ideò eſſe veram, quia poteſt reſolui per ſuam de ineſſe ideſt de præſente, vt ideò verum eſt, Adam fuit, quit, quia aliquando fuit verum dicere, Adam eſt, & ideò verum eſt dicere, Antichriſtus erit, quia aliquando erit verum dicere, Antichriſtus eſt, ergo ſi eſt verum dicere, nunc non eſt motus, ſed immediatè poſt erit, verificabitur in illo immediatè poſt, quod motus eſt, & antè non erat, quod eſt intrinſecè incipere; idem dicendum de deſitione, vt ſi eſt verum dicere nunc non eſt motus, ſed immediatè ante fuit, ergo erit verum dicere in illo tempore immediatè præcedenti, nunc eſt motus, & immediatè poſt non erit, quod eſt intrinſecè deſinere. Confir. quia ſi inſtans habet aliquod ſibi immediatum, in quo fuit motus, ergo in illo immediato fuit verum dicere, nunc eſt motus, poſt non erit, ſiue illud immediatum ſit pars ſiue inſtans; hinc deducit de qualibet re verificari vtrumque modum incipiendi, & deſinendi.

Reſp. facillimè neg. conſeq. & ad probationem dicimus, duplicem eſſe præſentiam, permanentem vnam, & totam ſimul, alteram ſucceſſiuam, & per partes poſt partes; tunc ad Ariſtot. reſpondemus ſufficere ad veritatem propoſitionis de præterito, & futuro, quod verificetur de præſenti, altera harum præſentiarum iuxta exigentiam rerum exiſtentium, & quia motus eſt de numero ſucceſſiuorum, verificatur quod ſit in tempore immediato poſt inſtans, præſentia, & exiſtentia ſucceſſiua, non tamen valet dicere, nunc eſt motus, quia ly nunc ſupponit pro inſtanti, non pro parte temporis, & conſequenter ly eſt ſupponit pro exiſtentia permanenti, ſeu tota ſimul, modo enim quærimus primam inceptionem & deſitionem rerum, quæ nequit in tempore exerceri, quia tempus non habet primam partem, ſed ante vnam eſt alia, & alia in infinitum. Ad Conf. reſpondemus ex Scot. 2. diſtin. 2. quæſt. 2. 9. litt. S. vt diximus diſput. 9. quæſt. 2. art. 5. ad conf. 4. argum. princip. inſtanti eſſe aliquod tempus immediatum ſtare dupliciter, vel quia ſecundum ſe totum eſt immediatum inſtanti, & hoc eſt falſum, quia nulla pars temporis eſt ſic immediata, nam qualibet aſſignata eſt alia aſſignabilis immediatior in infinitum, vel dicitur immediatum inſtanti, quia inter ipſum, & inſtans nihil mediat, hoc eſt verum, non tamen ſequitur poſſe in hoc tempore immediato enunciari, nunc motus eſt, quia ly nunc ſupponit pro duratione ſimultanea, & determinata, at tempus illud immediatum eſt ſucceſſiua duratio, & indeterminata; quapropter non eſt à communi modo loquendi recedendum, quod motus extrinſecè incipiat, & deſinat.

26 Dubium tamen eſt de quiete, an eodem modo incipiat, & deſinat, & licet Maſius 6. Phyſicor. capitul. 10. ſect. 2. quæſt. 11. aſſerat, quietem incipere vtique eodem modo, ſed deſinere oppoſito modo per vltimum ſcilicet ſui eſſe.

Dicendum eſt tamen, quod quies dupliciter ſumi poteſt, vel quatenus eſt negatio motus vel quatenus priuatio, primo modo dicit carentiam motus in ſubiecto non apto, ſecundo modo dicit carentiam motus in ſubiecto apto; ſi quies primo modo ſumatur, ſic incipit, & deſinit oppoſito modo, ſcilicet per primum ſui eſſe, & per vltimum ſui eſſe, quia cum hæc quies inſtantanea, ſit in illo inſtanti, quod eſt vltimum non eſſe motus, valet dicere, nunc eſt negatio motus, & immediatè poſt non erit, & in inſtanti, quod primum eſt non eſſe motus, verum eſt dicere, nunc eſt negatio motus, & immediatè ante non erat, immo in quolibet inſtanti motus datur hæc quies, non tamen motus eſt in erruptus, quia ad hoc requiritur quies priuatiua; ſi vero ſecundo modo ſumatur, ſic eodem modo deſinit, & incipit, ſicut motus, ſcilicet extrinſecè; Prob. priuatiuè oppoſita debent eodem modo reſpicere ſubiectum, & eadem menſura menſurari, ergo ſi motus ineſt ſubiecto in tempore, etiam quies, & verè ſucceſſiua erit, quare idem inſtans erit vltimum non eſſe motus, & primum non eſſe quietis, & idem inſtans erit primum non eſſe motus, & vltimum non eſſe quietis. Hoc totum colligitur ex Scoto cit. & lit. O. vbi illud inſtans, quod vltimum non eſſe motus dicitur, vocat Scotus inſtans, non quietis, ſed immutationis, quatenus opponitur non motui, ſed mutato eſſe, vnde ſicut quies opponitur motui, ita quietum eſſe, quod inſtans immutationis dicitur, opponitur mutato eſſe, & in 2. d. 3. q. 4. C. habet, quietem, quæ priuatio motus eſt, ſucceſſiuam eſſe, & tempore menſurari, ſicut motus.

Obijcitur 1. ſi motus deſinit per primum non eſſe, & in inſtanti, ergo corruptio rei ſucceſſiuæ diuiſibilis fit ſimul indiuiſibiliter, & in inſtanti, ergo ante illud inſtans motus non fluebat, ſed permanebat, quod eſt falſum. Rurſus in eo inſtanti, quod vltimum non eſſe motus dicitur, mobile eodem modo ſe habet, ac prius ſe habebat ergo in eo inſtanti quieſcit, ſicut prius, ergo quies non deſinit per primum ſui non eſſe, ſed per vltimum ſui eſſe. Reſpondemus, motum deſinere per primum non eſſe ſtat dupliciter, vel quod ſecundum omnes, vel aliquas partes permaneat vſque ad illud inſtans, & tunc totus ſimul deſinat, & hoc eſt falſum, quia ſemper eſt in continuo fluxu, vel prout conſideratur ad modum vnius totius fluentis, & illo inſtanti nulla pars motus reperitur, ſed immediatè antea erat pars aliqua motus, & hoc eſt verum, ſed negat. vltima ſequela, nam deſitio totalis alicuius ſucceſſiui, & vltimata benè poteſt eſſe in inſtanti extrinſeco terminatiuo. Ad alia ex Scoto citat. dicimus, quod in eo inſtanti eodem modo ſe habet indiuiſibiliter, ſicut antea diuiſibiliter, ex quo non ſequitur quieſcere, quia requiritur, vt mobile diuiſibiliter ſe habeat eodem modo, ſicut diuiſibiliter fit motus.

Dices, priuatiuè oppoſita ita ſe habent, vt vnum illorum inſit ſemper ſubiecto, ergo ſi in eò inſtanti non eſt motus, erit quies. Reſpondemus, antecedens valere de ſubicto apto, non de inepto, ſicut eſt mobile in eo inſtanti, nam tunc dicitur quieſcere priuatiuè, quàndo non mouetur, ſed poteſt moueri, at in eo inſtanti non poteſt moueri, ſed mutari.

27 Secundò ex Philoſ. 8. Phyſic. 23. dicente, *non enim ſi partibile in infinitum eſt quod alteratur propter hoc, & alteratio, ſed ſimul fit, ſicut denſatio*, quod probat exemplo guttarum lapidem excauantium, non ſolum vltima totum lapidem excauat ſimul, ergo ſi poſt multas guttas tandem tota pars lapidis ſimul mouetur, & ita eſt in alteratione, dabitur prima pars alterationis, ergo incipit motus per primum eſſe. Idem clarius habet de Senſu, & Senſato cap. 9. Confirm. inter contradictoria non datur medium, ergo inter non eſſe formæ inducendæ per motum, & eſſe ipſius non eſt medium, non eſſe autem ipſius fuit in inſtanti vltimo formæ præcedentis, ergo inter iſtud inſtans, & illud, quod menſurat eſſe formæ ſuccedentis, non eſt medium, ſed ſi non eſſet prima pars formæ inducendæ, quæ primò acquiratur, daretur medium, ergo &c. Poſſet idem etiam probari rationibus illis, quibus in diſp. 9. q. 3. art. 1. probatur, dari minimum in rebus naturalibus, quia ſecundum Philoſ. 6. Phyſ. 4. & 17. magnitudo, tempus, & motus eodem modo ſe habet quoad diuiſibilitatem, & indiuiſibilitatem, ergo ſi datur minimum in formis naturalibus, daretur prima, & vltima pars motus, quæ eſſent in primo, & vltimo inſtanti intrinſeco.

Reſp. Scotus cit. lit. P. quod ibi Ariſt. ſolum intendit probare contra Heraclitum omnia non eſſe in continuo motu, nam poteſt fieri aliqua alteratio ſimul, non quod fiat in inſtanti, quia tunc non eſſe motus ſucceſſiuus, ſed ſimul, prout opponitur ſucceſſioni totius temporis, quod probat poſt ea de guttis aquæ, nam lapis ſolum ab vltima excauatur, & ſimul, id eſt ſubito, vbi negat ſucceſſionem correſpondentem omnibus guttis, non verò ſucceſſionem omnimodam, nam quando poſtea lapis excauatur, cum ſit motus localis, fit in tempore. In lib. de Senſu, & Senſato ſolum habet Ariſtot. quod poteſt eſſe aliqua alteratio inſtantanea, quod etiam nos concedimus, præcipuè quia ſucceſſionem ſolum motui locali eſſentialem ponimus, non tamen ſequitur aliquid contra nos, quia in præſenti eſt ſermo de motu, vt ſucceſſiuo, at ſi inſtantaneus eſſet, tunc ſe haberet, vt mutatio indiuiſibilis, de qua infra dicetur. Ad Confirm. diſtinguit antecedens, nam immediatum ſumitur dupliciter, primò quod inter ipſum ſecundum ſe totum, & aliud nullum eſt medium, ſecundò, quod ſecundum ſe totum eſt cum altero ſtatim, vel poſt alterum, modò eſſe formæ, & nõ eſſe formæ ſunt immediata primo modo, quia nihil mediat, non verò ſecundo modo, quia continuum, ſiue permanens, ſiue ſucceſſiuum, non ſequitur ſecundum ſe totum ſimul indiuiſibile, ſed per partem ante partem in infinitum; idem dicendum de vltimo inſtanti immutationis, quod non eſſe formæ menſurat & de motu, per quem eſſe formæ acquiritur, nam motus eſt vltimo inſtanti immutationis immediatus primo, non ſecundo modo. Rationes deſumptæ ex minimo naturali iam ibi ſunt ſolutæ, tum quia non eſſet ſucceſſiuus ille motus, ſed inſtantaneus, & ideò non eſt contra propoſitum noſtrum.

28 Tertiò, ſaltim actiones liberæ, & ſucceſſiuæ non ita incipient, quia quando incipiunt ſunt in ſenſu compoſito neceſſariæ, nec amplius illarum inceptio eſt in poteſtate voluntatis, at in vltimo non eſſe verè ſunt in voluntatis poteſtate, quia poteſt voluntas illas non elicere in tempore ſequenti, ergo &c. Tum quia nunquam poterit videri initium curſus, contra communem conceptum, quia ſi videretur curſus pertranſijt, & dum curſus non eſt actualis, vt eſt in vltimo non eſſe, nec poteſt videri initium curſus, quia non eſt curſus. Reſpondemus neg. aſſumptum, cuius probatio valeret, ſi inciperent intrinſecè, neque ex hoc, quod actio libera poteſt non ſequi in tempore ſequenti, ſequitur non eſſe illud inſtans vltimum non eſſe, quia in tantum eſt vltimum non eſſe, quatenus dicit ordinem ad exiſtentiam immediatè ſequentem, & ſi non erit actio libera, nec illud iſtans erit vltimum nõ eſſe, & hoc valet in quolibet motu, quatenus poteſt non ſequi, ſi Deus ſuſpenderet ſuum concucurſum. Ad Confirm. initium curſus propriè non videtur, ſed ſolum prima pars determinata motus, videtur, non ſimul, ſeu ſucceſſiuè, & hæc vulgo initium vocatur.

Quamuis autem clarum ſit, non poſſe motum, vt ſucceſſiuum reperiri ſecundum aliquam partem in primo, & vltimo inſtanti vt dictum eſt, attamen eſt dubium, an ſaltim in iſtis inſtantibus reperiatur, etſi non aliqua pars motus, aliquid tamen illius, puta aliquod mutatum eſſe, ita vt detur primum mutatum eſſe initiatiuum motus & vltimum terminatiuum; & quidem quo ad vltimum mutatum eſſe communis. Opinio eſt affirmatiua, ratio eſt, quia in vltimo inſtanti motus ſemper acquitur aliquod indiuiſibile termini per motum acquiſiti, ſic in motu locali adeſt illud vbi adæquatum, in quo poſtea mobile quieſci, & in quantitate, vel qualitate acquiruntur indiuiſibilia terminatiua quãtitatis, vel qualitatis acquiſitæ per motum, ergo datur aliquod mutatum eſſe, quo indiuiſibile illud vltimò acquiritur.

29 Verùm quo ad primũ mutatũ eſſe plurimi negatiuã defendunt, ſic Conimbr. 6. Phyſ. c. 5. q. 1. Tol. q. 4. Ruu. c. 5. q. vn. Morif. diſp. 7. Phyſ. qu. 12. & Fuentes 6. Phyſ. q. 2. diff. 3. cum Ariſt. 6. Phyſ. 45. & ſequentibus,

tibus, dicente, non dari in motu primum mutatum esse, sed ante omne mutatum esse dari moueri, & è contra, quod etiam inuuit Scot. 2. dist. 2. q. 4. O. explicans motum in qualitatibus.

Attamen si per mutatum esse intelligatur solum illud indiuisibile motus quod subiectũ denominat habuisse motum, quomodo in rigore accipitur, id enim mutatum esse dicitur, quod iam habuit formam aliquam, sic non datur primum mutatum esse, quia in illo instanti initiatiuo nulla pars nouæ formæ datur in subiecto, at si per mutatũ esse intelligatur quodlibet indiuisibile motus, tunc affirmamus cum Scoto in 2. d. 2. q. 12. in fine, dicente, quòd non est dare primum initians motum, vbi datur immutatio, quæ est terminus quietis præcedentis, sed vbi ad quietem sequitur mutatio instantanea ibi non est dare instans immutationis terminans quietem præcedentem; quam opinionem sequuntur Masius 6. Phys. c. 10. sect. 2. qu. 4. Plaxa disp. 2. qu. 1. & Auersa qu. 30. Phys. sect. 3. quapropter quia in motu locali non datur aliquod indiuisibile primò acquirendum, quia post superficiem illam ambientem mobile sequitur spatium diuisibile, impossibile est in tali motu dari primum mutatum esse; sic etiam quando fit intensio alicuius qualitatis alteram eiusdem speciei terminatam proprio indiuisibili præluppponentis in subiecto, vel in augmentatione non datur primum mutatum esse, quod primò acquiritur, est pars diuisibilis formæ, & de istis motibus intelligendi sunt Arist. & Scotus loc. cit. At si esset aliqua forma totaliter acquisibilis à mobile, haberet vtique sua indiuisibilia terminatiua, & in acquisitione actuali priùs acquiritur indiuisibile terminatiuum, & initians, quàm pars aliqua, ergo in tali casu dabitur primum mutatum esse, quia indiuisibile nequit in tempore acquiri, sed in instanti, vt dicemus art. vlt. Resp. Aliqui mutationem illam non pertinere ad motum subsequentem, nisi extrinsecè, ideoque non posse dici initiatiuam illius. Contrà, terminus acquisitus per illam mutationem est aliquid intrinsecè pertinens ad formam acquisitam per motum illum, etsi non vt pars, saltim vt terminans, ergo intrinsecè spectabit ad motum, non quidem, vt pars, sed vt initium illius, vnitas enim motus ab vnitate termini maximè pendet, sicut mutata esse continuatiua dicuntur ad motum pertinere, eo quia acquiruntur per illa indiuisibilia continuatiua formæ, acquiritur ergo in primo instanti indiuisibile primum absque vlla parte formæ; neque implicat dari indiuisibile aliquod solitariè pro illo instanti solùm. Ex qua doctrina rectè percepta soluuntur argumenta Ruuij, quorum vis consistit in hoc, quod mutatum esse debet fieri cum partibus motus, quod est verum, si intelligatur vel de partibus præcedentibus, vel immediatè subsequentibus.

Dices, mobile per horam localiter quiescens potest in vltimo instanti moueri, ergo in motu locali dabitur quoque primum mutatum esse. Item si canis è turri descenderet, & in medio moriatur, vel si lignum aliquod in medio motus in lapidem conuerteretur in instanti, datur instans, in quo valet dicere, nunc primò est cadauer, vel lapis, & in eo instanti mouetur, quia motus ille est continuus, ergo in tali casu motus localis cadaueris; vel lapidis habet primum mutatum esse. Respondemus, casum illum possibilem esse de motu locali includente solam realitatem termini motus, non verò totam realitatem motus, vt disput. seq. q. 6. immo posset quoque deinde continuè localiter moueri, quo casu verè motus localis haberet primum mutatum esse, sed hoc nequit, nisi à Deo fieri; Exemplum canis non vrget nos ponentes plures formas substantiales in viuentibus; lapis tamen ille propriè non dicetur localiter mutatus, quia non præfuit antea sub priuatione, quod requiritur ad rationem mutationis realis, vt disp. seq. q. 2.

ARTICVLVS III.

De Inceptione, & desitione permanentium rerum, & diuisibilium.

30 RESpermanentes diuisibiles sunt in duplici differentia, quædã enim accipiũt totum esse simul, & simul totum esse desinunt, vt animata in generatione, & corruptione totali, quæ minimum sibi determinant, aliæ verò acquirunt esse successiuè, & per partem post partem, vt ea omnia, quę minimum sibi non determinãt, vt composita substantialia, & formæ, tam substantiales, quã accidentales, quę adhuc dupliciter considerari possunt, primò, vt entia quædam certa, & determinata, ac completa sunt, & sic dicunt aliquod ens completum proprio indiuisibili motũ terminans siue acquisitiuum, siue deperditiuũ; secundo vt quid incertum, indeterminatum, & incompletum, dicunt, quomodo significant ens sine proprio indiuisibili completiuo, & vt actuali fluxui, & motui substat; exemplum, frigus, vt quatuor, vel cõsideratur, vt habet partes illas intensiuas, secundum quas successiuè acquiritur, vel prout est aliquod intesiuum integratũ ex quatuor gradibus cõpletis, & proprio indiuisibili intẽsionis terminatis. Hoc notato.

Dicimus 1. permanẽtia, quæ simul accipiunt esse, & illa composita, quę successiuè, si considerentur, vt entia perfecta, & completa sunt, intrinsecè incipiunt, & extrinsecè regulariter desinunt; ita colligitur ex Scot. in 2. d. 2. q. 4. & in 4. d. 43. q. 5. in fine, & quol. 12. art. 3. Prob. 1. de illis, quę simul accipiunt esse, quia si totũ esse simul habẽt, ergo valet dicere, nunc res est, antea non erat; De cõpositis totaliter cõsideraris idẽ probatur, quia vt sic considerantur ad modum indiuisibilium, tunc enim primò res completa intelligitur, cùm proprium acquirit indiuisibile terminans, & complens illam, sed acquisitio indiuisibilis est tota simul, & intrinseca, ergo &c. Accedit, quòd dum res in tempore acquiritur, nunquam habet esse completum, sed incompletum, & imperfectum; ergo in tempore non potest incipere, vt habet esse perfectum, aliter simul perfectum, & imperfectum esset, antecedens Prob. in tempore res substat motui successiuo, qui dum durat, non est terminatus, sed continuus fluxus; ergo quod acquiritur existente motu, non est perfectum adhuc, sed imperfectum; quo ad desitionem etiam patet, quia si in indiuisibili consistunt, possunt totum simul amittere, esse vnde valet dicere, nunc non est res, antea erat. Diximus regulariter quia possunt etiam intrinsecè desinere, vt in seq. art. Idem quoque dicendum quo ad inceptionem de formis certis in subiecto certo, & determinato, at quo ad desitionem est aliqualis differentia, vt in 3. concl. Quomodo autem incipiant formæ in subiecto, si vnum istorum, vel ambo sint incerta, & indeterminata, dicimus in lib. de Gen. cum de successione alterationis, & generationis loquimur.

31 Dicimus 2. quę sibi inuicem succedunt, siue formę sint distinctę, & contrariæ, siue forma, & priuatio, nunquam possunt incipere, & desinere intrinsecè per primum esse, & per vltimum esse, quia vel duo instantia immediata, vel materia sine illis, vel simul cum illis daretur; nec etiam possunt propter eandem rationem desinere, & incipere extrinsecè per primum non esse, & per vltimum non esse, sed necessariò, si vnum habet primum esse, alterum habebit primum non esse, quod erit idem instans incipienti intrinsecum, definenti extrinsecum, vel si vnum habet vltimum non esse, alterum habebit vltimum esse, quod instans erit primo extrinsecum, secundo intrinsecum; ita habet Scot. quol. 12. art. 3. L.

32 Dicimus 3. si forma certa in subiecto certo desinat per aduentũ contrariæ formæ, cuius primum indiuisibile per primum mutatum esse acquiratur, sic quatenus determinata, & secũdũ totalem desitionẽ definit per primum non esse licèt secundũ partes, & vt indeterminata est, definat per vltimum esse; at si non definit propter aduentum formę contrariæ, quæ primum mutatum esse habeat, potest, immo regulariter definit per vltimum esse. Hæc Concl. quo ad formam certam secundùm totalem desitionem est cõtra Conimbr. cit. q. 2. art. 4. & Amicum tract. 16. qu. 8. diff. 2. art. 3. colligitur tamen ex dictis in 2. Concl. quia hoc, quod est esse certam formam formaliter dicit illud indiuisibile completiuum, quod expellitur per indiuisibile oppositum, iuxta dicta in præc. art. sed istud incipit per primum esse, ergo illud definit per primum non esse secundum etiam totalem desitionẽ definit extrinsecè, quia tunc forma contraria habet esse perfectum totale, & incipit intrinsecè, vt dicebamus in prima concl. cum Scoto. At secundum partes definit intrinsecè, quia forma contraria secundum partes incipit extrinsecè: tandem quòd si per aduentum contrariæ formæ non desinat, tunc intrinsecè regulariter amittat esse, patet, quia indiuisibilẽ indifferens est ad vtrumq; modum definendi, vt in seq. art. & sicut quod totum esse simul accipit, regulariter definit extrinsecè, sic illud perfectum, quod amittit esse per partes, vt plurimum definit intrinsecè: quapropter, & in instanti aliquo potest corrumpi indiuisibile cõplens, & in tempore sequenti pars formæ, vel post instans potest incipere corruptio indiuisibilis complentis, & partis formæ.

Ex qua doctrina deducitur differentia inter desitionem formæ successiuè acquisibilis, & amisibilis, quod ens successiuum per accidens dicitur, & inter tempus, & motum, quæ sunt per se successiua, nam licèt vt successiuè acquiruntur illæ formæ, incipiant ad motum temporis, & motus per vltimum non esse, non tamen eodem modo desinunt, nam formæ illæ desinunt intrinsecè, motus verò, & tempus extrinsecè, ratio est, quia in inceptione illæ formæ sunt termini motuum, qui cum sint acquisitiui, ad esse illarum terminantur, at in desitione termini motuum sunt non esse illarum, cùm sint deperditiui, & consequenter non possunt simul esse, sed cum incipit motus deperditiuus, v.g. caloris, incipit etiam non esse caloris, qui est terminus ipsius.

ARTICVLVS IV.

De inceptione, & desitione rerum indiuisibilium.

33 INdiuisibilia alia sunt indiuisibilia solũ secundũ durationem, nõ secundum entitatem, vt mutationes instantaneæ, quæ solùm in instanti durant, ac partes habent entitatiuas, sicut termini, per illas acquisiti, vt disp. seq. q. 6. alia sunt indiuibbilia secundum entitatem, & durationẽ simul, quæ partibus carent entitatiuis, & tantũ per instans existunt, vt mutata esse in motu, & instantia in tempore, alia sunt indiuisibilia secundum entitatem, sed non secundum durationem; vt quæ partibus entitatiuis carent, sed diu possunt permanere, quæ à Scoto quol. 12. art. 3. indiuisibilia permansiuè vocantur, & ista, vel sunt formaliter, & virtualiter indiuisibilia, quæ nec habent partes, nec pluribus possunt æquiualere, vt indiuisibilia continui; vel formaliter tantũ sunt indiuisibilia, quia verè nõ habẽt partes, sed virtualiter diuisibilia, quia habẽti plures partes æquiualent. vt Angeli, anima rationalis, &c.

De indiuisibilibus primi, & secundi generis commune est apud omnes, incipere, & definere intrinsecè: ita Scotus quol. cit. & 2. d. 2. q. 4. ad secundum princip. & patet, quia quando sunt incipiunt esse, & totaliter sũt, quia carent partibus duratiuis, ergo valet dicere, nũc est instans, antea non erat; tum quia si extrinsecè incipierent, haberent esse in tempore, & consequenter vel tẽpus indiuisibile esset, vel instans partes haberet, cũ mẽsura proportionati debeat mensuratio; tum quia est cõtra rationem formalẽ ipsorum extrinsecè incipere, non enim essent indiuisibilia secundũ durationẽ, vndè nec de potentia Dei absoluta possũt extrinsecè incipere. Similiter desinunt intrinsecè per vltimũ esse, nã si per primũ non esse desinerent, vel darentur duo instantia immediata, vel ista indiuisibilia in tempore permanerẽt, quæ omnia sunt absurda. Idem ergo instans mensurat simul inceptionẽ, & desitionẽ istorũ, neq; est inconueniens, quia vt diximus in 1. art. negatio non esse cadit supra præteritum, & futurum, at affirmatio esse cadit supra præsens.

34 Dices, vel non esse precedens immediatè vnitur cũ nõ esse sequẽti, & tùnc nunquã istud indiuisibile existeret, quia non esse ipsius nunquã fuit interruptũ, vel mediatè, & sic per instans distarent, in quo indiuisibile habet esse, quod est falsum, quia instans non facit maiorẽ durationem, sicut nec punctum maiorẽ lineã, ergo nec distãtiã. Tum quia Arist. 8. Phys. 61. & seq. negat, duas mutationes oppositas, videlicet generationẽ, & corruptionẽ eiusdẽ cõtinuas esse; sed necessariò, ait, tẽpus mediare, & in fine illius c. ait, nihil esse à natura productum, vt statim fluat, ergo &c. Resp. vniri immediatè prout distantiã successiuam excludit, non verò distantiam indiuisibilem, & instantaneam, sicut partes continui immediatè vniuntur, quia non per aliquod extensiuum medium, absolutè verò vniuntur medio aliquo cõmuni, quod est vtriusq; vinculũ; cũ dicitur, instans non facit maiorem durationem, verum est de duratione successiua, absolutè magis coexistit tẽpori Angelus durans per horã, & istans terminatiuum, quàm si per horam tantũ duraret, vt disp. 9. q. 2. dictum est. Ad cõfir. resp. Scotus quol. cit. quod Arist. ibi solùm intendit probare, quod non possunt generatio, & corruptio esse vna mutatio vnitate termini, sed benè potest corruptio consequi generationem, non vt eadem mutatio continua, sed diuersa. At quamuis Scotus quærat saluare Arist. saltim in mutationibus substantialibus; quòd loquatur de continuitate motus sumpta ex parte termini; re vera tamen Intentum Arist. videtur esse, quòd semper in mutationibus oppositis debeat interponi quies, licèt hoc solùm probet rationibus probabilibus; quare negatur illa propositio Arist. vt dicimus in lib. de Cęlo; quod addit in fine cap. debet intelligi de entibus permansiuè existentibus, immo nec de ipsis absolutè, vt infra. At indiuisibilia tertij generis regulariter incipiunt per primum sui esse quia carẽt partibus, & totũ simul accipiunt esse, desinunt verò per primũ nõ esse, quia possunt diu permanere, vndè nõ est necesse, vt idẽ fit instãs inceptionis, & desitionis; & quia totũ esse simul acquirũt, ideoq; in instanti, magis cõsentaneũ videtur esse naturæ ipsorũ, quò etiam in instãti amittant esse.

35 Dubium tamen est, an per diuinam potentiam absolutã possint per vltimum non esse, & in tempore incipere, & definere per vltimum esse; circa quod Greg. in 1. d. 17. q. 2. art. 2. Conimbr. 8. Phys. c. 8. q. 2. art. 5. & 6. Scotus 6. Phys. q. 3. Tol. q. 4. Compl. disp. 26. q. 4. Fuent. q. 2. diff. 3. art. 3. & alij affirmatiuè respondent quoad vtramq; partem; quod etiam innuit Lichet. & Tatar. quol. 12. ar. 3. & Suar. 3. p. t. 3. disp. 8. sect. 2. in tertio modo. At Ferrar. ex opposito 3. contra Gentes c. 65. Vasq. 1. p. disp. 229. c. 10. Vallesi. 8. Phys. c. 1. & cõtr. 96. ad Tyrones negatiuè ad vtrũq; respondent, Auersa verò q. 30. sect. 2. suppositis indiuisibilibus mediat inter istas opiniones, distinguit enim de rebus, nam aliæ sunt, quæ primò fiunt, & non amplius à sua causa proxima conseruantur, aliæ, quæ continuata actione conseruantur; primæ, inquit, debent omninò per primum esse incipere, ita vt oppositum sit impossibile, at secundę possunt etiam per vltimum non esse incipere; quo ad desitionem verò admittit vtroq; modo definere posse: at absolutè loquendo, quia negat in continuo indiuisibilia, de facto incipiunt, ait, totæ simul in tempore, ac si essent in vno instanti indiuisibili. Amicus tamen tract. 16. qu. 7. dub. 2. art. 4. quo ad desitionem vtrumq; concedit, at quoad inceptionem distinguit, quòd indiuisibilia formaliter, & virtualiter diuisibilia possunt per vltimum non esse incipere, non tamen per productionem instantaneam, idest formaliter, & virtualiter indiuisibilem.

Dicimus tamen quamuis omne indiuisibile definere possit intrinsecè per vltimum esse, nullum tamen etiam de potentia Dei absoluta potest extrinsecè incipere per vltimum non esse. Hæc conclusio quo ad desitionem est Scoti 2. d. 2. q. 4. ad princ. & quol. 12. art. 3. quem omnes ferè Recentiores sequntur; & prob. non repugnat, quia indiuisibilia sunt, nam instantia mutata esse, & instantaneæ mutationes sunt huiusmodi, & tamen intrinsecè desinunt, vt diximus; neq; quia indiuisibilia permansiuè sunt, etenim sicut tempori coexistere possunt, & cuilibet instanti continuatiuo, ita etiam poterunt instanti terminatiuo coexistere præcipuè quia multæ res, quandiu perseuerant, hoc modo desinunt ex dictis, & tandem, quia nulla apparet implicantia.

36 Quoad incæptionem verò colligitur ex Scoto 2. d. 2. q. 1. ad 1. pro 1. opin. & quol. 12. art. 2. vbi habet, creationem, seu productionem nouam per hoc à conseruatione distingui quia illa supra respectum ad causam addit respectum ad non esse immediatè præcedens, hæc verò respectum ad idem esse, vt præhabitum; ex quo postea deducit, creaturam in primo instanti solũ propriè dici esse creatã, sed in tẽpore immediato conseruari, ergo per Scotum vera creatio, & productio entis indiuisibilis instantanea esse debet; verum est tamen quòd Scotus in hoc videtur problematicus, nam locis infra citandis contr. resp. ad 2. oppositum videtur asserere, & clarè in 2. d. 6. q. 1. §. *De secundo art. &c.* vbi quærens, an Angelus peccauerit in instanti, vel in tempore, refert duas opiniones, prima est quòd necessariò in instanti peccauit, quia quando subiectum, & terminus sunt indiuisibilia, nulla est causa successionis secunda, quòd peccauerit in tempore, quia nulla virtus creata agit in instanti, subiungit, neutras rationes concludere, & se refert, in 3. d. 3. q. 1. cum ergo variè sit locutus, possumus quamcunq; opinionem sequi, magis tamen placet opinio negatiua, vt potè principijs Scoti conformior, quam sequuntur Ruuius 6. Phys. tract. de incæp. & & desit, ierum. Masius 6. Phys. sect. 2. q. 10. Prob. ex doctrina adducta ex Scot. si hoc esset, ergo Angelus v.g. in tempore inciperet, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela patet, falsitas probatur, tempus correspondens toti productioni, pro vt à conseruatione distinguitur, est diuisibile in partes priores, & posteriores, vel ergo productio exercetur in secunda parte, vel non; si secundum, ergo productio non coexistit toti illi tempori, si primum, vel producitur nouum esse Angeli, vel idem omninò permanet; non primum, quia entitas angelica diuisibilis esset, si secundum, ergo tunc non producitur, quia de ratione productionis nouæ, pro vt à conseruatione distinguitur, est, quòd ipsa mediante primò communicetur esse rei, & ordinem immediatum dicat ad non esse præcedens, potius igitur conseruatur, cùm respiciat esse præhabitum: quæ ratio est Arist. 6. Phys. cap. 5. vt vidimus in textu.

Respondet Greg. dupliciter intelligi posse, Angelũ in hoc sensu produci totum simul, vel propriè, quando scilicet verè, & propriè contingit enunciare de præsenti, quòd Angelus producitur primò, & hoc modo negat in tempore posse produci; vel impropriè, quod solùm de Angelo enunciatur præteritum, videlicet, Angelus totus fuit productus, absque eo quòd possit assignari, quando primò fuit productus, & concedit. Conimbr. respondet, Angelum in tempore produci, non quia acquirat partes post partes, sed quia productio ad totum esse simul terminata existit, dum tempus fluit. Alij dicunt, incipere in tempore indeterminato, non determinato, & quia in tali tempore non potest medietas assignari, ideò in toto illo tempore debet dici incipere, vt diximus de formis incertis art. præcedenti, vel si datur aliqua pars temporis correspondens, non tamen à nobis cognoscitur.

37 Istæ responsiones ferè in vnam coincidunt, admittunt enim Angelum in tempore produci in hoc casu, non tamen quòd sit assignabile, cùm sit indeterminatum. Contrà, cùm de ratione formali nouæ productionis, vt diximus, sit, quòd res primò incipiat esse post non esse, ergo debet dari tempus correspondens isti productioni, in quo Angelus primò accipiat esse, quod licèt à nobis non possit cognosci, cognosceretur tamen à Deo, quia cognosceret productionem ipsam; quando exercetur, & partem illam temporis actu tunc existentem; sed non est dabilis pars ista, ergo &c. Minor prob. pars ista, siue determinata sit, siue indeterminata, includit in suo conceptu prioritatem, & posterioritatem partium in infinitum, hoc enim est de ratione successiuæ durationis, ergo productio omninò indiuisibilis non potest illi correspondere ob rationem assignatam; nec valet paritas de forma indeterminata, quia hæc diuisibilis est & consequenter licèt non possit certa medietas assignari in tempore illo indeterminato, attamen prioritas, & posterioritas partium in tẽpore rectè concipiuntur coexistere productioni formæ indeterminatæ, quia hæc quoque talem prioritatem partium indeterminatam includit, non sic productio indiuisibilis. Tum quia implicat, quòd de aliqua re demonstrata sit verum dicere de preterito, hoc fuit acquisitum, nisi de præsenti aliquando fuerit verum dicere, hoc acquiritur, aliter vt dicit Arist. 6. Phys. 7. & 8. contingeret aliquando, quòd aliquis transiuit A, nõ aliquando transiens A, & quòd iuit ad A, qui tamen nunquam fuit iens ad A, ergo implicat, Angelum dici posse productum, quin aliquando potuerit dici, producitur, ergo assignari debet mensura aliqua in qua primò producatur, talis non potest esse tempus ex dictis, ergo &c. Tum quia actio diuina non coexistit in ratione productionis toti tempori, cui Angelus dicitur coexistere, sed vni parti in ratione productionis, alteri in ratione conseruationis, ergo conseruatio habebit aliquod instans, vel intrinsecum, vel extrinsecum, ergo tempus coexistentiæ productioni erit quid determinatum inclusum inter instans, quod est vltimum non esse Angeli, & instans initiatiuum conseruationis, siue extrinsecum, siue intrinsecum. Tum quia potest res ita à Deo produci, vt non conseruetur etiam secundum Aduersarios; dentur ergo tres productiones immediatè sibi inuicem succedentes, quid correspondet ex parte nostri temporis? non tria instantia immediata, quia non dantur, ergo primæ correspõderet instans, secundæ pars temporis, & tertiæ aliud instans, & tamen res illæ productæ æqualiter durarent, cùm solùm producantur, & non conseruentur, ergo non potest secunda ita immediatè succedere primæ, vt pars aliqua temporis non correspondeat, quæ pars tamen adhuc determinata, non indeterminata esset.

38 Amicus, & Auersa aliter respondent quando enim actio, aiunt est simul productio & conseruatio, quia eadem indiuisibilis perseuerat, quomodo virtualiter diuisibilis dicitur, non esse necessarium, conseruationem à productione distingui pro omni signo, vt patet, tum in productione æterna, si Angelus æternus foret, tum in productione temporanea, & successiua alicuius diuisibilis formæ, in qua non est assignabilis pars aliqua temporis coexistens productioni, quin etiam sit præsens conseruationi, sed si productio dici debet, hoc erit, quatenus dicit ordinem ad tempus præuium in quo non erat res, non verò in ordine ad tempus, cui realiter coexistit, in quo non est dabilis prima pars, cui primò coexistat.

Contrà, vt habet Scotus quol. cit. F. Supra eandem actionem toto durationis tẽpore permanentẽ, in quo existit Angelus, quando est noua actio, & non æterna, fundantur isti respectus, & terminantur ad nõ esse immediatè præcedens, quomodo dicitur productio denouo, & ad esse præhabitum, & dicitur conseruatio, & impossibile est, actionem nouam diu durantem non dicere respectus istos (quamuis in produc-

ctione æterna non distinguantur inter se productio noua, & conseruatio, cùm non adsit nouitas essendi, ratione quorum productio, & conseruatio simul de eadem re prædicati non possunt (ergo etiam in hoc casu debet dari productio Angeli à conseruatione distincta, quia verè esse Angeli succedit post non esse immediatè, & quia diu durat, verè dicit ordinem ad idem esse præhabitum; non potest autem dici primò produci in vltimo non esse, quasi quod in illo intrinsecè incipiat, quia tunc productio non est, nec Angelus primo existit, neque dicere tunc potest ordinem ad non esse immediatè præcedens, quia adhuc reperitur non esse Angeli, neque potest dici primò produci in tempore immediatè sequenti, quia non datur prima pars, in qua possit dici primò incipere esse totum simul, vt probatum est, ergo &c. Exemplũ de productione æterna non est ad propositum, quia est sermo de temporali, in qua adest essendi nouitas; exemplum de successiuis in tempore productis est ad oppositum, in ipsis enim est fieri, & conseruari, quia sunt in cõtinuo fluxu, & semper adest noua, & noua pars succedens, ex quo formatur hæc ratio; ideo successiua possunt In tempore produci, quia habent nouitatem essendi successiuam in toto illo tempore, qua ratione semper dicunt ordinem ad non esse partiale immediatè præcedens, ergo indiuisibilia, quia carent nouitate ista essendi, non possunt dici in tempore diuisibili primò produci; sed solùm in instanti.

39 Istæ rationes vniuersaliter concludunt, tam contra Auersam, quàm contra Amicum; tum quia productio cuiuslibet indiuisibilis etiam quod continuata actione conseruatur, debet esse simultanea, & consequenter instantanea; immo cùm nulla res sit, quæ à Deo non dependeat in fieri, & conseruari, debebat Auersa absq; distinctione loqui, & vniuersaliter negatiuè respondere quæsito de entibus permanentibus; Tum quia indiuisibilia formaliter, & virtualiter diuisibilia solùm ita dicuntur, quatenus diu possunt durare, & eodem modo actio, qua habent esse à Deo, dicitur virtualiter diuisibilis, ex quo sequitur tantum indiuisibilia ista non solùm produci, verum etiam conseruari posse, & actionem illam non solùm productionem dici nouam, sed quoq; conseruationem, non tamen quòd actio illa, vt productio noua sit conseruatio, & indiuisibile, vt conseruatur, etiam producatur, reduplicatiuè loquendo.

Ex qua doctrina deducitur, rem siue diuisibilem, siue indiuisibilem, dummodo tamen indiuisibiliter producatur, scilicet per primum sui esse, posse per solum instans durare, quod sit primum, & vltimum esse ipsius; ita Scotus quol. cit. art. 3. Et Reg. Paris. 8. Phys. q. 2. collat. 2. in fine, & patet est victis, quia possunt istæ res hoc modo incipere, & desinere; tum quia instans temporis, & mutata esse hoc modo durant, ergo idem potest de alijs affirmari, cùm nulla adsit disparitas, tum quia productio, & conseruatio ejusdem rei, provt illos distinctos respectus includunt, sunt realiter distincta, ergo vt sic possunt ad inuicem separari. Antecedens patet, quia sunt ad terminos realiter distinctos. Tum quia potest nostra voluntas elicere vnum actum vt solùm per instans duret aliter si deberet illum necessariò continuare, si talis actus esset peccaminosus, tunc homo esset extra statum propriæ salutis, neque viator dici posset, quia non posset non esse peccator. Neque dicas, August. lib. 4. sup. Gen. ad lit. c. 11. afferere, Deum mouere creaturam spiritualem per tempus, quare non producet solùm per instans: & Arist. supra adductum dicentem, naturam nihil producere, vt statim non fit. Etenim D. Aug. ex Scoto 2. d. 2. q. 4. in fine per tempus intelligit id omne, quod accipit esse post non esse, quo sensu durans tantum per instans, in tempore existere dici poterit. Dictum verò Philos. ex Scot. quol. 12. R. de agentibus naturalibus aliquod permanes producentibus, non de liberis, & hoc quia agens naturale influit ad productionem, & conseruationem, corruptio autem prouenit ab agentibus corruptiuis, quæ in illo instanti, vel sunt approximata, & consequenter non possunt in tempore immediatè sequenti agere, vel si sunt approximata, non vincunt virtutem agentis producentis, quia sic impedirent etiam productionem; ad vincendum autẽ postea agens contrarium requiritur tempus, immò, & augmentum virtutis, ex quo patet, quod non valet de causis liberis.

40 In oppositum instatur 1. quod indiuisibile non possit intrinsecè desinere; indiuisibile totum esse simul habet, ergo totum esse simul amittit, non per partes post partes, ergo in instanti, & per primum non esse, non in tempore, & per vltimum esse. Tum 2. quia concursus Dei indiuisibilis prorsus est respectu Angeli, ergo subtractio illius debet esse indiuisibilis. Tum 3. quia debet omnino assignari, quando primò Angelus annihilaretur, non enim sunt idem annihilari, & annihilatum esse, nam differunt sicut productio, & conseruatio eiusdem esse, vt pro instantanea productione supra arguebamus; saltim Deus cognoscit mensuram istam, in qua primò suspendit suum concursum, talis non potest esse tempus, quia est diuisibile in infinitum, ergo instans. Tum 4. quia esse, & non esse Angeli sunt indiuisibilia contradictoriè opposita, quorum regula est, vt eadem durationis mensura possit esse, vt ostendit Philos. de motu, & quiete 6. Phys. 67. & seq. quæ rationes faciunt contra incæptionem in instanti: si v. g. argueretur ex hoc, quod desitio potest esse in tempore, ergo & productio.

Respondemus, si istæ rationes valerent, concluderent etiam de desitione instantis, & mutationum pro instanti durantium; quare dicimus disparitatem esse, quia productio est actio positiua, realis, & determinata, realem, positiuum, & determinatum effectum habens, ideoque determinatã durationẽ postulans; at annihilatio est actionis negatio, nec ad aliquod esse, sed ad non esse terminatur, quod nec determinatam actionem, nec determinatam durationẽ petit, sed potest siue in tempore, siue in instanti haberi, sic non esse motus, non prout dicit priuationem, sed simplicem negationem, & fuit ab æterno, & incipit intrinsecè, quãuis sit negatio alicuius successiui, cui repugnat intrinseca incæptio, vt diximus supra: ad arhumentũ ergo distinguimus consequens, amittit totum esse simul, idest non per partes, & partes, & concedimus; simul, idest in instanti, negamus; per idem ad secundũ. Ad 3 annihilari, & annihilatum esse in Angelo solum per nostrum modum concipiendi differunt, nec est necesse, vt detur prima omnino annihilatio, at in productione debet dari prima productio, quia verè terminatur ad esse reale indiuisibile de nouo accipiens esse; neque Deus cognoscit istam primam partẽ temporis indeterminatam, quia nõ datur. Ad vltimum dicimus, opposita contradictoriè non mensurari necessariò eadem duratione, sed opposita priuatiuè, vt sunt motus, & quies.

41 Secundò obijcitur, quod possit Angelus extrinsecè incipere; Creet Deus vnum Angelum in instanti, immediatè post, vel potest alterũ creare, vel non; si primũ, habetur intentum, si secundũ, ergo tunc Deus necessariò, & non libere quiesceret. Tum 2. quia Angelus nullam dependentiam dicit ad tempus, sed solum coexistentiam quandam extrinsecam, ergo etiamsi extrinsecè producatur, non potest ab illo dependere in esse, vel produci. Tum 3. quia D. Aug. 8. super Gen. ad lit. c. 19. vult, quod aer non est factus lucidus à Sole, sed sit lucidus, alioquin remaneret lucidus recedente Sole, sed eodem modo videtur creatura quælibet à Deo dependere, ergo quælibet creatura semper fit, & consequenter productio ipsius potest tempori coexistere. Tum 4. quia detur aliquod obstaculum impediens illuminationem medij, potest Deus illud destruere per vltimum esse, & intrinsecè, & in eodem tempore luminosum aget in medium, cum sit agens naturale, lumen autẽ nõ est per partem post partem producibile, sed totum simul, ergo &c. Idem casus esset, si Angelus in instanti productus aliceret immediatè post aliquam intellectionem, aliter non esset in statu viæ (supposito, quod in gratia non esset confirmatus) quia non posset statim mereri.

Respondemus, in casu nõ posse Deũ alterũ Angelum creare, non ex parte sua, sed ex parte Angeli, quia sic petit natura ipsius Angeli, Deũ vero tunc nessariò quiescere non simpliciter, sed ex suppositione, sicut supposito, quod nunc producat aliquod indiuisibile secundũ durationem, nequit postea immediatè alterum producere, & supposito, quod diuidat continuum in aliquo puncto, nõ potest facere diuisionem immediatè post, quia non datur alterum indiuisibile immediatum. Ad 2. Angelum extrinsecè aliquo modo à tempore dependere per coexistẽtiam, vnde à posteriori argueremus partes in ipso Angelo, si in tempore produceretur. Ad 3. resp. Scotus quol. 12. D. quod fieri dupliciter sumi potest, primò quatenus idem est, quod dependere in esse, & hoc modo commune est ad productionem, & cõseruationem, & intelligitur D. Aug. secũdò pro dependere nouiter, & in hoc sensu solũ productioni conuenit, & de creatura in primo instanti dici potest, deinde vero dicitur creatura in facto esse, quod erit conseruatio ipsius. Ad 4. dicimus, in his casibus, & lumen in tempore produci, & intellectionem, non quidem secundũ omnes partes simul, sed per partem post partem, quia lumen est extensiuè, & intensiuè diuisibile, intellectio autẽ intensiuè solum, quod sufficit, vt possit successiuè produci, sicut & intendi.

42 Contra, Scotus in 2. d. 2. q. 4. §. *Contra conclusionem, &c.* arguendo contra Henr. ponentem intellectiones Angeli mensurari nunc temporis discreti, quod nunc ponebat necessariò coexistens parti temporis nostri, ait, quod intellectus potest vtique elicere vnam intellectionem in vno instãti, & immediatè post elicere aliam, & quia æuo mensurantur, ideò inquit, habebunt primum esse in æuo, licet secundæ intellectioni nulla prima pars correspondeat temporis nostri; idem repetit ad 2. princ. & in 3. dist. 3. q. 1. B. ait, quod Beata Virgo poterat in primo instanti suæ conceptionis esse sub peccato originali, & in tempore immediato in gratia, quæ tamen non successiuè, sed indiuisibiliter produceretur, ratione cuius, inquit ipse mutatio illa propriè, nec erit motus, nec mutatio; non mutatio, quia est in tempore, nec motus, quia non est successio, neque ex parte subiecti, neque ex parte formæ, quæ authoritates directè oppugnant nostram sententiam.

Respondemus ad 1. locum, intentum Scoti ibi tantum esse ostendere contra Henr. sine ratione ipsum ponere nunc temporis discreti necessariò parti temporis nostri coexistere, nam si nos possumus elicere intellectionem per instans, multo magis Angelus, cum sit perspicacioris intellectus; quare non est necesse, vt conseruet intellectionem illam per tempus aliquod & licet postea videatur concedere, intellectum Angelicum posse post instans illud aliam producere intellectionem in tempore immediato, quæ primũ esse habeat in æuo, & non sit assignabili pars prima temporis nostri illi correspondens, hoc tamen dicit supponendo, quod possit hoc facere intellectus noster, nam tunc clarè sequitur, idem posse intellectum angelicum, quo supposito deberet necessariò concedi, productionem secundæ intellectionis coexistere tempori, vnde ait conditionatè; *Sed si statim habet aliã intellectionem, tunc nihil erit temporis nostri coexistens illi secundæ intellectionis*; quod etiam colligitur ex loco allegato ad 2. princip. vbi dat vnam responsionem, quod æuiternum potest durare per tempus, non tamen propter hoc sequitur, quod sit in tempore, quia quod est in æuo, potest durare cum nostro tempore, & deinde subiungit aliam responsionem, & ait, *vel potest dici, quod aliqua intellectio potest inesse Angelo precisè cũ istanti nostri temporis, & deinde post illud instans potest habere aliam, & aliam intellectionem immediatè*, vbi clarè patet, quod secunda responsio est data iuxta dicta in confutatione opinionis Henr. & non ex propria sententia; Authoritas ex 3. magis vrget, sed dicere possumus, loqui de successione prouenente ex partibus ex extensiuis, quæ non adest propter animæ indiuisibilitatem, & gratiæ, sed adest successio ex parte graduum gratiæ, propter quam successionem potest tempori coexistere, & per vltimũ non esse incipere; quod fusè explicat in 1. d. 17. q. 3. & seq. quæ expositio est iuxta dicta Scoti in 2. d. 2. q. 11. arguendo contra D. Tho. vbi ex hoc, quod operatio Angeli, quamuis esset in instanti temporis discreti, coexisteret tamen nostro tempori, arguit, continuam, & successiuam esse; hinc dicendum, Scotum problematicum fuisse.

43 Tertiò, indiuisibilia continuatiua partium in continuo simul producuntur, & tamen in tempore, ergo &c. antecedens Prob. in instanti non est pars altera producenda, quẽ continuari debet præcedenti parti acquisitæ, ergo in illo instanti non datur indiuisibile, quod est nexus illarum partium. Tum 2. quia Pater in diuinis post hoc instans generabit Filium, & tamen non per partem post partem, sed totum simul, ergo non implicat, productionem simultaneam coexistere alicui tempori. Tum 3. quia potest Angelus coexistere loco diuisibili, ergo & tempori diuisibili productio ipsius potest coexistere, quia in ea mensura non repugnat productionem existere, in qua non repugnat terminum existere.

Respondemus neg. 2. antecedentis partem, quia in instanti producuntur indiuisibilia continuatiua formæ per mutata esse motus, aliter productio successiua non esset continua; ad Prob. neg. consequentia, nam indiuisibile non est nexus relatiuus, de cuius ratione est, quod præsupponat extrema, qualis est vnio, sed est nexus absolutus, qui potest præcedere partem connexam. Ad 2. negatur paritas, quia in æterna generatione non adest nouitas essendi, quomodo se habet conseruatio rei permanentis; at in productione temporanea adest nouitas, vt diximus in probatione Concl. Ad 3. solùm sequitur Angelum per suam existentiam coexistere posse durationi diuisibili, quod vltrò concedimus, non tamen per suam primam existentiam, & productionem, existentia enim est indifferens ad terminandam productionem, & conseruationem, & vt sic negatur posse productionem reperiri, quando adest etiam existentia, aliter idem simul conseruaretur, & produceretur; at prima existentia est simul cùm productione, quomodo non potest esse in tempore. Alias rationes adducit Amicus, sed ex dictis facilè soluuntur.

Ex his omnibus potest colligi breuiter corollarium. Modi incipiendi sunt duo, videlicet *primum esse*, quod intrinsecum est, *vltimum non esse*, quod est extrinsecum. Modi desinendi similiter sunt duo, *vltimum esse*, quod est intrinsecum, & *primum non esse*, quod est extrinsecum, habito semper respectu ad existentiam rei. Successiua incipiunt, & desinunt extrinsecè, vt successiua sunt scilicet per vltimum non esse, & primum non esse. Permanentia diuisibiliter acquisibilia, si vt entia quædam completa, & determinata sunt, considerentur, & in subiecto certo recipiuntur, incipiunt per primum esse, & desinunt per primum non esse regulariter: Si verò vt entia incompleta sumantur, incipiunt per vltimum non esse, & desinunt per vltimum esse, si de partiali desitione loquamur, at si de totali, desinunt regulariter per primum non esse. Quæ se inuicem consequuntur, si vnum incipit per primum esse, alterum desinit per primum non esse; si verò per vltimum non esse vnum incipit, alterum desinit per vltimum esse. Indiuisibilia etiam secundum durationem intrinsecè incipiunt, & desinunt, sed indiuisibilia secundum entitatem, virtualiter tamen diuisibilia secundum durationem necessariò incipiunt per primum esse, sed possunt vtroque modo desinere; regulas generales pro incæptione & desitione rerum tradunt Parisienses 8. Phys. q. 2. collat. 2. quarum aliquæ limitandæ sunt iuxta dicta superius.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De Motu.

DEuenimus tandem ad explicationem præcipuæ, & principalis passionis corporis naturalis, quæ est motus, iure meritò huc vsque dilatam, vt omnia, quæ de motu solent à Philosophis pertractari, simul tradere possimus, & primo de motu quoad eius entitatem, passiones, & species agemus, deinde de causis ipsius sermonem instituemus.

QVÆSTIO PRIMA.

In quo consistat formalitas motus.

1 ACcipimus in præsenti disp. motum, quatenus communis est ad motum propriè dictum, & ad mutationem propriè dictam, & vniuersaliter pro eo, quod denominat propriè subiectum moueri: & omissa opinione Antiquorum negantium dari motum in rerum natura, sed omnia, dicebant, quiescere; quam sententiam, quia contra experientiam, non oportet improbare ex professo, nam cognita quidditate motus; clarius ipsius falsitas apparebit; tum quia ipsorum fundamenta, vel militant contra existentiam successiuorum, de qua diximus disp. 13. q. 4. art. 1. vel contra partium infinitatem in continuo, de qua egimus disp. 9. q. 2. Ipsam igitur formalitatem explicemus.

Aduertendum est tamen pro quæsiti decisione quòd in motu multa reperiuntur, in quibus posset poni consistere formalitas ipsius, vt habet Doctor 2. d. 1. q. 5. S. & 4. d. 13. q. 1. F. primò enim sunt tres entitates absolutæ scilicet mouens, seu agens, mobile, seu subiectum, & forma in subiecto recepta, quæ in motu locali est respectiua, non absoluta ex dictis disp. 11. Secundò multi adsunt respectus reales, nam agens, si comparetur ad formam, vel compositum, dicit relationes educentis, aut producentis, & è contra forma relationem eductionis passiuæ, & compositum relationem productionis passiuæ ad ipsum agens, qui respectus sunt intrinsecus aduenientes; si verò ad materiam comparetur, in quam vt in subiectum formam inducit, insurgunt inter ipsa respectus transmutantis ad transmutatum, seu agentis ad passum, & transmutati ad transmutans, vel passi ad agens, in quibus actio, & passio consistunt ex dictis disp. 7. q. 3. art. 1. & sunt respectus extrinsecus aduenientes: si materia, & forma inter se comparentur, præter respectum illum intrinsecus aduenientem eductionis ad id, vt ex quo educitur, quem dicit forma ad materiam, & è contra, si à materia est dependens, adsunt alij respectus perfectibilis ad perfectiuum, & è contra, qui informatio actiua, & informatio passiua dicuntur, suntque extrinsecus aduenientes, nam possunt esse materia, & forma absque eo, quòd forma materiam perficiat, & informet. Tertiò præter hos respectus reales adsunt etiam multi respectus rationis, qui intantum rationis dicuntur, non quòd sint verè entia rationis, & secundæ intentiones, sed inquantum ipsius deficit aliqua ex conditionibus relationis simpliciter realis à Scoto enumeratis quol. 13. H. & 1. d. 31. quòd scilicet sit inter extrema realia, & realiter distincta; & quòd insurgat independenter ab opere intellectus: nam cùm forma, vel respectus simpliciter reales adducti habuerint suas priuationes, ideò dicunt relationem ad non esse præcedens, non quidem realem simpliciter, quia non esse extremum non est reale, sed reale secundum quid. Recentiores verò præter hæc omnia adinueniunt quandam viam, seu tendentiam ad formam, qui sit modus quidam absolutus precedens formam transcendentaliter relatiuus, per quem forma acquiritur in subiecto. Clarum est, motum aliquod istorum formaliter importare.

2 Quidam etiam ex Scotistis asserunt, motum formaliter importare formam fluentem, ita tamen quòd de principali significato dicat formam, connotat verò fluxum ipsius. Communiter oppositum à Doctoribus asseritur, motum scilicet formaliter dicere fluxum, seu fieri formæ, non formam, sed magnum est dissidium apud eosdem, quid sit fluxus iste, seu via ad formam in esse perfecto; nam quidam hoc nomine viæ, seu fluxus contenti absque alia declaratione, puta si quid absolutum sit, aut respectiuum, & ad quod terminatum, credunt satis explicasse motus essentiam, ita Caraffa de Conc. disp. 17. & Compl. in Phys. disp. 16. q. 1. Alij dicunt, fluxum istum esse quantitatem quãdam successiuam, non permanentem, quæ verè, & per se fit in prædicamento quantitatis; ita Tatar. in prædic. c. de quant. & in report. 4. d. 12. q. 4. Ant. Andr. 5. Met. q. 10. Fuentes 3. Phys. q. 1. diff. 3. art. 3. Alij quòd sit modus quidam absolutus ab ipsa forma, modaliter ex natura rei distinctus, prior natura forma, quo tanquam via, & tendentia acquiritur forma; ita Recentiores ferè omnes, vt Perer. libr. 13. quæst. vltim. Conimbr. 5. Phys. quæstio. 2. art. 2. Masius disputat. de motu sectio. 1. quæstion. 3. Suar. disputatio. 49. Met. sectio. 2. Morif. disputat. 7. Physic. quæstio. 1. Auerr. quæst. 26. Phil. sect. 8. & seq. Ruuius tract. de motu q. 1. n. 2. & 4. Amic. tract. 29. q. 2. & ex nostris sequitur Fuentes 3. Phys. q. 1. n. 13. & q. 2. n. 18. quem modum actum, aiunt, appellari imperfectum, quia actuat materiam non perfectè, & completè, sed imperfectè, & incompletè, nam ipsam constituit in ordine ad formam acquirendam, ad quam essentialiter ordinatur modus ille, vt ad terminum. Alij vt P. Faber theor. 45. c. 1. & 2. Cauellus super q. 3. Scoti de An. adnot. 2. dicunt, fluxum istum consistere in continuata illa dependentia formæ ad agens, à quo forma dependet in esse, qui est respectus intrinsecus aduenienes de predicamento relationis. Alij vt Canon. 3. Physic. q. 1. art. 2. Io. de Magistris q. 2. Regent. Paris. ibidem asserunt, motum, seu fluxum formæ dicere relationem mobilis ad motorem, quæ est passio mobilis inexistens, vnde secundum istos motus, & passio mobilis inexistens, vnde secundum istos motus, & passio idem sunt, &

quo ad hoc sequitur Suarcit.licèt discrepet,quia putat,passionem entitatem esse modalem . Alij fluxum istum explicant per actionem,& passionem tanquam per prædicata essentialia ,& quidditatiua , sicut homo in suo quidditatiuo conceptu includit animal, & rationale, ita Bonet.4.suæ Physic.c.2.Hurt.disp.11. Physic. sect.3. & videtur esse Æmilij Acerbi lib.4.qq.perip.q.1. Tandem dicunt alij,fluxum istum formaliter importare respectum subiecti ad formam,quæ informatio passiua dicitur,connotando tamen respectum rationis , qui est inter esse formæ,& non esse eiusdem,seu inter esse respectus huius informationis,& non esse eiusdem immediatè præcedens , in quo nouitas formæ in subiecto consistit .

3 Vt autem in tanta varietate pateat Scoti sententia , supposito priùs , quòd motus est duplex acquisitiuus , cuius terminus ad quem est positiuus,& deperditiuus cuius terminus ad quem est priuatio notandum ex Scot.in 4.d.12.q.4.D.& ad arg.princ. quòd motus dupliciter considerari potest,vel secundum suam essentiam præcisè quocunque modo sit possibilis in rerum natura , siue ab agente creato , siue increato,siue modo naturali,& secundum cursum communem naturæ,siue modo supernaturali vires naturæ excedente; Secundò accipitur solùm, vt secundum naturæ cursum fieri potest,quo sensu physicus, & naturalis dicitur , non quidem pro vt naturale violento , vel neutro opponitur , sed pro vt à supernaturali distinguitur ; vbi motus primo modo à naturali , & supernaturali præscindit, vt videbimus ; Authores citati ferè omnes loquuntur de motu in secunda significatione .

Dicimus 1.nullo ex his modis explicari rectè motus naturalis , & physici formalitatem,sed motum naturalem formaliter dicere successionem termini ad quem posterioris post terminum à quo pro rem immediatè præcedentem, non quidem vt sic sed vt in subiecto ; quæ successio est relatio quædam termini ad quem in subiecto ad terminum à quo immediatè præcedentem,siue motus sit acquisitiuus , siue de perditiuus,nam si acquisitiuus erit,tunc relatio illa,quam dicit respectus informationis passiuæ ad non esse ipsius immediatè præcedens motus acquisitiuus dicetur,si verò deperditiuus, relatio, quam dicit non informatio ad informationem immediatè præcedentem , erit motus deperditiuus . Concl.est Scoti in 4.d.11.q.1.E.& d.43.q.1. C.& in 2.d.1.q.5. T. & alijs in locis infra citandis,ipsamque insinuarunt Tribarnes in 4.tom.1.disp.50.sect.vlt.Aret.4.d.11.q.4.ar.4. & P. Vulpes 2. par.disp.1. ar.3.num.2. & probari potest alios dicendi modos refutando , nam primò motus non potest dicere quid absolutum; quia vel erit forma , vel quantitas successiua , vel motus ille non est forma,connotando fluxum ipsius,quia Arist.5.Phys.text.5.apertè ait. *Non est albedo motus ,sed dealbatio*,ergo motus potius formaliter dicit fluxum formæ , quam formam ipsam ; Tum quia motus diuidi solet per instantaneum,& successiuum,tardum,& velocem,rectum, & circularem,vt dicemus q.3.quæ diuisiones non conueniunt formæ , sed acquisitioni ipsius,formaliter loquendo . Tum quia motus secundum suam formalitatem priuatiuè , & intrinsecè opponitur quieti formaliter sumptæ, non extrinsecè, at si formaliter diceret formam connotando fluxum , quies vel dicet formaliter formam cum negatione fluxus,& sic formaliter motus,& quies conuenirent, & solùm per connotata ,& extrinsecè differrent ; vel dicet negationem fluxus , & sic motus dicet formaliter fluxum qui priuatiuè quieti opponitur. Tum quia saltim quoad principale significatum motus semper maneret , quamdiu forma esset in subiecto,nec cessaret quoad principale significatum præsentibus habitibus,quod est contra Arist.1.de Gen.55.

4 Neque potest dicere quantitatem successiuam de genere absoluti; Tum quia motus est via ad terminum,quantitas non est via ad substantiam,quantitatem, qualitatem, & Vbi ; & præcipuè quia via est imperfectior termino , & nullum absolutum est relatiuo imperfectius,ergo quantitas non potest esse via ad Vbi , quæ est relatio ex dictis disp.11.Tum quia motus in communi præscindit à motu propriè dicto,qui secundum Tatar.est successiuus,& mutatione propriè dicta, quæ secundùm eundem instantanea est, & tanquam genus in ipsis includitur, ergo hic motus nequit esse quantitas , quia quantitas habet partes, hic motus præscindit à diuisibili motu , & indiuisibili mutatione,ergo nec motus successiuus erit propriè quantitas , quia diuersorum generum non sub alternatim positorum diuersæ sunt species , & differentiæ, vnde si motus successiuus est sub genere motus in communi, non potest sub genere quantitatis contineri . Nec tandem erit modus ille;tum ex dictis disp.5.q.2.& disp.7.q.3.art.1. vbi modos istos confutauimus . Tum etiam, quia vel iste est motus ab actione distinctus vel idem realiter; si primum,ergo quia non est agentis causalitas,debet ab aliquo causari cùm non sit à se, ideoque motus esset effectus, & ad ipsum esset actio , & per consequens ad motum esset motus,sicut arguit Arist.in textu,eò quia actio, & motus, quando subiectum tempore præcedit formam , comitantur ad inuicem ; si secundum,ergo quia actio est in agente ex dictis disput.7.q.3.art.2. motus erit in agente,quod est falsum,quia Arist.ait,esse actum mobilis,tum quia datur actio sine motu, vt dicemus, ergo non est idem cum actione ; tum quia motus deperditiuus non posset in tali modo consistere, nam cùm terminus ad quem sit non ens,impossibile est,quòd ens positiuum , qualis esset motus iste , sit essentialiter ordinatum ad non ens tanquam ad terminum acquisitionis . Tandem vel modus iste est in forma , vel in subiecto; si primum ergo esset posterior forma,in qua fundatur,ipsamque denominabit moueri : si secundum , ergo mobile in quolibet motu dupliciter dicetur moueri , & per receptionem formæ , & per receptionem istius modi absoluti , vnde ad motum esset motus & processus in infinitum ; Sequela prob.quia mutari est aliter se habere nunc,quam prius,mobile non solùm recipit formam , sed etiam entitatem illam modalem, estque duplex receptio , sicut duæ sunt entitates receptæ . Nec valet,quod ait Ruuius cit.q.4. quòd moueri est aliter se habere nunc,quàm priùs in fieri,non in facto esse,qua ratione mobile non mouetur per receptionem formæ in fieri , sed solùm per motum , per receptionem verò formæ aliter se habet subiectum in facto esse , & dicitur mutatum esse, & acquisisse terminum. Non valet , quia mobile non tantum recipit formam in facto esse, sed etiam in fieri, immo tunc actualiter recipit,ista receptio non est motus per ipsum , cùm permaneat , quandiu forma est in subiecto,ergo non solùm mouebitur per receptionem illius modi , sed etiam per receptionem formæ .

5 Secundò non potest dicere relationem formæ ad agens,vt asserebat P.Faber , Tum quia Scotus in 4.d.11.q.1.E. habet , mutationem esse respectum secundum quid non simpliciter realem,quia est ad non esse terminatus , ergo per Scotum non est respectus formæ ad agens, qui est simpliciter realis,& intrinsecus adueniens : & in 2.d.1.q.5.S.& T. ait, mutationem , quatenus dicit hoc , quod est aliter se habere nunc, quam priùs præscindere à respectu ad agens qui est producti ad producens : & 4.d.13.q.1.K.Doctor distinguit motum ab actione,non solùm vt actio est genus distinctum à cœteris,sed etiam vt est relatio producentis,& producti : & in 1.d.5.q.2.E.& S.distinguit Doctor generationem in ratione productionis,& in ratione mutationis , & ait, quod generatio vt mutatio dicit ordinem ad subiectum , vt transit de vno opposito ad aliud, vt verò productio, respicit producens : idem habet d.2.q.7.K.ergo motus per Scotum non potest dicere relationem ad agens,& producens . Tum quia hic respectus est in forma, non in mobili,formamque denominat,non mobile,& si ab agente, etiam in conseruari dependet , vt est lux in aere à Sole dependens , permanet semper cum forma,& agens intrinsecè respicit, sine quo nequit intelligi; at motus est in mobili,quod etiam moueri denominat,vt habet Arist.3. Phys. 16.& 23. transit acquisita forma,nec agens respicit vt principium,aliter quatuor mutationis principia non tria,immò duo, quia respectus iste solum formam respicit , & agens,non materiam, & priuationem;ergo non consistit in tali respectu.Tum quia si forma esset à materia separata à Deo postea induceretur in subiecto , vt erit in resurrectione de anima rationali , daretur motus absque isto respectu ad agens creatum, nam respectus ad increatum est realiter identificatus,nec est in prædicamento relationis,& ideò motus non erit.

6 Tertiò neque dicet passionem solam,aut actionem,& passionem simul : tum quia isti respectus non dicunt ordinem ad priuationem , vt ad principium , sed ad agens,vel vt terminum,sicut est passio,vel vt fundamentum,sicut est actio, quare priuatio non esset principium motus,sed agens . Tum quia ex Scoto 4.d.43.q.5. H. dantur actio , & passio sine motu, nam si subiectum simul cum forma producitur, ita ut tempore non præcedat sub priuatione,vt est in qualibet animatione,in qua corpus in eodem instanti completur in esse , & animam recipit,adsunt actio,& passio,quia verè agens inducit formam in subiecto,& subiectum ipsam recipit , non tamen motus, quia subiectum solum natura formam dicitur præcedere,quod non sufficit , vt infra : idem euenit, si forma in conseruari etiam ab agente dependeat , nam tunc manent actio , & passio quia conseruatio est actio continuata, non tamen motus,quia aer post illuminationem non dicitur amplius ad lumen moueri. Tum quia si actionem etiam formaliter includeret in suo conceptu,esset quoque actus agentis, in duobus esset subiectis distinctis scilicet in agente , & in passo, nec esset vnum per se,sed per accidens, quia nulla res includit in suo conceptu formali res diuersorum prædicamentorum,diuersę enim species nequeunt aliam tertiam constituere .

7 Quartò quòd non dicat informationem de principali significato, connotando respectum informationis ad non esse immediatè præcedens,docet Doctor in 4.d.11.cit.& probatur ijsdem rationibus,quibus supra ostendimus , formam fluentem non esse motum pro formali ; etenim iste respectus manet semper , cùm in subiecto est forma, non diuiditur ijsdem differentijs, quibus motus diuiditur , immo eadem receptio formæ potest duobus motibus specie distinctis acquiri, vt idem vbi potest acquiri motu recto , & circulari , non opponitur priuatiuè quieti,immo cum ipsa manet, quæ omnia nequeunt principali significato motus conuenire .

Remanet igitur,vt successionem illam formaliter dicat, seu respectum informationis,vel esse formæ in subiecto ad non esse immediatè præcedens & rationabiliter quidem ; Tum quia ex D.Greg.5.Moral. mutari est ex alio in aliud ire,& ex 5.Phys.3. motus est transitus subiecti à termino a quo ad terminum ad quem . Tum quia tunc mobile formaliter mouetur quando in ipso succedit terminus ad quem post terminum à quo, ergo per locum à coniugatis, & casibus motus erit talis successio,quæ cùm non sit aliquod absolutum,erit quid respectiuum.Tum quia mutari est aliter se habere nunc,quam priùs ex 6.Physic.32. per ly se habere exprimitur respectus subiecti ad terminum ad quem , per ly aliter nunc quam prius explicatur illa immediata successio posterioris termini post priorem expulsum à subiecto , quia alietas dicit relationem ad terminum præcedentem terminatam . Tum quia isti respectui quies opponitur priuatiuè , nam tunc subiectum quiescere intelligitur,cum iam formam acquisiuit, nec nouitas formæ in subiecto concipitur,hoc autem euenit , cum forma immediatè non respicit non esse præcedens , sed esse eiusdem præhabitum , quod est carere respectu illo ad non esse immediatè præcedens . Quòd verò motus iste physicus,& naturalis necessariò debeat dicere successionem istam in subiecto,prob.à Doctore in 4.dist.12.q.4.C.& contra Gotfr.oppositum asserentem ; agens naturale necessariò , ad hoc vt producat aliquid , præsupponit subiectum, aliter posset creare,vt innuimus disp.2.q.1.art.1.ergo motus ab ipso causatus necessariò debet fieri in subiecto;& hinc est,quòd Arist.de motu,& mutatione semper locutus est in ordine ad subiectum, & mobile, vt patet ex definitione motus 3.Phys.& mutationis 5. Phys. quia potentiam creatiuam in tempore non agnouit .

8 Dicimus 2.motus si absolutè consideretur,& secundum suam essentiam præcisè quocunque modo , & à quocunque sit possibilis in rerum natura,& consequenter vt abstrahit à motu naturali,& supernaturali,solùm dicit successionem termini ad quem post terminum à quo immediatè præcedentem præscindendo à subiecto quocunque . Concl.est contra Suar disp.49. Met.sect.2. & Amicum cit.q.4.dub 1. & alios, asserentes , motum de sua ratione formali dicere ordinem essentialem ad subiectum,docetur tamen à Scoto in 4.d.12.q.4. D. vbi arguendo contra Gotfr.habet hæc verba : *Contra tertiam responsionem suam,quæ concordat cum tertia ratione,quam adducit pro se , quo ad istam conclusionem scilicet quod non est de essentia motus secundum eum , quòd aliquod subiectum aliter se habeat , non arguo, quia concclusionem in se credo esse veram*.Et ad primum princip.ait: *Ad primum dico,quòd non est de essentia motus quòd sit talis vel talis entis , nec mutationis , quòd sit alicuius aliter se habentis* , idem repetit ad secundum , & loquitur de motu propriè dicto, quia loquitur de speciebus motus scilicet rarefactione,auctione, &c Ergo si per Scotum motus secundum suam essentiam potest esse sine mobili,sequitur,quòd motus non dicet successionem illam in subiecto,sed ab ipso præscindit;clarius in 2.d.2. q.4. F. ait: *Dato,quòd creatio , vel annihilatio diceretur esse mutatio, quòd ad hoc, quod est ibi successio formæ post negationem eius, quia non est mutatio eo modo,quo Philosophus loquitur de mutatione*; idem innuitur à Franc.Sampson.3.Phys.q.1.collat.1.vbi inquiunt quod si Deus crearet aliquid successiuè illa creatio esset mutatio successiua , licet non esset motus propriè dictus idest Phys.& naturalis, quia non fit in subiecto;posset probari hæc concl.quia intelligitur motus,vel quies absque mobili,ergo possunt sine illo esse,Antecedens prob. si Deus produceret calorem absque subiecto , & postea illum intenderet vsque ad quartum gradum , calor flueret primò de non esse ad esse, & postea de vno ad alium gradum; postquam verò peruenit ad 4.non amplius fluit,sed quiescit . Si dicas,quòd quies est cessatio fluxus formæ in subiecto,sicut motus est talis fluxus. Contrà,calor quando successiuè acquiritur in subiecto,denominat subiectum moueri, non per inhærentiam in subiecto,quia hæc non est motus ex dictis, sed per successionem graduum,seu termini ad quem post terminum à quo,quæ est formalitas motus, ergo quandocunque erit in rerum natura talis successio, licèt non adsit subiectum,non sequitur,quod tunc non sit essentia motus , sed solùm quòd talis essentia nullam rem moueri denominet, cum ergo per potentiam Dei possit dari aliqua forma, quæ absque subiecto accipiat esse post non esse , vel intendatur , dicendum erit , quòd motus de potentia Dei absoluta potest esse sine subiecto , licèt prout ab agente creato fit,non possit esse sine subiecto .

Nec valet,quod ait Amicus, illam successionem non habere rationem mutationis formaliter , sed materialiter propter defectum vnionis ad subiectum,quæ vnio est de ratione formali motus,cùm sit quædam forma modalis respectu subiecti. Non valet,nam licèt relatio ex sua ratione formali dicat ordinem ad extrema,si tamen possit reperiri sine ipsis,non sequitur,quòd non sit relatio,sed solùm, quòd actu non denominet,ergo à pari,licèt illa successio non habet subiectum, non sequitur,quòd non sit formaliter motus, sed solùm quòd actu non denominet , verum est tamen , quòd non est idem motus, quando fit in subiecto,& quando est extra subiectum .

9 Secundò prob.à priori;motus naturalis,seu physicus ex dictis dicit successionem termini ad quem post terminum à quo in subiecto , creatio, vt à conseruatione distinguitur , dicit successionem termini ad quem post terminum à quo extra subiectũ , vt docet Doctor quol. 12. ab istis duobus conceptibus potest hic abstrahit conceptus communis ambobus scilicet successio termini ad quem post terminum à quo præscindendo ab hoc,quod est esse in subiecto, vel nullo præsupposito subiecto,qui conceptus essentialiter in illis includitur , & per se in primo modo de illis prædicatur,vt patet,nam se habet vt genus, quod postea per illas differentias esse in subiecto,vel nullo præsupposito subiecto contrahitur ad motum physicum , seu naturalem & ad creationem sub ratione mutationis , sed iste conceptus communis non est conceptus productionis , quia tunc etiam motus naturalis esset essentialiter productio , & ordinem diceret ad agens,quod est falsum ; neque est conceptus actionis, vel passionis propter easdem rationes; & quia actio & passio dicunt ordinem ab subiectum;nec alterius,vt patet,ergo erit conceptus motus communis ad motum physicum, & ad creationem , præcipuè quia est quidam respectus secundum quid tantum realis , sicut quilibet motus inferior, ergo motus secundum suam essentiam præcisissimè non dicit ordinem ad subiectum sed ab illo præscindit ; & talis motus est proprijssimè motus, quia est conceptus essentialiter inclusus tanquam genus in motu physico . Hoc vult dicere Scotus,cum in 4.cirat.ad argum.princ.ait,motum secundum suam essentiam dicere actualitatem quandam potentialem, & mutationem dicere aliter habitionem , non connotando subiectum idest motus est quædam successio termini ad quem post terminum à quo immediatè præcedentem præscindendo à subiecto .

10 Ex quibus deducimus,quòd si motus materialiter sumatur,pro forma scilicet fluente, sic non est in vno prædicamento sed in tot prædicamentis,quot sunt formæ per motum acquisibiles, quæ secundum Arist.sunt forma substantialis, quantitas, qualitas & Vbi, vt infra, in substantia quidem erit reductiuè, quia forma substantialis est principium, & pars substantiæ , non verò quid completum in tali prædicamento, at in alijs tribus erit directè in illis, nam formæ illæ accidentales , non vt partes, sed vt entia completa se habent in suo genere,vt diximus in Log. si verò sumatur motus pro eo, quod realius dicit,sic quia significat,vt ait Doctor in 4.d.11.q.1.E. receptionem formæ,seu informationem passiuam subiecti , quia iste respectus est simpliciter realis,vbi respectus successionis est secundum quid realis,tunc erit in prædicamento habitus,in quo ex dictis disp.5.q.9.omnes informationes,receptiones,inhærentię,& habitiones vti species habitus in communi collocantur. Tandem si motus formaliter sumatur pro illa successione iam explicata,non constituit vndecimum prædic.ab alijs distinctum, vt asserunt Plotinus lib.3.de gen.entis c.17.Acerbus lib.4. peripat.qq.q.1.Vicom.3.Phys.c.1. & alij , sed reducitur ad prædicamentum sui termini;ratio est,quia istud vndecimum prædicamentum nec assignatur à Philosopho , & potius prædicamenta minui debent, quàm multiplicari , vt diximus in Log.tum quia motus est respectus secundum quid,non simpliciter realis, estque via essentialiter ad terminum ordinata , ergo ad prædicamentum sui termini debet reduci, vt via ad terminum viæ,ita fecit Arist.3.Phys.tex.4.

Nec quia motus dicit rationem vniuocam communem,quæ ad suà inferiora per differentias descendit,vnde se habent, vt species, & motus in communi vt genus, idcirco ex ipsis coordinatio generum , & specierum,seu prædicamentum,(quod in tali coordinatione consistit) constituentur,ratio est,quia & si concedamus,motum suo modo posse dici genus,& motus infericres species, & suo modo constituere propriam coordinationem , non tamen proprium prædicamentum constituunt , quia communiter prædicamenta continent entia perfecta,& simpliciter realia,motus non est huiusmodi, alioqui etiam forma substantialis in communi ad alias comparata posset dici genus, & inferiores formæ species,idem etiam euenit in modis prioris,simul,& aliorum post prædicamentorum, eò vel maximè, quia diuisio entis in decem genera est potius diuisio artificialis , quàm secundum rerum naturas ex dictis in Logica .

Dices , si motus pertinet ad prædicamentum termini , ergo ratio motus in communi ad nullum prædicamentum determinatum pertineret,sicut nec datur prædicamentum commune illis prædicamentis, ad quæ est motus,sed hoc est falsum,nam absurdum est, species vnius generis esse in prædicamento , & genus commune illis in nullo prædicamento contineri,neque vt summum,neque vt subalternum. Resp.neg. falsitatem,& absurditatem , sicut enim ratio termini in communi vagatur per plura prædicamenta, ita ratio motus in communi, quod apparet in multis alijs , vt in conceptibus communibus pluribus prędicamentis,qui vtique secundum veritatem,sunt vera genera, attamen quia supponitur diuisio illa immediata in decem genera , dicuntur per plura prædicamenta vagari , licèt possint ad vnum genus reduci vt dicimus in Log.disp.6.q.1.

Soluuntur rationes .

11 IN oppositum arguitur 1.probando, motum quid absolutum dicere,& præcipuè formam fluentem, nam rationes, quibus Tatar.ostendit,motum esse quantitatem,adducemus infra q.6.ar.1.& 3. & quæ probant esse modum , solutæ sunt disp.5.q.2. coincidunt enim cum illis, quibus Aduersarij probant , causalitatem dicere modum absolutum;quòd igitur motus sit forma,prob. Tum quia motus per Arist.3.Phys. in nullo est prædicamento , dicitur actus mobilis , non perfectus , sed essentialiter imperfectus , dicitur Endelechia , & perfectio subiecti,est essentialiter cum actione,& passione identificatus,& denominat subiectum moueri,sed isthæc omnia formæ fluenti conueniunt, nam forma fluens vt sic in nullo est prædicamento , sed vel in prædicamento substantiæ , vel quantitatis, vel qualitatis,vel Vbi ipsa forma est perfectio , & actus mobilis, non ille respectus,est actus essentialiter imperfectus, quia formam importat,non quomodocunque sed fluentem , est essentialiter cum actione ; & passione identificata ex 3.Phys.18. & ipsa denominat subiectum moueri, quia mobile mouetur formaliter,non quia habet respectum aliquem, quicunque sit,sed quia recipit formam,dicitur enim calefieri , quia recipit calorem , aliaque passim de ipsa verificantur , quæ pertinent ad quidditatem,diuisiones,& proprietates motus ; Tum 2. quia si hoc non esset,minus propriè motus diuideretur in naturalem,& supernaturalem,quia iste respectus non patitur hanc diuisionem ; sed forma fluens , ad quam est;adhuc autem physicus improprièdiuideretur in naturalem,violentum,& neutrum,quia non respectus, sed forma est aut secundum, aut contra , aut præter inclinationem passi impropriè etiam

etiam in motum lationis,alterationis,&c.& localis in rectum,& circularem.Tum 3.omne denomina iuum importat formaliter formam, secundum quam fit denominatio , sed calor fluens denominat subiectum calefieri, & albedo fluens dealbari, sicut calor, & albedo in esse quieto denominant ipsum calidum,& album,ergò calefactio,& dealbatio,quæ species sunt motus,formaliter dicent calorem fluentem,& albedinem fluentem , est ergo idem dicendum de motu in communi , quòd formaliter significet formam fluentem .

12 Resp.ad 1.quòd cùm Arist.ait,motum esse perfectionem, & endelechiam cum passione , & actione identificatum, loquitur de ipso quo ad materiale,& pro re acta,non formaliter,alioqui forma fluens esset formaliter actio, & passio contra Scot.4. d.13. quæst.1. concedimus ergo quo ad hoc minorem;cùm verò ait,motum non esse in prædicamento aliquo determinato,actum esse essentialiter imperfectum, loquitur de motu pro formali , & quatenus includit receptionem formæ in subiecto ; quæ est actuatio ipsius ; negamus etiam , mobile per formam formaliter moueri,& propositio illa mobile mouetur, quia recipit formam, potest dupliciter intelligi, nam ly *quia* vel facit sensum formalem , quomodo dicimus, partem,ideò esse in genere relationis,quia refertur ad filium,& in hoc sensu est falsa,nam mobile formaliter dicitur moueri , quia habet illum respectum secundum quid realem,vel facit sensum causalem,& fundamentalem,quomodo dicitur,paries ideò est similis, quia habet albedinem, & est vera , sed nihil ad rem, motus enim non est id,quo mobile dicitur moueri causaliter,& fundamentaliter, sed formaliter. Ad 2.omnes illas diuisiones motui conuenire ratione termini ad quem, multoties enim relationibus tribuimus,quæ fundamentis conueniunt,ideoque paries dicitur magis,vel minus similis,& tamen relatio non suscipit magis,& minus, vnde proprijssimè allatæ diuisiones dicuntur de motu , quia respectus non nisi per terminos dignoscuntur, & denominationes sumunt ab ipsis; immo posset argumentum retorqueri, quia magis propria , vel saltim æqualiter enunciantur diuisiones allatæ in probatione conclus. quam istæ de motu . Ad 3. calor fluens denominat subiectum calefieri , non vt calor est , sed vt fluens, & ideò non sequitur, quòd calefactio formaliter dicat calorem , sed fluxum caloris,qui nil aliud est nisi illa successio iam explicata;cùm additur , quòd calor in esse quieto denominat subiectum calidum,dicimus, quòd si consideratur calor,secundum suam essentiam , sic denominatiuum ipsius est calidum;si verò vt iam est in esse quieto reduplicatiuè, sic denominatiuum ipsius non est calidum , sed calefactum, vnde calefactum formaliter non dicit calorem , sed quietem , quam habet subiectum sub calore ; ita dicas de dealbatione,& dealbari iuxta dictum Arist.5. Phys.text.5.

Secundò obijcit P.Faber, ostendendo , motum formaliter dicere respectum formæ ad agens. Tum quia Doctor in 4.dist.13.q.1.I. & K. vult,formam vt fluentem esse motum, & litt. M. ait, quòd respectus fundatus super motum est intrinsecus adueniens . Tum 2. quia generatio , quæ est vna species motus , formaliter dicit originem geniti à gignente , ergo motus in communi dependentiam à producente formaliter importabit,cùm species omnis sub proprio genere contineri debeat .

Resp.quòd Scotus ibi, si attentè legatur , non loquitur ex professo de materiali, & formali motus,sed solum intendit declarare,an actio, & passio sint prædicamenta distincta à relatione , & per quid ab ipsa distinguantur,vnde ait,actionem sumi multipliciter, primò pro connotato,& sic est quid absolutum,siue res acta,seu forma fluens, quæ est motus secundum Comment.(ecce quòd non ex professo,sed secundum Auerr-opinionem loquitur) secundò formaliter,& sic præfert respectum esse ab,& hoc dupliciter, vel enim dicit respectum producti ad producens,& ita poneretur in prædicamento relationis,vel respectum transmutati ad transmutans,& esset in prædicamento passionis, vnde potius deducitur oppositum: nam si Doctor distinguit hæc tria , formam vt fluentem , quæ est motus,actionem,vt dicit respectum producti ad producens , & vt dicit respectum transmutati ad transmutans , iam patet , motum non esse secundum ipsum relationem formæ ad producens : quod addit litt. M. non conuincit,quia loquitur ibi de illo materiali motus secundum opinionem Comment. assignato scilicet de forma,vnde non dicit , quod motus sit respectus intrinsecus adueniens , sed respectus in motu fundatus est intrinsecus adueniens . Ad 2.ex Scot.in 1.d.2.q.7. ad 3. princ. & ex eodem Fabro ibidem,quòd generatio,vel sumitur in ratione productionis,vel in ratione mutationis,primo modo præscindit à subiecto, & solùm respicit terminum productum , nec dicitur mutatio , quia in hoc sensu transfertur ad diuina,& solet definiri,quòd sit origo,&c.secundo modo dicit habitudinem ad subiectum,estque mutatio .

14 Tertiò Arguit Canon. quòd motus sit passio . Tum quia Arist. 5.Physic.10.probat,ad actionem, & passionem non esse motum, quia ad motum non est motus , quæ consequentia non valeret , nisi motus passio esset. Tum 2.quia Gilbertus definit passionem sic: passio est effectus,& illatio actionis, & hic immediatus,motus autem est illatus immediatè ab agente . Tum 3.quia moueri est pati , ergo motus est passio , Consequentia tenet per locum à coniugatis,& casibus idest à concretis ad abstracta, Antecedens Prob. quia mouere est agere , & mouens est agens , ergo moueri est pati . Tum 4. illud , per quod patiens refertur ad agens , est passio , sed mobile , quod est patiens , refertur ad agens per moueri , quia mobile , inquantum mouetur, patiens est . Tum 5. eadem potentia non habet actus distinctos genere , distinguuntur enim per actus 2. de Anim. 22. cùm ergo potentia passiua habeat pro actu motum , & passionem , nam ista non possunt esse actus potentiæ actiuæ,consequenter motus,& passio non erunt genere distincta , atque ita motus erit formaliter passio. Tandem omnis respectus extrinsecus adueniens est in aliquo prædicamento , ad nullum autem videtur motus posse aptius reduci quam ad passionem .

Respon.ad 1. quòd cùm Aristot.probat, ad actionem non esse motum , quia ad motum non est motus , iste discursus debet resolui in duos syllogismos , ita vt non fit illatio ex identitate actionis , passionis,& motus,alioquin sequeretur,motum etiam esse actionem, quod est contra ipsum Canon. sed est illatio à simili , & per concomitantiam , vt notat Doct.in lib.de Anim.q.7. ad 3.princ. & hoc modo resoluitur , ad motum non est motus , ergo ad actionem non est actio, nec ad passionem est passio, patet à simili ; rursus si ad actionem non est actio ergo ad actionem non est motus,Patet conseq.quia ex opposito consequentis deducitur oppositum antecedentis,si enim ad actionem esset motus,cùm motus semper præsupponat actionem , iam ad actionem esset actio,& sic in infinitum . Ad 2. cùm passio dicitur effectus actionis, non intelligitur deactione tanquam principio producente, vel principio formali producendi , sed logicè scilicet quòd sit respectus natus inferri per actionem,tanquam per respectum oppositum,vt diximus disp.7.quæst.3. art.1. quod formaliter non competit motui,sed concomitanter,vt mox dicemus. Ad 3.locus à coniugatis tenet in concretis essentialiter ordinatis ad abstracta non vltima abstractione,vt album est coloratum, ergo albedo est color, quod non est in præsenti,nam moueri non est pati formaliter, quia passio dicit respectum transmutati ad agens transmutans , motus verò dicit successionem iam dictam , sed dicitur pati concomitanter , quia ad motum semper comitantur respectus illi actionis, & passionis, eodem modo explicatur ly mouere est agere scilicet concomitanter , non formaliter,mouere enim est nouiter perficere materiam, quod se tenet ex parte formæ . Ad 4.negamus minorem, si ly mouere formaliter accipiatur , concedimus concomitanter ; per idem ad probationem. Ad 5. eadem potentia non habet actus genere distinctos absolutos , sed benè relatiuos , super eandem enim potentiam actiuam agentis fundantur tres respectus, & producentis in ordine ad compositum,& educentis in ordine ad formam , & transmutantis in ordine ad materiam vt habet Doct.in 4.dist.13.q.1.F.& 2.dist.1.q.5.S. Ad vltimum, maior est vera de respectibus simpliciter realibus,non de secundum quid realibus,qualis est motus .

15 Quartò ex Hurt. quod motus actionem , & passionem formaliter includat,peæter rationes adducendas q.3.Prob. ex Arist. qui definiens motum in 3.Phys.tres tradidit definitiones , Primam in text.6. *motus est actus entis in potentia , quatenus in potentia*. Secundam in text.16. *motus est actus eius rei,quæ vim habet, vt moueatur, quatenus eam vim habet*. Tertiam in text.23. *motus est actus eius , quod agere, & pati potest quatenus tale*,per quas definitiones clarè colligitur,motum includere formaliter actionem,& passionem;nam cum dicit,motus est actus entis in potentia,quatenus in potentia per ly in potentia intelligit tam actiuam,quàm passiuam,vt clarè colligitur ex alijs definitionibus, motus est actus rei , quæ vim habet, & actus eius, quod agere,& pati potest ; vndè in text.16. ait , *nam ad hoc agere , quatenus huiusmodi id ipsum mouere est* , quod quidem etiam in text.18. & seq.patet,quia ibi non distinguit motum ab actione,& passione, asserit enim quòd motus est actus actiui , & passiui,vt actiui est actio,vt passiui est passio .

Resp. Aristot. in prima motus definitione per ly entis in potentia quatenus in potentia non intelligere actiuam , & passiuam simul potentiam.,sed hanc solùm,vt patet in exemplis,quæ adducit,nec oppositum deducitur ex alijs definitionibus , nam secunda definitio non habetur in text. secundum communem translationem , sed dicitur, *motus est actus mobilis , quatenus mobile existit*, ecce quòd de passiua loquitur ; benè verum est , quòd in traductione Argyrop. habetur, sed nec etiam conuincit,nam per ly *quæ vim habet, vt moueatur, quatenus eam vim habet* , intelligi potentiam passiuam,quod patet ex ly, *vt moueatur*, vt in simili habetur in definitione violenti. Tertia etiam definitio legitur in communi versione,& Argyr.licèt sub alijs verbis, sed dicimus, quod per ly *quatenus tale* non reduplicat potentiam actiuam, & passiuam , sed hanc solùm , addidit tamen potentiam actiuam, quia vt antea dixerat, contingit aliquando idem mouere se ipsum,vel quando aliquid mouens mouetur per reactionem , tunc motus est actus eius , quod agit , & patitur , sed quatenus patitur . Ad id, quod adducitur ex text. 16. dicimus , ly *mouere* non accepisse Aristot. vt correspondet propriè moueri , quia sic mouere est nouiter perficere materiam , quod formæ competit,sed provt correspondet moueri secundum id , quod concomitanter significat , quale est pati ; quod tandem additur ex alijs textibus explicatur à Doctore 4. dist.13.quæst.1. I. & sequent. quòd ibi accepit motum , actionem , & passionem materialiter, quomodo coincidunt, nam eadem forma , provt est ab agente,est actio,vt est in passo ab agente, est passio , & vt nouiter perficit subiectum,est motus, vt diximus disput.7. q.3.art.1.

16 Quintò,quòd respectum informationis dicat formaliter,Prob. Tum quia Scot.2.dist.1.quæst.5. T. ait, motum esse respectum mutati ad formam vt nouum , ergo principaliter respectum informationis importabit,nam hoc est subiectum moueri , ac paulatim nouam formam acquirere . Tum 2. illud principaliter significatur per motum , quod generis locum obtinet in definitione , talis est actus , qui respectum subiecti ad formam importat . Tum 3. illud est connotatum motus, quod datur intelligi ex modo significandi principalis significati , sed immediata successio datur hoc modo intelligi , ergo &c.

Resp. ad 1. cùm ait Doctor , mutatio est respectus subiecti ad formam , explicat materiale motus, cùm addit,vt nouus,dicit formale, nam per hoc datur intelligi respectus ad non esse immediatè præcedens . Ad 2. ly *actus* est connotatum , vt infra dicemus, vniuersaliter enim accidentia maximè relatiua per subiectum definiuntur . Ad 3. nec maior est vniuersaliter vera, vt patet ex dictis in Log.in disp.2. q. 6.art.2. nec minor, nam motus significat immediatam successionem actuationis subiecti,& consequenter actuatio datur intelligi ex modo significandi principalis significati .

17 Sextò,quòd non consistat in illa successione explicata,probatur; Tum quia antequam illa relatio insurgat , præintelligitur subiectum habere formam,& consequenter mutatum. Tum 2. quia sequeretur, præter materiam,formam, & priuationem dari quartum principium motus scilicet respectum informationis , quod est suum fundamentum,super quod proximè fundatur respectus ad non informationem; immo motus esset saltim proximè actus non mobilis , sed respectus informationis. Tum 3. motus est transitus subiecti à termino à quo ad terminum ad quem 5. Physic. 3. ergo motus potiùs debet dicere relationem termini à quo ad terminum ad quem, & ita motus acquisitiius dicet respectum non informationis ad informationem immediatè subsequentem , deperditiuus è contra respectum informationis ad non informationem subsequentem . Tum 4. quia priuatio non esset terminus à quo in generatione,sed ad quem , cùm ad ipsam terminetur respectus iste realis secundum quid,forma verò esset terminus à quo . Tum 5. si motus esset respectus realis secundum quid, ergo ens reale , quale est tempus , esset mensura entis rationis scilicet motus, quod est falsum,quia mensura debet esse homogenea mensurato. Tum 6. videtur inconueniens, quòd naturalis passio corporis, sicut est motus,sit respectus secundum quid,& quòd in corpore naturali detur inclinatio realis ad motum,qui sit imperfectius ens illa. Tandem sequeretur,omnem mutationem esse ad relationem contra Arist. 5. Physic. 10.& 20. Sequela patet , quia terminus istius relationis est respectus informationis .

Resp.ad 1. concedendo , formam priùs esse in subiecto illa relatione,sed tunc subiectum dicitur mutatum fundamentaliter,non formaliter,vt in simili dictum est disputat.5.quæst.2. de causalitate. Ad 2. dicimus, respectum informationis non esse distinctum principium à materia , & forma,quia nec ipse potest intelligi sine materia,& forma,hinc materia,& forma pertinent ad conceptum mutationis, non vt separata , sed vt vnita idest cum informatione . Non potest tamen denominare respectum informationis moueri,sed materiam,quia nouitas formæ fit in subiecto , vndè informatio se habet quasi vt ratio fundandi rationem motus in subiecto, quia potest esse successio, quæ est formalitas motus, absque isto respectu, vt diximus in 2. Conclus. Ad 3.idem est dicere , motum esse transitum subiecti à termino à quo ad terminum ad quem , ac esse successionem termini ad quem in subiecto post terminum à quo , quæ successio rectiùs explicatur per respectum informationis ad non informationem , quia non potest esse motus , nisi adsint priùs principia, inter quæ est forma, & ideò priùs debemus intelligere formam in materia , quàm insurgere relationem motus : tum quia successio semper est alicuius posterioris, non prioris . Ad 4. si attendatur forma locutionis,videtur priuatio terminus ad quem,re vera tamen significatum non est ita,nam per ly immediatè præcedentem iam intelligitur priuatio in ratione termini à quo , vndè possumus dicere , quòd terminus ad quem potest sumi dupliciter,vel vt distinguitur à fundamento,& sic priuatio posset dici aliquo modo terminus generationis , & forma in subiecto fundamentum , quia relatio generationis respicit formam in subiecto tanquam fundamentum , vel provt distinguitur à termino à quo , sic priuatio non est terminus ad quem generationis , sed forma. Ad 5. patet ex dictis disputat.12.quæst.4.quomodo tempus in ratione mensuræ cum sit motus primi Cœli , sed completus ab intellectu , non est simpliciter ens reale. Ad 6. negamus assumptum , nam omnes passiones formaliter sunt aptitudinales relationes,& consequenter quasi secundum quid reales,quatenus non respiciunt terminum actu existentem ; neque motus est passio corporis, sed mobilitas, seu aptitudo ad formam sibi consentaneam , ad motum vero consequenter , quatenus per ipsum acquiritur forma. Ad vltimum negamus sequelam , quia quod vltimatè acquiritur per motum, & per se, non est illa relatio,sed fundamentum talis relationis, seu terminus, scilicet forma in subiecto .

18 Postremò contra 2. conclus. Probat. quòd motus non possit esse sine subiecto . Tum quia Doctor sæpissimè ait , motum ordinem dicere ad subiectum,& præcipuè in 4.dist.11.quæst.1. §.*Quantum ad 3. art. &c.* vbi contra Varronem impugnans distinctionem mutationis subiectiuæ, & obiectiuæ , ait, quòd si detur aliqua versio,vel transmutatio Philosopho ignota , non per hoc mutatio dici debet , quia si Philosophus illam cognouisset, adhuc dixisset,non esse mutationem ; idem clarius habet in 1.dist.17.quæst.3. §. *Ad quæst.igitur , &c.* & in fine docet,quòd cùm forma intenditur absque subiecto,non mutatur nisi metaphoricè,& in 2.dist.1.quæst.5. T. ait , quòd mutatio absolutè considerata dicit respectum subiecti ad formam vt nouum,relatiuè verò dicit ordinem ad agens. Tum 2. quia sequeretur non esse tria principia mutationis,sed duo,nec priuationem esse principium,sed negationem,quia illa connotat subiectum . Tum 3. quia res,quæ creatur,potest se habere vt subiectum , cum aliter se habeat nunc,quam prius,prius enim non existebat,nunc existit,ergo.in quolibet motu adest subiectum .

Resp.ad 1. vtique Scotum multis in locis dicere, motum dicere ordinem ad subiectum , quia loquitur de motu physico,in 4.verò citat. non vrget nos,cum loquatur ad hominem , ibi enim non loquitur de essentia motus,& mutationis,sed de substrato , & re huius definitionis,mutari est aliter se habere nunc,quam prius,& ait, quod si Philosophus cognouisset transubstantiationem , non dixisset , ipsam esse mutationem,sumendo mutationem , prout dicit rem illa definitione definitam ; in 1.citat.se declarat,nam in illo §. ait, *dico, quod non sequitur,manet forma eadem in intensione , ergo ipsa mutatur subiectiuè* , ecce quod loquitur de mutatione à Philosopho descripta , & in 2. citat. loquitur de mutatione physica,& ait, quod si mutatio naturalis absolutè sumatur ; idest secundum suam rationem formalem, dicit ordinem ad subiectum. Ad 2.concedimus totum. Ad 3.resp.Doct. in 1.d.17.cit.neg. consequentiam, quia ad rationem subiecti requiritur,quod maneat sub vtroque termino, ad hoc vt aliter se habere dici possit , res creata verò non sic se habet,quia ante creationem nullum habuit esse actuale, vt potuerit esse sub altero termino, alioqui etiam in mutatione physica forma se haberet vt subiectum , & sic duplex subiectum,quod est falsum .

QVÆSTIO II.

An in motu terminus à quo debeat tempore præcedere terminum ad quem , an verò natura .

19 PRiuatio, seu non esse dupliciter præcedere potest formam, quæ debet succedere,vel tempore,seu duratione, vel natura,& hoc dupliciter,sicut duplex est ordo naturæ,positiuus, & priuatiuus,vt cum Scoto 2.dist.1.q.2. A. & 3.dist.3. quæst.1. E. diximus dist.4.quæst.4.quando materia simul producitur cum forma,priuatio opposita non prius tempore sed natura ; non positiuè , sed priuatiuè conuenit subiecto ; sic si creatura aliqua fuisset ab æterno , non esse prius natura habuisset,quam esse, non positiuè,sed priuatiuè , seu negatiuè,quatenus infuisset creaturæ, si à Deo per positionem illius esse non fuisset impeditum,vt disp.cit. fusius explicatum est . Quærimus ergo, an cum priuatio natura tantum præcedit formam, sufficiat ad rationem mutationis. Bonetus lib.4.suæ Phys.cap.2.referente Amico tractat.19.quæst.4.dub.1.affirmat, & idem videtur sentire Auer.quæstio.26.sect.8.

Dicimus tamen cum Doctore citat.& 1.d.9.quæst. vn.A. & dist.39. S. & 2.dist.1.quæst.3.F. & 4. dist.43. quæst. 5.H. ad mutatiouem requiri successionem temporaneam esse post non esse , & non sufficere non esse tantum natura præcedens est communis , & Prob. in motu physico,quia in casu subiectum non aliter se haberet, nam quod aliter se habet nunc, quam prius, aliquid nunc habet in se, quod prius non habebat,sed potius illius oppositum, sed subiectum in illo priori naturæ non dicitur,quod non habeat formam , nec quod habeat priuationem , sed quod haberet priuationem , si non impediretur , aliter priuatio esset prior natura ordine positiuo , non priuatiuo , quod fuit impugnatum disputatio. citat. Tum quia mutatio realis est successio realis , ergo requirit realem existentiam subiecti sub vtroque termino , ergo prius duratione debet esse sub termino à quo. Prima conseq.patet,quod enim non est,non potest transire,vel succedere realiter de vno ad alium terminum, cum existentia necessariò requiratur ad causalitatem materialem; secunda probatur , quia existentia realis non mensuratur nisi duratione reali , talis autem est ad tempus vel instans temporis,loquendo de mensura successiuorum, ergo cum nequeant duo contradictoria simul esse in eodem instanti temporis , & subiectum sub eisdem debeat existere realiter, necessariò prius , duratione debet esse sub vno , quàm sub altero ; quod etiam concludit de motu præcisissimè sumpto , quia successio realis requirit realem existentiam extremorum succedentium , non simultaneam , sed vnius post alterum , ergo terminus ad quem præsupponit realem existentiam termini à quo , si autem creatura esset ab æterno producta , non esse creaturæ non præfuit sed præfuisset, si à Deo non fuisset impeditum producendo creaturam ; quare esset ibi generatio , & creatio in ratione productionis , non in ratione mutationis .

20 In contrarium obijcitur,quia sequeretur, nunquam generationem viuentium esse generationem in ratione mutationis , quod videtur falsum , quia omnis forma generabilis , & corruptibilis , si non creatur,accipit esse per mutationem sui subiecti , Sequela prob.quia susceptiuum animæ non est materia , sed corpus , istud autem in eodem instanti,in quo formatur,animatur, alioquin actio patris terminaretur ante animationem fœtus , vnde nec patet posset dici, ergo si in eodem instanti animatur corpus,non mutaretur . Tum 2.quia tunc

agens

agens ageret sine actione, quod est falsum, Sequela patet, quia actio non est sine passione, nec passio sine motu, vt ait Arist. 3. Phys. 18. vbi propter concomitantiam istorum, videtur asserere identificationem realem inter illa.

Respon. ex Scoto 4. dist. 43. quæstio. 5. G. & in 3. dist. 2. quæst. 3. ad 3. concedendo sequelam propter rationem assignatam, neque hoc est falsum, nam non est vniuersaliter verum, formam, quæ non creatur debere accipere esse eum mutatione subiecti, sed sufficit, vt per veram actionem eductiuam accipiat esse. Ad 2. ex eodem in 4. citat. negando sequelam, neque actio, & passio semper motui coniunguntur; Aristotel. autem ibi loquebatur de illis materialiter sumptis, & vt in plurimum, maximè quia intentio ipsius erat declarare accidentalem motum, qui semper fit cum actione, & passione; tum quia licet actio, & passio possint esse sine motu, non tamen è contra, nam motus præsupponit necessario actionem, & passionem.

Quidam Scotista recens disput. de Priuatione, contra nos tenet de mente Scoti ad generationem etiam, vt mutatio est, minimè opus esse, quod priuatio in materia præcedat formam pro instanti durationis, sed sufficere, quod præcedat natura; cuius præcipua ratio est, quia si Deus de nouo produceret materiam sine vlla forma in instanti A, & in eodem instanti applicaret ipsi ignem taliter, vt posset formam suam in illa producere, talis productio esset vera generatio quia esset productio formæ ex subiecto, etiamsi priuatio formam in eo non præcederet pro aliquo durationis instanti, non autem esset creatio, vt ait nos asserere; Addit autem in tali casu priuationem præcedere natura formam in materia, non quidem positiuè, quasi pro aliquo signo naturæ priuatio præcedat formam in materia, sed negatiuè, quatenus reuera præcessisset, si non fuisset per generationem forma producta in materia, vt explicat Doctor 2. distinct. 1. quæst. 2. A. & 3. distinct. 3. quæst. 1. E. & hoc ait sufficere ad veram mutationem, & vt priuatio dicatur principium generationis etiam in ratione mutationis. Et per hoc soluit rationes, quæ in oppositum solent adduci, cum enim dicimus mutationem esse transitum subiecti à non esse tale ad esse tale, ait intelligi debere, non quidem de non esse tale, quod præcessit in subiecto, sed quod præcessisset, si forma introducta non fuisset; Et pariter cum dicitur mutatio esse, qua subiectum aliter se habet nunc, quam prius, negat hoc esse verum de mutatione, vt sic (esto de aliqua particulari verificetur) quia ad eam sufficit, quod subiectum per eam aliter se habeat, quam se haberet sine ea, siue de facto aliter se habuerit, siue non; ita respondet disp. 1. de Gen. q. 2. cuius titulus est, an generatio sit mutatio.

Sed an nostra potius, vel sua sententia sit de mente Scoti colligi potest ex locis omnibus citatis, in quibus docet ex professo mutationem non interuenire, vbi priuatio non præcedit tempore formam in subiecto, sed præsertim id habet 3. distinct. 2. quæst. 3. ad 3. vbi sic loquitur *quando forma producitur simul cum susceptiuo non est propriè mutatio ad illam formam, quia susceptiuum non prius fuit sub priuatione, quam forma, nec prius fuit aptum natum habere formam, quam habeat eam*, idem habet 3. distin. quæst. 2. ad 3 princ. illis verbis, *mutatio non est nisi inter terminos oppositos, quorum vnus duratione præcedit alterum*. & 4. distin. 43. quæst. 5. litt. H. vbi ait *nunquam autem est mutatio nisi quando susceptiuum termini ad quem alicuius inductionis præcedit duratione ipsum terminum ad quem, & tunc est sub priuatione termini*. Nec etiam eius rationi opus est respondere, quia libenter fateur in allato casu illam productionem formę esse generationem, quia fit in subiecto; & solum dicimus, quod ibi non interueniret mutatio, quia priuatio in subiecto non præcessit duratione formam, vt est videre disputat. 4. Physic. quæst. 3. vbi de hac re quoque agimus, nam nu. 24. resoluendo hoc dubium habemus hæc verba, *si priuatio ita* (idest in tempore) *in materia formam non præcedit generatio fieret, sed non cum mutatione, quia non interuenit generatio in ratione mutationis, nisi priuatio in susceptiuo præcedat duratione formam*. Quinimò tantum abest, quod vnquam dixerimus id, quod Auctor ille nobis imponit, productionem, qua produceretur compositum ex materia, in qua non præcesserit tempore priuatio, non esse generationem, sed creationem, vt potius oppositum ex professo docuerimus disputat. 2. quæst. 8. articul. 3. vbi dicimus formas Cœlorum, ac elementorum etiamsi suæ materiæ coæuas debere dici eductas de materia, non creatas, vel concreatas, & earum productionem dici debere generationem, non creationem, & ibi num. 151. habemus hæc formalia verba, quod absolutè loquendo generatio, & eductio à mutatione præscindunt, & sine mutatione propriè dicta, quæ fit à priuatione ad formam, contingere possunt, vt docet Scotus 4 dist. 43. quæstio. 5. H. & per dependentiam à subiecto, vel parte essentialiter à creatione distinguuntur, non verò per mutationem subiecti, nam potest interuenire dependentia actionis à subiecto sine subiecti mutatione, & ita euenit quando forma producitur in eodem instanti simul cùm materia: ita ibi discurrimus, quæ si Scotista ille legisset, vtique eam falsitatem nobis non adscripsisset; quod sedulò admotare voluimus, vt prudens Lector aduertat sæpè Auctorem illum nobis impingere, quod non dicimus, vt fortè occasionem impugnandi nanciscatur.

Cœterum neque prioritatem illam negatiuam priuationis ad formam in materia sufficere ad hoc, vt materia in illo priori naturæ dicatur verè priuata, seu priuationem habere, quantum sufficit, vt deinde transire dicatur veram mutationem à priuatione ad formam, patet ex ipso Scoti discursu, quem habet 3. dist. 3. quæst. 1. E. & nos expendimus disputat. 4. quæstio. 3. num. 24. declarat enim ibi prioritatem hanc negatiuam priuationis ad formam aliud non importare, quam quod priuatio re vera materia inesset, nisi iam forma introducta fuisset, non tamen quod reipsa pro aliqua signo ei infuerit, & per hoc ibi saluat Mariam in primo omnino signo, quo fuit filia Adæ capax gratiæ, & priuationis eius, non potuisse dici gratia priuatam, etiam si priuatio in ea præcederet habitum gratiæ negatiuè, ergo sola prioritas, vel præcessio naturalis negatiua priuationis in subiecto non sufficit ad constituendum illud verè priuatum, alioquin posset cum veritate dici Maria in primo illo instanti gratia priuata. Tum quia non dicimur priuari bono, quod possidemus ex eo solum, quod eo carere potuimus, ergo nec materia verè dicetur priuata forma, quam semper habuit, etiamsi quantum est ex se eam non habuisset, si ab agente extrinseco inducta non fuisset. Tum quia aliter oporteret dicere materiam semper forma priuatam, quia quantumcunque formam possideat, verum est dicere, quod ex se formam non haberet, si ab extrinseco inducta non esset. Ex quo etiam infertur solam illam prioritatem negationem priuationis ad formam non sufficere, vt priuatio principium dici possit physicæ mutationis, quia priuatio dicitur principiare per modum termini à quo, & per modum obiectionis, & tunc præsertim quando primò recedit, sed priuatio in præfato sensu semper dicitur conuenire materiæ, & nunquam à materia recedit, quia semper verum est dicere, quod materia priuationem haberet, nisi ab extrinseco introducta forma fuisset, cum ergo in hoc sensu materia semper dici possit priuata, non potest dici transire ab hoc esse priuato, ad esse formatum; tum quia non rectè dicitur materia deserere priuationem, quam non habuit, sed habuisset, nec à priuatione recedere, vt à termino à quo, ridiculum namque foret dicere aliquem ab Vrbe recedere, cui nunquam accessit, ex hoc solum, quod ad eam accedere potuisset.

Postremò definitio mutationis ex 6. Physic. desumpta, quod mutari est aliter se habere quam prius, non ita debet explicari, vt ad mutationem sufficiat subiectum aliter se habere per formam, quam se haberet sine ea, siue de facto aliter se habuerit, siue non, quemadmodum Auctor ille comminiscitur, & ratio est, quia hoc pacto subiectum semper diceretur mutari, quia verum semper est dicere, subiectum aliter se habere per formam etiam sibi coæuam, quam se haberet sine ea. Tum quia etiam Doctor ipse 2. distinctio. 1. quæst. 5. in fine agnouit hoc significatum mutationis, sed ait hoc non esse proprium eius significatum, secundum quod à Philosophis distinguitur generatio à creatione, quia in hoc sensu etiam creatio alicuius compositi, v. g. ignis dici potest mutatio, quia in eo est potentiale per formam actuatum, quod sine forma non ita actuaretur; idem colligi potest ex 4. distin. 11. quæst. 1. E, vbi quærit an transubstantiatio sit mutatio, Hinc videns Auctor ille mutationem in communi modo loquendi accipi in nostra significatione, ait hanc esse quæstionem de nomine, quod satis familiare est Recentioribus, qui cum sibi fingant nominum significata; non autem iuxta frequentiorem apud Antiquos acceptionem, omnes ferè quæstiones reducunt ad quæstionem de nomine; Sed etiam hoc dato, magis standum est determinationi nostræ, quia vt notat Doctor 4. distinct. 1. quæstio. 2. & Auctor ille non semel fatetur, in similibus quæstionibus standum est communi loquentium vsui; satis autem constat in communi modo loquendi illud dici mutari, quod in se aliquam suscipit variationem aliquid in se recipiendo, quod antea non habebat, vel dependendo quod habebat; quod autem nullo modo variatur, sed ab initio constitutionis eius semper inuariatum manet, non censetur mutari, ita autem est de materia, quando producitur simul cum forma sibi coæua.

QVÆSTIO III.

Explicatur distinctio motus à subiecto, & termino, actione, & passione.

21 IVxta varias explicationes formalitatum, tum motus, tum actionis, & passionis variè quoque locuti sunt Doctores de ista quæstione, quas opiniones non oportet recensere, nam ex doctrina tradita in prima quæst. faciliter deducitur solutio præsentis quæsiti.

Dicimus igitur, motum realiter distingui à subiecto, termino, actione, & passione; ita Doctor in 2. dist. 1. quæst. 5. T. vbi docet mutationem non esse idem cum forma, quia potest ab illa separari, & in 4. dist. 43. quæst. 1. D. & 3. d. 14. quæst. 1. ad 2. pro opin. & 1. dist. 2. quæst. 3. T. ait, posse motus specie differre, licet termini non differant; & 4. distinct. 13. quæst. 1. & dist. 43. quæst. 5. H. idem docet de motu in ordine ad actionem, & passionem; Prob. quia motus, vel est successiuus, vel instantaneus, terminus, & subiectum est permanens; ad terminum est motus, ad motum, non est motus 3. Physic. 15. motus est via ad terminum, nec terminus, nec subiectum est via ad terminum; motus diuidi solet in velocem, tardum, &c. non sic terminus; nec subiectum motus est quid imperfectum, & secundum, quid reale; terminus, & subiectum sunt entia simpliciter realia, habitibus præsentibus cessat motus 1. de Gen. 55. subiectum, & terminus permanent, maximum autem iudicium distinctionis realis est separatio vt sæpè diximus. Prob. de motu, actione, & passione, quia actio, & motus sunt in subiectis realiter distinctis, actio, & passio, & motus respiciunt diuersos terminos realiter distinctos, actio, & passio sunt respectus simpliciter reales motus secundum quid realis; actio, & passio separantur à motu aliquando, vt cum subiectum tempore non præcedit introductionem formæ, vel quando forma in fieri, & conseruari dependet ab agente, vt dictum est quæst. 1. & 2. Nec valet, quod ait Suar. esse solum separationem quoad connotata, non quoad formale, quia quæst. 1. huius dist. & dist. 7. quæst. 3. articul. 1. vidimus actionem, passionem, & motum essentialiter inter se differre, non connotatiuè: quod insuper addit Amic. non sequi ex ista separatione distinctionem realem, sed ex natura rei, cum non sit separatio mutua, non valet, reducit enim quæstionem de re ad quæstionem de nomine, nos enim illam distinctionem realem vocamus, quæ inter illa cadit, quorum vnum potest esse sine alio, siue mutuo, siue non; parum refert, quia talis mutuitas exigitur vtique ad separabilitatem, sed non ad distinctionem realem ex dictis disput. 3. quæst. 9.

22 In oppositum obijcies 1. quod motus realiter à termino non distinguatur. Tum quia ex 3. Physicor. 4. motus non est præter res, ad quas est. Tum 2. motus ex se dicit receptionem formæ in subiecto, & fieri ipsius, sed forma, vt est in fieri, & vt in facto esse, non distinguitur, ergo &c. Tum 3. quia motus propriam haberet existentiam distinctam ab existentia formæ, nam quæ eadem existentia existunt, nequeunt separari, nec realiter distingui, sed hoc est falsum, quia quæ habent diuersam existentiam, diuersa productione producuntur, res enim, sicut se habent ad esse, ita ad produci, ergo motus; & forma diuersa productione producerentur, subiectum per formam, & motum dupliciter mutaretur, & daretur motus ad motum in infinitum. Tum 4. si esset distinctus à forma, à quo corrumperetur; non à generante, quia ab ipso fit nec ab aliquo alio, præcipuè in motu successiuo, quia deberent simul generari, & corrumpi infinitæ partes istius entitatis, neque posset assignari, quid corrumperetur, & generaretur.

Resp. ad 1. sensum Aristot. esse, motum reperiri in illis prædicamentis, in quibus sunt termini, non in alijs, cum hoc tamen potest stare distinctio realis. Ad 2. motus non dicit formam, sed respectum secundum quid realem, qui realiter à forma distinguitur, licet ipsa vt in fieri, & facto esse, specificatiuè loquendo, non distinguatur, sed reduplicatiuè. Ad 3. concedimus, habere existentias distinctas eo modo, quo habent entitates, non tamen est vniuersaliter verum, realiter distincta, distincta per se productione produci; hinc subiectum non dupliciter mutatur, nisi quatenus fundamentaliter per formam mutatur, formaliter verò per nouam receptionem, quæ non est res de nouo producta per se, sed est ipsa receptio vt noua. Ad 4. dicimus, motum seipso etiam esse, quia est talis naturæ; nam cùm dicat respectum ad terminum à quo immediatè præcedentem, talis immediatio statim ex se transit; in motu etiam successiuo vna pars sequitur aliam, neque est impossibile, infinitas partes proportionales syncategorematicè generari, & corrumpi successiuè, vt continentur in qualibus, verum est tamen, quod totaliter motus desinit extrinsecè, vt diximus disp. præc. q. 2. art. 2. & licèt sit in continua generatione, & corruptione, non per hoc dicitur corrumpi propriè, sed existere, quia talis est natura entis successiui, & talis modus existendi ipsius, vt diximus disp. 13. q. 4. art. 1.

23 Secundò, quòd motus essentialiter ab actione, & passione non differat, præter rationes adductas ex Hurtad. quæstio. 1. & disputat. 7. quæst. 3. articul. 1. Prob. adhuc Tum quia actioni, & passioni conuenit definitio motus, nam actio est actus entis agentis, quatenus est in potentia agens, & passio actus passi, quatenus est in potentia ad passionem, est actus mobilis, vt ait Aristot. in 3. Physic. & facit subiectum aliter se habere nunc, quàm priùs. Tum 2. quæ eaudem habent priuationem, nullo modo differunt, quia priuatio, & forma immediatè opponuntur, actio, & motus sunt huiusmodi, nam quies est priuatio motus, & sicut mobile quando caret motu, dicitur quiescere, ita agens; quando caret actione, dicitur quiescere. Tum 3. quòd ex se est forma successiua, est motus, quia ens successiuum diuiditur per tempus, & motum, sed actio, & passio sunt aliquando entia successiua, vt patet. Tum 4. quod constituit agens in ratione agentis, est motus, actio est huiusmodi, nam 2. Phys. 29. causa efficiens definitur, quòd sit vndè principium motus, idest à quo motus procedit, quod autem ab efficiente procedit, vt à principio, est actio.

Respon. ad 1. nec actio est actus agentis, quatenus est in potentia idest vt dicit ordinem ad non esse immediatè præcedens, & nouitatem, sed est actus agentis respectu passi, nec passio est actus passi quatenus est in potentia in hoc sensu, sed in ordine ad agens, nec propriè est actus mobilis, sed actus passi; nam idem subiectum dicitur mobile, & passum, mobile in ordine ad nouam formam, passum in ordine ad agens inducens formam, vndè passio formaliter facit subiectum, non mutatum propriè, sed transmutatum ab alio. Ad 2. neg. minor, ad probat. dicimus, quod alia est priuatio actionis formaliter, & alia est priuatio motus, quia in diuersis reperiuntur subiectis, & vna potest sine altera reperiri, sicut & formæ ipsis oppositæ, quamuis communi nomine quietis nominentur. Ad 3. ad hoc vt aliquid motus formaliter dicatur, non sufficere, vt habeat partes fluentes, sed quòd formaliter sit successio partium, vndè ex argumento solùm sequeretur, quòd sicut partes actionis fluunt, ita successio illarum partium esset motus, & sic ad actionem esset motus, non tamen quòd actio formaliter sit motus, cur autem illa successio non sit motus, dicemus quæst. 6. articul. 4. Ad 4. neg. maior, ad probat. dicimus, per motum in illa definitione intelligi formam, sumitur enim materialiter, idcircò formale in illa definitione est ly *principium à quo*, per quod denotatur relatio efficientis, & per talem relationem constituitur efficiens in esse causæ formaliter.

QVÆSTIO IV.

An motus rectò definiatur ab Aristotele.

24 ARistot. 3. Physic. tres assignauit definitiones motus, Primam in text. 6. *motus est actus eius, quod existit in potentia, quatenus huiusmodi*, quæ definitio sic communiter traditur à Philosophis, *motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia*. Secundam in text. 16. *motus est actus mobilis, quatenus mobile existit*. Tertiam tandem in text. 23. *motus est actus eius, quod potentia actiui, quatenus huiusmodi*, & licèt quælibet harum definitionum sit bona, non tamen censendum est reuera tres esse diuersas, sed potius eandem diuersis verbis explicatam & quia inter istas prima præstantior ab omnibus tenetur, ideò erit explananda, ex cuius declaratione patebunt aliæ; vt autem distinctam habeamus cognitionem, omnes illæ tres particulæ singillatim erunt examinandæ, scilicet *actus, entis in potentia, & quatenus in potentia*.

Prima igitur particula est ly *actus*, ad cuius explicationem notant aliqui, quòd actus est duplex, substantialis, & accidentalis, primus est perfectus, secundus imperfectus, & hic est duplex, vel accidentaliter imperfectus, & talis est forma in esse remisso, quæ potest adhuc perfici; nam accidit sibi quòd sit remissa; vel essentialiter imperfectus, qui ex sua ratione formali includit imperfectionem, & talis est motus, nam ex se ordinat subiectum ad terminum, & ideò est imperfectus, vnde cessat acquisito termino, & hoc voluit innuere Aristot. text. 15. cum dixit, motum esse actum imperfectum, ita Fonseca 5. Met. cap. 13. quæst. 9. sect. 2. Auersa quæst. 26. sect. 8. Masius disput. de Motu sect. 1. quæstio. 1. Complut. disput. 16. quæst. 1. Caraffa de Concursu disputat. 17. qui addunt, in definitione ly *actus* non sumi pro isto imperfecto, aliter superfluerent cœteræ particulæ, sed pro actu abstrahente à perfecto, & imperfecto, qui vt genus contrahitur ad imperfectum essentialiter per alias particulas, tanquam per differentias. Alij aliter de actu distinguunt, nam 2. de Anim. text. 2. duplex est, primus, & est forma, secundus, & est operatio formę, primus est perfectior secundo, motus non est actus primus, sed secundus, quia est exercitium potentiæ, licèt in definitione abstrahat tanquam genus ab vtroque, ita Amic. quæst. 2. art. 2. at Themist. per actum primum intelligit illum, qui est via ad aliquem terminum, & consequenter primò habetur à subiecto, per secundum intelligit ipsum terminum, qui subsequitur, quo sensu actus secundus est perfectior, vndè ait, motum esse actum primum, non secundum, licèt actus abstrahat in definitione, ex quibus patet, quòd isti Auctores, licèt discrepent in explicatione, in re tamen conueniunt, præcipuè quia per istum actum essentialiter imperfectum intelligunt modum quendam medium inter subiectum, & formam, vel inter terminos à quo, & ad quem.

25 Nos vero iuxta dicta in prima quæst. per actum non intelligimus aliud, nisi receptionem formæ, qua subiectum actuatur, dicitur que ipsa actuatio subiecti, nec est aliquod ens modale absolutum; sed mera relatio subiecti ad formam, seu perfectibilis ad perfectiuum, quæ relatio potest dici actus perfectus, quando scilicet denominat subiectum perfectè actuatum, quod tunc est, cum intelligitur habere formam in ratione termini idest post illam immediatam successionem; tunc enim intelligitur subiectum sub esse quieto, & verificatur illa propositio, habitibus præsentibus cessat motus, vt in simili diximus disput. 5. quæst. 2. de causalitate; potest etiam dici actus imperfectus, & est cum imperfectè actuat subiectum, videlicet in illa immediata successione, in qua licèt subiectum habeat formam, non tamen habet ipsam in ratione termini, & tunc illa relatio habet rationem motus; potest etiam ista relatio actus secundus dici in primo sensu, quia est aliquo modo exercitium potentiæ mobilis, & etiam actus primus in secundo sensu, quia motus est prior forma, non quidem absolutè, nam vt sic subsequitur, cum sit relatio ab illa dependens, sed in ratione termini ad quem; in definitione verò sumitur abstractiuè, vt possit ab alijs particulis coarctari. Nec refert, quòd in text. Græco pro ly *actus* habeatur *endelechia*, quod idem significat, ac actum perfectum, qua ratione Simpl. legit *energia*, idest actus imperfectus, non refert, nam endelechia potest quamcunque perfectionem siue simpliciter, siue secundum quid significare; explicatio huius particulæ colligitur ex Scoto in 4. distinct. 11. quæst. 1. E. & dist. 12. q. 4. ad argum. & 2. dist. 1. q. 5. T.

26 Secunda particula est ly *entis in potentia*, seu vt ait Aristot. *eius, quod existit in potentia*, pro cuius explicatione variant Doctores; nam Hurtad. citat. quæst. 1. ait, per hanc particulam intelligi non

non solum mobile, sed etiam agens, & per potentiam non solùm passiuam, sed etiam actiuam; Auersa cit. ait, per hanc particulam exprimi, non solùm ordinem motus ad subiectum, sed etiam ad terminum, itaut per id, quod est in potentia, intelligitur tum mobile, quod est in potentia subiectiua ad formam, tum terminus, qui est in potentia obiectiua, vt per motum fiat, respectu cuius est etiam actus imperfectus, actus enim perfectus termini est suum esse, & existentia; fundatur Auersa in hoc, quia ordo ad terminum est principalis in motu, & debet explicitè poni in definitione, sicut ordo ad subiectum, tum quia Aristot. text. 6. inter alia exempla, quibus definitionem motus explicat, ponit, sicut generatio est actus generabilis, & corruptio actus corruptibilis, generabile autem, & corruptibile est terminus generationis, & corruptionis; & ex text. 7. & 11. affert aliud exemplum, sicut ædificabile est actus ædificabilis, nempè domus, vt Aristot. declarat, & hic est etiam terminus actionis. Alij volunt intelligi ens corporeum, & materiale, vt motum physicum substantijs spiritualibus negant; Alij dicunt intelligi corpus, quia putant, solùm motum accidentalem hic definiri, cuius subiectum est solùm corpus, noluit tamen expressè dicere, esse actum corporis naturalis; quia nondum probauerat, omne mobile debere esse corpus, quod præstat 6. Phys. 32.

Sed in primis, nequit intelligi per ens in potentia ipsum agens, vt dictum est quæst. 1. tum quia hucusque probauimus, motum formaliter non esse actionem; tum quia Arist. semper de mobili, non de agente explicat, & præcipuè text. 9. nam cùm præmisisset in text. 8. idem simul posse esse actiuum, & passiuum, licèt non secundum idem, subiungit postea, quòd motus est actus eius, non prout est actiuum, sed passiuum, & in potentia, quod etiam replicat text. 16. & text. 17. addit, quòd accidit motum actuare mouens, quia accidit mouenti, quòd mouendo moueatur, ergo per Arist. motus, vt motus, non est actus entis actiui, sed passiui, aliter non accideret motui, sed esset de intrinseca sui ratione. Accedit etiam, quòd sic esset actus primi motoris, quod tamen ibi absolutè negat Arist.

27 Secundò nequit per ly *entis in potentia* intelligi terminus, vt dicebat Auersa, quia Aristot. clarissimè quandocunque exponit hoc ens in potentia, semper loquitur de subiecto, vt patet in text. 6. quæst. 16. & 23. Tum quia motus non potest esse actus termini, quod enim actuat aliud, est in illo, illudque præsupponit, motus in sententia ipsius non est in termino, nec terminum præsupponit. Tum quia potest terminus præexistere, & postea in subiecto induci, & tamen ibi erit vera ratio motus, sed in nullo sensu posset dici terminus actuari, & motus actus termini; quod verò ait, necessario debere explicari ordinem ad terminum, iam per primam particulam explicatur, cum dicitur, quòd est actus, quia si per actum intelligitur actuatio, seu receptio formæ in subiecto, explicatur subiectum, & terminus: negatur quoque, generabile, & corruptibile ab Aristot. sumi pro termino generationis, & corruptionis, sed potius sumitur subiectiuè pro materia, eò quia generatio, vt respicit terminum, sumitur in ratione productionis, non mutationis; idem possemus dicere de ædificabili, quod intelligatur, non de domo, sed de materia domus, vt patet in text. 7. nam ibi adducit exempla de saltatione, medicatione, &c. Quod vero saltare & mederi dicitur, non est locus, vel sanitas, sed subiectum; nec vrget, quòd in text. 11. dicat, quòd ædificatio est actus ædificabilis, scilicet domus, nam posset explicari, quòd intelligat de materia domus; vel secundò, & meliùs, quòd ibi non asserit, ædificationem esse actum domus, sed solùm ædificationem esse actu ædificabilis, non antequam ædificetur domus, vel postquam est ædificata, sed quando actu ædificatur, ex quo non sequitur, domum actuari, sed potius materiam propter receptionem illius formæ artificialis domus, & quamuis domus ædificari dicatur, tunc ædificatio non sumitur, prout dicit mutationem, sed potiùs productionem.

28 Restat ergo, vt per ly *entis in potentia* intelligatur subiectum, sed adhuc per hoc non debet ens corporeum intelligi secundum veritatem, cùm Angeli sint mobiles motu physico, licèt secundum Aristot. sit verum, cùm putauerit Angelos immobiles; neque tandem per ens in potentia intelligitur corpus, quia vt videbimus in seq. quæst. sub hac definitione comprehenduntur mutationes substantiales; quarum subiectum non est corpus, sed materia. Igitur per ens in potentia intelligit Aristot. non ens transcendentaliter sumptum, sed illud, quod potest esse subiectum motus communis ad mutationem accidentalem, & substantialem, vnde & mobile dicitur, & in potentia subiectiua, tale autem est ens, non nominaliter sumptum, scilicet ens reale, siue existens, siue non, sed participaliter acceptum, scilicet pro ente in actu existente potente recipere formam aliquam, idcirco dixit Arist. est actus eius, quod existit in potentia; ita Scotus nuper cit. & in 1. d. 5. q. 2. E.

Tertia particula est, *in quantùm in potentia*, vbi aduertendum quod ly *in quantùm* potest sumi vel reduplicatiuè vel specificatiuè ex Scot. quol. 3. H. primo modo importat causam inhærentiæ prædicati cum subiecto, secundo modo dat solum intelligere, & explicat rationem, sub qua accipitur, quod id per ipsum specificatur: in proposito non sumitur reduplicatiuè, quia sic inferret propositionem vniuersalem, videlicet quòd omne ens in potentia moueretur, quod est falsum, sed sumitur specificatiuè, & importat rationem, secundum quam motus est actus mobilis, in mobili enim sunt duæ rationes, nam est ens in actu extra suas causas, & etiam in potentia ad aliud, nimirum ad terminum motus, & secundùm hanc consideratione motus est actus mobilis. Sed est dubium, quomodo subiectum possit dici esse in actu per motum, & per motum adhuc esse in potentia ad terminum.

Aliqui asserunt, mobile esse in actu respectu motus, quia habet illum, & quia motus est ratio formalis, qua mobile sit in potentia proxima ad recipiendam formam, ideò dicitur esse actus entis vt in potentia. Qui tenent, hìc solùm definiri motum successiuum; dicunt, de ratione motus esse actuare subiectum secundum aliquam partem formæ, & cum hoc simul ordinare ipsum ad vlteriorem perfectionem, & consequenter respectu istius erit in potentia, ad differentiam formæ accidentalis imperfectæ, quæ licèt actuet subiectum & ipsum relinquat in potentia ad perfectiorem formam, non tamen ipsum ordinat ad illam perfectionem vlteriorem, sed ita se habet, ac si non esset vlterior perfectio. Ex illis verò, qui sustinent, omnem motum hic definiri, aliqui declarant per istam particulam explicari potentiam, quam habet mobile, non quidem ad formam, sed ad motum, respectu cuius potentiæ motus est actus. Ruuius hic quæstio. 1. & Auersa citat. explicant istam potentiam in ordine ad formam, non ad motum, & quia motus est quædam via naturaliter præcedens terminum, ideò quando subiectum habet motum, dicitur esse in actu, sed non completo, & perfecto, quia per istum actum ordinatur ad perfectiorem actum, qui in secundo instanti naturæ intelligitur aduenire, & ideò quando subiectum mouetur, est in actu per motum, sed adhuc est in potentia ad formam; quæ explicatio in hoc differt à secunda, quòd illa ponebat subiectum per istam ordinationem esse in potentia ad formam acquirendam in tempore sequenti, ista solummodo ponit ordinationem, & potentiam ad formam in instanti naturæ subsequentem, sequitur etiam Caraffa, & Complut. cit.

29 Attamen nequit sustineri prima expositio, nam motus non est aptitudo, vel potentia ad formam, sed ratio, qua talis potentia, & aptitudo actuatur, nec est ratio constituens subiectum potens acquirere, & recipere formam, sed ipsamet acquisitio, & receptio formæ. Secunda expositio in seq. quæst. impugnabitur, vbi omnem mutationem comprehendi dicemus, pro nunc ita confutatur; motus vt motus dicitur actus mobilis in ordine ad proprium terminum, per quem actuat mobile, non in ordine ad terminũ alienum, respectu cuius non dicitur actuare mobile, cùm per ipsum non acquiratur, ergo sicut dicitur actus mobilis respectu proprij termini, ita mobile debet dici actuari à motu, quatenus est ens in potentia vt sic respectu termini illius motus, non vt est in potentia ad terminum alienum, sed quælibet pars formæ subsequentis est terminus alienus respectu motus actualis, ergo, &c. Tum quia pars prior motus, ita se habet ad formam sequentem, sicut pars formæ prior ad illam, quia vtraque potest esse sine illa parte sequenti, nam mobile, dum actu successiuè mouetur, potest se sistere, ergo sicut forma præcedens non ordinat subiectum intrinsecè ad partem succedentem, neque motus, alioquin si motus diceret ordinem intrinsecum ad illam, non posset esse sine illa, vel non posset illa pars non succedere. Tum quia sicut se habet motus partialis ad formam partialem, ita totalis ad totalem; ergo si motus partialis verè dicitur actus entis in potentia, vt in potentia, etiam totalis erit huiusmodi respectu formæ totalis, quomodo ergo subiectum per istum totalem motum erit in potentia ad vlteriorem perfectionem, cùm non adsit alia vlterior perfectio; Si dicas, motum totalem constituere subiectum in potentia ratione suarum partium. Contrà, est, nam sequeretur, definitionem propriè enti incompleto primò, & principaliter conuenire: tum quia si motus in communi est actus entis in potentia, vt in potentia, quilibet inferior erit talis, ergo etiam totalis, qui sub communi motu continetur. Tertia expositio ex se vana, nam omnis forma actuat subiectum, ea ratione, qua ipsum est in potentia, & aptitudinem dicit ad illam, & sic quilibet actus formalis esset motus. Quarta fundatur in illa entitate modali præuia sæpiùs à nobis impugnata.

Ob id dicunt aliqui Scotistæ, quòd forma potest dupliciter considerari, vt declarauimus disputat. 1. quæst. 4. vel sub immediata successione in materia ad non esse immediatè præcedens, vel post illam immediatam successionem, primo modo forma præcedit natura motum, sed habet rationem principij, non termini, seu finis; secundo modo subsequitur, & habet rationem finis, quietatque mobile; motus, inquiunt isti, dicitur actus entis in potentia, quia verè per motum actuatur subiectum, cùm habeat formam; sed quia habet illam sub ratione principij, non sub ratione finis, vndè nec dicitur tunc esse sub quiete, sed sub motu, idcircò adhuc in potentia erit ad formam sub ratione finis, & vt quietari possit, quod erit post illam immediatam successionem, quam potentiam reduplicat ly *quatenus*. Attamen potest dupliciter explicari hoc esse post immediatam successionem, vel quod dicat instans aliquod naturæ, itaut forma in eodem instanti temporis consideretur, & vt immediatè succedit priuationi, & post illam immediatam successionem, licèt in diuersis instantibus naturæ, vel quod ly dicat tempus sequens, & realem durationem subsequentem ad illam successionem immediatam; & iuxta diuersitatem hanc, diuersimodè etiam explicatur ab istis hæc potentia subiecti ad formam post immediatam

tam successionem, qua subiectum per motum dicitur constitui in potentia.

30 Sed licet ista expositio probabilitatem aliquam habeat, patitur tamen nonnullas difficultates; nam si iste ordo successionis ad non esse præcedens immediatè, & ad esse præhabitum eiusdem formę explicetur per instantia naturæ, sequeretur, quod in eodem instanti temporis subiectum simul moueretur, & quiesceret; moueretur, quia in primo instanti naturæ forma immediatè succederet priuationi; quiesceret, quia in secundo instanti naturæ, sed eodem temporis instanti forma esset in esse perfecto, & haberet rationem finis, ac consequenter non esset motus, sed quies. Si verò explicetur talis ordo secundum diuersam durationem realem, itaut in tempore sequenti forma habeat rationem finis, vt nos etiam diximus disputat. citat. quamuis melius saluaretur potentialitas subiecti ad formam in esse perfecto, & quieto; non tamen subiectum per motum dici poterit in tali potentia ad formam, vt habet esse in tempore sequenti, essentialiter constitutum, tum per rationem contra primam expositionem, quia motus non est aptitudo, seu potentia ad formam, sed ratio, qua talis aptitudo actuatur; tum etiam, quia si forma dumtaxat in subiecto duraret per instans, non haberet rationem perfecti finis, & in esse quieto & tamen verè subiectum moueretur, & verificaretur tota definitio motus, ergo nequit tunc subiectum dici in potentia per motum ad formam in esse perfecto, & quieto; quia non videtur probabile, motum ordinare subiectum essentialiter, vt tali motui subiacet, ad aliquam perfectionem, quam non habebit; quia sic daretur via sine termino; tum quia, vt dicebamus contra 2. expositionem, per accidens se habet ad motum, quod permaneat forma in tempore sequenti, ergo non respicit essentialiter formam in tempore sequenti permanentem, nec ad illam vt sic essentialiter ordinat subiectum; quæ omnia possent contra quartam expositionem adduci. Dices, etiam nos disputat. citat. concedere motum respicere formam in ratione finis, & perfecti, quod habet forma, quando motus non est, essentialiter enim res ad suum finem ordinatur. Respond. si motus sumatur secundum se, propriè respicit formam in ratione termini ad quem sub ratione principij, quomodo ab ipsa essentialiter pendet, at si consideratur, vt est à natura, quæ formam, & permanentiam ipsius in subiecto intendit ex 8. Physicor. 61. sic forma erit finis motus, sed propriè est finis naturæ.

31 Probabilius ergo, & facilius dicetur, quod per ly *in potentia* vt colligitur ex Scoto 1. distinct. 1. quæst. 5. T. explicetur alterum extremum importatum per respectum motus, scilicet non esse formæ, seu priuatio immediatè præcedens, & sensus sit, motus est actus, & actuatio entis potentialis, quatenus respicit potentiam, idest vt respicit non esse immediatè præcedens; quæ expositio potest colligi ex definitione mutationis tradita 6. Physic. 32. vt facit Doctor citat. mutari est aliter se habere nunc, quam prius, vbi per ly habere explicatur actuatio subiecti, & receptio formæ, per ly aliter nunc, quam prius, explicatur ordo ad non esse immediatè præcedens, cum ergo motus in communi sit idem ferè cum ista mutatione optima est expositio ista, quia per ly actus entis in potentia explicatur informatio subiecti à forma, per ly quatenus in potentia significabitur ordo ad non esse immediatè præcedens, in quo formalitas motus consistit. Tum quia quælibet relatio debet per sua extrema definiri, ergo & motus, qui est relatio per formam in subiecto, & priuationem immediatè præcedentem, quæ sunt ipsius extrema, debet etiam definiri; non videtur autem priuatio per aliam particulam importari posse, quam per ly quatenus in potentia. Tum quia per alias particulas non respicit motus priuationem tempore præcedentem in subiecto, nam si subiectum simul cum forma crearetur, adhuc daretur actuatio entis potentialis, quia verè subiectum haberet potentiam actuatam respectu illius formæ, ergo si per ly quatenus in potentia datur intelligi adhuc aliquod subsequens motum, scilicet formam, vel aliquid aliud, sequitur, quod subiectum realiter moueretur, quamuis non præcederet sub priuatione formæ, quia tota definitio motus saluaretur, quod tamen est falsum ex dictis quæstione secunda.

Dices, si hoc esset verum, non rectè motus diceretur actus eius, quod existit in potentia quatenus huiusmodi, sed potius quod sit actus eius, quod existebat in potentia, quia cum est motus, mobile non est in potentia cum priuatione annexa. Respon. per ly existit in potentia intelligitur ens materiale, & potentiale; quatenus est fundamentum respectus informationis passiuæ, & actuationis, & ideò rectè dicitur existentis in potentia, per ly quatenus in potentia specificatur extremum respectus informationis ad non informationem formaliter per motum importati, quod extremum est priuatio formæ in subiecto, & potentia ipsius subiecti cum priuatione, in quo sensu adueniente forma recedit ex dictis disput. 2. q. 5. art. 5. ad 1. cont. 2. concl.

32 Ex quibus omnibus colligitur primò, alias definitiones non esse ab ista diuersas, sed potius easdem, & claritatis gratia additas esse, vt patet ex sensu ipsarum. Secundò, hanc definitionem optimam esse, quia explicat quidditatem motus physici in transitu subiecti à termino à quo, ad terminum ad quem consistentis, non tamen esse purè quidditatiuam, sed datam per additamentum, puta per propria extrema, quomodo omnis respectus definitur. Patet etiam alia conditio motus, quod scilicet sit actus imperfectus, quia talis dicitur ex hoc, quod est respectus, secundum quid realis, ac etiam, quia non denominat subiectum perfectum, sed potius perfici, nam quamdiu manet ille respectus ad non informationem, nunquam dicitur subiectum acquisiuisse formam, sed solum acquirere, vt ait Arist. text. 11. & 16.

In contrarium obijcies. Tum quia motus nequit definiri, quia non est quid vniuocum ex 3. Physic. 4. Tum 2. quia non est in vno aliquo determinato genere, ergo ex proprio genere, & propria differentia non constat, & per consequens nec habebit propriam definitionem, quæ ex genere, & differentia integratur. Tum 3. quia malè dicitur, quod sit actus, nam actus, & forma conuertuntur, ergo si motus est actus, erit etiam forma, & sic erit in aliquo determinato genere, & terminus motus, sicut forma; & quia actus, & potentia sunt termini metaphysici, & contrarij, ergo malè ab Aristot. in eadem metaphysica definitione adhibentur. Tum 4. si motus est actus, ergo erit actus entis in actu, non in potentia, quia actus nequit constituere, nisi ens actuale. Tum 5. quod constituit ens in potentia, quatenus in potentia, est potentia, ergo motus erit potentia, non actus. Tum 6. propositio quatenus ipsam infert propositionem per se, & de omni ex 1. Post. capite 4. ergo si motus est actus entis in potentia, quatenus in potentia, erit etiam per se actus omnis entis in potentia, & sic motus accidentalis esset actus materiæ primæ, quæ est ens potentiale. Tum 7. si motus esset actus mobilis vt sic, cum nihil possit esse tale sine actu, secundum quem est tale, vt nullus potest esse sciens sine scientia; ergo nihil esset mobile, nisi actu haberet motum, quod est falsum, nam calefactibile est tale ante calefactionem. Tandem videtur alijs conuenire, nam anima est actus corporis physici organici, quatenus est in potentia ad vitam; tempus, & forma remissa actuant subiectum, relinquendo ipsum ad aliquam formam in potentia; & passio est, qua subiectum vt quid potentiale respicit terminum.

33 Respond. ad 1. ex dictis in Logic. diuisionem entis in decem summa genera immediatè esse famosam, & artificialem, qua supposita, quamuis dentur plures vniuoci conceptus communes illis prædicamentis, non tamen erunt generici, quia si assignaretur aliquod commune genus, non essent decem genera generalissima, & hoc modo negat Aristot. motum vniuocum esse scilicet quod sit etiam genericus, cum hoc tamen stat, quod habeat proprium conceptum quidditatiuum, qui licet non sit rigorosa definitio, est tamen oratio explicans suo modo quidditatem rei definitæ, quia constans ex conceptu contrahente, & contrahibili; per hoc patet ad secundum. Ad 3. ex dictis supra de forma, quod actus potest sumi dupliciter, vel fundamentaliter, & est forma, vel formaliter, & est respectus actuantis ad actuabile, seu perfectiui ad perfectibile, primo modo actus conuertitur cum forma, non secundo modo, motus verò dicit respectum actuabilis ad actuans, quia est actus mobilis, & se tenet ex parte subiecti: quare nec erit in determinato genere, nec terminus motus; neque actus, & potentia sunt semper termini metaphysici nisi in communi sumantur, sed in præsenti solum sumuntur contractè; neque sunt contrarij, vt in hac definitione accipiuntur, quia mobile non dicitur esse in actu & in potentia respectu eiusdem. Ad 4. patet ex dictis, quomodo motus formaliter denominat subiectum actuari, & moueri, quatenus est quidam actus imperfectus, & quomodo ly in potentia respicit carentiam formæ præcedentem. Ad 5. per idem dicimus, quòd subiectum non dicitur esse in potentia formaliter per motum, sed per potentiam passiuam, & per carentiam formæ præcedentem. Ad 6. iam diximus, ly *quatenus* non sumi reduplicatiuè, sed specificatiuè, quomodo non facit propositionem per se quatenus ipsum, nisi reduplicatiuè sumatur. Ad 7. concedimus, motum non constituere mobile in esse mobilis, sed vt tale præsupponere, sed dicitur actus mobilis vt sic, quatenus est ratio actuandi formaliter illam mobilitatem, & aliquo modo vt actus secundus se habet. Ad vltimum, anima non est actus formaliter, sed fundamentaliter, non est actus imperfectus, sed perfectus; tempus non distinguitur realiter à motu, si de intrinseco loquamur, extrinsecum vero addit quid rationis; forma remissa relinquit subiectum in potentia ad vlteriorem formam, quomodo etiam motus, per quem ipsa acquiritur; sed patet, quòd per ly *in potentia* mobile non respicit formam subsequentem, sed terminum à quo; passio tandem est receptio formæ in ordie ad agens, motus verò in ordine ad terminum à quo.

QVÆSTIO V.

Quibus motibus allata definitio conueniat.

34 CErtum est ex dictis q. 1. & præc. definitionem hanc non conuenire, nisi motus physico viribus naturæ factibili, non motui in sua communitate sumpto, dubium tamen esse potest an omni motui conueniat, & præcipuè conueniat motui instantaneo; & successiuo, & si vtrique competit, an omni contento sub ipso scilicet deperditiuo, & acquisitiuo, naturali, violento, nèutro, artificiali, æterno; & operationibus animasticis, vt sunt sensationes, & intellectiones.

Iandunus 6. Phys. q. 2. & 3. Tolet. q. 1. Conimbr. cap. 1. quæst. 1. art. 2.

Masius de Motu quæst.2 Perer.lib.13.cap.3. Moris.disputat.7. Physic. quæst.1. motus instantaneos excludunt ab hac definitione, solùm successiuos comprehendunt, & vt probabiliorem sequitur Amic. quæst.3. vbi etiam excludit motus deperditiuos, violentos, & artificiales, ac etiam operationes animasticas, quas etiam excludunt Complut.disput.16.Physic.quæst.2. & Caraff. de Concursu disputat. 17. & alij.

Dicimus, definitionem hanc communem esse mutationi instantaneæ, successiuæ, naturali, violentæ, artificiali, æternæ, & operationibus animasticis, ita Doctor in 2.dist.12. q.1. I. vbi ait Philosophum vsque ad 5.Phys.indefinitè, & vniuersaliter locutum fuisse de motu, & mutatione, & quidem: quòd mutatio instantanea comprehendatur, asserunt Suess.3.Phys.com.6.Fer,q.1.Ruuius,Hurt. Auer.Complut.& Caraff.sæpè citati. Posset 1.probari auctoritate Aristot.qui text.4.ad colligendam definitionem motus præmittit, motum non esse præter res ipsas, & statim addit, *mutatur enim semper id quod mutatur, aut secundum substantiam, aut secundum quantitatem, aut secundum qualitatem, aut secundum Vbi*, ex quibus colligitur, institutum ipsius esse de motu, vt est commune quoddam substantiali, & accidentali agere, substantialis autem est instantaneus, saltim in viuentibus, hinc text.6. probans definitionem motus inductione, connumerauit generationem, & corruptionem, idem habet text.17.vbi specialiter adducit generationem hominis.

35 Respondent, per generationem Arist.non intelligere, nisi vel alterationem illam præuiam ad generationem substantialem vel prout illa alteratio procedit, & pergit non solùm ad disponendam materiam, sed etiam ad expulsionem formæ substantialis, & introductionem nouæ formæ; vel pro toto aggregato ex alteratione, & generatione, omnibus enim his modis semper generatio est quid successiuum. Contrà, quia secundum Arist. generatio ad substantiam terminatur, alteratio ad qualitatem, & vt sic sunt species distinctæ motus in communi, sed alteratio pro præuia dispositione non terminatur ab substantiam, sed ad qualitatem, ergo vt sic non est generatio. Tum quia qualitas, prout est forma accidentalis, non distinguitur specie à se ipsa, vt est dispositio ad formam substantialem, ergo nec alteratio, vt terminatur ad qualitatem in se distinguitur specie, vt terminatur ad qualitatem vt dispositionem substantiæ. Non minus falsa est 2.responsio. Tum quia nullum alterans generat. Tum quia, vel alteratio, vt præcedit ad expulsionem formæ substantialis, & introductionem nouæ formæ terminatur ad substantiam, vel non; si secundum, ergo non potest esse generatio, quæ secundum Arist.ad substantiam terminari debet; si primum, habetur intentum quòd generatio formæ substantialis est sub illa definitione, quæ est instantanea. Si dicas, generationem esse quidem instantaneam, non tamen simul cum alteratione sumptam; Hæc est tertia responsio allata, quæ improbatur, quia sicut hoc aggregatum ex substantia cum qualitate est vnum per accidens, quia est ex rebus diuersorum prædicamentorum, ita hoc aggregatum ex alteratione, & generatione est vnus motus per accidens, ergo non potest constituere vnam per se speciem motus ab alijs distinctam. Tum quia Arist.ait, generationem esse actum generabilis, & corruptionem actum corruptibilis, hoc autem non conuenit nisi generationi substantiali, & materiæ primæ, non alterationi, & composito, quod est subiectum alterationis.

36 Amicus resp. Arist. ibi loqui de generatione substantiali, non qualibet, sed successiua, vt est generatio non viuentium. Contrà, quia Arist.in text.17. exemplum adducit de generatione hominis, quæ fit in instanti. Tum quia ex dicendis infra successio non semper arguit distinctionem specificam, ergo non est cur debeat excludere generationem substantialem instantaneam. Tum quia sub specie alterationis debent comprehendi etiam accidentales mutationes instantaneæ, ergo sub generatione quælibet generatio continetur, Prob. antecedens, dantur aliquæ mutationes naturales idest quarum principium est natura, vt sunt sensationes, & intellectiones dependentes ab anima, quatenus est natura, & physicæ considerationis, item si aqua diuinitus in instanti acquireret frigiditatem deperditam, quæ continentur sub hac definitione, quia Aristot. considerauit præcipuè motum positum in definitione naturæ. Negat Amic.mutationes instantaneas esse naturales, quia propriè operationes naturales sunt successiuæ, eò quoniam natura semper ab imperfecto ad perfectum procedit; vel quia motus successiuus est notior, & magis dat intelligere distinctionem naturalium à supranaturalibus. Sed falsum assumit, ad operationes scilicet naturales requiri, vt natura de imperfecto ad perfectum tendat, cùm hoc proueniat ex imperfectione agentis, ergo si aliquod agens ita perfectum detur, quòd possit totaliter ponere in esse terminum, & simul, ex hoc non debemus arguere, non naturaliter agere, immo perfectiùs naturaliter. Tum quia hæc conditio in definitione motus naturalis non ponitur; Neque successio requiritur, quia est notior, quia dantur etiam mutationes instantaneæ æquè notæ, vt est visio, tum quia neque hæc conditio ponitur in definitione naturalis motus, neque si adesset, excluderet à motu naturali mutationes instantaneas, quia etsi non ita notæ sint, non ob id sunt simpliciter ignotæ.

37 Secundo motus in communi ad instantaneum, & successiuum pertinet ad Physicum, vt patet, quia nec ad Metaphysicum, vel Mathematicum, qui ab omni motu abstrahunt, ergo illæ mutationes debent à Philosopho considerari, non videtur tamen alio in loco explicari ab Arist.quam hic, quia vsque ad 5. Phys. semper egit de vniuersalioribus, & communioribus, solùm ibi distinguere incipit motum propriè dictum à mutatione, ergo hic motum in communi considerat. Tum quia agens per actionem instantaneam ad Physicum pertinet, sicut passum passione instantanea, & absque vlla ratione hoc negatur ab Amico, quia ad nullum alium scientificum per se potest spectare, sed motus ab Arist. hìc definitus est ille, qui semper est annexus cum actione, & passione ergo &c. Tum quia rectè potest ipsis mutationibus instantaneis applicari allata definitio, nam verè mobile per ipsam actuatur, quatenus erat sub priuatione ad illam formam, nec requiritur, quod etiam sub motu sit in potentia ad aliam formam, vt patet ex q.præced.

Ex quibus patet probatio de alijs motibus, quibus motus in communi, qui est physicæ considerationis, se habet vt genus; & posset ostendi inductione, nam primò aliquo modo hæc definitio potest motui deperditiuo extendi, quia subiectum potentiale non solùm respicit formam, sed etiam priuationem ipsius, ergo quandocunque sub aliquo est istorum, subiecti potentia aliqua modo actuatur; hinc Arist. exemplificat etiam de corruptione & diminutione. Secundò comprehenduntur motus violenti, quia licèt subiectum non habeat inclinationem ad formam suæ naturæ disconuenientem, habet tamen potentiam, & capacitatem, quę vt sic potest intelligi actuari per motum, ex quo sequitur.

Tertiò, multò magis competere etiam neutris, & artificialibus, vnde Arist.exemplificat de ægrotatione, qui est motus violentus, & de ædificatione, qui est artificialis. Motus æternus etiam est actuatio subiecti; qua saltim subiectum secundum partes actuatur, verum est tamen, quòd talis motus implicat ex dictis disput.præc. Tandem conuenit operationibus animæ, quia sunt naturales, & verè anima per illas dicitur actuari, quatenus erat in potentia. Nec rectè à Compl.excluduntur, eo quod sint actus existentis in actu, & perfecti; qualis est anima, seu sensus, vel intellectus, qui iam factus est in actu per speciē, & per consequens perfectus, & fœcundus, & quod ex propria ratione non petunt operationes istæ; quod mobile sit in potentia, & sub priuatione, quamuis habeat capacitatem, sed in eodem instanti, in quo est intellectus, potest etiam habere suas operationes, non verò sunt actus existentis in potentia, & imperfecti, quod requiritur ad rationem motus ex Aristot. Non rectè excluduntur, quia etiam sunt actus existentis in potentia, & per consequens alicuius imperfecti, nam licet intellectus sit in potentia proxima, & actu primo proximo ad eliciendam intellectionem, quando est specie fecundatus, adhuc tamen est in potentia tum actiua, tum passiua respectu intellectionis, & verè mutatur. Et quamuis possint esse sine motu, si simul essent cum intellectu quoad durationem, non sequitur, quod quando fiunt cum motu, quod subiectum non actuetur per illas, sicut qualitates connaturales resultant in se simul cum forma substantiali in generatione absq; motu, attamen si deindo illis priuaretur, esset in vera potentia subiectiua sub priuatione, & consequenter in statu imperfecto.

38 In oppositum obijcies ex 3.Physic.1. vbi Arist. dixit, naturam esse principium motus, & mutationis, & statim addidit, videtur autem motus continuorum esse, ergo hic agit de motu continuo, & successiuo; & 5.Phys.8.negat generationem motum esse. Tum 2.motus sic debet mobile actuare, vt simul constituat ipsum in potentia ad vlteriorem perfectionem, quod instantaneo non conuenit. Tum 3. quia non videtur conuenire successiuo, quia non explicatur in hac definitione successio. Tum 4.quod nec operationibus animæ, quia anima non est natura, & quia 3.de Anim.22. ait Arist. sensationes esse motus specie diuersos ab alijs, eo quia sunt actus rei perfectæ, motus verò est actus rei imperfectæ. Tandem nec violentis, vel artificialibus, quia definitur in gratiam motus positi in definitione naturæ.

Resp.ad 1.Arist.in primo loco proponere illa, de quibus est agendū, & reddere rationem methodi; quam vult obseruare, dicens, quod semper communis sunt præmittenda, & ideò de motu in communi, de continuo, de cuius numero est motus, idest vna precipua species eius, scilicet successiuus, de loco, vacuo, & tempore loquendum, postea ad vnumquodque illorum, quæ sunt propria descendere; qua data expositione nihil concluditur. Vel dicendum, quod in motu instantaneo datur quoque continuitas secundum partes subiecti, vel formæ, vt patet in aeris illuminatione. Secunda auctoritas est pro nobis, quia cum ibi dicat, non esse motum; in hoc tertiò affirmet, sequitur, quod non eodem modo loquatur de motu, hic, & ibi, & consequenter, quod hic definiat motum in communiori acceptione, prout ad generationem substantialem, & ad motum accidentalem est communis. Ad 2. neg. assumptum, vt patet ex q.præc. Ad 3.nec debet explicari successio, quia genus à speciebus præscindit, quomodo autem applicetur motui successiuo, dicemus infra n.52. Ad 4.patet ex dictis disp.6. quomodo anima sit natura. Ad Arist.dicimus, non negare ab anima imperfectionem potentiæ passiuæ respectu sensationum, sed imperfectionem ad formam potius corrumpentem, & ad destructionem disponentem, qualis est potentia subiecti ad qualitates contrarias, vt etiam dicemus q.seq.art.4. Ad 5.dicitur definiri in gratiam motus positi in definitione naturæ, quia motus genericus necessarius est ad cognitionem inferiorum.

QVÆSTIO VI.

De speciebus motus.

39 DVobus in locis præcipuè de motu locutus est Arist. in 3. & in 5.Phys. In 3. accepit motum secundum suam communitatem, quomodo hucusque locuti sumus, scilicet prout ad quamcunque mutationem per se cōmunis est, hinc ad quatuor prædicamenta spectare, ad substantiam, qualitatem, quantitatem, & Vbi ostendit, & hoc modo non est passio corporis naturalis, quia vt sic excedit ipsum. In 5. verò diuisit motum in cōmuni in motum propriè dictum, & mutationem propriè dictam, & hanc solum ad substantiam esse, motum verò ad illa tria prædicamenta, quæ diuisio est generis in species, vt videbimus; & quia genus in species descendit per differentias, quæ diuisiuæ sunt generis, & constitutiuæ specierum, vt videamus, quot, & quę sint species motus, debemus prius differentias diuidentes motum in communi aperire, & inuestigare, quænam sit essentialis diuisio, & quæ accidentalis, ex quo postea patebit, quæ sint species motus in communi, per quid constituantur, & inter se differant.

Prima diuisio satis vulgata apud Doctores est in motum instantaneum, qui in instanti absoluitur, & in successiuum, & quia successio in aliquo sensu est de conceptu motus, potest dupliciter accipi, nam si sumatur, prout dicit transitum à termino à quo ad terminum ad quem, sic motus successiuus erit motus in communi, vt dicebamus in prima quæst. sed magis strictè loquendo successio sumi solet pro illa continua, & in tempore facta, & in hoc sensu sumitur, cum motus successiuus ab instantaneo distingui dicitur per successionem.

Secunda diuisio motus in communis solet illa assignari, quæ ab Arist. 5.Phys.7.traditur, vbi ait, omne, quod mutatur, intelligi posse mutari, vel de subiecto in subiectum, vel de subiecto in non subiectum, vel de non subiecto in subiectum, vel de subiecto in non subiectum, & omissa secunda mutatione, quæ impossibilis est, concludit, quod illis tribus modis potest contingere motus, per subiectum intelligit terminum positiuum, per non subiectum terminum negatiuum, & consequenter potest fieri diuisio bimembris, scilicet quod motus potest esse inter terminos positiuos, vel vnum positiuum, & alterum negatiuum, qui postea subdiuidatur, nam vel terminus à quo erit negatiuus, & terminus ad quem positiuus, vel totum è contra.

Tertia diuisio motus est penes terminos, ad quos terminatur, nam vel terminatur ad ens simpliciter, qualis est forma substantialis, vel ad ens secundum quid, qualis est forma accidentalis, & consequenter motus vel est accidentalis, vel substantialis; ita colligitur ex Arist. 5.Phys.8.

Quarta est in naturalem, violentum, & neutrum, qui diuisio sumitur penes habitudinem, quam dicit subiectum ad formam, nam vel naturaliter inclinatur ad illam, & sic est motus naturalis; vel potius habet oppositionem, & repugnantiam, & sic est motus violentus, vel neutro modo se habet, & sic est neuter, vt fusius diximus disp. 6. Aliæ diuisiones assignantur, sed vel conueniunt tantum motui accidentali vel solum successiuo, vt videbimus ar.vlt. & quia aliæ diuisiones motus assignatæ præter primam sunt claræ, prius debemus explicare, quid formaliter addat successio, quæ motum successiuum constituit, & ab instantaneo distinguit, deinde quænam diuisio ex ipsis sit essentialis, & quæ accidentalis.

ARTICVLVS I.

Explicatur diuisio motus in instantaneum, & successiuum.

40 ADuertendum est, quod motus successiuus dicitur etiam continuus, at non sumimus continuitatem in præsenti pro perpetuitate, quomodo Arist.8.Phys.54.& seq. dixit solum motum Cœli esse continuum, sed quatenus dicit partes termino communi copulatas, quæ partes sunt in duplici differentia, nam vel sunt simultaneæ, vt cum aer in instanti illuminatur, est motus continuus, quia totum continuum, & quelibet pars mouetur, non solum extensiuè, verum etiam intensiuè, & in hoc sensu non differt ab instantaneo; vel sunt successiuæ vna post aliam, vt cum lignum calefit successiuè, & in tempore prius secundum vnam partem, quam secundum aliam, & hoc dupliciter, vel cum interruptione temporis, si v.gr. modo moueatur lignum secundum aliquam partem per calefactionem, postea cesset à motu, deinde secundum aliam partem denuo moueatur, & calefiat, & hæc est quædam successio discreta, quia vna non est alteri continuata; secundò absque temporis interruptione, vt cum lignum calefit per horam, & in hoc sensu accipitur in præsenti; ad quam successionem vt habet Doct.in 2.dist.2.q.9. Z. & ex Arist.5.Phys.18.33.& 49. necessariò requiritur, quod sit inter extrema habentia latitudinem aliquam, siue extensiuam, siue intensiuam, nam si terminus indiuisibilis esset, non posset nisi totus simul acquiri, vel totus simul deperdi, vt diximus disp.præced.q.2.art.vlt. Nec etiam hoc sufficit, sed requiritur adhuc, quod sit inter extrema habentia contrarietatem ad inuicem, nam videmus, multas alterationes tam secundum extensionem, quàm secundum intensionem, fieri in instanti, vt est illuminatio, & hoc quia extrema non habent contrarietatem; quæ contrarietas non necessariò debet esse propria, qualis est inter formas positiuas de genere qualitatis, quia motus successiuus est ad quantitatem, & Vbi, in quibus non adest vera contrarietas, sed sufficit, vt sit quædam oppositio, qua non possit terminus ad quem à motore intentus statim induci in mobili, & terminus à quo statim expelli, sed necessarium est, vt tale mobile prius moueatur à motore per mediainteriacētia inter terminos à quo, & ad quem, intelligendo per media omne id, quod necessario præcedit inductionem terminii ad quem; ratio huius est, quia quando adest ista oppositio, verè intelligitur, acquisitionem non esse simul, & in instanti, sed in tempore.

41 Ex quo colligitur, radicem omnis successionis esse resistentiam medij ad motorem, & mobile, quatenus, scilicet non potest mobile statim moueri ad terminum ad quem à motore propter limitatam, & finitam virtutem, quę nequit separare istam resistentiam; tamen si esset virtus infinita, posset omnem resistentiam superare, & consequenter omnē tollere successionem, vt docet Doct. cit. non enim ordo ille inter terminos oppositos est ita intrinsecus, vt non possit aliter fieri, & pertransiri ab vno ad alium terminum simpliciter loquendo, sed tantum respectu limitatæ virtutis, & hoc voluit innuere Arist. cum sæpius dixit, motum esse inter contraria, idest motum successiuum tunc euenire, quando est inter terminos habentes oppositionē, & contrarietatem, vt non possit statim, & immediatè ad inuicem in subiecto succedere, sed necessariò per aliqua media ab vno ad aliud peruenitur. Quærimus igitur, quid dicat hoc esse successiuum, idest hoc, quod est esse prius secundum vnam partem, quam secundum aliam in motu, per quod motus successiuus differt ab instantaneo.

Aliqui dicunt, successionem in motu esse quantitatem quandam, quia dicit pluralitatem partium sibi inuicem succedentium, quæ quāritas ab aliquibus ponitur prædicamentalis, cum sit quædam pluralitas partium motus distincta à pluralitate partium formæ, licet ab ista proueniat, ita Murcia in prædic.quant.disp.2.q.3.Hier.Plà 3.Phys.q.3. Auers.q.22.Phys.sect.1.& q.29. sect.4. vbi etiam refert Conimbr. 3. Phys.c.2.q.2.& Fons.5. Metaph.c.13.q.10. sect.2. & qui ponunt motum in prædicamento quantitatis; ab alijs ponitur transcendentalis, quatenus ratio partium est diuersa, prout diuersæ sunt partes terminorum motus, nam aliæ sunt partes quantitatis, aliæ partes qualitatis; siue intensiuæ, siue extensiuæ, & aliæ partes vbicationis; hinc quia motus non est per ipsos quid realiter à terminis distinctum, ratio partium motus vagabitur per illa genera, ad quæ est motus, ita specialiter hæc opinio defenditur à Suar.disp.40.Metaph.sect.8. Alij asserunt, successionem formaliter dicere negationem simultatis partium motus; ita qui vniuersaliter negant, relationes esse aliquod ens à parte rei, vt Nominales omnes.

42 Dicimus, successionem formaliter non dicere quantitatem quādam, siue prædicamentalem, siue transcendentalem, neque negationē simultatis partium, sed dicere relationem, seu ordinem partium secūdum prius, & posterius termino cōmuni copulatarum, si successio est continua, vel ordinem plurium non habentium terminum communē, si est discreta: ita colligitur ex Scot.in 2.d.2.q.1.& 4.vbi sæpè ait, successionem dicere ordinem partium secundum prius, & posterius, ordo verò secundum eius doctrinam est relatio, sequuntur Capr.2.d.2.q.7. ad 7.contra 1.concl. Io.de Mag.& Reg.Paris.3.Phys.q.2.not.1. & vt probabiliorem amplectitur Amic.tr.23.q.2.dub.1.Prob.& 1.quod nō sit quantitas prædicamentalis patet ex dictis q. 1. quod verò non sit quantitas transcendens. Prob. (quæ ratio probat etiam de prædicamētali) ista ratio partium vel intelligitur de partibus terminorum, qui per motū acquiruntur, vel de partibus motus, nullum horū potest formaliter dicere successio, quia tam partes termini, quàm partes motus possunt sine successione reperiri, post motum enim manet terminus secundum omnes partes, & si terminus, qui successiuè acquiritur, acquireretur in instanti, tunc mobile moueretur secundum omnes partes motus, quibus moueretur in tempore, & successiuè, quia adesset respectus informationis ad omnes partes formæ, & ad priuationem totalem immediatè præcedentem qui respectus partialiter essent in mobili, si successiuè fieret motus, ergo successio formaliter nequit dicere rationem partium formæ, vel motus. Dices, successionē dicere rationem partium motus, non vt sic, sed vt vna est extra aliam, seu vt vna alteri succedit, quomodo non reperiretur in motu instantaneo, & hanc extreitatem partium motus, seu incompossibilitatem in eodem tempore, & subiecto formaliter importari à successione. Contra, ergo saltim habetur, quod partes motus sunt de materiali ipsius successionis, hæc autem extreitas nequit vocari quantitas nisi abusiuè, nam reperitur, vbicunque adest ordo, & tamen ordo non est, nisi quædam relatio secundum prius, & posterius, ergo successio non est quædam quantitas formaliter, quæ ex se dicit quandam partium rationem.

43 Secundò, quod non dicat simplicem negationem simultatis partium Probat. quia successio est quoddam nomen constituens illud, cui competit, in ordine ad aliud, id enim succedere dicitur, quod aduenit post aliud, sed negatio simultatis partium vt sic non constituit illud, cui conuenit in ordine ad aliud, nisi quatenus per relationem prioris, & posterioris explicatur. Quapropter formaliter dicet relationem ordinis, seu prioris, & posterioris, quia nequit intelligi aliqua sibi inuicem succedere, nisi intelligatur ista relatio inter illa, & statim ac talis relatio intelligitur, concipitur ratio successionis perfectè. Tum quia denominatiua formaliter important formam, & connotant subiectum, quæ forma postea per nomen abstractum formaliter, & absolutè significatur, sed ens successi-

cessiuum dicit partes aliquas secundum prius,& posterius ordinatas, ergo formale entis successiui erit iste ordo, & materiale partes succedentes. Et quia ordo non solum inter entia continuata adinuicem potest esse, sed etiam inter omnino separata, sed aliquo modo coniuncta, hinc successio erit duplex, continua, & discreta. Successio igitur in motu nil aliud dicit, nisi ordinem partium motus secundum prius, & posterius vni termino copulatarum, quatenus vna pars ita alteri succedit, vt semper vna sit prior, altera posterior, nec ambæ simul vnquam erunt, sed sunt vnitæ, & copulatæ mutatis esse, quæ ad instar indiuisibilium in quantitate continua permanenti copulant, & vniunt partes motus, itaut differentia inter partes motus,& mutata esse est, quod per partes motus, acquiruntur partes formæ terminantis, per mutata esse acquiruntur indiuisibilia ipsius formæ continuantia partes illas.

Sed contra arguitur. Tum quia Arist.in Prędic.c.de quant.inter species ipsius numerauit motum, & tempus ex hoc, quod sunt entia successiua. Tum 2.motus successiuus habet proprias partes proprijs continuatiuis continuatas, ergo ista continuatio successiua est quædam peculiaris species quantitatis, Prob.consequentia, quia vbi est pluralitas partium, quarum vna excludit aliam, non solum per exclusionem identitatis, sed etiam per exclusionem coexistentiæ, ibi est quantitas prædicamentalis, quia ista exclusio, seu incompossibilitas est quędam extreitas partium, sicut enim quantitas permanens facit partes extra partes in ordine ad locum eundem, ita quantitas successiua, seu successio facit partes extra partes in ordine ad idem tempus; constat autem, extreitatem esse rationem formalem quantitatis ex dictis disp.9.qu.1. art.1. Tum 3. successio nequit intelligi absque partibus, ergo partes sunt de essentia successionis, & consequenter, cum ratio partium sit saltim quædam transcendentalis quantitas, successio formaliter dicet talem quantitatem. Tum 4.relatio ista ordinis in motu est relatio rationis, ens successiuum est quid reale; ergo &c.

44 Resp.ad 1. Arist. loqui ibi secundum famosam opinionem, cuius est signum euidens, quod in 5.Met.non numerauit, nec tempus, nec motum, sed dixit, esse per accidens quanta, vt mox dicemus. Ad 2.negamus consequentiam cum probatione, non enim omnis continuitas partium est vera quantitas, quia hæc reperitur, tam in substantia quã in qualitate, etiam si à quantitate essent separata, nec omnis incompossibilitas, & extreitas partium est quantitas, sed solum illa, quæ per se conuenit partibus, quæ verò per accidens, & per aliud, non est propriè quantitas; nam non tantum quantitas habet partes extra partes sed etiam qualitas in composito quanto, & tamen ista extreitas, & impenetratio partium albedinis v.g. non est quantitas distincta à quantitate parietis, quia intantum albedo habet istam impenetrationem, inquantum est in corpore quanto, idem etiam dicendum de relatione producentis ad productum, si enim productum successiuè acquiritur, relatio etiam successiuè insurgit, non tamen ista successio est quantitas, cum per accidens ipsi adueniat, & maximè, quia relatio nequit subiectare quantitatem. Ad 3.etiam album nequit intelligi sine subiecto, nec relatio sine extremis, non tamen sequitur, quod sint de eorum essentia, hinc verum est, rationem partium esse quantitatem quandam transcendentalem, sed est tantum materiale respectu successionis. Ad 4. successionem istam esse relationem rationis in motu prout à relatione simpliciter reali distinguitur, non prout conuertitur cum secunda intentione, vt diximus de motu q.1.vide art.3.in fine.

ARTICVLVS II.

Qua motus diuisio sit essentialis, & qua accidentalis, declaratur.

45 Circa primam diuisionem in instantaneum, & successiuum aliqui asserunt illam essentialem esse, ita Hurt.disp.11.Phys.sec.10.Tat.6.Phys.q.2.§. *Primò sciendum &c.* Moris.disp.7.Phys.q.1.& 2. At Perer.lib.14.c.8.Iand.3.Phys.q.2. Conimbr.c.1.q.2. & alij distinguunt successionem à continuitate, & successionem, aiunt, consistere, vt non acquiratur forma tota simul, sed pluribus acquisitionibus, continuitatem verò consistere, vt illæ acquisitiones sine interruptione fiant, successionem dicunt esse differentiam essentialem motus, continuitatem verò proprietatem. De 2.diuisione in motum de subiecto in subiectum, &c. sustinet Auersa q.26.sec.9.& 10. essentialem esse, diuersasque species essentialiter constituere, explicans per subiectum intelligi terminum realem positiuum contrarium, per non subiectum verò priuationem alterius termini, idem sentiunt Compl. disp.2.q.1. & 3. De 3.diuisione est ferè omnium sententia, essentialem esse. At de 4. qui sustinent motum non solum à termino, sed etiam à subiecto specificari, debent adhuc sustinere hanc diuisionem esse datam per essentialia.

Dicimus 1.tertiam diuisionem esse essentialem, non verò secundam, & quartam. Concl.hæc quoad tertiam diuisionem habetur à Scot.1.dist.2.q.7.T.& dist.13.A.& Q.& 3.dist.14.q.2.E. quibus in locis docet, motum penes terminos distingui, itaut ex diuersitate specifica terminorum valeat inferri diuersitas specifica motuum, & habetur ab Arist.5.Phys.8.& patet, nam quilibet respectus specificatur à termino ad quem, ergo cum motus sit respectus, ab eodem specificari debet, ergo si termini sunt specie distincti, etiam motus, vt dicemus q.seq.ar.1. Quo ad 2.partem de secunda diuisione colligitur à Doct.4.dist.10.q.2.D.& 2.distinct.2.quæstio.7.in fine, quibus in locis ait, terminum à quo positiuum non esse per se terminum, sed tantum concomitantem, nec à termino à quo positiuo ad terminum ad quem positiuum esse vnum, sed duos motus; ex qua doctrina sic arguitur; nulla diuisio essentialis datur per extrinseca, & per accidens requisita ad constitutionem constitutorum, sed hæc est huiusmodi, Probatur, quia nullus motus necessariò petit de sua ratione formali esse inter positiuos terminos, sed inter terminos contradictorios, nam potest aliquis moueri ad terminum ad quem positiuum absque deperditione termini à quo positiui saltim per potentiam Dei, vel è contra, & tamen iste motus esset eiusdem speciei cum alij ex 4.Phys.31.vbi habetur, *Omnis igitur dealbatio omni de albationi idem secundum speciem erit*, quod etiam exemplificari poterit de illuminatione facta in instanti, & in tempore, quæ eiusdem erunt speciei, & tamen prima esset à non subiecto in subiectum, idest à priuatione ad formam, secunda à subiecto in subiectum scilicet à remissiori lumine ad intensius, tum quia idem motus successiuus potest vtroque modo appellari; tum quia Arist.1. Phys.assignauit principia motus in communi, scilicet materiam, formam, & priuationem, vt diximus disp.1.q.2.quod tamen esset falsum, si terminus à quo positiuus esset per se terminus motus; vide art.seq.& q.seq.art.1.vbi de hoc iterum redibit sermo. Tandem quo ad 3.partem de quarta diuisione patet, quia vt q.seq.dicemus, motus à subiecto minimè specificatur, ista autem diuisio est data in ordine ad subiectum. Accedit, quòd in motu respectus subiecti ad formam est materiale motus ex dictis q.1.hæc diuisio est per tales respectus, vt patet, vndè post motum naturalitas, violentia, vel neutralitas manent, ergo non erit essentialis motui, sed accidentalis, & extrinseca.

46 Dicimus 2. quando successio, & instantaneitas proueniunt in motu ex rationibus ipsorum terminorum, vt ex propria natura successiuè, vel in instanti solum petant produci, ista diuisio in instantaneum, & successiuum essentialis erit; at si prouenient ab aliquo extrinseco, puta vel ex impotentia agentis, vel ex motu locali, & continua approximatione agentis ad passum, itavt terminus vtroque modo possit acquiri, accidentalis erit. Prima pars de essentiali diuisione potest colligi ex Arist.in omnibus illis locis, quibus Aduersarij demonstrare nituntur, motum essentialiter successiuum esse, vt videbimus artic.seq.& ex Doct. vbicunque docere videtur, motum essentialiter successiuum esse, & in tempore necessariò fieri, mutationem verò in instanti, vt in 2.dist.2.quæst.12.F.& in 3.dist.3.q.1.B.& probari potest, nam quod nequit separari ab aliquo, vel est differentia essentialis, vel passio inseparabilis nobis differentiam essentialem circumscribens, sed forma, quæ in tempore est tantum acquisibilis, nequit acquiri in instanti, & quæ est in instanti acquisibilis, nequit fieri in tempore, ergo ista successio, & instantaneitas necessariò conueniunt motibus, quibus tales formæ acquiruntur, ergo diuisio motus per istam erit essentialis, quatenus est data per aliquos modos intrinsecos motui, qui possunt nobis circumscribere differentias essentiales.

Ex quo patet 2. pars, quòd quando forma non petit, vel in instanti solùm, vel in tempore acquiri, successio, & instantaneitas accidunt acquisitioni illius formæ, & consequenter eiusdem essentialis speciei erit acquisitio illius, siue in instanti, siue in tempore fiat. Tum quia ex Aristot.5. Physic.31. *Omnis dealbatio omni dealbationi idem secundum speciem erit*, ergo si lumen acquireretur in instanti, vel in tempore, illuminationes illæ erunt eiusdem speciei. Tum quia motus dicunt respectum subiecti ad formam, & respectum informationis ad non informationem ex q.1. sed respectus subiecti ad formam eiusdem est rationis, quando forma in instanti acquiritur, & quando successiuè, vt patet, nam iste respectus manet transacto motu, & eodem modo denominat lumen v. gr. aerem illuminatum, siue in instanti, siue in tempore fuerit acquisitum, itavt non est diuersæ speciei respectus, quem dicit subiectum ad totam formam, & ad partem formæ; similiter respectus totius informationis ad non informationem totalem est eiusdem speciei cum respectu informationis partialis ad non informationem partialem, quia sicut forma est eiusdem rationis, ita priuatio ipsius; successiuum autem solùm dicit de nouo respectum ad esse partiale immediatè præcedens, & subsequens, & instantaneum carentiam talis respectus, quæ possunt separari à motu, ergo &c. Hæc concl.sustinetur à Murcia 3. Phys.disp.1.q.1.cap.4.& vt probabiliorem sequitur Amic.tractat.23.qu.5. concl.5.

47 Quoniam autem secundum veritatem quilibet motus in tempore factus potest de potentia Dei in instanti fieri; præterquam localis motus includens totam realitatem termini motus, vt dicemus articul.5. idcircò successio secundum veritatem solummodo motui locali totam realitatem includenti essentialis erit, alijs verò motibus accidentaliter conueniet, propter scilicet impotentiam agentis creati non potentis vincere resistentiam medij, cùm sit finitæ, & limitatæ virtutis, vt diximus cum Scot.2.dist.2.q.9.Z.art.præc.in not. vndè eodem modo se habebunt formę illę secundum veritatem quo ad successionem, & instantaneitatem, ac se habet naturaliter lumen, quod vtroque modo potest acquiri, & visio, quæ licèt in instanti fiat, potest tamen, si obiectum secundum partes, & successiuè præsentetur aspectui, fieri successiuè. Attamen quia Aristot. non agnouit potentiam istam Dei absolutam, sed quod naturaliter euenit, putauit ab intrinseco, & ex naturis rerum conuenire, itavt non possit oppositum contingere, ideò in sententia ipsius formę illæ, quæ naturaliter in

in tempore dumtaxat acquiruntur, nullo modo possunt haberi in instanti, & quæ solùm in instanti, nullo modo in tempore; tales præcipuè erunt; quæ alias formas habent contrarias immediatas, & etiam quantitas, & vbi locale, vt art.4. dicemus, consequenter in sententia Philosophi successio motibus istis, & instantaneitas erunt essentiales differentiæ, vel illas circumscribent.

Hoc totum autem est intelligendum de successione, quæ cum continuatione conuertitur, non quæ interruptionem habet, nam vt docet Doc.2.dist.2.q.9.N.motus successiuus continuus debet esse, vndè Aris. potius dixit, motum esse continuum, quàm successiuum, vt in 3.Phys. 1.& 70.& 4.Phys.99.& 113.& 6.Phys.ferè per totum; ratio huius est, quia ad vnitatem numericam motus, vt dicemus seq.q. requiritur vnitas temporis, itavt si tempus esset interpolatum, non vnus, sed plures numero motus censerentur, plura autem indiuidua diuisa non possunt vnam numero essentiam integraliter constituere. Argumenta contra istas concl.soluentur in seq.art.

ARTICVLVS III.

Per quid motus propriè dictus à mutatione strictè sumpta distinguatur.

48 Certum est apud omnes, motum in communi non esse passionem corporis naturalis, quia ipsum excedit, cùm possit materiæ primæ conuenire, quatenus communis est ad mutationem substantialem, & accidentalem, vndè distingui solet in motum propriè dictum, & in mutationem propriè dictam, & ille pro principali passione naturalis corporis assignatur, & ab ista essentialiter distinguitur; hinc vt cognoscamus hanc præcipuam corporis naturalis passionem, debemus propriam differentiam ipsius constitutiuam inuestigare. Auersa, & Compl.loc.cit.præc.art. aiunt, per hoc motum à mutatione distingui, quia termini motus, siue à quo, siue ad quem sunt positiui, & contrarij, mutationis verò vnus est positiuus, alter priuatiuus, & contradictoriè opponuntur. Qui sustinent, diuisionem in successiuum, & instantaneum esse essentialem, etiam asserunt per istas differentias motum, & mutationem essentialiter inter se distingui.

Dicimus, 1.motum, vt est passio corporis naturalis, non distingui à mutatione, quia habeat terminos positiuos, mutationem verò vnum priuatiuum, alterum positiuum, aut quia motus est successiuus, mutatio instãtanea, sed distingui quia terminus ad quem motus est aliquod esse secundum quid, idest accidentale, terminus à quo priuatio istius esse; subiectum verò aliquod potentiale ad ipsum, siue fiat in instanti, siue in tempore; at terminus ad quem mutationis est aliquod esse simpliciter, seu substantiale, terminus à quo est priuatio istius, subiectum verò aliquod essentialiter incompletum, & potentiale ad istud esse; ita ex nostris Ant.Andr.11.Met.q.vn. Prima pars, quod non differant penes terminos positiuum, & priuatiuum, patet ex Scoto cit.art.præc. concl.1. & rationibus ibi adductis. Tum quia multi transitus à non subiecto in subiectum, conueniunt corpori naturali, non solum neutri, vt illuminatio aeris, verum etiam naturales, vt sunt omnes sensationes, intellectiones, & si aqua esset à Deo omni frigiditate priuata absque calore, & postea ex se rediret ad frigiditatem, ergo quia transitus isti verè sub passione corporis naturalis continentur, mutatio, vt à motu passione distinguitur, non differt per habere terminum à quo priuatiuum. Tum quia transitus materiæ ab vna forma substantiali ad aliam non est motus propriè dictus, sed mutatio, sed multi ex istis sunt à subiecto in subiectum, ergo hæc non est differentia distinguens motum à mutatione, minor Prob.quia non est maior ratio cur, scilicet inter albedinem, & nigredinem reperiatur motus aliquis per se vnus, & non inter ligni formam, & formam ignis.

49 Resp.neg.sequelam, nam albedo ita ex nigredine fit, vt non æquè, & indifferenter ex quouis alio fieri possit, sed solum ex nigro, vel ex alio colore medio, quatenus participat nigredinem, non ex alia qualitate, calidum ex frigido, quantitas maior non nisi ex minori, & in latione motus deorsum fit ex loco sursum, at vna forma substantialis potest ex quauis alia generari; propter igitur istam naturalem exigentiã, quam habent ista accidentia, vt ex determinato termino à quo fiant, quæ in formis substantialibus non adest, datur illa per se motus, non inter ista. Sed contra, quia vt notat Doct.2.d.2.q.12. C. etiam in aliquibus formis substantialibus reperitur iste determinatus ordo, vndè acetum non nisi ex vino fieri potest, forma cadaueris ex forma viuentis in Auers.opinione, & forma corporis organici ex semine, nec ex quouis, sed ex illo, quod prouenit ab aliquo eiusdem speciei. Nec valet, quod aiunt, animal ex semine tantum produci, non quia requirat necessariò formam seminis, sed ex necessitate dispositionum, quæ formam animalis præcedere debent, & istæ solum formam seminis comitantur per se. Non valet, quia in nutritione caro maior non nisi ex minori fit, & è contra, non solum ratione quantitatis, sed ratione ipsius carnis, quæ diuisibilis est seclusa quantitate, ex dictis disp.3.q.4.& disp.9.q.1.nam etiam augetur forma substantialis, tum quia si dispositiones requisitæ ad formam animalis per se concomitantur formam seminis, non corrumperent istam formam, sed cum illa permanerent, ergo non ratione dispositionem, sed ipsius substantialis formæ petit animal taliter produci. Tum quia corrupta forma seminis, corrumpuntur omnia accidẽtia illam formam consequentia, & in semine subiectata; ergo non est cur magis propter dispositiones forma prerequiratur, quam propter seipsam. Tandem, vel istæ dispositiones possunt esse absque forma seminis, vel non; si primum, ergo si in ligno essent, animal ex ligno posset generari, quod non videtur verum; si secundum, ergo quia istæ dispositiones proueniunt à forma seminis, debemus etiam dicere, animal non tantum dispositiones illas prærequirere, verum etiam substantialem formam, sine qua nec illæ dispositiones essent, vide q.seq.art.1.concl.1.

50 Secundò, quod neque per successiuum, & instantaneum distinguantur, patet ex Doctore, qui motum localem naturalem ponit, quem concedit in instanti fieri posse, vt in 2.d.2.quæst.11.& 12.& 3. d.4.& 4.dist.43.q.5.& alibi. Tum quia etiam admisso, quod diuisio per instantaneum, & successiuum sit essentialis, adhuc non per hoc motus propriè dictus, vt est corporis naturalis passio, constituitur per successiuum, quia dantur multæ mutationes instantaneæ, quæ naturaliter conueniunt corpori, vt de sensationibus diximus. Tum quia mutatio est solum ad substantiam secundum Aristot.5.Phys.9. motus ad accidens, sed datur mutatio substantialis successiua, vt est nutritio, & generatio inanimatorum ex dictis in lib.de Gen.ergo successiuum, & instantaneum non distinguunt motum propriè dictum à mutatione dicta.

Tertiò quod distinguantur assignato modo est Arist.5. Phys.8. vbi volens indagare distinctionem mutationis à motu, non arguit, eo quia mutatio est in instanti, motus in tempore, vel quia mutatio est inter contradictoria, motus inter contraria; sed probat duplici ratione, scilicet quia quod generatur, non est, quod mouetur, est, idest, vt explicat Doctor 2.d.2.q.1.I.& 4.d.11.q.3.Ee. subiectum generationis non necessario est in actu completo, sed debet esse aliquod potentiale ad esse simpliciter; quod verò mouetur, est necessariò ens in actu, nec vt sic aliquo esse simpliciter caret. Secunda ratio, quod mouetur, est in loco, quod generatur non est in loco, ergo mutatio non est motus, scilicet vt declarat Doct.in 4.cit.omne, quod mouetur, necessariò est in loco, vel per formam prius acquisitam in mobili, quod tali motu mouetur, vt euenit in atteratione, & latione, quibus quantitas, quæ est ratio essendi in loco occupatiuè, & circumscriptiuè, præsupponitur, vel est in loco per eandem formam, secundum quam mouetur, vt in auctione; at quod generatur, idest quod est subiectum generationis, quatenus est tale subiectum, nec est in loco per formam prius acquisitam, quia quantitas non est subiecto generationis ratio formalis recipiendi formam substantialem, nec est in loco per formam, secundum quam mouetur, quia substantialis forma non est ratio formalis locationis circumscriptiuæ: ecce quomodo tam secundum Arist. quam secundum Scot. motus, & mutatio non distinguuntur, nisi secundum differentias in concl.assignatas; & rectè quidem, nam respectus cuiuscunque differentiæ ex differentijs extremorum cognoscitur, cum igitur extrema motus in communi, qui ad quatuor tantum prędicamenta terminatur, primò diuidantur in esse simpliciter, & in esse secundum quid; idest substantiale, & accidentale, quorum priuationes, & subiecta sint alia, & alia, & motus in communi primo in motum propriè dictum, & in mutationem propriè sumptam diuidatur, per differentias assignatas debet diuidi. Tum quia ex ex nostra positione clarè patet, quomodo quilibet motus sit passio corporis naturalis, quia nullum ens, nisi compositum, est subiectum accidentium ex dictis disp. 3.q.1.

31 Dicimus 2.motum accidentalem, & propriè dictum iuxta dicta ar.præc.concl.2.posse diuidi in instantaneum, & successiuum tanquã in species, præcipuè secundum Aris.cuius principalis intentio est motum successiuum explicare, & motus instantaneus potest mutatio secundum quid vocari, vt facit idem Arist.5.Phys.7. successiuus verò absolutè motus secundum eundem tex.9.& hoc per anthonomasiam, sicut motus accidentalis absolutè motus appellatur. Conclusio pẽdet ex dictis art.præc.cit.nam si instantaneum, & successiuum in sentẽtia Aristot. sunt modi essentiales motus, & motui accidentali conueniunt, essentialiter ipsũ diuident, ex quibus Arist. peculiariter motum successiuũ considerauit, vt patet ex toto progressu Philosophiæ, nam specialiter locutus est de illis motibus, qui in actionibus rerum naturaliũ reperiuntur, & generationi, ac corruptioni inseruiunt, tales sunt motus successiui, & precipuè in Physicis intendit agere de motu locali, vt patet in 6.& 8.Phys.de instantaneo verò parũ est locutus. Et quia successio nequit intelligi perfectè, quin etiam intelligatur terminus positiuus à quo, cum si. ordo inter vtrunque talis autem, vt plurimum sit terminus contrarius, vel habens rationem contrarij, qualia sunt media, vel gradus remissiores formæ, hinc est quod talis motos circũscribitur ab Arist.per hoc, quod est, esse à subiecto in subiectum, idest à contrario in contrarium, non quod terminus à quo positiuus sit specificatiuus essentialiter motus successiui, sed potius est quid connotatum termini à quo primarij, & vt terminus concomitans terminum per se primarium, qui est priuatio formæ.

Contra primam conclus.instatur ex Auersa, Tum quia Aristot.5. Physic. 7.præmittit diuisionem illam motus facti vel ex subiecto in subiectum, &c. vt diximus initio q. determinat deinde in eodem text. & 9. mutationem esse, qua fit à non subiecto in subiectum, seu inter terminos contradictorios, motum vero, qui fit à subiecto in subiectum, & inter terminos positiuos; hinc ait tex.9, *Quoniam autem omnis motus mutatio quadam est, mutationes autem tres, quæ dicta sunt harum autem esse, qua sunt secundum generationem, & corruptionem, non sunt motus, hæ autem sunt, qua secundum contradictionem* fiunt,

Vbi, non enim datur alius terminus realis illius realis actionis præter illum respectum, vt diximus disp. 11. ad quem consequatur, vt est in alijs respectibus.

ARTICVLVS V.

An quilibet horum motuum possit fieri in instanti.

60 QVæsiti sensus non est, an motus cum sua successione, & continuatione possit fieri in instanti, implicat enim quia successio, cùm dicat ordinem prioris, & posterioris, non possit esse in instanti; sed an motus, qui est successiuus, possit in instanti fieri, scilicet an terminus motus possit acquiri non solùm successiuè, sed etiam in instanti, quod dupliciter potest euenire, vt notat Doct. 2. dist. 2. q. 11. C. primò acquiratur per motum includentem totam realitatem, & est quando per illum motum instantaneum acquiritur totum id, quod per successiuum habetur, secundo quòd acquiratur per motum includentem realitatem termini motus, vt quando per motum instantaneum solùm habetur; id, quod terminasset, & absoluisset motum successiuum, vt in motu locali terminus est vltimum Vbi, & loquimur etiam de potentia absoluta Dei. Communiter negatur, motum posse in instanti fieri, quòd si esset, non diceretur motus, sed mutatio, quam opinionem Thomistæ præcipuè sustinere debent, & ad omnes motus extendere saltim naturaliter, eò quod iudicant impossibile cum D. Tho. 1. par. q. 53. art. 3. mobile quiescere in toto tempore, & in instanti illius moueri, & mutari. Regentes tamen Parisienses 6. Phys. q. 1. collat. 2. docent saltim per Dei potentiam omnem motum fieri posse in instanti eo quia tempus potest à motu separari, vt ab eo realiter distinctum.

Dicimus primò, naturaliter loquendo licèt generatio viuentium instantanea fit, nutritio tamen, generatio non viuentium, augmentatio, alteratio inter contrarias qualitates, & motus localis fiunt successiuè, non in instanti; potest etiam naturaliter dari aliqua alteratio in instanti. Concl. habet multas partes, quas non oportet omnes probare, sed ex lib. de Gen. supponere, quæ scilicet ad generationem, nutritionem, augmentationem, & alterationem successiuam spectant, pro nunc sufficit, quòd cùm isti motus sint inter contraria requisita ad motum, & agens creatum sit limitatæ virtutis, non potest statim secundum omnes partes mobilis, quibus non est æquè applicatum, vincere resistentiam contrarij, sed prius secundum vnam partem, quam secundum aliam, fortiùs enim agit in propinquiorem, quam in remotiorem, ex quo sequitur, alterationem inter contrarias qualitates fieri successiuè, & consequenter generationem inanimatorum, nutritionem, & augmentationem, quæ alterationem consequuntur: generatio verò viuentium, quia requirit determinatum subiectum debitè dispositum, & organizatum, nec in quamcunque minimam partem potest infundi anima, hinc in instanti completiuo organizationis fit animatio, hæc omnia fusius in proprio loco: probatur modo de motu locali, nam in isto reperitur sufficiens contrarietas ad successionem, sursum enim, & deorsum sunt termini motus localis inter se contrarij, habentque latitudinem quandam extensiuam, & agens est finitæ, limitatæ virtutis, non potens vincere istam resistentiam, ergo &c. ita Doct. in 2. d. 2. q. 5. N. O. & Z. accedunt rationes Aristot. in text. & ratio Scot. in 2. d. 2. q. 11. & 12. si naturaliter fieret motus localis in instanti, vel fieret per medium, vel non; si primum, ergo naturaliter idem mobile simul in pluribus locis adæquatis; secundum est falsum, quia ordo præfixus à superiori agente est necessarius inferiori, ergo cùm sit à Deo præfixus ordo partium vniuersi, non poterit agens creatum absque omni ordine se mouere ad quodlibet Vbi.

61 Secundò, quòd fiat naturaliter aliqua alteratio in instanti est Scot. 2. dist. 2. q. 11. contra Thomistas, quem ferè omnes Recentiores sequuntur, & patet in illuminatione aeris. Respondet D. Tho. aerem successiuè illuminari propter motum localem Solis; addit Caiet. aerem ante illuminationem non verè quiescere, quia semper acquirit nouos respectus maioris, & maioris propinquitatis Solis ad ipsum, licèt neque propriè moueri dicatur, quia ad relationem non est per se motus. Contrà, inquit Doctor, si Sol, vel aliud luminosum in instanti fieret in aere tenebroso, in eodem instanti fieret illuminatio. Nec valet dicere cum Caiet. hoc esse verum, quia fit transitus ad potentiam Dei supernaturalem. Non valet, quia actio supernaturalis non terminatur ad illuminationem, sed ad esse luminosi, vel ad locum in illo aere, illuminatio verò esset actio naturalis, sicut cum cęcus supernaturaliter illuminatur, naturaliter postea videt, tum quia si in aere tenebroso accenderetur lucerna, hæc esset productio substantialis ignis, quæ secundum ipsum est in instanti, & in instanti aer illuminaretur; tum quia visio, intellectio, & volitio in instanti eliciuntur.

In oppositum de motu locali instatur (nam contra alios motus relinquitur ad lib. de Genes.) probando, non fieri successiuè; primò, quod impartibiliter acquiritur; & deperditur, non potest successiuè acquiri, & deperdi. Vbi est huiusmodi ergo, &c. Maior patet, quod successiuè acquiritur, prius secundum vnam partem, quàm secundum aliam fit, non totum simul, Minor prob. Vbi est circumscriptio, quæ consistit in indiuisibili, ita quod quocunque addito, vel variato, variatur quoque circumscriptio; tum quia si deperderetur in tempore itavt post instans fit aliqua pars ipsius Vbi, aut erit in eadem parte mobilis, in qua primò erat, aut in alia; si primum, ergo illa pars quiescit, quamuis totum moueatur, quod est falsum, si secundum, ergo de subiecto in subiectum migraret.

62 Resp. ex Scot. quol. 11. L. vbi ait; quod diuisio in respectum prouenit ex diuisibilitate absoluti in quo fundatur, vel ad quod terminatur, hinc sicut superficies loci, quam respicit Vbi, est duplex, alia adæquata, & æqualis mobili, quæ scilicet mobile ambit, & continet: alia totalis, & inadæquata & est tota illa superficies inclusa inter terminos à quo, & ad quem, qui se habent vt loci adæquati, sic Vbi, seu presentia mobilis ad superficiem est duplex, adæquatum, seu æquale, inadæquatum, & totale, & sicut prima superficies respectu mobilis se habet vt indiuisibilis, quia non excedit, neq; exceditur, ita Vbi correspondens, superficies verò altera, scilicet totalis, quia se habet vt excedens mobile, & diuisibilis, est acquisibilis per partes, prius enim mobile acquirit secundum eandẽ partem sui priorem partem superficiei, quàm posteriorem, sicut prius vnam partem aeris ab rumpit, quàm aliam, & eadem pars superficiei prius habetur à priori parte mobilis, quam à posteriori, quando vtrumque ex partibus constat, sic præsentia mobilis correspondens erit etiam diuisibilis, vt prius secundum vnam partem istius præsentiæ mobile dicatur præsens, quàm secundum aliam: tunc ad argumentum dicimus; minorem esse veram de Vbi adæquato, de quo etiam probationes procedunt, non de totali, & sic solùm sequitur, motum ad illud esse instantaneum, quod aliud non erit, nisi mutatum esse; at motus ad istud erit successiuus, sicut successiuè, & in tempore potest illa superficies acquiri, & pertranfiri; vnde dicebat Arist. quòd mobile in tempore semper est in maiori spatio, quia scilicet in tempore non potest esse in spatio sibi æquali, aliter non moueretur, sed in maiori, non quod istud spatium, vel maior locus sit quædam congeries locorum adæquatorum, quia tunc continuum ex indiuisibilibus componeretur, sed est vnus locus continuus, in quo sicut in quolibet continuo infinita loca indiuisibilia continentur, quę in quolibet instanti acquiruntur, & ex ista compositione, & diuisibilitate loci materialis debemus inuestigare diuisibilitatem, & compositionem loci pro formali quo ad partes suo modo integrantes.

63 Dices, si successio Vbi prouenit ex successione alicuius absoluti, ergo debet dari istud absolutum successiuè intrinsecum mobili, quod sit causa successionis Vbi. Tum quia continuum debet habere propria indiuisibilia, quibus continuatur, vt patet, at non potest intelligi, quomodo in respectu possit dari pars alteri parti per indiuisibile medium vnita, omnes enim respectus videntur numero distincti. Resp. ad 1. ex quol. ci. negando, successionem respectus extrinsecus adeuenientis prouenire ex successione absoluti, sed benè prouenire diuisionem, ex quo postea sequitur, posse esse successionem in respectu absq; successione in absoluto, superficies enim non est successiua, sed permanens, at circumscriptio ex superficie proueniens potest esse successiua, quatenus potest patibiliter acquiri, cùm habeat propriam nouitatem. Ad 2. dicimus, dubium hoc esse cõmune omnibus respectibus, quando enim aliqua forma producitur successiuè, non potest in instãti insurgere in causa relatio producentis, & in effectu relatio producti, nec est idem omninò, & indiuisibilis respectus, quo causa dicitur producens omnes partes, aliter producendo primam partem diceretur actu producens secundam partem, vt arguit Doct. in 3. d. 8. probando, eundem respectum non respicere plures terminos totales, neque sunt in causa plures respectus distincti omninò, & quasi diuisi, quot sunt partes formæ, aliter essent numero infiniti, nec diceretur causa vnica productione producere; integratur ergo ex istis respectibus partialibus vnus totalis, qui ad acquisitionem illius formæ continuam, & successiuam, successiuè, & continuè insurgit in causa, & possemus dicere, quòd continuatur suo modo, itavt ex acquisitione partium formæ insurgant partes respectus, & ex acquisitione indiuisibilium continuantium partes formæ insurgant indiuisibilia continuantia partes respectus, quæ in motu dicuntur mutata esse: fatemur, rem difficilem explicatu esse, nec mirum, si enim quidditatem relationis vix concipere possumus, multò minus ipsius componibilitatem, quæ neque in rebus magis materialibus perfectè potest intelligi.

64 Secundò præter rationes adductas in explicatione tex. 6. Phys. c. 8. arguitur adhuc; Tum quia in Vbi nõ est contrarietas, cùm nõ sint actiua, & passiua, neq; suscipit magis, & minus, ergo non potest successiuè acquiri. Tum 2. quod mouetur, partim est in termino à quo partim in termino ad quem; sed nihil potest esse partim sursum, partim deorsũ. Tum 3. si detur motus localis; vel mobile in eo est in loco sibi æquali, vel maiori; non primum, quia mobile, quamdiu est in loco sibi æquali, non mouetur; neque secundum, quia mobile in motu quantum acquirit spatij ex termini ad quem, tantum deperdit ex parte termini à quo, ergo semper est in spatio, sibi æquali. Tum 4. quod videtur in instanti, fit in instanti, motus ab oculis videtur in instanti, quia visio fit in instanti. Tum 5. quia in quolibet instanti mobile acquirit nouam relationem distantiæ, ergo in quolibet instanti mouetur localiter. Tum 6. D. August. de resurrectione ait, corpora gloriosa pari celeritate pertransire spatium, sicut radius Solis illuminat totum spatium, sed hoc fit in instanti, ergo &c.

Resp. ad 1. non requiri ad motum successiuum contrarietatem strictè sumptam, sed illam explicatam art. 1. quæ est in Vbi, & ex hoc quòd non suscipiat magis, & minus, solùm sequitur, non esse motum secundum intensionem, erit tamen secundum extensionem. Ad 2. respõdet Doct. in 2. d. 2. q. 9. X. neg. minorem, quando mobile est tale, vt secundum ipsum sit etiam successio in motu, scilicet quod sit diuisibile, nam secundum vnam partem est in vna loci parte, & secundum alteram in alia, imò secundum eandem est partim in termino à quo, partim in termino ad quem, quatenus est in aliquo medio, quod est aliquid vtriusq; vndè idem non potest esse partim sursum, partim deorsum, loquendo de Vbi adæquatis, non verò de partibus, & medijs; non simul, sed in tempore. Ad 3. dicimus esse in maiori loco, ad improbationem respondemus, in quolibet motu esse infinitas deperditiones, & acquisitiones syncategorematicè, vt dictum est disp. 9. q. 2. & sic excedit ipsum mobile. Ad 4. non quamlibet visionem fieri in instanti, nisi quando res ita se habet, quia ad visionem requiritur etiam obiectum, at quando species successiuè deferuntur ad oculum, vt est in motu, successiuè etiam videtur res illa. Ad 5. distantia non fit nisi per motum, & consequenter successiuè, non in instanti, quamuis loquendo de termino distantiæ insurgat in instanti, sed talis infert mutatum esse, non motum. Tandem ad Aug. dicimus, quòd velit solùm circumscribere breuissimum illud tempus, quo Beati mouebuntur, non quòd verè, & propriè erit instantaneus motus.

65 Tertiò, quod non detur naturaliter instantanea alteratio, arguũt Thomistæ; Tum quia nullum quiescens in aliquo tempore, potest in instanti terminatiuo moueri, vel mutari, ergo cùm omnis instantanea mutatio sit terminus motus, nequit dari naturaliter instantanea mutatio, quin adiuncta sit motui successiuo, Prob. antecedens, de ratione quietis est, vt quiescens non aliter se habeat nunc, quàm priùs, ergo in quolibet nunc temporis mẽsurantis quietem quiescens eodem modo se habet tam in primo, quàm in medio, & vltimo, & de ratione motus est, vt mobile aliter se habeat, nunc quàm priùs, ergo in quolibet nũc temporis mensurantis motũ mobile est in alia, & alia dispositione. Tũ 2. vbi adest prius, & posterius, ibi est motus successiuus, non instantaneus, in qualibet mutatione interuenit prius, & posterius, quia mutari est aliter se habere nunc, quam prius 5. Phys. 7. Tum 3. omnis terminus ad quem subsequitur, inquit Caiet. aliquod fieri secundum naturę cursum, quia nihil nouum repentè fit, quin aliqua præcesserit via ducens ad illum terminum, ergo nihil potest in instanti acquiri.

Resp. ad 1. neg. antecedens, ad Prob. ly nunc dupliciter sumi potest, vel pro indiuisibili continuante, aut terminante temporis partes, vel pro parte temporis illi nunc propinquiori; siue sit preterita, siue futura, vndè solemus dicere, nunc Petrus venit; in definitione quietis, quæ est priuatio motus successiui; non potest sumi primo modo, quia in instanti mobile nec quiescit hac quiete, nec mouetur motu successiuo, sed sumitur secundo modo, at in definitione mutationis ly nunc accipitur primo modo, & est sensus, mutari est rem aliter se habere nunc indiuisibiliter, quàm prius diuisibiliter, vt diximus disp. præc. q. 2. ar. 2. ex quo neg. consequentia, in illo enim instanti mobile non quiescit quiete opposita motui successiuo, nec mouetur tali motu, sed mutatur, & non habet quietẽ huic mutationi oppositam, quod dicitur immutatũ. Ad 2. maiorem esse veram, si prius, & posterius sunt partes intrinsecę, falsam, si vnum intrinsecum, alterum extrinsecum, in proposito ly nunc est intrinsecum mutationi, prius verò extrinsecum. Ad 3. patet ex dictis disp. 5. q. 2. quomodo fieri non debeat præcedere terminum. Et certè si istæ rationes concluderent, non solùm ostẽderent, hoc esse naturaliter verum, & gratia materiæ, vt inquiunt Thomistæ, sed absolutè, & gratia formæ, itaut oppositum etiam de potentia Dei implicaret fieri, nam quod est de ratione alicuius nequit ab illo separari, & quidquid respondebitur ab ipsis, si istæ rationes formarentur contra casus illos, in quibus ponunt mutationem instantaneam, poterit à nobis in proposito applicari, vt fusiùs dicitur in tr. de Angelis.

66 Dices, si possibiles est alteratio instantanea, & si medũ diuisibile sit, cur non etiã motus localis? vel si dimensio est causa successionis in motu locali, cur non etiam in illuminatione? Resp. Doct. in 2. dist. 2. q. 12. ad 2. quòd quando agens est tantæ virtutis, quod respiciat totũ passum tanquam terminum indiuisibilem, & formalem secundum vltimum gradum, potest formam illam in instanti introducere, vt est in illuminatione, at in alijs motibus non ita euenit, qualitates enim, quæ habent contrarium, non respiciuntur ab agente vt formę indiuisibiles propter resistentiam contrarij, nec agens habet illas secundum vltimũ gradum statim, sed ordinatè propter eandem rationem: in motu locali dimensio medij est causa, cur sit successiuus, quia ordo præfixus est, vt non perueniatur ad extremum nisi transeundo per medium, & quia non potest idem simul esse in medio, & in extremo, hinc non respicitur illa spatij dimensio à virtute motiua tanquam aliquod indiuisibile, vt fit illuminatione, ex qua non sequitur illud absurdum, quia lumen secundum eandem partem non est in toto spatio, sed secundum diuersas.

67 Dicimus 2. omnes motus successiui in præc. concl. numerati possunt de potẽtia Dei in instanti fieri, & includere totã realitatẽ, præter localem, qui eo casu dumtaxat includeret realitatẽ termini motus, etiam spectata potentia Dei. Prima pars, quod possint in instãti fieri, est Scot. in 2. d. 2. q. 11. & 12. & 3. dist. 2. q. 3. & dist. 4. §. *Potest dici, &c.* & 4. d. 43. q. 5. Prob. de alteratione, totã ratio successionis prouenit ex resistencia contrarij ad motorẽ non potentẽ statim illã superare, sed Deus potest vincere subito omnem resistentiã, & suspendere omnẽ actionẽ inter contraria, vnde & qualitates in summo potest in eodem subiecto collocare, ergo &c. ex quo sequitur, generationem, nutritionẽ, & augmentationẽ fieri posse in instãti, quia successio in istis prouenit ex successione alterationis. De motu locali probatur, nam corpus Christi in opinione admittente conuersionẽ adductiuam in instanti descendit sub speciebus sacramentalibus, qui est quidam motus localis, & quãdo in instanti fuit generatum in vtero Beatæ Virginis in instanti materia requisita fuit ad locum debitum adducta, vt ferè omnes Theologi sentiunt; resurrectio quoque erit in instanti, in qua potest contingere, quod materia rarior constringatur adueniente noua substantiali forma, & densior rarefiat, qui sunt motus locales ad quos sequuntur alij motus locales aeris circumstantis; tum quia nulla apparet ratio implicantiæ.

68 Secundò, quod alij motus, præter localem, includant totã realitatem motus, patet, quia Deus non induceret solum in subiecto id, quod vltimo alterationem successiuam terminaret, sed totam entitatẽ qualitatis, idem de substantia, & quantitate dicendum. Quod verò localis motus solum includeret realitatem termini motus, est Scot. in 2. d. 2. q. 9. Z. & q. 12. ad 2. & in 3. d. 4. C. vbi loquens de motu locali instãtaneo à Deo facto, ait, hoc esse, quia cum sit agens supremum, habet omnia media pro non medijs, & ita se habet in termino motus instantanei, ac si transisset per media, ergo de mente Scot. in motu locali instantaneo non habentur illa Vbi intermedia in mobili, sed statim fit in Vbi vltimatũ, quod est moueri motu includente realitatem in termini motus; clarius hoc habet quol. 7. supra M. & videtur esse contra Fuentes 6. Phys. q. 2. diff. 1. art. 2. concl. 2. Probatur, si hoc posset fieri, necessariò per eundem numero motum instantaneum deberet corpus illud occupare medium, & finem spatij; sicut per eundem numero motum successiuum occupat totum illud spatium, sed hoc est impossibile, ergo &c. Maior patet ex definitione motus includentis totam realitatem, & exemplo aliorum motuum, minor Prob. non potest facere Deus, quod idem corpus in eodem instanti occupet totum spatium, nisi replicando illud toties, quoties requiritur ad totalem repletionem, v. g. decies, sed istæ replicationes non integrant verè, & propriè vnum numero motum, sed tot motus sunt numero distincti, quot replicationes, ergo &c. Maior patet ex communi consensu in explicando, quomodo idem possit esse simul in pluribus locis, minor Prob. ad vnitatẽ numericam motus requiritur vnitas numerica termini, vt q. seq. sed illa Vbi non faciunt vnum Vbi continuum sicut fit, quando successiuè per illud spatium mouetur, sed potius sunt plura distincta Vbi, ergo &c. Minor patet, quia corpus replicatum non continuatur sibi ipsi, sed est contiguum, nam nequit replicari absque superficie, & consequenter sicut corpus replicatum æquiualet duobus, ita illa eadem corporis superficies se haberet, vt duo extrema, quod est esse contiguum; tum quia per motum successiuum non solum decem Vbi, sed infinita syncathegorematicè acquiruntur, sicut instantia continuantia tempus sunt infinita, quæ Vbi non habentur per illas replicationes. Isti tamen transitus rectius dicentur mutationes, quam motus, iuxta dicta art. 3. concl. 2. quia motus propriè sumitur pro successiuo; licet sit quæstio de nomine.

69 Sed contra instatur, quod motus localis in instanti factus includat totam realitatem. Tum quia si tanta virtus mouet in tanto tempore motu includente totam realitatem, ergo maior virtus eodẽ motu mouebit in minori tempore, ergo infinita in instanti mouebit motu includente totam realitatem. Tũ quia concedit Doct. in 2. d. 2. q. 12. C. quod possit Angelus in instanti moueri de vno ad alium locum, & simul habere omnia Vbi media ordine quodam naturę, non durationis, ergo multo magis de potentia Dei poterit aliquid moueri in instanti de vno ad aliud Vbi includendo omnia intermedia, quod est moueri motu includente totam realitatem.

Resp. neg. vltimam seq. sufficit enim vt possit mouere in instanti, vt dicitur in concl. & hoc propter repugnantiam adductam, non propter impotentiam infinitæ virtutis. Ad 2. Scot. ibi loquitur de Vbi medio, quod est aliquid extremorũ, v. g. si Vbi adæquatum est palmare, si esset quantitas bipalmaris, essent duo Vbi adæquata, inter quę mediarẽt infinita Vbi palmaria cõmunicantia, quæ essent aliquid vtriusq; adæquati Vbi, non verò de medio, quod nihil est extremorum, quale esset palmus aliquis non communicans, qui mediaret inter illa Vbi, inter quæ media hæc est differentia, quod primum, cum fiat per diuisionem secundum partes proportionales, non actu mediat, sed potentia, secũdum verò actu mediat, quia est per partes æquales, non communicantes, facitq; actu latera distare, & consequenter ordo inter Vbi extrema per media ista non est eiusdem rationis, nam inter illa est ordo potentialis, inter ista actualis, vt ait Doctor. Ad propositum, inquit ipse, quod si Angelus moueret se ab extremo ad extremum, inter quæ esset primũ mediũ, haberet ordine quodam naturæ ista Vbi media, nõ actu accipiendo illa, sed potentia, sicut nec actu mediãt; at si moueretur ab extremo ad extremum per secunda media, scilicet non cõmunicantia, necessario deberet illa habere actualiter, sicut actualiter mediant, & consequenter ordine durationis, quia non potest simul plura Vbi habere; & hoc est, quod ait Scot. quod habet omnia illa Vbi intermedia ordine quodam naturę, inter quę est ordo potentialis ex natura rei, sed non oportet, quod ea habeat ordine durationis; hinc non sequitur; Angelum in instanti mouere se motu totam realitatem includente, sed solum realitatem termini, nam omnia illa media solum potentialiter, non actualiter habet; ita Pater Vulpes disp. 19. de Angelis art. vlt.

ARTICVLVS VI.

De speciebus accidentalibus motus.

70 MOtus in communi, vt diximus in principio huius q. diuiditur in naturalem, violentum, & neutrum, tanquam in species

cics accidentales quæ diuisio & si præcipuè motui accidentali conueniat, potest tamen in aliquo sensu etiam substantiali accommodari, corruptio enim dicitur violenta materiæ, & inclinatio eius in formas aliquo modo neutra, ex dictis disp.2.q.5.& disp.6. vnde potest postea motus naturalis subdiuidi in motũ ad substantiam, quantitatem, qualitatem, & Vbi; similiter motus neuter, & violentus suo modo & quilibet etiam subdiuidi iuxta diuersitatem essentialem motus; sed præcipuè de motu locali violento solent assignari tanquam species cum Arist.6.Phys.18.pulsio, tractio, vectio, vertigo, seu circũuolutio; pulsio diuiditur in impulsionem, & expulsionem; impulsio requirit, vt mouens, seu pellens non relinquat id, quod mouet, quamdiu mouetur, sed illi coniungatur, vel immediatè, vel mediante aliquo instrumento; expulsio est, quando expellens, seu mouens relinquit mobile, dum mouetur, vt proijciens lapidem; tractio est, quando mouens trahit mobile ad se; vectio, quando ad motum vnius mouetur aliud illi adhærens vertigo denique, cum aliquid circumagitur.

Secundò diuidi potest in rectum, & reflexum; motus rectus erit transitus, à termino à quo ad terminum ad quem, reflexus est regressio per eandem viam ab eodem termino ad quem, qui in reflexione habet rationem termini à quo, ad terminum à quo priorem, qui erit terminus ad quem huius reflexionis; & hæc diuisio licet conueniat magis motui locali, potest tamen omnibus alijs motibus accomodari, maximè successiuis, ita Arist.8.Phys.64.65.

71 Tertiò diuiditur in velocem, & tardum; velox est, quo mobile breui tẽpore multum spatium absoluit; tardus verò, 69. & 7.Phys.21. quæ differentiæ non proueniunt in motu ex maiori, vel minori interpositione morularum inter partes motus, vt dicebant Antiqui, alioqui pars rotæ axi propinquior, quia tardius mouetur deberet scindi ab ea, quæ est versus circumferẽtiam, & velocius circumagitur, & hoc, quia illa quiescit, ista mouetur; sed proueniunt ex maiori, vel minori virtute motiua 2.Cœli 36.ex maiori, vel minori densitate, & raritate medij 4.Physicor.71.ex figura mobilis magis, vel minus apta ad scindendum edium ex Arist.ibid.& ex resistentia, vel facilitate ipsius mobilis; hinc velocitas, & tarditas in motu se habet; sicut raritas, & densitas in corpore, raritas enim est, qua corpus habet parum de materia sub magna dimensione, densitas multum de materia sub parua dimensionem intellligitur maior, vel minor extensio in ordine ad locum, vt in lib.de Gener.dicitur; sicut ergo raritas, & densitas nil aliud supra eandem quantitatem addunt, nisi nouos respectus ad maiorem, vel minorem locum, ita velocitas, & tarditas supra eandem motum addunt respectum ad maius, vel minus tempus: & ista diuisio non solum motui locali, verum etiam cuilibet generationi, augmentationi, & alterationi successiuæ conuenit.

Quarta diuisio, quę ex precedent. sequitur, est in motum regularem, & irregularem, seu vniformem, & difformem; primus est, qui fit semper eadem velocitate, & tarditate, secundus, qui fit modò velociùs, modò tardiùs, ita 5.Phys.54.

72 Et quoniam hoc, quod est, motum esse velocem, vel tardum, cõstituit motum in ordine ad alium motum, vndè fieri potest, vt idem motus respectu diuersorum sit simul tardus, & velox, sequitur, vnum motum esse cum alio in velocitate, & tarditate comparabile, de qua comparatione agit Arist.7.Phys.à tex.21.vsque ad finem, ideò quia de tarditate, & velocitate egimus, operæ pretium est aliquid de ista comparatione subiungere. Sciendum est igitur, quod comparatio est vnius, vel duorum in aliquo tertio collatio secundum æquale, vel inæquale, magis, vel minus; dicitur vnius, vel duorum, quia idem potest cum se ipso comparari secundum diuersa tempora, vel dignitates, status, & similia; dicitur in aliquo tertio, quod dupliciter fieri potest, vel immediatè, vt homo, & cygnus in albedine, vel immediatè in duobus, & mediatè in vno, vt Petrus est ita albus, sicut Sortes est niger comparatio immediatè est in albedine, & nigredine, mediatè verò in intentione; ex quo elicitur istud tertium debere esse vniuocum, nam æquiuocum non est aliquod vnum participatum à pluribus, quod requiritur ad comparationem, sed est immediatè plura in multis; an verò debeat esse non solùm vniuocum, verùm etiam species specialissima, dubium est inter Doctor. & Arist. in textu videtur asserere, debere esse in specie athoma, attamen possumus dicere, comparationem strictè sumptam debere fieri in aliqua specie vltima, at non per hoc debet negari, posse fieri in genere comparationem aliquam saltim largè sumptam, & non ita propriè, solemus enim dicere, calidum esse maioris actiuitatis, quàm siccum, & tamen actiuitas caloris specie differt ab actiuitate sicci, & multæ aliæ comparationes similes fiunt, quæ eò magis impropriæ erunt, quo tertium illud erit vniuersalius & remotius à specie specialissima. Et ratio est, quia sub genere, vt inquit Arist. multę latent equiuocationes propter differentias specificas, quarum vna semper est altera perfectior; Arist. verò de prima solum est locutus: istæ sunt regulæ communes à Philosopho assignatæ; deinde ad sunt aliæ regulæ, quibus motus in particulari comparari possunt, supponendo priùs, quod in quolibet motu quatuor reperiuntur, mouens, mobile, tempus, & spatium, seu latitudo formæ; quas regulas assignauimus in exposit. tex. lib.7.Physic.c.3.in fine, & quia nulla occurrit difficultas momenti, vide ibi, ne eadem bis repetamus.

QVÆSTIO VII.

De Proprietatibus Motus.

73 DVæ præcipuè sunt motus proprietates, vnitas, & contrarietas, & quidem de contrarietate pauca dicemus, quia nullũ diffidium est apud Doctor. vnitas verò est triplex, generica, specifica, & numerica, quas vnitates certum est ab intrinseco sumi ex propria ratione formali motus, sed quia rationem istam formalem motus non cognoscimus, nisi arguitiuè, & per extrinseca, vt fit in qualibet relatione, ideò quærendum est, vndè tales vnitates sumantur; quinque autem sunt, quæ ad motum concurrunt, scilicet terminus à quo, siue per se, vt priuatio, siue concomitans, vt forma positiua corrumpenda, terminus ad quẽ, mobile, agens, & tempus; fatentur omnes, vnitatem genericam, vel specificam à tẽpore non desumi, quia in eodem tempore possunt fieri motus specie, & genere diuersi sicut, idẽ motus genere, vel specie in diuersis temporibus. Insuper si loquamur de vnitate generica, qua motus naturalis, & physicus, à motu supernaturali distinguitur, sic à subiecto desumi debet, quia vt diximus q.1.motus in sua vniuersalissima ratione diuiditur in successionem termini ad quem factã in subiecto, & in successionẽ termini ad quẽ post terminum à quo sine subiecto, quare subiectũ erit, quod facit motũ physicũ differre à creatione in ratione mutationis acceptæ, vt scilicet dicit respectum ad non esse immediatè præcedens; idẽ quoque asserendũ de vnitate generica, qua motus vt passio corporis naturalis, & propriè dictus differt à mutatione proprè dicta, vt dictum est qu.præc.ar.3. vbi non solùm penes terminos distinctionẽ illorum assignauimus, verùm etiã penes subiecta cum Arist.5.Phys.8.dubium ergo est de alijs; nam qui tenent, motũ à mutatione distingui, eò quia ille est inter terminos positiuos, ista verò inter terminos priuatiuè oppositos consequenter coguntur asserere, vnitatem genericam motus propriè dicti à termino à quo positiuo desumi; quod multi extendunt ad omnẽ motũ, & mutationẽ, videlicet vnitatem genericam, & specificam à termino à quo, & à termino ad quẽ accipi; citantur pro hac sententia Sampson 5.Phys.q.6.Burlæus q.2.Murcia disp.2.qu.1.c.2.Morif.disp.7.Phys.q.6.Auersa verò qu.26. sect.12.addit, non solùm vnitatem specificam à termino à quo, & ad quẽ, sed etiam à subiecto, & ab agente desumi, ita vt variatio specifica cuiuslibet, secundum ipsum variat specificè motũ; at Fuentes 5.Phys. qu.1.n.4.asserit, motum pro fluxu formæ à nullo termino specificari. De vnitate numerica loquitur Arist.5. Phys. à tex.34. ad quam asserit requiri vnitatem numericam mobilis, termini ad quem, & temporis, sed postea 8.Phys.49.82.& seq. adiungit vnitatem numaricam motoris, ita vt quocunque istorum variato, variari quoque vnitatem numericam motus sit necesse, quod dictum de motore præcipuè asseritur à Masio 5.Phys.sect.2.q.1.& ab omnibus illis defendi debet, qui motum ab actione nullo modo ex natura rei distinguunt.

ARTICVLVS I.

Ostenditur, à quo vnitas motus generica, & specifica sumatur.

74 DIcimus, neque ab agente neque à termino à quo, siue positiuo, siue priuatiuo per se desumi vnitatem motus genericam, & specificam, neque istam à subiecto, licet generica sumatur, sed vtramque per se à termino ad quem esse accipiendam. Concl. est Scoti 1.d.2.q.7.T.& d.13.A.Q.& 5.d.14.q.1.E.& 4.d.43.q.1.D. quibus in locis docet, motum à termino ad quem specificari, estq. ferè communis, & Prob.1.quod ab agente non specificetur est Arist.5.Phys.31. & deinceps, vbi loquens de motus specificatione, non assignat motorem, tum quia eadem forma specifica potest à diuersis agentibus specie produci, ergo & eadem muratio, quia magis forma dependet ab agente, quàm mutatio; tum quia motus ex se non respicit agens, neque agens est extremum relationis per motum importatæ ex dictis q.1.ergo nequit ab agente specificari.

Secundò, quòd non specificetur à termino à quo, neque vnitatem genericam accipiat ab illo, patet ex dictis q.præc.art.2.& 3. & Prob. adhuc; Tum quia non desumit suam vnitatem à termino à quo negatiuo, & per se, quia quod non est, non potest ens reale specificare, & vnitatem realem tribuere; tũ etiã quia iste terminus à quo euanescit in motu, nec per se intenditur à natura, specificatio autem, & vnitas sumitur ab eo, quod maneat in motu, & per se intenditur à natura. Neque à termino positiuo & concomitanti; tum quia Arist. 5. Phys.48. negat motum à termino à quo denominari, sed à termino ad quem. Tum quia quando subiectum transit à contrario in contrarium, negari nequit, qui sint duæ mutationes, vna deperditiua, acquisitiua altera quærimus igitur, an motus iste, qui distinctus genere ponitur ab istis mutationibus per hoc, quòd est inter terminos positiuos, est quid integratum ex illis duabus mutationibus, vel omninò distinctus; si primũ, ergo est ens per accidens, quia includeret in suo conceptu formali mutationem priuatiuam, & mutationem positiuam, quæ sunt specie omninò distinctæ; si secundum, ergo eadem forma simul acquiritur duobus motib. specie distinctis, scilicet motu isto, & mutatione acquisitiua, quod est falsum, quia sicut vnica actio sufficit ad vnicam formam, ita vnicus motus; immo quodlibet mobile non solùm istis tribus motibus assignatis moueretur, cum à contrario in contrarium transit, verùm etiam alijs duobus, videlicet ab intensione nigredinis ad remissionem eiusdem, & à remissione albedinis ad intensionem eiusdem, & sic quinque motibus simul moueretur, quod est entia multiplicare sine necessitate. Tum quia per Auersam terminus à quo non dat vnitate specificam motui, quæ à termino ad quem desumitur, sed genericam, ergo idem terminus ad quem duas vnitates specificas tribueret, Probatur, quia motus ab albo in nigrum accipit vnitatem genericam ab albo, & specificam à nigro; motus à non nigro: in nigrum à termino à quo priuatiuo accipit vnitatem genericam à nigro vnitatem specificam, quæ esset distincta ab vnitate specifica motus ab albo in nigrum, sicut diuersa sunt genera, sub quibus continentur, ergo duæ vnitates specificæ distinctæ ab eadẽ nigredine prouenirent, contra Arist. 5.Phys.31.dicentem *omnis igitur dealbatio omni dealbationi idem secundum speciem erit, & omnis denigratio denigrationi*.

75 Nec valet, quod aiunt, nigredinem sumi posse dupliciter, vel materialiter, seu secundum propriam entitatem, vel formaliter, vt terminus motus; hoc modo, non illo specificat motum, & quia vt terminus nata est terminare motum, vel à contrario positiuo, vel à priuatione, ideò duplex formalitas termini in illa reperitur, secundum quas duos motus specie distinctos potest specificare. Non valet quia id est ratio formalis terminandi motum in nigredine, quod est ratio, cur appetatur à natura, & intendatur, & qua subiectum perficitur, vnde rationẽ finis habet, sed talis nõ est respectus, & ordo, quem forma dicit ad terminum à quo, sed entitas ipsius, vt patet, ergo secundum istam formaliter terminat: & cum hæc sit vnica tantum, non nisi vnicam specificam vnitatem tribuere potest. Tum quia termini motus sunt incompossibiles ex.5.Phys.26.sed terminus positiuus à quo, puta albedo remissa stat cum termino ad quem, scilicet cùm albedine intensa, ergo terminus positiuus non erit per se terminus motus & ideò non poterit ab ipso motus desumere aliquam per se vnitatem, quia non specificatur motus per se ab eo, quod per accidens se habet ad motum. Dices, albedinem vt remissam, quomodo est terminus æquè esse incompossibilem cum albedine intensa. Contra albedo vt remissa dicit entitatem illam albedinis, & carentiam albedinis intensæ, secundum primum manet, non secundum priuationem, ergo secundum priuationem annexam est per se terminus à quo motus, non secundum entitatem positiuam; ergo secundum hanc entitatem non dat motui vnitatem.

76 Tertiò quod à subiecto, quamuis vnitatem genericam motus physici desumat, non tamen specificam per se, & essentialem. Prob. ex Arist. sæpè cit. tex. 31. vbi nullam fecit mentionem de subiecto, sed omnem dealbationem esse eiusdem speciei determinauit; quo loco nõ de vnitate specifica subalterna loquitur, vt falsò exponit Auersa, sed de vnitate specifica specialissima, & athoma, quã intendebat explicare Aristot. ait enim *Specie quidem vnus est cum genere sit vnus, & in indiuidua specie sit*, deinde subiungit exemplum dealbationis, & denigrationis. Tum quia idem calor specie erit, siue in aqua, siue in ligno inducatur, ergo eadẽ eductio, & motus specie essẽtiali erit, quia immediatius subiectum concurrit ad formam, quã ad motum, nã illã respicit secũdum esse ipsius formæ, istũ verò, quatenus ad respectum informationis concurrit, qui est materiale motus, ex dictis q.1. Tum quia esse calidũ vt nouum eiusdem speciei in omnibus subiectis, quia est effectus formalis caloris, & ab vna causa formali est vnicus effectus formalis, ergo motus à subiecto non specificatur, quia nouitas solum addit respectum ad non esse precedens, quod semper est eiusdem rationis, sicut esse de nouo acquisitum est eiusdem rationis in quocunque subiecto.

77 Tandem quod à solo termino ad quem per se specificetur, patet ex sufficienti diuisione, & ex Arist. sæpè cit. Tum quia terminus ad quẽ est per se intẽtus in motu, & ad ipsum motus ordinatur, se habet vt finis, vnde à termino ad quem denominatur, vt à calore calefactio, à sanitate sanatio, &c. A termino ad quem accipit perfectionem, vt generatio est alteratione perfectior, quia forma substantialis est perfectior qualitate: quod totum est etiam verum de motu formaliter sumpto, & pro fluxu formæ, nam calefactio propriè non dicit calorem, sed fluxũ seu acquisitionem caloris, alioquin non rectè diceretur mutũ per materiali specificari à termino ad quẽ quia vt sic solũ dicit formã acquisibilẽ, & sensus esset, quod à se ipsa specificaretur; & in hoc sẽsu quoq. locutus est Scot.loc.cit.ex quo patet falsas opinionis Fuentes negãtis motũ pro fluxu ab aliquo termino specificari. Addit tamen Doct.in 1. d.2.q.7.T.quod quamuis ex distinctione specifica terminorum semper inferri potest distinctio specifica terminorum, nisi quando aliæ duæ propositiones verificantur, prima est, motuum differentium specie sunt fluxus differentes specie; secunda est forma fluens, vel forma, secundum, quam est fluxus, est eiusdem rationis cum forma terminante; vbi autem altera istarum est falsa, propositio illa, quod motuum specie differentium sint termini specie diuersi, est falsa; quomodo autem hoc intelligatur, patebit ex solutione argumentorum.

In oppositum arguitur, quod ab agente specificetur motus; tũ quia 3.Phys.23.motor ponitur in definitione motus, ergo ab ipso debet specificari. Tum 2.quia generatio vniuoca, & æquiuoca solũ penes agẽtia differunt, & tamen specie distinguntur ex Scot.4. d.43. q.1.D. idem dicẽdũ de generatione hominis, & resurrectione, & de alijs motibus supernaturalibus, & naturalibus respectu eiusdem termini comparatis. Tum 3.quod etiã à subiecto specificetur, & à termino, à quo, Probatur, quia motus hæc tria essentialiter includit, scilicet terminũ à quo, terminũ ad quẽ, & subiectum, ergo ab his tribus specificatur. Tum 4. ad idẽ, quia naturale, & violentũ sunt cõtraria. 1.Cæli 10. quæ specie differunt 2.Phys.64.ergo motus naturalis, & violentus specie differunt, sed naturalitas, & violentia sumuntur in ordine ad subiectũ, ergo &c.

78 Resp.ad 1.ex dictis q.1.contra Hurt.& q.2.sustinentem, motum formaliter esse actionem (vbi etiam alia argumenta fuerunt soluta, quæ possent ad propositũ adduci) quòd ibi Arist. solũ enumerauit, quæ necessariò ad motũ concurrunt nõ, quæ ipsũ specificant. Ad 2. dicimus quòd si generatio vniuoca sumitur pro toto progressu, quo productũ generatur cõpletè, specie differt ab æquiuoca, si eodẽ modo sumatur, quia diuersi sunt termini inducti ab illis agentibus in materia, dum illam disponunt, & sic forma fluens non est eiusdem rationis cũ forma terminante, vt dicebat Doct.cit. nam forma fluens est forma priùs inducta ad dispositionem materiæ, non enim eodem modo in principio disponitur materia muris producti ex putri, & materia muris ex semine generati, at si generationes vniuoca, & æquiuoca sumuntur pro introductione vltimæ formę, erunt eiusdem speciei, sumendo illas in ratione mutationis, & solùm per connotationes diuersorum agentium differunt, idem quoque dicendum de resurrectione, & generatione hominis, & de alijs motibus, differunt enim extrinsecè, non intrinsecè; vel sumuntur generationes in ratione productionis, non in ratione mutationis, ex quibus patet, quomodo intelligendus est Doct. cit. dum generationes istas specie distingui asseruit. Ad 3. negamus conseq. non enim quodlibet specificatur ab omni eo, quod in suo conceptu essentiali igreditur, sed ab eo dumtaxat, quod se habet vt determinãs; sicut materia, quamuis sit de conceptu hominis, non tamen specificat illũ, sed solùm forma; modò subiectum est nimis commune, & potest recipere plurimos motus specie, vel numero distinctos, & etiam genere, ideoque vnitas generica potest aliquo modo ab ipso desumi, non specifica; terminus verò à quo nequit specificare, quia est non ens, & cõcurrit recedendo, vt diximus; adde quod priuationes specificantur à formis, quibus opponuntur, & consequenter tota specificatio ad ipsam formam reducetur. Ad 4. verum est consequens reduplicatiuè, non verò simpliciter considerando in se motus illos, naturalitas enim & violentia accidunt motui, sicut rectum, & circulare quantitati.

79 Secundò quòd à termino à quo positiuo specificetur, præter rationes superiùs adductas, q.præc.art.2.& 3. Probatur adhuc; tum quia ex 5.Phys.4.& 48. habetur, quòd motus magis denominatur, à termino ad quem, quã à termino à quo. Supponit igitur Arist. ab vtroque simpliciter denominari, & specificari, licèt minus principaliter à termino à quo. Tum 2.quia ex 7.Phys.5.vnus specie motus est, qui ex eodẽ specie termino in eundem specie terminum tendit. Tum 3.quia motus aeris sursum ad superficiem ignis à terra, & motus eiusdẽ à concauo Lunæ ad eadem superficiẽ differunt specie, sicut motus rectus, & circularis ad idem vbi terminatus, vt cũ Arist.7.Phhf.21.docet Scot.in 3.d.14 q.1.E. & 4.d.43.q.1.D.ex ista enim differentia Arist.1.Cęli 8.tex.5.vsque ad 15.colligit numerũ corpor ũ simplicium, & concludit præter quatuor elemẽta, corpus quoque cœleste admitti, debere, quod circulariter moueatur; sed omnes isti motus penes terminos à quibus differunt, vel penes media, quæ in ordine ad quos se habent vt termini à quibus, &c. Tum 4. motus à nigro in albũ per viride specie distinguitur à motu à nigro in albũ per rubeũ, & tamen non nisi in medijs differunt, quæ respectu albedinis se habent vt termini à quibus, vt diximus: item motus à quantitate tripalmari ad bipalmarem, & à palmari ad bipalmarem specie differunt, quia vna est auctio, altera diminutio.

Resp.ad 1.ly magis sumere Aristot. pro simpliciter, scilicet denominatur motus à termino ad quem simpliciter, nullo modo à termino à quo, vt patet ex adductis exemplis in tex.48.de sanatione, & ægrotatione, quæ nullo pacto à terminis, à quibus denominantur. Ad 2. sicut quemlibet motum acquisitiuum vnius contrarij comitatur deperditiuus alterius, sic ad vnitatem specificam motus acquisitiui concomitãter se habet vnitas specifica termini à quo positiui, non per se; hinc solũ ait Arist. motũ eundẽ specie esse, qui ab eodem specie termino à quo ad eundẽ specie terminũ ad quẽ tendit, non tamen è cõuerso, si est à diuerso specie termino ad eundẽ specie terminũ motũ specie differre, alioqui sibi cõtradiceret 5.Phys.21. Ad 3. dicimus, omnes motus locales esse eiusdẽ speciei essentialis, quia omnia vbi sunt eiusdẽ rationis, vt docet Doct. 1.d.2.q.7.D.& solũ accidentaliter differunt propter differẽtias positionum vniuersi; similiter sicut esse rectum, & circulare accidunt lineæ, ita etiã motui, vt etiã explicamus in lib.de Cœlo; ex quo sequitur, solũ accidentaliter motum à termino à quo specificari: Arist. autẽ loquitur reduplicatiuè, vt scilicet illa vbi cum illis differẽtijs accidentalibus considerantur, vt exponit Doct. cit. & vt sic specie differunt, sicut homo albus, & homo niger reduplicatiuè differunt specie, sunt contrarij, & incõpossibiles; & in hoc sensũ rectè concluditur numerus simplicium corporũ, quia loquitur de illis corporibus, quatenus habent diuersas aptitudines ex propria natura ad vnum locum, non ad alium; tum quia non est ratio demonstratiua.

80 Ad 4. sustinendo, medios colores esse specie ab extremis, & inter se diuersos, dicimus, nõ esse eundẽ specie motũ à nigro in albũ per rubeum, & per viride, si motus illi à nigro ad rubeum, & à rubeo in albũ sumantur, vt vnum motu aliquo modo integrant propter vnitatem termini ad quẽ vltimati, non quatenus tantũmodo ad albedinem ambo terminantur, & hoc quia forma fluens non est eiusdem rationis cũ forma terminante, vt de generatione vniuoca, & æquiuoca diximus; re vera tamen sunt plures motus, quã duo, nã est motus à nigro in rubeũ, & motus a nigro in viride, qui specie differunt, deinde motus à viridi in albũ, & à rubeo in albũ, qui solũ numero discrepant: quæ doctrina sumitur ex Scot.in 1.cit. & sequitur Ruuius in hac q. vndè non rectè respondet præc. confirmationi concedendo, motus illos locales rectum, & circularem specie differre, non propter terminos à quibus, sed propter terminos ad quos formales; idem enim vbi, inquit, est quasi diuersum à se ipso, quatenus respicit vbi sursum, & vbi deorsum, aut motũ circularem & rectum: nõ rectè respondet, quia posset quoque dici eãdem albedinem differre formaliter à se ipsa, quatenus respicit viriditatem

tem,& rubedinem. Ad illud de auctione,& diminutione concedimus specie differre,negamus tamen habere pro termino per se eandem quãtitatem bipalmarem, nam auctio per se ad illam terminatur, cùm sit motus acquisitiuus, diminutio verò per se ad carentiam quantitatis maioris,concomitanter ab bipalmarem,quia est motus deperditiuus.

Tertiò,Obijcies,quod specificetur à subiecto,quia motus, quo moueturr vnum subiectum, v.g.homo, dicit essentialem ordinem ad ipsum, nec de potentia Dei potest esse motus alterius subiecti v.g.equi, aut motus equi motus hominis, etiam si terminos haberent eiusdem rationis scilicet calorem,vel frigus, ergo eorum motum specifica distinctio sufficienter colligitur ex diuersitate specifica subiectorum absq.recursu ad terminos; vndè licet sit idem specie calor in aqua vel ligno inductus, non tamen hinc rectè infertur esse eundem specie motum,quia motus dicit essentialem ordinem ad subiectum sic,vt in alio esse nequeat,quem ordinem non dicit calor.

Resp.neg.conseq.quia etiã motus,quo Petrus calefit,dicit essentialẽ ordinẽ ad ipsũ,nec potest idem numero conuenire Paulo,& tamen ritè non infertur indè diuersitas specifica in motibus illis;tũ quia si motus specificari potest à subiecto absq.recursu ad terminum;sicut ex diuersitate specifica subiectorum deducitur diuersitas motuũ, sic etiam aliquando ex vnitate subiecti deduci posset vnitas motuũ,& sic motus contrarij in eodẽ subiecto facti simul,vel successiuè vnus post alterum dicerentur eiusdẽ speciei;sicut ergo vnitas,vel distinctio specifica motuum non attenditur à tempore, quia in eodem tempore fieri possunt motus specie diuersi,& in diuersis temporibus ijdem specie motus,ità pari ratione non obstante ordine illo essentiali motus ad subiectum, vnitas, vel distinctio specifica motuum non debet penes ipsum attendi, quia in eodem subiecto possunt motus specie diuersi exerceri, & idem specie motus in diuersis subiectis, quare concludimus diuersitatem specificam subiectorum materialiter se habere ad motum.

ARTICVLVS II.

Explicatur,vnde vnitas numerica,& contrarietas motus desumantur.

81 QVoad primam partem art.not.vt ex Scot.4.d.10.q.3.ad 4.& d.43.q.1.D.colligi potest, quòd vnitas numeralis motus est duplex,alia est vnitas identitatis ad seipsum,alia est vnitas continuitatis;prima,que ab alijs intrinseca,& metaphysica appellatur,à propria hæcceitate, & indiuiduali differentia habetur,& adest in motu, & in qualibet parte motus independenter à parte quacunq;subsequenti,secunda habetur in ordine ad aliã partẽ motus subsequentem,cui continuatur,& vnitur, sicut in quolibet continuo hæc duplex vnitas reperitur,nam gradus primus caloris v.g.dicitur vnus numero, & si cum secundo minimè vniatur loquendo de prima vnitate,quia propria differentia est independens à differentia secundi gradus, non tamen potest dici vnus numero calor,i.vnum continuum, & integrale quoddam cum secundo,nisi in ordine,ad ipsum,cui vniri,& continuari debet;sed pro maiori huius vnitatis continuitatis dilucidatione.

Aduertendi sunt etiã hi termini, .s. *esse simul consequenter se habere, esse contigua,& esse continua*,ab Arist.5.Phys.à tex.21.declarari, vt vidimus in expositione textus, illa dicuntur *simul esse* provt ad motum esse simul spectat, quæ eidem tempori coexistunt, vt motus duorum deambulantium eodem tempore;illa se habent *consequenter*,seu *deinceps*,inter quæ nil mediat eiusdem rationis,sic duo motus eiusdem speciei,quorum vnus post quietem alteri succedit,consequenter se habere dicuntur, illa dicuntur *contigua*; quorum extrema sunt simul, & carent quocunque medio, siue eiusdem, siue diuersæ rationis, vt si in eodem instanti esset vltimum mutatum esse deambulationis,& primũ mutatum esse calefactionis,quod posse dari diximus disp.præced. q.2. art.1.isti motus dicerentur contigui: illa *continua* dicuntur, quorum extrema sunt vnum,vt partes lineę puncto continuatæ,quod dupliciter enenire potest,primò,quod vnũ tantum sit extremũ vtriusq.partis,siue sit vtriusq; proprium,siue non; & in hoc sensu etiam quæ specie differunt,continuari possunt,vt de formis cõtrarijs diximus disp.9. q.2.ar.5.ad 4.sic etiam duo motus contrarij possent continuari,v.g.incipiant duo agentia contraria in diuersis partibus subiecti agere,itaut in aliquo instanti perueniant ad vnum indiuisibile subiecti,in quo fortius agens introducat indiuisibile formæ ab ipso productæ, & consequenter impediat contrariũ,ne indiuisibile oppositũ inducat,sit quoq. tante actiuitatis istud agens,vt in tempore sequenti inducat propriam formã in alterã subiecti partẽ corrumpendo oppositam,tunc ista pars subiecti moueretur motu contrario priori,& tamen isti motus non se haberent simul, quia sunt in diuersis temporibus, non consequenter, quia nihil mediat alterius rationis non essent contigui, quia nõ haberent duo extrema,scilicet duo mutata esse,nam agens debilius non potuit indiuisibile suæ formæ in illo instanti producere, ergo continui erunt,quia vnicus est terminus, cui copulantur, scilicet mutatum esse indiuisibilis à fortiori producti.Secundo modo aliquod potest dici cõtinuum,quia partes vni cõmuni termino copulantur,qui est proprius, & connaturalis vtrique,& hoc modo solũ quæ eiusdem sunt speciei, continuari possunt; & quæ primo modo se habent, possent etiam ad consequenter se habentia reduci,quatenus inter illa nihil mediat eiusdem rationis, vel ad contigua, quatenus non habent vnum commune extremum proprium,& connaturale;& in hoc sensu intelligendus est Arist.5.Phys.39.& seq.quando negauit,specie diuersa continuari posse,licet rationes, quibus idem conatur ostendere 8. Phys.à tex.62. parum vrgeant,vt dicimus in lib.de Cælo.His præacceptis.

82 Dicimus 1.quod vnitas numerica entitatiua,intrinseca,seu metaphysica motus,quamuis intrinsecè proueniat à propria hæcceitate, extrinsecè tamen dignoscitur, & sumitur ab vnitate numerica mobilis,& termini ad quem,non verò temporis,vel motoris, ita Doctor 4. dist.43.q.1.ad vlt.& q.3.M.& 2.d.20.q.2.estq,ferè communis,& Prob. nam in primis requiritur vnitas numeralis mobilis, quia accidens nõ migrat de subiecto in subiectum, nec potest in duobus subiectis simul reperiri: requiritur quoq.vnitas termini ad quem, nam iste est principalis in motu,à quo specificatur,ergo si vnitas numerica mobilis, quod non pertinet ad specificationem, requiritur ad vnitatem numericam motus,multo magis vnitas numerica termini ad quem;tum quia vnitas numerica extremorum concurrit ad vnitatem numericam respectus, sed respectus motus respicit aliquo modo subiectum, & terminum ad quem,ergo &c.Ex quo sequitur etiam adesse vnitatem termini à quo, quia vnius formæ vnica est priuatio.Quod verò non requiratur vnitas temporis habetur ex Aristot. 5.Phys.36. vbi ait, quod si esset idem mobile,& eadem rediret sanitas,rediret quoq.eadem mutatio quamuis in alio tempore,& ratio est manifesta, quia motus nullã dependentiam dicit ad tempus extrinsecum,vt innuimus disp.13.q.4. & fusius dicimus in lib.de Gen.& de Cælo. Quod tandem non requiratur vnitas motoris numerica, Prob. quia motus non est idem cum actione,vt diximus q.2.& essentialiter solum à subiecto, & termino ad quem dependet,ergo quamuis varietur agens, variabitur quoque actio, quæ ab ipso dependet, non tamen motus; tum quia vnitas numerica motoris, & agentis non requiritur ad vnitatem numericam effectus, vt ostensum est disp.8.q.3.art.1. & tamen effectus ab a gente dependet, ergo multo minus ad vnitatem motus.

83 Dicimus 2.ad vnitatẽ continuatiuam motus requiri vnitatem continuatiuam mobilis,termini ad quem, & temporis, non autẽ motoris,ita Doctor cit.quẽ ferè omnes sequuntur,& Prob.ad hoc vt motus dicatur continuus requiritur, quod partes ipsius vni mutato esse copulatiuo copulentur, & vniantur,ergo forma,quæ per motum acquiritur, debet habere partes vni indiuisibili copulatas, quod est esse continuam. Consequentia probat.quia sicut partes formæ acquiruntur per partes motus,ita diuisibilia per mutata esse,ergo si est vnum mutatum esse, vnum indiuisibile erit in forma, quia per vnum mutatum esse non possunt duo indiuisibilia acquiri. Ex quo etiam probatur vnitatem continuatiuam mobilis requiri,quia nequit forma continua in subiecto non continuo introduci; nam si non est continuum, habebit duo extrema,& indiuisibilia terminatiua simul contigua, in quibus necessariò erunt duo indiuisibilia formæ,nequit enim esse idem indiuisibile formæ in duobus indiuisibilibus subiecti.Vnitas verò continuatiua temporis non requiritur,vt aliquid necessariò requisitum, nã si tempus non esset,adhuc posset dari motus, vt suo loco dicemus, sed requiritur tantum vt signũ vnitatis motus, nam si tempus,cui coexistit vnus motus,non est continuum tempori,cui alter motus coexistit vnus motus,non est continuum tempori,cui alter motus coexistit,sed aliud tempus inter ista mediat,signum est, quòd illi motus non sunt continui,quia motus est ens successiuum, & in continuo fluxu, ergo non potest vnus motus continuari motui precedenti,inter quos intermediat quies, quia primus non est. Tandem de vnitate motoris quod non sit necessaria patet ex præc. concl.tum quia lapis deorsum continuè velociùs, & velociùs mouetur, quæ maior velocitas prouenit à nouo aere succedente, & nouo impetu acquisito ex ipsa grauitate, vt dicitur in lib.de Cœlo;& quãdo aliqua tota mouetur si in actuali motu ab alio agente moueretur,absq; interruptione fieret ille motus, & continè; tum quia ex variatione agentis non discontinuatur forma, quæ acquiritur,nec habet plura indiuisibilia, sed eadem est, & continua,ergo neq;motus esset discontinuus.

84 In contrarium vrgebis contra vnitatẽ mobilis; Tum quia ex 5. Phys.23.habetur,quod motus primę chordæ,& vltima in vnico tẽpore est cõtinuus,& tamen diuersæ sunt chordæ,quæ mouentur.Tum 2. quia si canis viuus è turri deijciatur,& in medio moriatur,est idẽ motus,non tamen idẽ mobile,quod argumentũ fit etiam de virga partim viridi,& partim sicca,& de gutta aquæ,quæ in medio cõgeletur.Tũ 3. quia motus progressiuus animalis est vnus,non tamen mobile est vnũ, quia dum vnũ pedem mouet, aliũ figit. Tum 4.contra vnitatem temporis,quia tempus semper est continuum,ergo semper habebit ab illo continuitatẽ;immo secundũ Scot.4.d.43.q.3.etiam naturaliter potest idem motus redire,ergo neque, vt signum requiritur. Tum 5.contra vnitatem termini,quia potest esse idem motus cõtinuus, per quem acquirantur termini specie distincti, vt diximus in not. ergo non requiritur vnitas termini, patet consequentia, quia vnum numero infert vnũ specie,& genere. Tũ 6. quòd requiratur vnitas motoris est Arist. 7.Phys.49.& 82.vbi ex vnitate, & continuitate motus primi mobilis infert vnitatem primi motoris, addens, motum lapidis proiecti non esse continuum,cùm fiat ex impulsibus noui, & noui aeris.

Resp.ad 1.Arist. ibi loqui de motu manus pulsantis, non de motu chordarũ.Ad 2.dicimus,in motu canis,& virgæ esse idẽ mobile, quia eadem forma corporeitatis,quæ est subiectũ motus; aqua verò congelata non differt specie secundũ communem opinionem:& differt,solũ sequitur,aliũ esse motũ secundũ vnitatem entitatiuam,non verò continuatiuã,quia in tota congelatione semper seruatur continuitas mobilis,nam licèt noua quantitas adueniat cũ noua substantiali forma, tamen vnum continuũ facit cum quantitate formæ aquæ corrumpendæ,& hoc sufficit. Ad 3.dicimus,motũ progressiuũ animalis non esse propriè vnum motũ continuũ,sed ex multis motibus & quietibus cõponi.Ad 4.resp.vnitatem continuatiuam temporis non debere attendi penes durationem,& existentiam,sed penes mensurationem, itaut debeat continuè mensurare modo explicato disp.13.q.4.ar.2. & si cessat à ratione mensuræ propter carentiam,& interruptionem motus,est signũ diuersitatis numericæ motus: quando autem idem numero motus produceretur discontinuitas mensurationis temporis;& si non esset signum diuersitatis numericę motus,erit saltim signum interruptionis, & nouæ reditionis motus,& hoc sufficit;non enim requiritur tempus, vt quid necessariò requisitum, à quo essentialiter motus dependeat à priori,sed solũ è posteriori.Ad 5.sicut ille motus vnus esset vnitate numerica continuatiua,sed duplex vnitate numerica entitatiua, ita terminus acquisitus erit vnus vnitate continuatiua,& multiples vnitate entitatiua. Ad vltimum dicimus,Arist.non loqui de quacunque continuitate motus,sed regulari, necessaria, & perpetua, nam si essent plures,quia forent æqualis virtutis,posset vnus in vnam partem, alter in alteram partem mouere, & hac vnitate non est vnus motus lapidis violentus,quia modò velocior,modò tardior; & quia ratio illa est solùm probabilis, non demonstratiua consequenter non necessariò ad vnitatem numericam motus,de qua loquimur, requiritur vnitas numerica motoris;hinc 5.Phys.7.vbi ex professo tradidit,quę necessariò requiruntur,nullam de motoris vnitate fecit mentionem.

85 Quoad 2.partẽ art.breuiter sciendũ,quòd oppositiones & cõtrarietates motus aliæ ipsi conueniunt secundũ se,aliæ verò secundũ accidens,primæ sunt tres,vna est inter motũ,& immobilitatẽ, altera inter motũ, & motũ,tertia inter motũ, & quietẽ; oppositiones secundi generis possẽt esse plures iuxta diuisiones accidentales in præc.q. assignatas,in presẽti solũ de oppositionib. primi generis aliqua dicemus.

De oppositione motus cũ immobilitate est not.differentiam esse inter immobilitatem,& quietem quies enim dicit priuationem motus, & consequenter erit in subiecto apto moueri, immobilitas verò dicit negationem, quæ potest esse duplex, alia extra genus, quæ æqualiter conuenit enti,& non enti, vt si diceremus,chymeram esse immobilẽ, alia est in genere, quæ ponit aliquod subiectum, de quo prædicatur, non tamen aptum moueri,vt cum dicitur, Deus est immobilis;ex quibus patet,motum,& immobilitatem contradictoriè opponi.

86 De secunda oppositione inter motum, & motum fusè loquitur Arist.5.Phys.à tex.46.vbi aduertit,quòd quinq;modis potest dici duos motus inter se opponi,quos recensuimus in explic.tec.5.Phys.c.5. vide ibi,& conclusimus cum Aristot.contrarietatem motus propriè sumi debere ex contrarietate terminorum ad quos,per concomitantiam & extrinsecè per contrarietatem terminorum à quibus, quod etiam docet Doct.pluribus locis, sed præcipuè 2.d.2. qu.7.ad vlt. Ratio est, quia motus specificatur à termino ad quem,& ab ipso suam sumit denominationem,ipsumque magis respicit,quam terminum à quo,quia moueri à contrarijs terminis dicit recessum à contrarijs at moueri ad contrarios terminos,dicit accessum;& quia specificatur etiam motus aliquo modo saltim per concomitantiam & per accidens à termino à quo,idcircò quia eadẽ sunt principia constitutiua,& distinctiua,poterunt ratione terminorum à quibus duo motus opponi inter se. Quapropter tota per se,& principalis ratio,cur duo motus inter se contrariantur,desumitur ex terminis ad quos,ita vt si isti termini nullam habent contrarietatem,nec motus ad illos terminati; si opponuntur, vt possint simul esse in eodem subiecto in gradibus remissis,non verò intensis,vt sunt qualitates primæ,& similes,motus quoque ad istas qualitates eodem modo erunt compossibiles,& incompossibiles; tandem si nullo modo inter se compatiuntur,vt sunt actus vitales oppositi circa idem obiectum,nec etiam vllo pacto motus ad illos actus erunt simul: cæterum non est præsentis negotij examinare,an qualitates contrariæ possint simul esse,necne,sed ad lib.de Gener.pertinet.

Dices,ergo motus sursum à terra ad mediũ,& motus deorsum à cõcauo Lunę ad idem mediũ non erunt contrarij,quia idem terminus ad quem,quod tamen est falsum,quia nequeunt in eodẽ reperiri.Tũ quia duo Vbi non sunt inter se contraria, & tamen motus ad illa nequeunt esse simul, ergo contrarietas motuum nõ sumitur à terminus ad quos Resp.ex dictis art.præc.concedendo,non opponi essentialiter,sed tantum accidentaliter, quod sufficit, vt non possit in eodem reperiri. Ad aliud dicimus,illam contrarietatem, quæ est inter terminos ad quos motus,reperiri inter motus ipsos,siue propriè,siue latè sumptam.

Tandem quoad 3. oppositionem inter motum & quietem diximus in explic.tex.5.Phys.c.6.neque aliud hic occurrit dicendum.

QVÆSTIO VIII.

De causis motus.

87 EX dictis hucusque declarata manet causa formalis motus, scilicet essentia,& quidditas ipsum constituens, nec non & finalis, nam terminus ad quem se habet vt finis motus ad quem ordinatur,& iam ostendimus ad quatuor prædicamenta per se terminari, & ad species illorum;causam materialem in qua (nam cũ sit accidens quoddam respectiuum, causam materialem ex qua non habet) declarauimus disp.2.& 3.vbi vidimus, corpus substantiale esse adæquatum subiectum motus accidentalis,quia est adæquatum susceptiuum accidentium,materiam verò,seu aliquod essentialiter imperfectum esse susceptiuum formarum substantialium,& consequenter subiectum mutationis:solùm circa hoc est specialis difficultas, quæ solet à Doctoribus in his lib.agitari. an scilicet possit aliquod indiuisibile moueri; tandem de causa effectiua aliqua subiungere debemus, vt exactam motus cognitionem habeamus, & præcipuè an idem possit seipsum mouere, an verò necessariò ab alio petat moueri,vt possimus deinde examinare discursum Arist.quo vtitur ad indagandam existentiam primi motoris ex quia omne quod mouetur, ab alio petat moueri: hinc in tres articulos diuiditur præsens quæstio.

ARTICVLVS I.

An indiuisibile posset moueri, seu esse causa subiectiua motus.

88 INdiuisibile est duplex,vel spirituale, vt Angelus, & anima rationalis,vel materiale,vt linea superficies,& punctum,siue continuatiuum,siue indeterminatiũ;non quærimus modo an indiuisibile spirituale possit moueri,quia hoc est clarum,nisi ponatur casus, quòd Angelus existat in puncto, & tunc eadem erit difficultas, ac de materiali indiuisibili; nec, quærimus de isto,quatenus est in contino, nam est certũ, vt sic per accidens moueri ad motũ totius continui,sed de ipso supposito,quòd separatim existat,siue hoc sit possibile,siue nõ an possit moueri,nõ quidem motu augmentationis,quia partibus caret ea ratione,qua est indiuisibile,sed alijs speciebus motus,consideramus autem istud indiuisibile secundum se,quomodo est prorsus indiuisibile,tam formaliter,quàm virtualiter;non vero provt recipere potest à Deo modum aliquem, quo virtualiter diuisibile reddatur, sicut putant Conimbr.6.Phy.c.10.q.vn.esse possibile;nam præterquã quod est falsum, indiuisibile materiale posse esse virtualiter diuisibile,& extensum,vt innuimus disp.9.q.2.art.4.non facit adhuc ad propositum, quia tũc esset in loco diuisibili,sicut Angelus;& posset successiuè moueri in spatio diuisibili: quærimus igitur, an indiuisibile materiæ primæ possit mutari substantialiter recipiendo indiuisibile alicuius formæ substãtialis,& an indiuisibile materiale siue quantitatiuum possit moueri localiter, & alterari, maximè successiuè. Successio autem ex Scoto 2,dist.2.q.9.ad 3.princ.ex duplici capite potest prouenire in motu locali, quod idẽ proportionaliter est de alijs motibus asserendum, vel ex diuisibilitate mobilis,vel ex diuisibilitate spatij,idẽ enim mobile secundum eandem partem prius pertransit vnam partem spatij, quam alteram,& sic est successio ex diuisibilitate spatij, & idẽ mobile secundũ vnam sui partem prius pertransit eandẽ partem spatij,quam secundũ aliam,& sic est successio ex diuisibilitate mobilis,& quęlibet istarum diuisibilitatum sufficit ad successionem in motu. Hoc prænotato; Prima Opinio negat, si indiuisibile esset separatum, posse etiam de potentia Dei continuè,& successiuè moueri, ita multi Interpretes Arist.6.Phys.quos sequuntur Conimbr.cit.Sot.6.Phys. quæst.4. Masius sect.2.q.6.& 7.Ruuius cap.10.q.vn.Roccus quæst.4.& alij.

89 Dicimus tamen, quod si indiuisibile foret separatum, posset esse causa subiectiua successiui motus, & continuè moueri omnibus illis motibus in not.enumeratis;est Scoti 2.dist.2.q.9.ad 3.princ. & omniũ Scotistarum,& sequuntur ex Recentioribus Plaxa 6.Phys.q. vlt. Murcia q.6.Morisf.disp.6.Phys.q.5.Auersf. q.26. sect.7.Amicus tract.25.q. 10.quam probat Doct.indiuisibile,dum est in continuo, mouetur per accidens ad motum continui recipiendo suo modo in se motum,ergo si esset separatum, posset per se successiuè moueri antec.Probatur exẽplo perfecti sphærici super perfectè planum tangentis ipsum in puncto,& alijs exemplis ex mathematicis,vt vidimus disp.9.q.2.art.2.Tũ quia indiuisibilia subiecti cõtinui recipiũt in se indiuisibilia formę receptæ diuisibilis,vt indiuisibilia materiæ informantur ab indiuisibilibus formæ substantialis,& indiuisibilia substantialia materialia ab indiuisibilibus quãtitatis,& hæc ab indiuisibilibus qualitatis corporeę, & tandem ista omnia,cum totum localiter mouetur, dicunt proprias præsentialitates ad indiuisibilia loci ipsi correspondentia ex dictis disp.11.q.5.Tum quia implicat aliquid recipi in continuo, & non recipi in indiuisibilibus,continuatiuis saltim secundum aliqua indiuisibilia, aliter daretur aliqua pars subiecti continua,quæ reciperet formam,absq; indiuisibilibus continuatiuis, & forma esset extensa sine indiuisibilibus,quæ omnia sunt falsa ex disp.9.q.2.art.2.Prima conseq.prob.quia supposita separatione indiuisibilium à cõtinuo, illa eadem indiuisibilia, quæ subiectabantur in indiuisibilibus continui, quando erant continuo vnita, possent à partibus formæ separari, & recipi in illis.Tum quia nulla apparet implicantia; eadem enim interuntur ex motu indiuisibilis in continuo,& ex motu indiuisibilis separati,vt patebit ex soltione argumentorum.

90 Respondent,diuersam esse rationẽ, quando indiuisibile est vnitum,& quando est separatum,nam vnitum mouetur per accidens, separatum mouetur per se,at moueri per accidens est moueri per motũ existentem in alio,moueri per se est per motum in re existentem,hinc non eadem sequuntur absurda ex vtraque positione. Contra, moueri per accidens non solum est moueri eo modo, verum etiam per motũ in se existentem,dummodo ad motum alterius moueatur; vt pars ad motum totius,indiuisibile verò hoc modo mouetur, quia in se recipit aliquid de nouo,vt probatum est,ergo nulla differentia. Accedit principaliter,quòd si indiuisibile separatum, ideò non posset moueri successiuè,quia describeret,lineam,& illam faceret ex pũctis compositã, quia semper esset in loco sibi æquali, idem sequeretur absurdum,quã do

do est coniunctum cum perfectè sphærico, nam punctum illud, quo tangitur planum, semper est summè plano approximatum, non solũ in quiete, & in instanti, sed etiam in motu, & in tempore, ergo si est necesse, quòd semper sit in spatio indiuisibili, iam vt coniunctum lineam ex punctis compositam describeret.

Resp. Conimbr. & Masius, punctum sphærico vnitum moueri continuè non ratione sui, sed ratione sphærici, quod semper ambientè habet superficiem, & continuè, planum verò tangit secundum tactus discretos, quatenus in quolibet instanti temporis tangit in puncto. Contrà, hæc responsio coincidit cum illa Complut. de tactu sphærici per saltus in disp. 9. q. 1. art. 4. impugnata; Tum quia vt ait Doct. cit. si sphericum illud esset in vacuo, & sola linea recta esset plena ipsi supposita, tunc quod localiter moueretur secundum locum extrinsecum, esset punctũ tangens lineam, hoc enim acquireret præsentiam localem ad extrinsecũ, non sphæricũ, quã lineam tangeret successiuè, non discretè, quia post vnũ punctũ lineæ sequitur linea, non aliud punctũ, ergo si illam lineã non tangeret, deberet aliquantisper distare, & deinde aliud punctũ tangere, & cõsequenter nec esset semper lineæ approximatũ, nec in quolibet instanti temporis per contactus discretos tangere lineam, vt dicebant Conimbr. quia pars illa lineæ non tacta corresponderet alicui parti temporis, in qua non fieret contactus, & cum tã pars illius lineæ plura, & infinita habeat indiuisibilia, quam pars illa temporis pluta, & infinita instantia, iam nec in quolibet puncto lineæ, nec in quolibet instanti temporis fieret contactus. An verò motus iste debeat necessariò fieri à Deo, vel ab agente creato, parum refert, sufficit ostendere non implicantiam, & saltim ab Angelo videtur indiuisibile posse localiter moueri, nam de alijs motibus posset dici agens corporeum esse determinatum ad agendum in subiectum quantum.

91 In oppositum argũtur ex Aris. qui 6. Phys. tex. 7. 32. & 87. & 8. Phys. tex. 40. & 46. & alibi sæpè ostẽdit pluribus rationibus, quod moueatur, esse diuisibile, & indiuisibile nullo pacto moueri posse. Si dicas cum Scot. cit. Aris. intelligi debere de mobili, à quo desumitur continuitas motus, & successio, non de mobili, cuius motus sumit tantum successionem à termino, & spatio, vt est indiuisibile. Contrà, inquiunt Aduers. si hæc fuisset Arist. intentio, cùm hoc sit clarissimum, ad quid tot rationes adduxisset ad hoc probandum? omnes enim concedunt, indiuisibile partibus carere, & consequenter non posse successionem motus à partibus ipsius desumi, ergo intentum Aris. est ostendere implicantiam absolutam motus indiuisibilis separati; tum quia ita negat per se moueri posse, sicut concedit moueri per accidens, at certum est, cum per accidens moueatur, motum non esse successiuum ex diuisibilitate indiuisibilis, sed solùm ex parte spatij, ergo neque hoc modo secundum Aristot. per se moueri potest.

Respond. intentum Arist. colligi posse, vel ex propositionibus, quas proponit, vt cum absolutè ait, indiuisibile nullo pacto moueri posse, omne mobile esse continuũ, esse diuisibile in partem motã, & mouentem, &c. vel ex rationibus, quibus tales propositiones probat; si inspiciamus propositiones, plane videtur, intentum ipsius esse, negare omnẽ motũ indiuisibili separato; at si rationes perpendamus, nõ probãt, nisi quòd nequeat moueri motu successiuo, successione prouenente à mobili, hinc Scot. cit. lit. X. ait, *& istud concludunt rationes suæ, & non plus, sicut patet discurrendo per rationes eius omnes*, & ex hoc capite deducit Doctor intentum Philosophi, põderemus igitur rationes ipsius.

92 Secundò ex Aris. cit. omne, quod mouetur, partim est in termino à quo, & partim in termino ad quẽ, quando enim totaliter est in termino à quo, nõ mouetur, quando est in termino ad quem totaliter, neque mouetur, sed motũ est; sed indiuisibile, quia caret partibus, nequit esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem, ergo &c. Tum ex 6. Phys. 89. omne, quod mouetur, prius pertransit spatium sibi æquale, vel minus; quam maius, sed indiuisibile non potest prius pertransire spatium minus se, ergo prius æquale, quam maius se, & pertranseundo semper spatium sibi æquale, pertransit totũ continuũ, supra quod mouetur, ergo illud componeretur ex indiuisibilibus æqualibus indiuisibili motu, quod est falsum. Tum 3. quia omnis motus est in tempore, & omni tẽpore est accipere minus tempus; in quo minus mobile moueri potest, ergo omni mobili est accipere minus mobile in infinitum, & ita nullum indiuisibile est mobile. Tum. 4. quia sequeretur, cõtinuũ, super quod moueretur, ex indiuisibilibus cõponi, quia mobile cõmensuratur loco, & semper est in æquali spatio; impossibile est autẽ, indiuisibile cõmensurari diuisibili, nã quod cõmensuratur alteri, tangit illud, contactus autem fit per quantitatẽ, qua indiuisibile caret: Tum 5. ex 6. Phys. 4. tẽpus, motus, & magnitudo se cõsequuntur in diuisione, ergo mobile erit diuisibile, sicut tempus, & motus. Tandem ex tex. 86. & 4. Phys. 32. pars in toto mouetur, sed in potẽtia mouetur per se, quia separata posset mensurare spatium, at punctum totaliter mouetur per accidens, ergo nullo modo separatum mouetur per se.

93 Resp. rationes istas, si essent veræ, concludere de indiuisibili coniuncto, nam quando acquirit de nouo indiuisibilia formę in continuo, suo modo mouetur, quod tamen non esset verũ, si propositiones assumptæ in rationibus essent omninò veræ: dicimus ergo, quod maior verificatur, si mobile sit tale, ratione cuius sit successio in motu; vel dicendum, & redit in idem, mobile esse partim in termino à quo, & partim in termino ad quem stat dupliciter, primò, quòd secundum aliam, & aliam partem sui sit in termino à quo, & ad quem; secundò vt secũdum idem sui sit partim in termino à quo, & partim in alio, scilicet in aliquo medio non quiescendo, sed in quantum est aliquid vtriusque, seu inquantum est, per quod tendit de vno ad alterum, in primo sensu conuenit mobili diuisibili, in secundo conuenit indiuisibili. Ad 2. respondet Doctor, maiorem esse falsam, si loquimur de transitu indiuisibilis, alioquin daretur primum mutatum esse in motu locali; at si loquimur de transitu mobilis diuisibilis, esse veram de toto non ratione totius, sed ratione partis, non comparando partem ad Vbi sibi æquale, & totũ ad Vbi actuale, sed respectu alicuius determinati puncti in spatio, quod punctum prius pertransit totum ratione alicuius partis, & in hoc, quod pertransit illud, pertransit aliquid minus se, & hæc est intelligentia illius propositionis, sed hoc prouenit ratione diuisibilitatis mobilis; ideò indiuisibile, quando mouetur, prius est in maiori se, quàm in æquali. Ad 3. negatur vniuersaliter esse verum, in omni minori tempore posse, accipi minus mobile, nisi in motu successiuo proueniente ex diuisibilitate mobilis. Ad 4. respondet Doctor lit. Y. ly semper si circumscribit instans quodlibet temporis, verum est, quod punctum esset semper in æquali loco, si circumscribit tam instans, quà mtempus, in quo fit motus, est in spatio maiori, non simul sed successiuè, quo sensu indiuisibile poteſt diuisibili commensurari; neque ad contactum est semper necessarium, vt inter quanta fiat, quia possunt duo indiuisibilia se tangere; imo de ratione contactus est, vt fiat per indiuisibilia, vt fusè diximus disp. 9. q. 2. art. 2. & 4. ad primum, hoc argum. est potissimũ, quo fautores indiuisibilium conantur ostendere compositionẽ continui ex indiuisibilibus, cui respondere solent Aduersarij hac eadem Scoti doctrina, vt facit Masius 6. Phys. sect. 1. q. 4. quam tamen in hac quæstione nolunt admittere. Ad 5. Arist. loqui de mobili, secundum quòd est successio in motu Ad 6. per differentiam illam Aris. solum indicare voluit, punctum non esse à toto separabile, vt est pars; vel quòd quamuis hoc asserat, rationes tamen, quibus hoc probat, non concludunt, nisi de mobili, à quo sumitur successio.

94 Tertiò ex Ruuio: Tum quia si posset localiter moueri, præsentia quam acquireret, non esset spiritualis, sed corporea ideoque ex partibus corporeis constans, & inferret durationem continuam corporeã, quale est tempus, ergo, deberet recipi in subiecto corporeo extenso. Tum 2. si indiuisibile posset v.g. calefieri, deberet in se recipere successiuè calorem, non tantum in fluxu, verùm etiam in esse quieto, sed calor est accidens corporeum ex propria natura natum recipi in subiecto quãto, ergo &c. Tum 3. vel indiuisibile discurreret per indiuisibilia caloris, vel per latitudinẽ caloris; non primũ, quia tunc motus non esset continuus; si secundum, ergo quia latitudo caloris est calor ipse extẽsus natus in subiecto extenso recipi, nõ poterit in indiuisibili subiectari. Tum 4. ex Masio, aut calor in indiuisibili inductus posset calefacere, aut non; non secundum, quia est contra naturam caloris; neque primum, quia talis virtus esset finita, non infinita, & quia finita virtus posita in minori subiecto, minus potest, quàm in maiori, sequitur in indiuisibili nullam habere virtutem, quia indiuisibile est subiectum non quantum. Tum 5. quælibet alteratio suaptè natura est dispositio ad formam substantialem, sed hæc petit esse in materia triuè dimensa, non in indiuisibili, ergo nulla alteratio fit indiuisibili subiecto. Tum 6. qualitas sensibilis est intrinsecè talis, vt sensibilis esse minimè possit, sed qualitas, quæ in non quanto, seu indiuisibili reciperetur, esset insensibilis, quia obiectum sensus est quantum, ergo implicat dari qualitatem in indiuisibili receptam.

95 Resp. ad 1. etiam dum est vnitum, habet propriam præsentiam immediatè in ipso, non in toto continuo receptam, licèt integret vnã præsentiam totalem, & continuam cum præsentia totius, vt ostensum est quod esset falsum, si ratio ista valeret; dicimus ergo, quòd eodem modo esset præsentia illa corporea, sicut punctum, quod quamuis indiuisibile sit, dicitur esse ordinis corporei, quia est aliquid corporis, cũ hac tamen differentia, quod punctũ nullas habet partes, ista verò præsentia diuiditur in partes secũdum longitudinem sed successiuas, quomodo aliquod diuisibile potest in indiuisibili recipi, vt dicitur de contactu sphæræ in motu. Ad 2. ex dicendis in lib. de Gen. in qualitate datur duplex motus, scilicet intensionis, & extensionis, qualitas extensiua nata est recipi in subiecto quanto, nõ intẽsiua tantum, vt esset calor in indiuisibili receptus, qui materialis diceretur, non solùm quia haberet illas partes entitatiuas possibiles etiam extendi in subiecto quanto, verum etiam quia esset ex se continuatiua qualitatis extensæ, cum sit indiuisibile extẽsionis; & hoc, quia intensio respicit idem subiectũ, & ideo potest in indiuisibili esse; extensio verò diuersa subiecti partes, vndè subiectum quantum exposcit; ita respondet Lich. 2. dist. 2. qu. 9. exponendo litt. Doct. quam doctrinam ipse Ruuius in lib. de Gen. amplectitur. Ad 3. indiuisibile discurreret per partes caloris intensiuas, nõ extensiuas; & certè tam hæc, quàm præcedens ratio valeret de indiuisibili coniuncto. Ad 4. possumus concedere, calorem ex se tunc habere virtutem finitam producendi aliquod intensiuum caloris, quod tamen non sit extensum, & calculatio illa valet de qualitate extensa. Ad 5. sicut quando est vnitum, alteratio in ipso facta inseruit ad receptionem indiuisibilis continuatiui formæ substantialis, sic quando esset separatum, disponeret ad istam generationem indiuisibilis substantialis. Ad 6. potius facit connra separabilitatem indiuisibilis à continuo, quam contra motum ipsius, sicut enim quando est vnitum, verè habet qualitatem illam indiuisibilem, sic supposito, quòd separatio esset possibilis, posset quoq. eandem in se recipere; siue actu possit sentiri, siue non.

96 Quartò mobile per motum tantum spatij acquirit, quantum relinquit, quia motus localis dicit deperditionem termini à quo, & acquisitionem termini ad quem, sed punctum, dum quiescit, est in spatio

sibi æquali, ergo dum mouetur, erit semper in spatio sibi æquali, & sic linea ex punctis componeretur. Tum 2. vel punctum solum tangeret puncta spatij, seu lineæ, vel partes lineæ; si primum, ergo non continuè mouetur, quia indiuisibilia instanti, non in tempore acquiruntur; si secundum, ergo non esset in spatio semper vt in puncto, sed vt in spatio diuisibili; tum quia Deus videret, quando indiuisibile tangeret, & commensuraret spatium diuisibile, ergo posset ibi illud conseruare, & sic permanenter commensuraret, quod est falsum.

Resp. ad 1. quòd si mobile consideraretur in vltimo instanti motus localis, vera est maior, si in ipso fluxu motus, est falsa, quia semper est in maiori spatio, non simul, sed successiuè, vt dictum est disp. 9. q. 2. art. 4. ad primum, & in hoc motus localis differt ab alteratione, quia in alteratione terminus à quo positiuus, & contrarius nõ deperditur simul, sed successiuè, vt calor; at Vbi, quia est quid indiuisibile, statim deperditur. Ad 2. respondet Lich. cit. in resp. ad rationes cont. 2. concl. ibi positam, quòd indiuisibile tanget lineam semper in puncto, etiam dum in tempore mouetur; Sed falsò vt patet ex Doct. cit. lit. Y. dicente tangere in linea; tũ quia est responsio Conimbr. nec immediatè post posset aliquid tangere, cùm non sequatur immediatè punctum; dicimus ergo in motu esse in linea successiuè, non simul, & hoc modo diuisibiliter tangit diuisibilitate se tenente ex parte spatij, vt sæpè dictum est; ad impugnationem concedit Fuentes 6. Phys. q. 2. diff. 2. art. 2. Deum posse cõseruare punctum in illo diuisibili spatio, & negat falsificatem: sed nõ rectè, quia idem esset dicere, ac conseruare omnia vbi acquisibilia per motũ localem successiuum, & sic posset motus localis includens totam realitatem motus fieri à Deo in instanti, quod falsum esse ostendimus q. 6. art. 5. tum quia sequeretur, indiuisibile materiale replicatũ posse facere extensum, & adæquari extenso, quod implicare demonstrauimus cum Arist. disp. 9. quæst. 2. art. 1. dicimus igitur, Deum non videre punctum simul tangere spatium diuisibile, sed successiuè, quare negatur consequentia, solùm enim posset ipsum conseruare, quando est simul in loco adæquato, scilicet in puncto, quod euenit in quolibet instanti.

ARTICVLVS II.

Virum idem possit mouere seipsum, an necesse sit ab alio moueri.

97 HÆc difficultas est eadem cum illa examinata disp. 7. quæst. 4. art. 2. an scilicet idem possit in seipsum agere, dum enim agit in seipsum saltim actione æquiuoca, iam producit de nouo aliquam formam in se, quam prius non habebat, & per consequens à seipso mutatur, & mouetur; denuo tamen exigatur, vt possimus distinctè percipere, an rectè demonstrauerit Arist. per motum existentiam primi Motoris; tum quia non omnes difficultates ad motum pertinens fuerunt ibi solutæ.

Est igitur sententia Arist. præcipuè 7. Phys. 1. & 2. & 8. Phys. 29. quod nihil poteſt seipsum mouere, sed necesse est, quod mouetur, ab alio moueri; quomodo autem hoc dictum verificetur in omnibus, valdè laborant expositores, & diuersimodè exponunt, nam quidam aiunt, verificari solum in motu coniuncto cũ vera efficientia, non cũ resultantia. Alij, quod etiam in isto sit vera propositio Arist. eò quia res per resultantiam productæ generanti tanquã principali agẽti debẽt ascribi. Alij, quòd sit vera solũ in motu physico, vt sunt localis, alteratio, & augmẽtatio, nõ in motibus metaphysicis, vt sũt actiones sensuũ, intellectus & appetitus. Alij etiã in istis asserũ locũ habere. Alij distinguunt de motis, nã vel sunt inanimata, & sic ab alio supposito distincto moueri debẽt, puta à generãte: vel sũt animata, & ista nõ mouẽtur ab alio supposito distincto, sed in partẽ per se mouẽtem, & in partẽ per se motã diuiduntur, vnde mouens distingueretur à moto vt includens ab includente, tale est cor in animalibus; quod postea quidam concedunt à se ipso moueri, quidam verò motum illum tribuunt generanti. & Alij varijs modis distinguunt, vt saluent veritatem propositionis Arist.

98 Dicimus tamen, idem posse se ipsum mouere, quatenus est agens æquiuocum, non vniuocum, nec est necesse ab alio distincto, vel vt pars à toto, vel suppositaliter moueri in eodem genere, & ordine motus, quo ipsum mouetur, ita Doct. præcipuè in 2. d. 2. q. 10. quem præter Scotistas sequũtur Greg. 2. d. 6. q. 1. ar. 3. Iand. 8. Phys. q. 2. Plaza. 1. Phys. disp. 1. qu. 7. Auersa qu. 14. sect. 5. & alij quamplures, & probata manet hæc Concl. art. cit. in præsenti. Confirmatur quibusdam exemplis, nã motus localis cordis est cum vera efficientia, non per resultantiam, & ab ipso immediatè prouenit, non generante, etiam secundũ Arist. cit. similter reductio aquę ad pristinam frigiditatẽ, & motus grauium, & leuium in propria loca, nam generanti solum tribuũtur per quandam appropriationem, non quòd verè, & propriè motus illos causet, vt ibi dictum est, & fusius dicimus in lib. de Cęlo; cum de grauibus, & leuibus agimus, aliter pater diceretur causæ præcipitij filij per se, & principalis; rursus potentiæ sensitiuæ, & intellectiuæ agunt in se ipsis; nec refert, quòd priùs immutentur ab obiecto, quia hic motus non est eiusdem rationis cum motu à potentijs causato, & tamen si ratio Arist. valeret vniuersaliter, de quocunque motu cõcluderet; tum quia voluntas secundum communem est causa totalis physica suæ volitionis, sicut quilibet appetitus, nec vllo pacto physicè mouetur à potentia cognoscitiua, vel ab obiecto, sed solùm ab isto metaphoricè, quæ non est vera motio, vt vidimus disp. 7. q. 8. a. 3. & 5. ergo non erit denegandum, idem posse se ipsum mouere saltim æquiuocè. Diximus in eodem genere, & ordine motus, quia clarum est in alio genere motus, quod mouetur ab alio moueri, sic grauia mouentur à generãte quoad actum primum, seu motu generationis, quia ab ipso accipiunt virtutem motiuam, qui motus necessariò præsupponitur illi, & vniuersim omnia à prima causa in agendo mouentur. Multas responsiones adducunt Aduersarij, quas refellere non est præsentis negotijs, sed vel manent ex dictis art. cit. impugnatæ, vel confutabuntur in singulis locis, in quibus, de istis mobilibus in particulari agemus.

99 Sed contra hanc concl. præter obiectiones art. cit. adductas, & disp. de grauibus, & leuibus in lib. de Cœlo adductas, posset adhuc instari ex Arist. qui 8. Phys. 29. ait, omne, quod se mouet, debet distingui in partem per se mouentem, & in partem per se motam; quæ propositio non tãtum est vera de eo, quod organicè mouetur, vt est animal, vt exponit Scot. 2. d. 2. q. 10. H. sed etiam vniuersaliter, adeout mouens, & motum debeant semper esse distincta; nam. 7. Phys. c. 1. ait, nihil posse seipsum primò mouere, quod probat, quia quod primò inest alicui, non remoueretur ab eo, etiamsi ab illo remoueatur, aliter primò, & per se illi non conueniret, sed ratione illius, ergo nullum mobile poteſt seipsum primò mouere, Prob. conseq. quia tunc quiesceret simul, & non quiesceret, nam cùm omne mobile sit in partes diuisibile, si vna pars quiescit, totum mobile quiescet ad quietem partis; non quiesceret verò, quia moueret se primò, & consequenter independenter à quolibet alio, etiam à parte, ergo nullũ poteſt se primò mouere. Accedit, quod 1. de Gen. 73. volens Arist. probare contra Democ. athomos non moueri ex se, ait, vel diuiderentur in partẽ per se mouentem, & in partẽ per se motam, & sic non essent athomi, sed diuisibiles, vel se ipsis mouerentur secundum se tota, & sic idem susciperet contraria, quę ratio non concluderet, nisi dicatur, omne, quod se mouet, necessario diuidi debere in partem per se mouentem, & in partem per se motam.

100 Resp. Doct. cit. dictum Arist. 8. Phys. intelligi de eo, quod organicè se mouet; ad impugnationem respondet lit. I. quã responsionem vt clariùs adducamus, & distinctius percipiatur vis rationis Arist. prę-mittendæ sunt duæ distinctiones, primo, est de ly *primò*, nam dupliciter sumi poteſt, vel pro primitate totalitatis. & sic illud dicitur primò conuenire alicui, quod conuenit toti, & cuilibet parti ipsius, sic Sol est ex se primò lucidus, quia totus Sol, & quælibet pars est lucida, & hoc modo opponitur conuenientiæ alicuius secundum partem, vt homo dicitur simus propter nasum, cui primò simitas cõuenit; alio modo sumitur pro primitate adæquationis, & causalitatis præcisè, & sic illud primò dicitur conuenire alicui, quod inest per se, & secundum quod ipsum, vt homo primò dicitur risibilis, quia risibilitas illi ab hominis essentia, vt à causa præcisa, & adæquata; in priori sensu accepit ly *primò* Arist. 5. Phys. tex. 1. cùm dixit, alia moueri per accidens, vt cum musicus mouetur, alia secundum partem, vt cum homo dicitur moueri, quia manus mouetur, alia per se primò, idest secundũ totum, vt cum lapis descendit; in posteriori sensu accepit ly *primò* in 1. Post. c. 4. cum de vniuersali dixit, esse, quod in quolibet, & primò demonstratur. Differentia istorum stat in hoc, quòd omne competens alicui primò in secundo sensu, & si à quolibet alio remoueatur, etiam à parte, non ob id remouetur ab illo, cui conuenire dicitur, vt patet de risibilitate respectu hominis, quæ licèt animæ, vel corpori non conueniat, adhuc homini dicitur conuenire, quod verò conuenit primò in priori sensu, si ab aliqua parte remouetur, à toto etiam remouebitur, quia hoc modo significat, ac conuenire secundum se totum, quare si aliqua pars non mouetur v.g. non poterit illud secundum se totum, seu secũdum omnes partes moueri. Secunda distinctio est de ly *moueri*, nam motio poteſt sumi, vel vt est passio quædam conueniens omni mobili, siue totali, siue partiali, vel pro totali motione, quo solum totum mouetur vel pro partiali, qua tantùm pars dicitur moueri.

101 Ad argumentum igitur inquit Doct. quòd illa propositio, nihil poteſt se primò mouere, si intelligatur de motione, vt à totali, & partiali præscindit, est vera de eo quod moueret se primò duplici illa primitate, de quo etiam currit probatio ipsius, vt patet, nam quiesceret ad quietem partis, eò quia ponitur motiuũ sui primò in pgiori sensu, & secundum totum, non quiesceret, quia moueret se primò in secũdo sensu, & independenter à partibus: non tamen est vera de eo, quod prima tantum primitate dicetur se mouere, sicut ponitur à nobis aliquid à se ipso posse primò moueri; quod etiam patet in parte illa animalis, per se primò dicitur mouens, & mota, vt est cor, nam si cor hac duplici primitate moueret se, quiesceret, & non quiesceret, solum ergo prima primitate primò se mouet, & si ratio valeret, nec posset dici corpus primò quiescere, nec primò quantum. Attamen si moueri accipiatur pro motione totali, sic totum primò se mouet primitate causalitatis, quia motio totalis vt sic non causatur à parte, nec ipsi conuenit, vnde valet dicere, pars non mouetur motione totali, sicut etiam per se primò mouet hac primitate motione partiali, quæ primò ab illa causatur, non à toto; nec sequitur, quòd si à parte remouetur motio totalis, remouetur quoque à toto, vt patet: & quamuis si à parte remoueatur motio partialis, remouetur etiam totalis à toto, hoc tamen prouenit propter essentialem dependentiam, quam habet totũ à partibus, sicut enim subiectũ dependet à partibus, ita passio subiecti à passione partiũ dependet, quam doctrinam sequitur Suar. disp. 115. Met. sect. 7. n. 39. & 40. & Amic. tract. 26. q. 3. dub. 2. Ex quibus patet nullo modo rationem Arist. concludere, aliquid non posse vllo pacto se primò mouere; quãuis Expositores ipsius tanquam demonstrationem efficacissimam magnificant: & forsan non sine ratione Vallesi. in com. 7. Phys. miratur, quòd Arist. Interpretes Græci, & Barbari in illa defendenda tam pertina-

tinaci contentione vsi fuerint;eò vel maximè,quod tribuendo motum inanimatorum generanti nihil saluant, cum admittant principium proximum,& immediatum in ipsis inanimatis. Ad Conf. Arist.ibi loquitur non de motu locali,sed de motu alterationis,de quo verum est; quòd idē non potest se.ipsum mouere,nisi secundū se totum,& sic cum mixtio requirat in miscibilibus contrarias qualitates,si athomi essent secundū se totis alteratæ ex se ipsis,susciperent proculdubio cōtraria.

102 Secundò quicquid mouetur,vel est animatum,vel inanimatū, animata ab alio mouentur,quia in parte per se mouentem,& in parte per se motam diuiduntur,inanimata mouentur à generante secundum Arist.8.Phys.à tex.28.& alibi,quia dans formam,dat etiam consequētia ad formam,generans dat virtutem motiuā inanimatis,ergo & motum.Tum 2.quia vnum oppositum negat aliud se motio actiua,& motio passiua sunt relationes oppositæ,ergo nequeunt eidē supposito cōuenire.Tum 3.nequit idem esse perfectum,& imperfectū respectu eiusdē,sed si aliquid posset seipsum mouere,esse perfectū,quia in actu virtuali,qui actus est perfectior formali, & imperfectū,quia in potentia formali,ergo,&c.Tū 4.quia sic rueret totus processus Arist.in 7. & 8. Phys.vbi per distinctione motoris à mobili probat existētiā primi motoris.si enim idē potest seipsū mouere,dici posset Cælū à seipso moueri

103 Resp.pro veritate nostræ conclus. sufficere partē illam animatorum seipsam primo mouentē,dicimus tamen etiam viuentia à seipsis posse moueri,vt patebit in proprio loco,& quando Arist.hoc negauit,intelligi debet de motu organico,vt colligitur ex rationibus,quibus probat non moueri à sepsis in tex.29.& 30.vide expositionem textus.Vel dicimus, quod aliquid à se moueri stat dupliciter, vno modo per exclusionem extrinseci motoris particularis per se, & immediatè illud mouentis,quomodo baculus à manu immediatè motus non dicitur à se moueri,& hoc modo inanimata à se ipsis mouentur; Secundò per exclusionem etiam cuiuslibet alterius, cuius motio necessaria est, ad hoc vt illud moueri possit,& in hoc sensu non viuentia à se ipsis non mouentur, quia cum non sint apta moueri in proprijs locis,vt sunt animata,neque à proprijs locis ad alia loca, sed ab alijs locis ad propria,necesse est, si moueri debeant,esse extra propria loca,& ibi nō impedita,in qua dispositione ex se ipsis nequeunt collocari, sed vel ab aliquo generante extra propria loca, vel ab aliquo illud deferente, & aliquo impediente,non sic animalia,quę in quibuscumque fuerint locis,quocunque & quandocunque possunt se mouere,nullo alio motore præsupposito:& hæc est ratio, cur Arist.animalia à seipsis moueri, nō tamen inanimata sæpè pronunciauit.Nec propositio illa,dans formam,&c.est vera,nisi vt de causa remota,& mediata, quod concedimus.Ad 2.verum est motionem actiuam, & passiuam in abstracto repugnare,itaut vnum neget alterum, at in concreto non ita inter se repugnant, cum dicant quandam dependentiam accidentalem,nō enim sequitur,est mouens,ergo non est mobile,cū possint idem suppositum concernere.Ad 3.verum est de perfectione formali,vel virtuali, quando tamen actus virtualis ita actuat,vt reddat potentiam subiecti satiatam sicut est anima rationalis, respectu sensitiuæ, & vegetatiuæ, at quando actus virtualis non satiat appetitum materiæ, vt possit exercere omnia munera alterius formę,potest idem dici perfectum virtualiter, & imperfectum formaliter sicut potest respectu eiusdem esse simul in actu virtuali, & in potentia formali: vt in simili diximus art. sæpè cit.Ad 4.patebit ex seq.art.

ARTICVLVS III.

An sufficienter per motum ostendatur existentia primi Motoris.

104 DVplici medio demonstrari potest existentia primi Motoris, physico,& metaphysico,medium physicum est motus,quo vsus est Arist.8.Phys.& 12.Met.metaphysicum est causalitas, & productio,quo demonstrauit 2.Met.2.in nullo genere causæ posse in infinitum progredi, sed ad vnum primum deueniendum esse: demonstratur primo medio, quia omne, quod mouetur, ab alio moueri necesse est, sed quia non potest dari in mouentibus processus in infinitum, ideò deueniēdum erit ad vnum primum motorem immobilem: secūdo medio ostēditur, quia omne,quod fit,& producitur,ab alio producitur,sed in producentibus non potest esse processus in infinitum,ergo ad primum producens peruenietur,quod à nullo producatur.Auerroistæ,& præcipuè Zab.lib.de inuent.primi mot.putant non aliter demōstrari posse existentiam primi Motoris,nisi medio physico; Thomistæ vero quamuis medium metaphysicum non respuant,admittunt tamē sufficienter demōstrari per motum vt est videre apud Masium 8.Phys. disp.de primo Mot. sect.vn.q.2. Compl.disp.29.q.vlt.Ruuius 8.Phys. tract.de primo Mot.qui Scotum pro se citat.

105 Dicendum est tamen,non sufficienter demonstrari motum existentiam primi Motoris: ita Doctor.q.3.Prol.V.& 1.d.2.q.1.per totū, quem ferè omnes Recentiores sequuntur, & Prob. Tum quia illud principium: omne,quod mouetur,ab alio moueri necesse est, non est ita firmum,si de alietate omnino distincta,& suppositali intelligatur, nec animalia ita mouentur etiam secundum Arist. nec inanimata, vt diximus in præc. art. Tum quia quòd sit penitus immobilis fundatur in illo principio, quod omne mobile sit diuisibile, & continuum, vt patet ex tex.40.quod principium est falsum ex dictis art.1.& quia anima rationalis aliquo pacto mouetur per se,& si non motu locali, saltim motu alterationis,quare ad summum indiuisibilitas immobilitatem localem posset inferre, non alias.Tum quia vel per motum in cōmuni deuenitur in cognitionem existentię primi Motoris,vel per motum æternum,vt vult Zab.primum dici nequit,quia nec Arist. de isto motu est locutus probando talem existentiam,nam à tex.21. vsque ad 40.vbi de motu vniuersaliter loquitur,solùm ostendit ex ista propositione,in quolibet motu debere dari vnum motorem, qui ab alio non moueatur, vnde conclud t,animata à se ipsis moueri,quia constant ex parte per se mouente,& parte per se mota,grauia,& leuia,quoad actū primum moueri à generante,& tex.35.demonstrat in motu baculi deueniri ad mouens non ab alio motum,baculus enim mouetur à manu, & manus à virtute hominis; at à tex.40. incipit ostendere, posse dari aliquod mouens penitus immobile,& tex. 45. expressè ait. *Quoniam autem oportet motum semper esse, & non intermitti, necesse est esse aliquid perpetuum quod primum mouet*, ecce quòd ex perpetuitate motus ostendit existentiam primi Motoris; & reuera rationes ex motu in communi desumptæ non ostendunt istam existentiam. Sed neque dici poterit sufficienter ex perpetuitate motus demonstrasse dari primum motorem,quia opinio Arist.de mundi æternitate implicatoria, est, vt vidimus disp præc.ergo motus iste perpetuus non potest esse medium alicuius demonstrationis, quia ex falsi non potest verum ostendi quapropter rationibus infirmis Arist. in Physica dari primum motorem probauit,quia neque sufficienter distinctionē motoris à mobili,neque immobilitatē tam per se,quā per accidēs primi motoris demōstrauit.

106 Quomodo autem ex medio metaphysico fortiùs demonstretur talis existentia,non est pręsentis negotij,sed ad Metaphysicam attinet, & fusè ostendit Doctor 8.d.cit. quam doctrinam ex professo sequutus est Suar. & abundè explicauit disp.29.Met. sect.1. breuiter tamen vim huius rationis aperiemus.Datur in entibus aliquod ens effectibile,igitur vel ab alio,vel à se;non secundum, quia nihil producit seipsum ex dictis disp.8.q.2.art.1.si primum,quæritur de illo alio, vel est à se,vel ab alio,quare vel dabitur status ad vnum incausatū,& improductum, vel erit processus in infinitum; non secundum, quia repugnat, ergo primum,repugnantia ostenditur;tum quia cunctæ istæ infinitæ causæ sunt causatæ,& dependentes,ergo ab aliqua alia prima, quæ extra istā seriem incausata reperiatur; tum quia vel vna causa dependet essentialiter in causando ab alia,vel tantum accidentaliter,quocunque dato semper sequitur,dari vnam primā causam incausatam, nam si sunt essentialiter subordinatæ,quia cum causa, quæ in causando dependet ab alia,nequeat sine illa causare,alioqui non dependeret, iam reperiretur in rerum natura infinita multitudo causarum essentialiter subordinatarum,quod repugnat. Si verò essent accidentaliter subordinatæ,non sequitur quidem dari actu multitudinem infinitam causarum, quia istæ causæ possunt ab inuicem separari, essent tamen istæ causæ possunt ab inuicem separari, essent tamen istæ causæ infinitæ successiuè, sicut posuit Arist. infinitatem generationum successiuam, sed ista infinitas est etiam impossibilis, si non daretur prima causa omninò incausata, ergo &c. Prob. minor, quia nulla disformitas potest perpetuari, nisi in virtute alicuius permanentis, quod nihil sit illius successionis, alioqui quia istæ causæ accidentaliter ordinantur, & à casu, sequeretur, mundum à casu per infinitum tempus durasse, ergo quamuis istam infinitatem successiuam, vt possibilem admitteremus necessariò tamen erit deueniendum ad vnam causam infinitè durantem, à qua tota series infinita successiuè rerum causatarum dependeat. Clariùs igitur, & fortius ex causalitate concluditur existentia primæ causæ,quam ex motu, quia distinctio inter mouens, & mobile non ita ab omnibus conceditur, sicut distinctio inter causam efficientem,& productum. Dices, nulla scientia probat existentiam sui obiecti,Deus est obiectum saltim principale in Met. ergo nequit à Met.probari existentia Dei. Resp. maiorem esse veram per demonstrationem à priori, falsam verò per demonstrationem à posteriori, quo modo Met.procedit demonstrando existentiam primæ causæ,scilicet ab effectu ad causam,ita Doct.in Prol.cit.

107 Ex dictis patet responsio ad vltimam confirm.præc.ar. concedimus enim processum Arist.in 7.& 8.Phys. non esse ita firmum, vt sufficienter existentiam primi motoris demonstrarit;quamuis non recrè dici posset Cœlum à seipso moueri, sicut mouentur inanimata, quia ista ad propria loca tendunt, & ideò à seipsis mouentur,non tamen ex motu cœlesti eodem modo potest inferri Cœlum à se ipso moueri,quia verisimilius est,cum aliquid inanimatum est in proprio loco, quòd quiescat in illo,quàm quòd moueatur.

Cùm igitur dari vnum primum ens non ad Physicum, sed ad Metaphysicum spectet inuestigare, rationabiliter, quæ de alijs attributis primi motoris in 8.Phys.disputantur à Doctoribus,puta de libertate, infinitate,vnitate,indiuisibilitate, immensitate, & immutabilitate eiusdem,in Metaphysica ipso primo motore fauente pertractabimus. Similiter quæ de motu solent etiam in physicis agitari, puta an grauia, & leuia à seipsis moueantur localiter, an detur quies in puncto reflexionis,à quo proiecta moueantur, & similia, quia ad motum in communi non pertinent,sed ad motum in specie, puta localem, ideò hæc omnia ad libr. de Cœlo differimus, vbi motum localem præcipuè considerabimus, hìc verò solùm de motu in communi est sermo. Satis.

L A V S D E O.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA